Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
8
3 M
3

DISCVRSVS MORALES IN DECEM DECALOGI PRÆCEPTA;

Ad vsum Concionantium.

Authore

DAVIDE A MAVDEN, IVRIS CONSVLTO
ac Theologo, Ecclesiæ Bredanæ Decano, et B. MARIÆ de Capella Bruxellis Pastore.

Cum Indice pro Concionibus totius Anni.

LOVANII
Apud Henricum Hastenium
ANNO M.DCXXVII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISS.

DOMINO D.

IACOBO BOONEN

ARCHIEPISCOPO

MECHLINIENSI.

Llustrissime Præsul, Palam est in omni Scientiarum genere doctissimorum virorum volumina præterito sæculo in lucem prodijsse, eaque longè plura, quàm trecentis antea lustris: ita vt ea in numerum redigere difficile foret. Rursum manifestum est, calamos adhuc scripturire, & SCRIBENDORVM LIBRORVM, iuxta Sapientem, non esse finem. Sed quid? Contingit in tanta librorum multitudine, quod in splendidis convivijs accidere solet: vt enim epulorum copia & varietas oculos quidem oblectat, sed stomachum potiùs gravat, quàm relevat; ita librorum ingens copia

Biblio-

Bibliothecas quidem ornat, legentium verò ingenia nòn raro perturbat. Vnde multorum vox est, in vastis Scriptorum voluminibus contineri optimas doctrinas; sed qui eas seligat, quæ ad cuiusque captum accommodatæ sunt; qui discernat à subtilibus quibusdam quæstionibus, quales à Scholasticis Doctoribus disputari solent; & ad mores hominum formandos, populumque instruendum adaptet, per quàm raro inueniri. Considerarunt hoc viri doctissimi, qui propterea Scholasticam doctrinam compendiosè, & ad mores vtilem, formarunt: qui Casus conscientiæ, ad Sacramenta & Decalogum spectantes, optimâ methodo æternitati tradiderunt: qui denique Catechismum Romanum egregiè explicarunt. Restabat, vt aliquis ad Concionantium vsum quid Catechisticum formaret. Hunc laborem, quamvis impar, pro bono publico suscipiẽs, Discursus hosce Morales in Præcepta Decalogi concinnavi (cùm viginti quatuor annis è pulpito ad populum dixissem:) ratus me nihil vtilius posse auspicari, cùm in hisce Præceptis vniversa Lex pendeat & Prophetæ; imò sine Decalogi observatione homo nullus dici debeat: inquit enim Ecclesiastes cap. 12. DEVM TIME, ET MANDATA

EIVS

EIVS OBSERVA; HOC EST ENIM OMNIS HOMO. Quid brevius, ait Augustinus, verius, salubrius, dici potuit? &c. Quicumque enim est hoc, est custos vtique mandatorum Dei: quoniam qui hoc non est, nihil est. Non enim ad veritatis imaginem reformatur, remanens in similitudine vanitatis. Tertiò, nihil est homini etiam quoad salutem temporalem efficacius, quàm Præceptorum Decalogi observatio, vt insinuat Dominus, cùm Isaię 48. declarat Israeli ob peccata summam imminere adversitatem: VTINAM, inquit, ATTENDISSES AD MANDATA MEA: FACTA FVISSET SICVT FLVMEN PAX TVA, ET IVSTITIA TVA SICVT GVRGITES MARIS. &c. Ad hæc non potest absque ea in scopum ferri, dicente Domino: SI VIS AD VITAM INGREDI, SERVA MANDATA. Hæc autem clarè sciri non possunt sine prædicante. Vnde his ob commune desiderium intendens, non passus fui propter ingenij mei tenuitatem ab hac mole me retardari, memor istius Damasceni: Plerumque vsuvenit, vt quod hominem adultâ ætate fugit, hoc puer inveniat: & quod eruditos præterijt, indoctis in mentem veniat: & quod Magistros fefellit, discipulis occurrat. Neque etiã, quòd olim aliqui viri pręclari, velut Michael Episcopus Mer-

ſpurgenſis; Fredericus Epiſcopus Viennenſis; Feliſius Provincialis Minoritarum in Germania Inferiori, & alij concionatoriè de hac materia aliquid conſcripſerint: alia enim tempora alios fœtus deſiderant, & quotidie experimur, quod inſinuat idem Damaſcenus, inſolitis (exquiſitis dicere non auſim) cibis propoſitis, non eos tantùm, qui fame laborant, ad edendum attrahi; ſed nonnunquam etiam eos, quos iam ſatietas cepit, extimulari; imò racemulum aliquem poſt vindemiam relictum, aut poma aliquot, poſt collectos arborum fructus, oblivione tranſmiſſa, ſæpe gratiora eſſe: quin etiam Deum nonnunquam infirmis inſtrumentis cooperari.

Verum enimvero ea, quæ ab infirmis prodeunt, Patronos requirunt non infirmos, quare neque inſcitè, neque audacter feciſſe videor, ſi cum ab Authore humili, & ab ingenio tenui labor hic meus nullam, aut exiguam fortè commendationem habere poſſet; eam à Patroni auctoritate, & gratia conciliare ſtudeam. Te igitur, Illuſtriſſime Prçſul, ex omnibus elegi, cuius apud quoſvis tantum eſt gratiæ, vt etiam derivare poſſis ad alienos; auctoritatis tan-

tum

tum, vt ex ea queant, quæ ad Te plurimum aut pertinent, aut ſpectant, non parum ponderis & authoritatis accipere. In quam cogitationem neque temerè ſum ingreſſus, neque levi ratione adductus. Cauſæ enim non exiguę poſtulabant, vt hoc Opus Illuſtriſſimæ, ac Reverendiſſimæ veſtræ Gratiæ dedicarem: cùm enim Eccleſiaſticum ſit, & ad Paſtorum adminiculum, populique inſtructionem conſcriptum; cui potius offerri debebat, quam Eccleſiarum noſtrarum Antiſtiti Metropolitano; cuius auctoritate, & favore munitum tutius, ac fructu vberiore in multorum manus devenire poſſet? Cui, inquam, dignius ſcientiæ ſacratioris myſteria enodata poterant commendari, quàm illi, quem in ijs verſatiſsimum ſuſpicere, & mirari licet, æquare vix licet? adeo enim præter fidem, ſpem, & ea quę ad cultum Dei pertinent, Iuſtitię bonum promoves, charitatem exerces, vt ipſa ſuperes mandata. Deinde ratio dictabat, vt ex meſſe Iubilei mei (quod concionando in Diœceſi veſtra peregi) primos fœtus Tibi conſecrarem. Accedit inſuper ſingularis benevolentia, & favor, quē Illuſtriſſima,

ac Reverendiſſima Veſtra Dominatio clariſſimis beneficenti ſignis erga me declaravit : vt ingratitudinis vitio notari poſſem, niſi gratitudinis aliquod darem indicium.

Suſcipe igitur ſerenâ fronte munuſculum hoc ab animo obſervantiæ, ac ſtudij pleniſſimo profectum, Præſul Illuſtriſſime, & vive tuo, & publico bono æternùm ſoſpes. Ita voveo, opto, & venerans adprecor.

Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. veſtra Gratia ad obſequia

David Van Mauden.



Præfatio ad Lectorem.

HAbes, amice Lector, Discursus Morales in Præcepta Decalogi, in quibus quantum à me positum sit laboris & studij, facilè, dum leges, deprehendes. Scopus meus fuit, publicæ lucis facere ea omnia, quæ ad Decalogi explicationem permittit pulpitum edicere; sed in progressu didici me & pleraque non assecutum, & pleraque moralia, apta suggestui, præteriisse. vnde quàm plurima serius annotavi, in hanc rem vtilia, quæ licebit per convenientes quæstiones communicare, quando necessitas postulabit secundã editionem evulgare; quod multi brevi futurum autumant. Ego autem existimo rem aleæ expositam. Libuit nihilominus idipsum insinuare, ne prima hac Belgica editione distractâ, Discursus hos alibi impressos facilè quis coëmat: privaret enim se abundantiori & vberiori segete apud me in publicum vsum iam paratâ. Interim, bone Lector, hoc meo labore fruere: & si quid boni occurrerit, illi, à quo omne bonum, & datum optimum est, tribue; si aliquid, quod minus arrideat, offenderis, benignius interpretare, quia nec mihi satisfeci, nec amplius arrogo, quam à mediocri ingenio sperari queat: & animabis boni publici Studiosum iuxta auctiorem editionem secundam, Discursus similes in Præcepta Ecclesiæ adiungere.

APPROBATIO CENSORIS.

OPus hoc Morale in decem Decalogi Præcepta operâ & alto labore Rev. Domini DAVIDIS à MAVDEN, Iurisconsulti ac Theologi, ad vsum verbi Dei Prædicatorum concinnatum, & in varias classes, seu variorum argumentorum Discursus distinctum; novarumque quæstionum, & casuum, quin imo & controversiarum fidei accessione illustratum, quo non tantùm ea, quæ animarum curam gerentibus sunt communia, verum etiam, quæ ijs sunt propria, iuxta Orthodoxam Catholicæ Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum sanam doctrinam erudito calamo exponuntur; pervtile habeo, quod typis excusum eorum tam qui regunt, quam qui parent, manibus teratur. In quo & theoricè & practicè cuivis argumento dicendorum segetem & messem vberrimam cum fructu & voluptate (ita voveo) reperient; & cui additus est Index locuples Discursuum, & quæstionum, etiam pro Concionibus totius anni accommodus, qui non parum lucis reliquo operi addat, & illis, qui in sacra salutis animarum palæstra desudant, adminicula non pauca subministret; quare magno Reip. commodo prælo donandum censeo. Datum Bruxellæ, pridie Nonas Maias, M. DC. XXVII.

HENRICVS SMEYERS. *S. Th. Licent. Scholasticus Bruxellensis, Ordinarius Librorum Censor.*

Summa Priuilegij.



HILIPPVS *Dei gratia Hispaniarum, Indiarum &c. Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Serenissimus Belgarum Princeps, suo Diplomate permisit, & consensit, quod* DAVID VAN MAVDEN, *Iurisconsultus ac Theologus, Ecclesiæ Bredanæ Decanus, & B. Mariæ de Capella Bruxellis Pastor, Librum cui titulus est,* Discursus Morales in decem Decalogi Præcepta, *per sibi placentem Typographum, admissum & iuratum, in lucem emittere possit, cui soli per inferioris Germaniæ ditiones, eundem librum venalem habere ac divulgare liceat, sub pœnis latius expressis in litteris datis Bruxellæ, in Concilio Regiæ Maiestatis sanctiori, die decima quarta Iunij, 1627.*

Signat.

LE COMTE.

Et in Concilio Brabantiæ, die decima quinta eiusdem mensis &c.

Signat

DE VVITTE.



DISCVRSVS MORALES IN DECEM DECALOGI PRÆCEPTA.

Discursus Primus Explicationi Decalogi præuius.

An hæc Præcepta Christianos obligent?



OLENT, qui ædificium aliquod moliuntur, primum, si quod sit, impedimentum tollere, quod mihi Decalogum auspicaturo necessum. Tale mihi videtur peruersum dogma, quo dicitur præcepta Decalogi ad Christianos non pertinere, & nihil Euangelio præcipi, nisi fidem, cætera esse indifferentia, & libera; cuius ratio videtur esse, quod lex Mosaica sit abrogata, sub qua præcepta Decalogi continentur. Hinc primo tractabo, an Christianos Lex Decalogi obliget?

1. Authores huius tam execrãdi dogmatis sunt hæresiarchæ Lutherus & Caluinus. Ille enim super verba Apostoli, ad Galat. 2. v. 19. *Ego enim per legem, legi mortuus sum* (quibus declarat Apostolus se per legem Christum ostendentem, & in eo desinentem desiisse legi cæremoniali obnoxium esse) sic commentatur: *Legi mori nihil aliud est, quam ad legem non esse obligatum, ab eaque liberum esse, siue cæremonialis sit, siue moralis; certum enim est, Decalogum solis Iudæis esse datum, & non nobis.* Idem lib. de libertate Christiana: *Christiano*, inquit, *neque opera, neque lex necessaria est, quia per fidem liber est ab omni lege.* Idem rursum tom. 1. Wittenbergensis editionis fol. 189. & 190. *Oportet*, inquit, *cor humanum legem Dei, atque adeo Deum ipsum supra modum odisse.* Caluinus vero lib. 3. Instit. cap. 19. huic conformis est, nam eo capite tractat expressè hominem solutum esse à lege, & libertatem Christianam non requirere opera bona tanquam necessaria ad salutẽ. Sic enim ait sect. 2. *Christiana libertas, vt ego quidem sentio, in tribus partibus sita est. Prima vt fidelium conscientia, dum fiducia suæ coram Deo iustificationis quærenda est, sese supra legem erigant atque efferant, totamque legis iustitiã obliuiscantur.* Et paulo post: *Ac sic quidem, vt nulla prorsus operum ratio habeatur.* Et nonnihil inferius: *Vbi conscientia sollicitantur, quomodo Deũ habeant propitium, quid responsuri sint,*

Galat. 2.

Caluinus.

qua fiducia constatura si ad eius iudicium postulentur : ibi non subducendum est, quid lex requirat, sed vnus Christus pro iustitia proponendus, qui omnem legis perfectionem superat. Quod idem est ac si diceret. Etiam si quis peccauerit contra legem Decalogi, Deus non puniet, neque condemnabit; nam istorum in extremo iudicio non habebit rationem, ex eo quod liberauerit nos à lege. Quod clarius exprimit in antidoto Concilij Trid. Sess. 6. Cano. 20. vbi ait : *Sciendum est, à mandatorum obseruatione nequaquã pendere salutis fiduciam.*

2. Vt autem res salubriter intelligatur, ante omnia notandum est, præcepta veteris Legis fuisse triplicia, moralia, cæremonialia, & iudicialia, vt docet D. Thomas, 1. 2. quæst. 99. Et probat ex illo Deut. 6. *Hæc sunt præcepta, & cæremoniæ, atque iudicia, quæ mandauit Dominus, Deus vester, vt docerem vos.* De quibus Apostolus Rom. 7. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum.* Id est, mandata legis sancta, iusta, & bona sunt; sancta, quia præscribunt, quo modo Deus sancte coli debeat; iusta, quia præscribũt, vt proximum non lædas, sed ei, quod suum est, tribuas; bona, quia pręscribunt ea, quibus quisque in se bonus sit, ac bonis, virtuteq; præditis. Et quia hæc tria opposite fiunt per triplicia legis veteris præcepta, scilicet per cæremonialia, quibus sanctus cultus, & religio erga Deum; per iudiciali, quibus iustitia erga proximum; per moralia, quibus bonitas, & continentia erga seipsum præscribũtur. Hinc S. Thomas, 1. 2. quæst. 99. art. 1. putat hîc mandatum legis vocari sanctum, propter præcepta cæremonialia; iustum propter iudicialia; bonum propter moralia : & forte eò etiam respexit Apostolus.

D.Thom. Deut. 6. Rom. 7. D.Thom.

3. Porro iudicialia quatenus iudicialia solos Iudæos obligabant: nã illis solũ Deus præscripserat modum regendi Rempublicam, & bene cõseruandi, iisq; ita promulgauerat: illaq; recte eis congruebant, & commode obseruari poterant, quia vna natio tantum erat; non autem consistebat in pluribus nationibus, eorũ regimen, sicut Christianorum; atq; ita illis tantum erant particularia.

4. Cæremonialia vero eosdẽ Iudæos duntaxat obligabant, quoad obseruantiã, licet aliquo modo pertinerẽt ad Christianos; nempe quoad significationem, quatenus erant figuræ quædam eorũ, quæ per Christum adimpleta sunt, vt expresse deducitur ex Scripturis, 1. Cor. 10. v. 6. *Hæc autem in figura facta sunt nostri, &c.* Et infra : *Hæc autem omnia in figura contingebant illis : scripta sunt autem ad correptionem nostram.* Et Rom. 15. v. 4. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Et ad Galat. 3. v. 23. *Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat; itaque Lex pædagogus noster fuit in Christo.* Vnde volens D. Paulus lucrari animas Iudæorum, conciliauit sibi eorum gratiam, allegando inter cæteras prærogatiuas, quod benedictio Abrahæ promissa, omnesq; aliæ benedictiones Dei, quas ipse in v. Testamẽto, & in nouo fecit hominibus, primò, & primario ante alias omnes gentes spectarint ad Iudæos; quarum promissionum maxima erat ipse Messias, puta, redemptio, iustitia, ac salus præstanda per Christum, idque in verbis ad Rom. 7. *Quorum adoptio est filiorum &c. & promissa, quorum Patres, & ex quibus est Christus secundum carnem.*

1. Cor. 10. Rom. 15. Galat. 3. Rom. 7.

Illa vero tantum obligabant vsq; ad promulgatam fidem post ascensum Christi in cœlis: quia nihil aliud adumbrabant, quam venturũ Christum, & redemptionem per eundem futuram, postquam robur suum amiserunt. Sic intelligenda sunt verba Lucæ cap. 16. *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem*; id est, Lex cæremonialis prophetans per vmbras, & figuras, tunc cessauit : non quod absolute tunc abrogata sit, sed quod tunc cœperit ægrotare, & quasi ad mortem se disponere. Nam cum Euangeliũ prædicari cœpit, quodammodo inchoabatur lex noua. Hoc sensus dixit Cyrill. Hierosolymitan. Ioannẽ *fuisse*

Luc. 16. Cyrillus.

fuisse finem Prophetarum, & principium P. Chrysologus. *Euangelij*. Et Petrus Chrysologus: *Fibulam legis & gratiæ*. Et S. Paulinus: Paulinus. *Metam legis, & ianuam Euangelij*.

Verum penitus abrogata fuit post mortem & passionem Christi. Et ratio est, Quia *lex pædagogus noster fuit in Christo*, vt ait Apostolus, & vmbram dumtaxat habebat futurorum bonorum, vt dicitur ad Hebr. Hebr. 10. 10. vnde prodeunte lumine Euangelij, & sole iustitiæ Christo, offuscatæ sunt cæremoniæ legales, vt notat Hieronymus in Comment. ad Galat. 4. Quo spectat illud Theo- Theodoret. doreti ad Philip. 3. *Supernacaneus est Lychnus, si sol apparuerit: superuacaneus pædagogus ijs, qui perfectam acceperunt sapientiam*.

5. Mandata vero moralia omnes, & quoscũq; semper obligarunt, tam Gentiles, quam Iudæos: quia naturalia præcepta per ea significantur, qualia sunt præcepta Decalogi: atque eadem quatenus sunt iuris naturalis, non sunt abrogata, aut abrogari vnquam potuerunt, aut possunt. Vnde etiã quatenus per Moysen data sunt, Christianos obligant. Quod ex sacris Scripturis euidẽter Matth. 5. 6. & 7. apparet: Primò, ex cap. 5. 6. & 7. Matth. vbi Christus approbat & explicat legem Moysis addens se non venisse soluere legem, sed adimplere, id est, bene interpretando perficere; remouendo scilicet corruptelas, quæ per falsas interpretationes illi accesserant. Secundò, ex Rom. 3. Apostolo ad Roman. 3. cap. vbi ait: *Legem ergo destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus*. Tertiò, quia Apostoli semper allegant verba veteris Testamenti, cum docent, Præcepta moralia esse seruanda, vt Roman. 13. v. 9. Ephes. 6. v. 2. Et Iacob. 2. v. 8. At cur id facerent, si illa testimonia ad Christianos non pertinerent? Quartò, quia Sancti Patres, & omnes Theologi vtuntur auctoritate veteris Testamenti ad probanda moralia Præcepta. Nam vt probent vsuras esse illicitas citant Ps. 14. v. 5. illud Psal. 14. v. 5. *Qui pecuniam non* Ezech. 18. v. 8. *dedit ad vsuram*. Et illud Ezech. 18. v. 8. *Ad vsuram ne accommodauerit*. Quin etiam huic doctrinæ adstipulantur Patres, nempe D. August. lib. August. 10. contra Faustum cap. 2. vbi sic habet: *Iudæo dicenti mihi, cur tenes vetus Testamentum, cuius præcepta non seruas? Respondeo seruari à Christianis etiam ex ipsis libris Præcepta vitæ agendæ, id est moralia: præcepta vero vitæ significandæ, id est, cæremonialia tunc rectè obseruata cum prænuntiabantur ista, quæ nunc reuelata sunt*. Et Leo Papa serm. Leo Papa. 6. de ieiunio decimi mensis: *Euangelicis sanctionibus, Dilectissimi, multum auctoritatis* (in margine vtilitatis) *præbet doctrina legalis, cum quædam de mandato veteri ad nouam obseruantiam transferantur, & ex ipsa ecclesiastica deuotione demonstratur, quod Dominus* IESVS *Christus non venit soluere legem, sed adimplere. Cessantibus enim significationibus, quibus Saluatoris nostri nuntiabatur aduentus: & peractis figuris, quas abstulit ipsa præsentia veritatis, ea quæ ad regulas morum vel ad simplicem Dei cultum ratio pietatis instituit, in eadem apud nos forma, in qua condita sunt perseuerant: & quæ vtrique Testamento congrua erant, nulla sunt commutatione variata*.

Demum ipsi hæretici in suis Catechismis ijsdem verbis habent decẽ Præcepta, vt Exod. 20. describũtur, Exod. 20. & loco summi Altaris magno charactere in maioribus tabulis publicè in templis suis descripta Populo conspicua exhibentur.

6. Sed dices in quo ergo consistit libertas Christiana, quandoquidem Christus dixit Iudæis Ioan. 8. Ioan. 8. cap. *Si vos filius liberauerit, vere liberi eritis*. Id est, Si ego assumpsero vos in filios adoptionis, perfectam assequimini libertatem? Respondeo, consistere in quinque, nempe tribus quoad spiritualia, & duobus quoad corporalia. Quoad spiritualia consistit libertas, primò in eo quod à seruitute peccati, & potestate diaboli, ac reatu mortis æternæ per Christum liberati sumus, de qua libertate Diuus Paulus loquens capite octauo ad Roma- Rom. 8. nos, ait: *Lex spiritus vitæ in Christo*

Iesv *liberauit me à lege peccati & mortis*. Et scribens Galatis capite quinto. *Vos in libertatem vocati estis*. Et capite quarto. *Non sumus Ancillæ filij, sed liberæ, quâ libertate Christus nos liberauit*. Seu à statu seruorum in adoptionem filiorum nos liberauit & à seruitute peccati, quâ necesse erat nos teneri, ita vt non poteramus quidquam boni velle facere, nisi per gratiam liberaremur, de qua dicit Apostolus ad Romanos 6. cap. *Liberati à peccato, serui facti estis iustitiæ*

Galat. 5.

Rom. 6.

Secundò, consistit illa libertas in eo quod liberi simus per Christum à iugo legis cæremonialis Iudæorum, qua tenebantur per diuersa Sacrificia animalium Deo seruire, quæ latè continet liber Leuiticus. Et per Christum abolita sunt, quia continebant vmbram futurorum, seu Sacrificium Crucis, quo Christus nos Deo reconciliaret. Vnde Apostolus Paulus increpat Galatas seductos per Pseudoapostolos, quod legalia cum Euangelio vellent obseruare, dicens: *Quomodo iterum conuertimini ad infirma & egena elementa, quibus denuo seruire vultis*. Infirma dicit, quia per se à peccato liberare non poterant, sed per fidem in Christum futurum.

Tertiò, consistit in eo quod liberi simus à dominio & reatu legis moralis, de qua dicit Apostolus 2. ad Corinth. 3. cap. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas*. Id est, per Christum obtinuistis, vt sponte & liberè legem Dei impleatis, scilicet ex amore virtutis, non ex formidine pœnæ. Quod clarius explicat ad Galat. 5. cap. dicens: *Si spiritu ducimini, non estis sub lege*, quia videlicet ex amore & charitate viuitis secundum legem, non tanquam serui ex timore, vt faciebant Iudæi.

2. Cor. 3.

Galat. 5.

7. Ad cuius planiorem intelligentiam, nota legem moralem tripliciter spectari posse. Primò nude secundum se. Et sic viguit in statu naturæ ante legem Mosaicam, & omnes obligabat, licet nec Prophetas nec Prædicatores habuissent, quia naturaliter illa Deus imprimit mētibus hominum, iuxta illud Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*.

Psal. 4.

Secundò, quatenus habet annexas minas, terrores & pœnas temporales veteris Testamenti. Sic viguit apud solos Iudæos, quod clarè colligitur ex Deutr. c. 19. vbi dicitur. *Cumque diligentissimè perscrutantes inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium: reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui: vt audientes cæteri, timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere*. Et c. 27. & 28. vbi transgredientibus legem, multiplex maledictio promittitur.

Deut. c. 19

Tertiò, quatenus habet annexam gratiam Euangelij. Sic viget apud Christianos, vbi cessant minæ, terrores, & pœnæ temporales, quæ in veteri Testamento annexæ erant præceptis moralibus, quod significat Apostolus 2. ad Corinth. 7. v. 7. cum ait: *Non dedit nobis spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis*. Id est, dedit nobis gratiam, qua libera voluntate, & filiali amore eius Præcepta seruemus, eadem facientes non metu supplicij, sed amore Iustitiæ, libenter, promptè, perseueranter, & cum delectatione.

2. Cor. 7. vers. 7.

8. Hanc distinctionem clarè expressit D. Paulus 1. ad Timoth. 1. in verbis: *Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitimè vtatur. sciens hoc, quia lex iusto non est posita, sed iniustis & non subditis, impijs & peccatoribus, sceleratis & contaminatis, parricidis & matricidis, homicidis, fornicarijs, masculorum concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, periuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, quæ est secundum Euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi*. Quo loco D. Paulus primò docet legem esse bonam, idq; quia carpserat Legis Doctores, qui docebant legem Moysis seruandam esse cum Euangelio, quodque ex operibus legis iustificaremur, dicens: *Volentes esse Legis Doctores non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*. Quasi dicat. Ego non

1. Tim. 1.

carpo

carpo legem, sed vos vanos Doctores, qui neque principia neque conclusiones doctrinæ vestræ intelligitis, neque legem & scripturam Moysis eiusue explicationem capitis, quia non apprehenditis finem & scopum legis esse Christum, eiusque fidem, spem & charitatem. Atque ita non legitimè eâ vtimini cum vultis iudicialia & cæremonialia præcepta legis Moysis simul obseruari. Quia priora tantum vim habent vsque Christi aduentum, vti & posteriora, quæ eo homines ducebant. Cæterum Euangelium per se sufficit, vtpote continens omnem sanam de fide & moribus doctrinam: quia quæ obseruatu sunt necessaria ex lege Moysis, vti præcepta moralia seu Decalogi, ea conueniunt cum Euangelio, quandoquidem legem naturalem contineant semper obseruandam. Quod innuitur illis verbis. *Et si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, quæ est secundum Euangelium gloriæ beati Dei quod creditum est mihi.*

9. Secundò, docet differentiam inter Iudæos & Christianos, quantum ad Decalogum attinet, nempe legem non ita positam esse Christianis fidelibus, sanctificatis & iustificatis per Christum in Baptismo, vti Iudæis posita erat. Quasi dicat. Vos vultis Christianos minis legis cogere ad obseruationem Decalogi. Allegantes illud Deuteron. 27. *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in Libro Legis vt faciat ea.* Sed alius est status Christianorum, alius Iudæorum, vos Iudæi eratis serui duri & rebelles, & metu pœnarum legis cogendi eratis ad eius obseruantiam. Christiani vero sunt iusti & sancti, quibus pro lege datum est Euangelium Spiritus gratiæ & amoris, vt sponte faciant id, quod Lex iubet. Vnde Diuus Hieronymus explicans illa verba ad Galat. 5. *Fructus autem spiritus est Charitas, Pax, Gaudium, Longanimitas, Benignitas, Bonitas, Fides, Mansuetudo, Continentia, aduersus huiusmodi non lex.* Inquit per modum admirationis, *Et quæ alia inter fructus spiritus debuit tenere primatum nisi Charitas, sine qua virtutes cæteræ non reputantur esse virtutes, & ex qua vniuersa nascuntur quæ bona sunt. Siquidem in lege & in Euangelio ipsa obtinet principatum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua, & diliges proximum tuum sicut teipsum.* Et longè post, cum explicasset cæteros fructus spiritus, iam recitatos subiungit: *Aduersus huiusmodi fructus Spiritus non est lex. Iusto quippe lex non est posita: iniquis autem & non subiectis, impijs & peccatoribus. Lex mihi dicit: Non adulterabis, non occides, non falsum testimonium dices, non fraudabis, non desiderabis aliena, non peierabis, non furaberis. Si hæc omnia fructu in me spiritui, charitate regnante, non facio, superflua sunt mihi præcepta legis. Denique & sapientes mundi, de Philosophia sic opinati sunt, vt quod leges publicæ facere homines necessitate compellunt hæc illa persuadeat fieri voluntate.* Itaque sensus Pauli est Christianis volentibus vti gratia Euangelij, non esse iustis positam legem. Id est, non esse latam ad iustos coërcendos, qui sponte sua se conformant legi amore iustitiæ, & obedientiæ, sed transgressoribus, vt patet ex verbis citatis, *sed iniustis, & non subditis, impijs & peccatoribus &c.* Quod idem est, ac si diceret, sicut Pædagogo non est opus Iuueni, qui iam satis est instructus, nec minis & flagellis opus est seruo, qui sponte facit imperata. Ita lege minaci & pœnas intentante non opus est iusto, qui sponte sua facit bonum & honestum, quod Lex imperat.

10. Confirmat idem Apostolus illam esse libertatem qua Christus nos liberauit, non autem eam, quam Nouantes prætendunt, ad Galatas 5. cap. in verbis: *Vos in libertatem vocati estis fratres; tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per Charitatem spiritus seruite inuicem.* Id est, cauete & prouidete, ne occasione huius libertatis volentes eam nimium extendere

Deuter. 27. Galat. 5. Deuter. 6. Matth. 22. Galat. 5.

(vti faciunt Nouantes) liberè ruatis in omnia carnis desideria, liberè quiduis concupiscendi & carnaliter viuendi, quasi iam nullis præceptis teneamini, sed velut equi indomiti facere possitis quidquid libuerit, quandoquidem dixi neque Iudaismum neque Gentilismum valere ad salutem, sed fidem per charitatem operantem, in verbis: *In Christo* IESV *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.*

11. Confirmatur secundò, ex eo quod Christus non solum quid credendum sit, sed etiam quid faciendum ad salutem consequendam docuit: *Nolite*, ait, *putare, quoniam veni soluere legem*, tollendo scilicet, eius obligationem, *sed adimplere*, opere factorum, non adiectione verborũ, iuxta illud: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, & hoc fac*, scilicet quod lex iubet, *& viues. Et nisi abundauerit iustitia vestra &c.* Vbi Decalogi Præcepta quædam Dominus proposuit, exposuit, & insinuauit, non autem abrogauit. Appositè in hanc rem D. Leo serm. 17. de ieiunio septimi mensis. *Apostolica institutio, dilectissimi, quæ Dominum* IESVM *Christum ad hoc venisse in hunc mundum nouerat, vt legem non solueret, sed impleret, ita veteris testamenti decreta distinxit: vt quædam ex eis, sicut erant condita, Euangelicæ eruditioni profutura decerperet, & quæ dudum fuerant consuetudinis Iudaicæ, fierent obseruantiæ Christianæ. Quamuis enim varietas hostiarum, differentia baptismatum, & ocia sabbathorum cum ipsa carnis circumcisione cessauerint: manent tamen ex ipsis voluminibus etiam apud nos plurima præcepta moralia. Et cum inde dicatur, Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & diliges proximum tuum sicut te ipsum, Christo Domino dicente cognouimus, quod in his duobus mandatis tota Lex pendet & Prophetæ. Tantaq; est sub huius geminæ charitatis edicto vtriusque copula testamenti, vt sine istarum connexione virtutum, nec lex quemquam inueniatur iustificasse, nec gratia. Illa quoque partes legalium mandatorum, ex quibus quædam præcipiuntur, vt fiant, quædam interdicuntur, vt non fiant, antiquæ authoritatis retinent firmitatem. Nec ideo eis Euangelica putanda est aduersa perfectio, quia & virtutum studia ad voluntaria incitantur augmenta, & vltiones criminum, pœnitentiæ remedijs relaxantur. Dicit enim Dominus: Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Adhæc clarum est ex nouo Testamento homines non solũ propter defectum fidei, æternum perire, sed etiam quia excidunt à charitate, quod Christus docuit sua parabola Matth. 22. vbi amico per fidem dicit: *Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Id est, charitatem, eumque obmutescentem per ministros iussit ligatis manibus & pedibus mitti in tenebras exteriores, *vbi erit fletus & stridor dentium.* Et cap. 25. vbi fatuas virgines non habentes oleum in lampadibus, id est, opera bona iuxta fidem, à se æternum ablegauit, dicens: *Nescio vos.* Vnde etiam Matth. 7. cap. *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.*

Matth. 22. Matth. 5. Matth. 22. Matth. 7.

12. Ex quibus euidenter colligitur hanc esse libertatem Christianam quam dixi, & hoc esse priuilegium Christianorum, quod spiritũ amoris & gratiæ adiuti Decalogum obseruent, de qua gloriari licet, & sibi applicare possunt magis, quam Iudæi verba Deuter. 4. *Non est alia natio tam grandis quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest cunctis obseruationibus nostris. Quæ est enim alia gens sic inclyta vt habeat cæremonias, iustaque iudicia & vniuersam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?* Nam ijs gloriabantur, tanquam habentes prærogatiuam respectu Gentilium. Quia Gentiles habebant Legem Decalogi per dictamen rectæ rationis seu per lumen naturale scriptam & impressam cordibus suis. Iudæi vero acceperunt eandem legem scriptam in tabulis lapideis per manus Moysis. Sed Christiani receperunt eandem

Deuter. 4.

dem in cordibus seu visceribus suis, non solum per lumen naturale, sed etiam per Spiritum Sanctum, qui præbet gratiam & vires ad legem perfectè adimplendã. Ita vt quemadmodum Iudæi habuerunt quandam prærogatiuam respectu Gentilium, eò quod accepissent legem scriptam in tabulis lapideis: sic Christiani habẽt prærogatiuam respectu Iudæorum, eo quod acceperint eandem legem scriptam in suis cordibus, seu *in tabulis cordis carnalibus*, vt loquitur Apost. 2. Cor. 3. 2. Cor. 3.

13. Vnde Concilium Tridentinum eiusmodi errorem sustinentes de Decalogo non obligante ferit anathemate Sess. 6. cap. 19. *Si quis dixerit nihil præceptum esse in Euangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta neque prohibita, sed libera, aut decem Præcepta nihil pertinere ad Christianos: anathema sit.* Et cap. 20. *Si quis hominem iustificatum & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad obseruantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum: quasi vero Euangelium sit nuda & absoluta promissio vitæ æternæ, sine cõditione obseruationis mandatorũ: anathema sit.* Hæc de spirituali liberatione dicta sint.

14. Quantum ad temporalia, Christus à seruitute temporali nos etiam liberauit. Primò, quia ipse nascens, quasi Princeps pacis, pacem secum inuexit in mundum, fecitque vt Augustus Cæsar non hostiliter & tyrannicè, vti fecerant Salmanasar, Nabuchodonosor, & alij Iudæorum vastatores, sed politicè & pacificè, quasi legitimus Princeps æquo iure, imò humaniter regeret Iudæos, vti & alias gentes sibi subditas. Quin etiam, quia Christus posteà Constantinum magnum, & cæteros deinceps Imperatores suæ fidei subijciens, fecit eos dominari Christianis, non vt tyrannos, nec vt Cæsares, sed vt Patres.

Secundò, quia Christus à Iudæis ad se conuersis depulit peccatum, ac consequenter & seruitutem quatenus erat peccati pœna: fecit ergo, vt seruitus, fidelibus seruis non esset culpæ pœna, sed conditio sortis & naturæ, imò vt esset eis exercitium patientiæ & virtutis, ac materia & causa libertatis & gloriæ cœlestis.

Tertiò, quia Christus in resurrectione omnem seruitutem in sanctis abolebit, & libertate regnoque cœlesti eos donabit, vt Reges sint æterni orbisque Domini: (quia quantumuis iusti in hoc sæculo, miserijs & laboribus & pœnis ratione corporis sunt subiecti) & hoc est quod dicit Paulus ad Rom. 8. *Creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem filiorum Dei.* Hæc libuit ad pleniorem intelligentiam libertatis Christianæ adiungere, quamuis ad propositam quæstionem præcisè non pertineant. Rom. 8.

Discursus II. Decalogo præuius.

An quoduis peccatum contra legem Dei excludat à regno cælorum?



CHRISTVS Matth. 19. cap. dicit: *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Quibus verbis docet legem Decalogi exactè obseruandam ijs, qui regno cœlorum frui desiderant. Hinc quæro quandoquidem omnia peccata, quæ committi possunt, à Theologis ad Decalogum reducantur, an quæuis à regno cœlesti excludant?

1. Peccatum definiri, esse dictũ, aut factum contra legem Dei æternam, ab Augustino, certum est, qui idem lib. 1. de decem chordis, dicit, esse animæ febrem; esse grauem paralysim

ralysim Chrysost. hom. 40. ad populum; esse elephanticum morbum aut lepram animarum Basilius in c. 1. Isaiæ.

His accedunt Gregor. lib. 12. Moral. cap. 6. & Ambrosius in cap. 12. ad Rom. qui peccatum vocant mortem ipsam: & merito, quia dignum reddit hominem, vt deleatur è libro vitæ, & in æternum damnetur: *Malorum* enim *amatores digni sunt morte*, ait Salomon Sapient. 15. *Et stipendia peccati mors*, inquit Apostolus ad Rom. 6. Sed quæritur, vt dixi, an quoduis peccatum hoc efficiat?

2. Respondeo, peccatum actuale à DD. diuidi in *Mortale*, & *Veniale*. Mortale igitur, prout nomen sonat, illud est, quod mortem infert seu quod morte spirituali dignum est. Vnde à duplici morte rectè dicitur peccatum mortale, scilicet tam à morte animæ, quam causat, quam à morte secunda, hoc est à morte æternæ gehennæ, quam Sancti mortem secundam appellant, qua dignum efficit hominem. De quibus etiam frequens mentio habetur in Scripturis, & quidem de prima morte, quæ est animæ dicitur: *Homo per malitiam occidit animam suam*. Ierem. 31. *Vnusquisq; in iniquitate sua morietur*. Et Ezech. 18. *Anima quæ peccauerit ipsa morietur*. Et Rom. 6. *Stipendium peccati mors*. Sap. 16. & 1. Cor. 18. *Stimulus mortis peccatum*, hoc est feriens vsque ad interiora animæ, & Iacob. 1. cap. *Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem*.

Ierem. 31. Ezech. 18. Rom. 6. Sap 16. 1. Cor. 18. Iacob. 1.

Ratio est, quia sicut anima est vita corporis, sic vita animæ est Deus, seu gratia Dei, dans ei esse quoddã diuinum, suoque vigore intus ingenerans vitam spiritualem; & diuinæ naturæ consortem. Et quemadmodum anima vitam non tribuit, nisi quamdiu manet in ipso debita humorum & qualitatum proportio; sic & Spiritus Sancti gratia non viuificat spiritum hominis, nisi quamdiu consistit ordinatio debita in homine circa præcepta Dei, & legem æternam. Tolle corporis temperaturam per vulnus graue, aut morbum; statim anima per recessum migrat è corpore, & illud emortuum relinquitur. Tolle per inobedientiam subiectionem hominis ad legem Dei, statim anima isto à Deo recessu mortua redditur. Hinc Diuus August. ait: *Vita corporis tui est anima tua, vita animæ tuæ est Deus tuus*. August.

Hæc autem est mors illa, quam primo parenti minatus est Deus Genes. 2. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*. Non enim Adam eo die, quo de ligno vetito comedit, statim morte corpoli mortuus est, sed morte spirituali animæ, quia statim iustitiam gratiamque amisit, & proinde Deum. Idque idcirco, quod per hoc peccatum auertat se homo à Deo, vel contemnat diuinam amicitiam, vel quod creaturam plus amet, quam creatorem, saltem virtualiter, quod fit in furto, homicidio, adulterio, & similibus peccatis quæ lex prohibet. Genes. 2.

3. De morte vero secunda, quæ est pœna gehennæ æterna, ait Regius vates Psalm. 48. *Sint oues in inferno positi, mors depascet eos*. Et Ioannes Apocal. 20. ita scribit: *Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis*. Et clarius cap. 21. *Timidis autem, & incredulis &c. pars illorum in stagno ardenti, igne & sulphure, quod est mors secunda*. Psal. 48. Apocal. 20. Ibid. 21.

Veniale autem peccatum communiter illud dicitur, quod ita leue est, vel defectu voluntarij, & deliberationis plenæ, vel defectu materiæ, vt nec amicitiam cum Deo dissoluat, nec auferat vitam Spiritualem, nec ex se faciat aliquem reum pœnæ æternæ, sed solum temporalis. Cuius etiam est frequens mentio in Scripturis sacris, vt 1. Ioh. 1. *Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Et Iacob. 3. *In multis offendimus omnes*. Et Prouerb. 24. *Septies in die cadit iustus, & resurgit, impij autem corruent in malum*. 1. Ioh. 1. Iacob. 3. Prouer. 24.

Est itaque peccatum tollens amicitiam Dei, & iustitiam, cuius rei dicuntur Psal. 77. auertisse, & non seruasse pactum. Et Ierem. 2. cap. quod

quod arguet eiusmodi malitia sua, & auersio eius increpabit eũ. Et Deuter. 9. quod contempserint imperiũ Domini Dei sui. Et Ioan. 12. quod dilexerint gloriam hominum magis quam Dei. Et est aliud non tollens prædictam amicitiam.

4. Porro merito quæres, quomodo dignoscatur in re tanta peccatum mortale à veniali? Existimat enim vulgus hominum istius iudiciũ ab opinione libera pendere.

Respondeo, hoc primo cognosci ex sacris literis; quæ enim in his abominanda, & Deo exosa dicuntur, peccata sunt mortalia, veluti hæc
Deut. 22. Deuter. 22. vbi præceptum datur v. 5. *Non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste fœminea, abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc.* Illud enim præceptum partim est cæremoniale, & sic obligabat sub peccato mortali tunc temporis; & partim naturale, vnde etiam nunc mortale erit, si intentione occultarum libidinum, aliorumque vitiorum, quis vestem sui sexus mutet, aut ea intentione cessante sit scandalum. Sic
Prouer. 11. Prouerb. 11. *Statera dolosa, abominatio est apud Deum.* Ibidem v. 20. *Abominabile Domino cor prauum.* Et cap. 17.
Ibid. c. 17. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.* Et Oseæ cap. 9. vbi Dominus
Osee 9. dicit de idololatricis Iudæis, v. 10. *Quasi vuas inueni Israel; quasi prima poma ficulnea, in cacumine eius, vidi patres eorum: ipsi autem intrauerunt ad Beelphegor, & alienati in confusionem, & facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.*
Exod. 20. Et Exod. 20. cap. vbi Dominus dicit, quod puniet peccata patrũ in filijs, vsque ad tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt se; id est, qui grauia peccata parentum imitantur, & sic intelligendus est
Psal. 5. Propheta Psal. 5. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Et Prouerb. 6. *Sex*
Prouerb. 6. *sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius: Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum qui seminat discordias inter fratres.* Et Eccles. 10. *Odibi-* Eccles. 10.
lis coram Deo est, & hominibus superbia, & execrabilis omnis iniquitas gentium. Quibus verbis declarat Sapiẽs odibilem & execrabilem esse Deo & hominibus omnem iniustitiam, quã Gentes Dei timore destitutæ licenter committere solent, dum aliena rapientes, voluerunt legem iniustitiæ esse fortitudinem suam; quasi possent sibi vendicare licitè, quæ sua fortitudine obtinere valerent. Idque vsque adeo dicit Deo hominibusque displicere, vt ob vitia iniustitiæ & superbiæ vindicanda, regnum sæpe ab vna gente in aliam transferatur, hominibus alienum regnum sibi vsurpantibus, Deo ita volente, in vltionem superbiæ & iniustitiæ, vt declarant verba immediate sequentia: *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias & iniurias & contumelias, & diuersos dolos.* Qua de causa Daniel cap. 4. dixit Nabuchodonosori: *Regnum tuum transibit à te, donec scias quod dominetur excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, detur illud.*

5. Secundò, quæ dicuntur in Scripturis digna morte, aut mortem minari, aut væ peccato alicui dicere. Sic Apostolus Paulus ad Rom. 1. Rom. 1.
enumeratis multis grauibus peccatis, subdit: *Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte.* Sic Leuit. 24. dici- Leuit. 24.
tur: *Qui blasphemauerit nomen Domini morte morietur.* Et Ezech. 18. post Ezech. 18.
multa flagitia enumerata: *Si genuerit filium latronem, effundentem sanguinem, & fecerit vnum de istis: & hæc quidem omnia non facientem, sed in montibus comedentem, & vxorem proximi sui polluentem: egenum & pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem, & ad idola leuantem oculos suos, abominationem facientem: & ad vsuram dantem, & amplius accipientem: nunquid viuet? non viuet.* Et tandem additur: *Cum vniuersa hæc detestanda fecerit morte morietur, sanguis eius in ipso erit.* Sic dicitur Isaiæ 5. *Væ qui coniungitis do-* Isaiæ 5.
mum ad domum, scilicet cum oppressione pauperum. Et: *Væ qui dicitis bonum*

Matth. 18. num malum &c. Et Matth. 18. *Væ homini per quem venit scandalum.*

6. Cæterum, quibus graues pœnas temporales Deus minatur, vt
Genes. 2. Adamo Genes. 2. In quacumque die comederis ex eo, morte morieris.
Ibid. 9 Sic Gen. 9. de homicidio dictũ est: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Sic Genes.
Ibid. 6. 6. cap. dicitur: *Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pænituit eum, quod homines fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinseco, delebo, inquit, hominem, quam creaui, à facie terræ, ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cœli, pænitet enim me fecisse eos.* Et paulo post: *Finis vniuersæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.* Sic de Sodoma ideo
Genes. 18. prædixit Abrahæ Genes. 18. Sic per Prophetas varias plagas minitatus
Isa. 3. fuit, vt Isaiæ cap. 3. Vbi mulieribus propter superbiam, & oppressiones pauperum causam Dominus dicitur ablaturus ornamenta earum varia, & desolationem ac mortem maritorum pulcherrimorum & fortium in prælio, luctum & desolationem vrbis; per Ieremiam, & Ezechielem ob peccata populi captiuitatem Ba-
Amos 4. bylonicam. Amos 4. siccitatem &
Osea 4. sterilitatem. Oseæ vero 4. cap. summam desolationem tum ob redundantiam in peccatis, his verbis: *Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cæli, sed & pisces maris congregabuntur.*

7. Tertò, illa pro certo sunt mortalia, quæ in Scripturis dicuntur ex-
Galat. 5. cludere à regno Dei, veluti ad Galat. 5. vbi Apostolus dicit: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria idolorum seruitus, iræ, rixæ, dissentiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes.* Et tandem concludens: *Hæc prædico,* inquit, *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Quod alijs locis subinde repetit.

8. At vero vbi in Scripturis peccata prohibentur, sed absque aliquo dictorum signorũ, venialia censenda sunt, vt de verbo otioso Matth. Matth. 12.
12. cap. dicitur: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Sic concupiscentia carnis, aut rei alienæ per violentiam auferendæ, ante consensum voluntatis erit venialis, iuxta illud Iacob. Iacob. 1.
1. *Concupiscentia cum conceperit parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.* Quo ex loco colligunt Doctores huiusmodi concupiscentiam ante deliberatum cõsensum patrandi actum, vel delectandi se in cognitione actus, solum esse peccatum veniale: quia ante illum consensum non generat mortem. Et ad Ephes. 5. capite dicitur: Ephes. 5.
Fornicatio autem, & omnis immunditia, & auaritia, neque nominetur in vobis; Et infra: *Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod est idolorum seruitus) non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei.* Ex quo loco probant Auctores, fornicationem, immunditiam, & auaritiam peccata mortalia, scurrilitatem vero, & stultiloquium esse solum venialia: Quia meminit postea istorum, & tamen illic nec dictam comminationem, vel aliam ex prædictis apposuit, significans ista esse venialia. Addit autem Vega, Scri- Vega.
pturam apertius, & frequens explicare quæ sunt mortalia, quam quæ sunt venialia, quia magis nostra interest hoc nosse.

9. Quæres, Quod si ex Scripturis non possit aliquando ita facile discerni, quid faciendum? Dico recurrere oportere ad traditionem Ecclesiæ, & Doctorum ipsius: quæ enim DD. & viri graues communiter tradunt, & vno sensu docent esse mortalia, vel à pijs, doctis, & timoratis viris vt talia vitantur, vel certe talia existimantur, procul dubio mortalia habenda sunt; quæ vero ab ipsis

ab ipsis venialia censentur, venialia quoque censenda sunt. Hinc Iob. 12. dicitur: *Interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cæli, indicabunt tibi.* Vbi per *iumenta*, *& volatilia cæli*, intelliguntur Prælati, & sapientiores Ecclesiæ, quos Deus in fidelium detrimentum errare non patietur, maxime Ecclesiam, quam Spiritus sanctus semper inhabitat, & illuminat. *Iob. 12.*

10. Quod si vero ex istis regulis discerni non possit, recurrendum est ad lumen naturale, ex quo hanc regulam certam haurire possimus: quę ex directò, & grauiter repugnant charitate Dei, aut proximi, ea mortalia censentur: quæ vero rationi quidem dissonant, & à lege nobis tradita exorbitant, non autem tantoperæ, vt grauiter lædant charitatem, quam Deo, & proximis, & nobis ipsis debemus ea venialia iudicanda erunt. Sic quoties iudicio omnium aliqua iniuria est grauis in Deum, vt infidelitatis peccatum, vel in proximum, vt graue detrimẽtum circa bona spiritualia, corporalia, vel temporalia, absque dubio mortale peccatum erit. At vero si iniuria sit leuis, erit solummodo veniale, vt furtum leue, percussio leuis, subitus infidelitatis error, concupiscentia rei alienæ, vxoris, indeliberata; & talia sunt frequenter peccata venialia in materia intemperantiæ, vt immoderatus excessus in cibo, & potu, non tamen vsque ad ebrietatem, sed absque iusta necessitate, & ex sola deliberatione immoderata bibendi. Item excessus in somno, in confabulatione, & similia. Ratio est, quia illa amicitiam cum Deo, & gratiam, quæ est vita spiritualis, tollunt: hæc vero, id est venialia, neutrum faciunt.

Et hęc quidem quæ lege Decalogi prohibentur, ita obligant in re graui, vt nullam excusationem admittant, neque dispensationem ab ipso Deo.

11. Sed forsan obijcies, Iudicem flagitiosos occidere: immo Deum Abrahamo iussisse, vt filium suum interficeret, eaque repugnare legi naturali & Decalogi.

Respõdeo, Tribus modis aliquod præceptum prohibẽs dici naturale. Primò, quia sit de re intrinsece malâ, ita vt semper & apud omnes sit mala, nec possit per mutationem circumstantiarum fieri bona; qualia sunt mentiri, mœchari, odisse Deum &c. Et hæc quidem proprie vim habent legis, & sunt omnino indispensabilia.

12. Secundò, Quia sit de re malâ semper, & apud omnes, excepta extrema necessitate: quale est tollere alienum inuito Domino. Id enim apud omnes, & semper est malum, excepta vltima necessitate: tunc enim quod erat alienum, desinit esse alienum, & fit commune, aut nisi Deus aliena bona alteri donet, aut in mercedem laborum. Sic secundum quosdam Israëlitis concessit Deus, vt acciperent vasa Ægyptiorum, tanquam propria per donationem ob ius factam. Cum enim Dominus totius mundi sit, voluit Ægyptios spoliari suis vasis propter eorum peccata, & donare Israëlitis: aut vt alij volunt, dedit tanquam mercedem laborum suorum, quod conforme est sacræ Scripturæ, quæ Sap. vndecimo cap. dicit: *Reddidit iustis mercedem laborum suorum, & deduxit illos in via mirabili: & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem: & transtulit illos per aquam nimiam. Inimicos autem illorum demersit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illis. Ideo iusti tulerunt spolia impiorum.* Hinc D. August. lib. 22. contra Faustum cap. 71. *Aegyptij*, inquit, *erant sacrilegi, & iniqui, nam auro illo male vtentes ad Creatoris iniuriam suis idolis seruiebant, & homines peregrinos labore gratuito, iniuste ac vehementer afflixerant &c.* vnde infert dignos fuisse, qui hoc modo à Domino punirentur. Eodem modo potest quis compensatione vti, quãdo Respub. est plane turbata, vt via iustitię suum recuperare non possit, de quo latius in septimo præcepto tractabimus. *Sap. 11.* *August.*

13. Tertio modo, quia sit de re mala, si res illa nude & absolute sumatur;

matur; quæ tamē poſſit mutatis circumſtantijs varijs modis honeſtari ac fieri bona: quale eſt occidere hominem. Nam homicidium abſolute & nude ſumptum, quid malum ſonat apud omnes, & hoc modo habetur in Decalogo, ***Non occides.*** tamen ſi addantur variæ circumſtantiæ, vt quod fiat ob bonum commune, in eum qui pernicioſus eſt Reipub. iam non ſonat malum; & ideo in eadem lege Moyſis ſæpe iubentur occidi homines, vt malefici, adulteri, homicidæ. Sic Abraham ſeruauit præceptum Dei, de non occidendo priuata auctoritate, & paratus fuit interficere filium auctoritate Dei, quod, vt loquitur D. Bernar. ***Deo præcipiente fuit obedientia, non iubente fuiſſet dementia, & inſania.*** D. Bernardus.

14. Hoc modo circumſtãtia rem immutat, quod videre etiam eſt in iuramento: ſiquidem nude ſumptũ quid malũ ſonat, cum ſit quoddam ſignum incredulitatis, & fraudum humanarum. Si enim inter homines fides vigeret, & ſuſpicio fraudũ ceſſaret, nemo expeteret iuramentum. Et ideo Dominus Matth. 5. prohibet iuramentum, nimirum nude Matth. 5. ſumptum: & tamen dubium eſſe nõ poteſt, quin iuramentum ſuis circumſtantijs, ſeu comitibus, vt vocant, ornatum ſit bonum & licitum.

Diſcurſus III. Decalogo præuius.

An ignorantia præceptorum Decalogi excuſet à peccato?

Oſeæ 4.



OSeæ 4. cap. inter alia peccata recēſetur illud, quod ſcientia Dei non ſit in terra, & grauis plaga interminatur ignorantibus, videlicet quod ***lugebit omnis terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in beſtia agri, & in volucre cæli, ſed & piſces maris congregabuntur.*** Vnde tractabo an ignorantia legis naturalis excuſet à peccato?

1. Ignorantia quæ nihil aliud eſt quam ſcientiæ priuatio, ius naturale contingit, poſitiuum, & humanum. Nos tantum hoc loco, an ignorantia Decalogi excuſet à peccato, tractabimus.

Vt hoc melius intelligatur, pono ex communi Theologorum ſententia tria genera principiorum legis naturalis.

2. Primum eſt eorum, quæ ſunt per ſe nota, & vniuerſaliſſima, vt vnum eſſe Deum, bonum eſſe amplectendum malum fugiendũ. Alia vero ſunt non per ſe nota, ſed ex dictis principijs facile colliguntur, vt præcepta Decalogi: videlicet fide, ſpe, & charitate colendum Deum, proximum diligendum; & contraria cauenda. Quædam vero remotius, & difficilius ex Decalogo colliguntur; videlicet vſuram eſſe illicitam, fornicationem fugiendã, eiſque ſimilia. His poſitis.

3. Dico, prima principia ignorari non poſſe ab habente vſum rationis. Nam ait Paulus ad Rom. 1. Gentes naturaliter, ea quæ legis ſunt, Rom. 1. faciunt, id eſt inſtinctu naturæ; ſiue inſtructio acceſſerit, ſiue non, poſſunt tamen ex paſſione aliqua, aut perturbatione non aduerti aut conſiderari.

4. De ſecundis vero, dico poſſe ignorari ad breuiſſimum tempus, ſed ad longum tempus non poſſe: quia cœlum & terra ita diſpoſita ſunt, vt eius notitiam nobis inculcent, ac ad Deum colendum nos incitent, dicente Paulo de Gentilibus ad Rom. 1. cap. ***Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim ipſius, à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius*** Ibid.

quæ eius virtus, & diuinitas: ita vt sint inexcusabiles.

D. Ambro. Vnde recte D. Ambrosius lib. 2. de vocat. Gent. cap. 1. *Sed ne in præteritis quidem sæculis, hæc eadem gratia, quæ post Domini nostri* IESV *Christi resurrectionem vbiq; diffusa e : , vt de qua scriptum est: Illuxerunt c coruscationes tuæ orbi terræ Psal. 76. defuit : undo, quãuis enim speciali cura, atque ina lgentia Dei populum Israëliticum constet e: ctum, omnesq; alias nationes, vias suas in redi, hoc est secundum propriam permissæ sui : viuere voluntatem, non ita se tamen externa Creatoris bonitas ab illis hominibus auertit, vt eos ad cognoscendum se, atque metuẽdum nullis significationibus admonuerit. Cœlum quippe ac terra, & mare, omnisq; creatura, quæ videri, atque intelligi potest, ad hanc præcipue disposita est humani generis vtilitatem, vt natura rationabilis, de contemplatione tot generum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionẽ sui imbueretur auctoris, implente omnia spiritu Dei, in quo viuimus, mouemur, & sumus: quoniam etsi longe est à peccatoribus salus, præsentia tamen salutis ipsius ac virtute nihil est vacuum.* Et paulo post, cũ dixisset, Deum non sine testimonio seipsum reliquisse, subiungit: *Quod est autem hoc testimoniũ, quod semper Domino deseruiuit, & nunquam de eius bonitate, ac potestate conticuit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabiliũ beneficiorũ eius, diues & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, vt in paginis elementorum, ac voluminibus, temporum communis ac publica diuinæ institutionis doctrina legeretur? Cœlum ergo cunctaq; cœlestia, mare & terra, omniaq; quæ in eis sunt, consono speciei suæ ordinationisque cõcentu protestabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua maiestatem sui loquebantur auctoris.*

Hinc gentes licet Scripturam nõ haberent, nec Prophetas, nec miracula, cogebantur credere in vnum Deum saluatorem & remuneratorẽ bonorum, externo etiam sacrificio eundem colere, ac præcepta naturalia seruare. Qui vero Deum, eiusque cultum nesciebant, grauissime puniebantur, vt patet 4. Reg. 17. vbi quædam gentes à Rege Assyriorum missæ in Samariam, vt eam inhabitarent, ex qua Israëlitæ redacti erãt in potestatem Assyriorũ magna plaga affecti, seu à leonibus interfecti sunt, quod nescirẽt cultum Dei, nec cessauit plaga donec sacerdos ex captiuis Israëlitis eos docuisset colere verum Deum. Ea autem causa est, cur Dauid orans petierit Ps. 78. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt, & regna quæ nomen tuum non inuocauerunt.* Et D. Paulus Rom. 1. dicit, *Gentiles traditos in reprobum sensum, eo quod cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt.* 4. Reg. 17. Psal. 78. Rom. 1.

5. Atque adeo illa ignorantia ad breue tempus tantũ esse potest, idq; ei, qui inter Barbaros enutritus, nec rationem habẽs, vnde ea statim, tãquã naturaliter prohibita censeret. Nam reperitur inter diuersas gẽtes varia vitia tanquam licita regnasse. Solinus cap. 43. histor. refert Garamãticos Aethiopes solas matres recognoscere, patribus autem nullam exhibere reuerentiam. Lacedæmones olim adulterium licitũ esse existimabant, propriasque vxores alijs communicabant, vt refert Plutarchus in vita Lycurgi. Apud Germanos furtum olim licitum putabatur, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 94. art. 4. ex Iulio Cæsare de bello Gallico. Gentes etiam quædam in Africa dictæ Augiliæ, vt narrat Põpeius Mela lib. 1. c. 8. in vsu habebant, vt fæminæ nocte qua nubũt, pateant stupro omnium, qui cũ munere aliquo accesserint. Immo quæ cũ pluribus concubuit, eam maius decus cõquisiuisse ait. Et in posterum ad perpetuam pudicitiam eam legibus sæuerissimis cogi testatur. Solinus. Plutarchus. D. Thom. Mela.

Hæc adeo tamen sunt contra ius naturale, vt Ioan. Azor. lib. 1. moral. cap. 13. qu. 1. merito existimet hæc & alia similia apud certas nationes fuisse permissa, vel impunita; non quod reputarentur bona & licita, sed quod debitis pœnis minime punirentur, vel ob gentis illius ignauiam, aut malitiam, aut ob alia gra- Azor.

uiora mala vitanda, aut ob propria commoda conseruanda, & tuenda.

6. Itaq; dico inter eiusmodi gentes enutritam posse ad breue tempus habere ignorantiam inuincibilem. Et ratio est, quod talis, etiamsi ad vsum rationis peruenisset, & maiores his de rebus interrogaret, ab ijs non addisceret veritatem, cum in talibus ex consuetudine peccandi timor conscientiæ extinctus sit, ita vt culpam non agnoscant. Vnde vsque eo, donec seipsum consulens intelligeret non esse licitum in alium facere, quod in se non vellet fieri, excusaretur inuincibiliter ignorãs.

Valent. Sayr. 7. Iam vero quoad tertij generis principia, sentiunt Valentia in 1. 2. disp. 6. q. 6. p. 1. & Sayr. lib. 2. Thesauri cap. 9. posse admitti ignorantiam etiam ad longum tempus inter rudiores in sequentibus videlicet vsuram non asse peccatum, fornicationem simplicem, non esse illicitã, mendacium pro vita hominis tuenda, non esse peccatum, licitum esse proprias iniurias priuata auctoritate vindicare. Ratio est eorum, quia hæc non sunt adeo manifesta, vt facile ex primis principijs deduci possint. Ea vero ratio desumitur ex eo, quod non solum Philosophi, sed etiam Christiani doctissimi in his, & similibus hallucinati sint. Nam Cicero Cicero lib. 1. de Officijs ca. de Iustitia, asseruit quamuis falso primum iustitiæ munus esse, ne quis cui noceat, nisi lacessitus iniuria. Sic enim Tusculan. q. 1. perperam defendit fas esse mortem sibi consciscere ad miseriam aliquam grauem declinãdam. Vasquez. Et Vasquez in 1. 2. disp. 122. cap. 2. dicit, se vidisse rusticũ quendam, qui pium existimabat ægrotum iamiam moriturũ, ne diu dolore mortis detineretur, in alterum versare, vt citius animam exhalaret: & addit se facto sufficiẽti examine sibi persuasisse istius rei illum inculpabilem ignorantiam habuisse. Cassianus, Diogenes, & Plato, vt refert Azor. putauerunt licere aliquando vti incendio, ob maius malum vitandum, aut bonum tuendum, & conseruãdum. Durandus & alij tradiderunt simplicem cum scorto cõgressum, multitudinem vxorum, aut repudium legitimæ vxoris, non esse iure naturali, sed tantum diuino prohibita.

8. Hinc colligitur in his magna opus esse intelligentia, quæ in rudioribus non inuenitur, ac sic apud tales inuincibilem posse esse ignorantiam longi temporis; quam tamẽ apud Christianos nullam aut rarissimam admitti posse censeo cum Azorio; quia apud eos est frequens diuini verbi enũciatio, vitiorum reprehensio, honestatis, & virtutis cõmẽdatio, bonorum prædicatio, quibus scorta, mendacia, fraudes, insidiæ, vsuræ, multitudo vxorum, & repudium passim pro peccatis per se malis, & fugiendis meritò condemnantur, qua de causa omnino mortalis peccati reos censui quos Bruxellæ constitit sine scrupulo diu agonizantes, conatos agitando corpus citius à miseria liberare; & cũ vna assiduè fornicãtes non æstimare peccatum dummodo pluribus non commiscerentur apud vulgares & rudes homines, existimantes officiosum mendacium licere, esse posse probabilem ignorantiam. Indicant enim hoc postulare necessitatem, eamque non habere legem.

9. Porro disquisitione dignũ, an vincibilis ignorantia præceptorum Decalogi per se peccatum sit? Respondeo eiusmodi ignorantiam peccatum esse mortale, etiamsi nullum aliud peccatũ mortale inde sequatur, quia tenetur quiuis ea scire, & est in certissimo periculo committendi furtum, homicidium, fornicationem, aut quid simile iure naturali prohibitum, quod vitare tenetur. Et colligitur eo quod Dauid Psalm. 24. Veniam inde deprecetur; *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine*. Et Paulus ad Ephes. 4. dicat: *Gentes abalienatas à vita Dei, per ignorantiam, quæ est in illis.*

Discursus

Discursus Primus
IN PRIMVM PRÆCEPTVM.

Super verba: *Ego sum Dominus Deus tuus,* &c.

De modo quo locutus est Deus.

Hebr. 1.



D. Paulus ad Hebr. 1. dicit multifariam, multisque modis locutum Deum olim patribus in Prophetis, nempe prout placuit quouis tempore, aliter atque aliter hominibus patefacere, id quod instructionis causa expediebat. Verum nunc dumtaxat quæro, cur Deus legem Decalogi tradens, eo modo locutus sit, vti refertur cap. 20. Exodi.

Iob 38. Exod. 30. 3. Reg. 19.

1. Legimus Iob. 38. Deum illi in turbine locutum. Exod. 30. Moysi ex rubo ardente, & non comburente. Heliæ vero, 3. Reg. 19. in sibilo auræ leuis, cum commotio, & ignis antea præcessissent. Hic vero multæ cæremoniæ præmissæ, & post in caligine nubis locutus Deus per Angelum Moysi verba legis, ac primum populum sanctificari iubet, & montem, de quo legem daturus, replet igne & fumo, tonitruis, fulguribus, terræ nutu, & buccinæ clangore, & sic tandem ei locutus.

2. Quæro quænam horum ratio? Nam frustra hos modos adhibuisse Deum quis credat? Certe quod Deus Iob loqueretur in turbine graui de causa fuisse historia prodit. Nam cum multa certamina sustinuerat Iob cum tribus amicis suis, & quarto quodam nomine Eliu, ac in his certaminibus multam disceptationem habuisset, de incomprehensibilibus Dei iudicijs, & de varijs permissionibus Dei, cur patiatur improbos regnare, idque in illum finẽ, vt Iob innocens crederet se ob peccata sua, tam graues pœnas subire, ac Iob hæc validis refutasset argumentis, innocentiam suam multis modis asserens, & bona opera particulatim recensendo, quin etiam Dei tribunal, & colloquium appellãdo, Deus tribunal suum illi concedit, in turbine solium admouens, vt per modum iudicij (vbi horrore omnia plena sunt) compescat & Iob, sed magis amicos.

Ita videtur insinuare Chrysostomus citatus à Pineda in Iob, capite 38. *Cum cæli symbolum ac nota sit nubes, quando regnum ipsum vult Iobi vertici imminere, ferme solium prope Iobum admouet, quo mentem erigat, vocem superne ferri ambigat, hoc ipsum in monte cum nubes illa constitit factum mihi videtur, vt cælitus vocem mitti intelligeret.* Chrysost. Iob 38.

Adhæc non improbabiliter dici potest Deum in turbine auditum vt repræsentaret turbulentum Iobi statum, & ostenderet se cum ipso esse in tribulatione, eumque eripiendum inde ad fæliciora. Sic enim egit Exod. 3. cap. cum populus Iudaicus sæuissimo tribulationis igne torqueretur in Ægypto in rubo ardente, & acutissimis spinis se medium constituens, vt sui populi ardentis, & dilacerati figuram gestaret, & ostenderet non consumendũ. Exod. 3.

Sic cum Helia iam mori desiderãte egit, cum in spiritu graui, & forti subuertente, & conterente petras, etiam in commotione, & igne transijt ante eum, & post in aura leui. Quasi dixisset ei post vehementum turbam, & ignem deuorantem, successuram auram rorantem, & tenuem, neque semper cum dura congrediendum esse fortuna; neq; diu cũ potestate futuros illos, quo-

rum horrebat minas, & inflammatum odium, atque ideo quasi melior iam incipiat aspirare aura, & candidior fulgere dies, iubet vt nouos vngat Reges tam Israëlis, quã Achab, & Prophetam nouum pro se constituat, quem sui spiritus relinquat hæredem, quasi ille statim auferendus esset ab hominum congressu, & meliorem viuendi conditionem habiturus.

Neque, credo, longe aberraret, qui existimaret respexisse Deum ad futurum Heliæ statum non longe ab hoc tempore; nam raptus est ab igne, & turbine; quæ duo potius horrorem, & vim afferunt, quam pacatum & mollem incestum: post ignem tamen & turbinem auram nactus est suauiter spirantem, vitam nimirum longam, eamque aut beatam, aut beatæ proximam. De quo
4.Reg.12. 4. Reg. 12. vers. 11. *Ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrumque, & ascendit Helias per turbinem in cœlum.* Hæc de personis Moysi, Iob, & Heliæ.

3. Sed ad rem. Quare toti populo Deus voluit legem dicere excitatis igne & fumo? Respondeo varias esse rationes scitu vtiles: quarum prima est, vt dignosceret Deum esse, qui dicebat: *Ego sum Dominus Deus tuus:* nam ignis & fumus diuinæ Maiestatis sunt insignia. Hinc Deus in rubo ardente Exod. 3. cap. Moysi locutus est, populum duxit per desertum in columna ignis; in templo Salomonis & alibi in igne maiestas eius detecta est. Quin etiam cum Regia, & iudiciaria eius potestas in Scripturis exprimitur, de igne eum præeunte fit mentio, videlicet Psalm. 96.
Psal.96. vbi de Christi iudicio est sermo, habetur, *Ignis ante ipsum præcedet.* Hac de causa Imperatoribus olim etiam
Herodianus præferebatur ignis, teste Herodiano: quia ignis est symbolum tum principatus, vt qui primus ac princeps inter elementa, virtute, & splendore eminet, tum vitæ, doctrinæ, simplicitatis, potentiæ, & gloriæ, quibus rebus Deus diuique pollent.

Similiter è fumo locutus est Deus, quia fumus, nubes, seu nebula erant olim symbolum gloriæ Dei; adeoque vocantur sæpe gloria Domini: per illa enim se Deus ostendebat, aut potius celabat, vt significaret se inhabitare lumen inaccessibile, maxime Iudæis, donec vnigenitus ex sinu patris nobis lucesceret, diuina reuelaret, ac enarraret. Sic hoc loco Exodi ratio datur his verbis: *Totus autem mons fumabat, eo quod Dominus Deus descendisset super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo, quasi de fornace.*

Sic dicitur Isaiæ 6. capite, quod Isa.6.
quando Isaias vidit Deum in throno magnifico, & Seraphim ei acclamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, commota sunt superluminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta est fumo.* Sic legitur Salomoni in templo apparuisse gloria Domini, id est, in nebula tegens totum templum, 3. Reg. 8. cap. Sic 3.Reg.8.
& apparere solebat Pontifici in propitiatorio tectus nebula, Leuit. 16. Leuit. 16
cap. Sic & visus est Ezechieli in Ezech. 10.
nube cap. 10. vers. 3. Et Psalmistes Psal. 17.
ait Psalm. 17. *Posuit tenebras latibulum suum.*

Alia porro ratio continetur vers. 15. & 16. Deuteron. 4. cap. Deum Deut. 4.
idcirco in igne apparuisse, ne sculptam imaginem sibi facerent, si quid vidissent, quam videlicet vt Deum adorassent more Gentilium.

4. Sed quæres, quare cum tonitruis, ac clangore buccinæ? Dico præterquam quod etiam diuinam maiestatem tonitrua representent, vt constat Ezech. cap. 1. vbi ipse di- Ezech. 1.
cit, se in visione sua dum Propheta fieret *audijsse sonum aquarum multarum quasi sublimis Dei.* Et Ioannes in sua Apocal. 1.
Apocal. cap. 1. dicit se vidisse similem filio hominis, cuius vox erat *tanquam vox aquarum multarum.* Et Psalmista Psalm. 18. *Vox Domini in* Psal. 18.
virtute: Vox Domini in magnificentia: tamen quia necessum erat omnibus legem innotescere, sic inculcabatur legem Dei promulgandam, veluti alicubi, quãdo edictum aliquod

à ma-

à magistratu est publicandum cornu, aut buccina, id populo in diuersis finibus platearum intimatur. Et hoc Deo commune esse in lege promulganda etiam manifestum euadit ex Actor. 2. cap. vbi habetur factum esse repente de cœlo sonum, *tanquam vehementis spiritus aduenientis:* videlicet quando lex Euangelica promulgabatur. Act. 2.

5. Tertia autem ratio est, vt sic Iudæos sui metu, ac timore percelleret; ait enim Moyses Iudæis perculsis. Exod. cap. 20. vers. 20. *Nolite timere, vt enim probaret vos Deus venit, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis.* Nam, *timor Domini initium sapientiæ*, Prouerb. 1. Et licet seruilis sit, tamen bonus est, ac salutaris: ideoque Dauid Psalm. 116. *Confige*, inquit, *timore tuo carnes meas.* Et Ioannes Baptista Matth. cap. 3. suasit hunc timorem, vt moueret homines ad pœnitentiam, dum interrogabat, *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* Et alibi sæpe minatur ignem, idque in nostrum bonum. Exod. 20. Psal. 116. Matth. 3.

Chrysost. Hinc Chrysost. *Nisi*, inquit, *bonus esset timor filijs patres pædagogos non præponerent, non legislatores ciuitatibus vllos magistratus. Quid gehenna grauius? Sed huius metu nihil vtilius. Gehennæ namq; timor regni nobis affert coronam. Vbi timor est, liuor non est: vbi timor est, pecuniarum amor non vexat: vbi timor est, extinctus furor est, cupiditas improba correpta, omnis irrationabilis passio exterminata. Et sicut in domo stante milite semper armato non latro, non fur, non alius quispiam talia mala patrantium apparere prorsus audebit: sic & metu animas nostras detinentes, illiberalium nulla perturbationum facile nobis subrepit, sed omnes fugiunt, & pelluntur timoris vndique imperio exactæ.*

6. Nec mirum quod ille timor vtilis sit, & à peccatis coërceat, cum etiam verborum grauitas à ministro Dei prodiens hominem componat. Audi eundem Chrysostomum: *Ista*, inquit, *verborum grauitas occasionem animabus vestris à peccatis fugiendi parit. Nam & ferrum graue est, & malleus grauis. Verum parant vasa vtilia, & argentea, & distorta dirigunt, ita vt nisi grauia & dura essent, distortam materiam vtique dirigere non possent. Ad hunc modum potest & grauis noster sermo animum componere. Ne fugiamus itaq; verborum grauitatem, neque illorum verbera. Non inferuntur verbera, vt animum frangant, aut conterant, sed vt corrigant. Nouimus enim quo pacto per gratiam Dei percutiamus, quo modo verbera inferamus adhoc valentia, vt non conteramus vasculum, sed vt extenuemus, vt dirigamus, vt vtile faciamus Domino, vt offeramus illud splendidum bene excultum in illam diem, in qua fluuius erit igneus, ne opus habeat ferre flammam illic futuram.* Hactenus Chrysostomus. Hoc modo Prophetæ exordiebantur *Onus Niniuæ. Onus quod vidit Abacuc &c.* Ione 1. Abacuc 1.

7. Verum dices, Cur Angelus ex Sina toti populo Hebræorum proclamans, & promulgans Decalogum, præter verba: *Ego sum Dominus Deus tuus*, addidit, *qui eduxi te de terra Aegypti?* Quæro quare non vt Moysi dixerit: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob*, quare non, *Ego sum qui sum?*

Respondeo hoc idem, quod istis verbis indicatur Angelum pronuntiasse: Hebraicè enim significat IEHOVA. Addidit tamen illa verba, vt miraculo legem daturus, auctoritatem præstrueret. Hunc esse Dei morem in nouis politijs insinuat D. Chrysost. Homil. 14. in Matth. cuius verba adscribo: *Quando nouum fit aliquid, & inopinatum, ac politiæ cuiusdam introductio, Deus signa facere consueuit præstans quædam pignora suæ potentiæ, his qui legem eius accepturi sunt. Sic igitur cum hominem facturus esset, prius mundum creauit vniuersum; ac tum demum facto homini legem in paradyso dedit. Et cum sancto etiam Noë legem positurus esset, magna vtique mirabilia monstrauit, per quæ instaurauit omnino creaturam, ac terribile illud pelagus per annum certe integrum toto fecit orbe diffundi, iustumque illum in tanta huius mundi tempestate seruauit. Abraham quoque multa signa legitur præstitisse, vt claram illam de Regum bello victoriam, &* Chrysost. Gen. 1. & 2. Gen. 7. & 8. Gen. 14. Gen. 12.

Deut. 4. Exod. 5. & 6. *insignem illam apud Pharaonem plagam, vt cum de varijs illum periculis liberauit. Sed & Iudæis quidem cum legem esset daturus, prius mirabilia illa & prodigia ostendit, actum demum eis præcepta legis imposuit. Ita hic quoque cum sublimem quandam viuendi introducturus esse disciplinam, & quæ nunquam ab illis fuisset audita, auctoritatem mandatis suis præstruxit claritate signorum.*

Pari sane modo hic Deus in mentem reducit Iudæis mirabilem illam eorundem ex Ægypto eductionem videlicet per mirabilia Moysis, tanquam Dei Pharaonis, per tot eiusdem plagas, denique per eius submersionem in aquis maris rubri, per quod miraculose nimis, & siccis pedibus prius Hebræos transire fecerat, aquis ab vtraque parte instar muri firmiter sistentibus, atque ita etiam nobis Christianis.

Tum etiam hoc beneficium benignitatis commemorat, vt se ostendat prouidentiam habere super vniuersum, & per hoc miraculum ad sui cultum prouocet. Nulla enim re præsentiam suam & prouidentiam efficacius declarare potuit mortalibus, quam miraculose & potenter, miseros, & afflictos è manibus tyrannorum eripiendo. Etsi enim diuinum numen infinitis modis se manifestarit, veluti per mundi ex nihilo creationem, tot animarũ, & plantarum formationem, tot seminum, quibus illa propagarentur, institutionem, tantam terræ & mari collatam fœcunditatem, cœlorum ocijssimam vertiginem, & mundi inferioris per hanc vertiginem, gubernationem, per directionem singulorum ad certos fines, tamen multi ista non penetrant, nec attente considerant, ipsa consuetudine oculorum quodammodo occæcati. Quam mirabile est ex paucis granis breui tempore tantam consurgere segetem? ex informi semine tam pulchra, tam varia tum animalium, tum plantarum formari corpora? Et tamen pauci hæc mirantur, pauci contemplantur, pauci in his mirandam Dei potentiam, & prouidentiam intuentur. Itaque ne mentibus hominum suspicio subrepat, nullum supra rerum corporalium naturam esse numen; opus fuit vt illud subinde per opera quædam rara, & naturæ vires ac ordinem superantia se ostenderet. His enim ob raritatem, & insolentiam excitantur homines ad considerandum auctorem; eiusq; religione, ac reuerentia commonentur.

8. Hinc afflicto Iacob fugienti à facie Esau, & tanquam desolato terram oberranti Genes. 20. mirabili visione se prodidit. Hinc Iudæos ex Ægyptiorum tyrannide liberando mirabilem suæ omnipotentiæ, & prouidentiæ fecit famam celebrari, quod in tribus pueris Daniel. 3. eousque peruasit, vt eorum tyrannus Nabuchodonosor videns mirã prouidentiam Dei, qui seruos suos in religione constantes mirabiliter ab ignis vi liberasset, eruperit in hæc verba: *Benedictus Deus eorum*, videlicet Sidrach, Misach, & Abdenago, *qui misit angelum suum, & eruit seruos suos, qui crediderunt in eum: & verbum Regis immutauerunt, & tradiderunt corpora sua ne seruirent, & ne adorarent omnem Deum, excepto Deo suo* Et contrarium decretum posuerit dicens: *A me ergo positum est hoc decretum, vt omnis populus, tribus, & lingua quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deũ Sidrach, Misach, & Abdenago, dispereat, & domus eius vastetur: neque enim est alius Deus, qui possit ita saluare.* Et quod amplius est, eos maiori honore cumularit; quod etiam visum est Daniel. 6. cap. vbi ob similem conseruationem Danielis, *Darius Rex scripsit vniuersis populis, tribus & linguis habitantibus in vniuersa terra: Pax vobis multiplicetur. A me constitutum est decretum, vt in vniuerso imperio, & regno meo tremiscant & paueant Deum Danielis; ipse est enim Deus viuens, & æternus in sæcula: & regnum eius non dissipabitur, & potestas eius vsque in æternum. Ipse liberator, atque saluator faciens signa, & mirabilia in cœlo, & in terra; qui liberauit Danielem de lacu leonum.*

Genes. 20. Daniel. 3. Daniel. 6.

9. Et

9. Et inter cætera benignitatis exempla, quibus prouidentiam suã Deus ostendit, occurrunt quædam populo Israëlitico circa potum & cibum exhibita in deserto. Et primo quod cum tantam multitudinẽ hominũ, in quã facilè ad vicies cẽtena milia capitum censebantur, eduxisset in vastam solitudinem, & alimenta, quæ ex Ægypto secum detulerant, iam essent absumpta, nouo & inaudito miraculo illis de annona prouidit, quotidie (sabbathis exceptis) per noctẽ cœlitus illis manna instar pruinæ minutissimæ grandinis effundens, quo cibo per annos quadraginta sustẽtati. Deinde cum aquæ ibidem essent amaræ, eas mox in dulces conuertit, & potabiles fecit. Quæ sanè omnia non aliò tendebant, quam homines per ea ad sui cultum prouocare. Notauit hoc quâ erat perspicuitate D. Gregor. Nazianz. orat. 38. vbi tractans cur tam obscurè homini Deus innotescat, dicit: *Hæc autem mea quidem sentẽtiâ idcirco fit, vt quatenus comprehendi potest, nos ad se trahat (quod enim percipi omnino nequit, id nec sperat quisquam, nec assequi conatur) quatenus autem capi non potest, admirationem sui excitet, atque ex ipsa admiratione, vehementius expetatur; expetitus purget, purgans autem diuinis efficiat, talesque cum redditi sint, cum iis iam velut cum familiaribus consuetudinem habeat (metuo ne hoc audacius à me dictum videri possit) Deus diis vnitus, & cognitus, ac tantum fortasse, quantum iam eos, qui ipsi noti sunt, cognoscit.*

D. Gregor. Nazian.

10. Nonne quod ait Nazianzenus patuit in Raab Iosue 2. Et Iacob Genes. 28. Priorem enim miraculosa Ægyptiorum liberatio tantum ex auditu percepta ad fidem perduxit; alterum vero ad maiorem Dei cultum, vt patet loco Genes. citato, vbi Iacob vouit dicens: *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimẽtum ad induendum, reuersusq́ fuero prosperè ad domum patris; erit mihi Dominus in Deũ, & lapis iste quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram tibi.*

Iosue 2. Gen. 28.

Discursus II.

Super verba: *Ego sum Dominus Deus tuus, &c.*

DE FIDE.

Qualis fuerit olim & iam sit necessaria ad iustificationem & salutem.



MVlier illa Raab nomine, de qua cap. 2. Iosue, mota miraculosa Iudæorum ex Ægypto eductione, credidit olim Deo. Nec est ambigendum, quin Deus hæc verba, *Qui eduxi te è terrâ Aegypti*, addiderit vt homines hac ratione moti, fide Deum colerent. Vnde inquiram quod in argumento ponitur.

1. Ad huius rei intelligentiam prænotandum est primo hoc præceptum licet ex forma verborum, quibus conceptum est, appareat negatiuum, tamen includere in se affirmatiuum etiam de cultu vnius veri Dei expresso, Deuteron. capit. 6. vers. 13. & capite 10. vers. 20. Ac Matth. 4. vers. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Ita vt cum falsi & impij superstitiosique cultus prohibitione comprehẽdat præceptum cultus vnius veri Dei.

2. Secundo prænotandum est illum cultum præsupponere fidem, spem, charitatem, neque honorare eum possumus quem non noscimus, nec obsecrare & orare in quo non speramus, nec obseruare mandata illius, quem non diligimus. Vnde D. Augustinus ad Laurentium de modis colendi Deum inquirentem, sic scribit: *An hoc ipsum tibi fortasse desideras breuiter aperiri, atque in sermonem colligi breuem, quonam modo sit colendus Deus? Hic si respondero, fide, spe, charitate colendum Deum, profecto dicturus es breuius hoc dictum esse quam velis, ac proinde petiturus ea tibi explicari breuiter, quæ ad singula tria ista pertineat, quid credendum scilicet, quid sperandum, quid amandum sit. Quod cum fecero, ibi erunt omnia quæ in epistola tua quærenda posuisti.* Quibus verbis duo respondet, nempe fide Deum colendum esse, & expedire vt quis sciat quid credendum sit; Prius esse necessariũ docetur verbis Habacuc 2. cap. *Iustus ex fide viuit*, vbi simul additur, quod non credens Deo non possit rectam habere animam. Quem locum Apost. Paulus adaptat fidei necessitati ad Rom. 3. & ad Hebr. 11. clarius eius necessitatem expressit, dicens: *Sine fide autem impossibile est placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & quærentibus se remunerator sit.* Quare & subijcit ibidem quotquot ex veteri Testamento patres vel Prophetæ Deo placuerunt, aut saluati sunt, beneficio fidei placuisse. Quæ sufficiunt ad probandam fidem supernaturalem in Deum creatorem esse necessariam, vt creatorem & gubernatorem vniuersi, ac remuneratorem fidelium.

D. Aug. c. 3. Ench.

3. Porro quia Deus trinus & vnus est, nempe trinus quoad personas, vnus quoad diuinitatem, quæritur an ad iustificationẽ & salutem semper fuerit necessarium credere Mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Res notatu dignissima, quia fides teste Augustino serm. 38. de tempore, est humanæ salutis initium & bonorum operum fundamentum, in verbis: *Fides est bonorum operum fundamentum, ac humanæ salutis initium, sine hac nemo ad consortium filiorum Dei potest peruenire, quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam iustificationis consequitur gratiam, neque in futuro vitam possidebit æternã.* Vnde etiam Concilium Tridentin. Sess. 6. cap. 8. hoc ipsum definiens addit esse radicem omnis iustificationis.

4. Respondeo igitur primo Adamum ante lapsum suum de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis fuisse obligatum credere, quod illi à Deo reuelatum fuit, nempe futuram coniunctionem Christi cum Ecclesia, adeoque Christum venturum in carne, quod prophetauit verbis illis Genes. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: Hæc vocabitur virago, quoniã de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Nam his verbis non solum locutus est de præsenti suo matrimonio, cum Eua, sed etiam prophetauit de futura coniunctione Christi cum Ecclesia quæ præfigurabatur, per coniunctionẽ Adæ & Euæ, vt interpretatur Apostolus, Ephes. 5. vbi explicans prædicta verba, sic ait: *Sacramentum hoc magnum est: Ego autẽ dico, in Christo & in Ecclesia.* Vnde D. Hieronymus lib. 3. commentariorum in Epistolam ad Ephes. ait, Adamum fuisse, & primum hominem, quia primo creatus est; & primum vatem, quia primus de Christo & Ecclesia prophetauit.

5. Dico secundo post Adæ lapsum, ex quo omnes posteri eius filij mortis & iræ facti erãt, semper fuisse simplicioribus ad salutem, necessarium medium, explicite credere vẽturum aliquem mediatorem, cuius meritis possemus à Deo gratiam & misericordiam ac demum salutem consequi. Prudentioribus autem necessarium etiam fuit ante legem Mosaicam explicite credere Christum venturum, tanquam redemptorem seu mediatorem per quem liberandi essent à peccatis. Ratio prioris est, quod simpliciores expressio-

pressiorem de Christo non habuerint reuelationem posterioris, quod illi habuerint. Sic Abraham credere debuit Christum nasciturum ex semine suo, quia Deus hoc illi reuelauit Genes. 22. cum filium suum paratus fuerat ex mandato Dei offerre in holocaustum, in verbis: *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi &c. & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Qua de causa etiam Genes. 24. voluit seruum suum Eliezer præstare iuramentum de exequendo mandato suo ibi expresso, ponendo manum suam subter femur eius, illa cæremonia notum faciens Christum ex semine suo nasciturum. Sic & Iacob Patriarcha eam fidem habere debuit, quia reuelatum est illi tempus quando Christus esset venturus, vt patet Genes. 49. Sic etiam certum est Iob debuisse credere Christum fore redemptorem nostrum, nam summopere afflictus & sedens in sterquilinio prophetans solabatur se quod sciret redemptorem suum viuere, quodque in nouissimo die resurgens in carne sua videret saluatorem suum, vt habetur Iob. 19. in verbis: *Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum.* Vtrumque insinuat D. Thomas, 2. 2. quæst. 7. art. 2. ad 3. vbi postquã admisisset multos Gentilium adeptos fuisse salutem ex auctoritate Dionysij Areopagitæ, c. 9. Cœlestis Hierarchiæ, ex eo quod illis reuelatio facta fuerit de Christo, subiungit: *Si qui tamen saluati fuerunt, quibus reuelatio non fuit facta, non fuerunt saluati absque fide Mediatoris: quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidē implicitam in diuina prouidentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos, & secundum quod aliquibus veritatem cognoscentibus spiritus reuelasset: secundum illud Iob. 35 cap. Qui docet nos super iumenta terræ.* Id est, qui hominem maiora & meliora docuit, quam iumenta terræ, quæ ex rapto & mutuis cædibus viuunt, & quam volatilia cœli, quæ quamuis alarum præsidio à terra se subuehant, & sublime volent, sed tamen præter cantum, præter volatum, præter cibum nihil sublime sapiunt. Illa enim verba sequuntur loco citato, *Et super volucres cœli erudit nos.*

D. Thom.

6. Quæres an tempore legis Mosaicæ eodem modo res sese habuerit. Respondeo obligatos fuisse credere quod Christus esset nos redempturus per mortem & passionẽ suam, sed alios expressius, alios obscurius, vt notat D. Thomas loco citato in corpore. Vnde distinctionis gratia, diuido gentem Iudaicam in Prophetas, Sacerdotes & Doctores, ac plebeios seu subditos. Primi tenebantur explicitè credere, quæ illis specialius fuerant reuelata. Sic Moyses credere debuit Christum fore Prophetam suæ gentis, ex illo Deuter. 18. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, & ipsum audies.* Illis enim verbis prophetabat per excellentiam Christum magnum fore Prophetam, & vers. 18. similẽ Moysi, quia sicut Moyses populum ex Ægypti ita Christus homines ex peccati seruitute esset asserturus, & sicut Moyses in Chanaan duxit populum, sic Christus in cœlum. Sic Ieremias credere debuit quod ex familia Dauid nasceretur, ex illo Ieremiæ 23. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum &c.* Sic Isaias, quod ex virgine nasceretur, quia ex reuelatione prophetauit, cap. 7. *Ecce virgo concipiet & pariet filium &c.* Et quod prædicaturus esset Euangelium salutis & pacis, quia cap. 61. Christi saluatoris officium & humani generis reparationem explicans, vers. 1. hoc prophetat, vti & cap. 35. vers. 5. quod faciet miracula. Et cap. 53. quod redimet genus humanum, & pro genere humano morietur. Idem prophetauit Daniel cap. 9. vers. 26. Dauid quod descenderet ad inferos, & tertia die resurgeret Psal. 15. vers. 10.

Deut. 18.

Ierem. 23.

vti

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

vti & Ionas cap. 2. verf. 1. Vt breuissim, alij Prophetæ alia ad Christum pertinentia credere debuerunt, quę ex reuelatione illis facta propheta- runt. Idque explicitè, nam alioquin magnam fecissent Deo iniuriam, quasi non esset verax & fide dignus. Et hoc est, quod ait Hieronymus explicans verba, Galat. 2. *Scientes autem quod non iustificatur homo ex operibus legis, sed per fidem* IESV *Christi*, alijs exemplis docet, dum ait: *Sanctos qui antiquitus fuerint, ex fide Christi iustificatos*, & modum addens, subiungit. *Siquidem Abraham vidit diem Christi & lætatus est, & Moyses maiores diuitias æstimauit thesauro Aegyptiorum improperium Christi, aspiciebat enim in remunerationem. Et Esaias vidit gloriam Christi, vt Ioannes Euangelista commemorat, & Iudas de omnibus generaliter: Commonere, inquit, vos volo scientes semel omnia, quoniam* IESVS *populum de terra Aegypti saluans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit.*

D. Hieron. in cap. 2. Galat.

Ioan. 8.

Hebr. 11. Isa. 61.

7. Secundi generis sunt Sacerdotes & Doctores, quibus huiusmodi non fuit immediatè à Deo facta reuelatio. Hi tenebantur explicitè credere Christum fore Deum, incarnatum, quodque per passionem & resurrectionem humanum genus à peccato & morte liberaret. Cuius rei duplex erat ratio. Vna, quod sacrificia in lege Mosaica instituta prę figurabant sacrificium Crucis Christi, quodque ex officio tenebantur scire cruenta sacrificia animalium, quæ ipsi offerebant, esse figuras seu typos futuræ mortis Christi; itemque sanguinem animalium, qui effundebatur, non habere ex se vim remittendi peccata, sed omnem vim accipere ex sanguine Christi, cuius effusionem præfigurabat, Hebr. 9. v. 12. Altera, quod Sacerdotes erant Doctores populi, & Iudices controuersiarum fidei. Vnde ratione officij tenebantur omnia scire & perscrutari, quæ à Moyse, & Prophetis erant scripta de Christo, alioquin non potuissent alios instruere, nec in supremo, cui intererant, Concilio definire controuersias, quæ de

Hebr. 9.

venturo Christo ex Moyse & Prophetis solent proponi & disputari. Ex quo contigit, quod Christus post suum aduentũ Ioan. 3. reprehenderit Nicodemum legis doctorem, non comprehendentẽ quomodo homo per Baptismum renasceretur, seu vi & virtute passionis Christi per Baptismum regeneraretur, dicens: *Tu es magister in Israël, & hæc ignoras?* Id est, tu es doctor celebris in toto Israël, & apud omnes Iudęos, & hæc ignoras? quæ tamen tui muneris sunt, & ex officio scire debes. Ioan. 3.

8. Tertij generis, seu subditi implicitè tantum obligabantur credere venturum aliquem Prophetam, qui redempturus esset Israël: quia, vt ait D. Thomas loco citato, *sacrificiorum significatũ explicitè maiores cognoscebant, minores autem sub velamine illorum sacrificiorum, credentes ea diuinitus esse disposita de Christo venturo quodammodo habebant velatam cognitionem.* Et hinc clamabant exspectantes cũ Prophetis illud Isaiæ. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet saluatorem.* D. Thomas

Quæres an tempore legis gratiæ, & Euangelio sufficienter per totum orbem diuulgato, talis sit obligatio credendi de Christo incarnato, & Sanctissima Trinitate, qualis fuit apud Iudæos.

9. Respondeo negatiuè sed omnibus necessariam esse tam Sacerdotibus, quam popularibus explicitam fidem de Christi incarnatione, passione, & morte, resurrectione, ac Sanctissima Trinitate, necessitate medij, id est, taliter vt nullus adultus, vllo casu iustificari, aut saluari possit, etiam inuincibiliter ignorans, nisi explicitè credat in Christum. Et probatur, quia illa fides in scripturis censetur initium, seu radix & fundamentum salutis, vt Marc. 16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Et Ioan. 6. *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille.* Et 1. ad Corinth. 3. vbi Paulus fidem in Christum dicit fundamentum salutis, in verbis: *Fundamentum nemo alius ponere*

Marc. 16.

Ioan. 6.

1. Cor. 3.

nere potest, quam quod positũ est, quod est Christus IESVS. Quasi dicat Christum esse necessarium fundamentũ super quo solo & nullo alio possit ædificium spirituale ædificari. Deinde ad Rom. 10. apertè declarat requiri ad salutem expressam fidem mortis & resurrectionis Christi, dũ dicit: *Hoc est verbum fidei quod prædicamus: quoniam si credideris in Dominum Iesum Christum, & ore tuo confitearis, & in corde tuo credideris, quod Deus suscitauit illum à mortuis, saluus eris.* Iohan. 3. expresse dicitur, omnes manere in damnationis sententia, qui non credunt in Christum, hoc declarant illa verba, *Qui credit in illum non iudicatur, qui autem non credit iam iudicatus est, quia non credit in nomine filij Dei vnigeniti.* Illic autem sermonem esse de fide explicita, patet, quia comparat ibi se mortemque suam cum exaltatione serpentis in deserto, docetq; sicut morsi à serpentibus illius aspectu sanabantur, ita nos habere salutem, siue sanari à peccatis ex fide ipsius Christi exaltati in cruce: atqui vt læsi à serpentibus sanarentur, debebant æneum serpentem explicitè intueri; ergo vt sanemur à peccato, debemus explicitè in Christũ crucifixum credere. Quod idem Euangelista confirmat, Ioan. 17. v. 3. dicens: *Hæc est autem vita æterna vt cognoscant te, solum verum Deum, & quem misisti, Iesum Christum.* Quibus verbis indicat, adeo necessariam esse cognitionem Christi explicitam ad vitam æternam sicut est cognitio Dei.

Rom. 10.

Ioan. 3.

Vnde concludo in lege gratiæ, necessarium esse ad iustificationem necessitate medij, vt quis explicitè credat mysterium incarnationis, siue secundam personam fuisse incarnatam, & Christum fuisse verum Deum & hominem, & pro nobis in cruce mortuum, ac resurrexisse; nõ autem sufficere, vt quis hæc implicitè credat, id est, credendo explicitè eum esse mediatorem & saluatorẽ nostrum: quia prius Deus sic voluit nos credere, cuius ordinationi tenemur nos conformare. Atqui his modis aliter saluati sunt in veteri lege, quam nos saluamur in lege Euangelica. Videant parentes, qui filios suos in hoc non curant instrui, quid coram Deo respondebunt: vt (prô dolor) in quamplurimis adultis & annosis confitentibus & communicantibus nimis deprehenditur parentes negligentiores fuisse. Ex his etiam clarè deducitur fidẽ Trinitatis in nouo Testamento esse necessariam necessitate medij ad salutem. Nemo enim potest credere mysterium Incarnationis, nisi credita Trinitate. Et D. Basilius lib. 2. cõtra Eunomium dicit eam fidem esse Christianorum propriam. Ratio est, quod licet in veteri Testamẽto hoc mysterium obscurè indicatum esset, non tamen ita apertè reuelatum fuit, vt in nouo, vbi Baptismus, qui est Sacramentum fidei, & Spiritus sancti, iubetur conferre in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti, Matt. 28. v. 19.

D. Basil. 2. de Eun.

Matt. 28. v. 19.

Discursus III.

In eadem verba: *Ego sum Dominus Deus tuus,* &c.

Quasnam res fidei necesse sit scire ex præcepto?

Hebr. 11.

D. Paulus ad Hebr. cap. 11. docet fidem esse necessariam ad salutem, dum dicit impossibile esse sine fide placere Deo: Ex quo sequitur necessariũ esse, scire res fidei. Hinc quæro, inter duplicem necessitatem medij videlicet & præcepti, quænam necessitate præcepti quis scire teneatur.

1. Dico igitur primo omnes obligari ex præcepto ad sciendum ea, quæ

quæ sunt de necessitate medij, vnũ primo esse Deum, secundum Deum esse remuneratorem supernaturaliter cœlestis beatitudinis, & punitorem malorum: tertiò Deum esse incarnatum, & mortuum pro salute hominum: quartò Deum esse trinum & vnum. Ratio est, quia cum horum cognitio sit maxime necessaria ad salutem, etiam maxime est præcepta.

Verum priora duo sunt iuris diuini naturalis, quæ non admittunt ignorantiam. Duo autem posteriora sunt iuris diuini positiui. De quibus quæro an ignorans fidem Christi vel Trinitatis excusari possit à peccato infidelitatis.

2. Respondeo duobus modis aliquem ignorare posse rem scitu necessariam. Primo vincibiliter, cum possit videlicet scire, & affectatè nõ vult intelligere, vt bene agat. Secũdo inuincibiliter, quia videlicet nihil de hisçe mysterijs audire potuit. His positis dico priori modo ignorantes non excusari à peccato infidelitatis, sed potius peccatum aggrauare. Vt patet Ioann. 15. vbi notat Christus quosdam ex Iudęis qui in eum quem audiebant loquẽtem, & miracula facientem nolebãt credere cum illa id perurgerent, quia Isaiæ 35. prædictum erat de Christo, quod adueniens miracula faceret in verbis: *Deus ipse veniet & saluabit vos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum*. Hinc Ioannes in carcere constitutus Matth. 11. cum haberet discipulos, qui omnino volebant ipsum esse Messiam, intelligens Christũ miracula facere misit duos discipulos ad eum, vt hæc vidẽtes crederent Christum esse Messiam. Et Christus ipse Iohann. 15. confirmat, ex hoc incredulum esse inexcusabilem, dicens: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me & Patrem meum*. Id est, at ego mirabilia edidi in conspectu illorũ, quæ inficiari nullo modo possunt, & tamen non solum non crediderũt in me, sed etiam oderunt, adeóque excusari non possunt à peccato infidelitatis & malitiæ. Apposite Chrysostomus, hom. 26. ad Rom. idcirco monet aduigilandum esse. *Stadium*, inquit, *præsens hæc vita est, & innumeros oculos, quos circumquaque dirigimus habere oportet, neque putandum ad apologiam sufficere ignorantiam; Erit enim, erit, inquam, quando ignorantiæ pœnas dabimus, quando scilicet & ipsa ignorantia veniam non habebit. Nam & Iudæi ignorarunt, quorum ignorantia veniam non meretur. Et Græci ignorarunt, sed excusationem non habent*. Et interiectis aliquot verbis: *Si quæ scitu possibilia sunt, & facilia* (supple ignoraueris) *extremas pœnas merito dabis*.

Ioan. 15.

3. Posteriori modo ignorãtes seu inuincibiliter, idest, qui nihil potuerunt intelligere de Christo, excusantur à peccato infidelitatis, quod clarum est ex verbis Christi Ioann. 15. *Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent*. Quibus declarat Iudæos incredulos immunes fore à peccato infidelitatis, si eum audire non potuissent, quod indicant etiam verba Pauli ad Rom. 10. *Fides ex auditu, auditus autem per verbũ Dei, &, quomodo inuocabunt in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei, quem non audierũt, quomodo autem audient sine prædicante*. Accedit D. Augustinus tract. 69. in Ioan. vbi testatur eos, ad quos Euangelij prædicatio non peruenit, excusari à peccato quod in Christum non crediderint. Et rectè: nam illud Dei benignitati mirum in modum aduersaretur. Vnde sic Bernard. epist. 77. philosophatur: *Necdum*, inquit, *iniuncta, necdum vulgata, necdum audita prædicatio est, & iuxta pigri, ac nequam serici sententiam, tam durus est Dominus, vt necdum sata iam metere velit & non sparsa colligere. Absit. Audi magis huius rei veritatem. Qui vnus est magister in cælo & in terra, ei, qui magister tantum in Israël erat, familiari, priuatoque colloquio tradebat, quod traderet docebat; quod doceret non quod exigeret ab absentibus, non vnde præscriberet, & his qui nõ audierãt. Valde quippe iniustè*

Ioan. 15.

Ber. epist. 77.

iniustè exigitur obeditio, vbi non praecesserit auditio, neque enim tale est hoc, quod & absque promulgatione naturalis lex, ignorare non sineret, quale, verbi gratia, illud est, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Et paulo post. *Quid ergo omnino sciri non poterat, si non audiretur? Vide autem quomodo hoc refugit Apostolus & de solo auditu conuincit incredulos. Sed dico, inquit, non audierunt? quasi dicat, excusari poterant, si non audissent, vbi enim non est lex, nec praeuaricatio.*

4. Sed esto excusentur à peccato infidelitatis. Quaeritur an aequè bene saluabuntur? Respondeo negatiuè. Et ratio est, quod nemo sine fide Christi veniam peccatorum assequi possit. Vnde paruuli, qui sine baptismo moriũtur, quod est sacramentum fidei, seu per quem fides habitualis infunditur, nequeũt frui beatifica visione. Adulti vero nisi actu credant in Christum, & vel in re, vel in voto (dum aliter non possunt) baptismum suscipiant, non saluantur, iuxta illud Christi Marc. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Sed haec est differentia inter paruulos & adultos, quod illi pœnam damni dumtaxat subibunt, hi vero etiam sensus. Idque, quia iuxta originale, quod ex peccato primi parentis contraxerunt, etiã actualia peccata commiserint contra legem naturalem. Vnde est illud Pauli ad Rom. 2. *Quicumque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.* Idest, qui sine lege scripta per Moysen peccauerũt in legem naturalem scriptam in cordibus hominum, sed de Christo nihil dictantem, ob huiusmodi peccata damnabuntur. Hoc expresse tradidit Augustinus, loc. cit. in verbis: *Sed ideo* (id est, ob ignorantiã praedictam de Christo) *non possunt effugere damnationem: quicumque enim sine lege peccauerint, sine lege peribunt.*

Mar. 16.

ad Rom. 2.

August. loc. cit.

Ex quibus sequitur adultorum dãnationem prouenire ex neglectu legis naturalis: quia Deus hominem adultũ, qui nihil de fide Christi audiuit, frequenter illustrat & excitat ad obseruationem legis naturae, quae in Decalogo comprehensa est iuxta illud quod habetur Ioan. 1. *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et illud 1. ad Tim. 2. *Vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire,* supple quantum in ipso est, & si ex parte nostra non sit defectus: adeoque dicit vnicuique nostrum verba Pauli ad Ephes. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Si autem obseruat hãc legem cum Dei auxilio, Deus prouidebit, vt sciat fidem Christi, & res necessarias, & sic iustificabitur; & saluabitur. Hoc insinuat Chrysostomus loc. cit. dicens: *Nisi vehementer pigri negligentesq́; fuerimus, sed quae simul ad nos pertinẽt attulerimus, & in his quae ignoramus, manum porriget Deus, Id quod & Philippensibus scribit Paulus, Et si quid aliter sentitis, hoc quoque Deus vobis reuelabit.* Vbi accõmodat verba Pauli de ignorãtia vitae perfectioris ignorantiae fidei. Nam Paulus eo loci, cũ dixisset se non peruenisse ad perfectionem, & vellet alios hoc sentire, crederetque esse, qui cõtrarium saperent, addidit haec verba: *Et si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit:* Id est, si de perfectione *aliter sapitis* quam ego, quia nimirum sentitis & putatis vos metam, scilicet perfectionem apprehendisse, aut illi esse proximos, & *hoc* quoq; sicut caetera, *vobis* ignorãtibus & errantibus *Deus* suo tẽpore *reuelabit*, scilicet errorem esse, vosq; errare in isto sensu vestro.

Ioan. 1.

1. Tim. 2.

Ephes. 5.

Chrysost.

Quod dixit Chrysostomus & probauit verbis Pauli, hoc patet in Cornelio Centurione Act. 10. qui per orationes & eleemosynas meruit fidem magis explicitam de Christo. Sic enim habetur: *Vir quidam erat in Caesaria nomine Cornelius, Cẽturio cohortis, quae dicitur Italica, religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deũ semper, is vidit in visu manifestè, quasi hora diei nona, Angelum Dei introëuntem ad se, & dicentem sibi, Corneli. At ille intuens eum timore correptus dixit, Quis es Domine? Dixit autem illi, Orationes tuae & eleemosynae tuae ascenderunt in memoriã in con-*

Act. 10.

cōspectu Dei. Et nūc mitte viros in Ioppen, & accersi Simonē quendā, qui cognominatur Petrus: hic hospitatur apud Simonem quēdam Coriarium, cuius est domus iuxta mare: hic dicet tibi, quid te oporteat facere. Et sic accersiuit Petrum, qui illi annuntiauit Christum.

D. Thom. Hoc ipsum tenet D. Thomas de veritate, q. 14. art. 11. ad 1. vbi sic ait: *Si aliquis nutritus in siluis ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni & fuga mali, certissimè tenendum est, quod ei Deus vel per internam inspirationem reuelaret ea quæ sunt credenda, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.*

Vnde si contingat infidelem mori in suâ sectâ, non damnabitur ob peccatum infidelitatis negatiuæ, quæ sine culpa est, sed ob alia peccata facta contra legem naturalem. Et hoc est quod asserit D. Augustinus & Chrysostomus locis citatis. Nam quia eam non obseruarunt, à Deo meritò deseruntur, iuxta illud Rom. 1. Rom. 1. v. 21. *Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificarunt eum, & obscuratum est insipiens cor eorum.* Hoc tamen addiderim tales mitius puniēdos in inferno, quam eos, qui post auditum fidei, & signa miraculosa in Christum non crediderunt, vti Matth. 11. constat Matth. 11. vbi Christus dicit, quod Tyro & Sidoni, & eorum incolis, qui adminicula miraculorum non habuerunt ad credendum in Christum, tollerabilius erit in die iudicij, quam incolis Corozaim & Bethsaida, vbi signa & virtutes multas fecerat Christus. His enim insinuat non incolas Tyri & Sidonis saluandos, sed tollerabiliorem damnationem incursuros, quam ij, qui signa etiam non necessaria habuerunt ad credendum.

6. Sed quæstio est, quid præter explicitam fidem in Christum amplius teneamur scire. Respondeo nos primum teneri scire & credere mysteria contenta in symbolo Apostolorum: est communis sententia. Cui fauet Catechismus iussu Pij quinti editus, vbi habentur hæc verba: *Quæ Christiani homines tenere debent illa sunt, quæ sancti Apostoli diuino spiritu afflati in duodecim Symboli articulos distinxerunt.* Et Augustinus serm. 181. de temp. August. *Apostoli certam regulam fidei tradiderunt, quam secundum numerum Apostolorum duodecim sententijs cōprehensum, Symbolum vocauerunt, per quam credentes Catholicam tenerent veritatem, & hæreticam conuincerent prauitatem.* De quo symbolo idem ait serm. 133. de temp. *Symbolū est regula fidei vestræ breuis, & grādis, breuis numero verborum, grandis pondere sententiarū.*

His adstipulantur DD. Scholastici. Ratio eorum est, quia Apostoli digressuri in diuersas partes hoc symbolum composuerunt, vt id iuxta præceptum Christi Marc. vlt. do- Mar. vlt. cerent omnem creaturam, siue omnes homines, antequam eos baptizarent, tum quia praxis Ecclesiæ id habet, quæ præcipit ne vlli adulti admittantur ad baptismum, qui ea ignorent, ex cap. *Ante viginti dies* 54. baptizandos 57. Ex Conc. Lardinensi Can. 46. c. non liceat 58. de cōsec. dist. 4. Tum quia in ijs præcipua fidei mysteria, quæ ad diuinitatem, ac Christi humanitatem, & nostram redemptionem, iustificationem, ac beatitudinē pertinent, continētur.

7. Sed dices in symbolo multa sunt adeo subtilia ad percipiendum distinctè, vt vix docti id capiant: atqui hoc communi populo est impossibile. Quomodo ergo tenetur scire & credere cōtēta in symbolo?

Respondeo non requiri vt intelligant subtilitates mysteriorum, sed vt credant. Nam fides non tam cōsistit in notitia, quam in assensu. Vnde rectè de huiusmodi hominibus dixit Augustinus in lib. contra August. li. con. Epist. fun. c. 4. Epistolam fundamenti, cap. 4. *Turbam non intelligendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit.* Et tract. 40. in Ioannem: *Quid est fides, nisi credere quod non vides?* Et serm. Et tract. 40. in Ioan. 189. de temp. *Accepto baptismo hoc dicimus: Fidelis factus sum: Credo, quod nescio.* Et ratio est, quia in eo, qui Et serm. 189. de temp. credit sunt hæc duo. 1. Apprehensio. 2. Iudicium seu assensus. Apprehensio non est fides, sed aliquid

quid fidem præcedens. Iudicium nõ oritur ex euidentia rei, ſed ex ſola authoritate dicentis; & ideo per illud iudicium non propriè intelligimus, ſed credimus, iuxta illud Auguſtini in lib. de vtilitate credendi ca. 11. *Quod intelligimus aliquid, rationi debemus: quod autẽ credimus, authoritati.* (Et lib. de vtil. cred. c. 11.)

8. Ad clariorem intelligentiam dico breuiter, ſatis eſſe ſcire ſubſtãtiam, ſeu ſenſum, & veritatem articulorum, licet non ſciant ordine & verbis, quibus in ſymbolo proponũtur. Imo etiam ſufficit, ſi interrogati ſciant reſpondere, quamuis id veniale peccatum ſit non mãdare memoriæ ex çap. *Baptizandos* cap. ante *omnis* de conſec. diſtinct. 4. Vnde non ſufficit hæc memoriter ſcire inſtar pſittaci, quia memoriter ſcire, & non intelligere, neſcire eſt, ac proinde debet in ea lingua ſcire, quã intelligit: quia tenentur fideles ſcire, vt res fidei credant explicitè, quod non intelligendo fieri nequit.

Vt autem dignoſcas quid nomine ſubſtantiæ intelligatur, id illud eſt, quod ſimpliciter, etſi confuſe & generaliter ſignificatur, vocibus in articulo contentis. Exempli gratia, in articulo Trinitatis, ſatis eſt ſi intelligatur Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum eſſe vnum Deum, & non plures Deos: non eſt autem neceſſe vt quiuis percipiat, vnam eſſentiam eſſe in tribus perſonis. Sic etiam ad incarnationis Chriſti myſterium credendum ſufficit Chriſtũ eſſe filium Dei, verum Deum, verumque hominem, non opus eſt autem intelligere poſſe vnam perſonam, & duplicem naturam, id enim multi docti non percipiunt.

Verũ dices, inter homines magna eſt differentia capacitatis, alij alijs capaciores, alij rudiores, an par in rudibus, ac alijs ſcientia requiratur? (August. l. con. Epiſ. fund. c. 4.)

Reſpondeo rudiores debere neceſſario aliquos articulos explicite ſcire, ſaltem ſecũdum ſubſtantiam; vt Deum eſſe remuneratorem ſupernaturaliter: Dei filium eſſe incarnatum, & mortuum: eſſe Deum trinum, & modo, quo in ſigno Crucis exprimitur. (Et tract. 4. in Ioan.) (Et ſerm. 183. de tẽp.) Ratio eſt, quia eorum fides eſt neceſſaria neceſſitate medij, atque adeo eorundem cognitio aliqua neceſſaria erit, neque enim credi poteſt, quod non cognoſcitur. Confirmatur, quia nemo videtur excuſari poſſe ob ruditatem; videmus enim huiuſmodi homines etiam rudes, mandare memoriæ cãtilenas aliquas, ſcire contractus, arborum vitia & animalium &c.

Accedit D. Chryſoſtomus, qui varijs rationibus pulchrè ampliat, tales coram Deo non excuſandos. (Chryſ.) *Ne dicas*, inquit, *quomodo hunc aut illum ſimplicem, & bonum cõtempſit Deus, eo quod Græcus ſit. Nam primum quidem, quis ſimplex ſit, ab hominibus cognoſci nequit, ſed ab eo ſolo, qui ſingula corda formauit. Deinde & hoc dici poſſet, quod plerumque qui talis videtur, veritatis nullam haberet curam, & diligentiam. Sed dicis, quomodo poterit, cum ſit homo vehementer ſimplex, & idiota? Simplicem itaque hunc & idiotam in rebus terrenis mihi cõſidereuac diſcas, videaſque quam multam illic oſtendat diligentiam, quam ſi & ſpiritualiter impendere voluiſſet, contemptus vtique nõ fuiſſet. Sole quippe clariora ſunt, quæ veritatis ſunt, & vbicumque quis intenderit facilè ſuam ipſius ſalutem, apprehẽdet, ſi quidem aduertere voluerit, illamque non velut obiter quærẽdam putauerit. An in Paleſtina occluſa ſunt ſalutis negotia? An in modico orbis angulo? Non audiſti Prophetam dicentem: Omnes cognoſcent me à paruo vſque ad magnum. Non vides rem ipſam loqui? Quomodo ergo veniam habebunt? Iſti, cum veritatis doctrinam expoſitam videant, & manifeſtam, & tamen nec ſatagunt, nec curant, quo illam diſcant. Et iſta, inquies, ab illo exigis, qui agrum incolit, & à barbaro? Non ſolum ab agricola, & barbaro, ſed etſi quis barbaris iſtis, qui nunc ſunt, barbarior fuerit. Quanam ratione, dic quæſo, in rebus ſecularibus, qui talis eſt, & contemnere nouit iniuriã affectus, & reſiſtere violentiam paſſus, omniaque facere ac moliri, vt neque calumniam aliquando ferat, cum in rebus ſpiritualibus eãdem prudentia non vtatur? Et quando lapidem adorat Deum ratus* (id eſt, idola colens) *feſtiuitateſq; celebrans pecunias inſumit, multamque religionem*

 oſtendit,

ostendit, per simplicitatem socors ac negligens non redditur, quando vero, qui verè est Christus, quærendus est Christus. Tum mihi stupiditatem & simplicitatem memoras? Nihil est itaq; quod dicis, nihil est, inquam, sed solius negligentiæ socordiæque culpa perit. Et vt rem clarissimè intelligant pergit magis inculcare comparatione eorum, qui in lege naturę, & sine prædicante Deum cognouerunt & coluerũt, ad illos, qui in lege Euangelica sufficienter instruuntur, dicens: *Quos simpliciores agrestioresque putas? An qui temporibus Abrahæ, an qui nunc viuũt? manifestum est, quod qui temporibus Abrahæ vixerint. Quando vero facilius fuit veram inuenire pietatem, an nunc, an Abrahæ temporibus? manifestum est quod nunc. Nam nunc quidem & Dei nomen inuocatum est ab omnibus, & Prophetæ præconizando prædixerunt, & res in affectum abijt, & gentium nugæ conuictæ sunt. Tunc vero rudes erant plerique, peccatũq; regnabat. Ad hæc neque lex erat, quæ instrueret, neque Prophetæ, neque miracula, nec doctrina, nec multitudo Deum agnoscentium. nec aliud tale quippiam: sed velut tenebris profundis, nocteq; densa, & hyemali adoperta erant omnia. Veruntamen admirabilis hic & generosus vir, licet tot essent impedimẽta, nihilominus & Deum agnouit, & virtutem exercuit, aliosq; multos in eundem Zelum induxit: idq; tametsi neque æternæ sapientiæ aliquid haberet experientiæ. Quomodo enim habuissent, cum nusquam tunc inuentæ essent literæ? Verum quoniam quod solum erat ad hanc rem contulit, contulit simul & Deus quod & reliquum & sui muneris erat. Neque enim dicere potes, quod pietatem suam ex patribus acceperit Abraham. Idololatra quippe erat pater. Nihilo tamen minus licet talibus esset progenitoribus, homo in medio barbarorum educatus, nullũ habens pietatis magistrem: & Deum tamen agnouit, & ... ibus suis vniuersis, quibus & lege frui datum est, & Prophetis adeo factus est clarior, vt exprimi nequeat. Vnde quæso? Quod in temporalibus quidem non admodum sollicitus fuit, in temporalibus vero sese totum intendit. Quid vero Melchisedech? Nũquid & ipse eisdem temporibus vixit, tantumque enituit, vt & sacerdos Dei appellaretur? Etenim impossibile, vehementer inquam, impossibile fuerit, eum, qui aduigilauerit, aliquando contemptum iri.* Hæc ita Chrysostomus.

10. Nihilominus dico. Si quis tam sit hebes & obtusus ingenio, vt non possit articulos omnes capere secũdum substantiam, excusabitur ratione impotentiæ, si tantum credat illos implicitè. Valent. 2.2. dis. 1.q. 2.p.4. Azor.c.6.q.6. Nõ tamen propterea dicendum est, eos nõ esse obligatos ad mysteria credenda explicitè, & sciẽda, immo hoc ipso, quod excusatur ob impotentiam, infertur eos alioqui esse obligatos: nemo enim, si proprie loquendum sit, dicitur excusari in aliquo, si ad illud alioqui non obligetur. Cuius excusationis hæc est ratio, quod scientia eorundem articulorum explicita, & distincta non sit ita necessaria in eiusmodi hominibus, atque fides aliquorum articulorum explicita de necessitate medij, nã ob ruditatem & impotentiam excusantur à præcepto, quo obligantur ea distinctè scire. Qui suffragatur sentẽtia quorundam DD. sustinẽtium maiorem reuelationem huius mysterij factam tempore gratiæ solum inducere maiorem necessitatem præcepti.

11. Insuper tenetur quiuis, præter symboli mysteria, scire præsertim tria sacramẽta, Baptismum, Eucharistiam & Pœnitentiam. Hæc enim vnicuique sunt necessaria. Ad hæc orationem Dominicam, salutationem Angelicam, præcepta Decalogi & Ecclesiæ.

12. Demum tenentur omnes distinctè credere Ecclesiam Catholicam siue vnicam esse congregationem fidelium, quæ sub vno capite in terris vnam fidem ac religionem colit, extra quam non est salus. Hoc enim est necessarium, vt sciant cui cætui adhærere, & quas sectas fugere debeãt, & vt veros Pastores à lupis possint discernere. Adeoq; omnes obligantur ex præcepto ad credendũ vera esse omnia quæ docet Ecclesia Catholica, itemque eandẽ Ecclesiã nõ posse errare, in fide quã omnes

Matth. 18. omnes quippe iubētur audire Matt. 18. cap. Et quæ colūna est & firmamentum veritatis, vt docet D. Paul. 1. Tim. 3. habens perpetuò assistentē sibi Spiritū S. qui enim doceat omnem veritatem, ex Ioan. c. 14. 15. 16. ita vt aliquid illorum, quæ proponit tanquam de fide non velle credere, aut de eo volūtariè dubitare sit peccatum mortale, propter notabilem Dei iniuriam, quam tale quid merito censetur continere.

1. Tim. 3.

Ioan. c. 14. 15. 16.

13. Quæres quâ ætate teneantur fideles prædicta mysteria credere explicitè seu implicitè? Aliqui volunt tantum obligare tempore pubertatis, sed quo fundamento ignoro.

Vnde dico teneri postquam peruenerint ad vsū rationis, & sufficiēter fuerint instructi in fide. Priorem partem docet Azor. lib. 8. Instit. c. 7. q. 2. quia ex tunc præcepto diuino, res fidei explicitè credendi, seruandi mandata, recipiendi baptismum, & confitendi astringuntur.

Azor. l. 8. Inst. c. 7. q. 2.

Posteriorem partem probo, eo quod multi rustici, statim atque incipiunt ratione vti, applicantur pascendis pecoribus, & raro permittūtur templum adire, & rarissime mittuntur ad conciones: atque ita nec in templo quidquam de rebus fidei audiunt, nec domi ab heris, aut parentibus in rebus fidei instruuntur, ideoque etiam nullam suspicionem habent aliquid sibi circa fidei mysteria necessario discendum esse.

Quamuis igitur hi interrogando aliquando suos parochos, aut alios in fide instructos, aut faciendo, quādoq; maiorem diligentiam, vt possent cōciones aut Catechismos audire, possent sufficienter instrui. Quia tamen omnino ignorant, hoc ad illum finem esse necessarium, nequeunt ex huius desiderio ad illud faciendum excitari: atque illa ignorantia manet in illis inuoluntaria siue inuincibilis.

Itaque ante instructionē est quędam obligatio remota, quatenus hoc ipso quo peruenerunt ad vsum rationis, sunt capaces præcepti, & supposita agnitione illius tenentur ad obseruationem: Proxima vero tunc est, quādo præcessit sufficiens instructio, tunc enim excusationem non habent suæ infidelitatis, sed obligationem prędictam habent sub mortali peccato, nisi ignorantia aut impotentia excuset. Ratio est: quia est obligatio in re grauissima & necessaria ad salutem. Ex quo etiam sequitur Prælatos posse compellere subditos suos ad Christianorum doctrinam addiscendam.

14. At quid dices de Hæreticis & de Hæreticorum filijs qui vel nolūt Ecclesiam agnoscere, vel de Ecclesia Catholica nihil audierunt, & ita instruuntur à parentibus & prædicantibus, vt non credant apud nos esse veram Ecclesiam, sed nos idolorum esse cultores.

Respondeo primum parentes & prædicantes ex malitia Pharisaica peccare, atque adeo non minus esse excusabiles, quam Pharisæos, qui Christum impugnabant.

Dico secundo, quoad filios ac discipulos eorum, quod statim atque audiuerint aliquid de mysterijs fidei nostræ, ita siue cum circumstantijs ijs, ac rationibus, vt merito possint suspicari ea forte esse vera: aut quando occurrit ratio, cur merito dubitent, an sua religio sit vera, teneri serio adhibere diligentiam, vt cognoscant veritatem, adhibendo ea media, quæ ad hoc credunt esse necessaria. Atque adeo, si illa suspicio sit vehemens, siue si adsit grauis valde causa suspicandi, tenētur ad illam diligentiam adhibendam, etiam cum periculo vitæ. Probatur quia cum agatur in re grauissima de honore Dei, æternaque salute perdenda, vel acquirenda, tenētur his alia omnia postponere. Si enim tenear exponere vitam periculo pro salute alterius, qui aliter nequit saluari, quanto magis id tenear facere pro salute mea?

Discursus IV.

Super eadem verba:

An sufficiat ad salutem credere in Christum, aut mysteria contenta Symbolo Apostolorum, & quo ad reliqua in suo sensu abundare?

Rom. 10.



Apostolus Paulus ad Rom. 10. dicit: *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus: quoniam si credideris in Dominum Iesum Christum, & ore tuo confitearis, & in corde tuo credideris, quod Deus suscitauit illum à mortuis, saluus eris.* Porro multi sunt sectæ Lutheranæ & Caluinisticæ, qui aliquo modo credunt in Christum, nempe ipsum esse fundamentum salutis; Aliquo etiam modo credunt articulos fidei in symbolo comprehensos. Sunt etiam aliqui nomine Catholici credentes explicitè in Christum, & duodecim symboli articulos, sed habent errorem aliquem fidei contrarium. Iam quæritur an hi hac fide saluari possint.

Athan. in sym.

1. Res est grauissimi momenti & seriò examinanda, nam vt ait Athanasius in symbolo. *Quicumq; vult saluus fieri, ante omnia opus est vt teneat Catholicam fidem, quam nisi quis integram inuiolatamq; seruauerit, absque dubio in æternum peribit.* Dura verba, sed vera; nam certum est neminem saluari posse, nisi explicitè credat in Christum, & duodecim articulos symboli, secūdum verum & legitimum sensum, & reliquos vt minimum implicitè, seu credendo quod credit Ecclesia; nullumque habeat errorem veræ fidei contrariam, denique seruet mandata Dei.

Probatur primò, quia vnusquisque tenetur credere fide supernaturali qua firmiter assentiatur omnibus, quæ Deus reuelauit, & per Ecclesiā nobis credenda proposuit, si velit saluari: quia illā vnusquisq; iubetur audire Matt. 18. cap. Et Apostolus Paulus 1. ad Corinth. dicit eā esse columnam & firmamentum veritatis; Et ad Ephes. 4. dicit eius fidem esse vnam, in verbis: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnum corpus, & vnus spiritus, sicut & vocati estis in vna spe vocationis vestræ.* Quasi dicat, hortor vos ad vnionem & cōcordiam tum in fide, tum in charitate Christi, ex eo quod simus vnum corpus & vnus spiritus in Christo, quod omnes ad eadem cæli bona, quæ speramus, vocati simus, quod habeamus vnum Deum, vnā fidem, vnum baptisma. Ad hęc D. Ioannes 1. Ioan. dicit: *Si quis venerit ad vos, & hanc doctrinam non adfert* (id est Catholicam) *nolite eum recipere in domum, nec aue ei dixeritis; qui enim illi dicit aue, communicat operibus eius malignis.* 1. Cor. Ephes. 4. 1. Ioan.

2. Probatur secundo, quia Apost. Paulus 1. ad Timoth. 4. inter Hæreticos censet eos, qui dicebant nuptias, vinum, carnes non esse à Deo bono, sed malo, seu diabolo creata, ac proinde hæc natura sua esse mala & cauenda, eorumque esu & vsu hominem infici & maculari (quæ tamen in symbolo non cōtinentur) in verbis: *Spiritus autem manifeste dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt veritatem.* Tales fuerunt Symoniani, Saturnius (qui vixit tempore Apostolorum) Eubion, Manichæi, Marcionitæ, Encratitæ, & plures alij. Et Ioannes 1. Tim. 4.

1. Ioan. 4. Ioannes Apost. 1. cap. 4 dicit Hæreticum esse qui in Christo duplicem asseuerat personam, seu nõ in vnum coiuisse humanam & diuinam naturam, in verbis: *Et omnis spiritus, qui soluit Iesum, & hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc iam in mundo est*. Intellige non ille proprie dictus, qui venturus est in fine mũdi, sed præcurrens falsus doctor, qui imitatione nomen idem mereatur; sicuti Ioãni tributum est nomen Eliæ Luc. 1. quia venit in spiritu & virtute Eliæ.

Galat. 5. 3. Probatur tertiò ex eo quod Apost. Paulus ad Galat. 5. sectas græcè hæreses, id est, electiones cõtra Ecclesiæ communem doctrinam, constituerit inter opera carnis excludẽtia à regno Dei, & speciatim dixerit Galatis ob solam Circumcisionem, quam iuxta Euangelium suscipiebant, & olim præcipuum erat sacramentum Iudæorum, quod fides in Christum ipsis nihil esset profutura. cap. 5. sic aiens: *Ecce ego Paulus dico vobis: quoniam si circumcidamini Christus nihil vobis proderit*. Libet rem plãnius explicare, vt dignoscamus quantopere taxarit Paulus ab Ecclesiæ doctrina recedẽtes. Casus hic erat inter Galatas & Iudæos. Galatæ erãt Gentiles conuersi ad fidem Christi ab idololatria: hos nõnulli è Iudæis ad Christum conuersi commonuerant, vt Iudaismum vna cum Euangelio susciperent. Ea propter Apostolus illos acri cum obiurgatione reuocat ad primæuam fidem, docetque Christianos liberos esse à seruitute legis veteris, nec ei subijci posse, ostendens nos non iustificari ex operibus legis, sed ex fide Christi per varias rationes cap. 2. 3. & 4. suæ Epistolæ. Proindeque indignum esse, quod ad infirma & egena legis elementa reuertantur, & monens

Cap. 5. eos cap. 5. ad constantiam, dicit: *State & nolite iterum iugo seruitutis contineri*. Magistraliter inculcans fidem Christi illis alias nihil profuturam, in verbis: *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini Christus vobis nihil proderit*. Id est, si circumcisionẽ apprehenditis vt necessariam ad salutem, si spem iustitiæ & salutis in eã ponitis, Christus, idest, Christi redẽptio, fides, gratia, Baptismus, religio, scilicet Christianismus ipse, nihil vobis proderit.

Cuius rei ratio est, quod professiò Iudaismi, sit euersio Christianismi: nam Christiana religio docet Iudaismum abrogatum esse, nec aliam religionem admittendam, quam Christi. Hi ergo erãt Christiani, sed quia iuxta religionem Christianam volebant simul obseruare legem Moysis, pronunciat illos Apostolus à gratia excidisse, & modicum fermentum totam massam corrũmpere: quasi dicat, modicus, immò vnus error in fide, qualis est hic de seruandis legalibus, totam fidei substantiam, ipsamque religionem ac Christianismum euertit. Vel vt magis prçcisè & propriè Chrysostomus, & Theophilact. Modicum fermentum est circumcisio, quæ sola, si eam recipiatis, in perfectum Iudaismum vos traijciet, sicuti fermẽtum licet modicum totam massam ad se rapit, & in suum saporem & acorem trãsmutat. De Circumcisione enim egerat v. 2. 3. & 6. Et de ea dixit v. 2. Quod qui se circumcidit debitor est vniuersæ legis: Videntur enim Iudaizantes præcipue Galatis circumcisionem persuasisse, quasi rem modicam & leuem, sed tacuisse reliqua legis onera, quæ subibant circumcisi, & profitebantur. Atqui hæc fuit causa, quod idem mandauerit Galatis pro anathemizatis habere, si quis aliud doceret quam ab ipso accepissent, cap. 1. sic inquiens: *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam Christi, in alius Euangelium: quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Christi. Sed licet nos aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euãgelizauimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico, Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit*. In quæ posteriora verba Vinc. Lerinensis cap. 27. *Tremenda districtio* Gal. 1. Vinc. Lerin. c. 27.

propter afferendam prauæ fidei tenacitatem, nec sibi, nec cæteris Apostolis pepercisse: parum est, inquit, etiamsi de cælo Angelus euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Non suffecerat ad custodiam semel traditæ fidei humanæ conditionis commemorasse naturam, nisi Angelorum quoquè excellentiam comprehendisset: Licet nos, inquit, aut Angelus de cælo. Non quia sancti cælestesque Angeli peccare iam possint, sed hoc est quod dicit, Si etiam, inquit, fiat, quod non potest fieri, quisquis ille traditam semel fidem, mutare tentauerit, anathema sit. Prosequitur autem sequenti capite. *Sed hæc forte perfunctoriè locutus est, & humano potius effudit impetu, quam diuina ratione decreuit. Absit. Sequitur enim, & hoc ipsum ingenti molimine iteratæ insinuationis inculcat. Sicut prædiximus, inquit, & nunc iterum dico: Si quis vobis euangelizauerit, præterquam quod accepistis, anathema sit. Non dixit, Si quis vobis annunciauerit, præterquam quod accepistis, benedictus sit, laudetur, recipiatur, sed anathema sit, inquit, id est separatus, segregatus, exclusus, ne vnius ouis dictum contagium innoxium gregem Christi venenatâ permixtione contaminet.* Ita ille.

Idem c. 28.

Ex iam dictis sequitur multo minus licere aliquam doctrinam Ecclesiæ non credere, cum tam districtè vetuerit admittere Circumcisionem olim sanctam, & sub peccato mortali à Deo præceptam.

4. Probatur idipsum exemplo Sacerdotum & Leuitarum Ioan. 1. qui à Concilio Ierosolymitano missi ad Ioannem Baptistam noluerunt admittere Baptismum, quem ipse practicabat contra morem Ecclesiæ veteris Testamenti, nisi probaret ex scripturis se missum esse ad parandam Christo viam, per verba Isaiæ: *Ego vox clamantis in deserto, parate viã Domini.* Quin etiã exemplo D. Pauli qui noluit quemquam pertinacius defendere fæminas Christianas velandas non esse, cũ in templo orant, (sed pristinum Gentilium morem & nuditatem retinere debere) propter consuetudinem Ecclesiæ. Pro quo nota Paulum comam mulieri secundum naturam decentem sanxisse, & instar præcepti à Corinthijs seruari voluisse; contradicentem ex Ecclesiæ consuetudine esse conuincendum, in verbis: *Si quis autem videtur contensiosus esse* (id est verbis certans, & id agens, vt vincat, non vt veritas appareat) *nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei.* Id est, Si quis contensiose mecum agere velit, & diuersam opinionem pertinaciter defendere, illi ego oppono nostram & Ecclesiæ consuetudinẽ, quæ habet vt mulieres orent velato capite, viri non.

Ioan. 1.

Isaiæ.

Nota iterum Apostoli Pauli in docendo & persuadendo artificiũ, qui velut bonus orator optimum argumentum vltimo loco reseruauit. Quatuor enim rationes sunt, quare mulieres Christianæ velari deberẽt, dum publicè orant. Prima, quod honestas muliebris id exigeret; secunda, quod viris essent subditæ; tertia, quod nudo capite prodeuntes offenderent angelos; quarta, quod natura dedisset illis comã pro velamine. Et tum quintam addidit velut præcipuam petitam ab auctoritate, consuetudine, & traditione populi Dei.

5. Deniq; constat exemplo summorum Pontificum & SS. ac vetustissimorum Patrum, qui pro Hæreticis habuerunt sentientes contra Ecclesiæ dogmata, vt Arium, qui confitebatur in Alexandria Christum, & suo sensu tenebat symbolũ Apostolorum, & Filium Patri consubstantialem negabat; Macedonium, qui in Constantinopolitana Ecclesiâ Spiritum S. faciebat Filio minorem; Pelagium qui peccatum originale negabat, & hominem viribus naturæ gratiam Dei & salutem promereri posse dicebat; Donatum in Africa, qui Christi Ecclesiam vbique perijsse, præterquam in sua parte affirmabat; Nouatum, qui lapsis pœnitentiam negabat.

6. Quæres quid ex his inferam. Respondeo Lutheranos, Caluinistas, ac nominetenus Catholicos in suo sensu quoad res fidei abundan-

tes,

tes, non posse saluari; Idque quantum ad Lutheranos & Caluinistas, quia negant vnum articulum fidei, nempe hunc articulũ symboli, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*, dum dicũt illam à vera fide defecisse, quod tantundem est, ac si credant Christum falli potuisse, quãdo dixit portas inferi non præualituras contra Ecclesiam. Quodque neque implicitè seu in confuso credãt quod credit Ecclesia, sed quod illos placet; adeoque fidem non habeant supernaturalem, fundamentum salutis, de quo Paulus 1. ad Corinth. 3. sed humanam solam, qua credimus Romanorum historias imitantes Faustum Manichæum, cui dixit Augustinus lib. 17. contra eundem cap. 3. *Qui in Euangelio quod vultis, creditis, quod vultis non creditis, vobis potius quam Euangelio creditis*. Tertiò, quod non sint parati in particulari credere quidquid ab Ecclesia credendum proponitur, sed eam manifestè contemnant. Quartò, quod non in vno, sicut veteres Hæretici, sed in pluribus dissideant ab Apostolica doctrina, vt latius ostendam Discursu decimo septimo. Omitto quod sustineant mandata Dei esse impossibilia seruatu.

D. Ambro.

Augustin. libr. 17. cont. Faust. cap 3.

7. Quantum autem ad nominetenus Catholicos, quod vnum articulum non credens, non credat etiam alterum, ob Dei verbum aut maiestatem, quam in hoc contemnit. Vnde sicut D. Iacobus dicit de obseruatione mandatorum cap. 2. suæ Epistolæ. *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus*, ex illa ratione, *quod qui dixit*, vti addit, *non mœchaberis, dixit & non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.* Sic de fide est etiam argumentandum, Deus qui vnum articulum credendum reuelauit, reuelauit etiam cæteros: Itaque si quis vnum reijcit, non credit etiam alterum ob Dei verbum aut maiestatem, alioquin omnes crederet: sed ob suam sensualitatem eligit & reijcit quem vult. Vnde incredulus est, & necessario debet perire. Aurem, si placet, adhibe vetusto authori D. Cypriano. Is lib. 1. Ephes. 6. ad Magnum, sic loquitur: *Neque enim Dominus noster Iesus Christus, cum in suo Euangelio tractaretur aduersarios esse suos, eos qui secum non essent, aliquam speciem hæreseos designauit; sed omnes omnino Hæreticos, qui secum non essent, & secum non colligentes, gregem suum dispergerent, aduersarios suos esse dicens: Qui non est mecum, aduersum me est, & qui non colligit mecum, spargit. Item B. Apostolus Ioannes, nec ipse vllam hæresim aut schisma discreuit, sed vniuersos, qui de Ecclesia exijssent, Antichristos appellauit, dicens: Audistis, quia Antichristus venit, nunc autem Antichristi multi facti sunt: ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum*, 1. Ioan. 2. Vnde apparet aduersarios Domini Antichristos omnes esse, quos constat à charitate, atque veritate Ecclesiæ Catholicæ recessisse. D. vero August. lib. 15. Ciuit. cap. 51. *Qui in Ecclesia*, inquit, *morbidum aliquod prauumque sapiunt, si correpti, vt sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, Hæretici fiunt, & foras exeuntes habentur in inimicis.*

Iac c. 2.

Cypr. lib. 1. Epist 6 ad Magnum.

Aug l 15. Ciuit. c. 51

8. Cæterum notatu dignum est, argumentum D. Pauli citatum 1. ad Corinth. 11. ex consuetudine Ecclesię adhibendum esse ad reprimẽdos homines præfractos & contentiosos, nec non eos, qui rationum minus capaces sunt: & tunc necessariò adhibetur; quando de eo agitur, quod in scripturis non est expressum. Vnde D. August. in Epist. 86. quæ est ad Casulanum presbyterum. *In his*, inquit, *rebus de quibus nihil certi statuit scriptura diuina: mos populi Dei, vel instituta maiorum, pro lege tenenda sunt*. Sed & Hugo Victorinus ad hunc locum ita generaliter annotat: *Hic habemus authoritatem, quod consuetudines sanctæ Ecclesiæ tenẽdæ sunt: etsi rationem ignoremus, quare ab illa sic constitutæ sint. Deus enim suam Ecclesiã in his quæ ad ipsum pertinent, non permittit errare.* Indeque exemplo Pauli nobis Catholicis licere hoc pacto respondere nostris aduersarijs: vt

D. Aug. Epist. 86.

Hugo Victorin.

quoties

quoties bonis rationibus & argumẽtis, quibus Ecclesiæ doctrinam asserimus, non acquiescunt; absolute eis dicatur: Nos huiusmodi consuetudinem, quam vos impugnatis, vt orandi pro defunctis, inuocandi sanctos, venerandi sacras imagines &c. habemus ex antiqua, ecclesiastica, apostolica traditione acceptam. Quas proinde consuetudines vos imitari conuenit.

9. Sed dices, quomodo teneor credere, cum fides sit donum Dei. Respondeo in eo non esse difficultatem, quia, vt dixi, Deus hominem sufficienter illustrat, sed tota difficultas est ex parte hominis, quod fidei satis cognitæ non assentiatur, non obstante quod Deus voluntatem excitet sufficienter ad credendum. Causas inquiram sequenti Discursu.

Discursus V.

Super eadem verba:

Quibus de causis contingat hominem fidei Christianæ non assentiri.

IAcobus Apostolus cap. 2. dicit: *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Dixi pariter argumentandum esse de fide, & quia plurimi se excusant, quod fides sit donũ Dei, quodque illis huiusmodi donum nõ concedatur, quæram quod in argumento ponitur.

1. Ad huius rei intelligentiam præmitto, vt percipiantur à nobis fide mysteria supernaturalia præcedere debere diuinam reuelationẽ, quę per scripturas aut prædicatores à Deo missos nobis proponenda sit: dicit enim Christus Ioan. 15. *Si non venissem & locutus fuissem, peccatum non haberent.* Et Apostolus ad Rom. 10. *Quomodo credent in eum, quem non audierunt, quomodo audient sine prædicante?* Ideoq; Christus Marc. vltimo mandauit Apostolis, *prædicate Euangelium omni creaturæ.* Act. 8. misit Philippum vt prædicaret Eunucho. Act. 10. misit Petrum vt prædicaret Cornelio. Act. 17. misit Paulum vt prædicaret Macedonibus. Quia videlicet necessariò ordinariè est ad fidem prædicatio.

Ioan. 15. *Rom. 10.* *Marc. vlt.* *Act. 8.* *Act. 10.* *Act. 17.*

2. Secundo præmitto necessariã esse aliquam persuasionem, quæ doctrinam à Deo reuelatam, & nobis propositam credibilem faciat, siue per signa & prodigia, siue aliquã alia ratione. Sic Christus prædicans miracula fecit, & discipulos misit prædicare, adiungens; *Infirmos curate, mortuos suscitate.* Vt his signis credentiæ vnusquisque motiua haberet ad credendum sufficientia. Nihilominus videmus plurimos homines nullatenus fidem Catholicam recipere, aut si recipiant fidem in Christũ, non tamen omnes articulos fidei à Deo reuelatos, & ab Ecclesia Dei nobis propositos.

3. Quid causæ? An quod Deus donum fidei non concedat? nullatenus: Dicit enim Apostolus 1. ad Tim. 2. *Omnes homines vult saluos fieri & ad agnitionem veritatis peruenire.* Id est, sincerè cupit & ex animo omnes homines saluos fieri, dedit Christũ Redemptorem, & per eum gratiam, sacramenta, & alia omnia media ad salutem necessaria suppeditat, quãtum est ex parte sua, *illuminat enim omnẽ hominem venientem in hunc mundum.* Ad hæc mouet hominis voluntatem vt ipse homo excitatus diuina gratia fidem ex auditu concipiens liberè moueatur in Deum credere vera esse, quæ diuinitus reuelata sunt:

1. ad Tim. 2.

sunt: quia Deus voluit homines sua voluntate libere moueri ad assentiendum ijs, quæ vim intelligentiæ superant. Vnde est illud Augustini tract. 26. in Ioannem. *Intrare in Ecclesiam potest quisquam nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest Sacramentum nolens, credere non potest nisi volens.* Quodq; hoc ita sit, patet, quia præmium Deus adscribit credentibus, pœnam incredulis, Marc. 16. vbi dicitur: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Quibus verbis manifeste insinuat pendere à liberâ hominum voluntate assensum fidei, & consequenter vt saluentur vel condemnentur. Et Ioan. 20. c. laudat eos, qui non viderunt & crediderunt. Vnde Apostolus Paulus 2. Corinth. 10. docuit captiuandum esse intellectum in obsequium fidei, vbi Apostolus contra pseudoapostolos ipsum tanquam vilem & abiectum deprimentes, docet arma sua non esse carnalia, sed spiritualia, eaque potentissima, vt quasuis cogitationes, & rationes naturales intellectus, quantumuis artificiosas, quantumuis sublimes, Christi fidei subijcere potuerint, & subiecerint de facto, in illis, quia eam acceperunt, & in corda ac mentem receperunt.

August. Marc. 16. Ioan. 20. 2. Cor. 10.

Ex quibus clarum est, non aliunde prouenire, quod quis, facta sufficienti propositione fidei credat aut non credat, quam ex propria voluntate.

4. Sed forsitan quæres, an rationabilibus motiuis volũtas detrectet assentiri. Respondeo negatiuè, id enim experientia docet. Videmus enim aliquos à veritate conuictos ex superbia & obstinatione persistere in sua opinione. Sic Pharisæi Ioan. 12. cum multa signa vidissent, quibus persuadebãtur in Christum credere, vt Lazarum resuscitatum à mortuis, & vocem de cœlo dicentem de Christo: *Clarificaui & iterum clarificabo*, & speciale auxilium Dei sentirent, non crediderunt in eum. Vnde dicitur ibidem: *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non crediderunt in eum.* Et vt sciretur ex obstinatione factum, additur, *vt sermo Isaiæ impleretur quem dixit, Domine quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui reuelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde & conuertantur, & sanem eos.* Sic Matth. 15. incolæ Bethsaidę & Corozain ex simili causa non crediderunt. Vnde Christus dixit: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaidæ, quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Sic Bernardus dixit de quibusdam Hæreticis sui temporis. *Multa quidem & alia huic populo stulto & insipienti à spiritibus erroris in hypocrisi loquentibus mendaciũ mala persuasa sunt, sed non est respondere ad omnia. Quis enim omnia nouit? deinde labor infinitus esset, & minime necessarius. Nam quantum ad istos, nec rationibus conuincuntur, quia non intelligunt, nec authoritatibus corriguntur, quia non recipiunt; nec flectuntur suasionibus, quia subuersi sunt: Probatum est, mori magis eligunt, quam conuerti.* Sic hisce temporibus plurimi negant miracula in confirmatione fidei Catholicæ fieri solita, à Deo esse, imitantes Pharisæos, qui Christum dicebant in Belsebuth principe dæmoniorum eijcere dæmonia, Luc. 11. Adhæc libere effutiunt se potius Turcismum amplecti velle, quam suam sectam deserere, & Catholicæ fidei subscribere.

Ioan. 12. Bernard.

5. Alios videmus prætendere excusationes in peccatis, ideoque manere in errore, nempe quod fidem Catholicam facile amplecterentur: sed quod timeat offendere vel principem loci, vt in Germania; vel parentum, consanguineorũ, aut amicorum gratiam perdere, & amittere spem, aut certitudinem hæreditatis, quam ab illis exspectant. Alij quod religionẽ, quam parentes iam defuncti tenuerũt, nolint deserere, eo quod iuramento promiserint in eadem perseuerare. Verum hæc omnia

omnia coram Dei tribunali non excusabunt homines à peccato incredulitatis & hæreseos. Quod patet exemplo Pauli, quem non excusauit quod ex ignorantia falso persuasa *abundantius æmulator existens paternarum traditionum* persecutus sit Ecclesiam Dei, sed effecit, quod facilius Dei misericordiam consecutus sit, vt de se testatur 1. ad Tim. 1. *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Vtinam & illi misericordiam consequantur, qui ex quadam ignorantia falso persuasi sunt suam sectam veritati, & Euangelio consentaneam esse. Quales magno numero deprehenduntur in Belgio sub ditione hæreticorum, ex quo tanto studio ac ardore eam defendunt, vt videantur parati vitam potius, quam sectam deserere. Res mira, sed tamē diabolica: quia Diabolus hoc agit in cordibus hominū, vt tales etiam læti ad mortem vsque se patiantur duci, æternùm ab eo cruciandi: Et forsitan non mira, teste Bernardo sem. 66. in Cant. sic disserente: *Nonne*, inquit, *plus est sibimet hominem inijcere manus, quam id libenter ab alio sustinere? Hoc autem in multis potuisse Diabolum frequenter experti sumus, qui seipsos aut submerserunt, aut suspenderunt. Denique Iudas suspendit scipsum, diabolo sine dubio immittente. Ego tamen maius existimo, magisque admiror, quod potuit immisisse in cor eius vt traderet Dominum, quam vt semetipsum suspenderet.* Et tum subiungit, ex causâ diiudicandum esse, cur Martyres læti ad mortem properant, & cur prædicti, dicens: *Nihil ergo simile habent constantia martyrum, & pertinacia horum, quia mortis contemptum in illis pietas, in istis cordis duritia operatur.*

1.Tim.1.

Bernard. serm. 66 in Cant.

6. Sed dices non ex hisce causis semper contingere, quod quis fidei non assentiatur; sed quod Deus donum fidei non concedat: Dicit enim Apostolus 2. Thessal. 3. *Non omnium est fides.*

2.Thess.3.

Respondeo Apostolum nullatenus his verbis intendere, Deum nō omnibus impertiri donum fidei: contrarium enim expresse indicat, 1. Tim. 2. iā citato. Et 1. ad Corinth. 7. vers. 7. vbi dicit quod quisque pro suo statu bene gerendo proprium donum ex Deo habeat. Et clarius patet ex scopo Apostoli, vbi dumtaxat dat causam, cur aliqui sint importuni & mali, vt tunc temporis erant Iudaizātes, & similes, qui vbique concitabāt plebem contra Paulum & Apostolos: vt nunc Hæretici, quicandā concitant contra Pontificem & Clerum. Quia scilicet, non omnes habent fidem, aut non omnes credunt, sed multi audita etiam prædicatione fidei nolūt credere, voluntque persistere in sua infidelitate, ac consequenter in pristina sua malitia ac vitæ improbitate, quam mutare & corrigere non possunt, nisi fidem & gratiam Christi amplectantur. Sic rectè iam apud Indos dicitur: Non omnium, imo paucorum est fides, quia multi Indorum, idolis, polygamiæ, alijsque voluptatibus & vitijs addicti, nolunt fidem & Christi legem amplecti, ne idola, vxorum turbam, aliasque voluptates relinquere cogātur. Quod Paulus dixit de infidelibus hoc de hæreticis vere dici posset, qui, vt in malitia sua perseuerent, aliorumq; bona iniustè detineant, vt plurimū horrent Catholicam religionem. Et sic verè non habent donum fidei: quia non datur, sicut prophetia, donum linguarum, donum miraculorum, & alia, quæ vocantur gratiæ gratis datæ ad vtilitatem aliorum; sed vt prudentia, fortitudo, temperantia, cæteræque virtutes, ad quarum actum Deus sua gratia nos excitat; & vocat, vti ad actum fidei: ita tamen vt nobis liberum relinquat huic gratiæ assentiri, vel dissentiri, illā amplecti aut respuere, cum illa operari & credere, aut illam negligere, & nolle credere. Ita expresse Augustinus, qui lib. de spiritu & littera, cap. 13. docet, *Deum visorum suasionibus, alijsque modis intrinsecis, extrinsecisque, vbi nemo habeat in potestate, quid ei veniat in mentem, agere, vt credamus, & ipsum velle credere operari in nobis, sed consentire vocationi, vel ab ea dis-*

1.Tim.2.

August. lib. de spir. & lit. c. 13

ea dissentire, propria hominis voluntatis est.

7. Dices iterum videri Paulum coactum fuisse ad fidem, qui prostratus in terram, cũ subita lux illũ circumfulsisset de cœlo, audiuissetque vocem dicentem sibi: *Saule, Saule quid me persequeris?* Tremens ac stupens dixit: *Domine quid me vis facere?*

Respondeo nequaquam coactum fuisse, sed libera voluntate assentitum fuisse gratiæ Dei, teste Augustino, qui lib. de gratia Christi cap. 19. dicit voluntatem ipsius fuisse excitatam ad credendum, in verbis: *Voluntas desuper excitatur, vt credat: sicut Sauli, etiamsi tam auersus esset à fide, vt etiam credentes persequeretur.* Et ratio idipsum dictat, quia Deus relinquit hominem in manu consilij sui, & apposuit illi ignem & aquam vt manũ suam extenderet ad quod vellet, vt ait Sapiens Ecclesi. 15. vbi additur: *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* Et Paulus propter zelum suum elegisset potius mori, quam conuerti, nisi occurrente tali viso, etiam voluntate sua dono fidei fuisset assentitus, vt videre est in hæreticis, quorum præfracta mens nullis tormentis corrigitur ad fidem.

8 Ad hæc nota hæreticorum esse figmentum, quempiam efficaciter vocari à Deo sine humanæ voluntatis libera electione cum gratia Dei cooperante. Error etiam similis regnabat tempore Chrysostomi, vt patet ex hom. de ferendis reprehẽsionibus, vbi dicit: *Aggrediuntur itaque hic nos quidam, dicentes: Et quid mirum quod Paulus ad fidem peruenit, cum Deus vocem illam, quasi funem ceruici eius iniecerit, vique ipsum ad se duxerit? Attendite diligenter. Etenim sermo ille communis est Gentilibus, Iudæis & nostris, qui suæ incredulitatis operculum putant, si iustum accusent, nescientes quod duplex peccatum peccent, & quod errorem suum ipsi non deponant, & quod sanctũ Dei talibus culpis notare tentant.* Vnde immediatè post probat suâ bonâ voluntate Paulum voci Dei obediuisse. Non grauabor illud verbis eius adscribere. *Nos, inquit, eius nomine, per gratiam Dei, defensionem afferemus. Quæ igitur accusatio est? Vt & necessitate ipsum, inquit, attraxit Deus. Qualis illa vis & necessitas, dic ô homo? Vocauit eum supernè. Credis omnino quod vocauit eum supernè? Igitur & te hodie vocat per illam vocem, cur & tu non obedis? Vides non esse necessitatis negotium? Nam si necessitas quædã foret oportebat & te obedire: cum autem tu non obedis, manifestum quod ille voluntarius obediuit. Et vt discatis, quod multum quidem fecit ad Pauli salutem vocatio, sicut & aliorum omnium hominum facere solet, non tamen destituit eum à suis operibus, & suæ propria voluntatis laude, neque nocuit eius libero arbitrio: sed voluntarius aduenit ipse, atque sua bona voluntate. Faciam hoc & alio exemplo liquidum. Audiuerunt & Iudæi vocem supernè loquentem, non filij, sed Patris dicentis de Christo circa Iordanis fluenta: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Et dicunt ei: Hic est deceptor. Vides manifestam pugnam? Vides bellum apertum? Vides vbique bona voluntate opus, animaque malis affectionibus prius non infecta? Ecce & illic vox, & hic vox: sed hic obtemperat, illi autem contradicunt. Et non solum illic vox auditur, sed & spiritus in specie columbæ videtur. Nam postquam Ioannes baptizauit, baptisatusque est Christus, vt ne qui ad humanam naturam spectant, putent baptizantem baptizato maiorem, venit vox, qua hic ab illo discerneretur. Et quia adhuc incertum erat de quo diceret vox, id quod dicebat: venit & Spiritus sanctus in specie columbæ, vocem in caput Christi ducẽs, atque ita & per vocem prædicatus est, & per spiritum monstratus. Et ob hæc Ioannes quoque clamabat: Non sum dignus, vt soluam corrigiam calceamenti: & insuper plurima alia testimonia tam verborum, quam operum attestabantur: sed post hæc omnia Iudæi in cæcitate sua manserunt, imo viderunt omnia: sed neque dictis, neque factis crediderunt eo quod infecta eorum mens, quam præoccuparat insanus vanæ gloriæ amor. Vnde Euangelista dicit: Multi Iudæorum qui crediderunt in ipsum, propter Principes nõ confitebantur, ne è Synagoga eijcerentur. Et ipse Christus quoque dicebat: Quomodo vos potestis credere, qui gloriam à vobis inuicem*

Margin notes: Tim. 1. — August. — Ecclesi. 15. — Chrysost. — August. lib. de spir. & lit. c. 33 — Matth. 3. & 17. Ioan. 7. — Matth. 3. — Luc. 3. Ioan. 1. — Ioan. 12. — Ibid. cap. 5.

inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo proficiscitur, non quæritis? At Paulus non sic, sed vnica dumtaxat audita voce, cum adhuc nostros insectaretur, statim accurrit, statim obediuit, statim eximiam præ se tulit conuersionem. Et ne prolixitate sua cui molestus sit, antequā pergat gratiam auditorum sibi conciliat. *Quod si*, inquit, *non fatigamini dictorum prolixitate, dicemus aliud exemplum adhuc proximius. Etenim & filium audierunt, & sic audierunt vt Paulus audiuit, & neque sic crediderunt. Nam sicut Paulus audiuit vocem, cum adhuc fureret, & in discipulos sæuiret: ita Iudæi aliquando audierunt alicubi vocem, cum egrederentur cum facibus, & lampadibus ad comprehendendum eum. Putabant enim sese hominem purum adoriri. At ille volens docere eos virtutem suam & se Deū, eosque frustra contra stimulum calcitrare, dicit eis: Quem quæritis? Stabant ante & iuxta eum, & non videbant eum. Christus autem quærebat eos, & manuducebat, vt se inuenirent, ac discerent, quod non inuitus ad passionem iret, neq; superabilis esset, nisi sponte sua eis permitteret. Aut quo modo superarent, quem inuenire non potuerunt? Quid dico inuenire? neque præsentem videre valuerunt: & non solum nō valuerunt videre præsentem, sed & cum roganti responderent, nesciebant quisnam ille præsens, qui tam potenter oculos eorū excæcauerat, & voce sua eos prostrauerat. Nam vt dixit, Ego sum: voce ea perculsi, retrorsum abierunt, & ceciderunt omnes. Itaque vt Paulum vox prostrauit, & supinum iacere fecit: ita & illos vox omnes prostrauit: Et sicut Paulus non vidit eum, quem persequebatur: ita & illi non videbant, quem quærerent. Et sicut Paulus tempore quo furebat, excæcatus est; ita & illi tempore furoris sūt excæcati. Et sicut Paulus, dum iret vt comprehenderet discipulos, hæc passus est: ita & illi cum exirent vt comprehenderent Christum, talia passi sunt. Vtrobique vincula, vtrobique persecutio. Simile vtrobique virtutis Christi indicium, similiaque remedia, at non similis correctio. Aegri enim multum inter se distabant. Quid enim stupidius, quid reprobatius illis, qui retrorsum corruerunt, iterumq; surrexerunt, & iterum inuadunt? An nō lapidibus insensatiores erant? Et vt discāt, quod ipse, qui dixerat eis, Quē quæritis: ille sit qui prostrauerat eos, loquitur eis rursum: Cū iterū surgerent ac dicerent, Iesum: dicit eis: Dicebā vobis, quod ego sū, quasi diceret, Discite quod ego ille sum qui ante hæc dixit: Quem quæritis, & qui vos prostrauit. Verum neq; hoc dicto profecit aliquid sed illi in cæcitate sua manserūt. Hæc igitur omnia inter se confer diligenter, & disce quod Paulus non ex necessitate, sed anima syncera, bonaque voluntate ad fidem accessit.*

Ioan. 18.

Et denuo resumens argumentum: *Quin si non abitis & sustinetis, adferam & aliam demonstrationē, cui cōtradici nequeat, & certius probabo Paulū nō necessitate coactum ad fidē venisse. Venit post hæc Paulus in Salaminam Cypri ciuitatem, & inuenit illic magum quendam resistentem apud Proconsulem Sergium. Paulus autem impletus Spiritu sācto dixit ei: O plene omni dolo & omni versutia fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, nō desinis peruertere vias Domini rectas? Hæc persecutoris verba sunt. Glorificemur igitur vnum, quod conuersus est. Ante hoc audistis, quod deuastabat Ecclesiam, domosq; ingrediens, ac vi rapiens viros, & mulieres in carcerem tradebat: Videte, quomodo nunc pro prædicatione libere loquitur. Non cessat, ait, peruertere vias Domini rectas? Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, & vsq; ad tempus non videns. Remedium quo sibi visus redditus est, adhibuit & mago, qui tamē in cæcitate permansit. Vt discas quod non sola vocatio Paulum adduxerit, sed & voluntas eius. Nam si sola cæcitas hoc effecisset, oportebat eam & in mago efficacem esse: sed nihil effecit, & ille quidem remansit cæcus, Proconsul autem factum videns, credidit: accepitq; alius remedium, alius autem curatus est. Videte quantum bonum sit, bene velle: & quantum malum, discredere, & corde obdurari. Excæcatur magus, nullamque vtilitatem accipit: incredulus enim erat, & interim Proconsul Christum agnoscit. At satis demonstratum fuerit Paulum voluntariè venisse ad Christum.* Act. 13.

His sic dictis dirigit sermonē suū magnus ille Doctor ad auditores suos, dicēs: *Vellē autē vos sermonē hunc diligēter memoria tenere. Deus enim nolētes nō cogit, sed volētes trahit. Et propterea dicit:*

dicit: Nemo ad me veniet nisi pater meus traxerit eum. Qui autem traxit volentem, trahit humique iacentem, ac manum porrigentem. Et vt discas quod nullum cogit: nam si ipse vult, nos autem non volumus, ad nostram salutem nihil proficiunt, ea quæ alioquin efficacia sunt: non quia infirmata sit eius voluntas, sed quia cogere neminem vult. Necessario hunc sermonem attulimus: videmus enim complures ad defensionem suæ ignauiæ, prætextu tali vti, & si quando eos adhortamur, vt illuminentur, & ad meliorem vitam conuertantur, atque ad alia id genus bona opera, respondere, quasi cunctabundos & resilientes: Si Deus volet persuadebit mihi, & conuertar. Quos non arguo, sed valde probo, quod ad voluntatem Dei confugiunt. Vellem autem nos etiam nostra afferre, & tunc dicere: Si Deus voluerit. Nam si teipsum somno, desidiaque tradideris, neutiquam in manus tuas obuenient bona opera: & alioqui si solam voluntatem Dei prætexas, nihil eorum, quibus opus habes, adipisceris vnquam. Hoc igitur est quod dixi, nullum vnquam vi & necessitate à Deo adigi. Ipse quidem vult omnes saluos fieri: at non omnium voluntas eius voluntati obsequitur, neque ab eo aliquis cogitur. Vnde & ad Hierusalem sic dicit: Hierusalem, Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos, & noluisti? Quid ergo? Ecce relinquetur domus vestra deserta. Vides quod Dominus saluare nos vult: nos autem, quia non ei adiungimus, manemus in interitu. Deus enim paratus est ad saluandum hominem, non inuoluntarium, neque non volentem, id quod sæpe dico: sed voluntarium, & hoc eligentem. Homines quidem volentibus nolentibusq; seruis volunt & esse & dominari: dominanturque non in seruorum, sed suam vtilitatem expectantes. Deus autem nullius indigens, declarare tibi vult, quod nullius nostri indigens, seruitutem nostram desiderat, ad id solum spectans, quo modo nobis prosit, & quomodo non suæ, sed nostræ vtilitatis gratia operetur omnia.

Ioan. 6. — 1. Tim. 2. — Luc. 13. — Ibidem.

Discursus VI.

In idem Præceptum: *Ego sum Dominus &c:*

An etiam integra fides sine operibus sufficiat ad salutem?

D. August.



D. Auguſt. ſerm. 16. de verbis Apoſtoli dicit: *A fide incipit homo, sed quia & dæmones credunt, necesse est addere spem & charitatem*. Et iterum: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Sed contra Nouantes volunt ſolam fidem iuſtificare, & deducere ad ſalutem. Sed meum eſt inquirere an hoc veritate nitatur.

1. Ad hoc intelligendum repetendum eſt, fidem eſſe fundamentum ſalutis: Sic enim nominat eam B. Paulus, 1. ad Corinth. 3. verſ. 10. dicens: *Secundum gratiam, quæ data est mihi, vt architectus sapiens fundamentum posui*. Et paulo poſt: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus*, id eſt, fides in Chriſtum Saluatorem. Illud autem non vacuum manere, ſed ſuper eo eſſe ædificandum indicat ibidem Apoſtolus, dum dicit: *Alius autem superædificat, vnusquisq; autē videat quomodo superædificet*. Et addit: ei qui aurum, argentum, lapides prætioſos ſuperædificat, id eſt, bona opera, mercedem manere. (1. Cor. 3.)

2. Porro, id non ſolum congrue faciendum, ſed etiam neceſſario hominibus rationis vſũ habentibus, & adultis, qui tamdiu poſt adeptam remiſſionis gratiam, ſuperueniunt, donec occaſio adimplendæ legis occurrat; Probatur primo ex verbis Pauli Galat. 5. *In Christo Iesu neque* (Galat. 5.)

circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur, idest, nec lex Mosaica, nec Gentilitas, quæ legem naturalem exequitur, sed fides Christi quę &c. Et 1. Cor. 13. vbi dicit: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Quod idem Ioannes confirmat 1. epist. cap. 3. & 4. vbi fusissime docet nos per charitatem Deo placere, & ex Deo nasçi, atque ipsius filios esse, & omnes qui non habent charitatem, qua Deum ament, manere in morte, & esse alienos à Deo.

1. Cor. 13.

1. Ioan. 3.

Probatur secūdò ex verbis Christi Matth. 5. cap. vbi dicit: nisi abundauerit iustitia vestra, plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Et Matth. 19. vbi adolescenti interroganti, *Quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* respondit: *Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus Deus. Si vis autem ad vitam ingredi, serua mandata.* Et Matth. 7. expresse declarantis nō intraturos regnum cœlorum, nisi qui voluntatem fecerint patris sui, in verbis: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit volūtatem patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo multas virtutes fecimus? Et tunc confitebor illis. Quia nūquam noui vos. Discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Itaque dicuntur excludēdi à regno cœlorum ob defectum bonorum operum, licet fidem habuisse ex ijsdem verbis satis colligatur Deinde Christus volens hoc ad viuum repræsentare, tam in particulari quam in generali Matt. 22. parabolam proponit, qua docet eijciendos Iudæos, gentes admittēdas ad fidem, sed iuxta fidem nuptiali veste non indutum, id est, charitate, & bonis operibus, ligatis manibus, & pedibus mittendum in tenebras exteriores. Et Matth. 25. statuit duos ordines, vnum eorum qui opera misericordiæ fecerunt, quando potuerunt, aut debuerunt; alterum eorum, quia ea non fecerunt, quando potuerunt aut debuerunt. Illis mittit in regnum cœlorum, dicens: *Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi mādúcare; sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me.* Hos vero in ignem æternum dicens: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me.*

Matth. 5.

Matth. 19.

Matth. 7.

Matth. 22.

Matth. 25.

3. At dices, Abraham sola fide iustificatus videtur: Nam Genes. cap. 15. dicitur: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Genes. 15.

Respondeo duplicem esse iustificationem. Primam, qua quis ex impio fit iustus; alteram, qua quis ex iusto fit iustior, iuxta illud, *qui iustus est, iustificetur adhuc.* De prima iustificatione Scriptura hic non agit. Nam Abraham fuit multo ante iustificatus, vt ex varijs argumentis colligitur. Primo, ex eo quod Iacobus dicit, fidem Abrahæ cooperatam esse operibus ad eum iustificandum. Neque enim fides cooperatur operibus ad iustitiæ declarationem. Nam neque aduersarij hoc dicunt, fidem iustificare per modum declarationis, neque id ratio fidei patitur.

Secūdo, probatur ex eo quod Iacobus adiungit, hominem iustificari ex operibus, & non ex fide tantum. Vbi non potest iustificatio sumi pro declaratione, eadem de causa, quia videlicet fides non iustificat declarando, sed vel disponendo ad iustitiam, & inchoando iustitiam formalem secundum Catholicos, vel apprehendendo iustitiam Christi secundum hæreticos.

Tertio, ex eo, quod additur fidem Abrahæ ex operibus consummatum esse. Id enim nō potest aliud significare, nisi iustitiā inchoatā per fidem accepisse

accepisse incrementum, & perfe-ctionẽ per opera. Ergo de secunda, quę eximia fides per dilectionẽ operans, & filium sacrificare parata illũ iustiorem reddidit apud Deum. Vnde sic Iacob. cap. 2. *Abraham pater noster, nonne ex operibus iustificatus est, offerens filium suum super altare?* Atque adeo illud Abrahæ elogium clare probat non solum fidem cultũ exhibere Deo, sed etiam opera cum glorificare.

Iacob. 2.

Quod ipsum manifestius adhuc Matth. 5. declaratur in verbis: *Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.* Et Ioan. 21. Vbi Petro dicitur, quod morte sua glorificaturus esset Deum. Verum etiam ita necessarium fuit Abrahæ Deo iubenti filium Isaac sacrificare, & obedire vt fides alioquin illi non profuisset. Nã ex eo dicit Dominus, quod cognouerit Abraham timuisse, idest, dilexisse Deum, Genes. 22.

Matth. 5.
Ioan. 21.

Et certe, si Saulem tantum respicias, videbis fidem non profuisse, sine obedientia, cum Dominus ideo reiecerit Saulem, & per Samuelem declararit meliorem esse obedientiam, quam victimam, & quasi peccatum ariolandi esse repugnare, & quasi scelus idololatriæ non acquiescere.

1. Reg. 15.

4. Sed forte obijcies, Christum Dominum, quando egit de prima iustificatione, & remissione peccatorum solius fidei mentionem fecisse, vt Luc. 7. *Fides tua te saluam fecit.* Et Ioann. 1. cap. *Dedit potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in eum.* Et ibidem, 3. cap. *Qui credit in filium habet vitam æternam.* Imo Apostolum dicere Rom. 3. v. 28. *Arbitramur iustificari per fidem sine operibus legis, ex operibus,* Et Ephes. 2. v. 5. *Saluati estis per fidem non ex operibus* quibus videtur excludere bona opera.

Luc. 7.
Ioan. 1.
Ioan. 3.
Rom. 3.

Respódeo, Primo ex verbis Christi locis citatis non colligi, quod sola fides iustificet, sed esse viam ad iustificationem. Nã Scriptura Hebræâ phrasi sæpe initium siue viam, quâ ad finem aliquem tenditur, vocat nomine ipsius finis. Sic in Euangelio sæpissime præsens Ecclesiæ status dicitur regnũ cœlorum, quia est quædã inchoatio, & via ad regnum cœlorũ. Et Ioan. 17. v. 3. Cognitio siue fides veri Dei ac Christi dicitur vita æterna; quia est via ad vitam æternam. Et simili ratione fides dicitur iustificare, quia est via ad iustificationem, eiusque initium, siue inchoata quædam iustificatio. Sic intelligenda sunt loca Luc. 7. Ioan. 1. & 3. mox obiecta. Item quia fides est initiũ & radix spei, & charitatis, ideo sæpe in scriptura accipitur, prout complectitur spem & charitatem. Hinc S. Ioan. ep. 1. cum cap. 3. & 4. fuse docuisset nos per charitatem ex Deo nasci, eiusque filios constitui, & sine ea manere in morte, cap. 5. ait: *Omnis qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est.* Et deinde pluribus pergit commendare modo charitatem, modo fidẽ, ostendens se loqui de his, prout simul coniunguntur. Nam fides sine charitate nihil prodest.

Ioan. 17.
Luc. 7.
Ioan. 1. & 3.
1. Ioan. 3. & 4.
Ibid. cap. 5.

Hoc verum esse cõfirmatur, quia sicut Scriptura aliquando meminit solius fidei, ita aliquando meminit solius spei, aut timoris, aut dilectionis, aut pœnitentiæ, & illis tribuit vim iustificandi, æque ac fidei, vt Prouerb. 28. *Qui sperat in Domino sanabitur.* Et Rom. 8. *Spe salui facti sumus.* Eccles. cap. 1. *Qui sine timore est, non poterit iustificari.* Et iterum: *Timor Domini expellit peccatum.* Luc. 7. *Remittũtur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* 1. Ioan. 3. *Qui non diligit manet in morte.* Denique Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum.* Et Act. 3. v. 19. *Pœnitemini igitur & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.*

Prouer. 28.
Rom. 8.
Eccles. 1.
Luc. 7.
1. Ioan. 3.
Act. 2.
Act. 3.

Ex quibus manifeste colligitur, quod Scriptura non minus requirat actum spei, timoris, charitatis, pœnitentiæ ab eo, qui vult iustificari, quam actũ fidei: atque adeo hominem impium non posse iustificari, id est iustitiam inhærentem, & remissionem peccatorum consequi,

nisi per præuias dispositiones, quæ sunt actus fidei, timoris, spei, contritionis, dilectionis. Non quod huiusmodi actus coram Deo mereantur remissionem peccatorum,& iustitiæ infusionem, in quibus iustificatio consistit; sic etiam non iustificaremur gratis: sed quod Deus decreuerit nõ remittere peccata, nec infundere gratiam iustificantẽ, nisi homo per huiusmodi actus supernaturales sit dispositus, & præparatus.

5. At quid dicemus ad loca Pauli?

Respondeo, quantum ad illa loca, duplicia sunt opera: Alia præcedunt fidem; alia sequuntur. Priora excludit Apostolus, non posteriora. Cum ergo actus spei, timoris, dilectionis, & pœnitentiæ sequantur fidem,& in fide fundati sint, certum est non excludi.

Quæres, vnde constat, hunc esse mentem Apostoli?

6. Respondeo, inde constat,quia vult ostẽdere,nec Iudæos, ex nuda obseruatione legis Mosaicæ, nec Gentiles propter bona opera ante Christi fidem susceptam facta iustitiam à Deo consequi potuisse, aut consecutos esse, sed ex fide in Christum: fidem esse initium salutis & iustificationis, nec dari ex operibus præcedentibus, sed esse donũ Dei. De quo latè D. August. lib. 1. de prędest. sanctor. cap. 7. & in præfat. Psal. 31. & alibi. D. August.

7. Porro restat alius scrupulus ex eodem Apostolo in verbis Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Quibus insinuat hominẽ iustificari gratis, ac proinde videri dicere sola fide sine omnibus alijs operibus hominem iustificari. Rom. 3.

Respondeo iustificationem dici gratuitam, non quia fit sola fide, sed propter alias tres causas. Primo, quia nec Iudæi, nec Gentiles merẽtur illam per opera, fidem præcedẽtia, vt iam explicatum est. Secũdo, quia quicquid conducit ad iustificationem, gratuitum Dei donũ est. Caluinus vult solam fidem conducere, nos etiam spem,& charitatem. Sed si fides non obstat, quominus gratuita maneat iustificatio; certe nec spes, nec charitas obstare possunt. Nam sicut fides est gratuitum Dei donum; ita etiam spes & charitas. Tertio, quia posito actu fidei, spei, & charitatis, adhuc ex mera Dei liberalitate sequitur infusio gratiæ,& peccatorum remissio. Licet enim aliqui putent, fidem de cõgruo mereri iustificationem; omnes tamen sentiunt, non mereri de condigno. ac proinde iustificationem esse gratuitam.

8. Vt res clarius intelligatur considerandum est, Apostolum in ep. ad Rom. & Galat. maxime laborare, vt duos errores refutet. Prior erat, quo sibi persuadebant propter obseruationem legis veteris deberi singularem Dei fauorẽ, & gratiã, qua in peculiarem Dei populum à Christo eligerentur, seque suis operibus meritos, vt Deus eos à peccatis, alijsque miserijs per Christum liberaret, vt Apostolus ad Roman. prioribus capitibus insinuat.

Secundus erat, quo putabãt etiã cõuersis ad fidem Christi necessariã esse obseruantiam legis veteris, vt pat. Act. 15. v. 1. & 5. & ca. 21. v. 20. & 21. Item ex ep. ad Galat. Igitur vt Apostolus hos errores refutet in epist. ad Rom. & ad Galat. sæpe docet & multis probat, nulla opera sine fide Christi, posse prodesse ad salutem, eosque nullis eiusmodi operibus potuisse mereri gratiam, qua ad fidem vocarẽtur, & à peccatis liberarentur, sed Deũ hãc nobis gratis, sine meritis nostris concedere. Item docet legem per se inutilem esse, & non posse conferre vires, quibus ipsam impleamus; sed has nobis à Deo gratis cõferri propter merita Christi. Tertio docet, veteris legis vim & obligationem durasse solum vsq; ad Christum; iam vero adueniente lege gratiæ omnino desijsse obligare vt patet ex c. ad Rom. 7. initio, & tota epist. ad Galat. præsertim cap. 4. initio. Ex quibus patet, dũ fidem opponit operibus, & dicit eam sine his iustificare, ipsum loqui de operibus

Act. 15. & 21.

Rom. 7.

Galat. 4.

ribus veteris legis, aut alijs sine gratia, & fide Christi factis. Hinc ad
Rom. 11. Rom. 11. docet reliquias Israël, ex electione gratiæ saluas factas esse, additque: *Si autem ex gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia nō est gratia.* Et
Philip. 3. ad Philip. 3. cū enumerasset qua ratione ipse octauo die circumcisus, & secūdum legem enutritus in eius studio & æmulatione profecisset supra alios, subiūgit se hæc omnia post conuersionem vt stercora contempsisse, *vt*, inquit, *Christum lucrifaciam, & inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est* (quam scilicet prius ex æmulatione legis sine fide, imo contra fidem Christi mihi videbar comparasse) *sed illam quæ ex fide Iesu Christi est.*

9. Apage ergo Hæreticis, maneat opera bona necessaria esse ad salutem vtque id firmius inhæreat, attende ad verba Christi dicentis, iustitiam semel acquisitam bonis o-
Matth. 7. peribus conseruari, Matth. 7. cap. antea citato. Sed apertius Ioan.
Ioan. 15. 15. in verbis: *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* & vers. 14. ibid. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Attende, inquam, ad verba Petri ostendentis vocationem, & electionem Christianorum certam fieri per bona opera, ideoque hortari: *Satagite, & per bona opera certam vocationem, & electionem vestram faciatis.*

Attēde tertio, Christum in para-
Matth. 25. bola de denario diurno Matth. 25. cap. daturum mercedem ijs, qui in vinea operati fuerint. Et Paulum 1.
1. Cor. 3. Cor. 3. inculcantem; quid bona opera superædificans fidei mercedem accipiet, & praua opera superædificans dispergetur à Deo. Quod con-
Matth. 7. firmatur à Christo Matth. 7. hæc verba proferente: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Itaque omni nationi fidem nō profuturam sine operibus, neque opera sine fide. vti pulchrè philosophatur D. Petrus Chrysolo- D. Petrus Chrysolog.
gus dum serm. 119. super verba Apostoli: *Nescitis quod hi, qui currunt in stadio; omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium?* ait: *Currunt Iudæi per legem: currunt Philosophi per inanem sapientiam; currunt & Hæretici per falsam annuntiationem, currunt Catholici per veram fidei prædicationem; sed de his omnibus vnus coronam accipit, id est, populus Catholicus, qui recepto fidei cursu tendit ad Christum, vt ad palmam immortalitatis, coronamque perueniat. Quapropter, & Iudæi, & Philosophi, & Hæretici in vacuum currunt, quia non recto fidei tramite gradiuntur. Quid enim prodest Iudæis currere per obseruationem legis, qui Christum Dominum legis ignorant? Currunt, & Philosophi per inanem sapientiam sæculi, sed & superfluus, & vacuus cursus ipsorum est, qui veram Christi sapientiam nesciunt. Vera enim sapientia Dei Christus est. quæ non ornatur verbis, nec luculenta oratione, sed fide cordis agnoscitur. Currunt & Hæretici per venenatam fidei suæ assertionem, currunt per ieiunia, currunt per eleemosynam, sed præuenire ad coronam nequeunt: quia non currunt: falsa enim fides eorum, veræ fidei gratiam accipere non meretur. Manifestat hoc Apostolus alio cum dicit: Et si distribuero omnem substantiam meam pauperibus; etsi tradidero corpus meum igni vt ardeat, charitatem autē non habuero, nihil mihi prodest. Non enim habet charitatem Christi, qui Christo fæliciter non seruit. Et ideo bene addidit Apostolus: Sic currite vt comprehendatis. Currere ergo debemus fideli cursu in fide Christi, in mandatis Dei, in operibus iustitiæ, vt ad coronam æternæ vitæ peruenire possimus.* Hęc Chrysologus.

Discursus VII.

In eadem verba:

De extremo fidei actu, & primum, an liceat aliquando negare fidem, aut verbis ambiguis dissimulare?

1. Tim. 1.  D. Paulus 1. ad Timoth. 1. dicit finem præcepti esse charitatem de corde puro & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ. Vnde quæram an liceat aliquando negare fidem, aut verbis ambiguis dissimulare?

1. Hac in re constat varios olim fuisse errores, & primum Gnostici sentiebant Christum cum detrimẽto vitæ id non exigere, quod colligitur ex Tertulliani verbis in Scorpiaco cap. 1. vbi eos effutire solitos indicat. *Semel Christus pro nobis obijt, semel occisus est, ne occideremur. Si vicem repetit, num & ille salutem de mea nec exspectat? An Deus hominum sanguinem flagitet? Maximè si taurorum & hircorum recusat.* (Tertul. ex Scorp. c. 1.)

Similis fuit error Helcesaitarum, & Priscillianistarum. De illis prodit Eusebius lib. 6. hist. c. 25. ex Origine. De his D. August. lib. cont. mendacium cap. 2. his verbis: *Dicunt*, inquit, *in corde retinendum esse, quod verum, ore vero ad alienos proferre falsum, nullum esse peccatum, & hoc esse scriptũ, qui loquitur veritatem in corde suo tanquam hoc satis sit ad iustitiam, etiamsi quisquam in ore suo loquatur mendacium, quando non proximus, sed alienus hoc audit.* (Euseb. lib. 6. hist. c. 25. August. l. cont. mend. c. 2.)

De quibusdam sui temporis narrat id etiam Bernardus serm. 65. in Cantica, quod docerent periurio quoq; licere secreta religionis apud alienos occultare. Laxiores nimis in re tanti momenti sunt Athei, seu Libertini, qui etiam fidem postponi volunt, dum bona fortunæ periclitantur. (Bernard. serm. 65. in Cant.)

2. Porro contra eosdem plusquã certum est, licet confessionis præceptum sit affirmatiuum, includere tamen negatiuum, de nunquam fide neganda, atque adeo grauissimum esse peccatum, etiam ad euitandam mortem verbis fidem negare, aut contrarium profiteri, quamuis animo fidem retineas. Ait enim Dominus Matth. 10. *Qui me negauerit coram hominibus, neg abo & eum corã patre meo, qui in cælis est.* Et clarius Luc. 9. *Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in Maiestate sua, & patris & angelorum.* Super quæ verba Author operis imperfecti, hom. 24. *Non dicit*, inquit, *qui me confessus fuerit in corde suo, sed in præcedentibus apud Matthæum verbis, coram hominibus. Quoniam qui coram hominibus non confitetur, non prodest ei aliquid, quod in corde credit in Christum; quia qui ore denegat, non potest fieri, vt in corde credat. Radix enim confessionis fides est cordis; confessio autem fructus est fidei. Sicut ergo quamdiu radix est viua, necesse est, vt aut ramos producat, aut folia, si autem non produxerit, sine dubio intelligis, quod radix eius in terra siccata sit. Sic quamdiu fides cordis integra est, semper germinat confessionem in ore; si autem confessio non fuerit oris, intellige sine dubio, quia fides iam antea siccata est in corde*, probans hæc verbis Apostoli Roman. 10. præallegatis, & tribus rationibus sequentibus taliter dispositum conuincit: quarum prima est: *Si sufficit tibi corde credere, etiam hypocritæ sufficiet solo ore confiteri, ponetur ergo pars tua cum hypocritis nisi corde simul & ore confitearis.* Altera: *Si sufficiat tibi quod Christum cognoscas, & interim eum palam confiteri nolis, sufficiat etiam tibi, quod ipse te ita cognoscat, vt tamen coram Angelis, & hominibus te nolit pro suo* (Matth. 10. Luc. 9. Auth. operis imperf. hom. 24. Rom. 10.)

suo agnoscere. Vltima: *Si sufficeret tibi fides cordis, cor tibi tantummodo Deus creasset, nunc autē & os tibi creauit.* Fusi sunt in huius rei dilatatione veteres Patres Tertul. in lib. de fuga in Persecut. & lib. de corona militis. Cyprianus libro de Exort. Martyrij. Augustin. lib. 8. Confessionum, & alij quos prætermitto.

Tertul. lib. de fuga in Persecut. & lib. de corona militis. Cypr. lib. de Exort. Mart. Aug. lib. 8. Confess.

3. Adhæc magnopere notandum est non solum eum peccare mortaliter, qui ob metum mortis, aliamue caussam, aut fidem simpliciter, aut aliquem eius articulum negat, sed etiam, qui negat se esse Christianū, aut Catholicum, aut etiā Papistam apud nostros Hæreticos, qui per Papistas intelligunt Catholicos siue Romano Pontifici communicantes, eumq; caput Ecclesiæ agnoscentes. Item qui negat se scire an fides Catholica sit vera aut necessaria ad salutem. Ita communiter omnes Catholici. Patet clarè ex facto S. Petri, qui solū negauit se Christum nosse, seu se esse eius discipulum; & tamen grauissime peccauit, & dicitur ter negasse Christum. Cuius trinam negationem refert Euangelista his verbis: *Petrus vero sedebat foris in atrio: & accessit ad eum vna ancilla, dicens: Et tu cum* IESV *Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus, dicens: nescio quid dicis. Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi. Et hic erat cum* IESV *Nazareno. Et iterum negauit cum iuramento: quia non noui hominem. Et post pusillum accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: verè & tu ex illis es: nam & loquela tua manifestum te facit. Tunc cœpit detestari & iurare, quia non nouisset hominem. Et continuo gallus cantauit. Et recordatus est Petrus verbi* IESV *quod dixerat: Priusquam gallus cantet, ter me negabis.* Et ratio est, quia supradicta negans, implicite negat se credere fidem Christi, aut Catholicam esse veram, ac ad salutem necessariam, & consequēter indicat eā aut esse falsam, aut non esse necessariam ad salutē, aut saltem non esse certo veram, ac necessariam: atque ita implicite negat fidem.

Matth. 26.

4. Quod tamen ita limitandum censent Authores, vt casus excipiatur, quo gens aliqua bellum gereret cum Christianis, aut eos aliàs grauissime odisset, non caussa fidei, sed ob caussas aliquas ciuiles, vt v. g. quia grauibus damnis ab eis esset affecta, atque ita per Christianum, aut Catholicum non intelligeret cultorem talis fidei, quam ipsa non curat; sed hominem talis nationis, à qua iniuria affecta est. Excipi posse iudicant, quia talis tantum negat se esse talis nationis. Idē esset quando Princeps aliquis, aut Respub. Catholica ob res mere ciuiles bellum gereret cum Pontifice, & omnes in casu illius belli adhærentes Papæ, vocaret Papistas, non ratione fidei, aut subiectionis in spiritualibus, sed ratione adhæsionis in hoc bello. tunc enim incidens in milites hostes Papæ sine periculo fidei, potest negare se esse Papistam. Vide Sanch. in Præcepta l. 2. c. 4. n. 8.

Sanch. in Precepta l. 2. cap. 4. nu. 8.

5. Verum restat alia difficultas, vtrum possit quis interrogatus de fide verbis ambiguis, quæ possunt alium sensum verum habere, aut cum restrictione mentali negare se esse Christianum, aut dicere se esse Mahometanum, Caluinistam &c. Videtur enim id licite fieri.

Primò, quia 4. Reg. 10. Iehu vt deciperet Sacerdotes Baal, dixit se velle colere Baal, plusquam Achab fecerat, & tamen ibidem paulo infra laudatur, quod studiose egerit, quod rectum erat in conspectu Domini.

Secundò, quia talis vere non negat fidem, sed solum alijs ex imprudentia videtur negare fidem. Et etiam in alijs rebus commode vtentes restrictione mentali à DD. excusantur à mendacio. Atque in theatris agens personam Apostatæ licitè simulat se negare fidem.

6. Verum dico nullo modo licere, aut cum restrictione mentali, aut verbis ambiguis, etiam quoad apparentiam solum externam negare fidem, aut hæresim asserere, ita vt præsentes apprehendant te vere & serio

Valen. 2. 2. disp. 1. q. 3. punct. 2. dub. 4. Sanch. l. 1. de praecept. c. 4 n 14. Pesant. 2. 2. q. 3 a. 2. disput. 1. conc. 2. Matth. 10. & Luc. 9.

serio ea facere. Ita Valētia 2. 2. disp. 1. quæst. 3. punct. 2. dub. 4. Sanchez lib. 1. de Præcept. cap. 4. n. 14. Pesant. 2. 2. quæst. 3. art. 2. disput. 1. conc. 2. vbi dicit esse communem. Et ratio est, quod ita vere coram hominibus negaret fidem, licet non coram Deo, quos tamen Matth. 10. & Luc. 9. Christus docet confundendos esse corā Angelis Dei. Hinc olim Libellatici (ita dicti, quia vt sine vera fidei abnegatione, euitarēt pericula vitæ & fortunarum, clam data Præsidi pecunia, accipiebant ab eo libellum, quo ipse testabatur eos immolasse idolis) grauissime semper à Patribus, totaque Ecclesia accusati sunt, eo solo nomine quod voluissent alijs videri sacrificasse. Ex quo patet semper in Ecclesia fuisse existimatum graue crimen facere aliquid, quo videaris alijs fidem negasse.

Aurem si placet adhibe graui authori Cypriano: *Sententiam nostram dilucida expositione protulimus aduersus eos, qui seipsos infideles illicita nefariorum libellorum professione prodiderant, quasi euasuri irretientes illos Diaboli laqueos viderētur, quo non minus, quam si ad nefarias aras accessissent hoc ipso, quod ipsi contestati fuerant, tenerentur: sed etiam aduersus illos, qui acta fecissent, licet præsentes, cum fierent, non affuissent; cum præsentiam suam vtique vt sic scriberentur, mandando fecissent &c.*

Ista autem causantur ex affectu vitæ & fortunarum, vnde eum esse occasionem ruinę scribit idem Cyprianus lib. de lapsis, sic dicens: *Dissimulanda, fratres, veritas non est, nec vulneris nostri materia & causa reticenda. Decepit multos patrocinij sui amor cæcus: nec ad recedendum parati aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ, velut compedes, ligauerunt: illa fuerunt remanentibus vincula, illa catenæ quibus & virtus retardata est, & fides pressa, & mens vincta, & anima præclusa, vt serpenti terram secandum Dei sententiam, deuoranti præda & cibus fierent, qui terrestribus cupiditatibus inhærerent.*

7. At re sic constituta, quid dicemus de Iehu, cuius simulationem supra commemorauimus? Respondeo Iehu grauiter in eo peccasse, sicut etiam in eo, quod non recesserit à peccatis Ieroboam, vt ibidem dicitur. Nec scriptura laudat totum ipsius factum, sed solum quod studiose egerit, siue perfecerit id quod Dominus ei præceperat, delendo nimirum totam domum Achab & falsos Prophetas Baal: Nam alias Scriptura etiam laudasset non solum quod simularit se velle colere Baal, sed etiam quod iusserit, vt sacerdotes ipsius offerrent ei holocaustum; quod etsi bono fine fecerit, tamen cum sciret eos id serio, & cum vera idololatria facturos, patet hoc fuisse absolute illicitum, nec potuisse à Scriptura laudari. Quare factum Iehu nullo modo excusari potest nisi forte ignorantia, qua omnino putabat hæc ob finem bonum licere; quæ in viro militari, & parū in rebus diuinis instructo facile potuit esse tolerabilis, & forte ideo à Scriptura non reprehenditur.

Ad alterum de restrictione mentali, dico nō habere hic locum, quia alijs vere videris negare fidē, quod omnino est illicitum, licet in alijs materijs permissum.

Ad postremum dico longe diuersum esse, quid repræsentare cum omnium notitia, quā quoad externam apparentiam simulare, qua vere censearis negasse.

Discursus VIII.

In idem Præceptum.

An exterius liceat alicui fidem simulare?


D. Paulus monet finem pręcepti esse Charitatem de fide non ficta. Hinc tractabo quandoquidē verbis non liceat etiam ambiguis, vtrū non liceat factis occultare aut dissimulare veram fidem, vel simulare contrariam?

1. Ad quod prius notandum proprie eum factis simulare falsam fidē, qui aliquid facit quod hic & nunc præsentibus natū est significare ipsū colere siue profiteri illam fidem, vt si quis immolet Idolis, aut curet se à Iudæis circumcidi, vel cœnam frequentet Caluinistarum.

Eoque exposito inquirendum est, an licitum sit homini Christiano & Catholico apud infideles aut hæreticos existenti vsurpare eiusmodi signa vt occultet se Christianum, & Catholicum esse, ne occidatur?

2. Respondeo primo nemini licere per simulationem adorare idola, vel incensum illis adolere; talis enim grauem iniuriam irrogat veræ fidei ac Deo, & omnino erubescit Deum confiteri, vnde Deus etiam illum non agnoscet, iuxta illud Luc. 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.* Quod confirmatur ex Apostolo qui prohibuit Corinthios vesci cibis idolis immolatis, quatenus ijsdē immolati sunt, quia id repugnat verę fidei, & per se malum est cōmunicare cū infidelibus in externa professione falsæ religionis, vt colligitur ipsius verbis 1. Cor. 10. *Nolo vos fieri socios dæmoniorum, non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum, mensæ Domini participes esse & mensæ dæmoniorum.* Vnde 2. Cor. 6. omnem plane communicationem cum infideli, vt infidelis est, damnat dicens: *Nolite iugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras, quæ autem conuentio Christi cum Belial, aut quæ pars fideli cum infideli.*

Luc. 9.

1. Cor. 10.

3. Secundo dico nulli licere ne quidem ad vitandam mortem frequentare communionem Lutheranam aut Caluinisticam. Ratio deducitur ex locis citatis, eo quod certū sit quod doceant peculiarem errorem fidei circa sacramētum Eucharistiæ. Nam Caluinistæ negant corpus & sanguinem Christi realiter esse in sacramento: Lutherani concedunt quidem adesse, sed simul affirmant manere substantiam panis & vini, cum substantia corporis & sanguinis Christi; Cui errori viderentur fauere Catholici, si cum illis communicarent, contra prohibitionem Apostoli Ephes. 5. capite: *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.* Ephes. 5.

4. Tertio nec cæremonijs ipsorum cum illis Psalmos canendo, aut aliter communiter orando, multo minus iuxta præceptū magistratus hæretici contrahere matrimonia corā ministris hæreticis, quantūuis prius ritu Catholico corā sacerdote qualificato matrimonium contraxerint, aut postea ante consummationem contrahere contendant. Et ratio est, quod magistratus id præcipiat, vt contrahentes hac ratione agnoscunt illum ministrum, tanquam legitimum veræ Ecclesiæ ministrum, ac quod obedientes hac in re magistratui externo facto profiteantur se ea facere quæ magistratus intendit; quod omnino repugnat professioni fidei Catholicæ. Demum quod matrimonia coram ministris

ministris quibusdam ritibus, hæreticis proprijs, contrahuntur, in quibus necessariorum ijs communicāt.

5. Verum quæres an liceat aliquando Catholico conciones hæreticorum frequentare? Respōdeo. Primo hoc quandoque licere viris doctis, in quibus abest omne periculum peruersionis & scandali, sed est potius iusta & grauis causa, nempe vt concionatoris falsa doctrina & impostura possit clarius deprehendi, & refutari.

6. Respondeo secundo, plebeis, indoctis, & curiosis id minime licere. Ratio est, quia ordinariè subest periculum peruersionis, & *qui amat periculum*, dicit Sapiens, *peribit in illo*, Eccles. 3. Aut etiam scandali, qua ratione etiam quibusdam in fide firmioribus, id est illicitum. Quamuis enim ex parte eorum non sit periculum, tamen suo exemplo alios minus firmos, vt templum adeant inducendo, aut eos in hoc confirmādo, sunt ijs scandalo, & causa ruinę. atq; adeo vt in simili re indifferenti ait Apostolus 1. Cor. 8. v. 11. *Perit infirmus* (in eorum exēplo) *propter quem Christus mortuus est*, de quo dixit Saluator Matth. 18. *Væ homini per quem scandalum venit*.

Eccles 3.

1. Cor. 8. v. 11.

Matth. 18.

7. Respōdeo tertio. Cuicumque licuerit illas frequentare, cauēdum est, ne faciat, vt Concionatori gratificetur, aut ex mandato Principis, aut magistratus hæretici id præcipientis, quia huiusmodi confluxus ad concionem, cedit in fauorem hęreseos, & fidei Catholicæ iniuriam.

8. Sed merito objicies amplius fecisse Naaman Syrum 4. Reg. 5. quando adorauit in templo Remmon. Respondeo eum materialiter tantum illi templo interfuisse, sed plane omnino ac si spectasset comœdiam aliquam, atque adoratio ipsius non erat actus religionis, quo colebat falsum Deum, sed erat seruitium politicum, quod licitè præstabat suo Regi. Vnde magna fuit differentia inter ipsum & Regem. Nam adoratio Regis fiebat intuitu religionis. Cum enim esset homo Gētilis colebat idolum externa adoratione, seu genu flectione: Adoratio vero alterius fiebat obsequij seruilis intuitu. Cum ergo flectebat genu ante idolum non alio animo faciebat, quam vt suo Regi similiter genua flectendi, famulandi studio subseruiret. Ita Abulēs. in l. 4. Reg. 5. c. q. 25. Lyran. ibidem circa textum & Azor. q. 7. pro quo notandum est fuisse morem Regis Syriæ, vt inniteretur humeris alterius, siue in tēplo siue in foro, & ideo famulum cuius humeris innitebatur debuisse ex officio hoc obsequium illi præstare, vbicumque Rex esset. Si ergo Rex staret vel ambularet, vel genu flecteret, necesse erat famulum, etiam stare vel ambulare, vel genu flectere, non intuitu religionis, sed ratione politici obsequij, quod quilibet seruus tenetur exhibere suo Domino, & famula gestans Dominæ suæ caudam.

4. Reg. 5.

9. Dices si Naaman potuit adorare in templo Remmon, eo modo quo iam explicatū est, quare petiuit ab Elisæo, vt à Deo impetraret illi remissionem, seu condonationem huius facti? Ad hoc respōdet Azor. d. q. 7. dubium fuisse Naamā, vtrum iure posset id obsequij genus Domino suo idoli cultori præstare, immo fortasse verebatur, ne id graue peccatum esset; & proinde impense postulauit, vt Elisæi precibus id iuris sibi à Domino concederetur. Elisæus autem nequaquam soluit eum lege diuina, neque enim poterat in eo, quod est per se & intrinsece malum, lege aliquem soluere & excipere: sed concessit ei, rem sua natura indifferentem, quam ipse tamen anceps animi tanquam bona mente præditus, putabat, aut etiam verebatur esse interdictum, Deoque proinde odiosam, ac detestabilem; quod Abulens. & Lyran. prudenter obseruarunt. Ita ille: Quod sane mirum non erat Naaman dubitare, cū recenter ab Idololatria ad verum Deum erat conuersus, & huiusmodi multas in initio quæstiones proponant nouiter conuersi, vt videre est, 1. Cor.

1.Cor.7.Paulo Apostolo contigisse à Gentibus conuersis.

Eadem porro ratione famuli Catholici suos Dominos hæreticos, & ancillæ suas Dominas ad templa hæreticorum comitari possunt; quando id sine graui incommodo effugere non possunt; ita scilicet in his se gerendo, vt solum Dominis suis, nõ autem hæreticorũ ritibus reuerentiam exhibere videãtur. Ita Pesant. 2.2. q.3.a. 2. disp.1.q. 3. & Sanch.in præcepta lib.2.cap.4. 26. in medio.

10. Demum quæres an non liceat Catholicis, qui contraxerunt in locis hæreticorum, coram eorum ministris, eorum interesse contractui, nuptialia conuiuia postmodum adire ipsisque bene precari. simul an liceat hæreticorum comitari funera & similia officia ipsis præstare?

Respondeo affirmatiue, modo hæc ita fiant, vt in cæremonijs, & precibus cum ijs non communicẽt, sed ea tanquam ad se nihil pertinentia, & quasi actionem prophanam spectent. Docuit hæc olim pulchrè Tertullianus lib. de Idololat. cap. 18.& 17.vbi ait: *Circa officia vero,* (quę scilicet Christiani Gentilibus exhibent) *communium solemnitatum, vt togæ puræ, vt sponsalium, vt nuptiarum, vt nominalium, nullum putem periculum obseruari de statu idololatriæ, quæ interuenit. causæ enim sunt considerandæ, quibus præstatur officium.*

Discursus IX.

In eadem verba: *Non habebis Deos alienos* &c.

An liceat Sacramenta participare cum Hæreticis?

NOn leui profecto est hęc quęstio. Nam de Baptismo in primis agitur salutis nostræ fundamẽto, de Eucharistia salutis nutrimento, ac Matrimonio inter homines pręcipuo vinculo.

1. De his breuiter percurrendo dico primo de Baptismo non licere per se petere à Lutheranis, aut Caluinistis baptismum. Ratio est, quia cum eũdem possimus petere à Catholicis, impium est confugere ad Hæreticos. Vtrumq; probatur primo intuitu Caluinistarũ, quia baptismum negant esse necessarium ad salutem. Ita Caluinus expresse in Antidoto Conc. Trident. sess. 6.c.5. cum ait: *Verum infantes à regno Dei arcere libuit, qui ante erepti sunt ex hac vita, quam offerri ad baptismũ potuerint. Quasi vero de nihilo dictum sit, eos nasci sanctos, qui ex fidelibus nascuntur. Imo quo iure eos ad baptismum admittimus nisi quod promissionis sint hæredes? Nisi enim ad eos pertineret vitæ promissio, baptismum profanaret, quisquis illis daret. Quod si Deus in regnum suum eos adoptauit, quantâ iniuria fit promissioni, quasi per se ad eorum salutem non sufficeret.* Et ibidem paulo post: *Inclusa est infantium, salus in promissione, quia Deus fidelibus testatur se fore illis, & homini eorum in Deum. Hac ratione sibi nasci pronuntiabat, qui ex Abraham ducebant originem. Huius promissionis beneficio recipiuntur ad baptismum, quia censentur Ecclesiæ membra. Non à baptismo igitur habet initium eorum salus, sed quæ iam in verbo fundata erat; baptismo obsignatur.*

Caluin.in Antid Conc. Trid. sess. 6.c.5.

Qua doctrina quid pestilentius? cum certum sit omnes omnino infãtes nasci in peccato originali, teste Apostolo Rom.5.12. Et Eph.2.3.adeoque filios mortis, irę, & damnationis esse, nec posse saluari,& effici filios Dei, nisi renascantur in Deo per baptismum, iuxta illud Ioan. 3. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnũ Dei.* Ex quo facile patet, qua intentione, & impietate infantes baptizaturi sint, qui tam nefarie de baptismo credunt.

Rom 5.12. Eph.2.3.

2. Intuitu vero Lutheranorum &

Caluiniſtarum, quid niſi ſcandalum oriri poteſt, cum ab aduerſarijs Chriſti petatur, quod abunde à ſuis miniſtris haberi poteſt?

2. Quæres quare in caſu neceſſitatis liceat? Reſpondeo. Si adſit vrgens neceſſitas, & Catholicus non adſit, qui baptiſmum conferat, licebit accipere ab hæretico, habendo intentionem faciendi, quod Chriſtus inſtituit. Ratio eſt, quia baptiſmus qui à Lutheranis & Caluiniſtis confertur, non eſt inſtitutus ad cultum falſæ ſed veræ religionis. Eſt enim idem Baptiſmus cum noſtro. Atque adeo aliquo caſu licet ab illis baptiſmum petere propter neceſſitatem ipſius Sacramenti. Ita D. Thom. 3. p. q. 67. a. 34. & 35. Illa enim cogit illud omnino infantibus procurare, vt euidenter etiam ex auctoritate D. Auguſt. colligitur, qui ep. 28. ad Hieron. ſic loquitur: *Quiſquis dixerit, quod in Chriſto viuificabuntur etiam paruuli, qui ſine Sacramenti eius participatione de vita exeunt; hic profecto & contra Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam, vbi propterea cum baptizandis paruulis feſtinatur & curritur, quia ſine dubio creditur alias in Chriſto viuificari non poſſe.*

D. Thom. 3 p. q. 67. a. 34. & 35. Aug. ep. 28. ad Hieron.

3. Sed quæſtio eſt, vtrum liceat Catholico cum hæretica, aut Catholicæ mulieri, cum hæretico viro contrahere matrimonium? Reſpõdeo non licere. Nam Deut. 7. Deus prohibuit populo ſuo matrimonia iungere cum Gentilibus, & quamuis præceptum illud ſit iudiciale, & ſolos Iudæos proprie obligauerit; tamen habet etiam aliquid moralis, & ad omnes pertinet, ſi cauſa inſpiciatur; nam cauſam reddit plane moralem, quæ etiam nunc locum habet; *Quia*, inquit, *ſeducet filium tuum, ne ſequatur me.* & 3. Reg. 11. vti idem præceptum repetitur addit Deus: *Certiſſime auertent corda veſtra, vt ſequamini Deos alienos.* Deinde Paulus 1 Cor. 7. vt in Domino tantum coniugia fiant. Quid eſt in Domino, niſi vt in Domini Eccleſia, Domini ſeruo, & cultori, Domino approbante, & auſpicante: ſi vel hæreticus vterque coniux vel alteruter eſt, minime ſane fiunt. De quo Tertullianus cap. 1. lib. 2. ad vxorem: *Cum dicit Apoſtolus tantum in Domino, iam non ſuadet, ſed exerte iubet. Igitur in iſta maxime ſpecie, niſi hoc ſequimur, periclitamur. Quia ſuaſum impune quid negligas, quam iuſſum, quod illud de conſilio veniat, & voluntati proponatur: hoc autem de poteſtate deſcendat, & neceſſitate obligatur: illic libertas, hic contumacia delinquere videatur.* Sic ille. Alibi etiam monet Apoſtolus Corynthios: *Nolite iugum ducere cum infidelibus*: quem locum S. Hieron. tum in lib. contra Iouinianum, tum in epiſt. ad Geruntiam de monarchia exponit, de coniugio cum infidelibus non iungendo.

Deut. 7.

3. Reg. 11.

1. Cor. 7.

Tertul. lib. 2 cap. 1. ad vxorem.

Hieron. lib. cont. Iouin. & ep. ad Geruntiam de Monarch.

Ad hæc extat Canon. 13. Concilij Chalcedonenſis generalis, vbi prohibentur coniugia cum hæreticis Iudæis, & Paganis. Item canone 67. Concilij Agathenſis habentur hæc verba: *Non oportet cum hominibus hæreticis miſcere connubia, & vel filios, vel filias illis dare.* Hinc primo peccant eiuſmodi contra prohibitionem Eccleſiæ.

Can. 13. Concil. Calched.

Can. 67. Concil. Agath.

Petes quale ſit illud peccatum? D. Thom. 4. d. 39. q. 1. a. 1. Sot. eod. loc. q. 12. a. 2. ad 3. mortale merito cenſent propter periculum. Nam cum Paulus admoneat hæreticum pertinacem euitare, & Ioan. prohibeat aue peruerſis, & contemptoribus fidei dicere, plane colligitur multo minus licere cõſuetudinem, quanta eſt inter coniuges, cum illis contrahere. Periculum autem in quod ſe alteruter conijcit eſt, incidendi in hæreſim, ait enim Eccleſiaſt. cap. 3. Sapiens; *Qui amat periculum peribit in eo.*

D. Thom. 4. d. 39. q. 1. a. 1. Sot. eod. loc. q. 12. a. 2. ad 3.

Secundo conijcit ſe in periculum plurimarum litium, & iurgiorum, dum de fide mutuas altercationes defugere vix poteſt. Tertio conijcit ſe in periculum minus accurate ſeruandi Eccleſiæ leges in ieiunijs, cibis vetitis, feſtis diebus, familiæ gubernatione, vt ſacris interſint famuli, ancillæ, Sacramenta Eccleſiæ

ſtatus

ſtatus temporibus adeant, & ſimilium.

Tertul. lib. 2. ad vxor. c. 4. Aurem, ſi graue non eſt, perantiquo ſcriptori Tertulliano demus, lib. 2. ad vxorem cap. 4. ſic dicenti: *Domino certe non poteſt pro diſciplina ſatisfacere habens in latere Diaboli ſeruum, procuratorem Domini ſui ad impedienda fidelium ſtudia & officia, vt ſi ſtatio faciẽda eſt, maritus de die conducat ad balneas; ſi ieiunia obſeruanda maritus eadem die conuiuium exerceat. Si procedendum erit, nũquam familiæ occupatio magis adueniet.* Et paulo poſt: *Quis nocturnis conuocationibus, ſi ita oportuerit à latere ſuo eximi libenter feret* (coniugem ſupple) *Quis denique ſolemnis Paſchæ ſecurus ſuſtinebit?* Et cap. 5. pergit inquirens: *Latebiſne tu cum lectulum, cum corpuſculum tuum ſignas, cum aliquid immundum ſtatu exſpuis, cum etiam per noctem exurgis oratum, & non magiæ aliquid videberis operari? Non ſciet maritus, quid ſecreto ante omnem curam guſtes? etſi ſciuerit panem non illum credit eſſe aut dicitur.*

Quarto non ſolum ſe, ſed etiam filios, quos ex ea ſuſcipiet, in prauæ educationis diſcrimen conijcit. Ait Apoſtolus 1. Thim. 2. *Saluabitur mulier per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate. Quaſi dicat,* inquit Chryſoſtomus, *Saluabitur mulier, ſi curet vt filij permaneant in Chriſti fide, & dilectione.* At quomodo id fiet alterutro coniugum hæretico exiſtẽte?

D.Thom. 4. d. 39. q. 1. a. 1. & cod. lec. 5. 11. a. 2. ad 5.

Quinto peccant ſacrilegium cõmittendo, dum profanant ſacramentum matrimonij cum hęretico contrahendo.

5. Verumtamen, an nullo in caſu id licitum?

Reſpondeo dari duos caſus. Primus eſt quando ſpes foret vt ad Eccleſiam coniux hæreticus rediret. Tali enim caſu pericula peccatorũque occaſiones antea propoſitæ ceſſarent, & confirmatur ex Conc. Agath. & Chalcedon. loco cit. Ex gloſſa cap. Si conditiones 10. de cõdit. appoſ. Sed ſpes iſta non qualiſcumque inanis & temeraria ſpecula, ſed exploratior quædam certitudo eſſe debet, prout prudentium iudicio ſtatui poterit, vel quod multo tutius & melius eſt expreſſa conditio, & vt in Chalcedon. Can. dicitur; *facta promiſſio. Nam licet,* inquit S. Ambroſ. *tibi accipere alienigenam, ſane ſi Chriſtianam ſe faciet, & laudem habebis ex ea, ne te quoque ſi recuſauerit Chriſtiana fieri, ſtudium nuptiarum, à fide deflectat, inſtituit lectio.* Et epiſt. 70. apud Auguſt. de Bonifacio Comite habes exemplum, qui vxorem, niſi Catholica fieret, accipere noluit.

Alter caſus eſt, id licere Catholicis in Germania, Gallia, Polonia, & alijs partibus, vbi hæretici, Catholici permixti ſunt, & id vſu receptũ eſt. Ita affirmat Azor. lib. 8. mor. c. 11. q. 5. Sanch. lib. 7. de Matrimonio diſp. 27. n. 5. Sed dices alij authores id negãt ob allegatas mox rationes. Vnde moderat hanc difficultatem ſuum iudicium interponens Becanus 2. 2. c. 9. q. 5. dub. 4. n. 21. dicens: *Ego, ſic ſentio Catholicos in Germania poſſe excuſari à tribus prioribus peccatis iam enumeratis. A primo, quia canones illi qui prohibent talia matrimonia, vel non ſunt recepti in Germania, vel certe per contrariam conſuetudinem abrogati ſunt. A ſecundo, quia in Germania ceſſat ſcandalum. A tertio, quia fieri poteſt, vt coniux Catholicus ſit tam firmus, & fundatus in fide, vt non ſit periculum ſubuerſionis. Deinde poteſt ab initio contractus excipere vt proles Catholice educentur. De quarto plus dubij eſt an poſſint excuſari à ſacrilegio, in quo duo modo occurrunt excuſandi. Vnus ſi Catholicus inculpabiliter ignoret contractum eſſe ſacrilegium. Alter ſi habeat idem certam fidem cum gratia Dei ſe effecturum, vt vxor conuertatur, aut ſi hæretica ſit ſic affecta, vt omnino cupiat eſſe Catholica:* Quam poſteriorem ſpem dicit idem Becanus ſufficere ad licite contrahendum. Nicolaus vero Serrarius dicto tractatu promiſſionem, de qua latius ante dictum eſt.

Azor. lib. 8. mor. c. 11. q. 5. Sanch. l. 7. de matrim. diſp. 27. n. 5. Becan. 2. 2. c. 9. q. 5. dub. 4. n. 21.

Discursus X.

In eadem verba: *Non habebis Deos alienos &c.*

An liceat homini Christiano inter infideles versanti assumere vestem propriam hominibus illius secta, apud quos agit, vt dissimulet se Catholicum, ad vitandum periculum quod illi creari posset?

Eph. 5.  Paulus monuit Ephesianos cap. 5. ne communicarent operibus infructuosis tenebrarum, Nã
2. Cor. 6. vt ait 2. Cor. 6. *Quæ societas luci ad tenebras?* Hinc tractabo an liceat, quod in argumento quæritur?

Ad pleniorem intelligentiam huius quæstionis præponendum est vestem etiam inter infideles variũ habere vsum. Nam primo vnaquæque natio proprijs induitur vestibus, vt Itali, Hispani, Germani, Galli, Belgæ, secundum morem suæ patriæ, quæ seruiunt ad distinctionem suæ gentis. Talisque vsus licitus est, quia non est signum religionis.

2. Secundo est vestis officio propria non religioni, & hanc licitam esse docet Tertullianus lib. de Idololat. cap. 17. modo absit Idololatriæ communicatio, in verbis: *Hinc proxime disputatio suborta est, an Seruus Dei alicuius dignitatis, aut potestatis administrationem capiat, si ab omni specie idololatriæ tantum se aut gratia aliqua, aut astutia etiam præstare possit: secundum quod & Ioseph, & David mundi ab Idololatria & dignitatem & potestatem administrauerunt, in ornamento & purpura extitere totius Aegypti siue Babilonia. Credamus itaque succedere alicui posse vt in quoquo honore, vt in solo honoris nomine incedat, neque sacrificet, neque sacrificijs authoritatem suam accõmodet, non hostias libet, non curas templorum deleget, non vectigalia eorum procuret, non spectacula edat, de suo aut de duplico, aut edendis præsit: nihil solemne pronunciet, vel dicat, ne iuret quidem. Iam vero quæ sunt potestatis, neque iudicet de capite alicuius, vel pudore (feras enim de pecunia) neque damnet, neque prædamnet neminem, vinciat neminem, recludat, aut torqueat, si hæc credibile est fieri posse.*

Sic fecit S. Sebastianus, qui Christianus existens militari Chlamide, seu ciuili signo Cæsarij militis aliquando vsus est. Sic Christianis militibus licet vti vexillis & vestimẽtis Turcarum, & Saracenorum ne ab eis agnoscantur, vel ne eos capiant. Sic etiam exploratoribus Christianorum licet vti vestibus infidelium, sicut & illorum lingua sine vllo peccato. Quia tamen est quædam simulatio veræ fidei, & sic quandã speciẽ habeat mali, requiritur iusta causa, videlicet vitandi mortẽ, & absentia scãdali, hoc est vt pusilli primũ doceantur de iustitia operis. Quod autẽ dicit, quod nulla capitalia iudicia exercere possit, intelligẽdum est vt Pamelius n. 134. ibidem annotat, ea de causa fortassis esse dictum, quod communia essent iudicia criminalia, tam in Christianos quam Ethnicos. Quo pertinet illud quod habet infra lib. de corona militis c. 11. n. 127. *Et vincula, carcerem, & tormẽta & supplicia administrauit.* Quod singulariter notandum est pro Officialibus Catholicis in Hollandia, Zelandia, Frisia, de Gẽtibus (vbi nõ est publicũ Catholicæ religionis exercitium) qui inuadũt domos Catholicorum, vbi priuatè exercitia fiunt, eosque grauant exactionibus non ferendis, cum alias id excusare debeant cum nulla ratione licet.

Similiter licet vestem induere, quæ sit ingenuitatis insigne, (id est signum,

signum, quod regum familiaritatem sit promeritus, non autem seruilis conditionis existat. Hoc patet in Iosepho & Daniele, qui statum vertentes, alioquin illam abiecissent, vt ait Tertullianus loc. cit. cap. 18. his verbis: *Igitur purpura illa & aurum ceruicis ornamentum eodem more apud Aegyptios & Babylonios insignia erant dignitatis, quo iure nunc pratexta, vel trabea, vel palmata, & corona aurea sacerdotum prouincialium, sed non eadem conditione. Tantum enim honoris nomine conferebatur his qui familiaritatem regum merebātur. Vnde & purpurati regum vocabātur, à purpura, sicut apud nos à toga candida, candidati; sed non vt suggestus ille sacerdotijs quoque aut aliquibus Idolorum officijs adstringeretur. Nam si ita esset vtique tanta sanctitatis & constantiæ viri statim habitus inquinatos recusaßent, statimque apparuisset Danielem Idolis non deseruisse, nec Belem, nec draconem colere, quod multo postea apparuit. Simplex igitur purpura illa nec iam dignitatis erat, sed ingenuitatis apud Barbaros insigne. Quemadmodum enim & Ioseph qui seruus fuerat & Daniel qui per captiuitatem statum verterat, ciuitatem Babyloniam & Aegyptum sunt consecuti per habitum barbaricæ ingenuitatis: sic penes nos quoque fideles, si necesse fuerit, poterit & pueris pratexta concedi & puellis stola, natiuitatis insignia, non potestatis, gratia non honoris, ordinis non superstitionis.*

3. Tertiò est alia vestis vsitata ex lege aut consuetudine, ad distinguendam religionem quidem: sed non ob ipsam religionem, sed ob aliquem finem politicum, vt scilicet agnosci possit, quæ tributa soluenda sint: quo loco habitare liceat, cum quibus ineundi contractus, à quibus cauendum, & similia. Talis est tobalea aut linteum album in capite apud Babylonis, pileum croceum, vel aliud signum ad distinguendos Iudæos, & hęc etiam ex iusta causa, est licita. Ratio est, quia tale signū non est institutū ad cultum Religionis, nec ad significandum, sitne religio vera vel falsa, sed ob alium finem politicū. quare nec vsus ipsius significabit immediatè aliquid, quod pertineat ad religionē, nec erit contra externam confessionem fidei.

4. Quæres an semper sumere liceat hæc tria iam cōmemorata vestium genera?

Respōdeo licere per se, sed in his casibus vetari. Primo quando honor Dei vel vtilitas proximi exigit, vt aliquis profiteatur veram suam fidē, quam occultat assumptione huiusmodi vestis. Secundò quando alijs datur scandalum, quod de iustitia operis infirmum instruendi nō detur commoditas. Apostolus enim Paulus etiā rem indifferentem noluit vsurpari cum ruinâ proximi, exempli gratiâ, quādo per comestionē Idolothytorū, quis existimasset aliquē Idola colere, vnde dicebat: *Si esca scandalizet fratrē meū, non mādu cabo panem in æternum*. 1. ad Corinth. 5. Tertiò, quando assumitur ob finem malum, vti fecit Saul, mentito habitu & formâ Pythonissam consulens super euentu belli, quæ alius nō fuisset ausa redire ob eiusdē Saulis edictū quo tales profligauerat; de qua mutatione sic legitur. 1. Reg. 28. *Mutauit ergo* (supple intelligens Pythonissam esse in Eudor) *habitū suum, vestitusq́, est alijs vestimentis, & abijt ille, & duo viri cum eo, veneruntq́, ad mulierem nocte, & ait illi: diuina mihi Pythone, & suscita mihi quem dixero tibi. Et ait mulier ad eum: Ecce tu nosti quanta fecerit Saul, & quomodo euaserit magos & ariolos de terra: quare ergo insidiaris animæ meæ, vt occidar? Et iurauit ei Saul in Domino, dicens: Viuit Dominus, quia non eueniet tibi quidquā mali propter hāc rem. Dixitq́, ei mulier: Quem suscitabo tibi? qui ait: Samuelem mihi suscita. Cum autē vidisset mulier exclamauit voce magnâ, & dixit ad Saul: Quare imposuisti mihi? Tu enim es Saul. Dixitque ei Rex: Noli timere.* Simile est, quādo Iuuenis aliquis imberbis veste muliebri se induit, vt cautè libidines suas exerceat: aut mulier veste virili, vt liberum cum Amasio iter agat, & voluptati suæ satisfaciat. Breuiter: quandocūque quis vel vt proximum circūueniat, aut notabiliter lædat, alium habitū

1. Cor. 5.

1. Reg. 28.

assumit, vel ob finem aliquem mortaliter malum. Quartò si fiat contra præceptum Dei, quantumuis nõ ob finem malum, quale est Deuter. 22. *Non mouetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste fœmineâ:* talis enim iuxta legẽ ceremonialẽ mortaliter peccabit; vt patet ex verbis adiũctis: *Abominatio enim apud Deũ est, qui facit hæc.*

Deut. 22.

6. Quartò est alia vestis ad distinguẽdã religionẽ, seu ad cultũ & obsequiũ exhibendũ authori alicuius religionis aut sectæ. Sic Iudæi ex institutione Dei, habuerũt certi vestimẽti genus. Sic Diabolus etiã adinuenit quoddã ad cultum Idolorũ, & hominũ deprauata natura successiuis tẽporibus, in signum hæresios. De Iudæorũ vestimento nu. 15. cap. præcepit Dominus Moysi: *Loquere filijs Israel, & dices ad eos, vt faciant sibi fimbrias per angulos palliorum ponẽtes in eis vittas hyachintinas, quas cum viderint, recordentur omniũ mandatorum Domini.*

Num. 15.

Porrò nota quod vestẽ hãc ferebãt ob tres causas, vt ex hoc loco, & alijs colligitur. Prima erat ob cultũ Dei; nã fimbrię institutę erãt à Deo, quasi quædã signa Religionis, qui enim illis vtebãtur, profitebantur se esse Iudęos, & vnius Dei religionem amplecti. Patet Zachariæ 8. cap. vbi Propheta de cõcursu omniũ populorũ atq; linguarũ, futuro in Hierusalẽ, tempore Pẽtecostes prædixit, quod in diebus illis in quibus apprehẽdent decẽ homines ex omnibus linguis gentiũ, & apprehendẽt fimbriã viri Iudęi dicẽtes: Ibimus vobiscũ; audiuimus enim, quoniã Deus vobiscũ est. Id est, eo tẽpore, ex omniũ gentiũ linguis, decẽ, id est, plurimi homines adhærebũt Iudæis, & apprehẽsa eorum lasciuia dicẽt: In eandẽ nos ciuitatẽ & religionem socios assumite exploratũ est enim nobis, ex multo populorum rumore Deũ esse vobiscũ. Vnde has fimbrias etiã Christus legitur tulisse. Luc. 8. Vbi mulier hemoroissa, tangẽdo occultè vestimentũ Christi, & profitẽdo, sic fidem in eo credidit per hanc partem, quasi sacram se magis posse Christi virtutẽ participare. Secundò, ob distinctionem à Gẽtibus, debebant super has fimbrias inducere & extendere filum vel tæneam seu vittam hiachintiam: vt hoc signo, quemadmodum circumsione à gẽtilibus dignoscerentur, vt colligitur ex verbis vers. 40. *Sintque sancti Deo suo.* Tertiò pietatis ergò, illam vittã addere debuerunt, vt videndo has fimbrias cum vittâ recordarentur mandatorum Dei, & exprimitur his verbis. *Quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequãtur cogitationes suas, & oculos per res varias fornicantes, sed magis memores præceptorum Domini, facient ea, sintq; sancti Deo suo.* Quasi diceret: volo vos gerere has fimbrias, cũ vittis hiachintinis, vt ijs admoniti, Legis Dei, nõ sequamini curiositatem impiã cordis vestri, & concupiscentiam oculorum vestrorum. Color enim violaceus, qui cœlestis est, significabat Iudęorum conuersationem, & spem debere esse in cœlo, vt cogitationẽ habentes apud Deum, Dei etiam timorem & præsentiam semper ob oculos haberẽt. Hinc Pharisæi, vt viderentur alijs religiosiores magnificabant hasce fimbrias. Quod Christus reprehendit Matth. 23. dicens: *Omnia verò sua opera faciunt, vt videantur ab hominibus, dilatant enim Philacteria sua, & magnificant fimbrias.* Vt scilicet longius conspicerentur, & legem diligentius quam cæteri Iudæi obseruare se declararent. Addit D. Hieronymus in cap. 23. Matt. Quod *acutissimas in eis spinas ligabant, vt videlicet ambulantes & sedentes interdũ pũgerẽtur, & quasi hac admonitione retraherẽtur ad sacrificia Domini & ministeria eius.* Hoc de vestimẽto & instituto Dei.

Zachar. 8.

Luc. 8.

Matt. 23.

6. Diabolus etiã adinuenit coronæ in natalitijs Principum olim gestationem & cinctionẽ capitis, more sacrificantiũ hedera, æmulus enim est qui morositatem veteris Testamenti admissum imitari voluit, vt cap. 40. de Præscript. asserit Tertullianus in verbis: *Ipsas quoq; re res Sacramentorum in idolorum ministerijs æmulatur. Tinguit & ipse quosdam, vtique credentes & fideles suos: expiationem delictorum*

Tertul. c. 40. de Præscript.

rum de lauacro repromittit, & si adhuc initiat mithra: signat illic in frõtibus milites suos, celebrat & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit, & sub gladio redimit coronam. Quid? quod & summum Pontificẽ in vnus nuptijs statuit? habet & virgines, habet & continentes. Cæterum si Nu. Pompilij superstitiones reuoluamus, si sacerdotalia officia, insignia & priuilegia, si sacrificalia ministeria & instrumenta, & vasa ipsorum sacrificiorum ac piaculorum, ac votorum curiositates, cõsideremus, nonne manifestè Diabolus morositatem illam Iudaicæ legis imitatus est? Sic adinuenit, inquã, aliquod vestimẽti genus, quo ipse coleretur, nẽpe certæ coronæ gestatione, vt tradit idẽ Tertul. li. de corona militis, ratione cuiusdã militis Christiani, qui Tribunũ accedẽs cũ donatiuũ ex liberalitate quorundã Imperatorum (vt videtur ob solẽnia Cæsarũ votis decẽnalibus) singulis militibus ethnicis ex ordine erogabat, laureã castrensẽ manu gestabat, quã cęteri in capite, idq; quia Christianis esset, cui non liceret coronatum incedere, more Ethnicorum. Atque eã de causa russatus in suo sãguine, in carcerem raperetur, vt patet cap. 7. vbi dicit: *Coronarum vsum interdictum ex ipsa origine*; nẽpè, quia Claudius Saturninius lib. de coronis ab ijs significet ortas quos seculum Deos credidit. Et cap. 10. dicit mortuorum esse coronari & Idolorũ, apud quæ ipsæ fores, hostiæ, aræ, & sacerdotes coronantur. Capite verò 12. cum dixisset militiã in castris æmulis Christiano non licere, & si liceret, tamẽ vsque ad causam coronæ. Huius rationem latius deducit in verbis: *Sed & de corona prius dicam. Laurea ista Apollini vel Libero consecrata est: illi vt Deo Telorum, huic vt Deo Triumphorum. Sic docet Claudius. Quamquam ex myrto, ait milites redimiri solere. Veneris enim myrtum Matris Aeneæ, etiam Auiculæ Martis per Iliam & Romulos Romani. Sed ego venerẽ non credo ex hac parte cũ Marte Romanam, quã pellicis dolor est. Quin & oleã militiam coronari à Mineruæ, non solũ artium, sed armorum quoque Dea: & pacem cum Neptuno iniisse, ex hac arbore coronatam. His erit serti militaris superstitio vbique polluta & pollućs omnia, quæ iã polluantur & causis. Ecce annua votorũ nuncupatio quid videtur? Prima in principijs, secunda in Capitolijs. Accipe post loca & verba, hunc tibi Iupiter bouẽ carnibus auro decoratis vouemus esse futurum? Cuius sẽtentiæ vox est? vtique negationis: etiamsi illic tacet Christianus ore, coronatus capite respondit. Eadem laurea in donatiui dispẽsatione denunciatur. Plane non gratuita Idololatria, aliquibus aureis venditãs Christũ, vt argẽteis Iudas. Hoc erit; Nõ potestis Deo seruire & Mãmonæ: Mãmonæ manum tradere, & à Deo absistere. Hoc est reddere quæ sũt Cæsaris Cæsari, & qui Dei Deo: nec hominẽ Deo reddere, & denarium Cæsari auferre. Triũphi laurea folijs struitur. Hinc à verbis lemniscis, inauratur lãmulis, vnguẽtis delibuitur à lachrymis coniugum & matrum, fortasse quorundã & Christianorum: & apud Barbaros enim Christus qui hanc portauerit in capite causam, nonne & ipse pugnauit? Est & alia militia regiarum familiarum. Nam & Castrenses appellãtur, munifica & ipse solemnium Cæsarianorũ. Sed & tu proinde miles ac seruus alterius es: & si duorum Dei & Cæsaris, cum te Deo debes, etiam in communibus credo potiori.*

7. Vt vero tũc egit apud Gẽtiles sic apud Saracenos, gestatur vestis cũ imagine Mahumeti, vel Lunæ, in honorẽ ipsius. Sic deprauata hominũ natura Diabolũ imitata diuersis locis varia signa professionis hæreseos excogitauit, nominatim in hoc Belgio, vbi turbulẽtis his tẽporibus & hæresibus exurgentibus plurimi hæreticorũ factionum, puta scutellulis, aut floribus certi coloris galero affixis vel reflexione galeri certo modo facta hæresim professi sunt.

Eiusmodi porrò vestes assumere, vt ex Dei instituto, pium est: ita è cõtra signum est apostasię & defectionis ac assũptionis alterius Religionis aut sectæ, vt prodit lib. 2. Machabæorũ c. 4. v. 16. in verbis: *Erat autem hoc non initium, sed incremẽtum quoddã & profectus gentilis, & alienigenæ cõuersationis, propter impij & nõ sacerdotis Iasonis nefarium & inauditum scelus, ita vt sacerdotes nõ iam circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo & sacrificijs neglectis,*

Mat. 15. Tertul. c. 12. Tertul. de Praescript. Matt. 22. Matt. 6. Matt. 22. Machab. c. 4. v. 16.

neglectis festinarēt participes fieri palæstræ & præbitionis eius iniustæ, & in exercitijs disci. & patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur, quarum gratia periculosa eos contentio habebat, & eorum instituta æmulabantur, ac per omnia his consimiles esse cupiebant. Quibus etiam compreheñdit vestes, in quibus Iudæi sunt imitati Gentiles; vt ab auitâ religione recedentes, & se Gentilibus addicentes, eodem prorsus vestimento induti pateret illos nullo modo dissideri ab ijs. Quam verò hoc impiũ sit & Deo inuisum patet ex Sophon. cap. 1. vbi Deus ob illam causam cẽset extremo supplicio dignos, qui vestem peregrinam, idest, gentilitiã siue Ægyptiam, siue Philisteam, siue Amonithidem, aut Tyriam, aut huiusmodi induerant, qua Idololatræ vtebantur in cultu Idolorum. Ratio erat, quia cum vestibus induebant mores & idololatriam Gentiũ. Hoc autem suppliciũ tale fore prædicit, vt nihil reliquum remansurum sit à cæde, nec homo, nec pecora, nec volucres, nec pisces qui marino celantur gurgite, & speciatim huius criminis reos comprehendit vers. 8. dicens: *Et erit in die hostia Domini, visitabo super principes & super filios Regis, & super omnes qui induti sunt veste peregrinâ*, id est, in die quo strages fiet (eam vocat hostiam Domini) per Babylonios non erunt exempti ab hostili cultro Reges aut Principes ciuitatis, quorum vita magis ab iniuriâ & cæde videbatur aliena, neque illi, qui vestibus vtuntur, quæ proditam indicant religionem, aut qui aliud moribus, aliud habitu, & cultu viuendi genus profitentur, quam lex mea præscribit.

Sophon. cap. 1.

8. Sed quæres, an simile crimẽ foret, si quis versans inter infideles deponeret aliquam vestem uel signum proprium Christianorum ex lege Turcæ constitutum ad agnoscẽdos Christianos, vt videlicet mortis periculum euaderet.

Respondeo negatiuè. Sed licere, quãdo præceptum cõfessionis fidei aliunde non obligat, & absit scandalum. Ratio est, quod eiusmodi lex non cẽsetur habere vim interrogationis publicâ authoritate factæ. Et lex humana non obligat per se, seu quando prædicta non concurrunt cum periculo vitæ, quia vtilitas quæ nasceretur ex legis illius obseruatione non esset tanti momenti, quanti est vita hominis Catholici.

Discursus XI.

In eadem verba.

An liceat carnibus vesci apud Hæreticos diebus ab Ecclesia vetitis, vt hoc modo quis se Catholicum dissimulet ad vitandum periculum, quod illi creari possit?



DOminus Deus in Sacra Scriptura aliquarum carnium vsum vetuit, tam in lege naturali, quam in Mosaicâ, à quibus strictè erat abstinendum. Ecclesia etiam in lege Euangelicâ vetuit carnibus certis diebus vesci. Quæro an sub simili pœnâ non liceat vsus ille Catholico inter hæreticos existenti?

Dicit Christus, quod omnis scriba doctus in regno cælorum similis sit Patrifamilias, qui de thesauro suo profert noua & vetera, quem in hac materiâ imitabor.

1. Dico

1. Dico itaque primò in lege Naturę prohibitum fuisse, ne quis carnem cum sanguine comederet Genes. 9. cap. In lege item Mosaicâ Leuit. 3. v. 17. idem inhibetur. Quin etiam in lege Euangelicâ, Act. 15. cap.

Gen. 9. c. Leuit. 3. v. 17. Act. 15.

Hæ triplex prohibitio facta est ob triplicem causam. Prima causa est, vt homines abstinerent ab effusione sanguinis humani Gen. 9. 5. Altera est, quia sanguis est vehiculum, nutrimentum, & tutela vitæ, ac spirituum vitalium. Vita autē solius Dei est; Ergo & sanguis soli Deo offerri debet. Quæ causa adducitur in secunda prohibitione Leuit. 17. 11. *Quia anima carnis in sanguine est.* Tertia vt Iudæi & Gentiles facilius possēt vniri seu coalescere in vnam Ecclesiam. Quæ causa fuit, cur Apostoli interdicerent esum sanguinis. Nam Gentiles comedebant sanguinem: Iudæi non item. Ne ergo fieret inter illos dissentio, vtrique iussi sunt abstinere à sanguine (saltem ad initium nascentis Ecclesiæ) vt esset firmior illorum cōcordia & vnitas.

Gen. 9. 5.

2. Dico secundò, in lege Mosaica etiam vetitum fuisse adipem illorũ animalium quæ erant munda ad sacrificium, vt adipem ouis, capræ, & bouis, vt habetur Leuit. 3. cap. v. 17. his verbis: *Nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis*: Idque siue animal illud Deo offerretur, siue domi manducaretur, modo esset ex ijs, quæ munda erant ad sacrificium. Ratio huius legis erat, quia adeps igni est aptissimus, & optima portio hostiæ, vnde par erat illam cedere Deo, & quod Deus voluerit, vt sic semper haberēt Hebræi religionis & cultus Dei exercitium, ac etiam domi iugiter hac ratione colerent, ac venerarentur. Ex adipe hoc Deo sacro manauit illa Scripturæ phrasis, vt sacrificium Deo gratum & dignum vocet sacrificiũ pinguium, oretque vt holocaustum nostrum pingue fiat. Victimæ enim carnosæ, & bene saginatæ abundant pinguedine & adipe. Tum etiam vt à Gentilibus discernerentur: quod patet Deut 32. Vbi habetur, quod Deus per Prophetas, quos tum missurus erat ad Iudæos in tribulatione deficientes, vt resipiscerent & ad Deum redirent, diceret: *Vbi sunt dij eorum*, in quibus scilicet sperarent, *de quorũ victimis comedebant adipes, & vinum libaminum*, (id est, vbi more Gentilium contra verũ & ordinatum Dei cultum adipem victimarum soli Deo adoleri debitum comedebant, & vinũ soli Deo libari & effundi obligatum sacrilegè more Gentilium bibebant) *surgant & opitulentur vobis.* Quod insultando dictum quia in idolis nullum est auxilium

Leuit. 3. Dan. 3.

3. Dico tertiò, Deum in veteri lege mandasse Iudæis abstinentiam à certis carnibus & piscibus tanquam immundis ad sacrificium, vt late habetur Leuit. 11. & Deut. 14. Significabat autem illa discretio ciborum mundorum ab immundis discretionem Iudæorum & Gentilium. Nam Iudæi in V. T. censebantur mundi, sancti, impoluti; Gentiles vero immundi, & polluti. De Iudæis dictum est Deut 14. 2. *Populus sanctus es Domino Deo tuo*, De Gentilibus vero Matt. 7. 6. *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Et Matth. 15. v. 26. *Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus.* Quam discretionem sustulit Christus, qui ex Iudęis & Gentilibus fecit vnam Ecclesiam: Et abstulit medium parietem, quo à se mutuo diuidebantur. Eph. 2. 14. huc etiã spectat illud Rom. 3. 29. *An Iudæorum Deus tantum? Nonne & Gentium?* Et Rom. 10. 12. *Non est distinctio Iudæi & Græci.* Et Galat. 3. 28. *Non est Iudæus neque Græcus: Non est seruus, neque liber: Non est masculus, neque fœmina. Omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu.* Hoc autem mysterium in veteri Testamento fuit incognitũ, vt patet Eph. 3. v. 5. in verbis: *Prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi, quod alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicuti nunc reuelatum est Sanctis Apostolis eius & Prophetis in spiritu, gentes esse cohæredes & concorporales & comparticipes promissionis eius in Christo Iesu per Euangelium.* Et in

Leuit. 11. Deut. 14. Deut. 14. 2. Matt. 7. 6. Matt. 15. v. 26. Eph. 2. 14. Galat. 3. 28.

Et in nouo, omnium primo reuelatum est Petro quando vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnum, in quo erant simul animalia munda & immunda. Quo significabatur, in Ecclesia simul fore Iudæos & Gẽtiles, Act. 10. v. 12. Et vsque ad illam ablationem per Christum obligabãt hæ abstinentiæ sub peccato mortali. Primo, propter obedientiam Deo debitam. Secundo, quia instituta erat abstinentia ab adipe, & cibis immundis ad discernendam religionem.

Act. 10. v. 12.

4. Verum merito quæres, cum in Ecclesia præceptum sit de delectu ciborum, & abstinentia à carnibus, an id sit propter immunditiam.

Respondeo negatiue. Nam vt ait Apostolus ad Titũ 1. 15. *Omnia munda mundis*. Et 1. Timoth. 4. v. 4. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*. Vnde abstinere à cibis tanquam natura sua immundis, hæresis est. De quo Paul. 1. ad Timoth. 4. prædicit quod *in nouissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere à cibis quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt veritatem.*

ad Titum 1. 15.

5. Iam quæritur, quare ergo Ecclesia præceperit eiusmodi abstinentiam sub periculo peccati mortalis?

Respondeo non ob immunditiam legalem, quæ iam ablata est, sed ad carnem domandam, & spiritui melius subijciendam. Vnde Paulus 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum alijs prædicando reprobus efficiar.*

6. Ad pleniorem huius rei intellectum libet adscribere sex abstinẽtiæ differentias inueniri. Prima est naturalis: à cibis enim, & potibus, qui sanitati nocent, & vitæ contrarij sunt, naturaliter homines abstinent, immo eos abhorrent, & quo præcepto vnusquisque vitam propriam conseruare obligatur, eodem ab huiusmodi sese cohibere tenetur. Altera est abstinentia moralis: cum enim homo sit ratione præditus & ea quæ honesta & secundum rationem sunt, prosequi debeat, efficitur, vt debeat temperate vti cibis, & potibus, qui solent corpus ita grauare, vt rationi nequeat inseruire, caroque repleta ciborum nimietate, & aliquando etiam eorum qualitate, in vitia multa prorumpat. Opus igitur est fræno vti, & temperate agere in cibis, & potibus quantum ad quantitatem, & qualitatem sumendis, quæ abstinentia moralis dicitur, quia ad mores & virtutum exercitium pertinet. Tertia est Ecclesiastica, & religiosa, quæ secundæ morali hoc superaddit, quod forma huius temperantiæ per Ecclesiam præscripta est, Ecclesia enim generalem formam omnibus conuenientem præscripsit, nempe à carnibus abstinere, semelque in die comedere, diciturque ieiunium Ecclesiasticum, siue quod Ecclesia formauit & præcepit, siue quod vnusquisque propria deuotione sibi imponit, quo non solum via ad mẽtis contemplationem paratur, vitiaque multa impediuntur: sed etiam corpus caroque rebellis mortificatur, & virtutibus exercendis accõmodatius fit instrumentum, habetque meritum, apud Deum, & satisfactionem, si ex gratia procedit. Plena est Scriptura huiusmodi ieiunio, & à Paulo commendatur adeo, vt vnã ex causis, propter quas à debito coniugali ad tempus vacare liceat, constituat ieiunium, 1. Cor. 7. *Nolite*, inquit, *fraudare inuicem, nisi forte ad tempus, vt vacetis ieiunio, & orationi*. & 2. Cor. 6. Inter ea, quæ ministros Dei maxime decent, ieiunium refert. *Exhibeamus nos*, inquit, *sicut Dei ministros, in laboribus, vigilijs, & ieiunijs.* Cuius etiam tanta est efficacia, vt Dominus Marc. 6. cap. esse doceat genus dæmoniorum, quod expelli non potest, nisi ieiunio, & oratione. Antiqui Patres

1. Cor. 7.

2. Cor. 6.

Patres encomia multa, & magnifica huius ieiunij scripta reliquere. Quarta abstinentia est impia; & hæretica; fuerunt enim hæretici qui à carnibus, & ieiunijs multis tanquam immundis in se, abstinendum docuerunt, de quibus meminit Iren. lib. 1. cap. 30. & August. de hæret. c. 26. & Epiphan. varijs in locis, quos paulus prædixit, & reprobauit. 1. Tim. 4. *In nouissimis, inquit, temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum prohibentium nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creauit, ad percipiendum cum gratiarum actione.* Quinta abstinentia est legalis, & Iudaica, quæ duplex erat. Prior perpetua, per quam abstinebat se homo à multis animalibus, siue terrestribus, siue aquatilibus, siue aëris, quibus prohibuit Dominus vesci, vt antea dixi idque Leuit. 2. Deut. 14. qualis erat caro suilla, leporina, & cæteræ multæ, his nullo tempore licebat vesci, dicebanturque cibi communes, quia Gentes omnes eis vtebantur, similiter & immundi, non quod in se & ex natura sua immundi essent, vt fabulati sunt hæretici, sed propter figuram, & significationem; sic enim Deo illum populum tunc instruere placuit. Posterior abstinentia erat ad tempus; nam certis quibusdam diebus abstinebant se Iudæi à cibis quibusdam, quibus alijs diebus vesci licebat: nam septem diebus Pasche fermentato non vescebantur, sed solis azimis. Deut. 16. Mos etiam erat deuouendi se Deo statis diebus, in quibus vino, & omni eo, quod inebriare poterat, aceto, vuis siccis, & recentibus, vti non licebat secundum legem Nazaræorum, vt habetur Num. 6. Hæc vtraque abstinentia legalis, & Iudaica dicitur, cuius meminit Paulus Col. 2. *Nemo*, inquit, *iudicet vos in cibo, aut in potu.* Sexta abstinentia est scrupulosa, & infirma; olim enim ratione dissentionis ortæ inter Iudæos & Gentiles conuersos præceptum fuit à sanguine & suffocato. Act. 15. & Christianis illicitum fuit vesci idolothytis cum aliorum scandalo nempe existimantium illos idololatriæ subscribere dum vescebantur cibis idolo immolatis iuxta morem apud idololatras vsitatum existimabant enim eorum conscientias esu eorum pollui. Cuius abstinentiam sæpe Paulus ideo inculcabat, maxime tamen 1. Cor. 8. & 10. quæ scrupulosa & infirma appellari potest, quia ex ignorantia quadam, & errore procedebat.

1. Tim. 4. — Deut. 16. — Col. 2. — 1. Cor. 8. & 10.

7. Porro cum quarta sit vetita, quinta cesset propter legem cæremonialem abolitam. Sexta etiam quia ad tempus tantum erat præcepta, vt Iudæi & Gentiles facilius possent vniri seu coalescere in vnam Ecclesiam, pro initio nempe nascentis Ecclesiæ, vt esset firmior concordia & vnitas inter Gentiles comedentes sanguinem, & Iudæos non comedentes. Eademque est ratio de idolothytis, quæ dumtaxat durauit donec melius instructi essent, scirentque cibos per se esse indifferentes. Prima vero, secunda & tertia suo tempore obliget.

Quæritur an liceat Catholico inter hæreticos existenti carnibus vesci, vt sic Catholicum dissimulet, & periculum vitet, quod illi creari possit?

Respondeo Catholicum in tali occasione posse se duobus modis gerere. Primo potest prætexere aliam causam, cur velit abstinere à carnibus, vt debilitatem stomachi, vel nauseam, vel aliquid simile; modo fiat sine mendacio. Secundo, si huiusmodi excusatio non occurrit, vel certe non putatur sufficere, tunc distinguendum est. Nam si sit apud Lutheranos, vbi non est periculum vitæ, sed tantum irrisionis, debet abstinere à carnibus, & se Catholicum fateri; cum irrisio non sit tanti momēti, vt propter illam debeat violari lex Ecclesiæ. Si sit apud Caluinistas, & maxime in Anglia, vbi viget persecutio, ita vt sine vitæ periculo non possit fateri se esse Catholicum, licebit

licebit illi, ſecluſo ſcandalo veſci carnibus,& ad vitandam mortem, Catholicam fidem diſſimulare. Et ratio eſt, quia eſus carnium, non eſt inſtitutus ad profeſſionem falſæ religionis,cum ſit per ſe indifferens, nec abſtinentia à carnibus inſtituta eſt ab Eccleſia ad diſcernendos Catholicos ab hæreticis, ſed ob alium finem, nempe ad caſtigandam carnem, & immoderatam eius libidinem refrænandam, vt dictum eſt. Lex autem humana non obligat cũ periculo vitæ, quando vtilitas quæ naſcitur ex legis obſeruatione, non eſt tanti momenti, quanti eſt vita hominis Catholici. In hoc autem caſu, quæ vtilitas ſperari poteſt, ſi Catholicus abſtinendo à carnibus probat ſe Catholicum eſſe? Vix alia quam vt acuat in ſe furorem Caluiniſtarum,& cogatur alios Catholicos patefacere, & in vitæ diſcrimen adducere. Sic in Anglia vſitatum eſt.

8. At dices, id non eſt conforme exemplo Eleazari, qui in ſimili caſu elegit mori potius, quam ſuillam carnem comedere,quæ Iudæis erat prohibita. 2. Machab. 6. 18. *2. Machab. 6. 18.*

Reſpondeo, de Eleazaro fuiſſe aliam rationem. Primo,quia non erat lex humana ſed diuina, quæ prohibebat carnem ſuillam. Diuina autem magis obligabat quam humana. Secundo,publice conſtabat Eleazarum eſſe Iudæum. Et hoc agebatur, vt Iudaicam religionem, quæ erat vera tranſgreſſione legis palam abiuraret; ex quo magnum ſcandalum apud alios Iudæos, qui præſentes aderant, fuiſſet ſecuturum, vt ipſemet fatebatur in verbis: *Non enim ætati noſtræ dignum eſt, inquit, fingere: vt multi adoleſcentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum: & ipſi propter meam ſimulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur; & per hoc maculam, atque exe-crationem meæ ſenectuti conquiram. Nam etſi in præſẽti tempore ſupplicijs hominum eripiar, ſed manũ Omnipotentis nec viuus, nec defunctus effugiã. Quamobrẽ fortiter vita excedendo, ſenectute quidem dignus apparebo: adoleſcentibus autem exemplum fortè relinquam, ſi prompto animo, ac fortiter pro grauiſſimis ac ſanctiſſimis legibus honeſta morte perfungar.*

Si nunc eodem modo conſtaret aliquem eſſe Catholicum, & in odium Catholicæ religionis publicæ iuberetur legem Eccleſiaſticã violare, deberet mortem potius eligere, quam id facere. Aliud eſt, quando id non conſtat: & ſine vllo ſcandalo & contemptu omittitur, id quod lege humana conſtitutum eſt.

9. Verumenimuero hæc recte quæri poſſet vtrum etiam Caupo Catholicus peccet, ſi in die ieiunij cibos apponat vetitos, quod in Germania frequens eſt,& Hollandia,& Zelandia, & in locis Hæreticorum?

Reſpondet ad hanc quæſtionem Leonardus Leſſius lib. 4. cap. 2. de ieiunio dub. 4. ſe credere in locis hęreticorum, vbi paſſim ab alijs ſolent apponi, id licitũ eſſe Cauponi Catholico, poſitis tamen duabus conditionibus; quarum prima eſt, ſi hoſpites petant, non enim ingeri poſſunt non petentibus; hoc enim eſſet illos ad illicita inuitare; niſi forte ſimul apponat carnes, & piſces, vt plerique illis locis maxime Catholici faciunt, vt vtrique parti faciant ſatis, quemque ſuæ conſcientiæ relinquentes.

Secunda ſi non poteſt recuſare ſine ſuo notabili incommodo; vel alioquin ab hoſpitibus eſſet deferẽdus, vel aliquid incommodi paſſurus à magiſtratu. Ratio eſt,quia id per ſe malum non eſt, ſed quiddam indifferens. Ergo ſuppoſita legitima cauſa fieri poteſt ſine peccato, hæc enim facit, vt non cenſeatur eſſe profeſſio hæreſeos, aut cooperatio ad malum. Quod confirmat: quia ea ratione à Doctoribus excuſãtur ancillæ Dominorum hæreticorum, quæ diebus ieiuniorum carnes coquunt,& cœnam apponunt: quia id ſine notabili ſuo incommodo non poſſunt detractare,& auriga vehẽs Dominam ſuam ad locum adulterij, & Naa-

& Naaman Syrus comitans Dominum suum ad locum idoli, eumque in adoratione sustentans, & veluti iuuans (de quo dixi antea.) Etsi enim hæc & similia speciem mali habeant, & reuera mala sint, quando commodo vitari possunt; quia censetur fieri affectu cooperationis ad malum, tamen quando absque notabili incommodo non possunt detrectari, non sunt mala: Non enim tunc censentur fieri causa cooperationis ad malum, sed vitandi incommodi, & inuoluntariè.

Discursus XII.

In eadem verba: *Non habebis Deos alienos* &c.

Quando obligemur confiteri fidem, & quando liceat fugere eius confessionem.



CHristus Dominus in Euangelio Ioannis taxat multos ex Principibus, qui credebant in Christum, sed non confitebantur eum, ne eijcerentur è Synagoga, & sic diligentes magis gloriam hominum quam Dei. Hinc tractabo quando confessio fidei obliget, & an liceat eam aliquando fugere, seu alio modo ab ea declinare?

1. Externam fidei confessionem esse necessariam ad salutem necessitate præcepti affirmatiui, quo iubemur profiteri fidem Christi suo tempore docet D. Thomas 2. 2. quæstione tertia articulo secundo quod satis colligitur ex verbis Apostoli ad Rom. 10. vers. 9. *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Quod testimonium diuus Augustinus perpendens, de fide & symbolo cap. 1. *Fides*, inquit, *officium à nobis exigit & cordis & linguæ, ait enim Apostolus, corde creditur ad iustitiam, confessio autem ore fit ad salutem. Oportet nos esse iustitiæ memores & salutis: quandoquidem in sempiterna iustitia regnatur à præsenti seculo maligno salui fieri non possumus, nisi & nos ad proximorum salutem, nitentes ore etiam, profiteamur fidem, quam corde gestamus.*

D. Tho. 2. 2. q. 3. ar. 2.

Rom. 10. v. 9.

Aug. de fide & sym. cap. 1.

2. Quando autem præceptum affirmatiuum obliget, iam quærendum est; quia ex natura eius, certum est, quod non semper obliget. Ad cuius intellectum præmittendum est nos tripliciter posse obligari. Primo ratione ipsius fidei, quæ hîc & nunc confessionem sui externam postulat, ne ipsius honor detrimentum patiatur: Secundo ratione alicuius alterius virtutis: Tertio tempore persecutionis, siue illa sit infidelium siue hęreticorum.

3. Iam dico primo fidem obligare ratione sui ad confessionem quando quis peruenerit ad vsum rationis, vt tunc temporis profiteatur fidem visibiliter; quam susceptores in baptismo in eorum vtilitatem professi sunt. Secundo quis adultus admittitur ad baptismum; ea enim de causa Concilium Tridentinum sessione 6. cap. 7. baptismum vocat sacramentum fidei. Et Ecclesiæ vsus habet, vt profitendo recitent ipsum symbo-

Conc. Trid. sess. 6. c. 7.

Symbolum Apostolorum. Tertio ex vsu Iuris Ecclesiastici, cum quis gradus academicos vult suscipere, aut curam animarum ex constitutione Pij quarti. Quia necessum est, vt quis credat id quod docet, & publico munere fungens cautionem det suæ Fidei, quia est fundamentum salutis, & Reipubl. interest inde habere moralem certitudinem. Quarto quando externa confessio est necessaria, vel valde vtilis ad aliquorum vel conuersionem & Fidem, vel in eadem vacillantium confirmationem: Tunc enim tum ratione Charitatis, qua tenetur aliorum saluti consulere, iuxta illud Eccles. 17. *Vnicuique mandauit Deus de proximo suo*; tum ratione virtutis Fidei, cuius honor exigit, vt eam non modo in nobis, sed etiam in alijs quantum possumus promoueamus profiteri, quod singulariter præstitit diuus Paulus dum Romanos & Iudæos instruxit nullam esse salutem, neque in lege naturali, neque in lege Mosaica, sed in Fide in Christum, idque per multa capita in Epistola sua ad Romanos, vbi Gentiles & Iudæi id contendebant, quique suo modo. Quod nunc locum habet non solum quando quis ex officio tenetur, sed etiam quando probabiliter credit minus firmos in Fide eam facile, vel bonorum temporalium amore, vel vitæ conseruandæ causa negaturos. Et in casu, quo existant Fidem irridentes, aut blasphemantes, etiam tenetur eam magnificare; etiamsi non speret aliorum emendationem; eodem modo quo quis tenetur detrahentem corripere, aut alterum cui detrahitur, laudare, vt sic conseruet eius honorem. Quæ omnia colliguntur ex D. Thoma 2. 2. quæst. 3. artic. 2. Vbi docet tunc esse necessariam fidei confessionem, quando per eius omissionem, subtraheretur honor debitus Deo, & etiam vtilitas proximis impendenda, puta si aliquis interrogatus de fide, taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera; vel alij per eius taciturnitatem auerterentur à fide.

Eccles. 17. — Thom 2. 2 q 3 a. 2. — 2. Col.

4. Verum dices hæc præcise non tangunt persecutionem infidelium, aut hæreticorum. Respondeo, tunc quempiam teneri fidem confiteri, cum ab eo, qui publica authoritate præditus est, interrogatur an Christianus sit seu Catholicus. In eo enim consistit Dei honor, atque adeo tunc aperte confitendum est, etiamsi mors sequeretur, nam ab eo gloriam Dei existere colligitur ex verbis Ioannis Euangelistæ capite vigesimo primo. vbi cum Dominus de exitu Petri locutus erat, interpretans addit: *Hoc autem dixit significans, qua morte esset clarificaturus Deum*. Et Matthæi 10. vbi Dominus Apostolis dixit: *Ad præsides & ad Reges ducemini propter me in testimonium illis, & gentibus*. Quæ verba, *in testimonium*, sic interpretatur Maldonatus secundum quosdam sic intelligenda, vt illis de me testimonium constanter fortiterque patiendo præbeatis; intelligunt enim non esse rem veram, pro qua vos mori paratos viderint. Vnde qui pro Christo eiusque religione moriuntur, martyres, id est, Christi testes appellantur Actor. 22. 20. & Apocal. 17. 6. Atqui in tali morte Dei gloriam & amorem ostendi latius prosequitur Diuus Cyprianus in libro de laude Martyrij dum ait: *Vox est ista Christi dicentis, qui in hoc seculo amauerit animam suam, in futuro perdet eam, qui autem in hoc seculo oderit illam, in futuro inueniet eam*. Et paulo post: *Si iustus es, & Deo credis, quid pro eo sanguinem effundere metuis, quem pro te toties passum esse cognoscis: In Esaia sectus, in Abel occisus, in Isaac immolatus, in Ioseph venundatus, in homine crucifixus est. Et de cæteris quidem taceo, quæ nec oratio potest di-*

Ioan 21. — Matth. 10. — Actor. 22. 20. — Apocal. 17 6. — Cyprian. lib. de laud. Martyrij

test dicere, nec animus sustinere. Sic ille & recte. Nam hoc modo Dei gloria augetur cum fidei nostræ testimonium effuso pro Christi amore nostro sanguine reddimus, & resurrectionis ac immortalitatis, nobis per Christi mortem concessæ, spem certissimam demonstramus. Quin etiam magnum honorem Christo videmur deferre, quippe quem tanti facimus, vt coram persecutoribus audeamus eum profiteri, & parati simus, si sit necesse, vitam & sanguinem pro eo profundere.

5. Porro quæres an non liceat vitare tempestiue eiusmodi confessionem? Respondeo per se loquendo (si aliud notabile damnum inde non sequatur) licitum esse ex communi Doctorum sententia tempore persecutionis fugere aut alia ratione se occultare. Quod clarum est, primo ex verbis Christi Matth. 10. *Cum autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Quod non solum de Apostolis intelligendum est, vt vult Tertullianus, sed etiam de omnibus fidelibus: Nam antecedentia & consequentia illius loci non minus in alios fideles, quam in Apostolos conueniunt; immo quædam in alios fideles optime, nullo tamen modo in Apostolos conuenire possunt, vt quod immediate ante dicitur: *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient.* Quæ nullo modo Apostolis conueniunt. [Matt. 10.]

Constat secundò exemplo omnium Sanctorum tam antiqui quam noui Testamenti. Nam 3. Regum 18. centum Prophetæ fugientes sæuientem Iezabel latuerunt apud Abdiam. Et cap. 19. ipse Elias eiusdem tyrannidem fugit. Item 2. Corinth. 11. Sanctus Paulus ne Damasci comprehenderetur, in sporta noctu per murum demissus captiuitatem effugit. Item Act. 12. Sanctus Petrus iam captus ab Herode, diuinitus liberatus eius manus effugit. Immo ipse Christus, qui tamen virtute sua poterat omnem sæuientium vim comprimere, vt nobis daret exemplum, maluit eam fugiendo declinare. Sic Matth. 2. vers. 14. fugit in Aegyptum. Et cap. 4. vers. 40. audiens mortem Ioannis secedit in Galilæam. Et Ioan. 8. vers. 51. abit trans Iordanem. Et cap. 11. vers. 54. quia Iudæi quærebant eum interficere, *Iam non in palam ambulabat apud Iudæos, sed abijt in regionem iuxta desertum in ciuitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.* [3. Reg. 18.] [2. Cor. 11.] [Act. 12.] [Matth. 2. vers. 14.] [Matth. c. 4. v. 40.] [Ioan. 8. v. 51.] [Idem cap. 11. v. 54.]

Patet tertiò ratione: quia fugiens persecutionem nullo modo negat fidem, sed tantum eam expresse non confitetur, ad quod non semper tenetur. Immo implicite quodammodo ipso suo facto eam confitetur, dum ostendit sibi eam esse tanti, vt malit patriam deserere, quam eam negare.

6. Ex quibus liquet tempore persecutionis fugam sæpe non solum esse licitam, sed aliquando etiam præceptam, vt quando vita nostra est necessaria ad proximorum & Ecclesiæ vtilitatem, quam etiam absentes procurare possumus. Aut quando ex mera mansione merito timetur tyrannus exacerbandus, & grauiorem persecutionem excitaturus; aut etiam quando timeo ne tormentis victus fidem abnegem.

Et hæc quidem satis clara sunt in priuatis hominibus, quorum præsentia ad aliorum salutem non est ita necessaria. De quibus tantum ago.

Secundò quia semper licitum fuit tempore persecutionis, data pecunia à Præsidibus impetrare, ne quis ad sacrificandum aut fidem negandam compellatur, vt cōtra Tertullianum hoc in Catholicis repreh-

Baro. anno 205. n. 17. dentem bene probat Baronius anno 205. num. 17. vbi sic habet: *Verum quod spectat ad redemptionem martyrij, id agi licite in Ecclesia, vsurpatumque exemplo Iasonis & aliorum Apostoli Pauli discipulorum constat, qui data pecuniâ se redemerunt*. Id ipsum nempe testatur & S. Petrus Martyr Episcopus Alexandrinus, sic dicens: *His enim qui pecuniam dederunt, vt ab omni improbitatis molestia, omni ex parte moti essent, crimen intendi non potest. Damnum enim, & iacturam pecuniarum sustinuerunt, ne ipsi animæ detrimento afficerentur, vel ipsam etiam perderent: quod alij propter turpe lucrum non fecerunt, cum Dominus dicat: Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur animæ vero suæ detrimentum patiatur? vel quam commutationem dabit homo pro anima sua? Et rursum: Non potestis Deo seruire & Mammonæ. In his enim apparuerunt Deo seruire, exosis, conculcatis, contemptisque pecunijs; & in eo compleuerũt quod scriptum est: Pretium redemptionis animæ hominis, propriæ diuitiæ. Nam in Actis Apostolorum legimus eos, qui pro Paulo, & Sila Thessalonicæ trahebantur, datis multis pecunijs fuisse dimissos. Postquam enim ipsos propter nomẽ multum onerassent, & multitudinem magistratusque perturbassent: ab Iasone, inquit, & reliquis satisdatione acceptâ eos dimiserunt. Fratres autem noctu protinus Paulum & Silam miserunt in Berœam*. Huc vsque Petrus Martyr, intelligens per Iasonis & aliorum satisdationem, pecuniarum largitionem factam esse.

Vnde sequitur simili ratione licitum esse, precibus, aut alia ratione eiusmodi abnegationem etiam coram publico magistratu à se amoliri, & consequenter interrogatus à magistratibus infidelibus circa res fidei, potest eos rogare ne cogant eum ad talia respondere, modo id ita faciat, vt nullo modo innuat se de fidei veritate dubitare; hoc enim non est negare fidem, sed potius eam tacite confiteri: ita enim agens aperte insinuat se credere nostram fidem esse veram; id tamen ne magistratuum iram in se concitet, non libenter publice confiteri, ad quod non semper tenemur.

Tertio quia non teneor semper tempore persecutionis confiteri fidem, aut me prodere tyrannis: immo teneor aliquãdo me non prodere. Est certa & communis Catholicorum sententia. Idq; primum quia obligor solum, quando Deo aut fidei debitus honor, aut proximi vtilitas id exigunt, quæ id non exigunt quouis tempore, etiam in persecutione.

Et vt notat Valentia 2. 2. disput. 1. quæst. 3. part 2. dub. 1. & Sanch. in Præcepta libr. 2. cap. 4. numer. 3. Vt tenear ad confessionem fidei, non sufficit quod aliquis Deo honor, aut proximi vtilitas inde speretur (quia non teneor semper & quocumque modo illa promouere) sed requiri vt ea sint tanti momenti, vt ea hic & nunc cum tanto meo periculo teneat procurare: vt quando mea confessio est necessaria, vt multi ad fidem conuertantur, aut in ea conseruentur. Valent. 2. 2. disp. 1. q. 3. p. 2. dub. 1. Sanch. in Præcepta lib. 2. c. 4. n. 3.

Quod autem non tenear aliquando me prodere fidem publice confitendo patet. Primo, quia cum non possim id facere sine graui vitæ periculo; non possum confiteri nisi inde notabilis proximi spiritualis vtilitas, aut Dei honor sperentur; alias enim vitam prodigerem, quam tamen teneor conseruare. Item mea interfectio fieret cum graui proximi scelere & iniuria in fidem ac Deum, quæ nisi ingenti aliunde emolumento compensentur, teneor prout commode possum vitare: atqui sæpe accidere potest, vt ex mea cõfessione nulla aliorum vtilitas, & exiguus alias Dei honor speretur; vt si sim inter aliquot nebulones, aut etiam in ditione alicuius tyranni, qui intelligentes me fidem confitentem statim clam interficerent: Ergo vt dicta incommoda vitem, teneor tunc quantum commode possum fidem meam licitis modis occultare.

8. Se-

8. Secũdo quia fieri potest quod manendo in vita, lõge magis fidem, Dei cultum, aliorumque salutem sim promoturus, quam si pro eius confessione morerer. Immo fieri potest, vt mea vita necessaria sit ad aliorum salutem, vt si in aliqua vrbe sim vnicus talis, ad quem solum alij in suis difficultatibus possint recurrere, aut si ratione status, & officij mei, quod licite administro, possim multa mala, quæ alias Catholicis inferrentur, impedire; quibus solatijs mea confessione & morte inde sequente eos priuarem: tunc enim ipse honor fidei, & charitas proximi obligabit me, vt, quantum licite possum, vitam conseruem, ideoque fidem meam, aut etiã meipsum occultem.

9. Tertio quia sæpe potest esse probabile periculũ fore vt mea publica confessione sponte oblata grauiter Tyrannus irritetur, & atrocius in Catholicos deſæuiat; & sic per eam essem alijs causa grauis mali, & multis fortasse etiam lapsus, siue negationis fidei; quæ sine dubio vitare teneor. Et in his casibus valet illud Christi Matth. 7. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi disrumpant vos.*

Matt. 7. Quarto quia sæpe merito etiam possum timere de mea incõstantia, ne forte tormentis, eorumue metu victus fidem negem; & ideo tunc tenebor me non temere periculis obijcere.

10. Restat tamen alius scrupulus: An in præsentia tyranni siue infidelis siue hæretici constitutus (præsupposito quod illum non magis exacerbabo, nec animum ipsius in alios fideles concitabo) non possim ab illa cõfessione declinare vel tacendo, vel respondendo, quid ad te? ac illo modo authoritatem interrogantis contemnendo, & se in rebus fidei ostendendo non esse infideli magistratui subiectum?

Respondeo id per se licere, quãdo interrogans ius non habet cum interrogandi de hac re, vt communiter fit ab infidelibus, & hæreticis. Et ratio est, quod sic ostendat se non consentire cum eo in fide, & innuat se esse Christianum seu Catholicum. Quod confirmatur, quia si interrogatus possit fugiendo euitare responsionem, id licite faceret ergo etiam manens coram tyranno.

Quod ita intellige, si aliud malum non sequatur. Nam si id fieret, cuius contrarium præsupposui, aut vtilitas proximi contrarium exigeret, non licet sic declinare, quia ista taciturnitas esset interpretatiua fidei negatio. Idque locum habet, quando quis crederet tacentem cõsentire iuxta commune dictum; qui tacet consentire videtur. In quo casu etiam illicitum est deprecari ne cogaris fidem profiteri, nempe propter scandalum, aut periculum assistentium.

Discursus XIII.

In idem Præceptum: *Non habebis Deos alienos &c.*

De vitijs fidei oppositis, ac Primum de infidelitate.



Dicit Apostolus sine fide impossibile esse placere Deo. Vnde quæram, An infidelitas tam sit praua vt etiam opera infidelium omnia mala sint.

1. Sunt autem tres species infidelitatis, quatenus videlicet fidei opponitur: Paganismus, Iudaismus, Hæresis. Ita docet D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 5. & 6. Prima autẽ repugnat fidei nondum receptæ: Secunda fidei susceptæ in figura. Tertia fidei suscẽptæ in virtute. *D. Thom. 2. 2. q. 10. ar. 5. & 6.*

2. Atque de his infidelitatibus docet Gregor. de Valentia disp. 1. q. 10. p. 4. extra controuersiam esse, eas tantum inter se differre, vt necessario debeat quis in cõfessione explicare ad quannam infidelitatem ex istis deflexerit. Quin imo, inquit, arbitror qualitatem erroris particularis, in quem quis incidit, exponendum esse in confessione: Multum namque interest, vtrum negaueris mysterium, verbi gratia SS. Trinitatis, an solum quod Paulus fuerit Hierosolymis. Itẽ vtrum ad Mahumetismum, an ad superstitionem deflexeris Idololatricam. Quamuis hæc duo notet Caietan. pertinere ad eandem speciem infidelitatis nempe ad Paganismum. *Valët. disp. 1. q. 10. p. 4.*

3. Et de prioribus infidelibus videndum est, An opera eorum ratione infidelitatis omnia mala sint, seu an nihil boni operari possint. Nam Isa. cap. 1. & 66. Dicit Deus incensum, & sacrificia malorum Iudæorum, sibi esse abominationem, seque ea odisse, & offerentes bouem sibi eodem loco esse, ac mactantes canem, & carnem suillam; quę prohibita erant offerri. Item Matth. 7. dicitur arborem malam non posse bonos fructus facere; & ad Rom. 14. *Omne autem quod non est ex fide peccatum est* Ad Titum 1. *Omnia munda mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum.* Ad Hebræos 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*: Ergo sine fide nulla possunt fieri opera, quæ Deo placeant & consequenter nec bona. *Isa. c. 1. & 66.* *Matth. 7.* *Rom. 14.* *Titum 1.* *Heb. 11.*

4. Respondeo, nihilominus existentem in peccato, aut etiam infidelem posse exercere aliquam virtutem moralẽ, quæ in se nullo modo sit vere mala ac vitiosa. Probatur testimonijs Scripturæ Exo. 1. cap. Vbi Deus remuneratur bona opera Gẽtilium: Sic enim habetur: *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit illis domos.* Sẽsus est, quia Aegyptiæ obstetrices non paruerunt iniusto imperio Pharaonis, qui iusserat occidi omnes infantes masculos Hebræorum, existimantes id esse, vt reuera erat, contra Dei voluntatem, ideo Deus pro misericordia, quam exercuerunt in filios Hebræorum dedit eis pro mercede copiosam & fœlicem prolem, atque ita domos illis ædificauit, atque stabiliuit. *Exo. 1.*

Alius locus est Ezech. cap. 29. *Fili hominis Nabuchodonosor Rex Babylonis fecit seruire exercitũ suum, seruitute magna aduersus Tyrum. Omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus est, & merces non est reddita ei, neque exercitui eius, de Tyro pro seruitute, qua seruiuit mihi aduersus eam. Præterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce dedi Nabuchodonosor Regem Babylonis in terram Aegypti, & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet spolia eius, & erit merces exercitui illius.* Exercitus iste sine dubio infidelis erat, & tamen quia fideliter Regi suo seruiuit in *Ezech. 29.*

fuit in bello iusto contra Tyrum, quam vrbem ob sua peccata Deus auerti volebat, ideo mercedem illi reddidit, donans illi mirabili prouidentiâ spolia Aegypti, quæ propter scelera quoque sua spoliari meruerat. Itaque S. Hieron. in Comment. sic ait: *Ex eo quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei iudicio præteriri.*

3 Reg. 2. Ione 3. Item 3. Reg. 21. & Ionæ 3. Deus placatus pœnitentia Achab, & Niniuitarum merita supplicia distulit. Dan. 3. Hinc Dan. 3. cū prædixisset Daniel Regi Nabuchodonosor grauē pœnā temporalem à Deo propter peccata sua, hortatur illam ad eleemosynas, quibus redimat, siue auertat pœnā illam temporalē. *Nunc*, inquit, *Rex, consilium meum placeat tibi, peccata tua eleemosynis redime.* Quod si eleemosynæ hominis infidelis auertere poterant pœnam temporalem, certe bona opera erunt non peccata: Non enim peccata iram Dei mitigant, sed magis accendunt.

5. Secundo probatur ex alijs Scripturis, quæ indicant infideles facere aut posse facere aliqua bona opera. Matth. 5. Matth. 5. *Si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis, nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti* &c. Quo loco tribuitur Ethnicis bonum opus ostendendi signa beneuolentiæ erga suos; nisi enim hoc bonum esset, non diceret Dominus, quid amplius facitis? sed cur hoc facitis? Vult igitur suos Dominus non cōtraria, sed maiora facere. Rom. 2. Ad Rom. 2. *Cum gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt* &c. Hic Apostolus docet apertè Gentiles naturali lumine implere aliqua legis mandata. Quod autem ita impleant, vt non peccent, docet D. Chrysostomus in Commēt. Cum ait eos implere omnia quę legis sunt, id est, mandatum cum omnibus circumstantijs obseruare.

Idem expresse testatur Hieron. in cap. 1. ep. ad Galatas. *Ex quo*, inquit, *perspicuum fit, naturâ omnibus inesse Dei notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, & non habere semina in se sapientiæ, & iustitiæ, reliquarumque virtutum. Vnde multi absque fide, & Euangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè, vt parentibus obsequantur, vt inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, nō aliena diripiant.* Hoc loco S. Hieron. non solum concedit sine fide aliqua opera sancta fieri, sed etiam sanctè. Nullo autem modo sanctè fieri dici potest, quod cum peccato fit. Idem in c. 5. ad Galat. *Quando*: inquit, *iuxta Iacobum fides absque operibus mortua est, sic absque fide quamuis bona opera sint mortua computantur.* Fides sine operibus non est falsa, sed vera tametsi mortua dicatur, quia non operatur salutem æternam: igitur & opera bona sine fide non sunt mala, sed vere bona, mortua tamē, quia nihil prosunt ad veram vitam, quæ est in cœlis comparanda.

6. Verumenimuero quæres an ad salutem quid proficiant?

Respondeo negatiue, teste Apostolo dicente, sine fide impossibile esse placere Deo, sed tantum ad tēporalem remunerationem. Vnde S. Chrysostomus hom. 67. ad populum Antiochenum. Chrysost. hom. 67. *Non potest*, inquit, *malus omnino malus esse, sed euenit, vt aliquid habeat boni: neque bonus esse omnino bonus, sed nonnulla solet habere peccata. Cum itaque malus prosperis vtitur rebus, ad capitis sui perniciem vtitur, vt enim illorum paucorum bonorum retributionem hic capiens illic deinde puniatur hac de causa recipit.*

Author item operis imperfecti hom. 26. in Matthæum: *Audi*, inquit, *mysterium quod Petrus apud Clementem exposuit, si fidelis fecerit opus bonum, & hic ei prodest, liberans eum à malis, & illic ad percipiendum regnum cæleste, magis autem ibi quam hic. Si autem infidelis fecerit opus bonum, hic ei prodest opus ipsius, & hic ei reddit Deus bona pro opere suo, in illo autem sæculo nihil ei prodest. Nec enim collocatur inter cæteros fideles propter opus suum & iuste. Quia naturali bono motus fecit bonum; non propter Deum.*

Porro quæres, cum opera faciant exterius bona, Quare ergo Apostolus inhi-

lus inhibet Christianis conuersationem cum infidelibus, in verbis 2. Cor 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus; quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi cum Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?*

Respondeo id spectare primo communicationem Fidelium cum Infidelibus, in ijs quæ spectant ad falsum cultum, & irreligionem, quam vetitam ostendi peculiari discursu. Secundo ob periculum subuersionis, ob quod Ecclesia vetuit Matrimonium Christiani cum infideli, & subiectionem, ac nimiam cum eis familiaritatem. Patet cap. Caue 28. q. 1. *Caue Christiane Gentili aut Iudæo Filiam tradere*, Caue, inquit, Gentilem aut Iudæam atque alienigenam, hoc est, omnem Hæreticam & alienam à Fide tua accipere tibi in vxorem. Ob quam causam prohibuit illis etiam officia conferre, vt patet cap. Nulla d. 54. *Nulla Officia publica Iudæis iniungantur, per quæ eis occasio tribuatur pœnam Christianis inferre.*

Cap. Caue 28. q. 1.

Cap. nulla d. 54.

Quod similiter dicendum est de omni conuersatione etiam humana Fidelium cum Infidelibus, ex qua derogetur Fidei, vel nascatur periculū subuersionis ipsorum Fideliū, aut scandalum pusillorum quandoquidem iure diuino talia sunt euitanda. Cætera alibi discussimus.

Discursus XIV.

In idem Præceptum.

De Hæresi, Hæreticis, & Hæresiarchis.

APostolus Paulus docet hæreticum hominem post vnam aut alteram correptionem esse euitandū. Porro quia id fieri nequit, nisi quis sciat quid sit hæresis. Illud hoc discursu inquiram.

1. Hæresis itaque ex sua prima origine siue institutione significat electionem, vt notat Tertullianus lib. de præscrip. cap. 6. dicens: *Hæreses dicta à Græca voce ex interpretatione electionis, qua quis siue ad instituendas siue ad suscipiendas eas vtitur.* Vnde deinde deriuatum est illud nomen, ad significandam quamuis opinionem in quauis disciplina, quam aliqui sibi eligebant sequendam. Hinc Hieronymus in cap. 3. ad Galat. *Hæresis autem Græce ab electione dicitur, quod scilicet eam vnusquisque deligat disciplinam, quam putat esse meliorem.* Sic olim alia fuit secta, siue heresis Peripateticorum, alia Stoicorum. Sic erroneè doctrinam Fidei olim aliqui vocabāt hæresim, vt patet ex illo Act. 24. vbi Paulus dicit: *Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt hæresim, deseruio Deo meo.* Verū apud Ecclesiasticos authores hæresis accipitur in malam partem, & significat errorem in Fide: definitur autem hoc modo. Hæresis est voluntarius error intellectus, contra aliquam Fidei veritatem, cum pertinacia assertus ab eo qui Fidem recepit.

Tert de pres. c. 6.

Hieron. cap. 3. ad Galat.

Act. 24.

2. Vt ergo aliquis sit hæreticus proprie dictus. Primo necesse est, vt aliquando professus sit Christianam Fidem. Ita D. Thomas 2. 2. q. 11. ar. 1. cum ait: *Hæresis est eorum, qui Christi Fidem profitentur sed eius dogmata corrumpunt.* Ratio est, quia qui nunquam professus est Fidem Christianam, vel eam acceptauit, non est hæreticus, etiamsi erret: sed Iudæus, vel Paganus. Secundo satis est, vt aliquis reuera sit hæreticus, si aliquando professus fuerit Fidē Christi, licet non sit Baptizatus, sed tantum Cathechumenus. Et probatur

D. Tho. 2. 2. q. 11. ar. 1.

primo

primo ex Conc. Nicæno cap. 19. Vbi statutum est eos, qui ex hæresi Pauli Somasatani redirent ad Ecclesiam Catholicam debere baptizari Cuius canonis meminit D. Augustinus hæresi 44. vbi dicit: *Istos sane Paulianos baptizandos esse in Ecclesia Catholica Nycæno Concilio constitutum est*. In quo decreto supponitur aliquos esse hæreticos, antequam baptizentur.

Conc. Nicen. c. 19.

D. August.

Secundo probatur ex Augustino lib. de vnico baptismo contra Petilianum c. 3. & in præfatione ad lib. de hæresibus. Vbi supponit aliquos esse hæreticos qui quando redeunt ad Ecclesiam, baptizari debeant, eo quod apud ipsos non fuerit validus baptismus propter aliquem defectum.

D. August.

5. Tertio requiritur, vt quis sit hæreticus, illum habere voluntariũ errorem intellectus cũ pertinacia. Nemo enim est vere hæreticus nisi in suo errore sit pertinax. Patet primo, ex D. August. qui epis. 162. initio explicans illud Apostoli ad Titum 3. *Hæreticum hominem post vnã atq; secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est qui est eiusmodi*, ait: *Sed qui sententiam suam quamuis falsam atq; peruersam nulla pertinaci animositate defendunt* &c *parati corrigi cum inuenerint* (scilicet veritatem) *nequaquam sunt inter hæreticos computandi*. Item contra Manichæos citatus c. Qui in Ecclesia 24. q. 3. ait: *Qui in Ecclesia morbidum aliquid, prauumque quid sapiunt, si correcti vt sanum rectumque sapiant, resistant contumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt*. In quibus locis ad hæresim apertè requirit pertinaciam, non paratam corrigi. Item lib. 4. de Bapt. contra Donatistas cap 16. docet, ex errore credentem idem cum Photino tum primum esse hęreticum, cũ manifestata sibi doctrina Catholicæ fidei, maluerit resistere, & illud quod tenebat elegerit. Vt patet ex eius verbis: *Constituamus*, inquit, *aliquem sentire, id de Christo, quod Photinus opinatus est, existimantem ipsam esse Catholicam fidem, nondum illum hæreticum dico, nisi manifestata sibi doctrina Catholicæ fidei resistere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit*.

D. August. Titum 3.

His sic positis certum est primò hæreticos esse qui scienter sustinent quid contrarium sacræ Scripturæ, aut definitioni Ecclesiæ, videlicet hominem non habere liberum arbitrium, opera bona non esse necessaria ad salutem; Sanctos non esse inuocandos, eorum reliquias non esse honorandas: delectum ciborũ esse superstitiosũ, Sacramẽta Christi nihil magis operari quam Sacramenta legis Mosaicæ, hisque similia.

Secundò constat hæreticum esse, qui pertinaciter adhæret alicui falsæ doctrinę, etiamsi esset in re minima, quæ in se videretur parui momẽti, exẽpli gratia, qui pertinaciter sustineret Moysẽ per seniũ cœcitatem oculorum incurrisse, aut edentulum fuisse: Dicit enim Scriptura Deutron. vltim. *Moyses centum & viginti annorum erat, quando mortuus est, non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt*. Similiter qui sic sustineret, super sepulchrum Lazari non fuisse superpositum lapidem. Nam Ioan. 11. dicitur. *Iesus rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum* (nempe Lazari) *erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei*. Cõfirmatur ex Clementina Vnica de summa Trinitate. Vbi Pontifex definit hæreticum censendum esse, qui deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis non sit forma corporis humani.

Deutron. vlt.

Ioan. 11.

Tertio baptizatum & nutritum inter Hæreticos aut infideles, hæresim aut infidelitatem amplectentem teneri, cũ adultus audierit res fidei sufficienter illi propositas, ijs credere. Itaque debere esse dispositum, vt, sciens aliquid ab Ecclesia esse definitum, assensu interiori credat, & paratus sit ab Ecclesia definienda similiter admittere.

5. Sed quæstio est, an ex ignorãtia culpabili errorem habens cõtra fidem, sit hæreticus. Respondeo distin-

ſtinguendum eſſe ignorantiam culpabilem ſeu voluntariam. Poteſt enim eſſe craſſa & ſupina, qua quis nō ex induſtria & propoſito, ſed ex quadā negligentia ignorat ea, quæ poteſt & debet ſcire. Poteſt etiā eſſe affectata, quando quis de induſtria vult aliquid ignorare. Rurſus illa affectata poteſt accidere ex tædio addiſcendi tantum. Et neutro modo quis eſt hæreticus, quia ſic errās non offendit authoritatem Eccleſiæ tanquam pertinax & incredulus: licet offendat Deum tanquam culpabiliter ignorans. Vnde eſt magna differentia inter peccatum & hæreſim: Committens enim homicidium aut adulterium ex ignorantia culpabili, non excuſatur à peccato: ſed habens errorem contra fidem excuſatur ab hæreſi, quia illa includit eſſentialiter pertinaciam, qua nemo laborat, non aduertens ſe ſentire contra Eccleſiam.

6. Nota iterum affectatam ignorantiam poſſe contingere ex falſa opinione contra Eccleſiam, qua quis putaret parui momenti eſſe ea, quæ in Eccleſia creduntur & proponuntur. Et hoc modo eſſet hæreticus, qui ex illa falſa opinione affectaret ignorantiam.

7. Ex his infero zeloſos quoſdam ex ignorantia quadam falſo ſibi perſuadentes ſuam ſectam veritati & Euangelio conſentaneam eſſe, vt plurimi ſunt in Germania, Anglia, Francia & Belgio, nati ex parentibus hæreticis, non eſſe cenſendos hæreticos, etiāſi ſummo ſtudio ſuam ſectam velint defendere: quia ex ignorantia peccant. Et ſimiles ſunt D. Paulo ante conuerſionem, qui de
Gal. 1. ſeipſo ſcribit, ad Galat. 1. *Audiſtis conuerſationem meā aliquando in Iudaiſmo, quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Iudaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator exiſtens paternarum mearū traditionum.* Et tales idcirco miſericordiam ſæpius conſequuntur, vt conuertantur, vt nobis idem Apoſtolus
1. Tim. 1. ſcripto reliquit 1. ad Timoth. 1. cum de ſe dicit: *Miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Et hoc experientia ſæpe docuit in hiſce partibus. Memorabile eſt quod mihi contigit ante annos vndecim, cum requirerer à quodam Mercatore huius vrbis ſcriptum cōficere, probatum teſtimonijs Scripturæ, quibus liqueret ſufficere cōmunionē ſub vna ſpecie, quod quidā vir magni nominis ſectæ Lutheranę in Germania paratus eſſet Catholicam fidem ſuſcipere, ſi id ei ſic probaretur. Conſcripſi aliquid compendioſè, maxime ex Bellarmino & Suarez, quod ad illum miſſum eſt. Et intellexi poſt paucas ſeptimanas ex dicto mercatore illum cū totâ familiâ conuerſum à Lutherana ad Catholicam fidem. Et poſtea aliam ſalutationē ab eo accepi, qua indicauit moleſtiam ſcribendi non fuiſſe gratis ſuſceptam, quod ſexaginta eum eſſent ſecuti; quod ſignū eſt, tales paratos eſſe poſt meliorem inſtructionem verę Eccleſiæ ſubſcribere atque adeo non eſſe hæreticos tales illico dicendos.

8. Frigidos autem, qui non ex ignorantia manent in ſuo errore, ſed ſcientes Eccleſiam aliter docere, tergiuerſātur & friuolas excuſationes afferunt, ſequitur eſſe inexcuſabiles à peccato hæreſis. Et tales ſunt magno numero in partibus Germadiæ, Angliæ, & Belgij. Quorum aliqui prætēdunt ſe in ea ſecta, quam defendunt, natos & educatos eſſe. Alij, quod exhæredarentur à parentibus, ſi fidem Catholicam amplecterentur. Alij propter amicos & conſanguineos alterius ſectæ id negligunt, quia, etiamſi actu crederent, non tamen auderent profiteri. In hoc ſimiles ſunt Principibus illis, de quibus dici poteſt illud Ioannis 10. *Dilexerūt gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Alij alias friuolas prætendunt cauſas, quæ coram Deo excuſationem non habebunt.

9. Quæres iterum, an dubius in fide hæreticus ſit. Reſpōdeo primò dubitantem inuoluntariè & dubitatio-

rationibus resistentem, non esse hęreticum. Secundo nec scrupulosum, qui inuitus patitur cogitationes vel blasphemias hæreticas contra Deum, & Sanctos. Nec obstat, quod hos patiens plerumque videatur sibi consentire, cum hoc ipso quod de ea re tristetur, easque nollet habere; signum sit non adesse consensum. Vnde consultius illis est, eas prorsus contemnere, quia dum resistunt, augent scrupulos, & dubitationes sibi magis molestas reddunt. Tertiò positiue dubitantem, dico esse hæreticum. Probatur ex cap. 1. de hæreticis. Vbi Stephanus Papa dicit: *Dubius in fide infidelis est.* Et ex B. Augustino, qui lib. 3. de Trinit. cap. 5. loquens de B. Virgine docet esse contra fidem, siue hæreticum, dicere siue iudicare Christum fortasse natum de Virgine, his verbis: *Itaque hic salua fide licet dicere, forte talem habet faciem, fortè non talem: forte autem de Virgine natus est Christus, nemo salua fide Christiana dixerit.*

Stephan. Papa. *August.*

10. Quæres denique an hæretici & hæresiarchæ alijs infidelibus sint deteriores.

Respondeo affirmatiuè, quia Paganus renititur Christianæ fidei nullo modo susceptæ. Iudæi susceptæ in figuris, dum legem eiusq; ceremonias ac Prophetas suscipiunt, in quibus tanquam in figura nostra fides continetur & prædicitur. Hæreticus vero renititur fidei in clara manifestatione susceptæ. Vnde D. Chrysostomus hom. 50. ad populũ, loquens de ijs qui dicũt se Christianos, & tamen negãt futuram vitam ait: *Nunquam talem Christianum dicam, sed potius Gentilibus peiorem*. Idem dicit D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 6. dicens hæresim esse pessimam infidelitatem. Quod mirum non est ab eis doceri, cum tales Diabolum audiant non Christum, dum ministris eius aurem præbent, & ratio est quod hæretici scripturam voluentes, mysteria Fidei scrutantes, & eorum veram cognitionem profitẽtes subseruiunt, qui (inuidẽs Christianismum Idololatriam funditus euertere) hæreses adinuenit, quibus sub titulo Christiani nominis incautos falleret, de qua re pulchrè Cyprianus: *Prostratus videns ille* (scilicet Diabolus) *idola derelicta, & per nimium credentium populum sedes suas ac templa deserta, excogitauit nouã fraudem, vt sub ipso Christiani nominis titulo fallat incautos; hæreses inuenit, & schismata, quibus subuerteret Fidem, veritatem corrumperet, scinderet vnitatẽ. Quos detinere non potest in via veteris cæcitate, circumscribit, & decipit noui itineris errore, rapit de ipsa Ecclesia homines, & dum appropinquasse iam lumini, atque euasisse seculi noctem vident, alias nescientibus tenebras rursus infundit, vt cum Euangelio Christi, & lege non stantes Christianos se vocẽt, & ambulantes in tenebris habere se lumen existiment blandiente aduersario, atque fallente, qui secũdum Apostoli vocem transfigurat se velut angelum lucis & ministros subornat suos, velut ministros iustitiæ, asserentes noctem pro die, interitum prò salute, desperationem sub obtentu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Antichristum sub vocabulo Christi, & dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur.*

Chrysost. hom. 50. *D. Thom.* *l. de vnitate Ecclesiæ* *2 Cor. 11.*

Pariformiter loquitur Augustinus lib. 18. de Ciuit. c. 51. cuius hæc sunt verba: *Videns autem Diabolus templa dæmonum deseri, & in nomen liberantis mediatoris currere genus humanum, hæreticos mouit, qui sub vocabulo Christiano doctrinæ resisterent Christianæ, quasi possent indifferenter sine vlla correptione haberi in ciuitate Dei, sicut ciuitas confusionis indifferenter habuit Philosophos inter se diuersa & aduersa sentientes.* Vnde Christus nos muniẽs cõtra hæresiarchas sub Christi nomine cõtra Christum militantes, dixit Matth. 7. *Attendite vobis à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

August. li. 18. de Ciuit. c. 51. *Matt. 7.*

Verũ dices, id nulla ratione Nouantes admittent, asserunt enim se non peruersores, sed reformatores esse Christianæ religionis. Asserunt quidem, sed quam inique sequentibus discursibus discutiendum est.

Discursus

Discursus XV.

An Ecclesia Christi aliquando indiguerit Reformatoribus?

SOlet communiter dici de contensiosis hominibus: *Non his d fensoribus hoc tẽpus eget.* Quod maximè de Luthero, Caluino, similibusq; hæresiarchis dicendum fuit. Verum quia illi obstrepunt, & Ecclesiam Christi necessariò reformandã voluerunt; hinc quæram quod in argumento ponitur.

1. Huius rei intelligentia depẽdet ab eo, an Ecclesia Christi, quæ visibilis est, errare potuerit, aut deficere à fide, ita vt tota multitudo Christianorum, quatenus ex Pastoribus & ouibus conflata est, erret in aliquo puncto fidei? Seu clarius. Vtrum Ecclesia visibilis toto Orbe diffusa possit sic à Christo deseri, vt profiteatur publicè aliquod dogma, quod sit contra fidem vel Euangelium: nam si errauit, necessariò indiguit reformatione: loquor autem de tota Ecclesia, nam quod aliqui errent vel errarint, extra controuersiam est. Vt patet exemplo Nicolai tempore Apostolorũ, Marcionis & Valẽtiniani tempore Tertulliani, Arij, Macedonij, Nestorij, Euthycis & Dioscori, Pelagij, Donati & aliorum, qui diuersis temporibus, in varijs fidei punctis errarunt.

2. Lutherani & Caluinistæ sentiunt veram Ecclesiam Christi posse errare & errasse. Catholici contrariũ sustinent; quorũ sententiã probo primò Testimonijs veteris Testamenti, quæ de Ecclesiæ Christi firmitate loquuntur, nempe Isaiæ 16. cap. vbi Propheta taxans auaritiam & impietatem Pharisæorum & Sacerdotum tempore Christi, qui prætextu Sacrificij & Oblationis Dei, expilabant Viduas & Virgines, orphanos & pauperes, imo iubebãt filijs vt parentes debita alimonia priuarent in verbis: *Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocausto dicit, & dabo opus eorum in veritate & fœdus perpetuum feriam eis.* Id est, statuam Apostolos principes Ecclesiæ pios & iustos pro impijs & sceleratis Pharisæis, quorum rapinas & auara impiaque lucra in oblationibus & holocaustis suis detestor, Apostolorumq; munera plus diligam, quia iusti, quamuis pauperes, & efficiam vt opus, id est fructus æquè ac merces eorum sit vera, id est, firma & stabilis, vt scilicet Ecclesia, quam ipsi fundabunt semper perduret, vtque ipsi cum suis quos conuerterint, æternâ mercede & gloriâ donentur, idque fœdere firmabo quod cũ Apostolis & Ecclesia sanciã: ex quo fiet, vt nec eius fides & gratia vnquam deficiat, nec eam Deus deserere possit. Isa. 16 c.

Alius est locus Ieremiæ 31. vbi Propheta sub typo liberationis Israëlis ex Aegypto, Babilone & Assyria simbolicè pergit describere libertatem, lætitiã, bonaq; noui Testamenti, & Ecclesiæ multiplicationem per multas terrenas Metaphoras, quorum bonorum omnium fons erit, quod fœmina circumdabit virum, seu quod Beata Virgo in vtero suscipiet Christum Saluatorem, & tandem vers. 33. promittit se initurũ nouum fœdus cũ Christianis, quod erit perpetuum, in verbis: *Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israël post dies illos dicit Dominus: Dabo legem meã in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Et vt firmitatẽ eius intelligas addit vers. 35. *Hæc dicit Dominus, qui dat Solem in lumine diei, ordinem* Ierem 13. Vers. 33. Vers. 35.

ordinem Lunæ & Stellarum in lumine noctis: qui turbat mare, & sonant fluctus eius, Dominus exercituum nomen illi. Si defecerint leges istæ coram me, dicit Dominus: tunc & semen Israel deficiet, vt non sit gens coram me cunctis diebus. Hæc dicit Dominus: si mensurari potuerunt Cæli sursum, & inuestigari fundamenta terræ deorsum & ego abijciam vniuersum semen Israel propter omnia quæ fecerunt dicit Dominus. Quasi dicat duobus argumentis confirmo pactum meum fore perpetuum. Vnum est eiusmodi. Ego qui paciscor vobiscum, sum idem ille Deus, qui naturalem legem & ordinem constitui Soli, Stellis, & Mari: Soli vt luceret per diem; Lunæ & stellis, vt lucerent per noctem; Mari vt sonaret & agitaretur ad imperium meum. Si autem ordinem in naturalibus constantem seruo, multo magis in supernaturalibus seruabo, & citius ista peribunt, quam semen Israël, id est, populus fidelis & Ecclesia Christiana deficiat.

Alterum est, sicut nemo hominum potest altitudinem & magnitudinem Cælorum comprehendere, aut terræ profunditatem penetrare; sic nunquam fiet vt ego vniuersum Israëlem abijciam propter iniquitates suas, quas fecerunt; quinimo propter Christum iam Apostolos & aliquos alios ex Israël, atque in fine mundi Israëlitas omnes mihi & sibi, saluti & Ecclesiæ restituam.

3. Probo secundo testimonijs noui testamenti, & primum Matt. 16. capite. Vbi Christus promittit quod velit Ecclesiam suam ædificare super firmam petrã, & quod portæ inferi non sint eam expugnaturæ, in verbis: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* In quibus Christus alludit ad id quod Matt. 7. 24. dixerat, sapientem architectum esse, qui ædificat domum super Petram: stultum qui super arenam. Causam addit: quia quando oritur aliqua vehemens tempestas, mox corruit illa quæ super arenam; non altera quæ super petram fundata est. Christus ergo voluit imitari sapientem architectum, & ædificare Ecclesiam suam super petram, vt nullâ ventorum aut imbrium vi possit disturbari. Hinc patet eos, magnam iniuriam irrogare Christo, qui asserunt Ecclesiam ab ipso ædificatam posse deficere, & re ipsâ defecisse. Nam inde sequitur non super petram, sed super arenam fuisse ædificatam: ac proindè Christum fuisse stultum, non sapientem Architectum. Imo fuisse mendacem, quod promiserit se super petram ædificaturum, & non fecerit: quod dixerit portas inferi non præualituras, & præualuerint.

Matt. 16. c.

Pulchrè de ea diuus Augustinus libro primo de Symbolo ad Catechumenos. *Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia vna, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica contra omnes hæreses pugnans: pugnare potest, expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa. Ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua. Portæ inferorum non vincent eam.* Et diuus Bernardus sermone 79. in Cantica tractans illa verba Cantic. 3. *Tenui eam nec dimittam, donec introducam eam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* sic ait de Ecclesia. *Ita est ex tunc & deinceps non deficit genus Christianum, nec fides de terra, nec charitas de Ecclesia. Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in eam, & non cecidit, eo quod fundata esset supra petram: petra autem est Christus. Itaque nec verbositate Philosophorum, nec cauillationibus hæreticorum, nec gladijs persecutorum potuit ista aut poterit aliquando separari à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu, adeò fortiter tenet, quem diligit anima sua, adeo illi adhærere Deo, bonum est. Glutino bonum est, ait Esaias.*

August. l. 1. de Symb.

D. Bern.

G Quid

Quid hoc tenacius glutino, quod nec aquis eluitur, nec ventis dissoluitur, nec scinditur gladijs. Denique aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem.

1.Tim.3. Secundò ex loco Apost. 1. ad Timoth. 3. vbi vocat Ecclesiam columnam & firmamentum veritatis, cum enim descripsisset dotes & virtutes requisitas in Episcopo, & alia, monens Timothæum vt dignè, exactè & vigilanter conuersetur, obeatque munia Episcopalia in Ecclesia Dei, scilicet vt cogitet id facere in domo Dei, his vtitur verbis: *Hæc tibi scribo, quomodo oporteat te in domo Dei conuersari.* Et addit: *Quæ est columna & firmamentum veritatis.* Id est, columna firma & stabilis, quæ à veritate deflectere non potest: & sua firmitate ac stabilitate sustentat filios suos, ne à veritate aberrent. Quæ verba addidit Apostolus, vt innuat Timothæo magno cum studio ad hæreses & errores euitandos ac refellendos, puræ veritati intelligendæ & prædicandæ in Ecclesia, sibi incumbendum esse, adeoque se non Iudaïzantium aliorum nouantium, sed Ecclesiæ fidem sequi, & prædicare debere, vtpote quæ sit basis veritatis; ac præsertim articulum illum fidei primarium, & tunc maximè necessarium, quem subijcit ibidem Apostolus, scilicet vt prædicet fidem Ecclesiæ de Christo vnico Redemptore, excluso Moyse & operibus legis; hoc enim est *magnū pietatis Sacramentum*, quod subdit illic Apostolus.

Matth 28. Tertiò ex verbis Christi Matth. 28. cap. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Vbi Christus promisit Ecclesiæ se semper & sine intermissione illi adfuturum per directionem & gubernationem suam, ac infallibilem adsistentiam Spiritus sancti.

4. Probo tertiò Ecclesiam Christi seu Catholicam Apostolicam Romanam errare non posse, ex confessione Aduersariorum, quâ fatentur eam primis quingentis annis seruasse veram fidem: si enim tunc vsque seruauit, ergo vsque in finem; hoc enim sequitur ex prædictis testimonijs. Illam Nouantium confessionem pulchrè describit Edmundus Campianus septimâ Ratione ex Decem, quibus prouocat Academicos Anglicos. *Dant*, inquit, *nobis Aduersarij, nec aliter possunt, fuisse Romanam Ecclesiam aliquando Sanctam, Catholicam, Apostolicam; tum, cum hæc à Diuo Paulo promeruisset elogia. Vestra fides annunciatur in vniuerso mundo* (Rom. 1.) *: sine intermissione memoriam vestri facio* (Rom. 15.) *: Scio quoniam veniens ad vos in abundantia benedictionis Christi veniam* (Rom. 16.)*. Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi, vestra enim obedientia in omnem locum diuulgata est, tum, cum ibi Diuus Paulus in libera custodia disseminaret Euangelium* (Act. 28.)*; tum, cum in ea quondam Babylone collectam Ecclesiam Petrus regeret* (1.Pet.5.)*, tum, cum ille Clemens apprimè laudatus ab Apostolo sederet ad ipsa gubernacula* (Hieron. in escr. Eccles. & Papias 2 hist. apud Eus. 14. Philip. 4.)*, tum, cum prophani Cæsares, vt Nero, Domitianus, Traianus, Antonius Romanus Pontifices laniarent, tum etiam vel Caluino teste* (Iren. l. 3. c. 3. in Instit. l. 4. c. 2. nu. 3. & in Epist. ad Sadol.)*, cum Damasus, Syricius, Anastasius, Innocentius clauum tenerent Apostolicum. Hoc enim seculo, nihil adhuc, præsertim Romæ digressos ab Euangelica doctrina, liberaliter ille concedit.*

5. Porro ex his concludo, Ecclesiam Christi, Romanam, Pontificiam, Catholicam non potuisse deficere à fide, quia fuit vera Christi Ecclesia, contra quam Christus dixit, portas inferi non præualituras, quamque Apostolus vocat, columnam & firmamentum veritatis, idque secundum Catholicos, quia à veritate deflectere non potest: Et secundum Caluinum, quia est fida custos veritatis, eamque puram & sinceram ad posteros transmittit. Aut secundum Bezam, quia non alibi habitat veritas Dei in hoc mundo, nisi in Ecclesia. Denique, quia Christus non dixit: Ego tecum sum quingentis annis, & posteà post aliquot secula te deseram vsque ad tempora Lutheri & Ioan. Caluini; sed disertè, *omnibus*

nibus diebus vsque ad consummationem seculi: Ac proinde reformatoribus non indiguisse, donec probet Christum in suis promissionibus fefellisse (quod blasphemum est), aut quo tempore defecerint & in quibus articulis. Verum ne inauditâ parte canamus triumphum, audiamus obiectiones aduersariorũ, & euidenter patebit, Ecclesiam neque defecisse, neque reformatoribus indiguisse.

6. Aiunt igitur Synagogam seu totam Ecclesiam Iudæorũ (de qua Num. 27. dicitur: *Audiat eum omnis Synagoga filiorum Israël* sæpè defecisse à fide, vt tempore Moysis, quando Aaron cum toto populo adorauit vitulum aureum, Exod. 32. Secundo tempore Eliæ, quando nullus mansit fidelis, nisi solus Elias, vt ipsemet conqueritur 3. Reg. 19. 14. *Derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam vt offerant eam*. Tertio tempore Isaiæ & Ieremiæ, quando omnes recesserunt à Deo. Isa. 1. 3. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognouit*. Et Ierem. 2. 13. *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*. Et 2. Paralip. 15. 3. *Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero & absque Sacerdote doctore, & absque lege*. Quarto, tempore mortis Christi, quando tota Synagoga cum omnibus cæremonijs suis expirauit.

Num. 27. — Exod. 32. — 3. Reg. 19. 14. — Isa. 1. 3. — Ierem. 2. 13. — 2. Paralip. 15. 3.

7. Porrò à paritate rationis argumentantur Ecclesiã Christi posse deficere: Respondeo priorem partem seu antecedens esse falsũ, quia Synagoga tota nõ defecit: quia nec Moyses nec Leuitæ à fide recesserunt, sed potius iussu Dei idololatras occidendo ostenderunt suum zelum pro cultu veri Dei: atque filij Leui nõ pauci erant, sed numero viginti duo millia, vt patet Num. 3. v. 39. Tempore etiam Eliæ, Isaiæ, & Ieremiæ, licet plures defecerant à vera fide, sub Rege Ieroboam & publicè Idola coluerant, nihilominus tam in regno Israël quam Iuda multi fuerunt qui abstinebãt ab Idololatria, & verum Deum agnoscebãt, vt patet 3. Reg. 19. Vbi Elias questus se solum relictum esse, audiuit respõsum à Deo. *Dereliqui mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incuruata ante Baal*. Et similiter de Tobia legimus, Tob. 1. *Cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat Rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium: sed pergebat in Ierusalem ad Templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel*. Et in Regno Iudæ, fuerũt Reges aliquot boni & cultores veri Dei, vt Asa, Iosaphat, Azarias, Ioathan, Ezechias, & Iosias, sub quibus vera Religio vel restaurata vel conseruata est.

Num. 3. v. 39. — 3. Reg. 19. — Tob. 1.

Quod vero additur de defectione tempore Christi, gratis dicitur, nam tunc non defecit à vera fide, quam antea profitebatur, sed repudiata est cum suis cæremonijs & sacrificijs, & in locum eius successit Ecclesia Christi, & hoc sic necessario fieri debebat; quia Synagoga continebat vmbram futurorum, vt dixit Paulus ad Hebræos 10. in verbis. *Vmbrã enim habens lex futurorum bonorum &c.* Et præfigurabat per Christum adimplenda, adeoque cessare debuit, quando venit Ecclesia cum Christo. Hinc non habuit promissiones de sua firmitate ac stabilitate, quẽadmodum habet Ecclesia, de quibus supra dixi. Et ab Apostolo Galat. 4. comparata est Agar ancillæ quæ fuit repudiata. Ecclesia vero Christi vxori Abrahæ, quæ non fuit repudiata. Synagoga autem repudiata est, quod neque sufficiens esset ad salutem, neque perfecta, iuxta illud Hebr. 7. *Nihil ad perfectum adduxit lex*. Et hoc sensu vocantur ab Apostolo Galat. 4. Cæremoniæ & Sacramenta Synagogæ, *infirma & egena elementa*. Cuius contrarium habet Ecclesia, extra quam etiam nemo potest saluari, sed extra Synagogam poterant, homines salutem assequi, vt Niniuitæ & alij, Gentiles, qui liberi erant à

Galat. 4. — Hebr. 7.

legibus Iudæorum cęremonialibus. Adeò vt etiamsi defecisset tota Synagoga homines æquè bene potuissent saluari. Quibus rationibus inducta consequẽtia à paritate rationis planè corruit.

8. Sed dices Caluinus in Epistola ad Carolum Quintum Imperatorẽ & Principes Spiræ congregatos necessitatem reformandæ Ecclesiæ allegat, quod Ecclesia Christi defecerit à vera fide, tum in cultu Eucharistiæ, tum Imaginum.

Respondeo plura dicit & effutit 4. Inst. c. 7. §. 4. vbi asserit Pontifices cum Cardinalibus hodie profiteri nullum esse Deum, nullum Christum, nullam Resurrectionẽ, aut vitam æternam, verba recitabo Discursu 18. huius Præcepti quæ omnibus palam sunt, esse falsissima vti & priora, quemadmodum probatum inuenies discursibus peculiaribus in hoc Pręceptum. Alij in alijs articulis volunt Ecclesiam defecisse, vt in Inuocatione Sanctorum, Sacrificio Missæ, meritis bonorum operum, & similibus, sed frustra & gratis, vt in diuersis discursibus huius operis refutaui. Et sic in cæteris hallucinantur.

9. Quantum autem ad tempus attinet, quo Ecclesia Catholica seu Romana defecisset à vera fide, nemo illud reperire potest vnde incertis ictibus verberant aërem ne maneant confusi. Aliqui volunt defectionem contigisse tempore Gregorij Magni circa annum Christi sexcentesimum, vt Dauid Cytræus in cap. 9. Apocalypsis. Alij, tempore Phocæ Imperatoris anno Christi sexcentesimo sexto, vt Lutherus in supputatione temporum, & Raphael Eglinus in duplici Elencho. Alij, tempore Pipini Regis anno 763. vt Henricus Bullingerus Præfatione in Apocalypsin. Alij, post tempora sancti Bernardi, circa annũ 1200. vt VVolfangus Musculus, in locis Titulo de Ecclesia. Alij, aliud tempus definiunt, quisque pro suo capite, ita vt videantur boni isti viri planè similes esse Senibus, qui Susannam de patrato adulterio accusabant Daniel. 13. Nã rogati à Daniele de loco flagitij, vnus hoc, alius alio loco, patratum esse comminiscebatur. Planè sic faciunt nostri aduersarij. Accusant Ecclesiam de Apostasia, rogati de tempore, alius sub Gregorio Pontifice, alius sub Phoca Imperatore, alius sub Pipino Rege, alius sub alio factam esse contendit. *Et non sunt conuenientia eorum testimonia.* Quemadmodum D. Marcus cap. 14. v. 55. dicit de ijs qui falsum testimonium dicebant aduersus Christum.

10. Ex his omnibus constat quod abusiuè & perperam Nouantes se reformatores dicant, dum enim probare defectionem impossibile deprehenditur, eo quod nulla fuerit, sequitur Ecclesiam Christi reformatoribus non indiguisse, necesse enim est, error præcedat reformationem, labantes & deficientes, reformatores, vt constat exemplo Moysis Exod. 13. Samuelis 1. Reg. c. 70. Eliæ 3. Reg. 18. qui non cogitarunt de reformatione nisi postquam aliqui à cultu veri Dei deflexerunt ad Idola, & tum varijs modis lapsos reduxerunt, vt videre est locis citatis, adimplentes officium veri & boni Pastoris, cui competit abiectum reducere, & quod perierat quærere, iuxta id Ezechielis 16. v. 4. vbi Dominus Pastores Israël grauiter increpans, quod se non oues pascerent, inquit: *Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est, non alligastis, & quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat non quæsistis?* Ezech. 16. v. 4.

11. Sequitur secundo Nouantes imitari veteres hæreticos tempore Tertulliani, nempe Marcionem & Valentinum, qui vt hæreses suas hominibus persuaderent, volebant vsque ad aduentum suum omnes Christianos errasse, seu hæreses fuisse ante veram doctrinã. Vnde sic expostulat contra eos Tertullianus lib. de Præscrip. cap. 20.

Quoquo

Quoquo modo sit erratum tam diu vtique regnauit error, quamdiu hæreses non erant. Aliquos Marcionitas liberanda veritas expectabat: interea perperam euangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata, tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata. Aut si nec perperam, nec in vacuum quale est vt ante res Dei currerent, quam cuius Dei notum esset? Ante Christiani, quam Christus inuentus? ante hæreses, quam vera doctrina? Sed enim in omnibus veritas imaginem antecedit; postremò similitudo succedit. Quod egit Tertullianus erga Marcionem & Valentinum; hoc maiori ratione à nostris Hæresiarchis sciscitandum est; quia tum vix ducentis annis Christianismus floruerat: tempore verò nostrorum mille quingentis & amplius annis. Demum sequitur apud ipsos non esse vllam securitatem fidei aut salutis, dum enim volunt Ecclesiam Christi posse errare, necesse est reformatam friuolis fundamentis niti. Vnde latius sequenti discursu.

Discursus XVI.

An Nouantes (qui se Reformatores dicunt) sint illi, à quibus Christus cauendum dixit.

CHristus Matth. 7. cap. dicit: *Attendite à falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Quæritur quinam hi sint an Nouantes, an Ecclesiæ Catholicæ Doctores. Illi ex pulpito ad populum aiunt Ecclesiæ Catholicæ esse Doctores. Nostri è contra sustinent. Res probatione indiget.

1. Dico igitur resolutè Nouantes esse illos falsos Prophetas. Idq; probo, quia varijs modis deformant Ecclesiam, quam ostendi non posse errare. Primò quia aliam fidem fingunt, quam per Scripturam Ecclesia nobis proposuit credendam: quia triplicem eam faciunt, nempè historicam, miraculorum, & promissionum. Primam, qua credimus vera esse quæ narrantur in Scripturis. Secundam, qua credimus nihil esse quod à Deo fieri nõ possit. Tertiam, qua credimus veras esse Dei promissiones de gratuitâ peccatorum remissione per merita Christi, & solâ tertia nos iustificari. Porro id falsum esse conuincitur tum ex Apostolo qui Ephes. 4. dicat vnam esse fidem, tum ex eo quod nemo in particulari credere possit sibi esse remissa peccata, nisi ei diuinitus reueletur, tum etiam quia fides miraculorũ Marc. 16. legitur saluare in verbis: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Ibi enim de fide miraculorum agi produnt ista verba. *Signa autem eos, qui crediderunt hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur varijs, serpentes tollent, super ægros manus imponent & benè habebunt.* Denique quia fides historica quâ credimus Christũ pro nobis crucifixũ, resurrexisse à mortuis, teste Paulo, etiã iustificat, sic enim ait Rom. 10. *Si in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.*

Marc. 16.

Rom. 10.

2. Secundò probo illos esse falsos Prophetas ex eo quod fidem fingãt solam iustificare, cum Scriptura sacra ad iustificationem nõ solum requirit fidem (licet illa fundamentũ & basis sit) sed etiam actum timoris, spei, charitatis, & pœnitẽtiæ ab eo qui vult iustificari, vt patet ex illo Eccles. 1. *Qui sine timore est, non poterit iustificari.* Et 1. Ioan. 3. 14. *Qui non diligit manet in morte* Et Act. 2. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque*

Eccles. 1.
1 Ioan. 3. 14.
Act. 2. 38.

que vestrum in remissionem peccatorum.
Act. 3. 19. Et Act. 3. 19. *Pœnitemini & conuertimini vt deleantur peccata vestra.* Patet etiam ex eo, quod Scriptura non minus aliarum virtutum actibus tribuat vim iustificandi & remittendi
Eccles. 1. v. 27. peccata, quam fidei. Nam Eccles. 1. v. 27. *Timor Domini expellit peccatum.*
Luc. 7. Luc. 7. Christus de Magdalena cōtrita: *Remittuntur illi peccata multa, quia dilexit multum.*

3. Tertio probo illos esse qui docent hominē nō fieri verè iustū seu inhęrentem acquirere iustitiam, vereque interius sanctificari & renouari: sed tantum peccata ipsi nō imputari contra apertissimas scripturas, declarantes sanguinem Christi nos emūdare ab omnibus inquinamētis nostris, & nihil dānationis esse in ijs, qui sūt in Christo IESV.
1. Cor. 6. Et Paulum dicentem 1. ad Corinth. 6. Corinthijs iam conuersis ab Idololatria, & purgatis à peccatis enormibus. *Et hæc aliquando fuistis, sed abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis* Et
Ephes. 4. contra illud Ephes. 4. *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis* quæ omnia veram internamque iustitiam protestantur.

4. Adeo vt euidenter liqueat quod Ecclesiam deforment & ex Christo & fidelibus conflent mirabile monstrum, cuius caput sit formosissimum, reliqua mēbra fœdissima: sponsus pulcherrimus, sponsa inquinatissima ex diametro repugnans
Rom. 8. verbis Apostoli ad Rom. 8. *Prædestinauit nos cōformes fieri imagines filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Id est, voluit nos fieri Deus iustos & sanctos, quo pacto Christus in se iustus & sanctus est, nempe vt membra sint conformia suo capiti, vt sponsa sit formosa, cuius sponsus formosus est, vt fratres non sint dissimiles primogenito.

Tertull. Atque adeò rectè illis congruit, quod dixit Tertullianus c. 42. de Præscript. vbi sic ait: *De verbi autem administratione quid dicam, cum hoc sit negotium illis, non Ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur: quoniam & ipsum opus eorum, non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione nostra suffodiunt, vt sua ædificent.* Sed pergamus in probationibus.

4. Probatur igitur quartò Nouātes esse Pseudoapostolos nā vna est ab Apostolis tradita regula fidei strictè seruanda, vti etiam Ecclesiæ ab ipsis institutæ eandē vbique seruarunt, ac teste Tertulliano cap. 28. de Præscript. *Quod apud omnes vnum inuenitur non est erratum, sed traditum.* Iam vero palam est, quod non solum Hæresiarchę vbique contrarium doceant, sed etiam, quod non constent sibi in doctrina ab ipsis tradita, speciatim quoad Lutherum liquet ex contradictionibus ipsius infinitis accuratè collectis, partim à Ioanne Cochlæo in libello, qui inscribitur LVTHERVS SEPTICEPS: partim ab Authore vulgatissimi illius libelli, qui anno 1587. Germano idiomate editus est, cum hac Inscriptione Der Euangelischer wetterhan. Quoad Caluinum patet ex eius scriptis, quam sit sibi contrarius. Vnam atque alteram contradictionem recitabo lib. 1. c. 8. Instit. §. 3. docet Deum esse authorem peccati his verbis *Iam satis apertè ostēdi, Deum vocari eorum omnium authorem, quæ isti censores volunt otioso tātum eius permissu cōtingere.* Loquitur de peccatis, de quibus disputare cœperat, nominatim de cœcitate & tyrannide Achabi, de incestu Absalonis, de conuicio Semei, de Apostasia decem Tribuum, de cædibus & rapinis Chaldæorum, de rabie & furore Iudæorum in Christū, de iniquissimo Pilati iudicio. Horum omnium authorē ait esse Deū: ridetque Catholicos, qui hæc sola Dei permissione putāt euenire. Eodem sensu dixerat parag. 1. *Absalom incestu coitu Patris thorum polluens, detestabile scelus perpetrat: Deus tamen hoc opus suum esse pronunciat.* Et parag. 4. *Homo iusto Dei impulsu agit quod sibi non licet.* Id est, homo peccat, Deo impellente.

pellente. Contrarium docet in Instructione contra Libertinos cap. 14. cum ait: *Temulenti isti, à Deo omnia fieri perstrepentes, eum mali authorē constituunt.* Et infra: *Cum Deo nihil magis proprium sit, quam sua bonitas, ipsum à se abnegari oporteret, & in diabolum transmutari, vt malū efficeret, quod ei ab illis tribuitur.* Et in præfatione libri de æterna prædestinatione. *Inter omnes pios fixum hoc esse debet, non esse, cur suis peccatis sociū homines Deum adscribant.* Et in fine eiusdem Libri: *Etiamsi rerum omnium prima causa sit Dei voluntas, peccati tamen eum esse authorem nego.*

Alia est contradictio de Limbo Patrum, in quo iusti veteris Testamenti, tanquam in carcere tenebantur ante aduentum Christi: nam hunc carcerem admittit cum Catholicis contra Anabaptistas in Phychopamychia, cum ait: *Nec verò miretur quisquam includi carcere Sanctos Patres, qui redemptionem Christi expectabant.* Eundem negat lib. 2. Instit. cap. 16. §. 9. his verbis: *Nescio quî factum sit, vt posteritas locum putaret subterraneum, cui affinxit nomen Limbi. Sed hæc fabula tametsi magnos authores habet, nihil tamen quam fabula est. Nam concludere in carcere mortuorum animas puerile est, Christi autem animam illuc descendere, vt eas manu mitteret, quid opus fuit?*

Tertia est, de Ecclesia visibili, nam lib. 4. Instit. cap. 1. §. 4. docet neminem saluari posse extra Ecclesiam visibilem. *Verum*, inquit, *de Ecclesia visibili disserere propositum est, discamus vel vno matris elogio, quam vtilis sit nobis eius cognitio, imò necessaria, quando non alius est in vitam ingressus, nisi nos ipsa concipiat in vtero, nisi pariat, nisi nos alat suis vberibus, denique sub custodia & gubernatione sua nos tueatur, donec exuti carne mortali similes erimus Angelis.* Et ibidem. *Adde quod extra eius gremium, nulla est speranda peccatorum remissio, nec vlla salus.* Contrarium docet eodem cap. §. 7. & cap. 16. §. 24. & 25. Nam priori loco asserit neminem admitti in Ecclesiam visibilem, nisi per Baptismū: Posteriori filios fidelium saluari sine Baptismo. Vnde sequitur aliquos saluari extra Ecclesiam visibilem.

Quarta est de beatitudine Sanctorum. Nam aliquando affirmat Sanctos post hanc vitam statim esse in cœlesti Beatitudine: aliquandò negat, asserens eos exspectare vsque ad extremum diem iudicij: aliquando dicit stultum ac temerariū esse de hac re disputare, eò quod penitus incerta sit. Primam partem tradit in Phychopamychia, vbi explicans illa verba Apostoli 2. Cor. 5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus in Cœlis &c.* Sic habet. *Hæc verba sine interprete loquuntur nos sensuros Dei præsentiam, cum ab hoc corpore separabimur.* Et ibidem: *Electi Dei, qui ex hac vita transierunt Deo fruuntur ad satietatem, citra fastidium.* Et in cap. 1. Epist. ad Philipp. vers. 23 *Paulus apertè testatur, nos frui Christi præsentiâ, cum dissoluimur.* Et in cap. 5. posterioris ad Corinth. v. 8. *Nihil melius quam migrare à corpore, vt perueniamus ad Dei contubernium; & illius præsentiâ verè palamque fruamur.* 2. Cor. 5.

Alteram; quæ huic planè contraria est, tradit lib. 3. Instit. cap. 25. §. 6. his verbis. *Scriptura vbique iubet pendere ab exspectatione aduentus Christi, & gloriæ coronam eousque differt.* Et ibidem: *Animæ piorum, militiæ labore perfuncto, fruitionem promissæ gloriæ exspectant.* Et in Phychopamychia. *Exspectant quod nondum habent, & suam mercedem emimus vident:* Deinde dicit lib. 3. Instit. cap. 25. §. 6 *Valde*, inquit, *se torquent multi disputando, quem locum occupent, & an cælesti gloria fruantur nec ne. Atqui stultum & temerarium est de rebus incognitis altius inquirere, quam Deus nobis scire permittat.* Et Paulò post. *Omnia tenentur suspensa, Donec Christus appareat Redemptor.*

6. Porrò ex his liquet, quod nouantes non loquantur ex Spiritu Dei, sed ex spiritu proprio, siue potius diabolico, qui author est dissensionis. Eamque esse causam, quare

inter se ita dissecti sint, quodq; eorũ religio durare non poterit, iuxta illud Christi Matth. 12. *Omne regnum diuisũ cõtra se, desolabitur, & omnis ciuitas vel domus diuisa cõtra se, nõ stabit.* Deinde id patet ex responso Gamalielis Actor. 5. *Ante hos dies extitit Theodas dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum; qui occisus est. & omnes qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum. Post hunc extitit Iudas Galileus in diebus professionis, & auertit populum post se, & ipse perijt: & omnes, quotquot consenserunt ei, dispersi sunt.* Vnde hoc? causam addit, quia omne *consilium aut opus quod non est ex Deo. sed ex hominibus, dissoluetur*: At consilium & opus Ecclesiæ reformatæ non est ex Deo, sed ex hominibus, cum Deus nõ sit author dissentionis, sed pacis: ergo dissoluetur. Et tunc dici poterit. *Ante hos dies extitit Lutherus, dicens se esse aliquẽ, cui consenserunt multi in Germania: qui mortuus est, & omnes qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum. Post hunc extitit Caluinus, & auertit populum post se, & ipse perijt, & quotquot consenserunt ei, dispersi sunt.*

Matt. 12. Act. 5.

Omitto quod hoc ipsum veritus fuerit Caluinus. Nam in Præfatione Catechismi Geneuensis, quem ad ministros in Frisia Orientali misit; *De posteritate*, inquit, *ego sum sic anxius, vt tamen vix cogitare audeam: nisi enim mirabiliter Deus è Cœlo succurrerit, videre mihi videor extremam barbariem impendere Orbi: atque vtinam non paulò post sentiant filij nostri fuisse verum potius vaticinium, quam coniecturam.*

Discursus XVII.

Alijs argumentis idipsum probatur.



DOminus Deus Ierẽ. 23.c. de Pseudoprophetis quibusdam, qui dicebant se prophetare in vero Deo, & ab eo missos esse, dicebat: *Nõ mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Quod de reformatoribus recte dici potest, iuxta dicta priori discursu, quia verò nihilominus id negant, quæro quomodo id discerni possit?

1. Ad huius rei intelligentiã præmittendum est, duos esse titulos legitimos, quibus in Ecclesia Christi confertur alicui potestas docẽdi & reformandi populum in Religione: vnus ordinarius; alter extraordinarius. Ordinarius est, quando confertur alicui talis potestas à Deo, mediante electione vel cõcessione eorum hominum, quorum interest: quo pacto confertur Porocho ꝑ ex concessione Episcopi, Episcopo ex concessione Pontificis, Põtifici mediante electione Cardinalium. Extraordinarius est, quãdo à solo Deo immediatè confertur, quo pacto collata est Moysi, Prophetis, Apostolis.

2. Priori modo D. Ignatius Episcopus constitutus est Antiochiæ, Athanasius Alexandriȩ, Cyrillus Hierosolymis, Procus Constantinopoli, Gregorius & Basilius in Capadocia, Smyrnæ Polycarpus, Augustinus in Africa; Ambrosius Mediolani, Irenæus, Martinus, Hylarius in Gallia; Bonifacius & Willebrordus in Frisia & Belgio; Alij alibi ad docendum & reformandum populum missi sunt. Et hodie mittuntur quicumq; Episcopalem aut Parochialẽ curam suscipiunt.

3. Posteriori modo missi sũt Moyses, Prophetæ & Apostoli, qui suã missionem vel miraculis probarunt, vel per veraces prædicationes, vt de Moysi patet Exod. 3. cui Deus dedit potestatem faciendi miracula; cum enim quæreretur & vereretur, Exod. 3.

tur, quod instar Seductoris haberi posset, in verbis: *Non credent mihi neque audient vocem meam, sed dicent: non apparuit tibi Dominus. Dixit illi Dominus. Quid est quod tenes in manu? Respondit: Virga. Dixitque Dominus: Proijce eã in terram. Proiecit & versa est in colubrũ. Dixitque Dominus extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit & tenuit, versaque est in virgam. Vt credant, inquit, quod apparuerit tibi Dominus Deus Patrum suorum. Dixitq́ Dominus rursum: Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis. Retrahe, ait, manum tuam. Retraxit & protulit iterũ, & erat similis carni reliquæ. Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. Quod si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam, sume aquam fluminis, & effunde eã super aridam, & quidquid hauseris de fluuio, vertetur in sanguinem &c.*

Sic Elias 3. Reg. 18. legitimè se missum probabat. Cum enim tempore Achab Regis esset desertatio inter Eliam & Prophetas Baal, quorum vtraque pars se legitimè missam affirmabat. Elias conuocato vniuerso populo, qui in vtramque partem claudicabat, non alio argumento vsus est, quam quod diceret, se suam missionem euidenti miraculo confirmare posse. Prophetas Baal non posse. Quod etiam factum est, hoc modo. Duo boues in frusta concisi & supra ligna positi sũt in holocaustum; alter pro Elia, alter pro Prophetis Baal. Hi inuocato nomine Deorum suorum, non potuerunt de Cœlo impetrare ignem, quo holocaustum consumeretur. Elias inuocato Deo Israël, impetrauit. Itaque holocaustum ab eo positum, igne de Cœlo misso, consumptum est. Quo miraculo permotus populus interfectis Prophetis Baal, velut impostoribus, Eliam tanquã à Deo missum acceptauit. Auxerũt fidem & alia miracula, quæ ab eo patrata sunt.

Eliam imitatus est Elisæus, qui varijs miraculis auctoritatem sibi adstruxit, infectas enim aquas sanauit in Hierico: Modico oleo diuinitus multiplicato, multa vasa impleuit: mulieri Sunamitidi filium impetrauit: eundem, cum mortuus esset, ad vitam reuocauit: paucis panibus centum viros sanauit, ita vt reliquiæ adhuc superessent: Naaman Principem militiæ regis Syriæ à lepra liberauit: famulo suo Giesi, quid in absentia contigisset, aperuit: ferrum super aquam natare fecit: occultas Regis Syriæ insidias Regi Israël manifestauit: hostes cœcitate percussit: multa futura prædixit, vt victoriam contra Moabitas, vilitatem annonæ in portu Samariæ, mortem vnius Principis, famem septem annorum; mortem Regis Syriæ, mala ab Hazaële perpetranda.

4. Reg. 2.
4. Reg. 4.
Ibidem.
Ibidem.
4. Reg. 5.
4. Reg. 6.
4. Reg. 7.
4. Reg. 8.

Similiter alij Prophetæ quæ prædicebant, quæ mox fiebant, & sic fidem & authoritatem adstruebant sibi apud populum. Pseudoprophetæ falsas habebant prędictiones, vt ex hoc capite populus iubebatur discernere, an quiuis qui prophetam se dicebat missus esset à Deo, nec ne, vt habetur Deutron. 18. v. 20 Cum autem de venturo Christo Prophetę vaticinabantur, aliquid aliud prophetabãt, quod breui subsequebatur. Scribit de hac re sic Rupertus in prologo in Oseam. *Cũ,* inquit, *Prophetæ mitterentur ad prænunciandum de longinquo Christi aduentum, simul etiam de propinquo datum vel iniũctum est illis, prophetare illud, in quo citius veraces comprobari possent, scilicet imminentem ab Assyrijs Israëli captiuitatem; itemque instantem Iudæ quoque Babylonis transmigrationem, & præterea nonnulla etiam minora, quæ literis eorum legimus inserta. Cum igitur citò euenisset captiuitas seu transmigratio illa, sicut per illos veritas prophetica prædixerat, palam constitit, quam veraciter fuissent locuti in nomine Domini, & quod Dominus misisset eos: atque ita completa Prophetiæ pars, illud quoque quod reliquum vel maximũ erat de promissione & aduentu Messiæ verum fore conuincebat.*

Sic etiam Apostoli suam missionẽ multis signis & prodigijs coram vniuerso

niuerso mundo contestati sunt. Res omnibus nota est. Locuti sunt varijs
Act. 2. linguis in die Pentecostes; dæmonia expulerunt: mortuos ad vitam reuocarunt: omnia morborum genera vel verbo, vel vmbrâ, vel semicinctio curarunt. Et vt semel complectar omnia:
Act. 5. & 19. *Prædicauerunt vbique Domino cooperante & sermonem confirmãte sequẽtibus signis* Marc. 16. Quod
Mar. 16. etiam speciatim de se testatur Paulus
Rom. 15. Rom. 15. cum ait, se gentibus euangelium persuasisse, *in virtute* signorum & prodigiorum. Et 2. Cor.
2. Cor. 12. 12. *Signa*, inquit, *Apostolatus mei facta sunt super vos in signis & prodigijs & virtutibus*. Et quid dico de Apostolis? Ipsemet Christus non aliter persuadere potuit à Deo Patre se missum esse, nisi per miracula. Habebat quidem ipse pro se vaticinia omnium
Luc. 24. Prophetarum Luc. 24. Habebat testimonium Ioannis Baptistæ: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Habebat testimonium Patris cœlestis: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audite*. Et tamen inter tot missionis suæ præsidia adhuc opus erat miraculis. Nec alio potẽtiori, quam miraculorum subsidio vsus est apud Iudæos, vt se filiũ Dei comprobaret. De quo ipse sic loqui-
Ioan. 10. tur Ioan. 10. *Si nõ facio opera patris mei, nolite credere mihi. Si autẽ facio et si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre*. Et cap. 14. *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in mẽ est? alioquin propter opera ipsa credite*.

4 Nemo nũc ad Lutherũ & Caluinũ, qui tãquã Prophetæ & Apostoli à Deo missi nouã doctrinã populo obstruserunt, ac totius Ecclesiæ reformatores se esse professi sũt. Verum neque ipsi, neque ipsorum Asseclæ vllo miraculo, vllo diuino testimonio, vllo euidenti signo, id hactenus confirmarũt. Vnde sequitur, illos non per ostium intrasse in ouile, sicut boni Pastores, sed aliundè ascendisse sicut fures & latrones
Ioan. 10. iuxta illud Ioan. 10. *Qui nõ intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro*. Quin etiam illis non esse credendum, sicut Commissarijs dicentibus se auctoritate Imperatoriâ aut Regiâ missos esse, non creditur, nisi exhibeant authẽticum testimonium.

5. Sed forsitan dicent quod Apostolorum miracula sufficiant. Respondeo id verum fore, si Apostolicam doctrinam hominibus inculcarent. At iam palam est, quod dissentiant. Apostoli enim docuerũt Deũ non incitare quempiam ad peccatum, Iacobi. 1. 13. *Nemo cum tentatur,* Iac. 1. 13.
dicat quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. Caluinus cõtrarium docet lib. 1. Instit. cap. 18. §. 2. *Vnde apparet*, inquit, *certa destinatione Dei fuisse impulsos*. Loquitur de Assyrijs quos ait à Deo fuisse impulsos ad prædandum, & similia flagitia militaria. Et ibidem §. 4. *Homo iusto Dei impulsu agit, quod sibi non licet*, id est, homo iusto Dei impulsu peccat.

Ijdẽ Apostoli docent hominẽ in multis actionibus habere vsũ liberi arbitrij, ita vt liberum ei sit, v. g. vel matrimonium contrahere, vel continentiam seruare. 1. Cor. 7. *Quod* 1. Cor. 7.
vult, faciat: non peccat si nubat. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, bene facit. Contrarium docent Lutherus & Caluinus, asserentes hominem in nulla actione, nec bona, nec mala, habere vsum libertatis, sed à Deo, tum ad bene, tum ad male operandum, necessitate quadam cõpelli. Sic enim scribit Lutherus in assertione Articuli 36. *Liberum arbitrium, est figmentum in rebus, seu titulus sine re: quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali aut boni, sed omnia sub Deo sunt, contra quem nihil possumus*. Quod & Poëta voluit, quando dixit:

——*Certâ stant omnia lege*.

Et Caluinus lib. 3. Instit. cap. 23. §. 6. & 8. ponit duo principia, cũ quibus libertas arbitrij consistere non potest. Vnum est, omnia quæcumque fiunt in hoc mundo, fieri Deo volente & ordinante. Alterum, voluntatem

luntatem Dei esse necessitatem rerum. Ex vtroque euidenter sequitur, quæcumq; fiunt ab hominibus, siue bona, siue mala, ex necessitate fieri. Hinc disertè affirmat §. 9. *Reprobos non posse euadere peccandi necessitatem, præsertim*, inquit, *cum ipsis ex Dei ordinatione inijciatur huiusmodi necessitas.*

Tertiò, Apostoli docuerunt Deũ optare & velle quantum in ipso est, vt omnes salui fiant, & nemo pereat 1. Timoth. 2. *Obsecro primùm omnium fieri orationes, pro omnibus hominibus. Hoc enim acceptum est coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et 2. Petr. 3. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Contrarium docet Caluinus lib. 3. Instit. cap. 21. §. 1. *Palam est Dei nutu fieri vt alijs vltrò offeratur salus, alij ab eius aditu arceantur.* Et §. 5. *Non enim pari conditione creantur omnes, sed alijs vita æterna, alijs damnatio æterna præordinatur.* Et c. 23. §. 2. *Homines nudo Dei arbitrio, circa propriũ meritum, in æternam mortem prædestinantur.* Et ibidem §. 5. *Dico esse à Deo creatos, quos ad exitium ituros sine dubitatione præsciebat; idque ita factum, quia sic voluit.*

1.Tim.2.

2.Petr.3.

Quartò, Apostoli hortantur nos ad bona opera 2. Petr. 1. *Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Lutherus & Caluinus damnant bona opera, imò asserunt omnia bona opera iustorum esse peccata, sordes, inquinamenta. Sic enim scribit Lutherus in assertione Articuli 31. *In omni opere bono iustus peccat.* Et Caluinus lib. 2. Instit. cap. 12. §. 4. *Omnia hominum opera nihil sunt, nisi inquinamenta & sordes: & quæ iustitia vulgo habetur, ea apud Deum mera est iniquitas.* Et cap. 14. §. 9. *Habemus, ne vnum à sanctis exire opus, quod non mereatur iustam opprobrij mercedem.* Et §. 11. *Duobus hic fortiter insistendum, nullum vnquam extitisse pij hominis opus, quod si seuero Dei iudicio examinetur, non esset damnabile &c.*

2.Petr.1.

Quintò, docuerunt Apostoli fidem sine operibus mortuam esse Iacob. 2. *Vis autem scire ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est?* Lutherus & Caluinus docent solam fidem sine operibus sufficere ad salutem. Verba Lutheri in libr. de Capt. Babylonica, cap. de Baptismo, sunt hæc: *Vides quam diues sit homo Christianus siue baptizatus, qui etiã volens non potest perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata possunt illum damnare, nisi sola incredulitas.* Et in libro de Libertate Christiana, non longè ab initio: *Anima solâ fide, & nullis operibus iustificatur.* Ex quo sequitur, fideles ex eo præcisè, quia fideles sunt, posse saluari etiamsi peccent.

Iacob. 2.

Et sic multa alia docuerunt Apostoli, vt mandata ab homine iusto facile seruari posse, iuxta illud Philipp. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Et 1. Ioan. 5. *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt.* Peccata etiam tolli per Baptismum iuxta illud Actor. 2. *Baptizetur vnusquisque vestrũ, in nomine* IESV *Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donũ Spiritus sancti.*

Philip. 4.

1.Ioan.5.

Actor. 2.

Denique Apostoli prҿter verbum Dei scriptum admittunt etiam Traditiones non scriptas, vt patet 2. Thessal. 2. *Itaque fratres state & retinete quas didicistis siue per sermonem, siue per Epistolam nostram.*

2.Thess.2.

Demum agnoscunt Apostoli septem Sacramenta gratiam conferentia, nempe Baptismum, de quo Petr. Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine* IESV, *in remissionem omnium peccatorum.* Et Apostolus Paulus ad Tit. 3. quod Christus *saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Et de eius necessitate Christus dixit Ioan. cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.* Confirmationem, quam Petrus & Ioannes Actor. 8. cap. iam baptizatis administrabant, de qua sic ibidem habetur. *Cum autem audissent Apostoli, qui erant in Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei: miserunt ad eos*

Actor. 2.

Tit. 3.

Ioan. 3.

Actor. 8.

Petrum

Petrum & Ioannem. Qui cum venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati erant tantum in nomine Domini IESV. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Eucharistiam Matth. 26. nempe carnem & sanguinem Christi sub specie panis & vini, quam Christus dedit Apostolis in vltima cœna, & voluit omnibus fidelibus similiter dari in suam commemorationem. Cuius institutionem scribit Matth. loco cit. his verbis: *Cœnantibus autem eis accepit* IESVS *panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et Luc. 22. additur: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quam institutionem repetit Apostolus 1. Corinth. 11. monens Corinthianos ad dignam huius Sacramenti sumptionem. Pœnitentiam seu potestatem absoluendi peccata vere pœnitentium, eaq; sic declarantium Sacerdoti in ordine ad absolutionem, quam tradit Ioan. Apost. cap. 20. Christum suis dedisse Apostolis, insufflando super eos, his verbis: *Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, remissa sunt,* quæ verba continent expressam promissionem remissionis peccatorum, & consequenter gratiam, sine qua illa non remittuntur. Insuper indicant institui certum aliquem externum ritum, siue visibile signũ, quo remissio erat facienda, quod omnino erat necessarium, vt reus posset cognoscere remissionẽ hanc illi esse factam. Extremam Vnctionem, de qua Iacob. Apost. capite 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Verba clara sunt signum sensibile diuinitus & permanenter institutum exprimentia, & gratiam conferentia, maximè hæc, *si in peccatis sit remittentur ei.* Ordinem sacrum, quẽ administrabant Apostoli per impositionem manuum, per quam dabatur inuisibilis gratia, de qua Paulus monet Timotheum 1. cap. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyteri.* Et 2. Tim. 1. cap. *Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Matrimonium de quo Paulus ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Quibus verbis indicat clarè Apostolus Matrimonium esse Sacramentum, & quidem magnum, vt intelligeremus non esse tantũ contractum quendam ciuilem, aut inane elementum, vt erant Sacramenta Iudæorum: sed quod conferat gratiam, naturalẽ Coniugum amorem perficientem. Protulit enim hæc verba Apostolus Ephesianis, vt Coniuges Christianos incitaret ad mutuum amorem, per hoc quod matrimonium eorum sit Sacramentum Christi & Ecclesiæ, & idem est ac si dixisset, Matrimonium Adæ & aliorum ante Christum fuit Sacramentum, id est typus futuræ vnionis Christi & Ecclesiæ. Matrimonium vero fidelium legis nouæ post Christum, qui moriens in Cruce ex seipso formauit Ecclesiam sponsam suam, est Sacramentum, id est signum perfectissimum eiusdem vnionis iam factæ, ideoq; proprie dictum à Christo in Ecclesia Sacramentum est institutum, conferens coniugibus gratiam & mutuum hunc amorem, idque vt hic amor verus & perfectus, sit typus amoris Christi & Ecclesiæ. Vnde ego Paulus vos Ephesios, aliosque fideles coniuges hortor, vt hũc amorem excitetis, & foueatis ne Sacramentũ hoc in vobis sit mendax & fallax, neue falso representetis hunc Christi & Ecclesiæ amorem & concordiam, vt, cum Christus, cum Ecclesia, optimè & amantissimè cõcordet, vos cum vxoribus vestris litigetis, rixemini, sitis discordes. Sic Apostoli tradiderunt de Sacramentis.

Matt. 26. Luc. 22. 1. Cor. 11. Iac. 5. 1. Tim. 4. 2. Tim. 1. Ephes. 5.

Nouantes

Nouantes verò tantum duo Sacramenta agnoscunt, Baptismum & Eucharistiam, & vtrumque quidem verbis tenent, sed reipsa funditus negant: quia Baptismum volunt esse infirmum tantum & egenum elementum, nullam conferens gratiam, sed tantum esse publicum sigillum, quo Ecclesia testetur filios fidelium sanctos esse, & in fœdere promissionis, quod Genes. 17. cap. Deus inijt cum Abraham, contineri, quando dixit: *Vt sim Deus tuus & seminis tui post te.* Atque adeo similem esse Circumcisioni, (veteris Testamenti Sacramento) & sicut Circumcisio vi sua non conferebat gratiam, sed tantum erat signum circumcisos transisse in populum Dei, ita Baptismum dumtaxat esse sigillum, quo filij fidelium obsignantur, tanquam sancti & Deo consecrati. Et hinc confundunt Baptismũ Ioannis cum Baptismo Christi, non curantes quod Apostolus Actor. 19. capite hos ab inuicem distinguat, nec etiam quod idem Apostolus alibi tribuat Baptismo vim sanctificandi ex opere operato, nempe cum dicit ad Tit. 3. cap. *Cum autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei: non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per* IESVM *Christum Saluatorem nostrum.* Et Ephes. 5. cap. vbi dicit Christum mundare Ecclesiam *lauacro aquæ in verbo vitæ.* Insuper nec Apostolum Petrum, dicentem 1. Petr. 3. capite, quod sicut aqua, dum arcam subleuabat, contentos in ipsa saluabat, ita efficaciter Baptismum nos saluos facere, mundando interius animam à peccatis, in verbis: *Quod & vos nunc similis formæ saluos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem* IESV *Christi.* Rursum negant Baptismum esse necessarium ad salutem, quantumuis reclament verba Saluatoris Ioann. 3. capite modò citata. Eucharistiam alterum eorum Sacramentũ, mancum habent & inutile, quia pro corpore Christi nudum panem retinent: inutile autem est, quia nolunt Sacramenta per se conferre gratiam, sed mediante fide, quam illa excitent, quaque tamquam quadam manu iustitiam à Deo promissam apprehendant, simili modo atque concio causat gratiam; quod est contra naturam Sacramentorum nouæ legis.

(Margin: Genes. 17. — Act. 19. — Tit. 3. — Ephes. 5. — 1. Pet. 3.)

6. Porrò ex his sequitur necessarium esse vt noua miracula edant, aut aliter missionem suam probent. Sic enim præscripsit olim Tertullianus libro de Præscript. contra Hæreticos capite 30. vbi de Marcione, Valentino, Nigidio, & alijs peruertentibus vias Dei, sic loquitur: *Cupio, ostendant mihi ex qua authoritate prodierunt; Si alium Deum prædicant, quomodo eius Dei rebus & litteris & nominibus vtuntur, aduersus quem prædicant? Si eundem, quomodo aliter? Probent se nouos Apostolos esse: Dicant Christum iterum descendisse, iterum ipsum docuisse, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum resuscitatum: Sic Sic enim Apostolos solet facere, dare illis præterea virtutem eadem signa edendi, quæ & ipse. Volo igitur & virtutes eorum proferre, nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, qua Apostolos in peruersum æmulantur. Illi enim de mortuis viuos faciebant, isti de viuis mortuos faciunt.* Tertull.

Quod de Ioanne Caluino refert Hieronymus Bolsecus in eius vita capite 13. paucis rem comprehendam. Pretio conduxit Geneuæ quendam. Brullæum nomine, vt simularet se mortuum esse. Factum est. Intereà vxor Brullæi totius rei conscia, plorat apud mariti lectulum. Accessit Ioan. Caluinus, quasi aliud acturus cum magno comitatu, & à fœmina sciscitatus est, cur eiularet? respondit afflictam se esse propter mortem mariti, qui iamiam extinctus esset, magno rei familiaris incommodo. Cui Ioan. Caluinus: Bono, inquit, animo esto. Et Bolsecus.

mox flexis genibus simulat se orare, ac deinde lectulum accedens, apprehensâ manu iacentis, sic eum affatus est. Impero tibi in nomine IESV. Vt surgas & ambules. Nihil fit. Repetit iterum & tertiò, sed frustrà. Nam qui se fraudulenter mortuum simulabat, Deo sic disponente, reuera mortuus inuentus est. Nec alia fuit vis miraculi Caluini, quam vt sanus moreretur. Quale miraculum, talis doctrina.

7. Habes igitur hic duo argumẽta quibus reuincuntur esse Pseudoapostoli; nempè quod nouam suam doctrinam miraculis non valeant probare, & quod ab Apostolorum doctrina dissentiant, quod alienum est à Religione, quæ augeri & crescere potest, non imitari. Vnde Vincentius Lerinensis cap. 28. sui Commonitorij: *Crescat oportet, & multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam vnius hominis, quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo, dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia.* Et capite 29. vult Religionem crescere, vt infans in virum: *Imitetur, inquit, animarum religio rationem corporum, quæ licet annorum progressu numeros suos euoluant & explicent, eadem tamen, quæ erant, permanent. Multum interest inter pueritiæ florem, & senectutis maturitatem: sed ijdem tamen ipsi fiunt senes, qui fuerant adolescentes: vt quamuis vnius eiusdemque hominis status habitusque mutetur, vna tamen nihilominus eademque natura, vna eademque persona sit. Parua lactentium membra, magna Iuuenum: eadem ipsa tamen sunt. Quot paruulorum artus, tot virorum: & si qua illa sunt, quæ aui maturioris ætate pariuntur, iam in seminis ratione proserta: vt nihil nouum postea proferatur in senibus, quod non in pueris iam antea latitauerit. Vnde non dubium est, hanc esse legitimam & rectam proficiendi regulam, hunc ratum atque pulcherrimum crescendi ordinem, si easdem semper in grandioribus partes ac formas numerus detexat ætatis, quas in paruulis Creatoris sapientia præformauerat.* Et capite 30. rem accommodat, dicens, exempli gratia: *Seuerunt Maiores nostri antiquitus in hac ecclesiastica segete triticeæ fidei semina: iniquum valde & incongruum est, vt nos eorum posteri, pro germana veritate frumenti subditiuum zizaniæ eligamus errorem. Quin potius hoc rectum & consequens est, vt primis atque extremis sibimet non discrepantibus, de incrementis triticeæ institutionis, triticei quoque dogmatis frugem demetamus: vt cum aliquid ex illis seminum primordijs accessu temporis euoluatur & nunc lætetur & excolatur: nihil tamen de germinis proprietate mutetur: addatur licet forma, species, distinctio: eadem tamen cuiusque generis natura permaneat: absit etenim, vt rosea illa Catholici sensus plantaria, in carduos spinasque vertantur. Absit inquam, vt in isto spirituali Paradyso, de cynamomi & balsami surculis, lolium repentè atque aconita proueniant.*

Vincent. Lerinens.

Perpende, quæso, quantoperè dissentiant ab hac lectione Hæretici nostri temporis, qui vt liberius Dei verbum ad suam intentionem retorqueant, etiam mille Cyprianos, mille Augustinos flocci pendunt, quod in eorum scriptis Christi ac Apostolorum doctrinam seruatam & propugnatam deprehendant.

Discursus XVIII.

Ex dolosa propagatione probatur illos esse Pseudoapostolos.



SErui Patrisfamilias Matt. 13. rogabant Patremfamilias; *Domine nonne bonũ semen seminasti in agro tuo, vnde ergo habet zizania*: id est, quomodo post veram doctrinam succreuerũt hęreses? quod iã tractare in votis est.

1. Tertullianus cap. 20. de Præscript. docet Christi doctrinam palã ab ipso iussam esse prædicari per Apostolos, atque ita etiam factum esse, & inde Ecclesias esse cõstitutas. Deinde docet cap. 36. ex illa institutione hæreses ortas, in verbis: *Hæc est institutio, non dico iam quæ futuras hæreses prænunciabat, sed de qua hæreses prodierunt; sed non fuerunt ex illa, ex quo facta sunt aduersus illam. Etiam de oliuæ nucleo mitis & opimæ & necessariæ asper oleaster exoritur, etiam de pauauere fici gratissimæ & suauissimæ, ventosa & vana caprificus exurgit. Ita & hæreses de nostro fructificauerunt, non nostræ: degeneres veritatis grano & mendacio siluestres.*

2. Iam queritur quî zizania superseminare potuerit diabolus per suos ministros? An quia sic necessarium futurum erat, sicut vulgus loquitur, an vt qui probati sunt, manifesti fiant? *Idcircò enim ait Paulus oportere hæreses esse*, id est, schismata & sectas, tum in fide, tum in moribus, quales erant apud Corinthios in cœna Eucharistica, nimirum de loco recumbendi, de tempore cœnæ inchoandæ, de cibis & potibus, de socijs & conuiuis: nam in cœna Dominica & agape, Corinthij excludebant pauperes, & scorsim illam peragebant. Verũ non debebant esse necessitate absoluta, sed spectata humana incõstantia, superbia, nouitate & pronitate, qualis erat Corinthiorũ, vt dicerent; Ego Pauli, ego Apollo, Deo permittente ad suorum probationẽ, necesse est & oportet, sequi hæreses: Et sic Christus Matth. 18. dixit: *Necesse est vt veniant scandala*, est id, præsupposita hominum nequitia. Præterea non sunt necessariæ, vt qui probati sunt, manifesti fiant: sed dicit Apostolus ex hoc manifestari qui in fide & pietate fundati & constantes sint, vt videmus in Hollandia, Zelandia, Frisia bene fundatos Catholicos rectè manifestari. Porrò causam superseminati zizanij vno verbo describit Christus fuisse negligentiam Prælatorum: *Cum*, inquit, *dormirent homines venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici.* Id est, cum Prælati Ecclesiæ & Pastores circa gregem suum verbo & doctrina non vigilabant.

1. Cor. 11.

3. Respondeo potuisse, idq; persuasisse per mendaciũ, sic enim primos parentes decepit Genes. 3. atque id etiam esse hereticis proprium ostendit Doctor Gentium. 1. Tim. 4. dum hæreticos describit *in hypocrisi loquentes mendacium.* Et reipsa patet. Caluinus enim vt redderet populo nostram doctrinam & religionem suspectam & odiosam, tam crassa protulit mendacia, vt Diabolus etiam horreret ea in medium adducere, quod timeret sic se prodere: Is namque asserit caput esse arcanæ nostræ Theologiæ, primò nullum esse Deũ: secundò nullum Christum: Tertiò nullam resurrectionem vt in altero Discursu dixi. Iam addo eius verba ex lib. 4. Instit. c. 7. §. 24. vt dignoscas sepulchrũ patens fuisse guttur ipsius: *Ad homines*, inquit, *si veniamus, satis scitur, quales reperturi simus Christi Vicarios, Iulius scilicet Leo, & Clemens & Paulus Christianæ fidei columnæ erunt, primiq; Religionis interpretes, qui nihil aliud de Christo tenuerunt, nisi quod didicerunt in Schola Luciani. Sed quid tres aut quatuor Pontifices enumero? quasi verò dubium sit qualem religionis speciem professi sint iam pridem Pontifices cum toto*

Genes. 3.

1. Tim. 4.

Cardinalium Collegio, & hodie profiteantur. Primum enim arcana illius Theologia, quæ inter eos regnat, caput est, nullum esse Deum. Alterum quæcumque de Christo scripta sunt ac docentur mendacia esse, & imposturas. Tertium, doctrinam de futura vita & vltima resurrectione, meras esse fabulas. Non omnes ita sentiunt, & pauci ita loquuntur. Fateor. Iam pridẽ tamen hæc ordinaria esse cæpit Pontificum Religio. Hoc enim cum sit notissimum omnibus qui Romam nouerunt, non cessant tamen Romanenses Theologi iactare priuilegio Christi cautum esse, ne Papa errare possit. Quia Petro dictum sit: Oraui pro te ne deficiat fides tua. Quid obsecro tam impudenter ludendo proficiunt, nisi vt totus mundus intelligat eos ita ad extremum improbitatis venisse, vt neque Deum timeant, neq; homines reuereantur. Quid videtur? an hæc Apostoli verba sunt an scurræ?

Lutherus verò in Præfatione Cõmentariorum Epistolæ ad Galatas, anno 1538. audacter effutit quod habeamus Christũ pro fabula, vel pro ficto aliquo numine gentilium. Item quod dicamus non requiri fidem ad Sacramentũ Pœnitentiæ, imò quod definiamus esse hæresim, asserere fidem esse necessariã, lib. de Captiuitate Babylonica capite de Sacramento Pœnitentiæ. Et plura alia. His adde fictas visiones, fictaq; miracula, quibus fidẽ sibi conciliare apud Populum aliquando studuerunt.

4. Sed dices hæc videntur gratis dici, quandoquidem doctrinam suã scripturis conetur probare. Respondeo nihil referre. Nã vt ait Cyprian. lib. de Vnitate Ecclesiæ. *Corruptores Euangelij atq; interpretes falsi extrema ponunt, & superiora prætereũt, partis memores, & partem subdole comprimẽtes, vt ipsi ab Ecclesia sciss sunt, ita vnius capituli sententiam scindunt.* Et Tertull. lib. de Præscript. c. 17. *Hæresis nõ recipit quasdam scripturas: & si quas recipit, adiectionibus & detrectationibus ad dispositionem instituti sui interuertit: & si recipit integras: & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones cõmentata conuertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus.*

Cyprian.

Tertull.

Quibus verbis docet eiusmodi homines hæreses suas struere quatuor modis; nempe eiectione aliquarum scripturarũ, adiectione, detractione, & peruersa interpretatione.

Vis ad oculum videre hæc vera esse. Intuere Manichæos qui non recipiebant Euangelium Matthæi, neq; Acta Apostolica, quod istis voluminibus cruciarentur, qui Christũ negauerant prognatum de Virgine: Et qui Spiritum Christianis tum primum cœlitus lapsum asserebant, quando ipsorũ Paracletus Persa nequissimus eruperat: Ebionios pariter nota, qui omnes Pauli Epistolas repudiarunt, quod his suam dignitatem retinẽtibus antiquata maneret Circumcisio, quã isti reuocauerant.

Lutherum similiter respice, qui epistol. Iacobi Apost. contensiosam, tumidam, aridam, stramineam & indignam spiritu censuit Apostolico, quod illa conuinceret fidem solam non iustificare. Caluinianos quid adegit septem de veteri Testamento Codices præcidere, vt Baruch, Tobiam, Iudith, Sapientiã, Ecclesiasten & duos Machabæorũ libros? Quid, inquam? nisi quod his oraculis disertissimè coarguantur, quoties de Angelorũ patrocinio, quoties de arbitrij libertate, quoties de fidelibus vitâ defunctis, quoties de diuorum hominum intercessione, disputant.

De adiectione reus est Lutherus, qui Rom. 3. v. 28. ad verba: *Arbitramur hominem iustificari per fidem*, de suo adiecit, *per solam fidem*. Item 1. Cor. 9. ad verba: *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi*, adiecit *in vxorem*. Cui consentit Beza, qui sic habet: *An non habemus potestatem sororẽ circumducendi?* vt & reliqui Apostoli? nimirum noui isti Prophetæ, vt suam intemperantiam aliquo modo tegant, conantur populo persuadere, etiam Paulum & alios Apostolos habuisse vxores easq; quocũque irent, circumduxisse. Cum tamẽ Paulus c. 7. v. 8. satis clarè insinuet se, coluisse virginitatem. Vt etiam notauit Augustinus libr. de opere Monachorum c. 4. & plerique alij.

Rom. 3. vers. 28.

1. Cor. 9.

Detrecta-

Detrectationis etiam non desunt exempla. Beza & plures alij omittunt totum illum versiculum Act. 15. *Præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum.* Ne cogantur fateri, quod Catholici docent; Prælatos Ecclesiæ habere potestatem condendi leges, aut imponẽdi præcepta, quibus subditi teneantur parere. Similiter 2. Petri 1. vbi Apostolus ait: *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionẽ faciatis*, omittunt tres illas voculas, *Per bona opera.*

Act. 15.

2. Pet. 1.

Sequitur peruersa interpretatione, quã necessariò adhibere debuerunt ad scripturas, quas reijcere nõ poterant, nisi quasi integrum testamentum euerent. Sic moderni hæretici, vt adstruant Baptismum non esse necessarium ad salutem, contra verba Christi Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Dicunt aquã ibi significare mortificationem peccatorum, Spiritum resurrectionem virtutum: alij aquam esse epithetum spiritus, & sensum esse oportere nasci ex spiritu, qui purgat ad modum aquæ.

Ioan. 3.

Secundò vt eludant veritatẽ corporis Christi in Eucharistia, considerantes pro ea conspirare Euangelia, Paulum adstipulari, omnes voces, clausulas, totam connectionem, vbique panem, insigne miraculum, cœleste pabulum, carnem corpus, sanguinem reuerenter ingeminare, nihil ænigmaticum continere, nil offusum caligine loquendi. Hinc verba Matthæi 26. capite: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur*, interpretati sunt in hunc mundum, idem esse, ac significat corpus meum; alij significare figuram corporis mei, atque Christum non dixisse, hic panis est figura corporis mei, sed corpus ipsum, vt exprimeret signum esse efficax cum quo res ipsa exhiberetur, id est, panem tantam habere virtutem, ac ipsum corpus Christi, alij verò significare corpus mysticũ seu Ecclesiam.

Ioan 6. Matt. 26. Marc. 14. Luc 22. 1 Cor. 11. & 10.

De Confessione, vt eludant potestatem à Christo datam hominibus remittendi peccata iuxta illud Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* Referunt ad concionem, sic enim inquit Caluinus lib. 4. Instit. c. 11. §. 1. *Hoc de remittendis & retinendis peccatis mandatũ & illa de ligando & soluendo Petro facta promissio, non alio debent referri, quam ad verbi ministerium; quod dum Apostolis committebat Dominus, simul hoc ligandi soluendique munere ipsos instruebat. Quæ enim est summa Euangelij, nisi quod omnes serui peccati & mortis soluimur & liberamur per redemptionem, quæ est in Christo* IESV? *qui vero Christum liberatorem ac redemptorem non suscipiunt, nec agnoscunt, eos æternis vinculis damnatos addictosque esse?*

Ioan. 20.

Quid quæso insulsius? cum Dominus ibidem donum Spiritus S. dederit, quia potestas est, vltra humanam facultatẽ quam nec Angelis nec Archangelis concessit, vt notat Chrysostom. lib. 3. de Sacerdotio. Quin etiã certis tantum hominibus voluerit peccata remitti, quos nempe Sacerdotes absoluendos iudicarint (vti expressè declarant verba: *Quorũ retinueritis retenta sunt*) hoc autem concionando fieri non potest, ibi enim tempus non est de peccatorũ occulta dispositione discernendi, ob quã bonam vel malam absolutio dari debet, aut negari. Neq; Auditores veniunt ad concionem vt absoluantur à peccatis, sed vt instruantur. Sic vt eludant bonorũ operum necessitatem, interpretantur verba Christi Matthæi 19. cap. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata* ironicè à Christo esse prolata: vt sensus sit; ne serues mandata, quia illorum obseruatio nec prodest, nec possibilis est.

Matth. 19.

Lutherus vt probet hominem liberum arbitrium per peccatum primi parentis amisisse; adfert verba Isaię quadragesimo primo cap. versu vigesimo tertio: *Benè aut malè si potestis, facite.* Cũ Isaias ibi nõ agat de libero arbitrio, sed de Idolis, quibus exprobrat suam imbecillitatẽ, quod cum Dij habeantur à stultis hominibus, non possunt tamen benè aut malè

Isa. 41. c. v. 23.

facere, id est, cultoribus suis prodesse, nec contemptoribus nocere. Itaque irridet Idola ad modum quo
Psal. 113. Dauid Psalm. 113. cum ait: *Simulachra gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquentur: oculos habent, & non videbunt: nares habent, & non odorabunt.* Quid hæc ad liberum arbitrium?

Caluinus & Beza, quantum possum colligere, vt probent incontinentiam Apostatarum nubentium, adferunt verba Pauli ad Hebr. 13.
Hebr. 13. *Honorabile connubium in omnibus & thorus immaculatus*; Eaque sic explicant: Matrimonium est honorabile & licitum in omnibus, id est, inter quosuis homines, seu inter cuiusuis ordinis homines. Nam ex hoc sequitur inter Monachos & Moniales homines, & licitum esse, & forte etiam inter fratres & sorores, longè sanè à sensu Apostolico, qui vult Connubium in omnibus suis partibus esse honorabile, ita vt in nulla re violetur, thorusque maneat immaculatus, quia vt addit: *Fornicatores & adulteros iudicabit Deus.* Et Sic in cæteris nugantur.

Adde quod in hanc rem sæpius Scripturas deprauarint quas collegit Petrus Cotton Societatis IESV. Magnus Theologus & Regis Franciæ Concionator, numero centum & octuaginta. Edito desuper magno volumine.

5. His positis non puto vlli dubium esse, quin Nouantes sint illi, à
Matth. 7. quibus Christus iussit cauere Matt. 7. Et Pseudoprophetæ qui exierunt
1. Ioan. 2. in mundum de quibus 1. Ioan. 2. c. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quia multi Pseudoprophetæ exierũt in mundũ.* Aut melius illos ex ijs esse, quos dicit Apostolus se transfigurare in Angelum lucis, nam huiusmodi nequitiæ aliunde prodire non possunt. Audi si
Tertull. placet Tertullianum, qui libr. de Præscript. hanc quæstionem mouet, dicens cap. 40. *Sed quæritur à quo intellectus interpretetur eorum, quæ ad hæreses faciunt, à diabolo scilicet, cuius sunt partes, interuertendi veritatem, ipsas quoque res sacramentorum diuinorum, in Idolorum mysterijs æmulatur. Tinguit & ipse quosdam, vtique credentes & fideles suos, expiationem delictorum de lauacro repromittit, & sic adhuc initiat Mithræ: signat illic in frontibus milites suos, celebrat & Panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit, & sub gladio redimit coronam. Quid? quod & Summum Pontificem in vnis nuptijs statuit? habet & virgines, habet & continentes? Cæterum si Numæ Pompilij superstitiones reuoluamus, si Sacerdotalia officia, insignia & Priuilegia, si sacrificalia ministeria, & instrumenta, & vasa ipsorum Sacrificiorum ac piaculorum, & votorum curiositates consideremus, nonne manifestè Diabolus morositatem illam Iudaicæ legis imitatus est.* Ex quibus infert, non fuisse difficile scripturam callide hæresibus adstruendis applicare in verbis: *Qui ergo ipsas res, de quibus Sacramenta Christi administrantur æmulanter affectauit exprimere in negotijs Idololatriæ, vtique & idem & eodem ingenio gestijt, & potuit instrumenta quoque diuinarum rerum, & Sanctorum Christianorum, sensum de sensibus, verba de verbis, parabolas de parabolis, prophana & æmula fidei attemperare. Et ideò neque à diabolo immissa esse spiritualia nequitiæ, ex quibus etiam hæreses veniunt, dubitare quis debet, neque ab Idololatria distare hæreses, quum & auctoris & operis eiusdem sint, cuius & Idololatria. Deum fingunt alium aduersus Creatorem aut si vnicum Creatorem confitentur, aliter eum disserunt, quàm in vero est.*

6. Hinc rectè Vincentius Lerinensis dicit, illos magis esse pertimescendos, quod scripturis vtantur, Vincent. Lirinens.
ac tam copiosè vt nulla ferè omittatur pagina in scriptis eorum, quæ non noui aut veteris Testamenti sentẽtijs fucata ac colorata sit, dum ait cap. 35. sui Commonitorij: *Sed tanto magis cauendi & pertimescendi sunt, quanto occultius sub diuinæ legis vmbraculis latitant. Sciunt enim fœtores suos nulli fere cito esse placituros, si nudi & simplices exhalentur: atque idcirco eos cælestis eloquij, velut quodam aromate aspergunt, vt ille, qui, humanum facile despiceret errorem, diuina non facile contem-*

contemnat oracula. Itaque faciunt, quod hi solent, qui paruulis austera quadam temperaturi pocula, prius ora melle circumliniunt: vt incauta ætas cum dulcedinem præsenserit, amaritudinem non reformidet. Quod etiam ijs curæ est, qui mala gramina, & noxios succos medicaminum vocabulis præcolorant, vt nemo ferè, vbi supra scriptum legerit remedium, suspicetur venenum.

7. Et meritò vult nos illos pertimescere ob eam causam quia Apostolus nihil magis cautum voluit, quam Scripturam illibatam seruare, & prophanas vocum nouitates euitare 1. ad Timoth. 6. dicens: *O Timothee depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates.* In quæ verba Vincentius libr. citat. cap. 27. *O exclamatio ista, & præscientiæ est pariter & charitatis: præuidebat enim futuros quos etiam prædolebat errores. Quis est hodie Timotheus? nisi vel vniuersa Ecclesia, vel specialiter totum corpus Præpositorum, qui integram diuini cultus scientiam vel habere ipsi debent, vel alijs infundere. Quid est depositum custodi? custodi, inquit, propter fures, inimicos: ne dormientibus hominibus superseminēt zizania super illud tritici bonum semen, quod seminauerat filius hominis in agro suo. Depositum, inquit, custodi, Quid est depositum? id est, quod tibi creditum est, non quod à te inuentum; quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenij, sed doctrinæ: non vsurpationis priuatæ, sed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam: in qua non auctor debes esse, sed custos: non institutor, sed spectator: non ducens, sed sequens. Depositum, inquit, custodi: Catholicæ fidei inuiolatum. Talentū illibatumq; conserua. Quod tibi creditum est, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepisti, aurum redde: nolo alia pro alijs mihi subijcias: nolo pro auro impudenter plumbum aut fraudulenter æramenta supponas: nolo auri speciem at naturam planè.*

1.Tim.1.

8. Deinde ostendit, quid orthodoxo Doctori incumbat in Scripturarum explicatione, & quid cauere debeat: nempè clarius illustrare, & cauere à nouitate. *O Timothee,* inquit, *ô Sacerdos, ô Tractator, ô Doctor, si te diuinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrinâ, esto spiritalis tabernaculi Beseleel, pretiosas diuini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter; adijce splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur, te exponente illustrius, quod anteà obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur; eadem tamen quæ didicisti, ita doce, vt cum dicas nouè non dicas noua.*

Discursus XIX.

Alijs rationibus probatur Hæresim dolose esse propagatam, & simul quæritur, quâ ratione Populus tam facile sit eam amplexus.

CHristus Matth. 7. iubet attēdere à falsis Prophetis, qui veniunt in vestimentis ouium, & intrinsecùs sunt lupi rapaces, id est, qui sub dulci melle, venenum porrigunt. Hos ostendi præcedenti Discursu esse nouatores, id est, qui quocumque titulo noua peruersaque dogmata populo obtrudunt. Verum quia Christus tanquam à præcipitio iubet ab illis cauere, alijs rationibus idipsum pergā probare.

1. Vincentius Lerinensis cap. 1. sui Cōmmonitorij dicit, quod sæpè & magno studio inquisierit à viris quamplurimis sanctitate & doctrinâ præstantibus, quonam modo posset certâ quadam & quasi generali ac regulari viâ Catholicæ rei veritas ab hæreticæ prauitatis falsitate discerni, & semper huiusmodi ab omnibus

nibus ferè responsum retulisse, quod siue ipse, siue quis alius vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, & in fide sua sanus & integer permanere, duplici modo debere fidem suam, Domino adiuuante, munire, videlicet, diuinæ legis auctoritate & Ecclesiæ Catholicæ Traditione. Ratio verò, quare iuxta Scripturam necesse est habere Ecclesiæ Traditionem, est, quia Scriptura per se non est sufficiens ad dirimendas cōtrouersias, cum enim aliter interpretentur illam Nouatianus, aliter Fotinus Sabellicus, breuiter antiqui & moderni hæretici, necesse est, vt Ecclesia sit Iudex inter duos litigantes. Sed quid? Nouantes aut Pseudoapostoli, aiunt Ecclesiam ad quam necesse esset confugere, occultam quandam & inuisibilem esse. Sic Lutherus de abroganda Missa priuata, parte prima. *Quis*, inquit, *Ecclesiam nobis monstrabit, cum sit occulta in spiritu, & solum credatur sicut dicitur, credo Ecclesiam sanctam.* Et Caluinus lib. 4. Instit. cap. 1. §. 7. *Nobis* inquit, *inuisibilem solius Dei conspicuam credere Ecclesiam necesse est.* Licet §. 2. aliter loquatur, & conformiter sacris scripturis quæ clari innuunt Ecclesiam esse conspicuam nempe Matth. 15. vbi Christus de Ecclesia visibili dicit: *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Et Matth. 18. cap. vbi Christus vult denuntiari Ecclesiæ, eum, qui ex correptione coram duobus aut tribus facta, non emendatur, & contumacem ab aliorum communione separari, in verbis: *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Vnde liquet Caluinum esse inconstantem & ambidextrum.

Math. 15

Math. 18.

2. Queres quid causę, quod Scripturis contrariam sententiam sustineant? Respondeo Diabolum vt vafer est considerasse, non satis esse ad struendas hæreses quasdam scripturas reijcere, quædam ad scripturam adijcere, aliquas truncare & peruersè interpretari, nisi etiam Ecclesiam conspicuam, quæ sensum Scripturarum Spiritu sancto inspirāte declararet, & inaudita dogmata condemnaret, per suos ministros fingeret inuisibilem. Nouus itaque horror. Notauit hoc acute Edmundus Campianus qui de ea pulchrè sic scribit: *Audito Ecclesiæ nomine hostis expalluit, sed tamen excogitauit quiddam, quod à vobis animaduerti volo, vt falsi ruinam & inopiam cognoscatis. Senserat in Scripturis tum Propheticis, tum Apostolicis vbique honorificam Ecclesiæ fieri mentionem, vocari Ciuitatem sanctam, fructiferam vineam, montem excelsum, directam viam, columbam vnicam, Regnū cæli, Sponsam & Corpus Christi, firmamentum veri, multitudinem illam cui Spiritus promissus instillet omnia salutaria, illam, in quam vniuersam nullæ vnquam sint fauces diabolicæ morsum lethiferum impacturæ, illam, cui quicumque repugnet, quantumuis ore Christum prædicet, non magis Christo quam Publicanus aut Ethnicus potiatur. Non est ausus contrauenire sonitu, videri noluit Ecclesiæ quam toties Scripturæ commemorant refragari, nomen callide retinuit, rem ipsam funditus definiendo sustulit. His enim proprietatibus delineauit Ecclesiam, quæ penitus ipsam occulant & dimotam à sensibus, tanquam Ideam Platonicam secretis obtutibus hominum perpaucorum subijciant, eorum tantummodo qui singulariter afflati, corpus hoc aërium intelligentiâ comprehenderent, & huiusce sodalitatis participes subtili quodam oculo lustrarent: vbi candor? vbi simplicitas? quæ scripturæ? quæ sensa, qui Patres hoc penicillo depingunt Ecclesiam? sunt Christi ad Asiaticas Ecclesias, sunt Petri, Pauli, Ioannis, aliorum, ad diuersos Epistolæ: frequentes in Actis Apostolicis inchoantur & propagantur Ecclesiæ quid istæ? num soli Deo & sanctis hominibus, an Christianis etiam cuiuscumque generis manifestæ? Sed profectò durum telum, necessitas est. Ignoscite: nam si sæculis omninò quindecim non oppidum, non villam, non domum reperiunt imbutam doctrinâ suâ, donec infelix Monachus incesto connubio votam Deo virginem funestasset, aut Heluetius gladiator in*

2. Apocal. 21. v. 10. Psalm. 76. vers. 9. Isa. 2. & 35. v. 8. Cant 6. Matt. 13. Ephes. 5. 1. Cor. 12. 1. Tim. 3. Ioan. 14. Matt. 16. Matt. 18.

Calu. Instit. lib. 4. ca. 1. nu. 2. & 3.

Apoc. 1. 2. 3. Act. 3. 10. 11. & seq.

Lutherus.

Suuinglius

ter in Patriam coniurasset, aut stigmaticus perfuga Geneuam occupasset, ij cogūtur Ecclesiam, si quam volent, in latebris venditare, & eos Parentes asserere, quos nec ipsi nouerint, neque mortalium quisquam aspexerit. Ita Edmundus.

Caluinus.

3. Si placet rem latius explicabo. Considerabat tum ex praxi noui ac veteris Testamenti dubiorum decisionem ab Ecclesia (vt in Pontifice vel Concilijs congregatis cernitur) peti, vt patet respectiuè Deutr. 17. & 2. Paral. cap. 19. vbi quæstiones de fide, religione ac cæremonijs iubentur ad Sacerdotes & Pontificem deferri, & priori loco sub pœna mortis iubetur decisioni eius obedire. Matth. etiam 2. vbi Concilium conuocatum est propter Herodem, qui à Principibus Sacerdotū sciscitabatur, vbi Christus, iuxta Prophetarum vaticinia, nasceretur.

Considerabat, inquam, quod, vti Pontifex & Concilium Seniorum fuit iudex controuersiarum in veteri Testamento, ita rem se habere, quoad Pontificem & Concilia, vt patet Act. 15. vbi conuocatum est Concilium Apostolorū, super controuersia, quę tunc erat de Circumcisione, an scilicet illa & præcepta cæremonialia cum lege euangelicā obseruari deberent. Id enim volebant Pharisæi, vt patet v. 5. vbi sic habetur: *Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorū, qui crediderunt dicentes: quia oportet circumcidi eos præcipere quoq. seruare legem Moysi.* Verum Paulus & Barnabas hinc destinati sunt cum quibusdam alijs ad Apostolos, existentes in Ierusalem, vt super hac quæstione, eorum referrent iudicium. Quid factum est? Apostoli inuocato Spiritu sancto responderunt his verbis: *Visum est Spiritui sancto & nobis nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Id est, non volumus vobis imponere onus Circumcisionis & legalium, quod graue est, sed abstinere à sacrificatis diabolo cibis, idque ne detis alijs scandalum, quantumuis per se sint indifferentes, dū videmini sic redire ad Idola. Et vt loquitur Paulus 1. ad Corinth. 10. Socij esse dæmoniorum, calicem horum bibere cum calice Domini. Hac enim ratione quidam infirmi scandalizabātur in facto Gentilium conuersorum ad Christianismum: quia in Gentilismo solent in signum Idololatriæ, sacrificatis Idolo cibis, vesci. Secundò, vt abstinerent à suffocatis & sanguine, hoc enim offendebat Iudęos, quia abstinentia talis indicta erat in veteri Lege. Tertiò, à fornicatione, quia Gentiles credebant fornicationem simplicem non esse peccatum. Eaque ratio est, quare prætermiserint Apostoli homicidium, adulterium, veneficium, & similia, quia illa palam credebantur mortalia, ita vt legibus etiam Gentilium punirentur: & nota quod à prædictis abstinere graue non censebant propter fouendam charitatem, quia tum, per se, graue non erat à prioribus duobus abstinere; tum etiam quia obligatio istius legis, erat tantū pro exiguo tempore, intra quod Iudæi & Gentiles, re melius intellectā, facilius coalescerent. Tertium verò graue non erat; quia lex naturalis abstinentiam à fornicatione præcipiebat, & omni tempore obligauerat, ita vt inter ea recenseretur, de quibus Ioannes dicit: *Mandata eius grauia non sunt.* quamuis gentiles hoc ex praua consuedine non ita facile perciperent.

Vers 5.

1. Cor. 10.

Cōsiderabat denique, quod Paulus & Barnabas, qui ambo erant Apostoli & Prophetæ, & Doctores, ambo à Spiritu sancto speciatim electi, vt Euangelium Gentilibus prædicarent Actor. 13. sufficienter potuissent per se determinare illam controuersiam; de Circumcisione & Legalibus, & tamen noluisse hoc officium vsurpare; vt suo exemplo docerent huiusmodi controuersias, quæ fidem ac religionem concernunt, ad ordinarios Ecclesiæ Prælatos, vel ad Concilia Prǽlatorum deferri oportere.

Actor. 13.

Sciebat etiam post tempora Apostolorum

ſtolorum alias atque alias controuerſias diuerſis locis ac ætatibus exortas ſimiliter à Pontifice Romano, vel à Concilijs ab eo approbatis deciſas ac diremptas eſſe, idque ex hiſtorijs Eccleſiaſticis notum eſſe, & eos, qui illorum ſententiæ noluerunt acquieſcere pro hæreticis habitos atque damnatos eſſe, iuxta illud Matth. 18. *Si vero Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Vnde neceſſe fuit, vt dixi, viam illã obſtruere, ac illam Eccleſiam occulere, quam neceſſe eſt agnoſcere, & extra quam ſaluari non poſſumus.

Matth. 18.

4. Sed dices in Symbolo Apoſtolorum profitemur nos credere Sanctam Eccleſiã Catholicam; at quod fide credimus, non eſt viſibile, vti credimus Eccleſiam, ergo Eccleſia non eſt viſibilis? Reſpondeo viſibilem Eccleſiam partim cadere ſub externos oculos, partim ſub internam fidem. Externis oculis videmus multitudinem eorum hominum, ex quibus cõflata eſt Eccleſia viſibilis. Internâ fide credimus veram Chriſti doctrinam apud eos tradi atque conſeruari. A ſimili res melius illuſtrabitur. Apoſtoli in Chriſto videbant humanitatem, credebant diuinitatem. Inde dicebat Chriſtus Thomæ Ioan. 20. *Quia vidiſti me credidiſti.* Id eſt, quia vidiſti humanitatem, credidiſti diuinitatem. Quod indicarat iſtis verbis: *Dominus meus & Deus meus.* In Baptiſmo videmus externam aquam & ablutionẽ, credimus vero internam vim regenerandi & peccata abluendi. In Codice Bibliorum videmus chartam, ſcripturam, codicem ipſum, credimus verò quod in eo continetur, eſſe verbum Dei. Idem dicimus de Eccleſia. Itaque maneat ſic neceſſe eſſe Eccleſiam eſſe viſibilem, & ex nequitia ab Aduerſarijs id negari.

Ioan 20.

5. Porrò, quia Romana Eccleſia ſemper fuit omnium Eccleſiarum mater, eaque, quatenus vniuerſalis, Eccleſiam Chriſtianorum toto orbe diffuſam ſignificat, fueritque olim commiſſa Sancto Petro, Ioan. 21. in verbis: *Paſce oues meas*, ac proinde eius ſucceſſores Pontifices Romani fuerint & ſint Caput totius Eccleſiæ Catholicæ. Hinc horrendis calumnijs Pontificem inceſſunt, dicentes eum eſſe Antichriſtum, meretricem Babylonicam, & ſimilia.

Ioan. 21.

Si quæras quid cauſæ? deprehendes non aliam eſſe, quam quod illis diſplicuerit omnes alias Eccleſias debuiſſe ſe illi conformare in fide & religione, & re ipſa præſtitiſſe, vt patet ex Irenæo lib. 5. contra hæreſes c. 3. vbi rationem reddens, cur potius deſcribat ſucceſſionem Epiſcoporum Eccleſiæ Romanæ, quam aliarum Eccleſiarum particularium, ſic ait: *Ad hanc enim Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt vndique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis Traditio.* Irenæus.

Diuus quoque Hieronymus epiſt. 57. ad Damaſum Papã, quando quæſtio erat, poſt profligatam hæreſim Arianam, de tribus Hypoſtaſibus confitendis in Sanctiſſima Trinitate, idque per quoſdam qui reliquias fouebant Arianæ hæreſeos, ſic ait: *Quoniam vetuſto Oriens inter ſe populorũ furore colliſus, indiſciſſam Domini tunicã & deſuper textam, minutatim per fruſta diſcerpſit, & Chriſti vineam exterminant vulpes, vt inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile, vbi fons ſignatus & hortus ille concluſus ſit, poſſit intelligi: ideò mihi cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam, cenſui conſulendam, inde nunc meæ animæ poſtulans cibum, vnde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi.* Et infra ibidem: *Ego beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri, communione conſocior: ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt, ſi quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio &c. quicumque tecum non colligit, ſpargit.* Hieron.

Similiter ſcribit Diuus Bernardus Epiſt. 190. dicens: *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala emergentia in regno Dei, ea præſertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum.* D. Bern.

defectum. Hæc quippe huius prærogatiua sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua? Ergo quod à Petri successore exigitur. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, id quidem modo necessarium. Tempus est vt vestrum agnoscatis Pater amantissime principatum, probetis zelum, ministerium honoretis. In eo planè Petri impletis vicem, cuius tenetis & sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores. Et rationem scriptionis suę addens, dicit: *Habemus in Francia nouum de veteri Magistro Theologum, qui ab ineunte ætate sua in arte Dialectica lusit, & nunc in Scripturis sanctis insanit. Olim damnata & sopita dogmata, tam sua videlicet, quam aliena suscitare conatur, insuper & noua addit. Qui dum omnium quæ sunt in cælo sursum, & quæ in terra deorsum, nihil præter solum nescio quid nescire dignatur, ponit in cælum os suum & scrutatur alta Dei, rediensque ad nos refert verba ineffabilia, quæ non licet homini loqui.* Et nonnihil post: *Promittens intellectum auditoribus suis, in his etiam quæ sublimiora & sacratiora profundo illo sinu sacræ fidei continentur, ponit in Trinitate gradus, in Maiestate modos, numeros in æternitate. Constituit denique Deum Patrem plenam esse potentiam, Filium quandam potentiã, Spiritum Sanctum nullam potentiam. Atq; hoc esse Filium ad Patrem, quod quandam potentiam ad potentiam, quod speciem ad genus, quod materiam ad materiam, quod hominem ad animal, quod æreum sigillum ad æs. Nonne plus quam Arrius hic? Quis hæc ferat? quis non claudat aures ad voces sacrilegas? quis non horreat prophanas nouitates, & vocum & sensuum?*

Ex quibus constat modernos hæreticos cõtra Scripturam & praxim veteris ac noui Testamenti petulanter docere, & quiduis effutire & negare vt errores suos adstruant.

6. Verum vt melius eos dignoscamus, consideremus quid Christus dixerit ad eos cognoscendos Matth. 7. cap. *Ex fructibus*, inquit, *cognoscetis eos*. Quinam verò sunt hi fructus? primus est, ex eorum interpretatione sæpè Ecclesiam scindi, transferri terminos Patrum, Catholicam fidẽ cædi, Ecclesiasticum dogma lacerari. Secundus inter Lutheranos & Caluinistas intercedere perpetuas dissensiones absque spe conciliationis. Tertius Caluinistas inter se in diuersum ire, ita vt aliud sentiant Arminiani, aliud Gomaristæ, aliud Vorstiani, aliud Anglicani, de præcipuis fidei Christianæ capitibus inter se contendentes, vt de infinitate & immensitate Dei, de Diuinitate Christi, de prædestinatione, de gratia & libero arbitrio ac similibus: adeò vt ad maiorem confusionem vitandam, coacti fuerint Ordines Hollandiæ ante paucos annos, Scripturâ reclamante, se declarare Caput Ecclesiæ, & Iudicium Controuersiarum sibi vendicare, vti reipsa fecerunt, edendo vernaculâ linguâ super materia Prędestinationis quẽdam Libellum intitulatum, RESOLVTIONEM POTENTIVM DOMINORVM STATVVM. Inauditũ profectò monstrum. Quartò, describit Bernardus Epist. 240. fructus qui ex concionibus vnius Apostatæ orti sunt. Audi eos ex ipsius verbis: *Versatur in terra vestra sub vestimentis ouium lupus rapax, sed ad Domini designationem à fructibus eius cognoscimus illum. Basilicæ sine plebibus, plebes sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reuerentia sunt, & sine Christo deinde Christiani. Ecclesiæ Synagogæ reputantur, Sanctuarium Dei sanctum esse negatur, Sacramenta non sacra censentur, dies Festi festiuis frustrantur solenniis. Moriuntur homines in peccatis suis, rapiuntur animæ passim ad tribunal terrificum, heu! nec pœnitentiâ reconciliati, nec sacrâ Communione muniti. Paruulis Christianorum Christi intercluditur vita, dum Baptismi negatur gratia: nec saluti propinquare sinuntur, Saluatore licet piè clamante pro eis: Sinite, inquit, paruulos venire ad me.* Matth. 19.

Denique fructus sunt tales ex quibus deprehenditur Ecclesiam reformatam non esse sanctam, qualis tamen debet esse vera Ecclesia, iuxta articulum Symboli Apostolorum. *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Et ratio est, quod Deus ibi instiget & compellat

Matth. 7.

compellat ad peccatum, quod præcepta Decalogi sint impossibilia seruatu, quod bona opera sint sordes & inquinamenta, quod Prædestinati necessariò saluentur, quidquid agant. Ex quibus omnibus nihil colligi potest quam liberè esse peccandum, ac ventri indulgendum & laxandum habenas ad omnia vitia, adeò vt ipsi Aduersarij coacti fuerint fateri omne malum ex eorum Euangelio prodijsse.

Audiamus eorum testimonia. Lutherus in Postilla domestica Ienæ impressa Conc. 2. Dominicæ 1. Aduentus: *Mundus*, inquit, *ex hac doctrina quotidie redditur deterior. Iam homines singuli septenis diabolis obsidentur, cum antea tantum vnico obsessi fuissent. Diabolus iam cateruatim in homines ingreditur, vt nunc in tam splendida Euangelij luce sint auaritiores, callidiores, iniustiores, crudeliores, proteruiores quam prius in Papatu fuerant.* Nimirum is noui Euangelij fructus est.

Similiter Caluinus in capite 11. Danielis vers. 34. *In exiguo illorum numero, qui se ab Idololatrijs Papatus subduxerunt, maior pars plena est perfidiâ & dolis. Præclarum quidem Zelum simulant: si tamen intus excutias, reperies plenos esse fraudibus.* Et in Comment. 2. Pet. 1. *Vix eorum decimus quisque est, qui alio fine Euangelio nomen dederit, quam vt solutius in omnem lasciuiam difflueret.* Hoc enim permittit Euangelium Caluini.

Et Andreas Musculus in libro de nouissimo die: *Quod si fateri veritatem volumus, tum hoc de nobis Euangelicis testari cogimur, magis quam nos, scortationibus, vsuris, circumuentionibus, fraudibusque deditos, in toto iam mundo nusquam inueniri.* Et in libr. de Prophetia Christi: *Iterum cogor dicere, quia verum est contumaciores homines, in quorum animis omnes omnis virtutis & honestatis scintillæ sunt extinctæ, & apud quos nihil tam pro peccato habetur, nusquam nec apud Ethnicos, Iudæos, Turcas inueniri, quam inter euangelicos, apud quos omninò vinculis solutus ac liber viget diabolus. Vtque paucis rem omnem eloquar, eò nostra Lutheranorum res redijt, vt si quis videre cupiat magnam turbam nebulonum, atheorum, vsurariorum & deceptorum, ei adeunda sit ciuitas aliqua, in qua Euangelium* (nouum) *prædicatur. Ibi cateruatim id genus hominum inueniet.*

7. At quæres, quomodo Populus eiusmodi hæreses tam facilè sit amplexus? deplorat enim D. Bernard. dict. Epist. 240. vbi fructus Henrici cuiusdam Apostatæ enarrauerat, dicens: *Non est hic homo à Deo, qui sic contraria Deo & facit & loquitur. Proh dolor! auditur tamen à pluribus, & populum qui sibi credat, habet. O infelicissimum populum! Ad vocem vnius Hæretici siluerunt in eo omnes propheticæ & apostolicæ voces, quæ de conuocanda in vna Christi fide è cunctis nationibus Ecclesia, vno veritatis spiritu cecinerunt. Ergo fefellerunt diuina oracula, falluntur omnium oculi atque animi, qui quod legunt prædictum, intuentur impletum. Quam certè manifestam omnibus veritatem solus iste stupendâ & prorsus Iudaicâ cæcitate aut non videns aut inuidens adimpletam simul nescio qua arte diabolica persuasit populo stulto & insipienti de re manifesta, nec suis credere oculis, fefellisse priores, errare posteros, totum mundum etiam post effusum Christi sanguinem perditum iri, & ad solos quos decipit totas miserationum Dei diuitias, & vniuersitatis gratiam peruenisse.* Sed desinat mirari, id enim nouum non est. Nam in veteri Testamento infiniti prope homines adhærebant falsis prophetis, præteritis & neglectis prophetis à Deo missis, & euidentibus signis missionem suam probantibus. Et ratio erat, quod veri Prophetæ prædicebant iram & vindictam Dei, propter peccata hominum, euersiones vrbium, direptionem bonorum, captiuitates populorum, & similia incommoda, quæ amatorib⁹ huius mūdi ingrata sunt. Falsi omnia contraria vaticinabantur, vt pacem, victoriam, felicitatem, rerum omnium abundantiam: & ideo à plerisque libenter audiebantur. De his loquitur Ieremias cap. 14. vers. 13. *Et dixi Domine Deus: Prophetæ dicunt eis; non videbitis gladiū, & fames non erit in vobis, sed pacem veram dabit vobis in loco isto. Et dixit Dominus*

Bernard.

minus ad me: falsò prophetæ vaticinantur in nomine meo: non misi eos, & non præcepi eis, neque locutus sum ad eos. Visionem mendacem, & diuinitatem fraudulentam & seductionem cordis sui prophetant vobis. Idcircò hæc dicit Dominus de Prophetis, qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi, dicentes; Gladius & fames non erit in terra hac: in gladio & fame consumentur prophetæ illi. Atque res eo vergebat vt non solum apud vulgares sibi fidem conciliarent, sed etiam apud Reges. Ita vt falsis Prophetis omnia fausta pollicentibus, & veris Prophetis infelicia ab illis conijcerentur in carcerem, vt patet tum alibi, tum 3. Reg. 22. Vbi
3. Reg. 22. Michæas Propheta contra Pseudoprophetas omnia aduersa in bello Syriaco Regi Achab euentura prædixit, ideoque à Rege tanquam antea sibi, Regisque rationibus infensus in vincula coniectus. Omitto quod prius à Pseudophetarum Baal principe Sedecia impacto colapho grauissimam acceperat iniuriam, eo quod Prophetas omnes à mendaci spiritu deceptos esse affirmasset.

Porrò hæc ratio etiam mouit populum veros Apostolos negligere, & Pseudoapostolis adhærere. Illi
Matth. 3. enim continuo buccinabant. Pœni-
Matth. 7. tentiam agite, appropinquat enim
Rom. 6. regnum cœlorum: contendite intrare per angustam portam: Non regnet peccatum in mortali vestro corpore: mortificate membra vestra quæ sunt super terram: abstinete à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam. Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret. Verum Lutherus, Caluinus, & eorum posteri planè contraria proponunt; abrogant ieiunia, oderunt castitatem, adeò vt Lutherus de Sancti Hieronymi salute vacillet, nec vlli Doctorum magis sit infensus, quia de ieiunio, de delectu ciborum, & de virginitate duntaxat scribit, vt ille falsò asserit. Accipe eius verba quæ habētur cap. 58. in Colloquijs mensalibus de Patribus Ecclesiæ. *Hieronymus inter Ecclesiæ Doctores numerari non debet quia fuit hæreticus. Puto tamen quod per fidem in Christum saluatus sit. Nihil de Christo loquitur, nisi quod nomen illius aliquando in ore habeat. Nullum scio ex Doctoribus, cui æquè infestus sim ac Hieronymo, quia tantum scribit de ieiunio, de delectu ciborum, de virginitate* &c. Talia effutit de eo qui Prophetas, Euangelia, Epist. Pauli explicat, quæ respectiuè de Christo venturo tractant, & de eo qui iam venit, vt insulsum sit tanto doctori hoc imponere sed oderat eum quia virginitatem prædicabat quia Paulū imitatus castigabat corpus suum, & in seruitutem redigebat. Nec mirum, quia eiusmodi Apostolorum vox est. *Bona opera non prosunt. Crescite & multiplicamini: Si non vult vxor, veniat ancilla.* Hanc vocem plerique libentius audiunt, quam vocem Christi & Apostolorum. Ad quos spectat illud Rom. 8. *Qui secundum carnem*
sunt, quæ carnis sunt, sapiunt. Ideoque Rom. 8.
discipulos nanciscūtur sicut histriones spectatores. Quod dixi testatur ipse Caluinus qui in Comment. 2. Petri. 1. v. 2. sic ait: *Vix eorum decimus quisquis est, qui alio fine Euangelio nomen dederit, quam vt solitius in omnem lasciuiam difflueret.*

Porrò hæc omnia procedebant, quia populo placere studebant, quod Apostoli omninò horrebant, vt patet exemplo Pauli qui Galat. 1.
dicebat: *Si adhuc hominibus placerem,* Galat. 1.
seruus Christi non essem.

Alia fuit ratio cur prudentiores ijs adhærerent quod officia venarētur, & promotiones ambirent, vt palam est, & tunc factum, & nunc fieri à plerisque Catholicis: quibus congruit illud Ioan 12. *Dilexerunt*
magis gloriam hominum, quam Dei. Ioan. 12.
Vnde sic paulatim in reprobum sensum à Deo traditi, etiam proles in hæresi fouent.

Discursus XX.

Vtrum nunquam liceat disputare de Fide cum Hæreticis.

Matth. 7. Hristus Matth. 7. docet cauendũ à falsis Prophetis. Et ratio est, quod peruersionem bonorum moliantur. Ex quo aliquis facilè colligere posset illicitum etiam esse, cum illis de rebus fidei disputare. Vnde tractabo quod in argumento ponitur.

Tertull. lib. de Præscr. c. 17. Tertullian. lib. de Præscript. vult Hæreticos non admittendos ad vllam de scripturis disputionem. Et mouetur primo ex eo, quod possessio scripturarum non sit apud hæreticos. Secundò, quod nihil proficiet quis cum eis disputando, sed seipsum gratis fatigabit, & alijs dabitur ansa ad ruinam, in verbis capitis 17. *Quid promouebis exercitatissime scripturarum, cum si quid defenderis, negetur ex diuerso; si quid negaueris, defendatur. Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione, nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione.* Cap. 15. Et cap. 15. *Scripturas obtendunt, & hâc suâ audaciâ statim quosdam mouent; in ipso vero congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt.* Tertiò, quod existimet hoc Cap. 16. 1. ad Tim. 6. T. t. 3. Apostolum inhibere 1. ad Timoth. 6. Et ad Titum 3. dum ait, capite 16. *Quod fides nostra obsequium Apostolo debeat, prohibenti quæstiones inire, nouis vocibus aures accommodare, hæreticum post vnam correptionem conuenire, non post disputationem addens. Adeo interdixit disputationem, correptionem designans causam hæretici conueniendi & hoc vnam, scilicet quia non est Christianus: ne more Christiani, semel & iterum, & sub duobus aut tribus testibus castigandus videretur: cum ob hoc sit castigandus propter quod non sit cum illo disputandum.*

Verum ex scripturis constat illam non fuisse mentem Apostoli, qui ad Tit. cap. 1. requirit vt Episcopus sit Tim. 1. vsque adeo diuinorum eloquiorum peritus, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, redarguere: quod postremum fit disputando.

Secundò, obstant exempla Christi & Stephani, qui Ioan. 8. & Act. 6. Ioan. 8. Act. 6. respectiuè leguntur disputasse.

Tertiò, est contra Canones, nam capite Quicumque de Hæreticis in sexto. personis laicis inhibetur de fide publicè vel priuatim disputare, in verbis: *Inhibemus quoque, ne cuiquam laica persona liceat publicè vel priuatim de fide Catholica disputare. Qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Quæ verba præsupponunt viris doctis Ecclesiasticis eiusmodi disputationem saltem aliquando esse licitam.

Demum vsus Ecclesiæ & quotidiana experientia id confirmant: Adeo vt certum sit, aliquando licere, aliquando vero non licere, sed opus esse distinctione, ex qua possit dignosci, quibus personis & quando illa disputatio liceat, & non liceat.

Dico igitur primo non solum licitum sed etiam pium esse ac meritorium viro Ecclesiastico in scripturis versato accedere needum sufficienter instructos in Catholica fide, siue Gentiles, siue Iudæos, siue ex parentibus Hæreticis natos, & cum ijs instructionis causa disputare, cum animaduertet eos paratos esse corrigi; hoc enim est opus misericordiæ spiritualis, quod vocatur, *ignorantes docere:* Et imitatur exemplum Christi Saluatoris, qui fatiga-

fatigatus quieuit ad fontem Iacob, quo sciebat mulierem Samaritanam venturam ad hauriendam aquam, quæ partim colebat Deum, partim etiam Idola: Et petijt ab ea bibere, vt sic occasionem haberet cum illa disputandi, & licet illa obijceret mirum esse quod ab ea potum peteret, quandoquidem Iudæi Samaritanis non couterentur, vt habetur Ioan. 4. c. nihilominus percepit cum ea agere ita fructuosè, vt crederet Christũ esse Prophetam, quia peccatum adulterij, in quo viuebat, illi aperuerat. Inde enim quæstionem mouit de sacrificio Samaritanorum & Iudæorum & instructionem accepit de suo errore, & de sacrificio futuro sub lege Euangelica simul informata fuit, ac tandè percepit Christum esse Messiam, alijque multi tum ex eius verbo, tum ex verbis Christi crediderunt ipsum esse Saluatorem mundi. Vnde liquet multo minus arcendos esse eos, qui sponte accedunt instructionis ergò, sed cum ijs disceptandum esse. Non enim dedignatus fuit Christus longam disputationem cum Nicodemo Ioan. 3. capite. Ille enim venerat ad Christum conscientiæ stimulo agitatus, & ex miraculis, quæ viderat eum facere, sibi necessarium existimauit Christum recipere, & eum confiteri, credens se conscientiæ suæ satisfacere, si nocturno tempore & secreto veniret & Christum doctorem à Deo missum confiteretur, nec prætereà quid requiri. Vnde Christus incepit cum illo disputationem, dicens: *Amen Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo non potest videre regnum Dei.* Id est, rem certam & constantem tibi dico, & hæc est; nisi homo secundò nascatur, non potest videre regnum Dei: non satis est vita ante acta, necesse iam est, iterum gigni, seu nasci, si quis vult Messiæ promisso adhærere, & de numero Ecclesiæ ipsius esse, & tandem æternam salutem consequi: ne ergo securum te arbitreris hoc tuo aduentu nocturno, & hac tua

Ioan. 3.

confessione, denuo oportet te nasci, si regnum Dei videre cupis. Regnum Dei appellat Ecclesiam sequentium Christum. Iudæi enim tempus & statum aduentus Messiæ hoc nomine appellabant: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*, id est, beatus qui fruetur aduentu Messiæ, & de numero illorum, qui eum visuri & secuturi sunt, erit. Matth. 21. cap. *Si in digito Dei eycio Dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.* Matth. 12. cap. *Auferetur à vobis regnum Dei.* Et sic disputatio est inchoata de Baptismi necessitate, & fidei ad vitam consequendam. Et cum hic esset legis doctor, qui ex lege Moysis debebat hoc scire, sequitur quoscumque paratos corrigi, etiamsi diu errauerint, etiam disputione iuuandos.

Luc. 14.

Matth. 21.

Matth. 12.

Dico secundo non licere Catholico Ecclesiastico quantumuis docto, præsertim publicè, disputare cum Hæreticis pertinacibus, hoc est, cum ijs, qui ex obstinatione ad mentem reduci nolunt, sed argumenta pro fide producta & conuincentia, eludere conantur, vt victoriam apud alios obtinuisse videantur. De illis est illud Augustini libr. 3. contra Faustum, cap. 12. *Non disputare amant hæretici sed quoque modo superare imprudentissima pertinacia vt congregent, quæ non pepererunt.* Et huc tendunt verba D. Apostoli ad Tit. 3. capite. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est qui est eiusmodi.* Et idem est quasi dicat, non disputabis nec vltra corripies Hæreticum quem secundo admonueris quia propter eius obstinationem nihil proficies. Nam illa est eorum natura, vt innuit Bernardus serm. 66. in Cant. vbi ait: *Quantum ad istos, nec rationibus conuincuntur, nec authoritatibus corrigũtur, quia non recipiũt nec flectuntur suasionibus, quia subuersi sunt. Probatum est, mori magis eligunt, quam conuerti,* quod in priuatis disputationibus quotidie etiã contingit. Deinde ex aliâ causâ docet Apost. cum illis non esse disputandũ,

Augustin. lib. 3 cont. Faustum cap. 12.

Tit. 3.

Bern. ser. 66. in Cant.

2.Tim.2. cum 2. ad Tim. 2. sic monet Timotheum: *Noli contendere verbis, ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.* Id est, noli disputare cum hæreticis in hæresi sua obfirmatis: nam illi superbi sunt, nihil scientes, sed languentes *circa quæstiones & pugnas verborum*, *ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum*, vt habetur 1. ad Tim. 6. c. v. 4. vnde contingit audientes subuerti, id est nouantium contentiosâ blandiloquentiâ capi, in partes & scismata abire, vti etiam experientia docet; quia facilius plausibilia hæreticorum argumenta capiunt, quam subtiles Catholicorum solutiones.

Ioan. 8. Sed dices, Christus tamen legitur Ioan. 8. disputasse cum obstinatis, quos sciebat eum velle interficere, potius quam in eum credere, & simul prædicebat morituros in peccato incredulitatis, in verbis: *Et in peccato vestro moriemini*. Et S. Stephanus disputauit cum Iudæis, Libertinis, Cyrenensibus, Alexandrinis &c. qui Spiritui sancto resistebant, & manifeste conuicti illum ad necem quærebant.

Respondeo Christum Dominum & S. Stephanum compulsos fuisse ad veritatem propugnandam propter alios quamuis scirent se nihil profuturos apud obstinatos, quia enim Christus docebat in templo iuxta gazophylacium seu arcam donariorum, vbi multi tum viri tum fœminæ præsentes aderant. Et Stephanus in Synagoga, quam Iudæi aduenæ habebant Ierosolymis, vbi magnus erat confluxus, charitas postulabat tales ad aliorum vtilitatem confundi. Vnde Christus aperuit eorum secreta, quod vellent eum occidere, & dixit eos ex patre Diabolo esse, qui homicida fuisset ab initio, quin etiam damnandos, in verbis: *In peccato vestro moriemini*. Qua ratione authoritas eorum multum diminuta fuit apud auditores: atqui sic Christus sæpe legitur. Saducæos, Scribas & Pharisæos confudisse, quādo validis argumentis conuictos, verbis contenderunt nugatoria in medium proferentes, vt Matth. 22. capite, vbi Saducæi Christo proposuerant quæstionem, quænam esset vxor futura septem fratrum, qui iuxta legem Deuter. 25. cap. successiue eandem mulierem duxerant in vxorem, dicens: *Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei, in resurrectione enim neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Similiter ibi confudit Pharisæos proponentes quæstionem de soluendo tributo Cæsari. Et cap. 23. illos qui docebant iurantem per templum vel altare non esse reum criminis: verum iurantem per aurum templi, vel per oblationes, quæ in altari fiebant, reum esse, in verbis: *Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicumque iurauerit per templum, nihil est; qui autem iurauerit in auro templi, debet. Stulti & cæci, quid enim maius est, aurum an templum, quod sanctificat aurum.* Matth. 22. Cap. 23.

Sic etiam S. Stephanus, postquam conuicerat dictos de Synagoga surgentes, ita quod non possent *resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur*, Actor. 6. cap. vers. 10. confudit, dicens: *Dura ceruice, & inconcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita & vos*, Actor. septimo capite. Hoc enim modo authoritas eorum deprimitur, auditores in fide inquietati, in eâ confirmantur. Actor. 6. vers. 10. Actor. 7.

Si itaque similis occasio nunc daretur, non solum licitum esset, Catholico Doctori eiusmodi hominibus se opponere, sed etiam necessarium argumenta eorum soluere, ne fides in auditoribus periclitaretur. Nam vt scite Diuus Gregorius parte 2. Pastorali capite quarto. *Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium, eos qui erudiri poterant, in errore relinquit.* Quapropter Diuus Paulus cum videret Pseudo-apostolos se cum aliorum pernicie extollere, ad confirmandos fideles, suas visiones & reuelationes & raptū, quæ celauerat annis quatuordecim, Corinthijs narrat. D. Greg. p. 2. Pastor. cap. 4. 2. Cor. 12.

Quia

Quin etiam Prophetæ corripiebant in veteri Testamento eos, quos videbant non emendatum iri, ne alij eorum exemplo peruerterentur.

Verum enim vero hoc Catholico Doctori obseruandum est, vt tales disputantes primò coërceat intra limites certæ materiæ, de qua agunt, ne ex vna in aliam delabantur, vt frequenter faciunt, quatenus nullus fructus proueniat ex disputatione. Secundò, vt illos restringat ad formam syllogisticam, quatenus vis argumenti appareat, quia solent sine vlla connexione distinctiones, seu potius cōfusiones facere quamplurimas, id est labyrinthum struere, vnde præsentes tædio afficiantur, ipsi honorem suum saluent. Tertiò, cauere quantum fieri potest, vt coram simplicioribus disputatio non fiat: Et si necessitas vrgeat (vt in casu præfato) clarè & perspicuè ad captum popularem disputando procedatur vtendo argumentis facilibus intellectu, sicut Christus accommodans se populo, illum instruxit per parabolas & similitudines illis familiares quibus nihilominus Pharisæos notabat.

Dico tertio non licere Catholicis, dubijs in rebus fidei, disputare cum Hæreticis, multo minus cum eorum ministris, instructionis gratia. Id enim illicitum esse patet, quia talis ostendit se dubium esse in fide, & credere se non inuenisse cum inuenerit, quod per se est peccatum mortale, & periculum continens, omnino recedendi à fide, iuxta illud Ecclesiastici capite 3. *Qui amat periculum peribit in illo*, vt enim ait Tertullianus capite vndecimo de Præscript. *Si quod debui credere credidi, & aliud puto denuo requirendum, spero vtique & aliud esse inueniendum, nullo modo speraturus istud nisi quia aut non credideram, qui videbar credidisse, aut desij credidisse. Ita fidem meam deserens, negator inuenior. Semel dixerim, nemo quærit, nisi qui, aut non habuit, aut perdidit. Perdiderat vnam ex decem didrachmis anus illa, & ideo quærebat: vbi tamen inuenit, quærere desijt. Ianuam vicinus non habebat, & ideo pulsabat: vbi tamen apertum est ei, & vt accepit, pulsare cessauit. Vidua à iudice petebat audiri, quia non admittebatur: sed vbi audita est, hactenus institit. Adeo finis est & quærendi, & pulsandi, & petendi. Petenti enim dabitur, inquit, & pulsanti aperietur, & quærenti inuenietur. Viderit qui quærit semper, quia non inuenit. Illic enim quærit, vbi non inuenietur. Viderit qui semper pulsat, quia nunquam aperietur. Illic enim pulsat, vbi nemo est. Viderit qui semper petit, quia nunquam audietur. Ab eo enim petit, qui non audit.* Deinde sequitur absurdum esse apud hæreticos veritatem inquirere. Vnde pulchrè idem Tertullianus libro citato capite duodecimo. *Nobis etsi quærendum esset adhuc & semper, vbi tamen quæri oportet? Apud hæreticos? vbi omnia extranea, & aduersaria nostræ veritati; ad quos vetamur accedere. Quis seruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico domini sui sperat? Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hostibus Regibus, donatiuum & stipendium captat; nisi plane desertor & transfuga & rebellis? Etiam anus illa intra tectum suum dragmam requirebat: etiam pulsator ille vicini ianuam tundebat: etiam vidua illa non inimicū, licet durum, Iudicem interpellabat. Nemo inde strui potest, vnde destruitur. Nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur. Quæramus ergo in nostro, & à nostris & de nostro: idq; duntaxat quod salua regula fidei potest in quæstionem deuenire.*

Porro illud non potest in quæstionem deuenire, vtrum Catholica fides, seu Romanæ Ecclesiæ sit vera fides. Id enim tam multis argumentis probatum est, vt rectè de ea dici posset illud Dauidicum Psal. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Hęreticorū autem dogma tam est incertum, vt nuspiam securum consistere liceat: nam vnus dicit se habere fidem, alter, contrarium docens, similiter. Vnde Tertullianus c. 10. lib. cit. ostendit sic nunquam fore finem quærendi, dicens: *Cæterum si qui alia tanta ab alijs sunt instituta,*

Ecclesi. c. 3. — Tertul. c. 11. de præs. — Luc. 15. — Luc. 11. — Luc. 18. — Luc. 11. — Ibidem c. 12. — 1. Ioan. 1. — Luc. 15. — Luc. 11. — Luc. 18. — Ps. 92.

 propterea

propterea in tantum quærere debemus in quantum possumus inuenire, semper quæremus, & nunquam omninò credemus. Vbi enim erit finis quærendi? vbi statio credendi? vbi expunctio inueniendi? Apud Marcionem? sed & Valentinus proponit: Quærite & inuenietis. Apud Valentinũ? sed & Apelles hac me pronuntiatione pulsabit, & Hebion, & Simon, & omnes ex ordine non habent aliud, quo se mihi insinuantes, me sibi adducant: Ero itaque nusquam, dum vbique conuenior: Quærite & inuenietis: & velint me sic esse nusquam, quasi qui nunquam apprehenderim illud quod Christus instituit; quod quæri oportet, quod credi necesse est. Hinc videmus multos ab vna secta in aliã transire, & finem quærendi desinere in atheismum.

Sed dices quare non licet tales accedere, cum sua dogmata sacris scripturis probent. Respondeo nihil referre, quia scripturas proferendo diaboli callida machinamenta sectantur, qui appetijt etiã Christum Matth. 4. cap. verbis scripturę, cum statuisset illum supra pinnam templi, dicens: *Si Filius Dei es mitte te deorsum; scriptum est enim, quod Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis, in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Appositè Vincentius Lerinensis, cap. 37. sui Commonitorij. *Quid hic faciet misellis hominibus, qui ipsum Dominum maiestatis, scripturarum testimonijs appetiuit? Si, inquit, Filius Dei es, mitte te deorsum. Quare? Scriptum est enim, inquit, magnopere nobis doctrina loci istius attendenda atque retinenda est, vt tanto Euangelicæ auctoritatis exemplo, quando aliquos Apostolica seu Prophetica proferre contra Catholicam fidem viderimus, diabolum per eos loqui minime dubitemus. Nam sicut tunc caput capiti, ita nunc quoque membra membris loquuntur: membra scilicet Diaboli, membris Christi; perfidi fidelibus, sacrilegi religiosis. Hæretici postremo Catholicis.* Deinde docet, quod quotidie experimur, hæreticos suadentes, vt quis Catholicam fidem deserat, in hoc diabolum imitari, dicens: *Si quis interroget quempiam hæreticorum sibi talia persuadentem: vnde probas, vnde doces, quod Ecclesiæ Catholicæ vniuersalem & antiquam fidem dimittere debeam? Statim ille. Scriptum est enim. Et continuo mille testimonia, mille exempla, mille authoritates parat, de Lege, de Psalmis, de Apostolis, de Prophetis: quibus nouo & malo more interpretatis, ex arce Catholica, in hæreseos barathrum infelix anima præcipitetur.* Et c. 35. docet pulchris similitudinibus eos ob hoc magis cauendos, in verbis: *Sed tanto magis cauendi & pertimescendi sunt, quanto occultius sub diuinæ legis vmbraculis latitãt. Sciunt enim fœtores suos nulli fere cito esse placituros, si nudi & simplices exhalentur: atque idcirco eos cœlestis eloquij velut quodam aromate aspergunt, vt ille, qui humanum facile despiceret errorem, diuina non facilè contemnat oracula. Itaque faciunt quod hi solent, qui paruulis austera quædã temperaturi pocula, prius ora melle circumlinunt: vt incauta ætas cum dulcedinem præsenserit, amaritudinem non reformidet. Quod etiam ijs cura est, qui mala gramina, & noxios succos, medicaminum vocabulis præcolorant: vt nemò ferè vbi suprascriptum legerit remedium, suspicetur venenum.* Breuiter, dicit huiusmodi esse Pseudoapostolos, operarios subdolos transfigurantes se in Angelos lucis. Quales notat Apostolus 2. Corinth. 11. c. vers. 13. vbi probans illud non esse mirandũ, inquit: *Et non mirum, ipse enim satanas transfigurat se in Angelum lucis.* Quasi dicat: non mirum esse quod hæretici omnia sacra, ritus, Sacramenta, templa, monasteria, sacerdotia, altaria, pietatem, Dei cultum ac religionem deformantes ac prophanantes nomen Apostolorũ Christi assumant, quasi Christi forent Christianæque pietatis præcones, imò reformatores se prædicẽt, cum illud diabolo sit per quam familiare, cuius se exhibent ministros.

Matth. 4.

Vincent. Lerinens.

2. Cor. 11.

Sed quæres, cum Diabolus huiusmodi ministros vbique locorum fere habeat, an nunquam liceat viro seculari etiam docto talibus obuiare (de indocto enim superuacaneum est quærere, quia nihil proficeret.)

Respondeo

Respondeo licere primo, quando magna necessitas aut vtilitas id postulat, vt si esset aliquis hæreticus, qui peruerteret fideles, & nullus Ecclesiasticus vel Religiosus adesset, qui posset illi resistere, tunc laico, si aliàs sufficienter esset doctus, id liceret, imò ex lege charitatis incumberet: neque tunc ratio habenda esset inhibitionis Ecclesiasticæ, cuius vigor cessare debet, quando lex naturalis contrarium dictat, vt fit in dicto casu. Secundò licet in locis, vbi similis lex per contrariam consuetudinem est abrogata, vt sæpe contingit in locis, vbi Catholici hæreticis permixti sunt, tunc enim res redit ad statum naturæ, donec alia lege positiua, necessitate postulante iterũ inhibeatur à superioribus loci, vt in hoc Belgio vidimus necessum fuisse, quando tempore Induciarum inter Regem Hispaniæ & Ordines Hollandiæ, in nauibus, curribus & compitis eiusmodi disputationes frequentes lites causabant.

Discursus XXI.

An liceat libros Hæreticorum legere?



INdicium est veræ fidei abhorrere à lectione librorum Hæreticorum. Sed Nouantes omnimodam licentiam quosuis libros, quantumuis perniciosos, legendi, vnicuique adscribunt. Vnde tractabo, an liceat libros hæreticorum sine læsione conscientiæ legere aut penes se habere?

1. Thess. 5. Dixit Apostolus Thessalonicensibus 1. Thess. 5. *Prophetas nolite spernere, omnia probate, quod bonum est tenete.* Ex quibus verbis Nouantes prædictam licentiam nituntur confirmare. Verum dico resolute quibusdam non licere lectionem librorum hæreticorum, quibusdam autem licere.

1. Primum igitur non licet Catholico lectio librorum hæreticorũ Iure naturali, & diuino, quãdocumque periculũ est defectionis à fide, nam vt abstinendum est à cibo lethaliter noxio, Iure naturæ, quo vitam conseruare tenemur, ita etiam à lectione librorum, animæ mortaliter noxiorum, vnde sub peccato mortali ab ijs abstinendum. Porrò quia paucis hoc venenum se prodit, quod, vt ait, Vincentius Lerinensis: *Hæretici suos fætores cælestis eloquij velut quodam aromate aspergunt, vt ille qui humanum facile despiceret errorem, diuina non facile contemnat oracula.* Hinc necesse fuit Iure humano etiam eorundem lectionem inhibere. Et sic per leges ciuiles quondam certorũ librorum lectio prohibita est, Arrij, Eumenij, Porphirij, Nestorij, Seueri, & similium. Per Decreta vero Ecclesiastica veluti per Synodum septimam, prohibiti sunt libri Iconoclastarum, per Concilium Constantiense libri Wiclefi, per Gelasiũ Pontificem ij, quos in suo Decreto nominat, per Leonem decimum, & Paulum tertium libri Lutheranorũ, & tandem per Iulium tertium generalis lex nata est, qua sine vllo discrimine omnibus prohibet lectionẽ quorumcumque librorum hæreticorum, idque sub pœna temporali, & spiritali, quæ in hæreticos constituta est. Post Iulium idem fecerunt Paulus quartus, Pius quartus, & subsequentes Pontifices in Bulla cœnæ Domini.

2. Verum enim vero notandum est hoc tempore duplicem esse prohibitionem librorum hæreticorum, quarum vna continetur in Bulla cœnę Domini cum adiuncta excommunicatione reseruata Pontifici. Altera in Indice librorum prohibitorũ cum adiuncta excommunica-

 tione

tione non reseruata Pontifici. Hinc sequitur primo, legentem libros hæreticorum sine facultate incurrere in duplicem excommunicationem, alteram Bullæ, alteram Indicis: Et ab vna posse absolui à proprio Confessario; ab altera non nisi à Pontifice aut habente priuilegium à Pontifice.

3. Secundò sequitur aliquẽ posse incidere in excommunicationem Indicis, ita vt non incidat in excommunicationem Bullæ; si nimirum legat libros, qui prohibiti sunt in Indice, non tamen prohibiti in Bulla: cuiusmodi sunt illi, qui continent aliquos errores, tametsi non hæreticos, aut eorum suspicionem vt notat Toletus in explicatione Bullæ.

Quæres an hæc prohibitio iusta sit & legitima? Quod propter nouantes discutiendum est, qui dicunt hoc signum esse, fidem Catholicam non esse firmam, & quod vereamur, ne, si vulgus libros hæreticorum legat, partibus eorum accederet.

Respondeo nihilominus affirmatiue, eiusmodi prohibitionẽ iustam esse & legitimam. Primò ex antiqua & perpetua consuetudine, non solum Christianorum, sed etiã Ethnicorum, vt refert Bellarminus lib. 3. de Laicis cap. 20. vbi cathalogum istius inhibitionis inscribit, & ex Valerio Maximo lib. 1. cap. 1. Refert, quod cum Romæ reperti fuissent libri quidam, qui nonnihil videbãtur soluere religionem. Prætor vrbanus ex authoritate Senatus, in conspectu populi eos cremauit. Marcus Tullius libro 1. de natura Deorum refert. Protagoram Abderitem, eo quod libros noxios religioni scripsisset, Athemensium iussu vrbe atq; agro exterminatum, librosque eius in concione combustos.

Bellar. l. 3. de Laicis cap. 20.

Val. Max. lib. 1. c. 1.

Tull. lib. 1. de natura Deor.

Deinde tempore Apostolorum refert Lucas Act. 19. multos ab Apostolis conuersos, libros curiosos & vanos contulisse, & combussisse coram omnibus. Et Clemens libro 1. const. Apost. 7. cap. dicit Apostolos prohibuisse initio fidelibus libros Gentilium, & falsorum Prophetarũ.

Act. 19.

Clem. lib. 1 const. Apostol. cap. 7.

Scribit etiam Eusebius lib. 7. histor. cap. 6. Dionysium Episcopum Alexandrinum, qui floruit circa annum CCL. à fidelibus reprehensum, quod libros Hæreticorum legeret. Consequẽte postea tempore creuit zelus fidelium contra libros hæreticorum. Nam Nycænum Concilium libros Arrij igni adiudicauit, vt Nicephorus testatur lib. 8. cap. 18. & Constantius id executioni mandari iussit, proposita pœna capitis, si quis libros Arrij occultasset, vt patet ex Epist. ad Socratem lib. 1. cap. 6. & Nicephorum lib. 8. cap. 25. Scribit etiam Socrates lib. 1. cap. 24. Marcellum Ancyranum damnatũ fuisse, quod libros suorum errorum comburere noluisset: non enim recipiebantur ad pœnitentiam Hæretici, nisi prius libros suos combussissent.

Eus. lib. 7. hist. c. 6.

Niceph. l. 8. cap. 18.

Const. epist. ad Soc. l. 1. cap. 6.

Item ad Niceph. lib. 8. c. 25.

Posterioribus temporibus in diuersis Concilijs libri hæreticorum interdicti sunt, & ab Imperatoribus seuera lege iussi igne cremari, & nouissime iussit Concilium Tridentinum fieri Indicem librorum prohibitorum, vt omnes scirent qui libri cauendi & exurendi essent. Atqui ex hac perpetua consuetudine creditur tot volumina veterum hæreticorum, Valentini, Marcionis, Arrij, quibus SS. Patres respondẽt, non reperiri.

5. Si quæras an consuetudo ratione nitatur. Respondeo affirmatiue: primò, quia ipsorum libri plus nocent, quam sermones: at hi ab Apostolo & viris sanctis prohibentur, quod noxij sint & pestilentes, patet ex D. Paulo, ad Rom. 16. *Rogo*, inquit, *vos fratres vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab eis. Nam per dulces sermones, & seductiones, seducunt corda innocentium.* Et S. Cyprianus lib. 1. epist. 3. ad Cornelium: *Declinent*, inquit, *fortiter & euitent fratres nostri verba & colloquia eorum, quorum sermo vt cancer serpit.* Ergo multo magis eorũ libri, qui attentius leguntur & magis in animo hærent, quam quæ obiter audiuntur; imo facilius persuadent, eò quod

Rom. 16.

Cypr. lib. 1. Epist. 3. ad Corn.

eo quod accuratius conscripti sint. Nec aliam rationem excogitare possum, quare Institutiones Caluini plurimos peruerterint; quam ob fucum verborum, cum de cætero nihil soliditatis habeant. Deinde alia causa est, quare merito prohibeantur, & exurantur, quia nempe ad plura loca, & pluriũ manus perueniunt, ex quo contingit plures peruerti & perire per libros, quam ex viua voce hæresiarcharum.

6. Sed dices Apostolus Paulus 1. Thessal. 5. dicit: *Prophetias nolite spernere, omnia probate, quod bonum est, tenete.* Et ex hoc cap. voluntNouãtes quorumuis hæreticorum libros vnicuique promiscue permittendos.

Respondeo illos toto cœlo errare, nec illud vnquam intendisse Apostolum, qui sciebat lege expressissime vetitum Pseudoprophetas audire; imò primum lapidem, post condemnationem huiusmodi, mittendũ in peruersorem, ab eo quem conatus fuisset à vero Dei cultu auertere, vt patet Deutron. 13. v. 3. Voluit ergo verorum Prophetarum spiritum non prohiberi, & veras prophetias dignosci, ac in pretio haberi, & prauas reprobari.

Deut. 13. v. 3.

7. Ad cuius rei intelligentiam, nota olim in cœtu Ecclesiæ fuisse multos Prophetas inter Christianos, qui in fidelium cœtu & synaxi Spiritu sancto afflati publice prophetabant, siue proprie, siue improprie, scilicet sacram Scripturam interpretando, docendo, aut exhortando. Rursum tunc temporis aliquos Pseudoprophetas ijs clam se immiscuisse, vt patet c. 2. ad Thessal. 2. vbi Apostolus redarguit eos, qui prophetabant instare diem iudicij. Atqui propter hos noluit verorum Prophetarum spiritum retundi, & comprimi: sed diiudicari omnes Prophetias, an veræ sint, an conformes S. Scripturæ, & doctrinæ Ecclesiæ, an instinctu Spiritus sancti, an spiritus humani prouenian: si autem conformes Scripturæ deprehendantur, seruandas esse, sin minus abominandas. Pulchre de hac re Ambrosius: *Omnia, ait, quæ dicuntur probanda monet, & quidquid sobrie, & benedictum fuerit retinendum: quæcunque enim Apostolorum, & ipsius Domini dictis congruunt, ea bene dicta habenda sunt, & retinenda; ab his autem quæ inimica fidei videntur, abstinendum: solent enim Spiritus immundi (ita enim omnino legendum censeo) fallaciter quasi per imitationem dicere bona; & inter hæc subinducere praua, vt per hæc, quæ bona sunt, accepto ferantur & mala, vt quia vnius Spiritus dicta putantur, non discernantur ab inuicem, sed per id, quod licitũ est, commendetur illicitum auctoritate nominis, non ratione virtutis. Solent enim Apostolorum nomine & ipsius Domini nefanda docere, & aduersa, ideoque probanda monet, quia non possunt eloquia Domini esse diuersa.* Atque adeo idem est, quod Ioan. 1. epist. cap. 4. monuit, cum dixit: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus vtrum ex Deo sint*: nihil enim quod quauis ratione fidei repugnat, admittendum est: vnde sequitur Apostolum non loqui de Prophetijs, quas constabat esse prauas, sed de dubijs & incertis, quæ examine indigebant; atq; adeo hunc locum nouantibus non posse suffragari, cum hæreticorum libri iam improbati & damnati sint ab Ecclesia de certa hæresi & pernicie, quos naturalis ratio dictat cuique cauendos.

2. Thess. 2.

Ambros.

1. Ioan. 4.

8. Dices iterum Hieronymus epist. 152. fatetur se legisse libros hereticorum, vt bona inde excerperet, sic enim ait: *Non iuxta Pythagoræ discipulos præiudicata doctoris opinio, sed doctrinæ ratio ponderanda est: si quis autẽ contrariæ factionis immurmurat, quare eorum explanationes legam, quorum dogmatibus non acquiesco, sciat me illud Apostoli libenter audire. Omnia probate, quod bonum est tenete. Et Saluatoris verba dicẽtis, Estote probati nummularij, vt si quis nummus adulter est, & figuram Cæsaris non habet, nec signatus est moneta publica, reprobetur; qui autem Christi faciem claro prafert lumine, in cordis nostri marsupium recondatur.*

Hier. epist. 152.

Respondeo, non in omnibus ac singulis incumbere examinare quæ dubia

dubia sunt & incerta, sed ab ijs qui possunt, vt qui ad hoc habent facultatem à Prælatis Ecclesiæ ad refutandum, sicut multi habent: ob quam causam credendum est Hieronymum illos legisse, quia discernere potuit, quid in illis mali esset: sicut enim non est omnium, sed medicorum explorare, qui morbi sint contagiosi: ita non est omnium sed paucorum examinare quid sit hæreticum & quid non sit, teste enim eodem Hieronymo epist. 7. *Grandis est prudentiæ, aurum in luto quærere.* Quod experientia etiam docet. Nouerunt plurimi mecum ante annos quatuordecim virum alioquin pium, qui libros plures conscripserat hîc Bruxellis tendentes ad studiū perfectionis, & interea multas hæreses continebant, quæ à viris primarijs, qui eos habuerunt & legerunt, etiam post multum temporis non fuerunt deprehensæ. Notū est etiam, quod ex eo tempore primum deprehensum fuerit libellum intitulatum, *Theologiam Germanicam*, à perfectionistis tritū, multas hæreses continere, & Romæ condemnatum inter libros prohibitos tertiæ classis esse constitutum. Ea propter non debemus ex libris hæreticorū bona excerpere: quia vt ait Hieronymus loco citato: *Venena non dantur, nisi melle circumlinita.* Si autem bona & vera velimus cognoscere facilius & securius ex Catholicorū, quam hæreticorum libris cognoscemus; eò nos legat Tertullianus libro de Prescriptionibus. Cuius sententiam habes in præcedenti discursu. Hoc ipsum docet Hieronymus epist. 10. ad Furiam. *Eorum*, inquit, *dumtaxat tractatus lege, quorum fides nota est, non necesse habes aurum in luto quærere.* Et rectè, nam hæc curiositas est periculosa.

Idem epist. 7.

Hier. ep. 10 ad Fur.

9. Dices denique Ecclesia tolerat libros Gentilium, Iudæorum, Turcarum, & quorundam etiam veterum hæreticorū, vt Origenis, Tertulliani, Eusebij, Pelagij: ergo eadē ratione potest tolerare libros aliorum hæreticorum.

Ad hæc dico primò libros Gentilium ideo tolerari, quia non nocent. Nam errores, qui in ipsorum libris continentur, iam mortui & exstincti sunt, nec habent vllos amplius propugnatores. Quod si inter Christianos aliqui essent, qui Gentilium dogmata propugnarent, tunc meritò prohiberentur ipsorum libri, sicut factum est tempore Apostolorū, vt refert Clemens lib. 1. Constit. Apost. cap. 6.

Clem. l. 1. Const. Apost. c. 6.

10. Dico secundo libros Turcarum & Iudæorum esse melioris conditionis, quam hæreticorum, quia illi sunt aperti, nec fallunt sub nomine Christiano, vt hæretici faciunt (Loquor autem de libris Turcarum & Iudæorum, qui non continent blasphemias in Christum) alioquin etiam prohibentur in Indice à Clemente VIII. edito, & nominatum Talmud Iudęorum.

11. Dico tertio libri Origenis, Tertulliani, Eusebij & Pelagij ideo permittuntur, tum quia hæreses illorum sunt exstinctæ; tum quia illorū libri prosunt propter antiquitatem; tum denique quia non videtur hoc tempore esse vllum periculum, ne quis imbibat illorum errores, præsertim Tertulliani. Nam ipse docuit cum montano illicitum esse secundum matrimonium, & duas aut tres quadragesimas esse obseruandas. At nostri temporis Nouatores, ne vnam quidem seruāt quadragesimam, & non solum ad secundas, sed etiam ad tertias & quartas nuptias procedunt, vt metuendum non sit, ne iterum excitent errores Tertulliani.

12. Rursum quæres, an omnes obliget duplex illa inhibitio, id est, an etiam Catholicos permixtos hæreticis, vt in Germania, Gallia, & alibi quando legunt eos animo confutandi errores?

Respondeo, hæc quæstio nō pendet ex eo, an Catholici legant eiusmodi libros animo refutandi: sed ex eo an Bulla Cœnę Domini, & Index librorum prohibitorum obliget Catholicos in Germania, & in singulis locis.

locis. Vnde hæc duplex seruanda est regula. Vna, vbicumque Bulla & Index obligant, ibi Catholici vtramque incurrunt excommunicationem, si legant libros hæreticos sine facultate. Altera vbicumque lex vel constitutio Pontificis vsu recepta est, ibi obligat; vbi recepta non est, non obligat, vt suppono ex tractatu de legibus Becani c. 6. q. 8. & ex Nauarro in Manuali cap 23. 11. 41. Dicitur autẽ vsu recepta, quando à maiori parte communitatis recipitur, & obseruatur.

Hinc sequitur, si Bulla cœnę Domini, vel Index librorum prohibitorum in Germania receptus non est, Catholicos in Germania non excommunicari, qui legunt libros hæreticorum, tametsi peccẽt mortaliter, si eos legant cum periculo erroris, aut deceptionis, quod frequenter fit. Ita Becanus cap. 15. q. 8. nu. 5. de pœnis hæreticorum.

Alij volunt Catholicos etiam in locis vbi hæreses vigent, quamuis Tridentinum nec Bulla cœnæ Domini ibi promulgata sint, obligari ad non legendum libros hæreticorum sub pœna excommunicationis, etiamsi non subsit periculum erroris aut deceptionis, modo sciant apud Catholicos eam receptam esse; sed id quatenus est iuris positiui est minus rigidum.

13. Quæres ergo quinã eiusmodi excommunicationem contra legentes & retinentęs fulminatam incurrant? Respondeo, vt quis incurrat, quatuor requiruntur. Primò vt tales libri sint hæreticorum; secundò vt contineant hæresim, vel tractent de religione; tertiò vt scienter legantur, vel retineantur. Quartò, vt fiat absq; licentia Pontificis: atq; adeo licentia Episcopi, aut Inquisitoris non sufficit, cum ipsi Episcopi, Inquisitores, & Cardinales opus habeant licentiã Pontificis ad eiusmodi libros sine grauamine conscientiæ legendos. Neque illi famulis suis eiusmodi lectionem possunt mandare, vt ex illis intelligãt, quoniam illis non est data licentia, sed heris; ac proinde famuli iussu Domini legentes non excusarentur, nisi ob grauem metum, vt docet Sanchez in præcepta lib. c. 9. n. 48. 49.

14. Demum videndum est, an paruitas materiæ in hoc casu non excuset: Respondeo, hic illa regula seruanda est, excommunicationem non incurri, nisi propter peccatum mortale. Prius ergo videndum est, an peccet mortaliter, qui contra præceptum Ecclesiæ legit paucos versiculos in libro hæretico. Videtur autem esse eadem ratio in hoc peccato, quæ est in furto & alijs similibus. At in his potest aliquis dupliciter excusari à mortali. Primò propter paruitatem materiæ, quo pacto furtum vnius oboli est tantũ veniale. Secundò propter indeliberationem actus, vt si quis ex subita passione alterum percutiat, sine pręuia deliberatione. Idem ergo dicẽdum est in proposito. Nam si quis paucos tantum versiculos legat; aut sine deliberatione, aut quasi imprudenter incidat in librum hæreticũ, non peccabit mortaliter, ac proinde non excõmunicabitur. Nam quidquid excusat à peccato mortali, hoc etiam excusat ab annexa excommunicatione.

15. Dices iterum: vnde cognosci potest, quam multi aut pauci versiculi efficiant peccatum mortale aut veniale?

Respondeo. Sicut in furto hoc æstimari debet à notabili damno, quod infertur proximo, ita in hac materia æstimandum à notabili periculo, cui se exponit is, qui legit librum hęreticum. Hoc autem periculum non est æquale in omnibus legentibus: quia alij facilius decipiuntur, quam alij. Sicut etiam non est æquale damnum pauperis & diuitis, si quis auferat vtrique vnum coronatum. Omnes ergo circumstantiæ spectari debent, & sic prudenter de tota re iudicandum.

16. Ex his itaque colligitur legentem librum hæretici, etiamsi solam vnam hæresim contineat, quę pluribus paginis conscribitur, excõmuni-

municationem incurrere. Itidem qui eundem legit in aliqua eius parte, nisi diuidatur in multos tomos, & vnus ex ijs nō contineat hæresim, vel non tractet de religione.

17. Constat etiam retinentē huiusmodi libros scienter siue in sua domo, siue aliena, incurrere excōmunicationem præfatam, etiamsi non animo legendi, sed curiositatis vel ornatus Bibliothecæ eos retineat. Nam ex Bulla Iulij tertij colligitur eos ad inquisitorem deferendos. Cæterum ex prædictis sequuntur hæc corrollaria. Primum eos licite legere, qui licentiam à Pontifice ad confutandos errores obtinuerunt. Secundò legentem libros infidelium & libros Catholicorum, in quibus sunt inserti hæreticorum errores non incurrere. Vti nec legentes epistolam hęretici continentem hæreses, quia non est liber nisi sit epistola Dedicatoria, vel ad Lectorem, vel Præfatio in libro hæretici, quia eius pars est. Sequitur tertiò ignorantiam non modo probabilem, sed etiam crassam & affectatam excusare, quia requiritur vt scienter legatur, vel retineatur, nisi accederet ignorantia illa ad temeritatem magnam, & vehementem suspicionem habuisset malitiæ libri. Sequitur quarto audientem, siue sit causa lectionis siue non, excusari, quia vere non legit.

Discursus XXII.

In eadem verba.

An sicuti libros Hæreticorum non licet legere, ita omnis conuersatio & commercium cum Hæreticis sint prohibita Catholicis, & an fides eis sit seruanda, si quis cum illis contraxerit?



Apostolus Paulus ad Tit. 3. dicit hominem Hæreticum post vnam & secundam correptionem deuitandum: hinc tractabo, quod in argumento ponitur.

1. Ratio huius inquisitionis est, quod Deus vetuerit olim inire matrimonia Iudæis cū gentilibus Chananæis, vt patet Deutron. 7. vbi sic habetur: *Cum verò introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingredieris, & deleuerit gentes multas coram te, Hethæum & Gergezæum, & Amorrhæum, Chananæum, & Pharezæum &c. non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis coniugia: filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo: quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & vt magis seruiat Dijs alienis, irasceturq; furor Domini, & delebit te citò.* Deut. 7.

2. Secundò, quod nō solum connubia prohibuerit cum eis, sed etiā ne amicitias, animæ nociuas, cum illis contraherent, Exod. 34. in verbis: *Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam.* Quodque ratio prohibitionis sit moralis, quæ etiā nunc locum habet quoad hæreticos cum hæresis sit eiusdem authoris, ac est, Idololatria in cuius locum subinducta est. Exod. 34.

3. His igitur positis: Dico primò peccatum esse mortale Catholico, contrahere cum hæretica matrimoniū. Quia Apostolus pręcepit hęreticum pertinacem deuitare, & Diuus Ioannes prohibet dicere Aue peruersis & contemptoribus fidei; indeque apertè colligitur multò minus licere consuetudinem quanta est inter coniuges, idque tum ratione periculi

Eccles. 3. culi in quod alterutet se conijcit, iuxta illud Eccles. 3. cap. *Qui amat periculum, peribit in illo:* tum etiam ratione prohibitionis Ecclesiæ factæ Canone 13. Concilij Calcedonensis, & Canone 67. Concilij Agatensis. Vbi prohibentur coniugia cum hæreticis, Iudæis, & Paganis respectiuè. Itaque vbi Canones illi recepti sunt, aut vbi periculum versatur, matrimonia cum eis omnino sunt illicita, quamuis non inualida.

4. Dico secundò nunc temporis ex Constitutione Concilij Constantiensis licere per modum priuilegij concessi ad euitandos scrupulos, Catholico, sermonem conferre, & ciuilia commercia inire cum Hæreticis hic & ibi existentibus, modo non sint nominatim denunciati & notorij Clericorum percussores. Illos enim dictum Concilium excipit.

5. Dico tertiò non licere ciuilia commercia cum ijsdem inire nec sermonem conferre quotiescumque subest periculum peruersionis. Et ratio est quod ius positiuum non possit habere locum vbi Iuri naturali & diuino derogatur, quod dictat vnicuiq; vitare periculum peruersionis. Quale ex conuersatione Eccles. 13. sæpius contingere docet illud Eccl. 13. *Qui tetigerit picem coinquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiam.* Tum etiam quotidiana experientia, qua palam est, quod hæretici numquam silere possint, quin iuxta conuersationem & contractum ciuilium commerciorum, Catholicam Religionem Idololatriæ insimulent, & aliquid in medium producant de sua Secta, quasi illa nitatur verbo Dei, & vnicè sit amplectenda. Et proh dolor! quamplurimi in Belgio, & alibi ex conuersatione cum Caluinistis à Catholica fide defecerunt.

6. Dico quartò etiamsi periculũ non subsit, sed tamen offensio aliorum aut scandalum, quo rudiores ac simpliciores in errorem inducũtur, cum vident viros nobiles, potentes aut eruditos aliosque insignes cum hęreticis conuersari, pacisci &c. non licere: credunt enim illa conuersatione doctrinam & mores hæreticorum approbari, ac proinde se errare non posse, si ipsorum exemplum imitentur, atque ita contingit, vt apertè incipiant hæresim pro vera doctrina amplecti, & propugnare.

Probatur exemplo Eleazari 2. Machabæor. 6. qui idcirco noluit carnem ex Lege licitam comedere, loco vetitæ, ex quadam humanitate ipsi porrectam. Sic enim ait versu 24. *Non enim ætati nostræ dignum est fingere: vt multi adolescentes arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum: & ipsi propter meam simulationem & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc, maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram: nam etsi in præsenti tempore supplicijs hominum eripiar, sed manum omnipotentis nec viuus nec mortuus effugiam. Quamobrem fortiter vita excedendo senectute quidem dignus apparebo; adolescentibus autem fortè exemplum relinquam, si prompto animo ac fortiter pro grauissimis ac sanctissimis legibus honestâ morte perfungar.* 2. Mach. 6.

Ad hæc exemplo Diui Pauli, qui 1. Corinth. 8. de Idolothytis per se licitis, dicit: *Si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo carnem in æternum ne fratem meum scandalizẽ.* Omitto quod sint homines improbi qui fidem in promissis difficile seruent. De illis enim dicit Apostolus 2. ad Timoth. 3. *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, cæci, & voluptatum amatores magis quam Dei: habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* 1. Cor. 8. 2. Tim. 3.

7. Porrò rectè quæres, etiãsi quis illicitè contraxerit matrimonium, an æque bene teneatur fidem seruare. Respondeo omnino teneri tam quoad vinculum, quam quoad thorum, & cohabitationem, quamdiu sine iniuria Creatoris inuicem commorari licet. Ratio est, quia

contractus est validus & legitimus, & ex lege Dei tenetur vir vxori adhærere, & è contra. Ex illo Matth. 19. *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem & adhærebit vxori, & erunt duo in carne vna.* Atque ex illo Apostoli 1. ad Cor. 7. *Iis autem qui matrimonia iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quod si discesserit manere innuptam aut viro suo reconciliari.* Et ibidem versu tertio de debito vtriusque dixit: *Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi.*

Matt. 19.

1. Cor. 7.

8. Sin vero sine iniuria Creatoris inuicem non liceat viuere, poterit quis cum iudicio Ecclesiæ, causa ventilata, quoad thorum & cohabitationem ab inuicem separari, manente vinculo coniugali, vt definitum est in Concilio Tridentino Sessione 24. Canone 8. Et confirmatur ex illo Pauli ibidem: *Cæteris ego dico, non Dominus, si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo; non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa; non dimittat virum, sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem: alioqui filij vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt. Quod si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi: in pace autem vocauit nos Deus.*

9. At quæres, quid de commercijs sentiam post contractum? Respondeo, si nihil obsistat quam hæresis, integrè & sincerè illis fidem esse seruandam non minus quam Catholicis, ratione pacti seu mutuæ promissionis, quia ex virtute Iustitiæ obligaris alteri ius suum tribuere, quod illi debetur ratione pacti, ne iniustus aut iniuriosus sis. Nusquam enim licet ius alterius violare aut iniustitiam committere. Confirmatur ex Scripturis exemplo Iosue & aliorum Principum populi Israëlitici, qui cum pactum & amicitiam inijssent cum Gabaonitis (qui erant infideles & Idololatræ) tametsi ab illis decepti essent, tamen ita religiosè & sincerè fidem illis promissam seruarunt, vt non solum vitam, de qua pacti erant illis darent, sed etiam contra vicinos hostes bello tuerentur Iosue 9. capite, versu 15.

Tum ex eo quod Deus, vt ostenderet gratam sibi esse pactorum fidem; non modo victoriam concesserit Israëlitis, sed etiam nouo miraculo cohibuerit solem ne occumberet, vt tanto plus temporis esset ad hostem interimendum. Sic enim legimus Iosue 10. cap. vers. 13. *Stetit Sol in medio cæli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei, obediente Domino voci hominis & pugnante pro Israel.*

10. Tertiò, ex eo quod fidem violantes grauissimè reprehendantur in Scripturis & etiam puniti legantur. Nempe Genesis 34. vbi Simeon & Leui filij Iacob cum Sichemitis pacti erant, de contrahendis vltro citroque matrimonijs, hac conditione, vt Sichemitæ omnes circumciderentur, factum est. Omnes circumcisi sunt. Quid vero illi? contra pacta conuenta circumcisos occiderunt. Quo prætextu? quod stuprum à Sichemitis patratum vlcisci vellent Genesis 34. cap. Gen. 34.
Sed quia perfidia intercessit merito à parente audierunt: *Simeon & Leui fratres vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murū,* Gen. 49. Genes. 34.
Id est, Simeon & Leui in scelere seu Sichemitarum cœde socij, authores & executores iniqui belli fuerūt, quod olim auersatus fui, & etiam modo detestor. Absit quod ex illo facinore aliquam gloriam captem, quia illud scelus est nimis detestabile. In furore enim suo occiderunt Sichemitas cum suo Principe authore stupri, & plus nimio cupiditati vindictæ indulgentes, euerterunt & vastarunt vrbem muratam Sichem, eiusque muros diruerunt. Vnde præter hanc detestationem, prædicit maledictionem, quæ ijs continget, in verbis: *Maledictus furor*

ror eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura. Id est, maledictio illis obueniet, quia nimia vindictæ cupiditate acti fuerunt, & vindicta ipsa nimis fuit crudelis. Explicat autem maledictionem, per verba: *Diuidam eos in Iacob & dispergam eos in Israël.* Id est, separabo eos ne rursus capita conferant, & in simile facinus conspirent, suoque consilio alijs perniciem machinentur, fiantque intolerabiles. Hinc Leuitis nulla sors obtigit in Chananęa, sed fuere per omnes tribus dispersæ, & Simeoni fuit data sors, & sedes in medio tribus Iuda, vt patet Iosue 19. vbi versu 1. & 2. dicitur: *Et egressa est sors secunda filiorum Simeon per cognationes suas, fuitque hæreditas eorum in medio possessionus filiorum Iuda,* quæ maior erat possessionibus aliarum tribuum. Deinde cum tribus Simeon excreuisset, nouas sedes quæsiuit. Illic enim angustius habitans, pars in Gador, pars in montem Seir abijt, vt habetur 1. Paralipom. vers. 27. 39. & 42. Atqui hæc maledictio continuata fuisset in vtraque tribu, nisi ob insignem zelum tum Moysis, tum Aaronis, aliorumque Leuitarum in cœde adorantium vitulum aureum, Exod. 32. cap. tum Phinees Leuitæ, qui Hebræum incestantē Manianitidem occidit, & Beelphegor euertit Num. 25. à tribu Leui sublata esset. Ex eo enim legitur tribum Leui, & sacerdotiū & benedictionem à Deo accepisse. Deuteron. 33. cap. vers. 10. Solus vero Simeon non legitur fuisse benedictus.

1. Paral. 4.

Et Saul grauissimè punitus fuit, quia post centum & amplius annos multos Gabaonitarum interfecit, nempe fame trium annorum, non obstante, quod zelo moueretur, vt insinuant verba: *Et voluit Saul eos percutere zelo, quasi pro filijs Israël & Iuda.* De quo zelo, sic Abulensis quæstione decima sexta: *Dicendum est quod Saul motus est quodam zelo pro filijs Iuda, & Hierusalem, scilicet tanquam supplens id quod illi omiserant. Putabat enim Saul quod Israëlitæ non potuerant dimittere viuentes Gabaonitas, & quod Iosue & omnes Principes populi qui erant tempore illo, peccauerunt; & omnes qui postea permittebant Gabaonitas viuere, peccabant. Ideo vt excusaret tam filios Israël, quam Iuda à peccato, quasi motus Zelo eorum voluit occidere Gabaonitas.*

2. Reg. 21.

Porrò Dauid ponderans hanc famem consuluit oraculum Domini, & intellecto quod propter Saul & Domum eius sanguinum, quia occiderat Gabaonitas contra fidem quondam obligatam à Iosue hoc malo premerentur, rogauit Gaboanitas quam vellent recipere satisfactionem violatæ fidei, & responderunt primo non aliter esse expiandum peccatum, quam sanguine & morte virorum omnium qui à Saule tanti sceleris auctore propagati essent; tum mitius agentes septem virorum morte contenti fuerunt, in verbis: *Dixerunt ei Gabaonitæ non est nobis super argento & auro quæstio, sed contra Saul, & contra Domum eius: neque volumus vt interficiatur homo de Israël. Ad quos Rex ait, Quid ergo vultis vt faciam vobis? Qui dixerunt Regi, Virum qui attriuit nos, & oppressit inique, ita delere debemus, vt ne vnus quidem residuus sit de stirpe eius in cunctis finibus Israel. Dentur nobis septem viri de filijs eius, vt crucifigamus eos, Domino, in Gabaa Saul quondam electi Domini. Et ait Rex, Ego dabo.* Et versu nono dicit Scriptura: *Et dedit eos in manus Gabaonitarum: qui crucifixerunt eos in monte coram Domino: & ceciderunt hi septem simul occisi in diebus messis primis, incipiente messione hordei. Tollens autem Respha filia Axia cincium, substrauit sibi supra petram ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de cælo: & non dimisit aues lacerare eos per diem, neque bestias per noctem.* Et illis de medio sublatis, versu 14. dicitur: *Et repropitiatus est Deus terræ post hæc.*

Sedecias etiam Rex, qui antea Mathanias vocabatur, percusserat fœdus cum Nabuchodonosor Rege Babylonis, à quo nomen acceperat Sedeciæ, significans iustitiam Dei, ac quo volebat Nabuchodonosor,

 licet

licet barbarus esset & infideles, admonitum esse Israëlitam, quem Regem proponebat, & interposita iurisiurandi fide, sibi vectigalem & fœderatum reddiderat, vt etiam atque etiã consideraret Deum esse iustum, & solere à fœdifragis, violati iuramenti ac fidei pœnas exigere. At nihilominus visum fuit illi postea ab illo fœdere resilire, & contra datam fidẽ agere, duabus de causis. Prima quod Nabuchodonosor esset gentilis & Idolatra. Altera, quod multis annis populum Iudaicum afflixisset. Videamus quo euentu. Duob⁹ annis obsessa est Hierusalẽ, extrema ciuitatẽ fames inuasit, eoq; dira necessitas adegit obsessos, vt parentes filiorum carnibus vescerentur, quemadmodum plangit Ierem. Thren. c. 4. v. 10. Et Baruch. c. 2. v. 3. Et è contra filij parentum carnibus vescerentur, sicut prædixerat Ezech. c. 5. dicens: *Patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres suos.* Cum vero extremam famem sustinere iam amplius nõ possent obsessi, & iam à catapulta & ariete interrupta forent murorũ claustra, neq; hostes aliquid de pugnandi contentione demitterent, statuit Rex desperata ciuitatis custodia, & cũ eo bellatores, & Principes fugiendo magis, quam dimicando propriam salutẽ conseruare. De qua fuga, Regisq; comprehẽsione scribit Ioseph. lib. 10. Antiquitatum. c. 11. *Vrbe capta circa mediam noctem, & ducibus, ac reliquis hostibus in templum ingressis, Sedecias Rex, vbi hoc sensit, assumptis vxoribus, liberis ducibus, & amicis, fugam arripuit per fauces quasdam angustas in desertum. Quod cum Babylonij cognouissent, perfugarum indicio, sub auroram aggressi sunt eos persequi, & assecuti eos non procul à Ierichunte circumuenerunt. Amici vero & duces, fuga comites visis à propinquo hostibus relicto Sedecia dissipati sunt, qua quemque tulit spes effugij.* Hæc Ioseph. Deinde ducitur ad Regem Babylonis in Reblatha, vbi regia causa disceptatur, quid nempe cum suis commeruerit. Filij eius occiduntur, oculi eorum effodiuntur, & postea ipsius Sedeciæ oculi exsculpuntur; Idque vt plaga ei esset acerbior. Statuerat enim Nabuchodonosor eruendos esse oculos Sedeciæ, non tamen illos prius effodit, quam liberi forẽt ante paternos oculos occisi; vt non tam ex luce, cœliq; conspectu voluptatem, quam ex crudeli filiorum nece dolorem haurirent. Vbi vero patris oculos acerbo filiorum spectaculo pupugit, statim non minus crudeliter, & stylo, vel alio quouis ad opus illud idoneo instrumẽto oculos exsculpsit. Dignum sane supplicium, vt qui cæcis semper abduceretur consilijs, & ad cœcorum similitudinem illorum se ductui regendum permiserit. à quibus in cœno demersus, aut in lubrico, atque præcipiti loco relictus est. Hæc itaq; siue iniuria, siue plaga, quæ regio corpori inflicta est, tanto posteris dolori, atque ignominiæ fuit, vt indicto quotãnis publico ieiunio censuerint, communi fletu deformatam Regis faciem esse deplorandam. Vt enim ex Hebræorũ Kalendario constat, in mense Marhesuan qui nobis est October, ad diem sextum ieiunium indicitur ob excæcationem Sedeciæ. Sic vero abductus est cœcus in Babylonem, quam Ezechiel cap. 12. prædixerat à Sedecia non videndam, tum expilata est à Chaldæis ciuitas, speluncæ & cauernæ plurimum scrutatæ, de qua scrutatione dixisse videtur Sophonias cap. 1. *Et erit in tempore illo, scrutabor Hierusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in fæcibus suis:* ita vt non solum inde extracti & neci dati sint Principes, Sacerdotes & Potentes, qui eò se vitæ conseruandæ causâ coniecerant, sed etiam quidquid pretiosum videbatur, & ad elegantes vsus opportunum Babylonem vsque perlatum sit. Post hæc templum & domus regia, & quidquid remansit pretiosum in vrbe, incendio conflagrauit. Omitto cætera, quæ habentur 4. Regum 25. vel ex eo satis colliguntur. Summa propter hanc perfidiam non modo regni & oculorum amissione, sed etiam miseranda suorum clade & vastatione punitus est.

Ieremias Tren. c. 4. Et Baruch cap. 2.

Ezech. 5.

Ioseph lib. 10. Antiq. c. 11.

Ezech. 12.

4. Reg. 25.

11. Porrò

11. Porrò ex his facilè quis colliget non licere etiam hæretico fidem fallere in pactis per se licitis, cum tantopere Deus fidem non seruatam homini Gentili ac idololatræ in Sedecia punierit.

Discursus XXIII.

In eadem verba: *Non habebis Deos alienos &c.*

An nullo casu in negotio libertatis Religionis cum Hæreticis tractari possit, & post pactum cum eis aliquando fidem seruare liceat?



D. Paulus ad Titum 3. dicit, *Hæreticum hominem post vnã & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui est huiusmodi.* Vnde videtur sequi non licere id quod in argumento ponitur.

1. Super hac re dico resolute per se non licere permittere alicui Principi aut Magistratui in sua ditione libertatem religionis, quando commode id impediri potest; multò minus inde contractus inire, idque ob varias causas. Quarum prima est, quod fides sit vna, vt testatur Apostolus Ephes. 4. *Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptisma,* quodque Christus vnam fecerit Ecclesiam ex Gentilibus & Iudęis, de qua sunt illa verba Ioan. 10. *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnũ ouile & vnus Pastor.* Qui in quibusdã ritibus olim conueniebãt, in quibusdam discrepabant. Conueniebant primo in fidei necessitate, nemo enim siue ex vno, siue ex altero remissionem peccati & gratiam consequi potuit, sine vera fide Dei supernaturali, ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

Ephes. 4.

Ioan. 10.

2. Conueniebant secundò, quia tenebantur obseruare mandata naturalia, quæ in Decalogo continentur. Necessarium enim fuit omnibus semper præcepta naturalia implere ad iustitiam, & reus erat peccati, qui transgrediebatur. Conueniebãt tertio in cultu & religione. Sẽper enim Ecclesia gentium habuit cultum exteriorem aliquẽ, quo Deum coluit, vt constat ex Iob qui Deo sacrificabat; & ex patribus illis qui præcesserunt, antequam Iudæorum populus separaretur, & quãuis cultus Iudęorum fuerit in multis diuersus ab illo: in his tribus tamen vterque populus conueniebat, in multis discrepabat, & primo in fide: nam gentes solũ obligabantur credere in vnum Deum Saluatorem, & diligentium se remuneratorẽ, vt patet ad Hebr. 11. At populus Iudæorum obligabatur distinctum venturum Christũ Messiam de semine suo credere modo alibi explicato. Neq; his obstat, quod fuerit aliquibus gentibus reuelatum etiam hoc mysterium de venturo Christo, vt ex historijs constat. Id enim priuilegium fuit istarum personarum.

Iob 1.

Hebr. 11.

3. Secundò erat discrimẽ in Præceptis cęremonialib⁹ & iudicialibus, quæ Deus illi Iudæorum populo imposuit & seruare tenebatur: inter quę vnum fuit de circumcisione, hęc autẽ fideles ex gentilibus non tenebãtur implere. Quamuis enim gentes ad Iudaismum transire tunc poterant, & circumcidi si vellent, tamẽ non obligabantur; fide enim & obseruantia mandatorum naturalium Dei virtute & gratia, sine qua fieri non poterat exhibita, saluabantur etiam sine circumcisione & cæremonijs illis.

4. Tertio in antiquitate: Ecclesia enim gentiũ à principio mundi incepit, & vna processit vsq; ad Abraham in quo Iudaismus per circumcisionẽ incepit, remanente Ecclesia diuisa.

5. Quartò in religionis amplitudine & perfectione: in Ecclesia enim gentiū abundauit error & Dei ignoratio, vt vix fidelis inuentus fuerit postquam diuisus est ab ea populus Iudæorum; at in Synagoga abundauit fides, religio, Dei cultus, vt vere dictum sit Psalm. 76. *Notus in Iudæa, in Israël, magnum nomen eius.* Multis enim fuit beneficijs diuinis populus hic cumulatus super gentes Ps. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis:* propterea tunc Ecclesia gentium sterilis mulieris similitudinem obtinebat; Synagoga vero fecundæ, quæ vices post Christi aduentum in contrarium sunt commutatæ, vt prædictum est, Isa. 54. *Lætare sterilis, quæ non paris canta laudem, & hymnum, quæ non parturiebas, quia multi filij deserta magis, quam eius quæ habebat virum.* Ea de causa gentium Ecclesia dicta est tunc deserta, & in ea habitare dracones & struthiones, & locus inaquosus, & multa alia, propter raritatem summam fidelium, & inopiam diuini cultus.

Psal. 76. Psal. 147. Isai. 54.

Itaque hæc sit prima ratio, quare non liceat permittere libertatem religionis, nempe quia Christus sustulit diuisionem & Ecclesiam reduxit ad vnitatem, in qua debet æternum manere, quamuis vtraque religio, respectiuè, antea fuerit bona, pro illo tempore.

6. Secunda ratio sit, quod nulla præter vnam possit esse bona religio, & quod Christus ideo voluit discipulos attendere à falsis Prophetis etiam pietatem præ se ferentibus Matth. 7. & quod Apostolus similiter grauiter, serio, & sollicite moneat Romanos obseruare contrariū dicentes: *Rogo autem vos,* inquit, *fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis.* Pariformiter Galatis dicit cap. 1. *Licet nos aut Angelus de cælo euangelizet vobis: præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* In quæ verba Vincentius Lerinensis cap. 12. sui Commonitorij: *Cumque his auditis* (supple falsis prophetis qui cum Euangelio docebant Circumcisionē simul seruandā esse) *Galatæ nausea quadam veritatis affecti, Apostolica, Catholicaque doctrinæ manna remouentes, hæreticæ nouitatis sordibus oblectarētur, ita sese Apostolicæ potestatis exeruit auctoritas, vt summa cum seueritate decerneret: Sed licet aut nos, inquit, aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus, anathema sit. Quid est quod ait? Cur non potius, sed licet ego? hoc est, etiamsi Petrus, etiamsi Andreas, etiamsi Ioannes, etiamsi postremo omnis Apostolorum chorus euangelizet vobis; præterquā quod euangelizauimus, anathema sit. Tremenda vobis districtio propter asserendam primæ fidei tenacitatem, nec sibi, nec cæteris Coapostolus pepercisse: parum est. Etiamsi Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis: anathema sit. Non suffecerat ad custodiā traditæ simul fidei, humanæ conditionis commemorasse naturam, nisi Angelicam quoq; excellentiam comprehendisset. Licet nos, inquit, aut Angelus de cælo, non quia sancti cælestesque Angeli peccare iam possint, sed hoc est quod dicit: si etiam, inquit, fiat, quod non potest fieri: quisquis ille traditam semel fidem mutare tentauerit, anathema sit.* Similiter monuit Apostolus Hebræos cap. 13. *Doctrinis, inquit, varijs & peregrinis nolite abduci* Quorum omnium finis est, quod libertas religionis hoc casu sine dispendio salutis æternæ admitti non possit.

Gal. 1. Vinc. Ler. cap. 12. Hebr. 13.

7. Tertia vero ratio est, quod diuersitas religionis non propter Deū introduci soleat, sed ob finem aliquem politicum & infelici successu. Sic Rex Ieroboam vt regnum suum firmaret, idololatriam introduxit. Facta enim diuisione regni Salomonis in duas partes, vna quæ constabat duabus tribubus; quam retinebat Roboam filius Salomonis; altera quæ constabat decem tribubus, quam abstraxerat ipse, qui fuerat seruus Salomonis. Orta est etiam dissensio religionis, idque quia cœpit Ieroboam timere, ne decem tribus, quas sibi subiecerat (si singulis annis irent Hierusalem ad offerendum

3. Reg. 12.

Exod. 16. dum sacrificium, iuxta legem à Deo præscriptam, Exod. 16.) iterum se coniungerent duabus tribubus, & se deserto, ad Regem Roboam tanquam legitimum Dominum delaberentur: hinc enim excogitauit medium, quo populum aliò cogeret, & efficaciter impediret quod timebat, illud fuit conflare duos vitulos, quorum alterum in Bethel, alterum in Dan collocauit, & per sacrificia pro Dijs adorari iussit. Et sic factum est vt spreto Deo, nemo deinceps Hierosolymam sacrificij offerendi causa proficisceretur. Quæ latius videre licet scripta, 3. Regum 12. Finis autem fuit quod ab illo tempore Ieroboam vsque ad finem vitæ non habuerit vllum tempus liberum à bellorũ strepitu, quæ vicinus hostis Roboam contra ipsum mouit, vti constat, 3. Reg. 14. v. 30. in verbis: *Fuitque bellum inter Roboam & Ieroboam cunctis diebus.* 3. Reg. 14. vers. 30.

Dissidium etiam & capitale odiũ inter Iudæos & Samaritanos, quod inuicem non couterentur, vt dixit mulier Samaritana Christo poscenti potum, Ioan. 4. ex causa politica ortum habuit, idque post captiuitatẽ Babylonicam, cum Darius Persarum Rex rerum potiretur, tunc enim fuit Hierosolymis quidam Iudæus ex genere sacerdotali, nomine Manasses, Iaddi summi Sacerdotis frater, qui in vxorem duxit filiam Sanaballetis Cuthæi, qui sub Dario tũc erat præfectus Samariæ. Propter hoc matrimonium cum gentili fœmina contractum, prohibitus est à fratre suo, & à cæteris Iudæis, fungi officio sacerdotali. Igitur accessit Sanaballetem, & prætendit se non posse filiam ipsius, quam sibi desponderat, retinere, eo quod propter illam arceretur à dignitate sacerdotali, malle se vxore, quam hac dignitate priuari. Sanaballetes, vt satisfaceret homini, promittit se ædificaturum templum in monte Garizim, æquale templo Hierosolymitano, & in eo summum Sacerdotium se illi daturum pollicetur: quod etiam factum est. Itaque ab eo tempore ceperunt Samaritani in illo templo sacrificia offerre, sicut Iudæi in templo Hierosolymitano offerebant. Ioan. 4.

8. Ad horum imitationem palam est hæreticos semper altare contra altare constituisse. Hoc enim notat Cyprianus Epist. 40. ipsis esse proprium; & ex peruersis dogmatibus, quæ introduxerunt, patrios fines infestasse. Si quis velit exempla, recolat quas turbas in toto Oriente excitarint Ariani, in Græcia Macedoniani, in Aphrica Donatistæ & Circumcelliones, de his postremis audi vel solum Augustinum, qui Epist. 68. ad Ianuarium Donatistam, indicans perperam illos conqueri de Catholicis, quod illos non ferant, sic scribit: *Peiora mala nobis vestri nunc faciunt, non tantum nos fustibus quassant, ferroque concidunt, verum etiam in oculos extinguendos, calcem mixto aceto, incredibili excogitatione sceleris mittunt. Domus insuper nostras compilantes, arma sibi ingentia, & terribilia fabricarunt, quibus armati per diuersa discurrunt, comminantes atque anhelantes cædes, rapinas, incendia, cæcitates. Quibus rebus compulsi sumus tibi conqueri.* Et paulò post: *Vos dicitis pati persecutionem; & nos ab armatis vestris fustibus & ferro concidimur. Vos dicitis pati persecutionem, & nostræ domus ab armatis vestris calce & aceto extinguuntur.* Aug. Epist. 68. ad Ianuarium.

9. Quid in Imperio Romano fecerint Iconomachi & Albigenses, Hussitæ in Bohemia, alij alibi, historiæ produnt. Lutherana pestis è Saxonia emergens anno 1522. proxima Daniæ regna corripuit. Christianus seu Christernus Rex Daniæ, Suetiæ, Noruegiæ, primus Regum Lutherum secutus ab orthodoxa religione desciuit, & documentum cæteris Regibus fuit. Sed quis fructus? haud ita multo post tribus regnis ob crudelitatem exutus à suis, & à successore vinctus in clathrata cauea ad mortem vsque habitus dicitur. Et licet hæc nota esset Dei vindicta tamen Henricus octauus Angliæ Rex anno 1527. in Annæ Bouleniæ pellicis amorem effusus, cũ impetrare nequisset à Clemente,

vt repudiata Catharina coniuge Bouleniam duceret, à Pontifice defecit, & Lutheri sectam quam scripto confutaret magna ex parte vitâ complexus, vexare Catholicos cœpit rapinis & cruciatibus. Et postmodũ se publico edicto Anglicanæ Ecclesiæ caput & esse, & dici voluit, & imbutus Catholicorũ sanguine, Cœnobiorum sacrarumque ædium inuasit opes; sed sacrilegum Regem sacra præda pauperem fecit. Pontifex illum anathemate percussum regni titulo ac iure spoliauit: ita vt breui Rex impius iram diuini numinis sentire cæperit, Boulenam delicias suas adulterij compertam damnatamque adulter ipse damnauerit.

10. Post Lutherum Caluinus nequior magistro nouam & sanguinariam condidit sectam, quæ postquã plurimis annis succreuisset, per vrbes Franciæ serpens contempta tenera Regum ætate florentissimum regnum bellis ciuilibus attriuit, circa annum 1558. Et anno 1565. in Francia Caluinianis à Catholicis Caroli Guisij ductu cæsis, haud ita multo post, Guisius à siccario interfectus Theodori Bezæ Geneuẽsis, vt creditum est, instinctu. Finis fuit, secuta Guisij mortem illaudata pax, qua cuique, qua libitum esset religione viuendi potestas concederetur. En fructus admissæ diuersæ religionis. Dum Francia pacatur, Flandria ab hæreticis concitari est cæpta. Princeps Auriacus, Saxonicis auxilijs Anglicanisque pecunijs inflatus Flandriam infestam, non magis armis quam Caluiniana peste habuit, Zelandiâ & Hollandiâ furtiuè occupatis, proxima quæque loca tentauit. Pius quintus pecuniam Regi Catholico ad pium bellum subministrans eum admonuit, vt non nisi salua religione pacem cum perduellibus faceret. Ea promissa fuit anno 77. & firmata iuramẽto in deditione Harlemensi, speciatim vt nempe exercitium Romanæ religionis sine iniuria seruaretur. Quod cum Amsterodamensibus, Vltraiectensibus, & Gousanis ita etiam stipulatum est. An seruarint facile quis dignoscet, qui regimen Hollãdicum nonnihil discusserit.

11. Porro hæc omnia mouerunt olim Episcopos, moniti Apostolici strictam habere rationem, quod tale est. *O Thimothee depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ* 1. ad Tim. 6. Quibus verbis Timotheo commendat, sanam doctrinam ei creditam, quasi depositum à Deo & Paulo commendatam ita seruare, vt ne minimam eius partem tolli aut vitiari patiatur. Lex enim depositi non patitur vt aliquid illius pereat sine culpa apud depositarium. Hoc, inquam, monitum legitur seruasse Ambrosius. Cum enim illi mandaret Valentinus Imperator, à Iustina matre fœmina Ariana persuasus, vt templum permitteret Arianis, asserens tunc pacem & tranquillitatem fore in Imperio, si illis etiam qui diuersæ sunt religionis daretur locus certus, in quo habeant exercitia. Quid porro Ambrosius? Audi quid de se scribat in epist 33. ad Marcellinam sororem: *Postridie*, inquit, *quam accepi litteras tuas, quibus significaueras, quid te exagitarent somnia tua; moles inquietudinum grauium cœpit moueri. Nec iam Porciana, hoc est, extramurana basilica petebatur, sed basilica noua, hoc est, intramurana, quæ maior est. Conuenerunt me Principes primo virtutum, viri Comites, Consistoriani, vt & Basilicam traderem, & procurarem ne quid populus turbarum moueret. Respondi, quod erat ordinis, Templum Dei tradi à Sacerdote non posse.* Et infrà. *Conuenior ipse à Comitibus, à Tribunis, vt Basilicæ matura fieret traditio, dicentibus Imperatorem iure suo vti, eo quod in potestate eius essent omnia. Respondi, Si à me peteret, quod meum esset, id est, fundum meum, argentum meum, me non refragaturum, verum ea quæ diuina, Imperatoris potestati non esse subiecta. Et iterum: Mandatur denique trade Basilicam. Respondeo nec fas esse tradere, nec tibi accipere, Imperator expedit. Domum priuati nullo potes iure temerare, Domum Dei existimas auferendum? Allegatur Imperatori*

Epist. 33. ad Marc.

natori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo, noli te grauare Imperator vt putes te in ea quæ diuina sunt Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare esto Deo subditus.
Matt. 22. *Scriptum est: Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent ad Sacerdotes Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum.*

Similiter Basilius roganti Præfecto Valentis Imperatoris, vt tempori pareret, & non tot Ecclesias propter prauam dogmatum subtilitatem vexari pateretur, respondit: *Qui diuinis enutriti sunt eloquijs, corrumpere de diuinis dogmatibus ne vnum quidē syllabam patiuntur: sed pro his si contingat, omnes etiam mortis species amplectuntur.* Vide Theodoretum lib. 4. cap. 17. hist. Eccles.

12. Et ne mireris firmabo hoc ita fieri debere, exemplo quodam veteris testamenti.
Leuit. 6. 9. & 10. Vbi duo ignes leguntur, vnus sacer à Deo missus, quo suas de sacrificijs leges confirmabat, quando ignis ea absumebat. Alter prophanus quo vtebantur ad coquendas carnes hostiæ pacificæ, & hostiæ pro peccato. Filij vero Aaron perculsi nouitate miraculi, neque ausi accedere ad altare, vt inde ignem sacrū acciperent, aliunde festinanter acceperunt ignem alienum, & eo incensum Domino pro gratiarum actione obtulerunt. Sed quid factum est? *Egressus ignis à Domino deuorauit eos*, Leuit 10. nempe instar fluminis eos afflando & occidendo. Quam quæso velles magis exilem dicere causam mortis, & tamen Deus tanti illam differentiam æstimauit, vt subditò eos de medio sustulerit. Adeo nihil in rebus sacris voluit immutari.

13. Similiter obstiterunt Christiani Imperatores vt patet ex iure ciuili L. Nullus de summa Trinitate & fide Catholica, quæ sequentia continet: *Nullus hæreticus ministeriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinationis clementiam pateat occasio. Sciant omnes etiamsi quid speciali quo libet rescripto per fraudem elicito, ab huiusmodi hominum genere impetratum sit, non valere. Arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ: vnius & summi Dei nomen vbique celebretur. Nicenæ fidei dudum à Maioribus traditæ & diuinæ religionis testimonio atque assertione firmatæ obseruantia semper mansura teneat.* Et infra: *Si quid eruptio factiosa tentauerit ab ipsis etiam vrbium mœnibus exterminato furore propelli iubemus, vt cunctis orthodoxis Episcopis, qui Nicenam Fidem tenent, Catholicæ Ecclesiæ toto orbe reddantur.* Et L. Cuncti lib. de hæreticis & Manichæis: *Cuncti hæretici procul dubio nouerint omnia loca sibi adimenda esse.* Et ratio est, quod Apostolus suo exemplo docuerit, nec ad horam cedere falsis Fratribus, Gal. 2. Gal. 2. eo quod Catholici cum hæreticis conciliari non possint, & quod experientia docuerit inde nihil boni prouenire, sed ansam dari ad inique gloriandū de perfidia, Teste Theodoreto lib. 2. hist. cap. 21. Simpliciores Catholici olim ab Arianis decepti, nomen ὁμοούσιον, quod nec in Scriptura nec in Symbolo Apostolorum continetur, tollendum decreuerant, mox Ariani toto orbe terrarum prædicauerunt se vicisse & non contenti sustulisse vocem ὁμοούσιον, & pro ea substituisse ὁμοιούσιον, Paulo post ipsum ὁμοούσιον in ἑτερούσιον, id est, dissimilis substantiæ transformarunt. Adeo vt euidenter pateat apud eos pacem esse non posse, qui pacis iura nesciunt.

14. Verum enim vero quæres an numquam libertas religionis tollerari possit? Respondeo licere Principi aut Magistratui, quando sine grauiori incommodo boni publici non potest eam impedire. Probatur ex verbis Christi Matth. 13. vbi seruis quærentibus à Patrefamilias an vellent colligere zizania, quod inter bonum semen succreuerat, respondit *non*, & rationē addens dixit: *Ne forte colligentes Zizania eradecetis simul cum eis & triticum, sinite vtraque crescere ad messem*, significans illis verbis hæreticos aliquando tollerandos esse in medio Catholicorum,

cum

cum periculum est, ne dum ipsi eradicantur, simul euellantur Catholici. Et confirmatur ratione, quia sic ex duobus malis minus eligitur, non vt malum quoddam est, sed vt medium vtile ad euitandum maius malum, ac proinde sub ratione boni vtilis, quod licitum esse, docet Diuus Augustinus, cum lib. de ordine cap. 4. ait: *Aufer meretrices de rebus humanis turbaueris omnia libidinibus.* Et Diuus Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 11. vbi ex hoc principio probat ritus gentilium & hæreticorum tollerari posse ad maius malum euitandum. Vnde si ita Princeps vel Magistratus paciscatur, necesse erit fidem seruare, saltem quoad vsque ipsi frangant, quod ordinarie fieri solet.

Discursus

In idem Præceptum.

DE SPE.

An sit necessaria ad cultum Dei?



D. Augustinus in Enchirid. ad Laurentium capite 3. *Si respondero*, inquit (ad quæstionẽ videlicet, quo modo colendus sit Deus) *fide, spe, charitate colendum Deum, profecto dicturus es breuius hoc dictum esse, quam velis.* Hinc latius tractabo, quid sit spes, & an necessaria?.

1. Vt autem melius intelligatur de qua spe loquatur D. Augustinus, præmittendum est, triplicem esse spem: Diabolicam quæ consistit in rebus magicis & in positione stellarum: humanam quæ in bonis temporalibus suam fiduciam collocat, & vltimum finem. De qua dicit Iob cap. 11. *Spes impiorum abominatio est animæ.* Et Sapiens Prouerb. 11. *Spes impiorum peribit.* At de eiusmodi spe non agimus, sed de tertia; quæ diuina est, & virtus est Theologica ad Decalogum pertinens, quam fidei proxime subiungo, vti facit Apostolus 1. Cor. 13. cum ait: *Nunc autem manet fides, spes, charitas.*

Iob. c. 11. *Prov. 11.* *1. Cor. 13.*

2. Estque donum supernaturale diuinitus infusum æque ac fides & charitas. Vnde illã Apostolus indicans esse ordinis diuini supernaturalis cum charitate & fide conferre cõsueuit loc. cit. Et 1. Thess. 5. *Nos autẽ qui diei sumus, sobrij simus, induti loricam fidei & charitatis & galeam spei.* Et Rom 15. vbi precatur Romanis in hunc modum: *Deus autem spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo, vt abundetis in spe, & virtute Spiritus S.* Et expressius D. Pet. 1. c. 1. cum inquit: *Qui secundũ misericordiam suam magnã regenerauit nos in spem viuam*, id est, donum supernaturale. Vnde B. Prosper in Psal. 130. *Fiducia sperantiũ misericordia Dei est.* Et S. Bernard. in Psal. 90. ser. 9. *Nec alius ex sententia dicere potest. Quoniam tu es Domine spes mea, nisi cui intus persuasum sit à spiritu, vt quemadmodum monet Propheta, iactet cogitatum suum in Domino, sciens quod enutriendus sit ab eo, iuxta illud quoque Petri Apostoli. Omnem sollicitudinem vestram proijcientes in eum; ipsi enim cura est de vobis.*

1. Thess. 5. *Rom. 15.* *Pet. 1. c. 1.* *B. Prosper. Psal. 130.* *Bern. in Psal. 90. serm. 9.*

3. Versatur autem circa futura bona eaque inuisibilia, vt tradit Apostolus ad Rom. 8. Cum enim dixisset se, qui primitias Spiritus habebat, seu eximia illa charismata acceperat, & primum veluti gustum futuræ felicitatis delibauerat, tacitè secum suspirare & ingemiscere adoptionem exspectans, id est, extremam

Rom. 8.

mam illam corporis nostri instaurationem, quam suo tempore futuram certò sperabat, subiungit: *Spe enim salui facti sumus, spes autẽ quæ videtur non est spes: nam quod videt quis, quid sperat?* quod idem est ac si dicat: Speramus salutem, quã hic per gratiam inchoauimus, complendam fore in nobis per gloriam in cœlo. Dat enim causam cur dixerit, nos exspectare hanc adoptionem filiorum in cœlis, quia scilicet necdum re, sed tantum spe: salui facti sumus per spem, enim tendimus ad salutem, quam speramus nos adepturos in cœlo. Et addit: *Spes autem quæ videtur, non est spes;* id est, Res sperata si adsit, si possideatur non amplius speratur. Verũ nota ad nostram instructionẽ quod Apostolus illis verbis soletur fideles, qui hic multum patiuntur ob spem gloriæ: quia enim mens afflicta sæpe homini afflicto suggerit: Vbi est quod speras, vides tua mala quæ pateris, non vides gloriam propter quam pateris: inde huic suggestioni occurrit Apostolus dicens, nos mala præsentia videre, sed bona futura necdum videre, verum ea sperare, & per patiẽtiam exspectare debere. Luculenter in hanc rem scribit Gregorius lib. 8. moralium: *Electus quisque*, inquit, *tanto fidentius spe tendit ad præmium, quanto nunc robustius perdurat ad laboris incrementum, qui si decursus præsentis temporis pensat, dies cum operibus numerat, ne à labore vacua transeant, vitæ momenta formidat, aduersis gaudet, passione reficitur, mærore refouetur, quia subsequentis vitæ præmijs tantò se remunerari largius conspicit, quanto pro amore illius quotidianis se mortibus verius impendit. Hinc namque est quod ciues supernæ patriæ conditori eius Psalmistæ vocibus dicunt: Propter te mortificamur tota die. Hinc Diuus Paulus ait; Quotidie morior propter vestram gloriam, fratres. Hinc iterum dicit: Ob quam causam hæc patior, sed non confundor: scio enim, cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem, sancti igitur viri quot labores nunc veritati commendantes exhibent, tot iam remunerationes pignora intra spei cubiculum clausa tenent.* Et hac de causa idẽ Apostolus 1. ad Thes. 5. vult inter alia arma spiritualia spẽ salutis assumere, vt galeam dicens: *Nos autem qui diei sumus, sobrij simus, induti loricã fidei & charitatis, & galeam spem salutis.* Id est, nos qui filij lucis sumus, non debemus solum vigilare ac sobrij esse verum etiam armari: vt enim quis vigilans sit & sobrius, non habeat autem arma, facile eum latrones & prædones conficient. Obarmemus ergo tanquam lorica pectus & totũ corpus fide & charitate seu bonis operibus charitatis, & galea nostra sit spes salutis.

Grego. l. 8. mor.

1. Thes. 5.

4. Porrò certa est ex parte Dei, vt dicit Sapiens Prouerb. 28. in verbis: *Qui sperat in Domino saluabitur.* Et Apostolus idem innuit Rom. 5. dicens: *Spes autem non confundit.* Et 2. Tim. 1. *Scio cui credidi & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem.* Vnde ad Heb. 6. Illam vocat anchoram tutam & firmam. De qua apposite loquitur Laurentius Iustinianus libro de Ligno vitæ cap. 2. *Spes est quasi columna, quæ totum spirituale ædificium sustentat, quâ deficiente ædificium corruit, ac in barathrum desperationis concidit. Et est anchora animæ, eam seruans ne à procellis tentationum irrumpatur.* De qua Apostolus: *Firmissimum solatium habemus, quo confugimus ad tenendam propositam spem quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Et D. Bernardus libro cit. *Tu es Domine spes mea, quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid operandum, tu es Domine spes mea, hæc vna mihi omnium promissorum causa: hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum &c. Mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam.* Et rursum: *Si insurgant aduersum me prælia, si sæuiat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro aduersus spiritum concupiscat, in te ego sperabo. vt quid cunctamur omninò abijcere spes miseras, vanas, inutiles, seductorias, vt huic vni tam solidæ quam perfectæ, tam beatæ spei, tota deuotione animi, toto feruore spei inhærere?* Hinc dicebat Psalmista psal. 26. *In Domino sperans*

Prov. 28.

Rom. 5.

2. Tim. 1.

Psal. 26.

Iob. 13. *sperans non infirmabor.* Et Iob cap. 13. *Etiamsi me occiderit in ipso sperabo.* Ratio est, quia eius certitudo, hoc est Dei visio, sit nobis possibilis cum diuina gratia: altero quod si bene vtamur Dei auxilio vsque in finem, infallabiliter illam consequimur.

5. Porrò quęres an extet aliquod præceptum de Spe. Respondeo: Duplex præceptum in S. Scriptura extare affirmatiuum; quorum altero iubemur sperare beatitudinem, & media ad illam necessaria: altero timere supplicium & pœnam æternam. Quod primum sit probatur ex
Psal. 4. Psal. 4. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.* Et Prouerb. 3.
Prov. 3. *Habe fiduciam in Domino, ex toto corde*
Eccles. 2. *tuo.* Et Eccles. cap. 2. *Qui timetis Dominum sperate in illum, & in oblationem veniet vobis misericordia.* Et D. Pau-
1. Tim. 6. lus 1. Timoth. 6. *Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere neque sperare in incerto diuitiarum sed in Deo viuo.* Nec mirum est illam præcipi, cum actus sperandi sit necessarius ad iustificationem & beatitudinem, vt expressit Trid. sess. 6. c. 6. & probatur ex eo quod Christus Matth. 9. paralyticum iam credentē ad spem veniæ erexit vt posset iustificari dicens: *Confide fili remittuntur tibi peccata tua.* Et ex Ambros. lib. 1. de Pœnit. cap. 1. *Nemo potest bene agere pœnitentiam, nisi qui sperauerit indulgentiam.* Rom. etiam 8. vbi Apostolus satis insinuat spē beatitudinis requiri ad salutem, dum dicit: *Spe salui facti sumus.* Vnde ille actus præcipitur sub mortali, cum detur de virtute necessaria ad salutem.

6. Quantum autem ad secundū præceptum timendi supplicium Dei est etiam necessarium. Vt enim homini necessarium est desiderare beatitudinem, ita etiam detestari oppositam miseriam, illamque timere. Spes enim vltimi finis, & timor æterni supplicij, sunt veluti prima principia honestæ vitæ Ec-
Eccles. 1. cles. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* Præterea necessarius est ad iustificationem. Nam inter dispositiones ponitur à Trident. sess. 6. capite 6. Etiam actus timoris. Et colligi potest ex illo Eccles. 1. *Qui sine timore est, non poterit iustificari.* Et Augustinus de catechizandis rudibus cap. 5. *Rarò accidit, imo numquam, vt quis velit fieri Christianus qui non sit aliquo timore perculsus.* Vnde dicendum est, Deum sua prouidentia, sicut gratuitò homines mouet ad iustificationem, ita etiam hoc ordine illos mouere, vt prius ad fidem & spem & timorem moueat, quam ad vltimam dispositionem, vt ex illo Mat. Matth. 10.
10. *Eum timete, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem & corpus & animam perdere in gehennam.*

7. Verum enim vero restat inquirere quando obliget præceptum sperandi? Respondeo: Cū hoc præceptū sit affirmatiuum non obligat pro omni tempore, sed pro aliquo, & potissimum in triplici casu.

Primò quando quis Deum orat, tenetur enim orare cum spe impetrandi. Et probari potest ex Psalmo 90. vbi Dominus promisit impetrationem petitionis speranti & oranti, dicens: *Quoniam in me sperauit liberabo eum, clamauit ad me, & exaudiam eum.* Psal. 90. Certè Cassianus collat. 9. cap. 32. signum certæ impetrationis esse docet, cum quis in oratione magnam fiduciam sentit.

Secundò quando pœnitentiam agit. Nam actus pœnitentię non potest esse sine spe venię. Colligitur ex dicto exemplo Matth. 9.

Tertiò quando insurgit grauis tētatio de desperatione illud enim est sanctissimum in rebus afflictis & pœnè perditis, consilium, pij & prudentis Regis Iosaphat, dicentis 2. 2. Paralip. 20.
Paralip. 20. *In nobis vero non est tanta fortitudo, vt possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solū habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Idem docuit Michæas propheta in summa tum Iudæorum calamitate & obsidione, tum malitia & perfidia, qua frater fratrem, pater filium, prodet & perdet, dicens: *Ego autem ad Dominum adspiciam,* Cap. 7. v. 7
exspectabo Deum saluatorē meum, audiet me Deus

me Deus meus, id est, Ego Michæas meiq; similes ſancti & ſapientes,non ad parentes & amicos, vtpote perfidos, ſed ad Deũ intentis oculis,mentis,magis quam corporis aſpiciemus, illum vnum inuocãtes, illi nos commendantes, ab illo opem & liberationem è tantis malis poſcentes & exſpectantes.

8. Et rectè: Deus enim in rebus deplorandis vnicum eſt perfugium & aſylum, ac in illis gaudet opitulari, vt oſtendat ſuam potentiam & beneficentiam,præſertim in eos,qui id credunt, ſperant & poſtulant. Quocirca tũc ſummè vitãda eſt diffidentia & deſperatio, ac maximè excitanda certa in Deũ ſpes & fiducia: quæ ſi adſit,certò Dei opem,etiam per miraculum eliciet.

Sic contigit Moyſi & Hebræis cũ Pharaonis tyrannide premerentur, vt ipſi ſaluarentur aquis recedentibus,Pharao cum ſuis iiſdem immerſis perpetuum periret. De quo Exodi 14. Sic accidit Iudith & Betuliæ obſeſſæ ab Holopherne, vt ipſe temulentus manu mulieris è vita tolleretur, Betulia ſaluaretur, quemadmodum in hiſtoria eius videre eſt. Dauidi etiam obſeſſo, à Saule 1. Reg. 25. Machabæis obſeſſis ab Antiocho. Ezechiæ obſeſſo à Senacherib turgente & nimium confidente in ſua pòtentia, ita vt vna nocte per Angelum occiderentur centum octuaginta quinque millia, 4. Regum 20.

9. Quid dico? Deus in ſe confidẽtes angelorũ turmis ſeruaſſe legitur cum in periculis verſarentur. Iacob nonne fugiens à facie Eſau mirabilẽ viſionem habuit prouidentiæ Dei ipſum conſeruantis Geneſ. 28. & binas angelorum acies ipſi in tutelam à Deo ſubmiſſas videt Geneſ. 32. vbi ſic legitur: *Fueruntq; ei obuiam angeli Dei, quos cum vidiſſet,ait, Caſtra Dei ſunt hæc.* At nota quomodo duo caſtra viderit; nimirum vna acies erat angeli qui erat cuſtos & præſes Meſopotamiæ. Hic cum angelis ſibi ſubditiſ & ſubordinatis, quaſi inſtructa acie,comitatus eum fuerat,&ſecurè deduxerat Iacobum à Meſopotamia huc vſq; ſcilicet ad confinia Chananeæ: ibi occurrit ei, eumq; excepit angelus præſes Chananeæ, cum ſua acie angelorũ ſibi ſubditorũ, vt eum per Chananæam ſecurè ad patrem perduceret, & ab Eſau aliiſq; ei infenſis tueretur & protegeret. Sicut enim princeps externum principem per ſuas terras, datis militibus præſidiariis ſecurè deducit, & vicino Principi eiuſq; præſidiariis vlterius deducendum, conſignat,ita pariter cum Iacobo faciunt angeli. Simile quid contigit Elizæo qui 4. Reg. 6. vallatus ab hoſtibus, legitur etiam vidiſſe angelorum acies ſibi in auxilium & tutelam occurrentes. Vnde ſolent piiſſimi viri talibus ſuos conſolari, vt idem Elizæus ibidem ſcribitur reſpondiſſe famulo ſuo exclamanti poſt viſum exercitum Regis Syriæ: *Heu, heu, heu Domine mi quid faciemus?* Eique reſpondit: *Noli timere plures enim nobiſcum ſunt, quã cum illis.* Et cum pergeret adhuc timere cum videret hoſtes & multitudine innumerabiles, & armis egregie ad omnem contentionem inſtructos, neque contra ſtare, qui arcere poſſent, aut ſuſtinere illorum impetũ, orauit Dominum Elizæus vt clauſos aut hæbetes aperiret oculos pueri, vt ſciret quam non eſſet timendum à mortali manu vmbratilique Syrorum acie, cum ſeſe opponeret è cœlo multo potentior & numeroſior acies, cuius comparatione nihilo magis poterat aduerſaria potentia,quam ſpuma gracilis quę diſſipatur à vento, aut aridæ ſtipulæ, quæ ab igne, momento temporis rediguntur in cineres. Atque ideo obiecti ſunt equi & currus ignei, & eorum item ignei aſcenſores, vt eorum ſignificaretur & vis acerrima ad pugnandum, & celeritas maxima ad conficiendũ id quod eſſent aggreſſi. Sicut ignis qui materiam quã habet obuiam celeritate maxima corripit, & ita conſumit, vt nullum interdum ſuperioris formæ veſtigiũ relinquat. Sanè in igne dum materiam arripit aridam explicari

solet vis & celeritas. Sic Sapiens c. 3. v. 7. de iustis: *Sicut scintilla in arundineto discurrent.* Hoc porrò Angelorum erat acies, qui igneum corpus aut speciem sumpserunt ex aëre, quam adolescentuli oculis obiecerunt. Sic verum sit quod ait Propheta Psal. 33. v. 6. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos* Mira sane potentia Angelorum, vt vnus Angelus se immittens vicem exercitus suppleat.

Sic Machabæi suo tempore rebus turbatis ob gentium furorem, confortati in bello victores sunt facti, excitati à Matathia iam moribundo exemplis Patrum qui in Deum sperarunt dum angustiarentur. Ita enim legitur Machabæor. 2. illos animasse: *Nunc confortata superbia & castigatio, & tempus euersionis, & ira indignationis. Nunc ergo ô filij æmulatores estote legis, & date animas vestras pro Testamento Patrum vestrorum, & mementote operum patrum quæ fecerunt in generationibus suis: & accipietis gloriam magnam & nomen æternum. Abraham nonne in tentatione est fideles, & reputatũ est ei ad iustitiam? Ioseph in tempore angustiæ sua custodiuit mandatum, & factus est Dominus Aegypti. Phinees pater noster Zelando zelum Dei, accepit testamentum Sacerdotij æterni. Iesus dum impleuit verbum factus est Dux Israël. Caleb dum testificatur in Ecclesia, accepit hæreditatem. Dauid in sua misericordia consecutus est sedem regni in secula. Elias dum zelat Zelum legis, receptus est in cælum. Ananias, Azarias & Mizaël, credentes, liberati sunt de flamma. Daniel in sua simplicitate, liberatus est de ore leonum. Et ita cogitate per generationem & generationem, quia omnes qui sperant in eum non infirmantur. Et à verbis viri peccatorũ ne timueritis, quia gloria eius, stercus & vermis est: hodie extollitur, & cras non inuenietur: quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius perijt.*

Hinc orta est illa Sanctorum vox de qua initio mentionẽ feci: *Etiamsi occiderit me in ipso sperabo.* quam vsurpauit Iob c. 13. cũ in extremis miserijs existens dixit se perlaturũ quascumq; miserias à Deo ipsi immissas, etiamsi forent vsq; ad mortem confidens quod Deus per bona spiritualia seu futuram beatitudinẽ cruciatus & acerbam mortem copiosissimè remuneraret. Ad eum modum quo magnus ille Patriarcha Abraham in spem contra spem credidit, quando paratissimus fuit ex Dei mãdato occidere filium suum Isaac ex quo promiserat Deus multiplicare semen suum, de quo Apost. ad Hebr. c. 11. *Fide obtulit Abraham & Isaac cum tentaretur, & vnigenitum offerebat, in quo susceperat repromissiones (ad quẽ dictum est, quia in Isaac vocabitur tibi semen) arbitrans, quia & à mortuis suscitare potens est Deus.* vide plures & spirituales fructus spei discursu 25. à num. 1. vsque num. 7.

11. E contra in huiusmodi articulo fiduciam & spem in Deo non collocantes pereunt: vti patet in Saule, qui Philistæis ipsum occidentibus consuluit Pytonissam, & non sperauit in Domino, id est, non elicuit actũ spei, quando aliud refugiũ non erat, vnde 1. Paral. 10. ob illam causam dicitur mortuus, videlicet tam infausto exitu, vt habetur 1. Reg. 29. Tale quid etiam videtur causasse mortem Asa 2. Paral. 16. vbi legitur reprehensus à Propheta, quod non credidisset Deo, scilicet auxilium promittenti. Tunc enim quisq; tenetur adhibere remedium, vel exercendo actũ spei, quia desperationi contrarius est, vel orando Deum vt auertat periculum desperationis cum spe obtinendi.

12. Restat inquirere quando obliget præceptũ timoris? Respondeo D. Thom. 2. 2. quæst. 22. art. 2. docere duplicem esse timorem honestum, nempe seruilem, & filialem. Seruilis est quando quis abstinet à peccato timore pœnæ. Filialis quãdo timet ex timore offensæ Dei. Prior timor pertinet ad virtutẽ spei, posterior ad virtutem charitatis; & de vtroque datur præceptum, vt patet ex dictis Num. 6. & Deuter. 10. vbi dicit Moyses: *Et nunc Israël quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum &c.* Hoc posito

ſito dicendum eſt, alterutrum præceptum tunc obligare quãdo offert ſe occaſio, aut periculum peccandi. Tunc enim tenemur abſtinere à peccatis vel ex timore offenſæ Dei, vel ſi is timor haberi non poſſit, ex timore pœnæ.

At dices: Cur igitur in Decalogo non eſt expreſſum hoc Præceptum? Reſpondet D. Thomas 2. 2. quæſt. 22. art. 1. In ſumma Præceptorum quæ in ſacra Scriptura inueniuntur, quædam ſunt de ſubſtantia legis, quædam vero ſunt præambula ad legem. Præambula quidem ſunt ad legem illa, quibus non exiſtentibus lex locum habere non poteſt: huiuſmodi autem ſunt præcepta de actu fidei & de actu ſpei. Quia per actum fidei mens hominis inclinatur, vt recognoſcat authorem legis talem, cui ſe ſubdere debeat. Per ſpem vero prœmij, homo inducitur ad obſeruationem pręceptorum. Præcepta vero de ſubſtantia legis ſunt, quæ homini iam ſubiecto, & ad obedientiam parato imponuntur pertinẽtia ad rectitudinem vitæ. Et ideo huiuſmodi præcepta, ſtatim in ipſa legiſlatione proponuntur per modum pręceptorum. Spei vero & fidei præcepta non erant proponenda per modum præceptorum, quia niſi homo iam crederet, & ſperaret, fruſtra ea lex proponeretur. Et ideo, vt ait ibidem ad 2. inter præcepta non fuit aliquod præceptum dandum de ſpe; ſed ſuffecit per aliquas promiſſiones poſitas inducere ad ſpem, vt patet 1. & 4. præcepto.

Diſcurſus XXIV.

An liceat ſperare in homine.



Psal. 4. PRopheta Dauid Pſal. 4. dicit: *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ & ſperate in Domino.* Quibus verbis præceptũ de ſpe in Dominum declarat, de qua pręcedenti Diſcurſu vtcumque dixi. Sed quia Nouantes Catholicos reprehendunt, quod docent B. Virginem ſpem noſtram, inquiram quatenus iuxta Deum liceat ſperare in homine.

1. Dici ſolet, qui bene diſtinguit proximus eſt veritati, vt igitur obſtruam os loquentium iniqua, diſtinguens dico breuiter nulli licere ſperare beatitudinem vel alia dona ſupernaturalia ab vllo homine tanquam à cauſa principali, ſed à ſolo D.Thom. Deo, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 17. art. 4. Ratio eſt, quia homo non poteſt proprijs viribus alteri conferre beatitudinem, aliaque dona ſupernaturalia, ſed ſolus Deus. Nam vt Iac. c. 1. ait Iac. Apoſt. cap. 1. *Omne datũ optimũ, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum.* Et Propheta Dauid Pſal. 38. reddens rationem, quare elegerit abiectus eſſe in domo Dei magis quam habitare in tabernaculo peccatorũ, dicit; quia Deus miſerendo gratiam dabit, & iuſtitiam diligens reddet fideliter, quod promiſit diligẽtibus ſe, in verbis: *Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus.* Id eſt, vt ibidem explicat Bellarm. *gratiam per quam iuſtificetur, & in iuſtitia proficiat, dum de virtute in virtutem aſcendat: Et gloriam per quam glorificetur, cum ad Syon montem peruenerit, vbi Deus Deorum non iam per fidem, ſed per ſpeciem ſe videndum præbebit.* Et quia ſolius Dei eſt, hinc idem Propheta Pſalm. 145. nos admonet, dicens: *Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus.* Et D. Paulus 1. ad Timoth. 1. idcirco Chriſtum vocat ſpem noſtram, dum ſe Apoſtolum dicens Chriſti, ait: *Secundum imperium Saluatoris noſtri, & Chriſti* IESV *ſpei noſtræ.* Idque quia Chriſtus eſt cauſa ſpei noſtræ

Margin notes (right column): Pſal. 83. — Bellarm. — Pſ. 145. — 1. Tim. 1.

ſtræ effectiua & meritoria. Speramus enim non per Moyſem, legiſque cæremonias, ſed per Chriſtum eiuſq; gratiam, tentationum victoriam, periculorum & malorum omnium aut tolerantiam, aut liberationem, ac denique æternam ſalutem & beatitudinem.

2. Sed dices cur ergo confugimus ad Sanctorũ opem, cur B. Virginem dicimus ſpem noſtram.

Reſpondeo ad primum, nos non confugere ad Sanctorum auxilium, quod ſperemus ab ipſis tanquã cauſa principali auxilia gratiæ, dona ſupernaturalia: hoc enim impium foret, & peccatum mortale. Sed quia ſperamus quod tanquam cauſa ſecundaria & inſtrumentalis nos ſua interceſſione apud Deum iuuabunt, quod licitum eſſe loc. cit. docet D. Thomas. Et confirmatur primo ex Scriptura ſacra, per quã patet Chriſtum de congruo ſeu ex ſua benignitate paralyticum etiam ſpiritualiter ſanaſſe propter fidem eum portantium, in verbis Matth. 9. *Ecce offerebant ei paralyticum, & videns* IESVS *fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Confirmatur ſecundò ex Scripturis quæ dictant Deo piorum viuentium preces eſſe gratiores ad aliquid impetrandum, vt Geneſ. 20. & Iob 42. Priori enim loco Abimelech inuitam pro ſuo imperio rapuerat vxorem Abraham, ideoque à Deo flagellatus fuit ſterilitate communi, & morbo grauiſſimo, ſed medicis ignoto: Adhæc Deus in ſomnijs illi apparuit, iuſſitq; Saram reddi Abrahæ, his verbis: *Redde viro ſuo vxorem, quia Propheta eſt, orabit pro te & viues*, id eſt, quia vir ſanctus eſt, cum quo Deus familiariter agit & loquitur, is orabit & exorabit me pro te, vt ceſſet iſta plaga, qua te afflixi. Poſteriori loco iubentur amici Iob, qui rectum non erant locuti coram Deo, ſumere quædam animalia, eaque offerre in holocauſtum per Iob, qui ſuis precibus apud Deum pro ijſdem efficaciter intercederet, in verbis: *Sumite ergo vobis ſeptem tauros & ſeptem arietes, & ite ad ſeruum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis: Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis: faciem eius ſuſcipiam vt non vobis imputetur ſtultitia: neque enim locuti eſtis ad me recta ſicut ſeruus meus Iob.*

D.Thoma. Gen. 20. Iob. 42.

3. Ex quibus ſequitur piorum fidelium defunctorum preces magis gratas eſſe apud Deum quem ſecuri de ſua ſalute iam facie ad faciẽ intuentur. Et clare patet ex cap. 5. Apocalypſeos vbi introducũtur Sancti laudantes Dominum, habentes citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, & vt ſciatur, quid illa verba ſignificẽt, addit Ioannes, *quæ ſunt orationes Sanctorum.* Quo loco alludit ad morem veteris legis, in qua coram altari ponebãtur phialæ plenæ odoramentorum, vt ſcribit Hieron. in illud Zachariæ 14. *Et erunt lebetes in domo Domini, quaſi phialæ.* Et rectè orationem odoramẽtis comparat, quoniam ſurſum it oratio Sanctorum, etiam viuentium, & cœleſtia quærit, & Deo ſuauiſſimi odoris eſt, iuxta illud Pſ. 140. *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuũ mearum ſacrificium veſpertinum.* Adeo vt ſperemus ab homine pio è viuis ſublato, nõ vt det dona ſupernaturalia, ſed vt impetret ſuis precibus tanquã interceſſor, noſtros defectus ſupplẽs, quod ipſi per nos impetrare nequimus, iuxta exempla iam allata; quin etiam ipſius Pauli, qui pro felici Euangelicæ prædicationis curſu implorabat preces aliorum fidelium.

Apocal. 5. Zach. 14. Pſal. 140.

4. Dices iterũ, ſi ita eſt, cur Deus Ieremiæ 15. cap. dicit: *Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Illis in verbis dicit Deus ſe inexorabilem eſſe, nec Ieremiam mirari debere, quod eum non exaudiat, quia etſi ſanctiſſimi viri, Samuel & Moyſes qui maximã populi curam habuerunt, atque potentes apud Deum, & in oratione tam efficaces exſtiterunt, vt eius iræ reſiſterent, orando pro populo, ſibi licet ingrato & rebelli.

Ierem. 15.

Reſpondeo cauſam eſſe, quod Deus ex condigno non teneatur ob aliorum preces peccata, & plagas ob ea

ob ea meritas ignoscere; sed tantum de congruo. Vnde cum tanta sunt populi scelera, & tanta in eis obstinatio, sæpe impediũt effectum precum virorum sanctissimorum, & quia Iudæi tales erant Deus Ieremiæ declarat se esse inexorabilem. Et hac ratione sæpe contingit, etiam modo preces pijssimorum virorum gratis pro hominibus mitti ad Deũ. Hæc quoad primum.

5. Ad secundum nota Christum per se & immediatè esse spem nostram, quia ab eo bona iam dicta speramus. Sancti vero & in primis Beata Virgo dicũtur spes nostra mediatè, scilicet per Christum, quia speramus per eorum preces apud Christũ impetrare bona, quæ petimus. Vnde etiam non aliter vocamus B. Virginem & Sanctos spem nostram. Vt autem hoc licere intelligas sine Dei iniuria, & certo sensu, audi quid dicat idem Apostolus 1. ad Thessal. cap. 2. vbi Thessalonicenses vocat suam spem, gaudium, & coronam gloriæ in conspectu Domini. Cum enim vellet eos ad se & fidem Christi magis allicere, maternamque affectum, de quo antea egerat, in eis declarare, rogat: *Quæ est enim spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum* IESVM *Christum estis in aduentu eius.* Quasi dicat: vos estis spes mea, gaudium meum, & corona mea, non formalis, sed obiectiua, siue materialis, quia estis materia & obiectum spei, gaudij, & coronæ meæ. Spero enim & gaudeo me in aduentu Christi ad iudicium ab eo recepturum coronã gloriæ pro labore vobis ad Christum conuertendis impenso.

1. Thess. 2.

Iam sic libet ratiocinari; Si Paulus ibi Thessalonicẽses sine vlla Dei aut Christi iniuria vocat suam spem, suum gaudium, imo suam coronam gloriæ, cur non possumus vocare & inuocare Beatam Virginem, quæ Mater Dei est, & cœli Regina, spem nostram, matrem misericordiæ, vitam, dulcedinem nostram? Quid hic iniurium est Christo? imò quid non honorificum Christo? nonne gloria Matris est Filij gloria? nonne Mater intercedẽdo pro nobis apud Filium per Filium consolationem, misericordiam, vitam & salutem nobis largitur? Aduocatum in Curiâ vocare possum spem causæ, aut veniæ obtinendæ, cur non possim ita vocare Matrem Dei, quæ mihi Aduocata est in Curiâ cœlesti, & veniam ac gratiam mihi impetrare potest?

Piè & verè S. Bernardus serm. de natiuit. B. Mariæ: *Exaudietur*, inquit, *mater pro sua reuerentia; exaudiet vtique matrem filius, & exaudiet filium pater. Filioli hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ.* Et certe mirum esset quempiam sanæ mentis his refragari, cum quotidie in Duce exercitus plurimũ experto, vnusquisque sine replica spem ponat iuxta Deum; & ob pietatem aliorum Deum alijs offensam dimittere sit exploratum.

D. Bern. ser. de nat. B. Mariæ.

6. Quæres demum si hæc ita liceant, vt dictum est, cur Deus exitium intentet ijs, qui spem posuerunt in Ægyptijs Isaiæ 31. dicens: *Væ qui descendunt in Ægyptum in auxilium.* Et cur Ieremias dicat cap. 17. *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum* Et è contra commẽdat in Deo solo spem ponentes, dum existunt in tribulatione, vt Isaiæ 31. v. 4.

Isa. 31. Ierem. 17. Isa. 31. v. 4.

Respondeo Deum non improbare illis locis eos, qui iuxta Deũ spem in homine ponunt, qualem dixi; sed eos, qui spreto & contempto Deo, in homine tanquam in Deo, aut magis quam in Deo, aut ita, vt non in Deo, confidunt. Quales, exempli gratia, fuerunt Iudæi, qui Ierem. 41. occiso Godolia viro primario Iudæorum (qui ad Chaldæos ante captam vrbem iuxta monita Ieremiæ transfugerat, & ab eis Iudææ præpositus fuerat) occisis etiam Iudæis & Chaldæis Godoliæ adhærentibus, timebant ne Chaldæi vlciscerentur necem Godoliæ, quem ex æmulatione interfecerant, ideoque consuluerant per Ieremiam Deum, an in Ægyptum fugere deberent,

Ierem. 41.

 an in

an in Iudæa salui manere possent. Adhæc promiserant præstito iuramento verbis Ieremiæ se conformare. Porrò Ieremias consulto Deo respondit illis manendum esse in Iudæa. Sed quid? hi magis fidentes humanæ prudentiæ, quæ dictitabat tutius esse fugere in Ægyptum; Deo & Ieremiæ inobedientes ac periurij fugiunt in Ægyptum, & pertrahunt Ieremiam secum. Qua de causa Ieremias, cum venissent in Taphnis metropolim Ægypti, nomine Dei sub signo hierogryphico exidium illis aduenturum per Nabuchodonosorem ostendit.

Isa 31. Similiter Esaias suo tempore vehemēter inuehitur in decem tribus, væ & exitium illis intentans; quod ab Assyrijs inuasæ opem non Dei, quam ipsis obtulerat & spoponderat, sed Ægyptiorū inuito Deo implorarint, in verbis: *Væ qui descendunt in Aegyptum ad auxilium, in equis sperantes & habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt: & super equitibus, quia præualidi nimis: & non sunt confisi super Sanctum Israël, & Dominū non*
Vers. 3. *requisierunt.* Et vers. 3. exprobrans hoc malum, dicit: *Aegyptus homo & non Deus.* Id est, homines sunt fragiles & imbecilles, quasi dicat, vt quid ergo ad eos confugitis, & non potius ad Deum immortalem & fortissimum, contra quem pugnare tantundem est, ac si caro, id est, homo pugnet in spiritum, id est, in ventum aut potius in Angelum vel Dæmonem, vt insinuant verba sequentia: *Equi eorum caro & non spiritus, & Dominus inclinabit manum suam, & corruet auxiliator, & cadet cui præstatur auxiliū, simulque omnes consumentur.* Et hoc est quod Ieremias etiam intendit cum cap. 17. diceret: *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum*, vt aperte colligitur ex verbis sequentibus, *& à Domino recedit cor eius.* Summa nihil aliud innuunt Prophetæ, quā illos, qui vel in homine tanquam in Deo, aut magis quam in Deo, aut Deo contempto vel inuito confidunt, maledictioni esse proximos, seu à Deo, Angelis, & bonis omnibus, quasi alter Cain deserendos, quodque erunt quasi arbor dijs inferis deuota, in quam omnia prodigia, portenta, fulmina, maledicta incidebant, & in quam homines omnē infelicitatem, quasi in rem execrandam, & terræ cœloque infensam proijciebant, ac verbis factisque imprecabantur: Vnde mox eiusmodi homines comparat myricæ & arbustis deserti, sic inquiens, vers. 6. *Et* Vers. 6.
erit enim quasi myricæ in deserto, & non videbit, cum venerit bonum; sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis & inhabitabili.

7. Porrò ab hoc vitio longe absunt Catholici. Illi enim non contemnunt, neque spernunt Deum, neque magis confidunt in homine quam in Deo, vt Nouantes gratis nobis imponunt, sed Deum semper colentes, spem immediatam credētes intercessionem Sanctorum implorant, vt de suis meritis humiliter sentientes, facilius per Sanctos obtineant, quod à Deo deposcunt, freti authoritate sacræ Scripturæ, quæ pluribus in locis protestatur hoc conuenire cum Deo beneplacito. Vnde nemo iustè reprehendere potest, quod Beatam Virginem, aliosue Sanctos post Deum spem nostram appellemus.

Discursus

Discursus XXV.

Quantum boni gignat spes in Deum: Et quantum mali in homine aut rebus temporalibus.

Psal. 31.

PRopheta Dauid Psal. 31. dicit sententiam valde notandam nempe: *Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.* Quod idem est ac si diceret, Peccator impœnitens, & qui complacet sibi in peccato, multis flagellis atteretur, tum in hac vita tum in futurâ. Contra, iustus: qui sperat in Domino & non confidit in vanitate mortalium ab ipsa misericordia diuina vndique circumdabitur, vt à nulla parte flagellum accedere ad eum possit. Magnum sane priuilegium, hinc inquiram quod in argumento ponitur.

1. Ex verbis Psalmi iam citatis satis colligitur quod cumulo omnium bonorum abundantissimè fruetur, qui vni Deo adhæret: misericordia est enim fons bonorum omnium. Sed specialius dico primo quod spes in Deum, hominem Christianum defēdet à malis temporalibus. Hoc clarissimè dixit Dominus Isaiæ 31. vbi sub duabus similitudinibus explicat quam constanter & fortiter pugnaturus sit pro ijs, qui in Deo spem & salutis præsidium posuerūt, his verbis: *Hæc dicit Dominus ad me, Quomodo si rugiat leo, & catulus leonis super prædam suam, cum occurrerit ei multitudo pastorum, à voce eorum non formidabit, & à multitudine eorum non pauebit: sic Defendet Dominus exercituū vt prælietur super montem Sion, & super collem eius. Sicut aues volantes, sic proteget Dominus exercituum Ierusalem, protegens & liberans, transiens & saluans.* Vbi loquitur de duabus tribubus Iudæorum, qui sub Ezechia Rege non in Ægyptio sed in Deo spem suam posuerunt, & dicit Propheta, quod aliter Deus causam illorum aget, qui se totos sub illo Rege in eius vmbram atque tutelam dabūt, quam eorum, qui contempto & inuito Deo, in copijs Ægyptiacis fiduciam fixerunt. Vtque hoc apertius inculcet addit similitudines leonis & auis, ac si diceret, vt leo pugnare solet pro præda, quam de grege sustulit esuriens, neque quidquam curat pastorum coniuratam manum contra se, neque ab illorum clamore, ac fremitu pauescit: sic Deus pugnabit potens & impauidus pro ijs, qui ad ipsum præsidij causa confugerunt; pro monte videlicet Sion, & eius colle, contra quem sese grandis armauit, & superba manus. Sicut auis pullos protegit suos, & quo ab accipitre, siue ab aucupe defendat, nihil non audet: eo studio Dominus teget, liberabit, sanabitque Ierusalem, qui se sub alarum ipsius vmbram recepit.

Isa. 31.

2. Si quæras quare Dominus his similitudinibus vsus sit ad demonstrandum se protectorem fore Ezechiæ? Cum Sennacherib vrbem obsidebat, ea fuit eius superbia vt colligitur ex v. 14. capitis decimi Isaiæ. vbi Sennacherib sibi tribuit, quod tam facile & cito regna subigat, quā oua & pullos in nido colligit rusticus, qui cum implumes sint strepere nequeunt, nec matres eos pennis obsistere, aut ore obgannire audēt. Propterea enim Dominus ad ea alludens, & quodammodo ei respondens, promittit se Iudæos defensurum, sicut auis rostro, & alis nidum & pullos defendit, dum eos in nido nutrit & sensim volatui assuefacit. Porro euentus demonstrauit fructum spei in Deum 4. Reg. 20. vbi Deus per Angelum centum octuaginta milia virorum exercitus Sennacherib prostrauit & occidit, vrbem Hierusalem protegendo. Et

V. 14. c. 10 Isaia.

4. Reg. 20

vti illic egit, ita paratus est Deus quosuis in se sperantes, etiam mirabiliter defendere ab incursu malorum.

3. Dico secundo spem in Deum causare in nobis immunitatē à peccatis. Docet hoc Psalmista, Psal. 33. dicens: *Redimet Dominus animas seruorum suorum, & non delinquet omnes, qui sperant in eo.* Id est, Dominus redimet ab omni malo animas seruorum suorum, cum eas de carcere corporis eduxerit. Vnde mors iustorum optima, vt meritò dixerit Balaam Num. 23. *Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.* De cursu vero vitæ eorum, inquit, non errabunt à scopo, non deficient in cursu, peruenient omnino ad brauium æternę felicitatis, omnes qui non in suis viribus, sed in Deo confidūt. Hanc immunitatem obseruauit Ioannes Cassianus ex sentētia Abbatis Chæremonis, dum ait: *Tria sunt quæ faciunt homines à vitijs temperare, id est, aut metus gehennæ siue præsentium legum, aut spes atque desiderium regni cælorum, aut affectus boni ipsius, amorque virtutum. Nam timor ita mali contagium legitur execrari; Timor Domini odit malitiam. Spes etiam vitiorum omniū excludit incursum. Non enim delinquent, omnes, qui sperant in eum.*

Psal. 33. Num. 23. Coll. 11 c. 6

4. Sed quæres an qualiscumque spes ad hoc sufficiat. Respondeo non satis esse qualemcumque spem, sicuti nec fidem mortuam ad vitam æternam obtinendam: sed requiri spem iustorum timentium & diligentium Deum, quam Apostolus Petrus, 1. Pet. 1. vocat spem viuam, cum dicit v. 3. quod Deus *regenerauit nos in spem viuam per resurrectionē Christi ex mortuis.* Id est, bene fundatam in medijs debitis, ac sine præsumptione, informatam & viuificatam in charitate. Et de hac locutus est Ioannes Apostolus, 1. Ioan. 3. cum dicit habentem spem sanctificare seipsum, in verbis v. 3. *Omnis qui habet hanc spem in eo sanctificat se, sicut & ille sanctus est*, id est, qui habet spem formatam seu cum sanctitate, gratia iunctam instanter pergit proposito desiderio beatitudinis ad exercitationem sanctitatis, & ad augmentum ipsius, & ad remouenda impedimenta, quę subinde in hoc sęculo degentibus occurrunt. Adeoque loquitur de illa spe & fiducia, quæ nascitur ex patientia, ex bonis operibus, ex testimonio conscientiæ bonæ iuxta illud Rom. 5. *Patientia probationem operatur, probatio vero spē.* Et illud 1. ad Timoth. 3. *Qui bene ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent & multam fiduciam in fide quæ est in Christo* IESV. Et illud 1. Ioan. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.*

1. Petr. 1. v. 3. 1. Ioan. 3. Rom. 5. 1. Tim. 3. 1. Ioan. 3.

5. Hoc discusso dico tertiò hanc spem gignere in nobis inuictum animi robur in aduersis. Vnde Dauid Psal. 25. cum grauissimis calumnijs accusaretur, quasi regnum Saul inuadere appeteret, & propterea exulare, & latibula quærere cogeretur, Deum in innocentiæ suæ testem adducit, eumque pro sua liberatione precatur, in verbis: *Iudica me Deus, quoniā ego in innocētia mea ingressus sum, & in Domino sperās nō infirmabor*, & alia multa. Quasi dicat. Sis tu Domine iudex meus, non sinas à Saule me iudicari, audacter enim prouoco ad iudicium tuum, quoniam conscientia mea, quam tu solus Deus vides, me non reprehendit. Vnde in tua iustitia confidens, non deficiam, sed præualebo. Hinc Psal. 124. expertus mirabilem fructū spei in Deum, qui eum ex tot periculis, & infinitis malis mirabiliter liberauit, dicit ad animandos omnes fideles: *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non cōmouebitur in æternum.* Quasi dicat: Omnes, qui verè confidunt in Domino, erunt immobiles & securi, quæcumque tandem ingruat tempestas, sicut est ipse mons Sion, qui non solum immobilis est, quia mons est, sed etiam, quia Deo sacer & charissimus. Et propheta Isaias cap. 40. dicit: *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Quasi dicat, ô He-

Psal. 25. Psal. 124. Isa. 40.

ô Hebræi nolite cadere animis, eos firmate in Deo, fixi in eius prouidētia state, sperate & implorate eius opem: Qui enim ita sperant in Domino, licet infirmi, lapsi & pœne collisi sint pristinam ab eo fortitudinē recipient; metaphora sumpta est, ab armis, quæ fracta vel retusa cum nouis & integris commutātur. Quo allusit S. Paulus, quando dixit: *Cum infirmor tunc potens sum*, infirmitas enim ipsius virtute Christi pensabatur. Rursus cum dixit: *Licet exterior homo noster corrumpatur, interior tamen renouatur de die in diem*, Et, *omnia possum in eo qui me confortat.* Sic S. Ignatius martyr optauit feras non mansuescere, quarum discerptioni iam erat adiudicatus, dicens: *De Syria vsque ad Romam pugno ad bestias in mari & in terra, nocte dieque ligatus cum decem leopardis, hoc est, militibus, qui me custodiunt; quibus & cum benefeceris, peiores fiunt. Iniquitas autem eorum mea doctrina est: sed non idcirco iustificatus sum. Vtinam fruar bestijs, quæ mihi sunt præparatæ: quas & oro mihi veloces esse ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ne, sicut & aliorum martyrum, non audeant corpus attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me vrgebo, vt deuorer. Ignoscite mihi filioli: quid mihi prosit, ego scio. Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ videntur, desiderans, vt* IESVM *Christum inueniam. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant: tantum Christo fruar.* Cumque iam damnatus esset ad bestias, & rugientes audiret leones, ardore patiendi ait: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar.* Sic cæteri martyres nihil in quibusuis pœnis formidarunt, Et ratio est, quod gratia naturam superet, scilicet quantum aquila alias aues, præsertim in eo quod infirma & senescens vires, pennas & iuuentutē renouet, quod innuitur verbis Isaiæ: *Assument pennas, sicut aquilæ current & non laborabunt, ambulabūt & non deficient.* Quod idem est ac si diceret Propheta.

Ignat. martyr.

Qui sperāt in Domino ope gratiæ à Deo acceptæ, ita fortiter & promtè labores, dura & aduersa quælibet superabunt, viam diuinæ legis non tam ambulando & currendo, quam volando conficient, & in cœlum contendent, ac si aquilæ imo Angeli essent, quibus scriptura dat alas aquilæ, idque quia Christus pectora eorum fortitudine complet. Hinc Apostol. c. 6. ad Hebr. animans Iudæos ad constantiam dicit, quod Deus iuxta promissionem *interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem ad interiora velaminis.* Id est, per promissionem & iusiurandum validam exhortationē habeamus, vt respicientes in promissa Dei tanta tamque certa in persecutionibus & tribulationibus, animo non frangamur: sed tantorum bonorum spe excitati alacres ad res arduas accedamus, labores quosuis & pericula, pro Deo & pietate fortiter subeamus, rapinas, exilia, tormenta, mortemque ipsam generosè sustineamus. Apposite in hanc rem D. Ambrosius serm. 15. in Psal. 118. de hoc fructu spei loquens, inquit: *Esto, sint aliqui duri ad labores, firmi ad iniurias perferendas, si spem auferas, non potest perpetua esse patientia. Ipsa patientia non probatur, si fides desit, cuius radix spes est. Quæ enim potest probatio esse, nisi pro Christi nomine, vel incommoda, vel pericula vniuersa sustineas: Ideo spes est sola, quæ nostrum non confundit affectum. Vbi est spes, Apostolicum illud, foris pugnæ, intus timores, nocere non possunt.*

Cap. 6. Heb.

D. Amb. 15. in Psal. 118.

6. Quartò præter inuictum animi robur gignit in nobis ingentem lætitiam & consolationem. Quod indicat Propheta Psal. 5. dum dicit: *Lætentur omnes qui sperant in te Domine.* Et Apostolus Romanos monens c. 12. vt sint *spe gaudentes.* Tantorum enim bonorum, quæ suis fidelibus Deus in cœlo præparauit exspectatio & spes, ingens parit gaudium: ita vt in quauis etiam graui tribulatione

Psal. 5.

Rom. c. 12.

tione Christianus gaudeat, & exultet. Ita S. ille Abbas Apollo apud Palludiam in Lausiaca cap. 52. cum aliquem è suis tristem ac pusillanimem videret, vt eum ad lætitiam & gaudiũ erigeret: *Tristentur*, inquit, *mundani, tristentur Iudæi, tristentur peccatores, qui aliam spem non habent: Nos vero, qui tanta spe cælestis gloriæ digni habiti sumus, quomodo non perpetuo lætabimur?* Hinc Philo *spem*, vocat, *gaudium ante gaudium*. Ita S. Athanasius de S. Antonio scribit, cum semper tam in aduersis, quam in prosperis lætum fuisse, mentisque lætitiã prætulisse, atque ex ea agnitum fuisse ab ignotis: *Si quis enim*, inquit, *ignarus eius, inter multitudinem monachorum videre desideraßet, nullo indicante, cæteris prætermißis ad Antonium currebat, & animæ puritatem agnoscebat ex vultu, & per speculum corporis gratiam sanctæ mentis intuebatur: nam semper hilarem faciem gerens, liquidò ostendebat se de cælestibus cogitare.* Atqui ex hac causa contingit iustos semper gloriari in tribulationibus iuxta illud Pauli ad Rom. 5. *Sed & gloriamur in tribulationibus*, & quidquid Deus illis immittit, hilari animo excipiant, scientes illud Apostoli ad Rom. c. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonũ.* Et hæc est pax & gaudium in Spiritu sancto, de qua ad Rom. 14. mentionem facit Apostolus. Vnde Dauid postquam dixisset Psalmo 31. quod misericordia circumdaret sperãtem in Domino, adiunxit: *Lætamini in Domino & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde*, quia scilicet, omnes passiones conuertentur in gloriam.

D. Athan. | Rom. 8. | Rom. 14. | Psal. 31.

7. Denique hæc spes nos saluos & beatos reddit in hac vitâ: vnde dicit Propheta Dauid Ps. 39. *Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas.* Sapiens Prouerb. 16. *Qui sperat in Domino beatus est.* Prouerb. 28. *Qui sperat in Domino saluabitur.* Et Apostolus Paulus ad Rom. 8. *Spe salui facti sumus.*

Psal. 39. | Prou. 16. | Prou. 28. | Rom. 8.

8. Quæres quo sensu spei beneficio dicamur hic salui & beati. Respondeo primo quia spes nostra tam certa est, quasi iam res perfecta sit: neque enim timemus promittente veritate. Veritas enim nec falli potest, nec fallere. Quo tendit illud Ecclesiastici, *Respicite filij nationes hominum, & scitote, quia nullus sperauit in Domino, & confusus est.* Atque illud Pauli ad Rom. 5. *Spes non confundit*, quia scilicet sperantem non frustratur nec fallit, sed eum certò perducit ad assecutionem rei speratæ à Deo. Hinc Bern. serm. 37. in Cant. *Spes*, inquit, *non confundit, quia infundit certitudinem, per hanc enim ipse spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod simus filij Dei.* Secundò quia vt inquit Augustinus, lib. 10. cont. Faustum Manichæum: *Spes nobis in Christo est, in quo iam completum est, quod nobis promissum speramus. Ille quippe iam resurrexit, & mors ei vltra non dominabitur.* Vnde alio loco dicit: *Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, nondum vtique resurreximus, sicut Christus, sed secundum spem.*

ad Rom. 5. | Bern. serm. 37 in Cãt. | Aug. lib. 10. con. Faustum.

9. Sed dices cur ergo Dauid Ps. 30. postquam dixit: *In te Domine speraui*, addit orans: *Non confundar in æternum.*

Respondeo, vt doceat oratione opus esse, etiam ad ea quæ Deus promisit ad confusionem hæreticorum, qui non spem, sed præsumptionem habent, nolentes vti medijs ad salutẽ necessarijs, qui instar hominum otiosorum exspectantium frugem ex terra sine labore, confusionem accipient, vti & illi licet nomine Catholici, qui spreto aut inuito Deo sperant in hominibus, vt præcisius dixi discursu præcedenti. Quibus adde, exempli gratia, Goliath, 1. Reg. 17. magis in fortitudine sua & proceritate fiduciam cõstituentem, quam in Deo. Asa 2. Paralip. 16. laborantem dolore vehementissimo pedum in medicorum arte magis confisum quam in Domino, paulò post mortuum. Mulierem sanguinis fluxum patientem, omnia gratis in medicos impendentem, non sanatam, nisi cum tactu fimbriæ Christi fidem professa est,

1. Reg. 17.

& in

& in eum spem eximiam ostendit. Considera, inquam, quamplurimos infirmos in superstitiosis characteribus, magis confidentes, quam in Deo, ex hac vita ante tempus eripi, ideoque superstitiosa omnia ab infirmis diuertenda, quod in plebæis perquam difficile non semel deprehendi. Certe imitandum est exemplum Regis Ezechiæ, de quo scribit Athanasius Nicænus q. 39. in scripturas; quod sustulerit Odas Salomonis de curatione morborum ex Eusebio Pamphilo de Prisca historia, sic aiens: *Libros autem Salomonis, qui scripti erant de Prouerbijs, & Odis, in quibus tractabatur de natura plantarum, & omni genere animalium, & de curatione omnium morborum, de medio sustulit Ezechias, propterea, quod morborum medelas inde acciperet populus, & nihili faceret à Deo petere curationes.*

Athan. Nycæn. q. 39.

10. De confidentibus in huius seculi diuitijs, quid dicam? Scio Prophetam dicere: *Diuitiæ si affluant nolite cor apponere*, Psal. 61. Scio Paulum mandare Timotheo 1. Tim. 6. *Præcipe diuitibus huius seculi non sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo & vero.* Scio Prophetam Psal. 4. dicere: *Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium.* Sed quis fructus his præceptis & admonitionibus non obtemperantibus, sed finem vltimum in his constituentibus? Verbo hoc expedit Salomon Prouerb. 11. cap. dicens: *Qui confidit in diuitijs corruet.* Et patet exemplo cuiusdam, Lucæ 12. qui securitatem ponens in diuitijs ad epulandum placidè & securè audiuit: *Stulte hac nocte repetent animam tuam à te, quæ autem parasti, cuius erunt?* Sic multis cōtingit, qui dum subito præter intentionem euocati à Deo serius cogitant, quod gratis spem posuerint in diuitijs, & consolationem inde petentes; nullam inueniunt; stipulis & straminibus adhærent, sicut periclitantes in aquis. Vnde apposite Bernardus serm. 1. de Aduen. Domini, infelices existimans filios Adam, qui omissis veris & salutaribus studijs caduca potius

1. Tim. 6.
Psal. 4.
Prou. 11.
Luc. 12.
Bern serm. 1. de aduen Domini.

& transitoria quærunt, inquit: *Quibus assimulabimus homines generationis huius: aut quibus comparabimus illos, quos videmus à terrenis & corporalibus consolationibus auelli separarique non posse? Profecto similes sunt his, qui submersi periclitantur in aquis. Nimirum videas eos tenentes tenere. Nec vlla ratione deserere, quod primum occurrerit manibus, quidquid sit illud, licet tale sit aliquid quod omnino prodesse non possit; vt sunt radices herbarum, cæteraque similia. Nam etsi qui ad eos forte veniant, vt subueniant nonnumquam apprehensos solent inuoluere secum: adeo, vt iam nec sibi, nec illis auxilium ferre præualeant. Sic pereunt in hoc mari magno & spatioso, sic pereūt miseri, dum peritura spectantes, amittunt solida: quibus apprehensis emergere, & saluare possent animas suas.* Ea de causa dixit Salomon Ecclesiast 41. *O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis.* Et Iob cap. 11. *Spes impiorum abominatio est animæ.*

Eccles. 41.
Iob c. 11.

11. Quibus bene perpensis excitemur spe in Deum, quæ non confundit, sequamur admonitionem D. Bernardi serm. 9. in Psalm. 90. dicentis: *Quoniam tu es Domine spes mea, altissimum posuisti refugium meum. Quidquid agendum sit, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid operandum, tu es, Domine, spes mea. Hæc vna mihi omniū promissionum causa, hæc tota ratio meæ exspectationis. Prætendat alter meritum, sustinere se iactet pondus diei & æstus, ieiunare se bis in sabbatho dicat, postremo non esse sicut cæteros homines, glorietur: mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spē meam. Speret qui vult in incerto diuitiarum. Ego vero, ne ipsa quidem nisi abs te victui necessaria spero: nimirum verbo tuo confidens, in quo abieci omnia. Nēpe tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.*

Bern. serm. 9 in Ps. 90

Rursum obseruemus monitionem Augustini in illud Psal. 30. *Odisti obseruantes vanitates superuacuè, ego autem in Domino speraui*, dicentis: *Ego qui non obseruo vanitatem, in Domino speraui. Speras in peccunia, obseruas vanitatem; speras in aliquo amico potente, obseruas vanitatem; in his omnibus cum speras,*

August. in Ps. 30.

speras, aut tu expiras, & ea hic dimittis, aut cum viuis, omnia pereunt, & in spe tua deficis. Istam vanitatem commemorat Isaias, dicens: Omnis caro fænum, & omnis gloria eius, quasi flos fæni. Aruit fænum, & flos eius decidit: verbum autem Domini manet in æternum. Ego autem, non quomodo illi, qui sperant in vanitates, & obseruant vanitates, sed in Domino speraui, qui non est vanitas, sed ipsa veritas & stabilitas; & sic in æternum non confunderis.

Discursus XXVI.

An non liceat vllam fiduciam in meritis collocare?

Ioan. c. 3. Anctus Ioannes capite 3. dicit: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Quibus verbis insinuat spem etiam gigni ex bona conscientia. Proinde tractabo an licitum quod in argumento quæritur.

1. Duos errores deprehendo in hac materia: Alterum Ioannis Wiclefi, qui Pelagium secutus tenuit omnem fiduciam in meritis esse collocandam: Alterum Caluini, qui lib. 3. Instit. cap. 12. sect. 3. & 4. ex instituto docet nullam in proprijs meritis fiduciam esse collocandam; quapropter inuehitur in Petrum Lombardum, lib. 3. Instit c. 2. sect. 43. quod scripserit spem gigni in nobis ex gratia Dei, & meritis præcedentibus, dicens: *Quis non merito, amice lector tales bestias execretur*, & paulo post: *O magistrum talibus dignum discipulis, quales in insanis rabularũ scholis nactus est.* Deinde hortatur: *Nos vero qui videmus Dei oraculis iuberi peccatores spem salutis concipere, libenter tãtum præsumamus de veritate eius, vt sola eius misericordia freti, abiecta operum fiducia, bene sperare audeamus.*

Caluin l. instit c. 12. §. 3 & 4.

Idem l. 3. instit. c. 2. sect. 43.

2. Verũ Ecclesia Catholica mediam viam ingreditur, quæ præcipuam quidem spem & fiduciam in Deo ponendam esse; aliquam tamẽ etiam in meritis poni posse docet. Porrò vt res tota planius explicetur, sciendum est, fiduciã nihil esse aliud, nisi spem confirmatam atque perfectam, vt S. Thomas docet in 2. 2. qu. 129. art. 9. Quod etiam prophani scriptores tradiderunt. Sic enim loquitur Seneca in epist. 16. ad Lucilium: *De te spem habeo, nondum fiduciam.* Sciendum etiam aliud esse fiduciam nasci ex meritis, aliud fiduciam esse ponendam in meritis. Potest enim fieri, vt quis exiguam, atque pene nullam fiduciam in meritis proprijs constituat, eo quod non certo sciat, an habeat vera merita, & tamen veris, magnisque meritis abundet, & ex illis fiducia in ipso erga Deum maxima oriatur.

D. Tho 2. 2 q. 129. a. 9.

Sen. epist. 16 ad Luc.

3. His positis dico primo ex sacra Scriptura certum esse aliquã spem nasci ex bonis meritis: Nam Thobias cap. 4. putans se statim moriturum, & admonens grauiter filium ad faciendam eleemosynã iuxta facultatem suam, rationem addens, dicit: *Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis: quoniam eleemosyna ab omni peccato & à morte liberet animam, & non patietur eam ire in tenebras; fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Et Iob cap. 11. Dicunt ipsi amici eius sustinentes eum ob peccata à Deo visitari. *Si iniquitatem quæ est in manu tua abstuleris, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia, tunc leuare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis & non timebis.* Id est, Si iniquitatem, quæ velut macula turpissima tuis manibus adhæret, pœnitentia elueris, & malè ablata omnia suis dominis reddere statueris, si vnquam tibi facultas fuerit: & longè lateq; à te proieceris omnes peccatorum occasiones, atq; incitamenta: quod si contingat

Thobias c. 4.

tingat aliquando præ humana fragilitate labi, minimè demorari in te peccatum patiaris, neq; vero in vllo ex tuis familiaribus. Sic sane audebis constanter ad Deum accedere, illumque cum magna impetrandi fiducia, erecto animo, lætaque facie, atque serena fronte deprecari; nihil enim tunc in animo delitescet, propter quod rubore suffundi, aut faciem aut oculos demittere coram eo, qui cordis inspector est, cogaris. Et paucis interpositis dicunt ei: *Et habebis fiduciam proposita tibi spe, & defessus securus dormies.* Id est, semper meliora sperare poteris, nequaquam continget, vt animo concidas, etiam si in discrimina maxima incidas. Tui vero agricolę poterunt securè & pacificè terram colere nullo metu prædonum: quocumque enim vel illi ad operandũ, vel tu ad negotiandum diuerteritis, feliciter omnia perficietis: & tam securè in medijs agris procul ab vrbe agere poteris, quam si fossa & vallo esses munitus, non enim tu, neque tua opera muro extructo indigebitis, neque alia custodia aut sepimento, quam defossa & indicata in circuitu linea. Nemo quippe erit, qui in res tuas pedem audeat inferre. Quid clarius? Adde his Apostolum ad Rom. 5. expressè dicentem, quod probatio spem operetur. Et 1. ad Timoth. 3. *Qui bene ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide quæ est in Christo* IESV. Denique Hebr. 10. Iudæos ad constantiam monentem his verbis: *Vinctis compassi estis & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis: nolite itaq; amittere confidentiã vestrã.* Quasi dicat, multã fiduciã acquisiuistis ex bonis operibus, tũ ex affectu erga miseros, tum ex eo, quod fidei causa propiorũ bonorum ablationẽ cum gaudio toleraueritis: iam rogo vt sitis constantes, ne fiduciã acquisitam amittatis. Vnde idem Apost. alibi dicit: *Gloria nostra hæc est, testimoniũ consciẽtiæ nostræ.* Et 1. Ioan. 3. dicit Apostolus Ioannes: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum.*

Rom. 5. 1. Tim. 3. Hebr. 10. 1. Ioan. 3.

4. Deinde hæc est doctrina constans vetustissimorum Patrum, vt clarum est ex Cypriano, qui serm. de Eleemosyna circa finẽ suos sic hortatur: *Præclara & diuina res, fratres charissimi, salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati.* Ex authore operis imperfecti, qui docet bona opera dare confidentiam animæ, sic enim ait hom. 15. in Matthæum: *Sicut oleum accendit lumen lucernæ, ita & bona opera excitant fidem cordis, & dant confidentiam animæ.* Vnde D. Chrysostomus hom. 2. in posteriorẽ ad Corinth. inquit: *Nos optamus vt ex benefactis habeas fiduciam.* Et D. Augustin. præfat. in Psalm. 31. *Ille sperat, qui bonam conscientiam gerit: quem vero pungit mala conscientia, retrahit se à spe, & non sibi sperat, nisi damnationem, vt ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam, credat & operetur.* Idem in serm. 16. de verbis Apostoli: *Quæ spes*, inquit, *est nisi de aliqua conscientiæ bonitate?* Nam vt ait S. Ambrosius in 17. cap. Lucæ: *Ex fide charitas, ex charitate spes, & rursus in se sancto quodam circuitu reuoluuntur.*

Cypr. serm. de Eleem. Chrysost. hom. 2. in poster. ad Corinth. Aug. pref. in Ps. 31. Idem in serm. 16. Ambr. in 17. Lucæ.

5. Deniq; hoc ipsum dictat ratio, cum enim Deus promiserit coronã vitæ diligentibus se Iac. c. 1. dicens: *Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Sequitur ex duobus pendere adeptionem gloriæ, nempe ex fidelitate Dei, qui pręstat quod promisit; & ex operibus nostris: diligere enim oportet, *non verbo & lingua, sed opere & veritate*, vt ait S. Ioannes epist. 1. cap. 3. Adeoque spes nostra certa esse non poterit, etiam si fidelis Deus sit, cum nos non bene operamur: quia fiducia non solum nascitur ex gratia Dei promittentis; sed etiam ex operibus nostris.

Iac. c. 1. 1. Ioan. 3.

6. Sed dices S. Augustin. tract. 83. in Ioan. Et Petrus Lombardus in 2. sent. d. 25. dicunt, spem priorem esse charitate, & sine ea posse consistere, contra autem charitatẽ sine spe esse non posse. Nam si hæc vera sunt, illud verum esse non poterit, quod

Aug. tract. 83. in Ioan. Pet. Lomb. in 2. sen. d. 25.

supra dictum est, spem ex charitate, & bonis operibus nasci.

Respondeo facilem esse solutionem: nam (vt rectè ait Ambrosius) spes oritur ex charitate, & ex ipsa spe oritur charitas. Amor enim beatitudinis, vt rei nobis conuenientis, spem omnem præcedit. Non enim speratur quod non amatur, vt D. August. docet in Enchiridio c. 117.

Itaque in homine nondum conciliato primus motus ad salutem est fidei, inde sequitur amor, & desiderium beatitudinis per fidem iam cognitæ; post amorem, siue cupiditatem beatitudinis, sequitur in homine spes consequendæ eiusdem beatitudinis: sed ea spes non immediatè sed mediatè beatitudinem respicit. Non enim, qui nondum cum Deo in gratiam redijt, nec habet vlla bona merita, immediatè beatitudinem sperare potest. Ista enim non spes, sed præsumptio esset, vt Diuus Augustinus dicit in locis citatis suprà: sed sperat reconciliationem, & bona merita per Dei misericordiam se habiturum, & per hæc tandem ad beatitudinem peruenturum. Post hanc spem, quam Theologi vocant informem, sequitur vera charitas & operatio bona. Inde autem roboratur spes, & fiducia incipit appellari, quæ immediatè beatitudinem respicit.

7. Vnde confirmo id certum & indubitatum esse per exempla Scripturæ. Legimus enim in secundo libro Esdræ cap. 5. Nehemiam virum sanctum, enumerantem opera sua bona, & dicentem Deo: *Memento mei Domine in bono, secundum omnia, quæ feci populo huic.* Item Dauidem dicentem in Psal. 17. *Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, quia custodiui vias eius.* Et Ezechiam orantem apud Isaiam cap. 38. *Obsecro Domine memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* Et sanctam Hester ita orantem cap. 14. *Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum, in diebus ostentationis meæ, & detester illud, sicut pannum menstruatæ: & non portem in diebus silentij mei; & quod non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit conuiuium Regis, & non biberim vinum libaminum; & nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum vsque in præsentem diem, nisi in te Domine Deus Abraham, Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum, qui nullam spem habent, & libera nos de manu iniquorum.* Deniq; Apostolũ dicentem: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ,* 2. Tim. 4.

[Esdr. 5. — Psal. 17. — Isai. 38. — Hester 14. — 2. Tim. 4.]

8. His exemplis addi possunt alia ex testimonijs Patrum. Scribit enim S. Hieronymus in vita Pauli primi Eremitæ, eundem Paulum morti propinquum dixisse: *Peracto cursu superest mihi corona iustitiæ.* In vita vero Hilarionis refert idem Hierom. dixisse Hilarionem: *Egredere anima mea, egredere, quid times? septuaginta propè annis seruisti Christo, & mortem times?* Scribit quoq; Sulpitius S. Martinum in exitu Diabolo adstanti, magna cum fiducia dixisse: *Quid hic adstas cruenta bestia? nihil in me funestè reperies, Abrahæ me sinus excipiet.* Denique S. Bonauentura scribit illa fuisse verba extrema sancti Francisci: *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo, me exspectant iusti, donec retribuas mihi.*

9. At dices multa in Scripturis narrantur & in Patribus, quæ tamen non probantur, nec etiam imitanda sunt. Respondeo hoc verum esse, quando vitia aliquorum recensentur, v. g. quod Dauid alias laudabilis adulterium commiserit, & homicidium: quod Petrus ter Dominum negauerit, quod D. Paulus persecutus sit Ecclesiam Dei. Sed non in prædictis, quæ nullam contradictionem patiuntur: quod Spiritu sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines, tum quod Deus ob eam causam misertus sit Ezechiæ Regis: tum etiam quod in omni vera causa ad finem optatum & speratum consequendum idoneâ licitum sit confidere, vt patet similitudine ægroti. Is enim non solum

rectè

rectè confidit, in arte & industria Medici, sed etiam in medicamentorum virtute & efficaciâ. Eodem modo licet non solum sperare in Dei benignitate & promissis; sed etiam in bonis operibus ex Dei gratia factis sine vlla replica; quia hoc non est confidere in propria virtute, sed in Deo, eiusque gratia, ex cuius munere procedunt bona merita.

Luc. 18. 10. Verum enim vero dices Luc. 18. reprehendi Pharisæum in suis
2. Cor. 1. meritis confidentẽ, & 2. Corinth. 1. velle Apostolum vt *non simus confidentes in nobis.*

Respondeo impossibile esse, vt Scriptura sibi ipsi contradicat, proinde opus esse distinctione. Nam potest fieri, vt quis rectè credat merita procedere ex gratia Dei, atque illa recitet ad gloriam Dei vel vtilitatem proximi. Potest etiam fieri, vt quis credat illa se habere ex se, non ex gratia Dei; quod Pelagianũ est, & superbiæ. Potest deniq; fieri vt ea recenseat in despectum proximi.

11. Quibus positis dico primo licere, quãdo necessitas gloriæ Christi, aut pia vtilitas proximi id suadet.
August. in Psalm. 98. & 102. Audi Augustin. in Psalm. 98. & 102. vti citat eum Alphonsus Salmeron in parabola de Pharisæo & Publicano: *Dum coronat Deus merita tua, non coronat nisi dona sua. Quare etsi imperfectis ostentare thesauros suos non expediat, ne illos amittant, nec recitare bona sua, quamdiu in via sunt, & adhuc ad interiora se conuertere, & progressus maiores facere debeant, ne illis contingat, quod gallinis, quæ mox vt oua pepererunt, clamore suo Dominos excitent, qui oua edita illis auferant: perfectis tamen, & magnis viris licitum est, non bona sua solum recogitare, sed etiam illa alijs pronuntiare, quando suadet necessitas gloriæ Christi, vel ad id vrget pia vtilitas proximi: modo illa dona Dei agnoscant, & per ea humilientur, & sine aliorum contemptu, qui tales non sunt, imo cum magna eorum commiseratione cogitentur.*
Luc. 1. Beata Virgo Luc. 1. ad gloriam Dei sic fecit; dum dicit animam suam magnificare Dominum, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Et colligitur ex illo Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videãt opera vestra bona, & glorificent Patrẽ vestrum, qui in cælis est.* Matth. 5.

12. Secundò ad vtilitatem proximi. Sic Iob amicis suis dixit omnia bona opera, ne alij auerterentur ab eleemosynis faciendis, alijsque bonis ob amicorum Iob cauillationes volentium Iob peccasse grauiter. Sic & Apostolus 2. Corinth. 11. recenset sua encomia, bona opera, visiones, ob pseudoapostolos, qui peruertere volebant Corinthios, sed quia melius est ea non recensere extra illam vtilitatem, addit: *Insipiens factus sum, vos me coëgistis*; neque his est periculum superbiæ: ait enim verè Augustinus tract. 8. in 1. Ioannis: *Nec propterea periculum ineſt talibus, vel adulationis, vel inanis gloriæ; quia tæda magna accensa à vento non extinguitur; sed potius incenditur; secus parua candela, quæ mox extinguitur: nec tales in se gloriantur, sed in Domino iuxta illud. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Nec tales sunt iudices in propria causa, sed Deus & proximus, cuius vtilitate & gratia ad populum seipsos commendant.* 2. Cor. 11 August. tract. 8. in 1. Ioann.

13. Tertiò colligitur hoc fieri posse vtiliter, quando quis desperatum timorem tenetur comprimere, & fiduciam firmare in Deo, qui ne aquæ frigidæ potum irremuneratum relinquet; ad hoc iuuãt exempla Ezechiæ Regis, qui lib. 4. Reg. cap. 20. lethali morbo oppressus cũ lachrymis orauit offerens Deo prioris vitæ opera bona, dicens vers. 3. *Obsecro Domine memento, quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quòd placitum est coram te fecerim.* Idque gratum fuisse Deo, patet ex eo, quod iussus reuerti Propheta à Deo dixerit Ezechiæ, Deum vidisse lachrymas, & audijsse orationem eius, & asseruisse sanitatem, quæ ex dicto capite hic adscribo: *Reuertere & dic Ezechiæ duci populi mei; hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui, audiui orationem tuam, & vidi lachrymam tuam: & ecce sanaui te; die tertio ascendes templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos: sed & de manu Regis Assyriorum libe-* Vers. 3.

rabo te; & ciuitatem hanc, & protegam vrbem istam, propter me, & propter Dauid seruum meum, dixit Isaias, afferte massam ficorum: quam cum attulissent, & posuissent super vlcus eius, curatus est. Dixerat autem Ezechias ad Isaiam: Quod erit signum, quia Dominus me sanabit, & quia ascensurus sum die tertia templum Domini? Cui ait Isaias, hoc erit signum à Domino, quod facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est: vis vt ascendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias facile est vmbram crescere decem lineis: nec hoc volo vt fiat, sed vt reuertatur retrorsum decem gradibus. Inuocauit itaque Isaias Propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achor retrorsum decem gradibus. Tale etiam exemplũ videtur præbuisse fidelibus Paulus 2. Timoth. 4. dicens: *Ego enim iam delibor & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus Iudex: non solũ autẽ mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius.* Quibus verbis hoc omnino morti propinquis insinuat licere, vti notauit D. Gregorius libro 25. Moral. capite 7. *Intuendum*, inquit, *summopere est quia eo illud tempore intulit, quo iam ex corpore discessurum se esse cognouit. Ibi quippe præmisit, dicens: Ego enim iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat. Tunc ergo ad memoriam perfectionem reduxit operis, cum iam prænidit ad largitatis spatium minime subesse tempus operationis. Sicut enim dum viuimus, debemus bona nostra à memoria repellere, ne extollant: ita appropinquante exitu plerumque ea ad memoriam iuste reuocamus, vt videlicet fiduciam præbeant, & desperatum timorem premant.*

2.Tim.4.

Greg.l.25. mor.c.7.

14. Cæterum dico extra hos casus non solum illicitum, credere quempiam bona opera quippiã mereri ex se; nam hoc, vt dixi, Pelagianum est, & contrarium sacræ Scripturæ, in qua clarum est hæc merita procedere ex operibus gratia Dei factis, & gratuita eius promissione, Matth. 20. cap. in parabola de denario diurno: sed etiam illicitum est, quando prædicti casus non vrgent; tum quia nemo absque reuelatione certo scire potest, se habere vera merita (nam vt ait Ecclesiastes cap. 9. vers. 1. *Nescit homo an odio aut amore dignus sit*) aut in eis vsque finem perseueraturum; tum quia nihil est facilius in hoc loco tentationis, quam superbiã ex consideratione bonorum operum gigni. Vnde Christus inquit Lucæ 17. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Quæ verba considerans Chrysostomus hom. 3. de verbis Isaiæ dicit: *Nihil perinde gignit superbiam vt bona conscientia, nisi aduigilemus, vnde & Christus sciens, quod post benefacta, nos hic morbus adoritur, dicebat discipulis suis. Cum omnia feceritis, dicite inutiles serui sumus. Quum enim hæc noxia bestia parat inuadere nos: tunc, inquit, illi per hæc verba fores occludite. Neque dixit: quum omnia feceritis, inutiles estis, sed vos dicite, inutiles sumus. Dic, ne metuas, non ex tuo iudicio fero sententiam. Nam si tu teipsum dixeris inutilem, ego te vt vtilem coronabo.* Quibus verbis modum ostendit Dominum magis deuinciendi: vt enim famulus hero suo in omnibus præceptis obsequẽs, dum nihil reputat pręstitisse, herum ad maiora beneficia ipsi exhibenda prouocat; ita in spiritualibus Christum facturũ docet. Tum etiã quia nihil magis euacuat bona opera, & gignit superbiam, quam bona opera, vnde Chrysost. hom. 4. de verbis Isaiæ: *Vidi Dominũ &c.* inquit, *tibi dicam, quantum bonum sit modestia, & quantum malum arrogantia? Peccator iustum superauit, Publicanus Pharisæum, & verba factis fuere superiora. Quomodo verba? Publicanus dicit: Deus propitius esto mihi peccatori: Pharisæus dicit: Non sum sicut cæteri homines, rapax, auarus: sed quid? ieiuno bis in Sabbatho, decimas do de facultatibus meis. Pharisæus opera iustitiæ præstabat, Publicanus verba dicebat modestiæ, & verba potuerunt plusquã facta: tantusque thesaurus cum contumelia reijcitur, &*

Luc.17.

Chrysost. hom. 3. de verb. Isa.

Chrysost. hom. 4. de verb. Isa.

Luca 18.

tur, & tanta inopia in diuitias commutata est. Venerunt duæ naues habentes onus, ambæ portum ingressæ sunt; sed Publicanus pulchrè in portum appulit: Pharisæus autem naufragium perpessus, vt disceres quantum malum sit animi tumor.

15. Portò docet Diuus Bernardus quomodo merita quis habere debeat, & possit sine periculo, nempe si bene operetur, & credat ea ex Dei dono & gratia mereri, non ex nobis. Addã eius verba, quæ habet serm.68. in Cant. *Merita*, inquit, *habere cures, habita dona noueris, fructum speraueris Dei misericordiam, & omne periculum euasisti paupertatis, ingratitudinis, præsumptionis. Perniciosa paupertas, penuria meritorum, præsumptio autem spiritus, fallaces diuitiæ. Et ideo diuitias & paupertatem ne dederis mihi Domine, ait Sapiens. Felix Ecclesia cui nec merita sine præsumptione, nec præsumptio absque meritis deest.* (Bern. serm. 68. in Cãt.)

16. Ex quibus colligitur quare peccauerit Pharisæus ille cum præsumptione sui, & iniuria proximi in medium adducens bona opera. De quo Luc. 18. cap. Christus parabolam instituit; quam examinans Theophylactus sic philosophatur: *Verum admirabitur quis, quomodo superbus cum pauca verba humilitatis pronuntiauerit, condemnetur. Iob autem cum multa de se magnifica dicat, coronetur. Quia Pharisæus quidem nullo cogente stat talia nugans, & alios contemnens, nullo vsu vrgente: Iob vero prementibus se amicis, & grauius incumbentibus, quam calamitas ipsa, dicentibusque, quod propter peccata illa sit passus, compulsus est enumerare sua opera; idque propter gloriam Dei; ne scilicet homines à recto virtutum cursu exciderent. Nam si comperissent homines peccata fuisse, quæ fecerat Iob, & propter illa passum, cauissent ne eadem facerent, factisue insuper fuissent osores hospitum, & inhospitabiles, immisericordes, & iniusti; hæc enim erant opera Iob.* (Luc. 18. Teophilactus.)

Discursus XXVII.

An liceat operari intuitu mercedis æternæ.

D. Paulus 1. Corinth. 9. dicit: *Debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi.* Quibus verbis insinuatur licere, quod in argumento quæritur. Verum, quia Nouantes omnino respuunt, inde exordium esse sumendum, tractabo quatenus id liceat? (1. Cor. 9.)

1. Caluinus dicit lib. 3. Institut. cap. 16. sect. 3. se non concedere exordium sumendum esse à spe mercedis. Concilium vero Tridentin. sess. 6. capite 11. can. 31. ait: *Si quis dixerit iustificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.* Quod idem Concilium dic. sess. cap. 11. clarius explicat, quo modo fieri possit. (Conc. Trid. sess. 6. c. 11. can. 31.)

2. Quod definiuit Conciliũ constat primò ex vet. Testamento, Deuter. 12. v. 28. vbi Dominus per Moysem spe mercedis excitat ad bene operandum, in verbis: *Obserua & audi omnia quæ ego præcipio tibi, vt bene sit tibi, & filijs tuis post te in sempiternum.* Et cap. 28. *Si autem audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atq; custodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie; faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus &c.* Et c. 30. v. 15. ait: *Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortẽ & malum, vt diligas Dominum Deũ tuum, & ambules in vijs eius.* Quasi dicat, vide quæ possis consequi bona obseruando mandata Dei, & quæ mala incurrere illa negligendo. (Deut. 12. v. 28. Et cap. 28. Et cap. 30. v. 4.)

Secundò patet ex Scripturis noui Testamenti, vbi Christus ipse Matt. 4. prædicationem suam exorsus est, dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquabit* (Matth. 4.)

quabit enim Regnum Cælorum. Item Matth. 5. c. instructionem Apostolicam inde inchoauit, dum ait: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est Regnum Cælorum*. A simili spe regni cælorum exordium sumpsit Ioannes Baptista Matth. 3. ab eodem iussit Christus Matth. 10. vt Apostoli exordirentur. Quid igitur est, quod Caluinus dicit, non esse ducendum exordium à promissione mercedis. Vtrum, quæso, Christus & eius præcursor, & Apostoli falluntur, an Caluinus errat?

Matth. 5.
Matth. 3.
Matth. 10.

3. Quæres an sit inde præceptũ? Respondeo affirmatiue. Matt. enim 6. dicit Christus: *Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adycientur vobis*. Et Lucæ 16. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. Simile est Apostoli pręceptum 1. Corinth. 9. *Debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi*. Addo hinc in Apocal. toto cap. 2. & 3. Christum varios Episcopos & Ecclesias hortari semper ad bene viuendum, & semper in fine cuiusq; exhortationis iubere eos attendere ad mercedem, quam promittit bene operantibus, in verbis: *Qui habet aures audiendi, audiat quid spiritus dicat Ecclesijs: Vincenti dabo edere de ligno vitæ*. Et cap. vlt. cum vers. 11. dixisset: *Qui iustus est, iustificetur adhuc*; subdit: *Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua*. ac si dicat: Ideo etiam iustus debet moueri, vt iustificetur adhuc, bene scilicet operando, quia cito à me mercedem accipiet.

Matth. 6.
Luc. 16.
1. Cor. 9.
Cap. 2 & 3
Vlt. cap.
Vers. 11.

4. Sed quæres an primario aut præcipue liceat aut debeat quis bene operari intuitu mercedis? Respondeo negatiue, primò enim debet operari propter gloriam Dei, secundò etiam propter mercedem fœlicitatis æternæ, vt videlicet fidelis hoc modo socordiam suam excitet, & sese ad currendum in stadio exhortetur. Quod expressit Conc. Trident. dic. Sess. cap. 11. vbi simul taxat aduersarios, sic enim ait: *Constat eos orthodoxæ religionis doctrinæ aduersari, qui statuunt, iustos peccare, si suam ipsorum socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio exhortando, cum hoc vt in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam.*

Hoc viri sancti præstiterunt, vt Dauid Psalm. 18. dicens: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas, propter retributionem*. Et Moyses, vt habetur cap. 11. ad Hebr. vbi habetur: *Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Aegyptiorum improperium Christi, aspiciebat enim in remunerationem*. Quin etiam ipse D. Paulus, qui ad Philipp. 3. cap. sic loquitur: *Ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis in Christo* IESV.

Psal. 18.
Heb. c. 11.

5. Hoc modo etiam viri sancti, tum in veteri; tum in nouo Testamento alios adhortati sunt, vt Ecclesi. cap. 18. dicens: *Ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum*. Sic Apostolus exemplo Christi monuit Corinthianos 1. Corinth. cap. 9. his verbis: *Nescitis quod ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis. Omnes autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar*. Et Galat. 6. *Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus*. Ad Coll. 3. *Quodcumque facitis ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis*. Et D. Petrus 2. Pet. 1. *Satagite vt per opera bona certam vestram vocationem & electionem faciatis*.

Ecclesi. c. 18
1. Cor. 9.
Gal. 6.
Col. 3.
2. Pet. 1.

Verum enim vero libet adscribere sententiam D. Basilij in Psal. 1. qua pulchrè probat Dauidem rectè incepisse Psalmos per verba: *Beatus vir*,

Basil. in Psal. 1.

vir, qui non abijt in consilio impiorum &c. quod proposita spes præmij multum homines excitet ad virtutẽ. *Quando David*, inquit, *per operis totius progressum fuerat tam multa admoniturus, quibus obeundis operosissimi quique labores, sudoresque innumeri impenderent ijs, qui desudaturi erant in legitimo pietatis agone, hæc præuertens, lucidissimis rationibus probat horum exitum felicem ac beatum fore; vt bonorum nobis repositorum spe inuitati nihil grauatim aut moleste quidquid occurret doloris aut tristitiæ, perferamus. Sic enim & iter facientibus per asperrima quæque, & pœnè inaccessa loca, tædium releuat laboris spes certò proposita commodioris hospitij, vtque maris periculo ausint se committere mercatores, facit cupiditas parandarum mercium: & agricolis imminuit ac suffuratur labores spes secuturæ fertilitatis. Eam ob rem qui nostram omnium vitam in commune dispensat atque moderatur eximius doctor spiritus ille veritatis, solerti sapientia, & artifici consilio initio statim mercedem ob oculos ponit: vt laboribus dum in manibus sunt veluti iam transmissis, tota mente ad bona quæ in cœlis reposita nobis sunt auidius properemus.* Hinc dixit Apostolus Paulus vitam æternam esse finẽ fidei, & operum iustorum, in verbis ad Rom. 6. habetis fructum vestrum, sanctificationem; *finem vero, vitam æternam.* Et Petrus 1. Pet. 1. in verbis: *Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum.*

Rom. 6. 1. Pet. 1.

6. Confirmatur id vlterius licere ex eo quod Deus sæpe promiserit, & de facto contulerit bona temporalia facientibus actiones bonas præcise, vt eiusmodi bona ab ipso obtinerent, etiam sine spe æternę vitæ. Quod patet primo quia Exodi 1. dicuntur obstetrices à Pharaone iussæ occidere filios Hebræorum timuisse Dominũ & id noluisse facere, ideoque Deũ ijs benefecisse, ac illis ædificasse domos, id est, dedisse ijs posteritatem. Cum autem illæ essent Gentiles, summum aliquo modo vnum Deum cognouerint, non videntur à Deo aliam sperasse mercedem, quam temporalem. Idem 3. Reg. 21. cum Achas terrefactus metu pœnarum, quas Elias ei ob occisum Naboth denunciaret, tristis incederet, & sacco & cinere coopertus ieiunaret; Deus ideo distulit ei inferre malum, quod minatus fuerat: cum tamen ille maneret in sua idololatria, nec speraret alteram vitam. Similiter Daniel cap. 4. suadet Nabuchodonosori, vt peccata sua, id est, pœnas ipsi pro peccatis denunciatas redimeret eleemosynis, quod videtur etiã fecisse, & ideo dilationem pœnæ per annũ obtinuisse, donec iterum in superbiam relabaretur: Cum saltem tamen pro eo tempore, ipse non videatur vnquam ab idololatriâ recessisse, aut vitam æternã sperasse. Idem videtur dicendum de Niniuitis Ionæ 3. Quandoquidem igitur dicti seruierint in aliquibus actionibus Deo præcise propter spem mercedis temporalis, & hanc per eiusmodi actiones à Deo obtinuerint, omnino dicendum est eas actiones non fuisse vllo modo illicitas. Nam alias ijs Deum non prouocassent ad conferendam speratam mercedem, sed ad inferendam pœnam.

Exod. 1. Ion. 3.

7. Agape igitur Nouantes; atque ita bonis operibus insudemus, vt iuxta Apostolum sic curramus, vt comprehendamus, id est, vt liberã habentes voluntatem, & statum gratiæ, ac adoptionis filiorum Dei, simul etiam promissionem Dei gratuitam, ex Charitate operemur, ex qua sola bona opera prosunt ad salutem, vt ostendit Apostolus 1. Cor. 13. dicens: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam &c. charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest.* Tunc enim meritoria erũt vitę æternæ ex condigno. Non est iniustus Deus, *qui*, vt ait Apostolus ad Hebr. 6. *obliuiscatur operis vestri*, & laboris, nec negabit *coronam vitæ*, Hebr. 6.

quam

Iacob. 1. *quam repromisit diligentibus se.* Quod ad satisfaciendum capacitati nostræ apertissime significant similitudo brauij, cui comparat Apostolus vitam æternam 1. Cor. 9. similitudo denarij diurni ex conuentione promissâ laborantibus in vineâ Matth. 20. similitudo depositi, quæ habetur 2. Timoth. 1. & alia id genus multa, quæ promissionem ex debito & obligatione reddendam clare produnt, vt dixi.

1. Cor. 9. Mat. 20.

Discursus XXVIII.

De desperatione, vitio spei contrario.



Ecclesiasticus cap 14. dicit: *Felix qui non habuit animi sui tristitiam & non excidit à spe sua.* Id est, qui ob nimiam tristitiam non incidit in desperationem. De qua inquiram quid sit & quale peccatum.

Eccles. c. 14

1. Duo sunt bona affirmatiua spei, nempe sperandi beatitudinem, & timendi æternam damnationem, de quibus iam egi; Duo vero negatiua, nempe non desperandi de cõsecutione beatitudinis, & non presumendi de ea absque medijs ordinatis à Deo ad illum finem.

2. De priori enim nunc agens dico desperationem esse recessum voluntariũ à beatitudine consequẽda, & contingit tribus modis. Primò, verbaliter quãdo quis non vult procurare consecutionem beatitudinis, ob apprehensam grauitatem peccati, in quod lapsus est. Sic Cain interempto fratre Genes. 4. cap. dixit: *Maior est iniquitas mea, quam vt veniã merear.* Secundò, actualiter quando quis ob inueteratam malitiam diffidit de emendatione vitæ, & ea propter cupit in malo perseuerare: Tales erant Iudæi, de quibus Ieremias cap. 18. dicit, quod moniti ad pœnitentiam, & accepta promissione, quod Deus posset ipsos vere pœnitentes in pristinum statum restituere, responderunt: *Desperauimus: post cogitationes enim nostras ibimus, & vnusquisque prauitatẽ cordis sui mali faciemus.* Quod idem est ac si dicerent Actum est de nobis, ita corruptæ naturæ sensibus addicti sumus, vt inolitas voluptates, consuetudines & peccata relinquere præ difficultate, habitu, tœdio & negligentia non possimus: atque adeo ad Dei timorem, legis obseruantiam minus reuerti. Quapropter certò cõstituimus prauam illam viam persequi, quam ingressi sumus, & nullatenus nuncium remittere voluptuarij motibus, quibus iam parêre didicimus. Quibus similes sunt illi, qui ob duritiam cordis Deum non credentes vindicem malorum, ac bonorum remuneratorem, Sanctos esse beandos æternâ vitâ, immo credentes nullam post hanc vitam aliã superesse pœnarum vel præmiorum, audacter & quasi impune se voluptatibus & libidinibus dederunt: quales taxat Apostolus ad Ephes. 4. vbi dehortatur Ephesianos à vita Gentilium, qui alienati à vita Dei desperantes tradiderunt semetipsos immunditiæ. Hos etiam recenset Salomon, & c. 2. Sapient. inducit hæc verba vsurpãtes: *Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrum exors sit luxuriæ nostræ: vbique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra. Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ, nec veterano, nec reuereamur canos multi temporis.*

Genes. 4. c. Ierem. 18. Sap. 2. c.

Tertiò contingit realiter & finaliter

liter, quando quis desperans ob grauitatem mali quod perpetrauit, seipsum vita priuat, quemadmodum Iudas post Christum traditum pœnitentia ductus laqueo se suspendit, vt habetur Matt. 27. in verbis? *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset; pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus, dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt. Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in templo, recessit: & abiens laqueo se suspendit.*

3. Quæres quale sit peccatum. Respondeo esse mortale grauissimum ob diuersas rationes. Prima, quia repugnat vni de virtutibus theologicis omnium præstantissimis, videlicet spei; Secunda, quia perniciosissima est, vt pote, qua ablata spe salutis homo effrenate ruit in quæuis vitia, quantumuis etiam horrenda; vt patet ex locis citatis. Tertia, quia hoc peccatum valde iniuriosum est Deo; & falsò iudicat de eo, quod per eius misericordiam non poterit obtinere salutem, quod est contra Scripturam, quæ infinitam Dei bonitatem prædicans, dicit misericordiam Dei replere cœlum & terram, nempe Psalm. 35. vbi ait Dauid: *Domine in cœlo misericordia tua.* Et Psal. 32. *Misericordia Domini plena est terra.* Psal. vero 144. inquit: *Misericordia eius super omnia opera eius.* Vnde D. Basilius in regulis breuioribus q. 3. *Si peccata & magnitudine & numero possunt definiri, miserationes autem Dei, neque magnitudine, neque numero possunt circumscribi, sine dubio non est cur desperatio adhibenda sit, sed agnoscenda misericordia Dei, & peccata detestanda.* Conformiter Ioannes Chrysostomus prooemio in Isaiam ait: *Et si quis innumeris peccatis sauciatus sit, si eorum pœniteat, & bonum agat, ita Deus omnia abolet, vt eorum nullum vestigium appareat.* Idem hom. 2. in Ps. 50. *Si vulneratus es, adhibe tibi curam, dum viuis, dum speras, etiam in ipso lecto positus, etiamsi dici potest animam efflans, vt iam de hoc mundo exeas. Non impeditur temporis angustia misericordia Dei.* Et paulo post: *Quid enim est peccatum ad Dei misericordiam? tela aranea, quæ vento flante, nusquā cōparet,* seu vt alio loco dicit: *scintilla ignis ad integrum mare.* Hinc magis peccauit Iudas desperando, quam Christum tradendo, quia illud fuit contra infinitam Dei misericordiam, hoc contra humanitatem Christi.

D. Basilius. Chrysost. proœm. in Isaiam. Idem hom. 2. in Ps. 50

Hanc Dei misericordiam Prophetæ non semel genti peccatrici denunciarunt. Præsto est Isaias Cōcionator nobilis, qui capite 1. suæ Prophetiæ primum annunciat Principibus Sodomorum, Iudæorum infidelibus, socijs furum, oppressoribus pauperum, pupillos & viduas nec defendentibus, nec audiētibus extremam cladem, nempe desertionem terræ, succensionem, regionis desolationem sicut in vastitate hostili, & derelictionem vt vmbraculi, in verbis: *Terra vestra deserta: ciuitates vestræ succensæ igni regionem vestram coram vobis alieni deuorant, & desolabitur sicut in vastitate hostili. Et derelinquetur filia Sion vt vmbraculum in vinea, & sicut tuguriū in cucumerario, & sicut ciuitas quæ vastatur.* Quod idem est, ac si diceret, Terra vestra deserta erit, Babylonij sub Nabuchodonosor, & multo magis Romani sub Tito & Vespasiano regionē vestram deuorabūt: ita vt in Hierusalem non relinquent lapidem super lapidem: adeoq; fiet deserta, perinde ac facta vindemia solet deseri & euerti vmbraculum seu teges, in quo ante vindemiam vineæ custos degebat, vt vuas & fructus à furibus & bestijs tutaretur. Simile est de cucumerario horto vel loco, in quo crescunt cucumeres, citruli, pepones, melones & cucurbitæ in quo solēt custodes etiam tuguria construere, & in ijs contra fures excubare. Summa vt tugurijs his destructis, nihil superest præter tigna & statumina hinc inde proiecta: ita ex Ierosolyma vastatâ & incensa præter ruinas & dispersos hinc inde Sanctuarij lapides nihil supererit antiquę glorię: imò succendetur ipsa, sicut lectis & ablatis vuis & fructibus succenduntur tuguriola

custodum

custodum in cucumerarijs. Hæc primo annuntiat, peccata eorum mereri, vt dignoscas grauitatem mali.

Iam secundò, benignitatem Dei proponit & ait, licet vos obstinati in peccatis nolueritis vllam medici manum & curationem admittere, dum Prophetarum medicorum animæ, monita, contempsistis, dico vobis remedium quo certo à peccatis vestris mundabimini, ita vt nec cicatrix aut vestigiũ vllũ apparebit si volueritis, quod indicat his verbis: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruerse, discite benefacere: quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Et venite, & arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Quasi dicat, hactenus per minas vos terrui, nunc ne desperetis inuito vos ad pœnitentiam, spem do recõciliationis, & eius modum edoceo, qui est lauare cor vestrum à superbia, crapula, ira, odio, inuidia, alijsque prauis cogitationibus, desiderijs & machinationibus; secundò desuescere à prauis consuetudinibus, & sensim induere consuetudinem bonam virtuose viuendi: & speciatum inquit disquirite vtrius litigantium causa iusta sit, nolite ob munera, fauores, aut metus præcipitare aut peruertere sententiam, subuenite oppresso &c. Et arguite me si peccata vestra in modum coccini sanguinea, seu valde enormia & horrenda plane non diluam. Vtitur autem similitudine lanæ, quæ cum coccineum succum imbiberit, elui & dealbari naturaliter non potest, vt significet gratiam Dei facere posse, quod natura non potest, & Deum ita posse animam quę peccata imbibit, purificare, vt nullam cicatricem aut vestigium relinquat, quod in graui vulnere, nullus potest medicus.

Ierem cap. 18. Simile docet Ieremias, qui cap. 18. iussus est alio modo Iudæos prouocare ad pœnitentiam (quorum peccata dixerat cap. 17. esse indelebilia, scripta stylo ferreo, & non nisi excidio delenda) nempe vt ingrederetur Ieremias in figularem officinam vbi exemplo figuli vas, dissipantis & dissipatum refingentis doceret Iudæos Deum eos posse dissipare, & in captiuitatem dispergere, & si pœniteant, in pristinum statum restituere, in verbis: *Numquid sicut figulus iste, non potero vobis facere domus Israël? ait Dominus. Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus Israël. Repente loquar aduersus gentem, & aduersus regnum, vt eradicē & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo quod locutus sum aduersus eam: agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui, vt facerem ei. Et subito loquar de gente & de regno, vt ædificem & plantem illud.* q. d. Si pœnitentiam egerit gens Iudaica, non solum peccata condonabo, sed & pœnas tollam: ita vt tam facile gentem fractam tribulationibus, restaurabo, ac figulus vas ex luto formatum, (quod necdum igne decoctũ est) è manu cadens defractum, in aliud reformare potest. Verbo hoc indicat Ezechiel cap. 33. nomine Dei hæc verba populo annuntians. *Viuo ego dicit Dominus Deus: nolo mortẽ impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat. Conuertimini, conuertimini à vijs vestris pessimis: & quare moriemini domus Israel?* Ezech. cap. 33.

In nouo Testamento Christus etiam docuit nullũ tam graue peccatum esse, quod pœnitentia delere non valeat, cum Matth. 20. sine exceptione omnes inuitauit ad se, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, & inuenietis requiem animabus vestris.* Matth. 20. Matth. quoque 16. cum Petro omnium peccandorum soluendorum sine exceptione potestatem fecit, in verbis: *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælo.* Matth. 16. Rursus cum generatim dicit Apostolis Mat. 18. *Quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Matth. 18. Quod ipsum proinde definitum est in 1. c. Conc. Later. sub Innocentio tertio, vbi sic 1. c. Conc. Later. habetur

habetur: *Si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pœnitentiã reparari.* Omitto quod hoc exemplis eorum, qui post grauia peccata veniam impetrarũt, nimis testatum sit, nempe Adami, qui suo lapsu totum mundum perdiderat: Dauidis, Salomonis, Achab, Manassis, latronis in cruce, Filij prodigi, Publicani, Matthæi in telonio, Petri Christum abnegantis, Pauli Ecclesiam persequentis: tum etiam Petri Act. 8. Simonem Magũ ad pœnitentiam hortantis: *Quis est enim*, inquit August. serm. 11. de verbis Domini, *fructus correptionis sine vlla spe remissionis.* Item exẽplo Stephani orantis pro lapidatoribus, qui Spiritui sancto resistebant. Nam vt ait Augustinus lib. 1. Retract. c. 19. *De quocumque pessimo in hac vita constituto non est vtique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.* Demum exemplo Pauli, qui Corinthium (quem iusserat Sathanæ tradi ob fornicationẽ inter Gentes ne committi solitam) 1. ad Corinth. 5. tandem correctum ad indulgentiam recepit.

Act. 9.

August.

Idem.

4. Porro quia desperationis peccatum tam est enorme, & Deo iniuriosum, hinc pœnitere nolentibus, Deus Ieremię 18. minatur excidium, in verbis: *Ecce ego fingo contra vos malum, & cogito contra vos cogitationem.* Id est, comminiscor & apparo contra vos malum pœnæ, puta afflictionem & stragem: hoc enim dicebat ijs, à quibus ilico profectum erat hoc responsum: *Desperauimus: post cogitationes enim nostras ibimus.*

Ierem. 18.

5. Sed dices, quomodo tantum peccatum sit desperatio, quandoquidem tum Ierem. 17. quædã peccata dicantur scripta stylo ferreo, in vngue adamantino, seu indelebilia & irremissibilia, vti de peccato quodam in Spiritum S. dicitur Mat. 12. *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

Matth. 12.

Respondeo harum scripturarum sensum non esse, quod quędam peccata sint absolutè irremissibilia; sed quod difficile veniam mereantur. Primò, quia peccata ex malitia nihil in se habent, vnde vel modicum excusari possint, ac proinde nihil misericordiæ merentur, vt peccata ex infirmitate vel ignorãtia commissa: vti à contrario sensu colligitur ex Apostolo, cum 1. Timoth. 1. dicit: *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate*, quod idem est ac si dicat, Veniam non meruissem si peccassẽ ex malitia. Secundò, quia directè peccata in Spiritum sanctum, obstinationis, & agnitæ veritatis impugnationis, resistant & repudient gratiam Dei, qua sola valent curari, vtpote cum quis audiens vocem Domini obdurat cor suum, aut videns miracula, quibus tenetur assentiri rebus à Deo reuelatis, & ad credendum propositis, illa ascribit dæmoni, vt faciebant Pharisæi, cum dicebant de Christo Luc. 11. *In Beelzebub Principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Hinc enim dicuntur peccata irremissibilia, quia his remedijs solis possunt dirigi in viam rectam. Similitudine res fiet clarior. Est ægrotus aliquis qui certo pharmaco dumtaxat potest curari, ipse illud respuit, ex hoc dicitur morbus eius incurabilis: ita in spiritalibus quis dicitur incurabilis, in quantum excludit ea, per quæ fit remissio peccatorum. Sic dicebat Heli filijs suis peccantibus, & populum scandalizantibus in materia sacrificiorum veteris Testamenti: *Si peccauerit vir in virum, placari potest ei Deus. Si autem peccauerit in Deum vir, quis pro eo orabit?* Quod idem est ac si dixisset, Difficile erit veniam ab eiusmodi peccatis impetrare, nisi insignis aliquis (qualis vel Moyses fuit vel Samuel) pro eo apud Deum intercedat: nam in sacrificijs vos ô filij peccastis, quibus homines ex veteri instituto solent dolorem de peccatis ostendere & temporalis pœnę à Domino veniam, misericordiam, aut gratiam aliquam extorquere. Dicit itaque ex illa causa quodammodo esse irremissibile: nõ autem

1. Tim. 1.

Luc. 11.

1. Reg. 2.

autem per hoc præcludit viam remittendi & sanandi omnipotentiæ & misericordiæ Dei, per quam aliquando tales, licet miraculosè spiritualiter sanantur: hoc enim repugnat scripturis, vti patet ex lib. Ieremiæ vbi Propheta obstinatos nomine Dei hortatur, vt reuertantur ad Deum, iisque veniam pollicetur, quos dixerat non posse redire ad rectam viam, in verbis cap. 13. *Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Hoc autem frustra & perperam fuisset pollicitus si nulla ratione peccata eorum potuisset remitti. Rursum patet ex cap. 19. Matth. vbi Dominus dixerat facilius esse vt camelus intraret per foramen acus, quam vt diues ingrederetur in regnum cœlorum, scilicet iuxta naturam istius peccati, quo summum finem ponit in diuitiis; sed non secundum omnipotentiam Dei, quapropter subiungit: *Quod impossibile est apud homines, apud Deum possibile est.* Ad hunc modum intelligendus Act. 15. Petrus, cum dicit de præceptis veteris Testamenti: *Quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* id est, difficile portare potuimus: non enim Deus præceperat Iudæis impossibilia.

Ierem. 13. Act. 15. 2. Mach. 9.

Dices iterum, Antiochus 2. Machab. 9. cap. Et Esau, ad Hebr. cap. 12. leguntur in hac vita pœnitentiam egisse, & nihilominus indulgentiam non obtinuisse, quomodo ergo tantum peccatum potest esse desperatio?

Respondeo hæc loca nihil suffragari desperantibus, quia Antiochus, vt patet ex contextu, solam corporis mortẽ, & cruciatum illum viscerum, quo vexabatur, auertere oratione sua desiderauerat; & ideo cũ vera non fuerit eius pœnitẽtia, atq; conuersio, mirum esse non debet, si nihil etiam à Domino impetrauerit. Et ideo dicit scriptura: *Orabat hic scelestus Deum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Porro Esau neq; apud patrem locum benedictionis inuenit, quia iam in alterũ collata benedictio illa, irrecuperabilis erat; neque apud Dominum pœnitentia eius vim vllam habuit, quia non ex corde conuersus est ad Deũ, non enim fleuit ob culpas in Deum admissas, sed solum ob hæreditatem amissam. Nam illo ipso tempore, quo pœnitentiam agere videbatur, necem fratris sui animo voluebat, sic enim ait Gen. 27. *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meũ.* Et sic de illo Scriptura dicit loc. cit. *Scitote, quoniam postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est, non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam.* Genes. 27.

Discursus XXIX.

De Præsumptione.

Prou. 30.



SApiens Prouerb. 30. cap. duo petit à Deo; vt neq; diuitias, neque paupertatem nimiam illi cõcedat; idque ne exuberet in vno, vel in altero. Hoc idem in spe, & vitiis contrariis rectè vnusquisq; petet. Nam vtrumque non solum periculosum est, sed etiam mortiferum, vt de spe & desperatione docui. Restat de præsumptione, altero vitio spei contrario inquirere quid sit & quale peccatum.

1. Præsumptio igitur, vt à nomine incipiamus quintupliciter accipitur; primò pro robusta quadam spe, vt Iudith. 6. vbi dicitur: *Non derelinquas præsumentes de te.* Secundò pro coniectura quadam, vt Sap. 17. cap. dicitur: *Semper præsumit sæua perturbata* Iud. 6. Sap. 17.

turbata conscientia: id est, nequitia ideo timida, ac testimonium dat condemnationis, quia semper præsumit atque præsagit sæua & grauia, cum sit perturbata per conscientiam ipsam. Exemplum habes in Cain, qui Genes. 4. cap. dicebat: *Omnis qui inuenerit me, occidet me.* Tertiò, accipitur pro peruersitate inimicitiæ ab amico, à quo sperabatur fidelitas. Hoc sensu illam accipit Sapiens Ecclesiast. 37. c. vbi quærens vnde originẽ traxerit tam perniciosa cogitatio, vt ex amico quis conuertatur ad inimicitiam, inquit, *O præsumptio nequissima, vnde creata es cooperire aridam malitia & dolositate illius?* Quartò, accipitur pro vitio per excessum opposito virtuti magnanimitatis, cum quis scilicet molitur & aggreditur ea quæ facultatem suam longe excedunt, quale existimabat Saul esse in Dauide, cum illi volenti pugnare aduersus Goliath, dixit: *Non vales resistere Philistæo isti, nec pugnare aduersum eum, quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.* Quintò, accipitur pro vitio virtuti spei contrario per excessum, cum scilicet quis, vel aliquid tanquam possibile sperat de Deo, quod secundum eius legẽ ordinariam non est possibile; qualis est, quando quis præsumit se proprijs viribus sine Dei supernaturali auxilio posse beatitudinem obtinere. Sic olim Pelagiani præsumebant, qui tempore Diui Augustini negabant Christi gratiam homini esse necessariam ad bene viuendum & salutem consequendam. Vel cum quis præsumit sine pœnitentia & meritis, solâ Dei misericordia ac liberalitate veniam peccatorum, & salutem consequi; vt Lutherani & Caluinistæ, qui solâ fide in Christum sibi blandientes, vel in medijs peccatorum sordibus, vt iumenta computrescunt; nec sibi solum, sed alijs itidem polliceri audent securitatẽ, modo meritis Christi & Dei gratiæ per fidem apprehensæ fidant, quantumuis interim pœnitentiæ fructus negligantur. At de hoc vitio nobis hic tantùm est sermo.

Gen. 4.

Eccles. 37.

2. Quæro igitur quale peccatum sit prior præsumptio virtuti spei cõtraria. Respondeo breuiter esse peccatum mortale, & quidem grauissimum. Primò, quia est peccatum in Spiritum S. cui bonitas & gratia tribui solet. Secundò, quia est mixtum hæresi, qua fides amittitur, & consequenter etiã spes: Nam aduersatur sacris Scripturis, quæ vbiq; proclamant, nos nihil boni posse ad salutem solis naturæ viribus. Ezech. enim 36. c. dicitur: *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis.* Quod idem est ac si dicat, Quia solis naturæ viribus adimplere nõ potestis præcepta moralia, secundùm substantiam operis, dabo vobis gratiam, qua id efficere valeatis. Et D. Paulus ad Rom. 8. c. differens de præcepto, *Non concupisces*, quod morale est, dicit impossibilem fuisse legis obseruationẽ sine gratia Dei, idque propter carnis infirmitatem, quæ à natura corrupta, infirma facta erat, & ideo missum esse filium Dei, vt per ipsum possibile fieret, quod alioquin impossibile erat, in verbis: *Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus filium suum mittens in similitudinẽ carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis.* Et 1. ad Cor. 7. dicit idem Apostolus Dei donum esse, vt virgines & viduæ, quin etiam coniugati contineãt, & in statu suo bene se gerant, in verbis: *Vnusquisque donum suum habet ex Deo, vnus quidem sic, alius autem sic.* Vnde Salomon cap. 8. Sapient. dicit: *Vt sciui quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius esset hoc donum; adij Dominũ, & deprecatus sum illum, & dixi ex totis præcordijs meis.* q. d. Quia tentationes incontinentię solis naturæ viribus superare non poteram, hinc ex toto corde meo precibus hoc donum à te flagitaui sciens, quia fidelis es, nec patieris me tentari supra quam possim, iuxta illud 1. ad Cor. 10. *Fidelis Deus, qui*

Ezech. 36.

Rom. 8.

1. Cor. 7.

Sap. 8.

1. Cor. 10.

qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. Hoc ipsum apertissimè fassus est Dauid Ps. 29. cum in persona fidelium dixit: *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum; Domine in volũtate tua præstitisti decori meo virtutẽ. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Id est, dum gratia Dei & spiritali consolatione abundabam, dixi non mouebor in æternum, seu non deficiam, etiamsi mihi moriendum foret, sicut Petrus dixit Matth. 26. c. *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo:* Sed vt punires præsumptionem meam, cum robur illud esset ex te, Domine dimisisti meipsum mihi, & continuo cecidi, & conturbatus sum, quemadmodum contigit Petro, cum ter Christum negauit. Breuiter Christus gratis non docuit nos orare, Matth. 6. *Et ne nos inducas in tentationem.* Et frustra non dixit discipulis instante Passione sua: *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem,* Mat. 26.

Psal. 29.

Matth. 26

Matth. 6.

Matth. 26.

3. Secundò, Scriptura expressè declarat voluntatem humanam nihil posse in ijs, quæ ad salutem & pietatem pertinent sine auxilio & gratia Dei, Ioan. enim 15. dicitur: *Sine me nihil potestis facere*; id est, vt ante dixerat Christus, non potestis fructum iustitiæ aut bonorum operum facere nisi maneatis in me, in verbis: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*; id est, Ille fructum facit ad pietatem & salutem conducentem, non alius, sicut Iacob. cap. 1. dicitur: *Qui perspexerit in lege perfectæ libertatis & permanserit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit*; id est, non alius. Est phrasis in Scripturis frequens, & hunc habet sensum, Cum auxilio meo quis bene poterit operari ad salutem, sed non aliter: *Deus est enim,* vt ait Apostolus ad Philipp. 2. *qui operatur in vobis, & velle & perficere*; id est, Deus operatur velle per gratiam præuenientem & excitantem, qua intellectum illuminat, immittendo illi bonas cogitationes, & lumina, quibus apprehendat, ponderet & æstimet tum enormitatem, pœnasque peccatorum, tum honestatem, ac præmia virtutum, tum Dei iudicium, tum æternitatẽ, aliaque quæ salutis sunt. Deinde, excitat voluntatem & affectum, pios motus, affectiones, & impulsus timoris, spei, pœnitentiæ, dilectionis, aliosque similes, illi indendo, quibus suadet & persuadet, suadendoque & persuadendo operatur & facit, vt voluntas libere velit timere, sperare, pœnitere, diligere non per se sola, nec per puras suæ naturæ vires, sed per eandem Dei gratiam, quæ sicut voluntatem præuenit, & excitauit, vt vellet, ita dum vult illam adiuuat, illique cooperatur vt velit. Et hoc est, quod ait Sanctus Augustinus, de gratia & libero arbitrio capite decimo sexto. *Deus, inquit, est qui operatur in nobis velle & operari: certum est nos facere cum facimus, sed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: faciam vt in iustificationibus meis ambuletis.* Atqui vt intelligas illa verba intelligenda esse de rebus pertinentibus ad salutem: Nota Apostolum causam dare, cur debeamus cum metu & tremore salutem nostram operari, quod indicat vox *enim.* Et idem est ac si diceret, Licet ô Christiani Philippenses, liberum habeatis arbitrium, & in vestra potestate sit benè operari, & saluari, hortor tamen vos, vt cum humilitate & tremore diligenter seruiatis Deo, & bona opera, eaque quæ salutis sunt, operemini: quia si quid boni habetis, aut facitis id non à vobis habetis, sed à Deo, qui superbis, & præsidentibus, ac præsidentiâ negligentibus, ac torpentibus resistit, & gratiam suam subtrahit: humilibus autem, orantibus, pauidis, & sollicitis, dat, auget, & continuat gratiam, vt si prouidi & diligentes sitis in operibus salutis, Deus sicut cœpit, ita perget in vobis operari velle & perficere bonum: sin præsumptuosi sitis, securi & segnes,

Ioan. 15.

Iac. 1.

Philip. 2.

August. de grat. & lib. arbit. c. 16.

& segnes, Deus se subtrahet, nec perget in vobis operari velle & perficere bonum, itaque à salute vestra corruetis.

August. ibidem cap. 9. Sic intellexit hunc locum Diuus August. de gratia & libero arbitrio cap. 9. *Quando*, inquit, *iubetur vt operentur, liberum eorum conuenitur arbitrium: sed ideo cum timore, & tremore, ne sibi tribuendo quod bene operantur, de bonis tanquam suis extollantur, tanquam ergo Apostolus interrogaretur, & diceretur ei: Quare dixisti: Cum timore & tremore? horum verborum rationem reddit, dicens: Deus est enim, qui operatur in vobis: si enim timetis, tremitis, non extollimini tanquam de vestris operibus bonis: quia Deus est, qui operatur in vobis.* Hinc idem Apostol. increpauit 1. ad Corinth. c. 4. quosdam arrogantes Doctores qui ipsum despiciebant, his verbis: *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis?* quasi dicat, Tuum laborem & ingenium, & alia naturæ dona, in quibus gloriaris, accepisti à Deo: multò magis supernaturalia à Deo accepisti, vnde illi debes dare omnem gloriam, & hinc Concil. Arausic. Canone 22. definit nos à nobis nihil habere nisi mendacium & peccatum. Quod confirmatur ex eo quod dilectio sit donũ Dei, vt constat ad Roman. 5. & 1. cap. Ioan. 4. ac alibi.

1. Cor. 4.

Rom. 5. 1. Ioan. 4.

4. Denique tantum abest, vt quis possit Deum diligere ex toto corde sine eius auxilio, vt nequidẽ ad gratiam recipiendam quis vllo modo solis naturę viribus se pręparare possit, dicente Christo Ioan. 6. *Nemo potest ad me venire, nisi pater traxerit eum.* Et hinc comparatur homo peccator in Scripturis terrę omni humore destitutæ, quæ ne minutissimam quidem herbam germinare potest, nisi desuper irrigetur. Sic enim ait Dauid in Psal. 142. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Comparatur item luto, quod à figulo tractatur, Isaiæ 47. Ierem. 18. & ad Rom. 9. At certè lutũ non seipsum disponit ad formam vasis recipiendam, sed à figulo primum disponitur, deinde formatur. Comparatur præterea homini mortuo, qui ad vitã reuocandus est, Luc. 18. *Mortuus erat, & reuixit.* Ephes. 2. & Colos. 2. *Cum essetis mortui in peccatis, & delictis.* At mortuus non se disponit ad vitam, nec potest, nisi vim aliquam vitalem ab excitatore suo recipiat. Comparatur quoque iustificatio generationi, 1. Petr. 1. *Renati non ex semine corruptibili, &c.* & Iac. 1. *Genuit nos verbo veritatis.* At materia non seipsa disponit, sed à generante disponitur. Hinc etiam sunt illę pię voces, Psal. 84. *Conuerte nos Deus salutaris noster.* Et Tren. 5. *Conuerte nos Domine, & conuertemur.*

Ioan. 6. Psal. 142. Isa. 47. Hierem. 18 Rom. 9. Luc. 18. Ephes. 2. 1. Pet. 1. Iac. 1. Psal. 84. Tren. 5.

5. Ex quibus omnibus euidens est præsumptionem hanc nõ solum esse hæreticam, sed etiam peccatũ quod multum detrahit dignitati cœlestis beatitudinis, dum reputat eam talem, quam operibus, viribus naturę factis, possimus promereri: cum certum sit quod nulla opera etiã actionum naturalium & ciuilium sine auxilio Dei generali facere possimus, vt v. g. arare, serere, putare vites, plantare arbores, ambulare, sedere, loqui, & id genus alia. Vnde vere de ea dici possit, quod Eccles. cap. 37. de peccato perfidiæ dixit: *O præsumptio nequissima &c.* Deinde patet talem esse, quod grauem pœnam mereatur, cum peccatum in Spiritum sanctũ ægrè remittatur in hoc sæculo, & in futuro. Quodque Apostolus 2. ad Cor. 1. dicat se vehementissimas afflictiones, luctas & agones morti proximos, ipsaq; iam iam mortem affore denunciantes, passum esse, vt non confideret in se, sed in Deo, his verbis: *Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos;* id est, vt non confidamus nostris viribus, seu industrię, prudentiæ, consilio nostro, verum auxilio Dei. Hoc autem electorum est, non sibi fidere, sed ad Dei auxilium in omnibus confugere, & dicere cum Propheta: *Oculi mei semper ad Dominum*, Psalm. 24. *Qui suscitat mortuos*, id est: qui non tantum viuentes

2. Cor. 1. Psal. 24.

uentes seruare potest, & eripere periculis: verum etiam mortuos ad vitam reuocare. Denique ex eo, quod Iudith cap. 6. de præsumentibus in corporis viribus dicat: *Præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes humilias*. Hæc quoad priorem præsumptionem.

Iud. 6.

6. Quod ad secundam attinet, qua quis præsumit sine pœnitentia & meritis veniam peccatorum & salutem consequi, dico eandem non minus esse prauam quam præcedentem. Primò, quia peccatum est in Spiritum sanctum; Secundò, quia Scriptura requirit vt medium necessarium ad iustitiam & salutem, contritionem. Et probatur Luc. 13. per verba: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*. Et Act. 3. vbi S. Petrus illam requirit, dicens: *Pœnitemini & conuertimini vt deleantur peccata vestra*. Et expressius cap. 2. Apocalypsios, vbi Dominus Episcopo Ephesino, qui exciderat à charitate iuxta Ambrosium & Haymonem, minatur auferre dignitatem Episcopalem, nisi agat pœnitentiam, in his verbis: *Memor esto, vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris*. Adhæc Ezechiel cap. 18. nihil aliud peccatoribus concionatur, nisi vt pœnitentiam agant, si salui esse velint. Vnde derogat hęc præsumptio plurimum iustitiæ Dei, quæ exigit vt peccata sine pœnitentia non condonentur. Insuper tollit omnino timorem Dei, & omne frenum, quo homo à peccatis possit reuocari. Et tantum abest, quod Scriptura velit soli Dei misericordiæ nos confidere, quod potius omnino nos ab ea fiducia dehortetur, nempe Eccles. 5. vbi dicit Sapiens: *Ne dicas miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur*. In quæ verba sic Iansenius: *Hic locus &c. multum facit erga Hæreticos nostri temporis, qui non solum de obtenta, sed etiam de obtinenda venia suos iubent esse securos, semper contra nostri Sapientis doctrinam, illud prædicantes: Misericordia Domini magna est, multitudinis peccatorum nostrorum miserebitur*.

Luc. 13. Act. 3. Apoc. 2. Ezech. 18. Eccles. 5. Iansenius.

7. Porrò non inutiliter quæres, quatenus Catholici libere in peccato perseuerantes, & præsumentes sub finem vitæ, de venia peccatorum facile obtinenda, peccent.

Respondeo tales grauissime peccare; primò, quia contemnunt diuitias bonitatis Dei, eiusque patientiæ, & longaminitatis, per quam ad pœnitentiam prouocantur. Sic enim Apostolus compellauit Iudæos, qui grauitatem peccatorum & pœnas, quas Deus peccatoribus in lege intentabat, sciebant, & nihilominus in peccatis perseuerabant, dicens: *An diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*. In quæ verba Origenes: *Diuitias bonitatis Dei, ille agnoscere potest, qui considerat quanta in terris mala quotidie homines gerant, & quomodo pene omnes declinantes & simul inutiles facti, latam & spatiosam perditionis ambulant viam: si quis consideret quanti in Deum quotidie blasphemant, & in cælum extendunt linguas suas. Iam quid de fraudibus, de sacrilegijs & piaculis dicam? si quis ergo hanc bonitatem Dei, & sustentationem eius, & patientiam contemnit, ignorat quod per hæc ad pœnitentiam prouocatur: sed nos non dissoluat hoc, & tardos ad conuersionem faciat: quia rursus patientia eius & sustentationis certa mensura est*. Secundò, exponit se periculo subitę animaduersionis Dei; hoc indicat Sapiens Ecclesiast. 5. cap. monens: *Ne dixeris, Peccaui: & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. De propitiato peccato noli esse sine metu*, (hoc est, ne sis securus, vel propter periculum relapsus, vel quod de remissione non sis omnino certus: quia nescit homo vtrum amore an odio dignus sit, vel quod, remissione impetrata, digna pœnitentiæ opera sint in timore Dei peragenda, quo temporalem vltionem, etiam remissis peccatis debitam effugias) *neque adijcias peccatum super peccatum, & ne dicas: Miseratio Domini magna*

Rom. 2. Origenes. Eccles. 5.

magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Et postea rationem reddit: *Misericordia enim, & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius.* quasi dicat: Verum quidem est misericordiam Dei non difficilem se præbere hominibus, sed cito eam aduenire illis ab ipso: sed simul etiam verum est iram ab illo festinare, quodque eadem à Deo missa respiciat ad peccatores, atque super eos quiescat, perficiens quod iussa est, adeoque ad sic præsumentes & segnes non pertinet misericordia, sed tantum ad iustitiæ studiosos. Quod clarius exprimit Apostolus ad Roman. 2. cap. dicens: *Secundum autem duritiam tuam, & impænitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.* Vbi Apostolus *iram* vocat vltionem, quę more thesauri collecta depromentur, & vniuersa in peccatores in die iudicij effundetur. Simile dat sanctus Hieronymus: *Sicut*, inquit, *qui paulatim arcum intendit, tempus dat alteri vt fugiat, qui si fugere nolit, tanto fortius sagitta emissa configitur, quanto maiori tempore arcus intentio fuit facta: sic Deus qui laneos habet pedes, sed ferreas manus, tarditatem supplicij grauitate compensat.*

Rom. 2.

Hieronym.

8. Sed dices, Deus tamen legitur aliquando in fine vitæ in gratiam recepisse eos, qui tota vita sceleratissimè vixerant. Admitto, sed id ad incomprehensibile Dei iudicium spectat, secundum aliquos, vel vt ego autumo, vt aliquando de facto ostendat miserationes suas transscendere omnia opera sua. Quandoquidem loco Ecclesiast. citato indicat in peccatis suis obfirmatos frustra de Dei misericordia præsumere, cum ad tales non misericordia Dei, sed grauissima vindicta pertineat. Quapropter masticet Christianus aurea monita Fulgentij libr. de fide ad Petrum cap. 3. vbi sic ait: *Nullus hominum debet sub spe misericordia Dei, in suis diutius remanere peccatis, cum etiam in ipso corpore velit nemo sub spe futuræ salutis diutius ægrotare. Tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, & sibi de Deo indulgentiam repromittunt, nonnunquam ita præueniuntur repentino Dei furore, vt nec conuersionis tempus, nec beneficium remissionis inueniant. Ideo vnumquemque nostrum sacra Scriptura benigne præmonet: ne tardaueris conuerti ad Deum &c.* Dicit etiam B. Dauid: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Et B. Isidorus de summo bono: *Qui vult de remissione peccatorum securus esse in hora mortis; faciat pænitentiam cum sanus est, & tunc iniquitatem suam plangat. Sed qui male vixit, & pænitentiã in hora mortis agit, certum est, quod in summo versetur periculo. Quemadmodum enim eius damnatio est incerta, sic salus illius est dubia.*

Fulgent.

Isidor. de sum. bon.

Discursus XXX.

De nimiâ præsumptione, seu potius de tentatione Dei.

2 Cor. 1.



D. Paulus 2. ad Cor. 1. declarat Deum velle, *ne simus fidentes in nobis, sed in Deo.* Verum multi nimiũ confidunt in Deo, adeo vt magis eum videantur tentare, quam licitè in eo sperare. Vnde tractabo, quatenus Deus tentetur contra spem.

Eccles. 18.

1. Ecclesiasticus 18. capite, dicit: *Ante orationem præpara animam tuam, vt nõ sis quasi homo tentans Deum.* Quibus verbis monemur, vt ait Iansenius eo loci, ante orationem pia cogitatione præparandam mentem, vt scilicet cogitemus cum quo nobis sit sermo habendus, atque ob id seponamus, quantum in nobis est, alias cogitationes, vt attento & reuerenti animo ei supplicemus. Deinde vt cogitemus quæ ab ipso nobis petenda sunt, ne indigna illo, & nobis inutilia petamus: præterea vt

 omnem

omnem malam voluntatem deponamus. Hæc qui non facit, est quasi homo qui tentat Deum, hoc est, cum se gerat, quasi is qui Deum sibi placare studeat, cum tamen magis imitatur, qui Deum ad iracundiam prouocat. Simile est quod monet Sapiens in Ecclesiast. 5. cap. *Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo, Deus enim est in cœlo, & tu super terram, idcirco sint pauci sermones tui.* Porrò tentat etiam Deum in oratione, qui temerè Dei potentiam declarari petit, prætermissis ijs, quæ in hominis sunt potestate. *Eccles. 5.*

2. Vnde colligitur tentationem aliquam esse formalem & expressam: aliam tacitam, seu interpretatiuam. Formalis est, quando aliquis aliquid cupit aut petit, vt exploret an Deus sit omnipotens, bonus aut sapiens. Sic Psalm. 77. scribit Dauid de Iudęis quod *tentauerint Deum in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis, & male locuti sunt de Deo, & dixerunt: Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt. Nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? ideo audiuit Dominus & distulit &c.* Similis fuit Exod. 17. cap. vbi populus cum penuria esset aquæ, & siti laboraret in Raphidim iurgatus est contra Moysen, dicens: *Estne Dominus in nobis, an non?* Estque hoc peccatum contra fidem, & contra spem, vti patet vers. 26. vbi causa punitionis grauissimæ dicitur: *Quia non crediderunt in Deo, nec sperauerunt in salutari eius.* Id est, quia non crediderunt nec sperauerunt in Deo, in quem omnino sperare debebant, quia pro illorum necessitate subleuanda mandauerat nubibus quæ super eos in aëre pendebant, easque solo suo iussu rupit, vt essent quasi apertę ianuæ cœli, per quas è cœlo Deus in terras suam diffunderet beneficentiam. Et in modum pluuiæ copiosè descendere fecit super eos manna ad edendum: & panem nouum dedit eis, vtpote qui non è terra, sed è cœlo, atque ex nubibus, quæ natura feraces non sunt, prouenerat. *Psal. 77.* *Exod. 17.* *Vers. 26.*

3. Ad hæc peccatum est diabolicũ, nam is vt exploraret an Christus esset Filius Dei, sustulit illum in pinnaculum templi, & dixit: *Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, Quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedẽ tuum.* Sed responsum accepit à Christo: *Rursus scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum*, videlicet Deutero. 16. Peccatum, inquam exterminio dignum; ob hoc enim Dominus immisit ignem vehementem, qui plurimos murmurantes & tentantes è medio sustulit, vt patet Num. 11. vers. 1. in his verbis: *Accensus in eos ignis Domini deuorauit extremam castrorum partem.* Idque non statim post tentationem, sed postquam populum conuicerat sui peccati, dando illis abundanter carnes per mensem integrum, quas inique petierant. Et nota noxam fuisse tãtam, vt si Deus iuxta merita populũ castigasset, nullus murmurantium & tentantium superstes mansisset. Sed Deus multum remisit de pœna, recogitans fragilitatem humanam. Et hoc est quod ait Psalmista v. 43. & 44. *Et abundauit vt auerteret iram suã, & non accendit omnem iram suam, & recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens & non rediens.* *Matth. 4.* *Num. 11. vers. 1.* *Psal. 77. v. 43. & 44.*

4. Est autem interpretatiua tentatio, quando non intendis tale experimentum sciendi causa, facis tamen aliquid ob alium finem, quod ex se auxilium Dei extraordinarium requirit, illudque temere à Deo exspectas, & expetis: vt si quis vellet abstinere cibo & potu tota quadragesimâ, vt Christum imitetur, persuasus Deum vires præbiturum, nisi diuino instinctu id in animam inducat. Estque contra Apostolum, qui vult obsequium nostrum esse rationabile: sic enim ait ad Rom. 12. *Obsecro vos Fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem rationabile obsequium vestrum.* Talis etiam est, *Rom. 12.*

est, si in graui morbo remedia naturalia spernat, temerariâ persuasione exspectans à Deo sanitatem supernaturali modo. Nam medicina per se etiam à natura est ordinata ad salutem. Scriptum est enim Eccles. 38. *Honora Medicum propter necessitatem, etenim creauit illum Altissimus.* Item, *Altissimus creauit de terrâ medicinam & vir prudens non abhorrebit eam.* Generaliter, quãdo quis cum aperto vitæ periculo, aut graui læsione ordinaria media negligit: homo enim tenetur adhibere media, quæ prudenter adhibere potest; alioquin magis tẽtat Deum, quam sperat in eo. Sic egregiè docet Augustinus libro 22. contr. Faustum cap. 36. & exemplis illustrat Abrahæ, Christi saluatoris, & Pauli, qui ordinarijs medijs in discrimine versantes prius vsi sunt: adscribam eius verba, quibus soluit propositam illic quæstionem; An videlicet Abraham Genesis 20. non melius fecisset præsumendo de Deo suo, ac fatendo coram Abimelech Rege Saram vxorem suam (quam etiam verè dixerat esse sororem) cum Deus absolutè potuisset, & illum & Saram tutari, dicens: *Poterat sanè hoc efficere Deus; quis ita sit demens, vt hoc neget? Sed si interrogatus Abraham, illam fœminam indicasset vxorem, duas res tuendas committeret Deo, & suam vitam, & coniugis pudicitiam. Pertinet autem ad sanam doctrinam, vt quando habet, quod faciat homo, non tentet Dominum Deum suum. Neque enim & ipse Saluator non potuit tueri discipulos suos, quibus tamen ait: Si persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Cuius rei prior exemplum præbuit. Nam cum potestatem habeat ponendi animam, nec eam poneret, nisi eum vellet, in Aegyptum tamẽ infans portantibus parentibus fugit, & ad diem festũ non euidenter sed latenter ascendit, cum alias palam loqueretur Iudæis irascentibus, & inimicissimo animo audientibus, nec tamen volentibus in eum mittere manum, quia nondum venerat hora eius. Non cuius hora necessitate cogeretur mori, sed cuius hora opportunitate dignaretur occidi. Qui ergo palam docendo, & arguendo, & tamen inimicorum rabiem in se aliquid valere non sinendo, Dei demonstrabat potestatẽ: idem tamen fugiendo, & latendo hominis instituebat infirmitatem, vt Deum tentare non audeat, quando habet quod faciat, vt, quod cauere oportet, euadat. Neque enim & Apostolus Paulus desperauerat adiutorium, protectionemque diuinam, fidemque perdiderat, quando per murum in sporta demissus est, vt inimicorum manus effugeret. Non ergo in Deum non credendo sic fugit, sed Deum tentaret si fugere non voluisset; cum sic fugere potuisset. Proinde cum inter ignotos propter excellentissimam pulchritudinem Saræ, & eius pudicitia, & mariti vita esset in dubio, nec vtrumque tueri posset Abraham, veruntamen vnũ horum posset, id est, vitam, ne Deum suum tentaret, fecit quod potuit, quod autem non potuit illi commisit; qui ergo se hominem occultare non valuit, maritum se occultauit, ne occideretur, vxorem Deo credidit, ne pollueretur.* Huc vsque Augustinus.

Eccles. 38. | Aug. l. 22. con. faust. cap. 36. | Deut. 6. Matth. 4. Matth. 10. Ioan. 10. | Matth. 2. Ioan. 7. | Ibidem | Act. 9. | 2. Cor. 11.

Tertiò contingit, quando quis ex curiositate, aut cum periculo scandali petit, aut publicè offert experimentum miraculosum ad confirmationem fidei. Ratio est, quod in priori casu magna sit irreuerentia in Deum, quia agitur cum illo, tanquam cum ludione, aut fautore curiosorum. Sic Herodes Lucæ 23. c. cum missus esset Saluator noster à Pilato ad eum, gauisus fuit valde, *cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audiret multa de eo: & sperabat signum fieri aliquod ab eo*; id est, desiderauit non ad gloriam Dei, sed ex curiositate Christum aliquod miraculum edere, quod ipsius pasceret & delectaret oculos. Verũ Christus, neque miraculo aliquo illum dignatus est; quia ex curiositate signum quærebat; tum etiam quia eius crudelitas non merebatur diuina. Ad hæc de varijs interrogatus illi non respondit, quia Herodi non erat discendi animus: sed tantum curiosa indagatio sciendi forte, num videlicet is esset propter quem aliquãdo eius pater plurimos in Bethleem occidisset infantes; an num ipse esset Ioannes quem paulò ante in carcere

Luc. 23.

decolari iusserat. Aut his similia. Per hæc ostendens quantopere displiceat Deo ex curiositate quid diuinum petere: In posteriori; quia gratis tentatur Dei potentia, & peccatum mortale est, siue quis pro se tentet, siue pro alio.

5. Sed quæres, quomodo id subsistat, cum in sacra Scriptura legantur viri sancti non contenti promissione Dei petijsse signa à Deo, videlicet Abraham Genes. 15. vbi petijt vnde posset scire, quod possessurus esset terram Chanaan, quam Deus suis posteris promiserat obuenturã. Gedeon Iudic. 6. cap. petijt duo signa, vt Deus eum securum redderet, quod Madionitas percuteret. Non obstante quod ex Angelo, Dei personam sustinente, intellexisset se destinatum ad liberandum Israël de manu Madian; neq; etiam quod certioratus esset (per sacrificiũ, igne è petrâ proxima prodeunte, consumptum, dum Angelus tetigisset carnes & panes azymos summitate virgæ, quam tenebat in manu) ipsum vere Angelum esse, non autem aliquem, qui se transformasset in Angelum lucis. Ezechias quoque 4. Reg. 20. c. petijt signum sanitatis sibi à Deo promissæ, ac vitæ ad quindecim annos propagatæ, vt vmbra solis in horologio decẽ gradibus retrorsum verteretur.

Gen 15. Iudic 6. 4. Reg. 20.

Respondeo, prænotandum esse,* veram tentationem, seu formalem, seu interpretatiuam, quando similia à Deo petuntur, sine eius inspiratione, ac iusta necessitate. At Abraham Deo inspirante, ac iustâ necessitate id dictante signum petijt, ergo non tentauit Deum. Audi desuper Caietanum: *Non*, inquit, *increduli nec tentantis Deum fuit illa petitio Abraham, sed consulens ille semini suo, supplicauit pro signo necessario, quo semen suum euidenter cognosceret ac firmè confideret hæreditaturum se terram Chanaan: verebatur enim Abraham ne forte non sibi crederet semen suum testanti, apparuisse sibi Deum, & promisisse se daturum semini suo possessionem illius terræ. Propterea igitur petijt signum ex quo sciret pro suo semine hæredem se institutum illius terræ.* Quod colligitur verum esse, ex eo quod de simili non dubitarit, nec interrogarit; vt rectè notat Rupertus in hunc locum, dicens: *Sicut dixit Abraham: vnde scire possum quod possessurus sum terram hanc? Cur non antea similiter dixit, vnde quod qui egredietur de vtero meo, ipsum sim habiturus hæredem? sed ipsi simpliciter credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Quid enim plus est hæreditatem possidere, quæ iam erat, an hæredem accipere innumerabilem Gentem, quæ non erat? non ergo tanquam incredulus infirmata fide dubitauit: sed tanquam pius pater futuris filijs prouidet, ne forte peccantibus illis pæniteret Deum huius sui promissi: & idcirco in promissione aliquod sibi dari optauit firmamentum fixæ, stabilisque veritatis, & quasi interpositionem iuramenti: nec moratus Deus, quod optabat amicus fidelis, cum petere non auderet, sponte obtulit.* Potuissent enim Iudæi dicere non esse illam Dei promissionem de obtinenda terra Chanaan absolutam, sed conditionalem, & sic illis peccantibus non sortituram effectum.

* tunc esse

Caietan.

Ex his clarum est Abrahamum in hoc non peccasse petendo signum, quin etiam quod potius peccasset non petendo signum: vbi colligitur exemplo Regis Achab Isaiæ 7. vbi ipsi & Iudæis timentibus excidiũ à Syris & Samaritis per Prophetam promiserat opem & liberationem: & quia Achab erat incredulus, impius ac diffidens propheticæ Isaiæ, & Dei auxilio, illi Deus per eundem Prophetam obtulit probationẽ per signum & miraculum in verbis: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra.* Id est, pete in confirmationem Prophetiæ meæ & veritatis quam prædixi, scilicet vos liberandos, & hostes vestros euertendos, signum quod lubet: visne vt scindatur terra, & grandi hiatu infernus pateat an vero vt cœli aperiantur, aut sol stet, vti feci Iosue, rursumque faciam filio tuo Ezechiæ? dic, elige, & faciam quod elegeris. At ipse respondit, *non petam*, idque ex hypocrisi & impie-

Isa. 7.

& impietate, quia à Deo auersus eique diffidens, fidebat dæmonijs, & idola sua statuerat consulere, atque opem Assyriorum implorare, quod Deus indigne tulit: vnde excanduit Propheta, dicens: *Audite ergo domus Dauid, numquid parum vobis est, molestos esse hominibus? quia molesti estis & Deo meo?* Id est, Tu ô Achaz, & vos proceres eius & consiliarij vestra impietate, incredulitate & diffidentia, qua oraculis meis diffiditis, eaque quasi falsa aut vana contemnitis, ideoque signa quæ offero despicitis & respuitis; non tantū mihi, sed & Deo, cuius ex ore loquor, hęcque promitto, molesti, increduli, & iniurij estis, & vt, Septuag. vertunt *agonem redditis.* Quasi dicant, Videmini cum Deo velle colluctari, eumque fatigare & tædio afficere, dum assiduè vestra impietate eum irritatis, & nunc maxime cum eum tam magna vltro promittentem cōtemnitis, quin & falsitatis vel impotentiæ, quasi non possit vos à Rasin & Phacee liberare, tacitè accusatis.

Vers. 14. Demum addit Propheta: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.* Quia tu, ô Achaz cum tuis nō facitis quod debetis; vt occurratis Deo vestro, non creditis Deum vos posse liberare à Rasin; hinc Deus faciet aliquid dignum se, non quod debet, sed quod misericorditer decernit, scilicet dabit lōgè mirabilius & potentius, quam sit hæc liberatio vestra à me hic prædicta, signum potentiæ, bonitatis, & misericordiæ suæ; dabit, inquam, vobis non in persona vestra, quia vos increduli & indigni estis, sed in nepotibus vestris, vt, cum illi hoc signum viderint, scilicet per Christum se liberatos esse ab hostibus longe potentioribus, puta morte, diabolo & peccato, cuius typus est hæc liberatio Hierosolymæ ab inuasione Syrorum, & Samaritarum, tunc credāt me vera prophetasse tam de typo hoc, quam de eius antitypo, puta tam de liberatione hac à Rasin & Phacee, quā de redemptione generis humani à potestate diaboli per Christum.

Quæ omnia conuincunt, necessarium esse aliquando petere signū, & Abraham benefecisse, dum ad instructionem aliorum voluit scire modum, ordinem & tempus implēdæ promissionis; tum ex eo quod Deus illi hæc omnia ostenderit, Genesis 15. vbi prædicit fore quod posteri Abrahæ per quadringentos annos necessario peregrinentur in terra aliena, quin etiam asperrimo seruitutis iugo premantur: sed inde mirabiliter erepti, & insuper hostiū suorum bonis ac spolijs locupletati veniant, ad obtinendam eius terræ promissionem. Tempus autem explēdi huius promissi fore docet post quadringentos annos. Itaque multò ante possessionem eius terræ decessurum Abraham, sed valde annosum & felicem. Causam autē tantæ dilationis esse longanimitatem Dei exspectantis, dum habitatores illius terræ eousque procedant improbitate, atque impietate vt talem tantamque vindictam, & pœnam mereantur.

Similis fere ratio mouit Gedeonem, qui post sufficientem reuelationem Dei, cui ipse iam crediderat, & ex illa fide multa operatus fuerat, duplex signum velleris à Deo petijt. Primò, vt fides ipsius augeretur, & in omni cautione aduersus angelos tenebrarum (qui se in lucis angelos aliquando transformant) cautione sepiretur. Secundò, vt magis confirmatus eiusmodi miraculis, populum audentius & alacrius ad bellum commoueret, ac securum redderet de certa victoria, quæ sine illis mutasset, nec à Deo hanc commissionem procedere credidisset, atque exinde peccatum non fuisse docuit Iudic. 6. cap. Liranus dicens: *Cum petitur signum ex voluntate, ac desiderio, vt manifestetur alijs Dei gloria, tunc non est peccatum.* Iud. c. 6. Liranus.

Confirmatur exemplo Apostolorum, qui Luc. 17. cum Christus docuisset scandala cauenda, & inimicis pœnitentibus semper dimittendum, Luc. 17.

dum dixerunt: *Domine adauge nobis fidem*, id est, perfice & conforta fidem nostram, vt possimus hæc tam ardua præcepta adimplere: nec in eo reprehensi sunt à Christo, sed potius confirmati, quandoquidem respondit: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, diceretis huic arbori moro, eradicare & transplantare, & obediet vobis.* Quasi dicat, si perfectam fidem habueritis non solum hæc mandata adimplebitis, sed etiã quando necessitas postulabit, verbo arbores transplantabitis.

Atque hoc modo etiam Elias 3. Reg. c. 18. non ex dubitatione, sed recta fide, intentione ac necessitate proposuit conditionem sacrificij cõsumendi per ignem de cœlo missum, quando populus nimium ad idololatriam declinabat per Prophetas Baal seductus, & conclusit: *Deus qui exaudiet per ignẽ, ipse sit Deus.* Et euentus docuit propositionem fuisse Deo gratam, quandoquidem igne de cœlo misso sacrificiũ Eliæ consumpsit. Sic enim prius orabat: *Domine Deus Abraham Isaac & Israël, ostende hodie quia tu es Deus Israël, & ego seruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me Domine, exaudi me: vt discat populus ille, quia tu es Dominus Deus, & tu conuertisti cor eorum iterum. Cecidit autem ignis Domini, & deuorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque & aquam, quæ erat in aquæductu lambens. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, & ait: Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* 3. Reg. 18.

Quin etiam tali necessitate existente posset quiuis infidelis, cui alia ratio cognoscendæ veritatis non occurrit bona mente petere miraculũ, vt sciat vtrum doctrina, de qua audijt, sit à Deo. Atque ita narrat Epiphanius hæres. 30. Christum apparuisse cuidam Iudæo, & præcepisse, vt peteret miraculum, & sic crederet.

6. Porro vt his etiam causis subsistentibus eiusmodi petitiones ritè fiant, requirit Suarez lib. 1. de irreligiositate cap. 2. humilem submissionem animi, hoc est; vt homo petens eiusmodi extraordinariam instructionem, ordinarie caueat determinatum signum, vel modum petere, sed solum vt Deus prouideat iuxta dispositionem sapientiæ suæ. Aut si aliquid in particulari petat, caueat id facere cum animo obstinato non parendi, vel non credendi, nisi id fiat; sed cum debita subordinatione ad voluntatem Dei, qualem habebant tres pueri apud Danielem cap. 2. quando Regi responderunt: *Ecce Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis; ô Rex, liberare, quod si noluerit, notum sit tibi, ô Rex, quia Deos tuos non colimus.* Dan. c. 2. Ita enim sperabant miraculosam protectionem Dei, vt parati essent ad credendum etiamsi illam non daret.

Discursus XXXI.

Super eadem verba.

DE CHARITATE.

APostolus post fidẽ, spem, maiorem dicit esse charitatem: Vnde de ea disseram, & primum quid sit.

1. Charitas igitur, vt à nomine incipiam, est virtus diuinitus infusa, vel quã nos diligit Deus, vel quã nos Deum diligimus, propter ipsum, & proximũ propter Deum. Virtus, inquam, diuinitus infusa, vt patet ex Apostolo cap. 5. ad Rom. vbi ait: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris* Ad Rom. 5.

per

per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Quasi dicat, Charitatem non habemus nostro labore, sed solius Dei munere, siue intelligas charitatem Dei nos diligentis, siue charitatem Dei, qua nos eũ diligimus: de vtraque enim loquitur Apostolus.

2. Ad clariorem huius rei intelligentiam nota charitatem Dei duobus modis in Scriptura accipi, nempe priori modo, ad Rom. 8. vbi Apostolus ait: *Quis nos separabit à charitate Christi.* Et iterum: *Neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei,* id est, tam potens & efficax tamque certa & immutabilis est Dei dilectio qua nos ad salutẽ vult prouehere, vt nulla prorsus creatura nos ab ea diuellere possit, faciendo vt ille nos desinat amare. Similis locus est 2. Corinth. 5. vbi Apostolus ostẽdens se contendere, non vt hominibus, sed vt vni Christo, vtpote nos iudicaturo per omnia placeat, dicit; *Charitas Christi vrget nos.* Id est, Charitas, qua Christus homines dilexit, seseque totum ijs impendit, impellit nos vt Christi exemplo & amore idem faciamus, nosque totos hominibus impendamus, vt eos faciamus saluos à morte: ideoque prout eis expedit, nunc mente excidamus, nunc sobrij simus. Ante enim dixerat, *Siue mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis.* q. d. Si nostri obliuiscimur vehementia aliqua aut zelo abripimur, & videmur quandoque amore & contemplatione ebrij & insani, vt Apostoli Actor. 2. v. 13. Et Actor. 26. v. 24. id ad Dei gloriam facimus. Rursum si quasi insani abripimur in laudes ministerij nostri gloriosius diuiniusque de nobis loquentes, aut sobrij sumus in sermone laudibusque nostris, non gloriæ cupiditas nos ad hoc impellit, nec abiectio & pusilitas animi sobrios nos reddit, sed ad vtrumque nos vrget & impellit exemplũ charitatis Christi pro omnibus mortui, vt nempe iam excellentiam ministerij noui Testamenti extollamus propter gloriã Dei: iam vero submissus, vt vos modestiam doceamus.

Rom. 8. — 2. Cor. 5. — Vers. 13. — Act. 26. v. 24.

3. Posteriori modo accipitur Luc. 11. vbi Dominus taxans Pharisæos, quod minutissima legis seruarent, soluendo decimas mentæ, rutæ & olerum, sed grauiora & maiora mandata præterirent, nempe iudicium & charitatem: iudicium quidem nocendo alijs, & rapiendo aliena contra leges iustitiæ; charitatem vero non miserendo proximi, nec eleemosynam pauperi conferendo, dicit: *Præteritis iudicium & charitatem Dei.* De qua 1. Ioan. 3. dicitur: *Qui viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo.* q. d. Is Deum diligere non potest, vt 1. Ioan. 4. expressius declarat, in verbis: *Qui non diligit fratrem suum, quem videt, quomodo Deum quem non videt, diligere potest?* De hac loquitur Augustinus lib. de spir. & litt. c. 32. ita scribens: *Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non quâ nos ipse diligit: sed quâ nos facit dilectores sui: sicut dicitur iustitia Dei, qua nos iusti eius munere efficimur, & Domini salus, qua nos saluos facit; Et Christi fides, qua nos fideles facit.*

Luc. 11. — 1. Ioan. 3. — 1. Ioan. 4. — Augustin.

Nota iterum Apostolum loc. cit. ad Roman. dicere vtramque nobis esse donatam, cum enim rationem daret, quare spes non confunderet, addit: *Quia charitas Dei diffusa est &c.* Quod idem est, ac si dicat Paulus, quod spes non confundat, est quia Dei, in quem speramus, charitas, & liberalitas in nos effusa & perfusa est, quia scilicet iam non per legis, sed per fidei iustitiam accepimus ex Dei charitate Spiritum sanctum, quo sumus effecti diuinæ consortes naturæ, Deo amici, chari, dilecti; ab eoque omnibus gratijs, & virtutibus dotati & ditati. Si autem antequam tales essemus, Deus dedit pro nobis Filium suum in mortem, multo magis iam postquam tales sumus effecti, dabit nobis quasi amicis & filijs suis, tanquam pater amãtissimus, ea quæ speramus & postulamus ab eo, quæque ipse filijs suis promisit.

Rursus iuxta posteriorem modum dicit Apostolus, quod spes nostra nos

nos non fallat, est quia charitas Dei quæ præstat vt eum diligamus, & diligẽdo bona promissa assequamur, diffusa sit in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui nobis ad sanctificationem datus est. Aut clarius; Qui iam dedit nobis charitatem, per quam mereamur bona promissa, certissimè etiam daturus est in charitate perseuerantibus ipsa bona, quæ promisit.

Vt vt est, clarè patet cõtra nostri temporis hęreticos imputatiuę iustitiæ assertores, charitatem Dei, seu illam qua eum diligimus nobis infusam, esse donum nobis inhærens: ita vt vera iustitia induamur seu inhærente, non imputatiua.

4. Secundò est virtus perfectior omnibus virtutibus moralibus, idque ob tres rationes: prima, quia Deum per seipsum proximè & adequatè contingit; secunda, quia est finis omnium Præceptorum iuxta illud Apostoli 1. ad Timoth. 1. *Finis præcepti est charitas de corde puro & conscientia bonâ, & fide non ficta.* Quasi dicat, Finis Euangelij & legis Euangelicæ adeoque finis legis Moysis (quæ ordinat & dirigit homines ad Christi legem & Euangelium) est ducere homines ad charitatem, vt scilicet legem Euangelicam exercendo & practicando acquiramus, vel si acquisita sit, augeamus in nobis charitatem sinceram, quę manat ex corde puro, conscientia bona, & fide non simulata: non autem fabulæ & genealogiæ, quas iusserat Timotheo arguere, quia lites generant, non ædificationem in fide & charitate, quæ finis est legis. Apposite in hanc rem Ambrosius in cap. 13. ad Rom. *Omnium virtutum maxima est charitas, hanc finem esse dixit, id est, perfectionem, consummationem omnium præceptorum: si tamen ex corde puro sit, & bona conscientia. Vera enim charitas non potest malam vitam agere, nec simulatam fidem habere, in quibus omnis lex impletur & Prophetæ.* Chrysostomus vero hom. 2. in 1. ad Timoth. hæc trahens ad mutuam inter fratres charitatem ex cuius defectu existimabat hæreses nasci, hoc ipsum alio modo inculcat, dicens: *Porro ex ea ambitione hæreses nascebantur, idcirco & Paulus cum dixisset, vt denuncies quibusdam non aliter docere: modum etiam suggerit, quo id fieri possit. Quinam vero hic est? Charitas. Quemadmodum deniq; dixit, Finis legis Christus, hoc est, impletio: ita & præceptũ istud charitati coniungitur, atq; ex ea dependet. Medicinæ nempe finis sanitas est: itaque cum adest sanitas curatione multa nihil opus est: etiam si adsit charitas, præceptis non est opus. Charitatem vero cuiusmodi dicit? Synceram, & quæ non verbis tantum, sed quæ ex sententia, & intimo cordis affectu, proximorumque miseratione proueniat.* Tertia, quia imperat cęteris omnibus virtutibus: ita vt sine ea nihil prosint cætera ad salutem teste Apostolo 1. ad Corinth. 13. vbi dicit: *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habuero factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meũ, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

5. Quęres an charitas illa sit pręcepta. Respõdeo affirmatiue & probatur ex loco vlt. cit. D. Pauli, vbi dicit bona opera, etiãsi respiciant Deũ vt fides & martyriũ; aut homines, vt distribuere facultates in pauperes, necessario requirere charitatem ad salutem: tum ex 1. Ioan. 3. vbi dicit: *Qui non diligit, manet in morte.* Seu, sine dilectione Dei & proximi boni quid facientem mortuum manere coram Deo. Ex quibus & alijs locis euidenter sequitur illam esse præceptam, quin etiam præcepta charitatis duo esse generalia, nempe prius de dilectione Dei super omnia; posterius de dilectione proximi, in quibus vniuersa lex pendet & Prophetæ, scriptura apertè pronuntiat. Prius habetur Deuteron. 6. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota fortitudine tua.* Posterius

1. Tim. 1. — Ambr. in c. 13 Rom. — h. 2. in 1. ad Tim. — 1. Tim. — Rom. 10. — 1. Cor. 13. — 1. Ioan. 3. — Deut. 6. 5. — Leuit. 19. 18.

Leu.19.18 Posterius Leuit. 19. 18. *Diliges amicum tuum sicut teipsum.* Christus in Euangelio vtrumque coniunxit, & simul eiusdem necessitatem indicauit Matth.22.12. *Diliges Dominum Deũ tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Hoc est primum & maximum mandatum. Secundum autem simile huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.* Prius præceptum, quod Christus maximum vocat, iubebantur Iudæi scribere in limine, & ostijs domorum suarum, iuxta illud Deuteron. 61.

Matth. 22 v.12.

Deut.61. *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens, & ligabis ea in limine, & ostijs domus tuæ.* Et Deuter 11.20. *Scribes ea super postes, & ianuas domus tuæ, & multiplicentur dies tui & filiorum tuorum in terrâ*

Quorum verborum duplex est expositio vna veterum Iudæorum, qui proprie intelligebant, sicut verba sonant. Itaque apud illos erat consuetudo, vt scriberent legem Dei, in membrana, & affigerent fronti, brachio, fimbrijs, & ostio domus suæ. Hinc Christus Matth. 23. cap. vers. 5. de Scribis & Pharisæis

Matth. 23 ait: *Dilatant phylacteria sua & magnificant fimbrias.* Vbi per phylacteria intelligit membranulas, in quibus lex Dei scripta erat, quas Pharisæi in fronte versus vtramque aurem, & in brachijs circa manus, & in fimbrijs vestimentorum gestabant, vt perpetuo legem Dei ante oculos haberent. Dicta autem sunt à Græcis φυλακτήρια, id est, conseruatoria, quod ad conseruãdam legis memoriam instituta essent.

Altera nostrorum interpretum, qui non intelligũt propriè de externa scriptione legis in membranis, & affictione ad frontem, brachia, & ostia; sed de iugi memoria, & recordatione illius præcepti: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Vt hic sit sensus: Ita cõstantem & continuam illius præcepti habebis recordationem, ac si frontalibus, dextralibus, ac liminaribus inscriptum esset, & tuis oculis perpetuo obijceretur, & obuersaretur. Ita Liranus, Abulensis, Rabanus. Itaq; secundũ hos authores, eadem res semel propriè, semel metaphoricè proposita est. Propriè cum dictum est: *Eruntq; verba hæc in corde tuo, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere.* Metaphoricè, cum additum est; *& ligabis ea, quasi signum in manu tua: eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, & ostijs domus tuæ.*

Hæc posterior expositio passim recepta est. Prior tamen est valde probabilis, & magis accommodata statui Iudæorum; eo quod Iudæi fuerint serui; Christiani sint filij: Illi habuerint externam litteram; hi habeant internum spiritum: Illi fuerint quasi carnales; hi spirituales. Itaque illi per externa, & sensibilia signa debebant instrui, ac doceri de rebus spiritualibus. Sic per mactationem boum & ouium instructi sunt de futura Christi passione: per externam circumcisionem carnis, de interna cordis contritione: per transitum maris rubri, de effectu Baptismi. Ergo verisimile est, quod etiam per externam scriptionem legis & affictionẽ ad frontem, brachia, fimbrias, parietes, moniti fuerint de obseruanda lege. Et ita sentit D. Thomas D.Thom. in 1. 2.q.102.art.6. ad 7. vbi cum alteram nostrorum Interpretũ expositionem proposuisset, postea subdit: *Potest tamen dici, quod, quia populus ille carnalis erat, & duræ ceruicis, oportuit etiam per huiusmodi sensibilia, eos ad legis obseruationem excitari.*

Confirmatur, quia in alijs illum populum huiusmodi sensibilibus signis Dominus instruere solitus est, nempe Deuter. 21. vbi iussit expiari homicidium occultũ per mactationem vitulæ, & per protestationem Magistratus de sua innocẽtia. Cum enim cadauer alicubi inuentum esset in agro aut in via foris, debebant iudices metiri, quot miliaribus &

passibus locus cadaueris distaret à qualibet vicinarum ciuitatum, & vicinissimæ ciuitatis seniores debebant vitulam ducere ad vallem asperam & saxosam, & cœdere in eâ ceruices vitulæ: & sic publica protestatione se purgare, & à criminis vindicta, quod authorem ignorarent. Quæ omnia fiebant ad terrendum rudem illum populum, & absterrendum ab homicidio per externam istius tristitiæ & quasi funeris pompam, perque victimam expiatoriam homicidij, cui communitas tota, cum author esset occultus, videbatur esse obnoxia, quasi tale intra se sustineret membrum, nec satis supra gregem suum inuigilasset. Secundò fiebant hæc, vt Magistratus admoneretur vigilare, sontes persequi & punire, ne vnius culpa prouocaret iram Dei aduersus totũ cœtum Israël, etiamsi prius in inquirendo sceleris authore summam adhibuisset diligentiam. Tertiò vt author sceleris, si inter eos fuisset, proderetur, Deo cadauer faciente cruorem emittere, aut simili modo secundum Dei beneplacitum. Sic Exodi c. 23. docuit populum illum ab oppressione pupillorum abstinere, per inhibitionem coquendi hœdum in lacte matris, id est, non occidendi dum sugeret. Sic enim erudiebantur erga homines humanitate & benignitate vti, dum iubebantur compati pecudibus suis tenellis, & aduersari ac horrere crudelitatem in eas.

Exod. 23.

Leuit. 11. Deut. 14.

Leuit. 11. & Deuteron. 14. varia animantia declarantur à Domino tanquam immunda: præcipitur Iudæis ibidem ab ijs abstinere, idque vt hac ratione scirent se segregatos ab Ethnicis immundis, & instar canum, à Deo, æstimatis, & debere sanctitati studere; à vitijs etiam noxijs abstinere; quorum sus, miluus, vultur & coruus apposita sunt symbola. Vide desuper latè & pulchrè hæc explicantem D. Thomam, 1. 2. quæst. 102. artic. 6. Et plura si velis vide Exodi cap. 21. versu 28. Exodi cap. 22. versu 21. vbi de similibus hoc modo Iudæos instruit Dominus.

Exod 21. v. 28.

Rursum volens instruere Iudæos, qui spem in Ægyptijs & Æthiopibus posuerant, & in eorum ope & copijs gloriabantur, quod ignominiose caperentur, spoliarentur, & vastarentur, iussit Esaiam Prophetam quamuis nobilem è regia stirpe, per triduum nudum incedere per vrbem; vt sic portenderet, quod vastitas Ægypti & Æthiopiæ futura esset, & per triennium duraret. Similiter cum inculcanda erat captiuitas Babyloniæ, iussus fuit in eius signum Ieremias catena lignea ad collum indutus populo illam persuadere. Atqui plura alia per hos aliosue Prophetas simili modo populum edocuit.

6. Quæres, quomodo intelligẽda sint verba: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Diuus Augustinus libro 1. de doctr. Christi capite 22. per *cor* accipit cogitationes, per *animam* vitam, per *mentem* siue virtutem intellectum, quasi hic præcipiat Deus, vt hæc omnia in eum, qui ea nobis contulit, conferamus. Audi eius verba: *Cum ait, Diliges toto corde, ex tota anima, ex tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re velit frui, sed quidquid aliud venerit, in animum illac rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit. Sic enim proximum diligens sicut seipsum totam dilectionem sui, & illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se riuulum extra se duci patitur, cuius deriuatione minuatur.*

D. Aug. lib. 1. de doct. Chri. cap. 22.

Secundò, Diuus Bernardus sermone vigesimo in Cantic. sic exponit: *Mihi,* inquit, *amor videtur cordis ad Zelum pertinere affectionis, animæ vero amor ad industriam, seu iudicium rationis; virtutis vero dilectio ad animi posse referri constantiam vel vigorem.* Quasi dicat: *Dilige Dominum Deum tuum toto & pleno cordis affectu, dilige tota rationis vigilantia, & circumspectione, dilige & tota virtute, vt nec mori pro eius amore pertimescas.*

D. Bern. serm. 20. in Cant.

Tertiò

Tertiò simplicius hæc tria secundum phrasim Hebraicam accipi possunt, vt vnum idemque significent; tantum enim ad maiorẽ energiam, & inculcationem, fit hæc trina repetitio. Nam est consuetudo Scripturæ, quãdo aliquid vult fortiter asserere aut inculcare, id varijs verbis idem significantibus repetere. Sic 4. Reg. c. 20. Isaias ait Ezechiæ. *Præcipe domui tuæ, morieris enim tu, & non viues.* Psal. 6. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Psal. 50. *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato mea munda me.* Et alibi sæpius. Et simili modo dicto loco Deuter. 6. sæpius idem alijs verbis repetitur, vt fortius inculcetur.

4. Reg. 20. Psal. 6. Psal. 50.

Sensus ergo est, quasi dicat, Diliges Deum ex tota voluntate, totoque eius affectu & conatu. Huius rei, & genuini sensus signum est, quod Scriptura ex hisce tribus aliquando tria ponat, aliquando duõ tantum vt cap. 10. Deuteron. *Diliges eum* &c. *in toto corde tuo & in tota anima tua.* Simile est 4. Reg. 23. c. v. 3. Aliquando addit quartam, videlicet, *ex tota mente tua*, vt patet Luc. 10.

Deut. 10. 4. Reg. 23. Luc. 10.

7. Quæres iterum quomodo diligi debeat Deus super omnia in hac vita?

Dico ad huius rei intelligentiam distinguendos esse tres gradus charitatis. Primus & summus est eorũ, qui ita Deum amore prosequuntur, vt sine intermissione per contemplationem & amorem ei inhęreant, quæ perfectio ita solis beatis competit, vt nemo in hac vita, ad eam adspirare queat: vnde de Ioanne Baptista, qui tamen omnibus mortalibus in sanctitate erat prælatus, dixit Christus Matth. 11. *Qui minor est in regno cœlorum, maior est illo.* Ad eundem respexit Diuus Paulus cum ad Philippenses scriberet: *Non quod iam acceperim, aut perfectus sim, sequor autem, si quo modo comprehendam.*

Matth. 11.

Secundus gradus est eorum, qui nullum peccatum veniale committunt, licet ab actu diligendi cessent, quod nemo cum ordinarijs & communibus gratiæ diuinæ subsidijs, seu absque speciali Dei munere in hac vita pręstare potest, aut potuit: vnde D. Augustinus libro de natura & gratia capite 36. cum recensuisset Abel, Enoch, Melchisedech, Abraham, Isaac, Iacob, & alios, ac tandem B. Virginem, quos omnes Pelagiani volebant viribus naturæ vixisse sine peccato, excepit prius Beatam Virginem, *de quâ,* scribit, *propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem.* Et tum de sanctis commemoratis sic pergit: *Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos & Sanctas, cum hic viuerent, congregare possemus, & interrogare vtrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus: vtrum hoc quod iste dicit, an quod Ioannes Apostolus? Rogo vos quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, vna voce clamassent, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. An illud humilius responderent fortasse quã verius? Sed huic iam placet, & recte placet laudem humilitatis in parte non ponere falsitatis. Itaque hoc si verum dicerent, haberent peccatum, quod humiliter faterentur, quia veritas in eis esset. Si autem hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatum, quia veritas in eis non esset.*

August. lib. de nat. & grat. 1. Ioan. 1.

Tertius gradus est eorum, qui ita Deum amore prosequuntur, vt licet nec semper, nec valde assidue adhæreant per amorem actualem, tamen nullam rem Deo & amicitiæ eius anteponunt, sed illum habent sibi propositum, tanquam vltimum suum finem, & hanc perfectionem omnes Christiani colere tenentur, cum omnes teneantur obsequi diuinis mandatis, & peccata mortalia fugere, quibus Deo creatura peruerse anteponitur: & sic hunc sensum maximè intendunt Scripturæ, quæ diligere Deũ ex toto corde, & mandata eius seruare connectũt, vt Exo. 20. v. 6. *Faciens misericordiam his, qui diligunt me, vt custodiant præcepta mea.* Et Deut. 10. v. 12. *Et nunc Israël, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt diligas eum in toto corde tuo & custodias mandata eius.* Et Iosue 22. vers. 5. *Vt diligatis Dominum*

Exod. 20. vers. 6. Deut. 10. v. 12. Iosue 22. v. 5.

Dominum Deum vestrum, & obseruetis Deuter. 11 *mandata illius.* Et Deuter.cap.11.v.1. *Ama Dominum Deum tuum, & obserua* Ioan. 15. *pracepta eius?* Et Christus Ioan. 15. c. v. 10. *Si pracepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Et alibi sæpe. Atq; in eo etiam esse quandam per- 1. Ioan. 2. fectionem docet S. Ioannes cum 1. epist. cap. 2. ait: *Qui seruat mandata eius, in hoc charitas perfecta est.* Et de tali loquitur Christus, Matth. 19. c. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.*

8. Itaque hoc præcepto exigitur ab homine dumtaxat totus & summus amor, non extensiue aut intensiue, sed tantum comparatiue, finaliter & appretiatiue. Primò comparatiue, vt scilicet ita totum cor & affectum des Deo, vt nullam partẽ des Dæmoni aut peccato. Ita Vasquez 1.2.q.4.a.109. Secundò finaliter, vt in genere Deum habeas quasi finem omnium tuarum actionum, eumque vt summum bonum, & finem vltimum, rebus omnibus præferas, vt malis omnes res perdere, quin & vitam tuam, quam Deum, Deique gratiam, quo spectat illud Matth. 10. Matth. 10. v. 37. *Qui amat patrem aut* vers. 37. *matrem plusquam me non est me dignus.* Et Luc. 14. v. 20. *Si quis venit ad me,* Luc. 14. 20 *& non odit patrem suum & matrem, & vxorem & filios, & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam: non potest meus esse discipulus,* q. d. Oportet Deũ omnibus alijs præponere, ita vt nullius creaturæ amore, vel timore velis illum offendere, aut ab illius amicitia recedere. Hoc sensu laudatur Abraham Genes. 22. c. quod, cum haberet vnicum filium Isaac, quem intimè diligebat, eius tamen dilectioni præferret dilectionem Dei. Nam si inter omnes creaturas, nullam tantopere amabat, sicut filium suum vnigenitum; & nihilominus hunc ipsum filium paratus erat offerre Deo in sacrificium, euidens signum erat, eum dilexisse Deum *super omnia.* Tertiò appretiatiue, vt applices totum cor, id est, voluntatem tuam ad eius legi per omnia obediendum, vt sanctæ eius voluntati te per omnia conformes, ac proinde diligas eum pleno amore, non tantum concupiscentiæ, sed amicitiæ. Vnde quod hic dicitur *ex toto corde,* alibi dicitur *ex corde integro* vel *cor eius erat perfectum, & incessit in omnibus mandatis Domini.*

Discursus XXXII.

Quare Deus velit diligi ex toto corde; Quando actus eiusmodi amoris eliciendus, quisue fructus?

Ioan. 15. CHristus in Euangelio videlicet Ioan. 15. dicit: *Si pracepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Quibus verbis insinuat qua via Deũ possis semper habere amicum. Hinc quærã quod in argumento ponitur.

1. Deus omni tempore elegit à nobis perfectionem, quam dixi precedenti Discursu necessariã, nempe Genes. 17. Genes. 17. cum dixit Abrahæ: *Am-* Deuter. 18 *bula coram me & esto perfectus.* Deut. 18. cum per Moysen imperauit toti populo Israëlitico, *perfectus eris absque macula coram Domino Deo tuo.* Matth. Matth. 19. 19. cum dixit: *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Et præcisius Matth. 5. Matth. 5. quando maiorem perfectionem exegit à discipulis, quam Pharisæi seruabant, sub exclusione à regno Dei, sic aiens: *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisaorum, non intrabitis in regnum cælorum,* quod idem est ac si dicat, nisi etiam à peccatis internis, vt iræ illicitæ ac concupiscentiæ abstineatis, non poteritis saluari licet ab actualibus peccatis vos contineatis, & hæc sunt quæ præcipiuntur per dilectionem ex toto corde.

2. Iam quæro cur Deus ex toto corde diligendus sit.

Respon-

Respondeo ob varias rationes. Prima, quia Deus est creator, donator & conseruator ipsius cordis, omniumque bonorum supernaturalium & naturalium, quę in corde totoque homine sunt. Vnde Prouerb. 23. dicit Salomon: *Præbe fili mi cor tuum mihi, & oculi tui vias meas custodiant.* Secunda, quia Deus creauit cor siue mentem ad similitudinem & imaginem suam, & tribuit ei capacitatem quandam infinitam, quæ à nulla re creata, sed à solo Deo impleri & satiari potest: vnde vt satietur gloria Dei, de qua dixit Psalmista: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*, inuitat hominem ad similitudinem Dei factum, vt suum respiciat prototypum, eumque imitetur, tandemque in beatitudine maximè similis ei efficiatur, vidēs ipsum sicuti est. Appositè D. Leo serm. 1. de ieiunio decimi mensis. *Si fideliter atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordium, inueniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, vt imitator sui esset Auctoris, & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo diuinæ benignitatis forma resplendeat. Estote imitatores Dei*, ait Paulus, *sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.* At qui hoc maximè decere Christianum vt Deo rependat, quod illi debet, colligitur ex illo Sapientis Prouerb. 17. *Corona senum filij filiorum & gloria filiorum Patres eorum.* Quibus verbis suadet Salomon in vniuersum filijs & nepotibus bene agere, & generosè conuersari, quo scilicet eorum gloria ad parētes redeat, & rursus parentibus honestè viuere: quia eorum ornamenta & stemmata vicissim ad filios descendunt. Itaque propterea vtrosque, parentes videlicet, ac filios, honestos, & generosos mores colere præcipit, quia non solum de ipsorum agitur gloria, vel dedecore, sed gloria, vel dedecus parentum in filijs, & filiorum in parētibus sita est. Hinc Cyprian. serm. de zelo & liuore: *Si hominibus lætum est, & gloriosum, filios habere consimiles, & tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis paribus soboles subcisiua respondeat: quanto maior in Deo Patre lætitia est, cum quis sic spiritaliter nascitur, vt in actibus eius, & laudibus diuina generositas prædicetur.*

Prou. 23.

D. Leo ser. 1. de ieiu. dec. mens.

1. Ioan. 3.

Ephes. 5. vers. 1.

Prou. 17.

Cyprian de zelo & liuore.

Tertia, quia Deus vti principium, ita finis est hominis, summum & increatum bonū, ac fons omnis boni, quo frui non potest, nisi eum diligat ex toto corde, quia visio beatifica præmium est charitatis, iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 2. *Oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Adhæc non potest in hoc mundo Dei suauitatem experiri, nisi eum diligat. Vnde rectè Venerabilis Beda: *Quisquis Deum non amat, profecto ostendit, quia quam sit amabilis, non nouit: & quam sit suauis Dominus & dulcis, gustare, ac vidare non didicit, qui eius conspectibus placere continua dilectione non satagit.* Alludit ad illud Prophetæ Ps. 33. *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus, Beatus vir qui sperat in eo.* Id est, experimentum sumite, incipite reipsa iactare in Deum omnem sollicitudinem, inhærendo illi dimissis omnibus consolatoribus alijs, & videbis nihil suauius fingi posse, quam animum præditum charitate, conscientia bona, corde puro, fide non ficta, requiescentem in sinu summi boni. Habes rationes, quare Deus ex toto corde diligendus sit, seu nunquam ab eius amore recedendum.

1. Cor. 2.

Ven. Beda.

Psal. 33.

3. At dices, quod non liceat ab eius amore recedere satis constat: Verum quæro, cum hoc præceptum sit affirmatiuum, seu non obligans pro omni tempore, an aliquādo sub mortali obliget actum dilectionis Dei ex toto corde seu super omnia elicere.

Respondeo omnino aliquādo teneri, idque primò post vsum rationis & sufficientē Dei cognitionē actum diligēdi Deum super omnia elicere, id est, vel cū fide diuina vel alia ratione cognoscimus, ipsum esse in se infinite bonū ac amabilē, & nos omnia ab eo habere, totosq; ab eo pēdere, omniaq; nostra ei debere, aliaq; huius-

huiusmodi, quę nos ad eius amorem possunt excitare: adeo vt scienter & aduertenter differens ad notabile tempus, seu ad annũ peccet mortaliter. Ratio est, quod Deo ex vero affectu filiali seruire non possimus, si illum actum in finem vitæ differamus.

Dico secundò, illud præceptum in vita tunc pręsertim obligare, cum quempiã adoriuntur graues de odio Dei tentationes, quibus periculum sit subcumbendi, nisi eliciatur actus amoris Dei super omnia: sicut enim fides & spes tunc obligat, ita & charitas.

Dico tertiò, teneri circa articulum mortis. Ratio est, quod tunc grauissima instent certamina, ideoque homo omnibus modis se teneatur contra ea parare, nec securius sit medium, quam hic actus, si quis velit se periculo damnationis eximere, idque subinde etiam confesso. Ratio est, quia etsi certum sit ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ sufficere attritionem; tamen non semper satis certi sumus nos habere veram attritionem: vnde sequitur eo casu nos etiam expositos esse periculo salutis.

4. Porrò quæres præcisius quem fructum gignat dilectio Dei super omnia.

Ioan. 15. Respondeo variũ & primo, quod nos constituat amicos, imo filios Dei. Primum patet Ioan. 15. c. vbi Saluator noster discipulis suis ait: *Vos amici mei estis, si feceritis ea, quæ præcipio vobis.* Magnus sane thesaurus, Sap. 7. de quo Sap. c. 7. ait Salomon: *Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui* 1. Ioan. 3. *vsu sunt, participes fiunt amicitiæ Dei.* Posterius patet 1. Ioan. 3. c. vbi ait: *Videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus.* q. d. Seriò attendamus & expendamus, quæ à Deo donata sunt nobis, illud præcipue donorum omnium maximum, & ex singulari Dei erga nos profectum, vt nos dici, & reuera esse filios suos voluerit, non quidem naturâ; sed adoptione & gratiâ, finis eius est vt calcar addat ad melius in diuino officio procedẽdum, hinc Matth. 5. cap. dicitur: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri.* Matth. 5. Magna sane res: Vani enim ac stulti Gentiles nullum magis honorificum titulum repererunt, quam se Ioue alioue Deo ortos vel oriundos dictitarent. Iure ciuili adoptantur, & arrogantur alienæ personæ in filios, ab ijs potissimum, qui filios non habent. Sola Deum charitas impulit, vt adoptaret, & optaret nos filios suos, vt arrogaret, & rogaret, voluntatemque nostram interrogaret, vellemusne ipsum patrem. Non erat sine filio, & quidem tali, vt alieno solatio non egeret. Spiritus sanctus, qui charitas accõmodatè nominatur, *testimonium reddit* huius amoris *Spiritui nostro, quoniam filij Dei sumus.* Rom. 8. v. 16. Hoc perpendens D. Leo serm. 1. de Natiuit. Christi, inquit: *Agnoscat Christianus dignitatem suam, & diuinæ consors factus naturæ, in pristinam caueat redire vilitatem.* Leo serm. 1. de Nat. Christi.

5. Secundò, facit nos nihil timere aduersi, quia vt inquit S. Ioannes: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem.* Apposite Ambrosius in hanc rem serm. 9. in Psal. 118. *Generaliter quidem*, ait, *charitas excludit timorem, vt miles qui Imperatorem diligit, bella pro Imperatore suscepta non metuit, vt seruus amans Dominum, quamuis per dubia & prærupta mittatur, tamen omnia pericula domini amore contemnit, ac si quis Dominum petat, seipsum offerre non trepidat: vt qui trans mare positos filios, videre desiderat, non metuit naufragia, liberorum charitate ingreditur maris fluctus, subit incerta nauigij, sed metum discriminis leuant desideria filiorum. Quam pulchrè etiam de martyribus dicitur, qui verè militãt Christo, qui persecutiones, vngulas, gladios, incendia non timentes, infestis se Regibus obtulerunt.* Ambrosius serm. 9. in Psal. 118. Rom. 8. Adhæc facit aduersitatem non esse sine fructu. Ea enim de causa hortatus est Apostolus Romanos vt animose & lęto animo afflictiones & ærum-

& ærumnas huius vitæ paterentur, ob quas gemebant & suspirabant ad cœlum, inquiens c. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* Quærit S. Augustin. lib. de grat. & libero arbit. cap. 27. *Quid est omnia?* Et respondet, *nisi & ipsas terribiles, sæuasque passiones? Sarcina quippe illa, quæ infirmitati grauis est, leuis efficitur charitati. Talibus enim Dominus dixit esse suam sarcinam leuem, qualis Petri fuit, quando passus est pro Christo, non qualis fuit quando negauit Christum.* D. Bernardus & prædicta vult cooperari in bonum, & peccata, sic dicens serm. de fallacia pręsentis vitę: *Neque enim ad voluntatem seruiunt, sed ad vtilitatem: non ad voluptatem, sed ad salutem: non ad votum, sed ad commodũ nostrum. Vsque adeo siquidem in hunc modũ omnia nobis cooperantur in bonum, vt inter hæc omnia, etiam ea, quæ nihil sunt, numerentur: molestia, morbus, & ipsa mors etiam, & peccatum: quæ quidem constat naturas non esse, sed naturæ corruptiones. An vero ei peccata ipsa non cooperantur in bonum, qui ex eis humilior, feruentior, sollicitior, timoratior, & cautior inuenitur.*

Augus. lib. de grat. & lib arbit. cap. 27.

D. Bern. de fallac.

Tertiò reddit opera nostra meritoria vitæ æternæ: licet enim Deus pactum nobiscum inierit de denario diurno Matthæus 20. cap. tamen bonum opus meritorium esse non potest vitæ æternæ, nisi ex charitate procedat, patet ex verbis Christi Ioan 14. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*, In qua manifestatione beatitudinem sitam esse idem Dominus testatur, cum ait Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et quia sine charitate, vt dixi, cæteræ virtutes ad salutem nihil prosunt ex 1. ad Corinthios. 13. Charitas autem plurimum efficiat, sitque forma & regina virtutum, hortatur ibidem Apost. ad charitatem dicens: *Charitas patiens est, benigna est, omnia credit, omnia sperat, &c.*

Ioan 14.

Matth 5.

1. Cor. 13.

Demum hac de causa videtur Apostolus ad Colossen. 3. charitatem vocare vinculum perfectionis, quod eâ existẽte omnia sint sarta & tecta; eâ deficiente, & omnia corruant. Pulchris similitudinibus hanc rem illustrat Chrysostomus hom. 8. ad Colos. explicans verba Pauli loci cit. *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Quod vero*, inquit, *dicere vult, hoc est: nihil illa proderunt, peribunt enim omnia, nisi cum charitate coniuncta fuerint: ista cõstringit, & complectitur omnia. Quodcumque bonum dixeris, nisi adsit charitas, nihil est, sed plane diffluit. Et Quemadmodum in naui etiamsi magna sint instrumenta, nisi fuerint subligacula, nihil proderunt. Et in domo nisi sint colligationes, & contignationes, & in corpore etiam si magna sint ossa, si non fuerint vincula & compagines, nihil proderunt. Ita quæcumque quis habuerit rectè facta, inania erunt omnia, nisi sit charitas: non dixit, quæ fastigium est, sed quod maius est, quæ vinculum est. Necessarium magis est hoc quam illud. Nam fastigium quidem perfectionis est auctio & intentio, vinculum vero conseruatio eorum est, quæ perfectionem efficiunt, tanquam radix quædam.* Adde his, præmium charitatis dici in scripturis vitam æternam, nempe Iacob. 1. in verbis: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit recipiet coronam vitæ, quam promisit Deus diligentibus se.* Et 1. ad Corinth. 2. Apostolus. *Oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se.*

Colos. 3.

Chrys. hom. 8 in cap. 3. ad Colos.

Iacob. 1.

1. Cor. 2.

Discursus XXXIII.

An diligere, seu eius legem seruare sit possibile.



Hristus Dominus Ioan. capite 14. *Si quis diligit me sermonem meum seruabit.* Quę verba licet satis clare exprimant iusto possibile esse seruare Dei mãdata, nihilominus tum Nouantes, tum frigidi Catholici quique suo modo volunt mandata Dei esse seruatu impossibilia. Quapropter ad hæresis destructionem, frigidorum Catholicorum confusionem, & iustorum cõfirmationem discutiam. quod in argumento ponitur.

Ioan. 14.

1. Ioannes Caluinus in Antidoto Conc. Tridentini sess. 6. capite 12. audacter enuntiat impossibile esse legem Dei seruare & neminem extitisse vnquam, qui legi Dei satisfecerit, nec vllum posse inueniri, imo vult Apost. Petrum Act. 15. sui erroris facere authorẽ: quia dicit Iudęos leges cæremoniales vet. Testamẽti non potuisse portare; ex illis enim verbis dicit eum significare, *impares fuisse ab initio vniuersos mortales legis obseruationi, hodieque esse.* Et paulo post inquit: *Ne cauillentur Tridentini Patres, de carnis infirmitate id esse dictum vbi abest auxilium Spiritus; Prophetas & Patriarchos & pios Reges vtcumque Dei Spiritu adiuuarentur, ferendo legis iugo pares fuisse negat: nec ambiguè pronuntiat impossibilem fuisse legis obseruationem.*

2. Sed vt obstruamus os loquentium iniqua, dico nihil certius esse, quam legem Dei seruatu esse possibilem per eiusdem Dei gratiam. Probatur primò, quia Christus iubet ea seruare Matth. 19. dicens: *Si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Et Matth. 5. maiorem perfectionem à nobis postulans, dicit: *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisaeorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Quibus verbis hoc agebat, vt non tantum externo opere seruaremus mandata legis, sicut Pharisęi seruabant, sed etiam interno affectu & proposito: adeo vt omnino vellet discipulos suos non tantum non occidere, sed nec irasci, non tantum non mæchari, sed nec mulierem concupiscere. Hoc autem non faceret, nisi lex esset possibilis seruatu; eo magis quia Christus hoc iussit sub pœna priuationis regni cælorum. Hinc rectè Augustinus serm. 61. de tempore, respondens ijs, qui dicunt se non posse inimicos diligere, inquit: *In omnibus scripturis Deus tibi dicit, quia potes, tu è contrario respondes non posse: considera nunc, vtrum Deo an tibi debeat credi, & ideo quia veritas mentiri non potest; iam vanas excusationes suas relinquat humana fragilitas, quia nec impossibile potuit aliquid imperare, qui iustus est, nec damnaturus est hominem pro eo quod non potuit vitare, qui pius est.*

Matth. 19.

Math. 5.

August. serm. 6. de temp.

Probatur secundò, quia Christus declarat Matth. 11. præcepta sua esse leuia, in verbis: *Tollite iugum meum super vos, &c. iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Quod idem est ac si dicat: Iugum meum non est iugum hominis crudelis, quale solent huius mundi Reges suis populis imponere, sed benigni, suauis & clementis patris: vocat autem iugum suaue respectu præceptorum veteris legis, ob tres potissimum causas. Prima, quod in Euangelio non sint præcepta præter ea quæ sunt ad salutem necessaria, & quæ natura ipsa docet, qualia sunt præcepta Decalogi: in lege vero Moysis infinita sunt præcepta, non vt ad salutem necessaria natura sua, sed vt sæuiore disciplina rudem populum exercerent. Quo spectant verba Petri Apostoli Actor. 15. dicens: *Quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque*

Matth. 11.

Act. 15.

Patres

Patres nostri, neque nos portare potuimus, nempe facile.

Altera ratio est quod in lege omnia fiebant vi, quæ res leuissimas grauissimas reddit: in Euangelio vero omnia charitate & voluntate fiant, & nihil graue ac difficile sit volenti. Vnde 1. Ioannis 5. dicitur: *Hæc est Charitas Dei vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt.* Hinc D. Augustinus libro de nat. & grat. c. 69. *Omnia facilia sunt charitati, cui vni Christi, sarcina leuis est, aut ea vna est sarcina ipsa quæ leuis est. Secundum hoc dictum est: & præcepta eius grauia non sunt, vt cui grauia sunt, consideret non potuisse diuinitus dici, grauia non sunt, nisi quia potest esse cordis affectus, cur grauia non sunt.* Et nonnihil post. *Quomodo est enim graue, cum sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit, & graue est: aut diligit & graue esse non potest.*

1. Ioan. 5. Aug. de natur. & grat. c. 69.

Tertia ratio est, quod lex onerabat, non iuuabat: in Euangelio vero vna cum onere spiritus detur, qui adiuuat infirmitatem nostram: vti ait Paulus ad Rom. 8.

Probatur tertio, quia gratiam illam, tum Veteribus, tum nobis quantũuis obduratis promisit, nempe Deuteron. 30. vbi Moyses promittens Iudæis, quod Deus casu quo eius præcepta seruent, eos liberabit à quacumque tribulatione, dicit: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere.* Id est, quod Deus cor obduratum sceleribus & intractabile circumcidet, vt eum valeant diligere, seu eius præcepta perfectè obseruare. Et Ezechielis 36. cap. vbi Propheta ingentia dona describit, quæ Ecclesiæ & cuique fideli ac iusto promittit Deus, & inter alia, quod spiritum suum dabit ad obseruãdum mandatum remoto duro ac in vitijs obfirmato corde, in verbis: *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis.*

Deut. 30. Ezech. 36.

Matth. 7. 3. At dices Christus Matth. 7. angustam asserit, & arctam viam quæ ducit ad vitam. Et Matth. 11. *A diebus Ioannis Baptistæ vsque nunc regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Hæc enim non videntur congruere cum iugo suaui & onere leui. Et Caluinus loc. cit. dicit mandata Dei grauia non dici à S. Ioanne, non quia homines illam seruare possunt; sed quia Deus facile peccatis contra legem indulget, dicens: *Illam mihi veniæ spem tolle, & minimum legis mandatum erit onus Aethna grauius.* Matt. 11.

4. Respondeo quoad priorem locum viam arctam dici, non quod lex Dei sit seruatu impossibilis: sed primo quia pauci illam intrant comparatione eorum, qui ambulant viam iniquitatis. Secundo consideratione habita ad ipsam virtutis naturam, quæ nos concludit arctis quibusdam iustitiæ legibus, & virtutes ita inter se vult connexas, vt qui delinquit in vno factus sit omnium reus, vt ait Iacob. 2. *Quicumque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno factus est omnium reus.* Tertio respectu carnalium & terrena quærentium, quibus iugum Christi durum videtur, quod alijs facile & suaue propter amorem Dei & fidem cœlestium præmiorum. Hoc sensu dixit Paulus ad Rom. 9. *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et 2. ad Corint. 4. *Quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Sic idem Apostolus illa, quæ veteres illi Sancti perpessi sunt, gladios, ignes, & cætera, quæ narrat, eiusmodi, quamuis per se grauia, leuia tamen illis fuisse dicit, quia *aspiciebant*, inquit, *in remunerationem*, Hebr. 11. v. 26. Sic ipsemet, cum plus Pseudo-apostolis laborasset *in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortuis frequenter*, 2. Cor 11. omnia tamen propter Christum leuissima dixit, quia, quæ retrò erant oblitus, in anteriora sese extendebat persequens brauium supernæ vocationis Dei in Christo,

Iac. 2. Rom. 6. 2. Cor. 4. Heb. 11. v. 26. 2. Cor. 11.

Philip. 3. Christo, vt ait Philipp. 3. Et hac de
Ioan. loco citat. causa Ioannes cum loc. cit. dixisset: *Mandata eius grauia non sunt*, subiecit: *Quia omne quod natum est ex Deo vincit mundum, & hac est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Per quæ satis declarat, quibus & quatenus Dei præcepta sunt facilia, nempe natis ex Deo & credentibus, qui per fidem cœlestium bonorum, omnia quæ sunt huius mundi bona facilè contemnunt, & arbitrantur vt stercora, vt Apostoli verbis vtar loco postremo citato. Hæc quoad priorem locum.

5. Quoad posteriorē locum dico eum non suffragari hæreticis aut frigidis Christianis: non enim dicit Christus mandata Dei esse seruatu difficilia cum eius gratia: sed laudat Ioannē, quod ipse prius regnum cœlorum prædicauerit, idque cum tanto fructu, vt plerique audita prędicatione regni cælorum auidè cupierint, & contenderint prædicatum regnum cœlorum obtinere. Ad illum modum, quo merx aliqua noua dicitur vim pati, quando ad eam turmatim magna mercantium multitudo accurrit, vt quasi vi irruat in mercem illam desideratam, & quisque alium præuertere studeat, præ desiderio: adeo vt Christus hic metaphoricè locutus sit. Rursum dicitur vim pati, quia regnum cœlorum nobis per naturam non competit, sed est supra nostram naturā, & alienum à nobis, vt ob id non possit, nisi vi quadam à nobis obtineri.
D. Hieron. Vnde sic scribit Hieronymus: *Grandis est violentia in terra nos esse generatos, & cælorum sedem quærere, & possidere per virtutem, quæ non tenuimus per naturam.* Et B. Ambrosius sermon. 15.
Ambrosius serm. 15. *Beata*, inquit, *violentia, quæ vim patienti bonitatem elicit, & vtilitatem tribuit inferenti.* Et paucis interiectis. *Vis admittitur & religio propagatur, quisquis enim violentior Christo fuerit religiosior habebitur à Christo: aggredimur ergo in itinere Dominum, siquidem ipse est via, & more latronum suis eum spoliare nitimur, cupimus illi auferre regnum, thesauros & vitam; sed ille tam diues & largus est, vt non adimat, non resistat, & cum omnia dederit, nihilominus ipse omnia possideat.* Vis videre id armis spiritualibus seu bonis operibus Deo adiuuante factis, fieri, audi Ambrosium loc. citat. *Aggredimur,* Ibidem.
inquam, illam non ferro, non fuste, non saxo, sed mansuetudine, bonis operibus, castitate. Hæc sunt arma fidei nostræ, quibus in congressione certamus: vt autem his armis vti in vi inferenda possimus, ante corporibus nostris vim quodammodo faciamus, expugnemus menbrorum vitia, vt virtutum præmia consequamur. Prius enim ipsi regnare debemus in nobis, vt regnum possimus diripere Saluatoris.

6. Quantum ad Caluinum attinet plane insulsum est, nam scopus D. Ioannis plane contrarium reuincit: non enim loquitur de remissione culpæ, sed de executione mandatorum Dei, eamque facilem esse asserit. Quod ipsum confirmatur clarissimè exemplo eorum, qui leguntur in sacra Scriptura Deum dilexisse super omnia seu ex toto corde. Primò occurrit Abraham, qui
Genes. 22. Genes. 22. præferens dilectionem Dei filij vnici Isaac, quem intimè diligebat, testimonium habet Dei: *Nunc cognoui quod timeas Dominum* (id est, diligas Dominum) *& non pepercisti vnigenito filio tuo propter me*, quia videlicet Deo iubente ilico paratus fuerat eundem ipsi offerre in sacrificium. Occurrit Dauid, de quo
Ecclesiast. 47. dicit Sapiens Ecclesiast. 47. *De omni corde suo dilexit Deum.* Immo Deus
3. Reg. 14. ipse testatur cum 3. Regum 14. mediante vxore, Ieroboamo Regi per Prophetam exprobat perfidiam intolerandam, & duros annuntiat exitus, tam ipsius familiæ, quam populo, qui ad eius imperium nefariam religionem amplexus erat, dicens: *Non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo.* 4. Reg. 23. 4. Reg. 23.
etiam Iosue Regis laus sic exprimitur: *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominū in toto corde suo, & in tota anima sua, & in tota virtute sua iuxta omnem legem Moysi.* Rursum Dauid

Dauid protestatur, Dei gratiâ, se hilariter Dei legem seruasse, cum dicit Ps. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Et Ps. 17. cum magnificè de sua iustitia esset locutus, ostendit vnde habuerit iustitiam & alia dona, & hinc Deum maxime laudat, quod ab illo sit lumen, & fortitudo & omnia bona, dicens: *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine* (id est, interiorem oculum cordis mei) *Deus meus illumina tenebras meas*, id est, illuminare perge, quia nempe sine gratia tua illustrante, quod attinet ad supernaturalia mysteria, meræ sunt tenebræ in corde meo. Et prosequitur, quod ad hanc rem facit: *Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.* Id est, fretus auxilio tuo superabo omnes tentationes, omnia mala vitabo, & cuncta quamuis difficilia potero, quale est transcendere altissimum murum. Certè hoc modo locutus est etiam Paulus ad Philipp. 3. dicens: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Vbi dicit Apostolus se per Dei gratiam scire non solum ferre penuriam, ferre & abundantiam, scire in illa non tristari, non deijci, paucis esse contentum; in hac non dissolui, non deliciari, sed quæ supersunt in pauperes conferre; sed omnia etiam posse Deo corroborante cum suggerit animæ, menti, voluntati vires gratiæ suæ. Et quia huiusmodi plura sunt exempla, quæ Nouantes condemnant, & tepidos ac frigidos merito desidiæ conuincunt, hunc in modũ loquitur Augustinus serm. 61. de tempor. *Quid tergiuersamur in cassum, nemo enim quantum possumus melius nouit, quam qui nobis ipsum posse donauit, tot viri, tot mulieres, clerici, pueri, tanta & tam delicata puellæ flammas & ignes, & bestias æquanimiter pertulerunt, & nos stultorum hominum conuicia dicimus, tolerare non posse, quæ nobis malorum hominum nequitia inferuntur; si possumus, etiam vsque ad mortem illorum nostras iniurias vindicamus: Vnde nescio qua fronte, vel qua conscientiâ cum omnibus Sanctis in æterna beatitudine partem habere desideramus, quorum exempla sequi in rebus minimis non acquiescimus.*

Psal. 118. | Psal. 17. | Philip. 3. | August. serm. 61. de temp.

7. Sed dices, Caluinus vt sententiam suam probet de impossibilitate legis seruandæ allegat Scripturam, 3. Reg. 8. Et Psal 143. Et ex ijs argumentatur hoc modo. *An Spiritum sanctum arguemus mendacij, qui vniuersos, non vnius tantum sæculi homines transgressionis reos peragit: sed quotquot in fine mundi futuri sunt? Non est homo super terram, inquit Salomon, qui non peccet. Dixerat autem Dauid, non iustificabitur in conspectu tuo vllus viuentium. Si possibile est aliquem inueniri, qui legem impleat, retractet Spiritus sanctus hæc oracula. Sed absit, vt diabolica hominum superbia æternum veritatis authorem faciat mendacem.* Audistis hominem sine ratione insanientem, & veteres hæreticos imitantem, qui teste Vincentio Lerinense peruersa sua dogmata solent Scripturæ verbis adumbrare: sic enim ait cap. 35. *Lege Pauli Samozateni opuscula, Priscillani, Eunomij, Iouiniani, reliquarumque pestium cernas infinitam exemplorum congeriem propè nullam omitti paginam, quæ non noui ac veteris testamenti sententijs fucata & colorata sit.* Iam videamus quam vafre populo illudat, & vt diabolus Christum, scripturarum testimonijs appetat, & quomodo ex arce Catholica in hæresios barathrum infelices animas conetur præcipitare. Locus enim prior ex 3. Regum 8. non habet illum sensum, quem Caluinus intendit, nec etiam quod illi suffragari possit: sed quod rari homines sint, qui non peccent aliquãdo mortaliter vel venialiter, vt patet ex simili scriptura Ps. 115. vbi Dauid dicit hoc sensu: *Omnis homo mendax*, id est, raro est homo, qui non vel mortaliter vel venialiter mentiatur. Quid hæc ad rem? Alter locus ex Psal. 143. multo minus probat intentum Caluini: quia Dauid v. 1. petierat ex promissione & fidelitate Dei remissionem peccati: tum v. 2. aliam rationem addit ex conditione & fragilitate generis humani: dicens: *Non intres in iudiciũ cum*

3. Reg. 8. 46. | Ps. 143. 6. | Vincent. Lerin. c. 35 | 3. Reg. 8. | Psal. 115. | Ps. 143.

cum seruo tuo, id est, Noli mecum iudicio contendere, neque enim resistere audebo, neque me iustum dicam, sed peccatum quod commisi, confitebor: *quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*, id est, quia non ego solus, sed omnis viuens cadet causa, si tecum iudicio contendere voluerit. Quid hęc ad intentum Caluini.

8. Verum enim verò libet technas Caluini magis detegere & locũ hunc penitus enucleare, & ad oculum demonstrare, de quibus sane intelligi possit prędictus locus. Dico itaque intelligi posse primò de viuentibus peccatoribus; secundò de iustis in via; tertio de iustis in patria. Ac primò peccatores, vt homicidę, adulteri, fornicarij, inuidi, & similes poterunt quidem iustificari coram hominibus, apud quos aliorum crimina sæpe occulta sunt, vel iuridice probari non possunt: sed in conspectu Dei non iustificabuntur, quia Deus videt corda, & consciẽtias, & ex ipsius conscientiæ testimonio conuincet eos.

Secundò de ijs, qui iusti sunt, sed adhuc in via, non iustificabuntur in conspectu Dei, quoniam non audebunt se iustificare, sed cum Apostolo dicent. 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, qui enim iudicat me, Dominus est.* Fortasse enim ille videt in me, quod ego non video. Et cum Iob capite 9. dicere debeo: *Si habuero quidpiam iustum, non respondebo, sed meum iudicem deprecabor.* Item non iustificabuntur *in conspectu Dei*, quoniam intelligunt iustitiam suã, non à se acquisitam, sed à Deo donatam esse, & ideo non se iustificabunt coram Deo, quasi ex se iusti sint, sed gratias agent iustificatori suo. Denique non iustificabuntur *in conspectu Dei*, quoniam etiam si iusti sint, quia criminibus carent, tamen etiam peccatores se esse intelligunt, quia peccatis quotidianis non carent, & dicunt cum alijs Sanctis: *Dimitte nobis debita nostra* Mat. 6. *Et si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* 1. Ioan. 1.

1. Cor. 4. Iob. c. 9. Matth. 6. 1. Ioan. 1.

Tertiò de ijs qui iusti sunt in patria, & criminibus & peccatis non solum carent, sed etiam inquinari non possunt, non iustificabuntur *in conspectu tuo*, tum quia iustitiam suam non sibi tribuunt, sed Deo, à quo illam habent, tum quia tanta est puritas Dei, vt comparatione eius omnis alia iustitia iniustitia videatur: *Stellæ* enim *non sunt mundæ in conspectu eius*, Iob 25. Iob. 25.

His tribus modis rectè explicari potest locus prædictus: sed vt Caluinus intendit, nulla ratione explicari potest: alioquin Dauid sibi ipsi contradiceret, cum alibi contrariũ asserat, videlicet Ps. 17. vbi se vere iustum declarat, ita vt retributionem à Deo exspectet, in verbis: *Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi, quia*, inquit, *custodiui vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo: & ero immaculatus cũ eo.* Et Psal. 118. de omnibus iustis dicit: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Quod frustra diceret si nullus posset legem Dei seruare; atque adeo verba intelligenda sunt de iustis in via. Et similitudine illustrari potest, quod ita se habeat iustitia Dei increata, & infinita, ad hominum iustitiam, vt iustitia esse non videatur, quemadmodum lux lucernæ, aut etiam thædæ coram sole non lucet. Et sic sanctissimus Iob etiam locutus est, cap. 4. *Nunquid* ait *homo Dei comparatione iustificabitur?* & capite 9. *Vere scio quod ita sit, & quod non iustificabitur homo compositus Deo.*

Psal. 17. Psal. 118. Iob c. 4. Cap. 9.

Hinc euidentissime liquet Caluinum, cum nouè dicit, simul dicere noua, quod alienum debet esse ab interprete Scripturarum iuxta illud Lerin. c. 27. *O Timothee, ó Sacerdos, ô Tractator, ó Doctor, si te diuinũ munus idoneum fecerit, ingenio exercitatione, doctrina, esto spiritalis tabernaculi Beseleel, pretiosas diuini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adijce splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur te exponente illustrius, quod antea obscurius credebatur. Per te posteritas* Lerin. c. 27.

ritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur: eadem tamen quæ didicisti ita doce, vt cum dicas nouè, non dicas noua.

Discursus XXXIV.

An in iustis charitas augeri possit.

Cap. 1. Postol. Paulus optat Philippensibus vt abundent tam in charitate, quam in scientia seu fide & doctrina Christiana, dicens: *Hoc oro vt charitas vestra magis ac magis abundet, in scientia & in omni sensu.* Et rectè, quia hoc est officium hominis iustificati de virtute pergere in virtutē. Quod iam probandum est.

1. Ratio huius inquisitionis est duplex, prior propter hæreticos, qui omnes voluerūt iustos, esse æqualiter iustos, qualis olim fuit Iouianus aduersus quem scripsit Hieron. lib. 2. contra eundem. Et hoc tempore sunt Lutherani & Caluinistæ, qui negant iustitiam nobis inhęrentem, & hominem in iustitia & sanctitate alijs excellentiorem non magis iustificari nec mereri. Posterior propter fideles, quorum socordia fouetur ex eo quod non percipiant, quis fructus Christiano in charitate proficienti accedat.

2. Aduersus hos dico primò officium hominis iustificati esse proprium proficere in virtute. Patet Psalm. 83. vbi Dauid dicit beatum, si non in re, saltem in spe, eum, qui fretus diuino auxilio decernit firmiter in corde suo non hærere in valle, sed ascendere semper magis ac magis per gradus virtutum, donec ad locum perueniat, quem posuit Deus finem omnium laborum, quæ est æterna beatitudo, in verbis: *Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit: in valle lachrymarum, in loco quem posuit.* Et declarans modum quomodo vir iustus ascendens per vallem lachrymarum perueniet ad locum quietis, quem Deus posuit, demonstrat initium esse iustificationem, sine qua lex impleri non potest, medium impletionem legis, quam per abundantem Spiritus sancti gratiam, ita implebit, vt accepta gratiæ benedictione proficiet quotidie in melius, magis ac magis roborabitur, superans omnem difficultatem, & resistens omni tentationi; finem vero esse visionem Dei, idque in verbis: *Etenim benedictionem dabit legislator: ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Quem locum tractans sanctus Gregorius homil. 15. in Ezechielem, sic ait: *Non mirum si de virtute in virtutem gradus sunt, quando ipsa vnaquaque virtus, quasi quibusdam gradibus augetur, & sic per incrementa meritorum ad summa perducitur.* Hoc ipsum clarissime dixit Sapiens Prouerb. 4. sic aiens: *Iustorum semita, quasi lux splendens, procedit & crescit vsq. ad perfectum diem.* Quibus verbis iustitiæ exordia cōparat cum aurora, profectum cum diei progressu, beatitudinem cum meridie.

Psal. 83. — Gregor. hom. 15 in Ezech. — Prou. 4.

3. Dico secundò, hoc ipsum probari per varias similitudines, quæ demonstrant alios alijs esse sanctiores, & maiorem fructum proferre, vt Matth. 13. vbi Ecclesia comparatur terræ, quæ pro varia dispositione alicubi reddit fructum tricenū, alicubi sexagenum, alicubi centenum. Et Rom. 12. & 1. Cor. 12. vbi comparatur Ecclesia corpori humano, in quo sunt varia membra alia subliniora, alia inferiora, alia nobiliora, alia viliora. Ac 2. Timoth. 2. vbi alia non minus apta similitudine dicuntur in domo Dei esse vasa aurea & argentea, lignea & fictilia. Et sine dubio præstantiora sunt aurea, quam argentea, & argentea quam lignea & fictilia. Quo etiam spectat illa similitudo eiusdem Apostoli,

Matth. 13. — Rom. 12. 1. Cor. 12. — 2. Tim. 2.

P 1. Cor.

1. Cor. 3. 1. Cor. 3. de his qui supra fundamẽtum fidei ædificant aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnũ, stipulas. Quod exemplis Scripturæ euidẽtius dignoscitur. Iob enim habet testimonium Dei de illo Sathanę
Cap. 1. dicentis: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra,* scilicet, *simplex, rectus, ac timens Deum.*
1. Reg. 9. De Saule quoque habetur 1. Reg. 9. *Erat ei* (nempe viro de Beniamin nomine Cis) *filius vocabulo Saul, & non erat vir de filijs Israel melior illo.* Ecclesf.
Eccles. 44. etiã 44. de Abrahamo dicitur: *Abraham magnus pater multitudinis gentium & nõ est inuentus similis illi in gloria, Qui conseruauit legem Excelsi.* In quẽ locum
Iansenius. Iansenius: *Huic non est inuentus similis in gloria, tum propter eximiam ipsius fidẽ & sanctitatem, per quã Deo insigniter placuit, tum propter singularia pacta à Deo inita cum illo, & promissiones maximas illi factas.* Et protinus additur: *Qui conseruauit legem Excelsi*, quod eximium quid insinuat, nempe Abrahamum legem naturalem postea scripto traditam conseruasse, & iuxta illã pręcepta quædam ei peculiariter facta, vt de egrediendo terram suam &
Genes. 12. Genes. 17. Genes. 22. Matth. 11. cognationem, de circumcisione suscipienda, de immolatione filij, & alia similia. Matth. vero 11. dicitur de Ioanne: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Quare, nisi quia conceptus miraculo, & sanctificatus in vtero editus in lucẽ sanctius alijs vixerit. Audi si placet
Sermon. de die Natiuitatis Bapt. eius encomium ex Diuo Bernardo: *Considera hominem angelico promissum oraculo, conceptum miraculo, sanctificatum in vtero, & nouum in nouo homine pœnitentiæ minare feruorem. Victum & vestitum* (ait Apostolus) *habentes, his contenti simus. Apostolica perfectio ista est, sed Ioannes hac etiam contempsit. Deniq; audi Dominũ in Euangelio: Venit, inquit, Ioannes non manducans, nec bibens, plane nec vestiens. Sicut enim non est locusta, cibus, nisi aliquorum forte irrationabiliũ animalium, sic nec pilus cameli humanum est indumentũ.* D. Paulus ad Philip. 3. dicit
Philip. 3. se omnia arbitratum vt stercora, vt Christũ lucrifaceret, quibus verbis dicit, quod omnes prærogatiuas Iudaismi, & bona terrena propter Christi gratiam, iustitiam, amicitiã, virtutes ac dona, & tandem gloriam contempserit. q. d. Carnis excellentias, quas recensui, quasq; olim cum Iudæus essem tanto in pretio habui, collegi, seposui velut mercator sua lucra, rarasque merces solet in pretio habere, congregare, seponere: videlicet quod sim circumcisus, quod sim ex genere Israël, quod de tribu Beniamin, quod Pharisęus, quod legis Zelotes, quod iustitiam indies ex legis obseruatione aucupans; has, inquam omnes carnis, id est carnalis Iudaismi prærogatiuas, postquam Christi Euangelij veritatem & dignitatem agnoui, iam præ Christo & propter Christum, habeo vt nullius pretij, imo & damna, puta impedimenta veritatis & salutis à Christo percipiendæ. Rursum propter Christum scientiam Pharisaismum, famam, gloriam, nobilitatem, opes, delicias nihili duco, damna & stercora æstimo: quia Christus est mihi vera gloria, vera nobilitas, scientia, deliciæ, honor, vita, salus & omnia. Denique his non contentus dixit se needum summam perfectionem apprehendisse, sed adhuc currendo persequi.

His adde in hoc sæculo duplicem esse viuendi modum omnibus Catholicis cognitum: vnus, quo quis præcepta Dei sola seruat; alius quo quis etiam conseruat Euangelica consilia. De vtroque sic Eusebius Eusebius
lib. 1. demonstrationis Euangelicæ l. 1. demon. Euang. c. 8.
cap. 8. *In Ecclesia Dei duo modi viuendi sunt instituti. Alter quidem naturam nostram, & communẽ hominum vitæ rationem excedens, non nuptias, non sobolẽ, non substantiã, non opum facultatem requirẽs, & soli diuino cultui, ex immenso rerum cælestium amore addictus, & talis quidem extitit in Christianismo perfecta vitæ modus. Alter vero remissior atq; humanior, hic & modesto coniugio, & sobolis procreatione implicatur, & rei familiaris curã assumit, & iuste militantibus quæ sint agenda describit, agros quoq; & mercaturã adiunctã religione non negligit, & his quidẽ secundũ pietatis attributus est gradus.* Quis hic non

hic non videt, tam viros seculares quam Ecclesiasticos alios aliis esse sanctiores, & meras esse imposturas Nouantium de iustitiæ paritate.

4. Sed quæres qua ratione constet iustiores & sanctiores plus mereri. Respondeo hoc satis patere ex multis Scripturæ testimonijs, quæ præmium bonis operibus ex iustitia declarant reddendũ, vt Heb. 6. Iac. 1. Apocal. 2. & alibi. Deinde, quod ad rem facit, patet cap. 3. 1. ad Corinth. vbi Apost. Paulus dicit quod vnusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem, in verbis: *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.*

Heb. 6. Iac. 1. Apoca. 2.

Vt rem melius percipias, Paulus componẽs Corinthianos qui vt pueri inaniter de dignitate ministrorũ contendebant, dum hi suum Paulum, alij suum Apollinem præferrẽt & venditarent, dicit vtrumque esse ministrum Christi, seu instrumenta, per quæ operatur Deus, atque adeo in ipso gloriandum, qui dat incrementum, non in eo qui fidei semina iecit, vt ego, neque qui superueniens ea prouexit: sed in Deo, qui dat incrementum, quod dicit his verbis: *Neq. qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* q. d. Agricola qui plantat & rigat, parum est, parum affert, & quasi nihil præ Deo, nam tantum exterius agit, & quidquid agit, accepit à Deo, agitque vt instrumentum Dei: Deus autem per se interius vt principale agens, operatur; vimque & vigorem crescendi sufficit & suggerit: actio enim tribuitur principali agẽti, & maximè causæ primæ. Rursum idem est ac si diceret. Exterior concio non sufficit ad conuersionem, & vitam spiritualem inchoandam, ac promouendam, nisi Deus peculiari internâ motione auditores afficiat, eorumque corda tangat, vt vitam mutent, vel serio proficiãt in melius. Pulchrè in hanc rem S. Augustinus tractat. 7. in epistol. 1. S. Ioannis: *Ministeria forinsecus*, inquit, *adiutoria sunt & admonitiones: cathedram tamen in cœlo habet, qui corda docet, sic sunt hæc verba, quæ forinsecus dicimus, quomodo est agricola ad arborem: forinsecus enim agricola operatur, quia adhibet aquam, diligentiamque agriculturæ, sed tamen poma non format.* Demum addit verba: *Vnusquisque autem propriam &c.* quod idem est ac si dicat: Integrum laboris præmium habebit quis non secundum fructum quem fecit, sed secundum laborem: quia fructus non est in nostra, sed in manu Dei dantis incrementum. Vnde patet, quod vnusquisque integrum laboris præmium essentiale habebit, ex cõcione, vel instructione sua, licet nullus sequatur fructus; nullus hæreticus, vel peccator conuertatur; imo sępe maius, quia difficilius est, & magis arduum concionari vbi nullus, vel exiguus apparet fructus, quam vbi concioni multi applaudunt, vel ex concione proficiunt.

August.

Huc spectant similitudines Scripturæ quæ exprimunt varietatẽ præmiorum in cœlo, vt Ioan. 14. cap. vbi Christus dicit: *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Quibus verbis insinuat non solum multas esse mansiones, sed varias & inæquales, sicut & iustorum vita inæqualis est. Quod & Paulus exprimit 1. ad Corinth. 15. c. *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* Quod idem est ac si dicat: Sicut alia est claritas solis, alia lunę, alia stellarum, ita pariter proprium, & pro meritis, dispar, Deus cuique beato dabit corpus beatum & gloriosum; vti explicat ibidem Paulus in sequentibus. Accedit D. Hieron. lib. 2. in Iouinianum, vbi citans locum Pauli 1. ad Corinth. 15. *Ego sum nouissimus Apostolorũ: qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiã Dei: gratia autẽ Dei sum id, quod sum: & gratia eius in me vacua nõ fuit, sed amplius omnibus illis laboraui: nõ ego autẽ, sed gratia Dei, quæ in me est.* Immediate subiungit: *Veruntamen in eo, quod se humiliat, ostendit posse Apostolos alios minores, alios maiores esse: & qui vtique vas electionis dicitur, & cunctis amplius laborauit; nõ est iniustus Deus vt obliuiscatur operis eius,*

Ioan. 14. 1. Cor. 15 Hieron. lib. 2. in Iouinian. 1. Cor. 15.

& dispar meritum æquali mercede compenset. Dehinc legimus: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, vnusquisq; autẽ in suo ordine. Quando vnusquisq; in suo resurget ordine, vtiq; diuersa sunt merita resurgentiũ. Non omnis caro, eadem caro; sed alia hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia autẽ piscium. Et corpora cœlestia, & corpora terrestria; sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate. Sic erit & resurrectio mortuorum.

Hebr. 6.

5. Porrò ob hanc rationẽ hortatus est Sapiens fideles ad profectum virtutis Ecclesi. cap. 18. dicens: *Ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniã merces Dei manet in æternum.* Id est, non sinamus nos per curas seculares, amicorum frequentiam, aliàque obstacula prohibere ab augmento iustitiæ, seu bonorum operum, quia merces Dei manet in æternũ. Quod idem est ac si dicat, quod c. 6. Paulus hortatus est Galatas: *Bonum autẽ facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes.* Deinde Ioan. Apocal. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc &c. Ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua.* Vbi Ioannes finem faciẽs suæ Apocalypseos significat adhuc tẽpus superesse ante vniuersam, quæ in Apocalypsi continentur, impletionem, & interim vnumquemq; iustum pro sua libertate posse magis per bona opera sanctificari, vtq; ad bene viuendũ impellat, addit Deum cito venturum ad iudicandum, & mercedem habere in sua potestate, quam absq; mora iustis impertiatur. Deniq; Paulus ad Ephes. 4. vbi monet Ephesianos vt augeant tam bona opera quam fidem, tam sanctam vitã quam dogmata, in verbis: *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Appositè in hanc rem D. Bernardus adducit, quibus hoc ipsum inculcet: *Moueat nos ipsum quoque secularis cupiditatis exemplum. Quem enim ambitiosum vidimus aliquando contentũ adeptis dignitatibus ad alias non anhelare? Sic & curiosi cuiusque non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu. Quid? eorum qui auaritiæ seruiunt, aut amatores sunt voluptatum, seu vanas sectantur hominũ laudes, nonne & ipsorum insatiabilia desideria arguunt nos negligẽtiæ & tepiditatis? Pudeat certe spiritualium nos bonorum minus cupidos inueniri. Erubescat anima conuersa ad dominum, minori affectu sectari iustitiã, quam iniquitatẽ antea sectaretur. Est enim causa valde dissimilis. Stipendium quippe peccati, mors: fructus autem spiritus, vita æterna. Pudeat proinde negligẽtius nunc in vitam, quam prius in mortẽ ire, & minori studio salutis acquirere quã perditionis augmentum. Nam vt omnino simus inexcusabiles, in via vitæ quo citius, eo facilius curritur: & leue Saluatoris onus quo crescit amplius, eo portabilius est. Nonne & auiculas leuat, non, onerat pennarum siue plumarum numerositas ipsa? Tolle eas, & reliquum corpus pondere suo fertur ad ima.*

Ecclesi. 18.

Gal. 6.

Apoc. 22.

Ephes. 4.

Epist. 341

6. Verum enim vero ex his facile considerare est, quare Conc. Trid. anathema dixerit negantibus augmentũ gratiæ & gloriæ mereri bona opera hominis iustificati: insulsum enim est eorum dogma. Vnde Ambrosius epist. 81. ad Siricium: *Agrestis*, inquit, *vlulatus est, nullam virginitatis gratiam, nullum castitatis ordinem seruare, promiscue omnia velle confundere, diuersorum gradus abrogare meritorũ, & paupertatem quandam cœlestium remunerationum inducere, quasi Christo vna sit palma, quam tribuat, nec plurimi abundent tituli meritorum.* Adhæc perniciosum est homini Christiano ac causa deficiendi, nam teste Bernardo ep. 341. *Non proficere, sine dubio deficere est.* Attendat ergo Christianus ad eius monitionem: *Nemo proinde dicat, satis est, sic volo manere, sufficit mihi esse sicut heri, & nudiustertius. In via residet qui eiusmodi est, in scala subsistit, vbi neminem Patriarcha vidit non ascendentẽ aut descendentẽ.* Vnde idem dicit ep. ad monachos S. Bertini: *Quisquis in schola Christi non proficit, eius indignus est magisterio.*

Session. 6. Can. 32.

Bernard. ibidem.

Genes. 28.

7. At dices hæc me multũ ædificãt, sed restat scrupulus aliquis; quia Matth. c. 20. videtur insinuari idem dari præmium omnibus operarijs in vinea, videlicet denarium diurnum.

Respon-

Respondeo hic non agi de æqualitate gloriæ, sed quod Christus voluerit hic tantum probare aliquem breuiori tempore plus laborare, quam alium longiore, seu mercedem vitæ æternæ non tempori, quo quis laborauit, sed labori & operi, quod fecit, respondere. Sæpe enim fieri, vt aliquis vna horâ tantum laboret, quantum alius toto die, ideoque ęqualem mercedem, id est, eundem denarium accepturum esse, eodem plane sensu, quo Sapiens dixit c.4.v.13. *Consummatus in breui expleuit tempora multa.* Id est, cum breui tempore vir iustus vixerit, tantum fecit boni, quantum multi, qui longo tempore vixerunt: propterea non debere quemquam antiquitate vocationis suæ gloriari. Quod cum facere Iudæi viderentur, adhibuit Christus parabolam de operarijs, ex quibus vndecimâ venientes horâ, id est, Gentiles vltima mundi ætate, fideles facti, eundem receperunt denarium: quia tantum laborauerant, quantum priores; prius vero quam illi receperunt, quoniam hoc ipsum, quod nempe breuiori tempore fuerunt diligentiores, eam merebãtur laudem. Confirmatur illum esse sensum parabolæ, quia in fine capitis præcedentis dixerat Christus: *Multi autem erunt nouissimi primi.* Quod Chrysostomus & Euthymius existimant ideo Christũ addidisse, vt homines ad sequendam Euangelicam perfectionẽ (de qua immediate ante dixerat) proposito singulari præmio magis accenderet: Aut, vt alij volunt, ne Apostoli nimia securitate confiderent, propterea quod omniũ primi vocati essent; sed sic currerẽt, non quasi in incertum; sic pugnarent, non quasi aërem verberantes: sed castigarent corpus suum, & in seruitutem redigerent, ne cum alijs prædicarent, ipsi reprobi efficerentur, vt de se ait D. Paulus 1. ad Corinth. 9. 26. 27. Christus etiam illis, quos certo sciebat perseueraturos in gratia, solet ita loqui, quasi dubium esset, vt cum Ioann. 15. cap. dixit; *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis.*

Cap. 4. vers. 13.

1. Cor. 26. & 27.

Rursum id cõfirmatur, quia c.19. v. 17. proposuit mandata dumtaxat seruantibus vitam æternam. versu vero 21. vendẽti omnia quæ haberet & pauperibus danti seq; Apostolorũ more sequenti promisit thesaurũ in cœlo, in verbis: *Si vis perfectus esse vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Id est, maiorem & excellentiorem gloriã. v. 28. maiorem adhuc gloriam Apostolis, quia non solũ omnia reliquissent, sed Euangelij etiam primi promulgatores futuri essent: *Sedebitis,* inquit, *& vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël.* Id est, vos Apostoli qui ita me secuti estis, illũ honorem habebitis, vt in extremo iudicio mundũ mecum iudicabitis tanquam Doctores, tanquam testes, accusantes quodãmodo eos qui vobis Euangelium prędicantibus & salutis viam docentibus credere noluerunt, conuincentes eorum incredulitatem: Sic enim de Moyse dixit Christus Ioan. 5. *Nolite putare, quia ego accusaturus sum vos apud Patrem, est qui accusat vos Moyses.* q. d. Ne vos tueamini cum Moyse, quia ipse vos accusat tanquam incredulos & infideles: hoc autem dixit Christus, non quod accusaturus nõ sit incredulos, sed quod non solus, verũ cum Moyse: Phrasis est frequens in Scripturis, vt patet Matth. 9. in verbis: *Quicumq; me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me*, id est, non me solũ suscipit, sed eum etiam qui misit me. Et Mat. 10. *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et 1. Corinth. 15. *Abundantius omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum*; id est, non soli vos estis, qui loquimini, non ego solus laboraui, sed gratia simul. Summa nihil aliud vult Christus innuere, quam quod Apostoli, qui omnia relinquentes eum sunt secuti, illum honorem habebunt, quod cum ipso incredulos condemnabunt.

Cap. 19. vers. 17.

Vers. 28.

Ioan. 5.

Matth. 9.

Matth. 10.

1. Cor. 15.

8. Adhęc inęqualitas beatitudinis non solum percipitur ex charitate, quæ in vno est maior quã in altero iuxta

Ioan. 15. ro iuxta illud Ioan. 15. *Maiorem charitatem nemo hac habet, quam vt animam ponat quis pro amicis suis.* Et iuxta illud 1. Ioan. 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem,* seu charitas quę nos perficit. Verum etiam ex alijs Scripturæ locis, vbi euidenter insinuatur inæqualitas præmiorum in cœlo. Nam Matth. 20. petenti matri filiorum Zebedæi à Christo, vt vnus ad sinistram, alter ad dextram sederet in regno suo, respondit Christus: *Sedere ad dextram meam & sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo;* id est, ijs qui meruerunt, non filijs tuis superbis & ambitiosis. Quapropter dicit Christus suum non esse hoc illis concedere; quod accommodato aliquo exemplo clarius intelligetur. Pone quod Rex aliquis auream coronam ei, qui in stadio currendo cæteros vinceret, proposuisset, eamq; manu teneret; aliquis vero ex ijs, qui non solum non vicisset, sed ne cucurrisset quidem, coronam ab eo peteret, rectè responderet, currere quidem poteris, coronam autem non est meum dare tibi, sed quibus parata est, id est, vincentibus; non enim significaret eiusmodi responso se dare non posse, cum ipsius esset dare; sed dare non debere, nisi vincentibus, quibus eam destinasset. Matth. etiam 11. dicit Christus de Ioanne: *Qui minor est in regno cælorum, maior est illo.* Ex quibus colligitur diuersitas in cœlo. Audi Hieronymum lib. 2. aduersus Iouinianũ: *Certe,* inquit, *inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Vbi autem maior dicitur, necesse est vt cæteros habuerit minores. Et qui minimus est in regno cælorum, maior est illo.* Et immediate post infert: *Vides ergo, quod in cælis sit maximus & minimus, & inter Angelos quoque, & inter inuisibiles creaturas sit multiplex & infinita diuersitas.*

1. Ioan. 4. Matth. 20. Matt. 11. Hieron. l. 2. adu. Iouin.

Discursus XXXV.

Ad quantam charitatem quis possit peruenire in hac vita. Et quatenus charitas minui aut tolli possit per peccatum veniale?



Ixi nuper tribus modis charitatē dici posse perfectam: sed quia secundus modus est multo perfectior tertio, hinc inquiram quod in argumento ponitur.

1. Ratio huius inquisitionis est propter Beguardos, qui olim docuerunt hominem posse in hac vita peruenire ad tantã charitatē, vt amplius augeri non possit, vti refertur Clement. *Ad nostrum* de Hæret. Ratio eorum erat, quod aliàs possemus acquirere tantam charitatem, quãtam habuit Christus: cum enim inter charitatem nostram, & Christi hominis sit finita distantia, verebantur ne nostra posset in tantum crescere, vt huius perfectionem attingeret. *Sed hi trepidauerunt timore, vbi non erat timor.*

Ad hos nonnihil accesserunt Perfectionistæ, seu in mundo perfectioni studentes, qui voluerunt hominē tam sanctum posse fieri, vt Deificatus dici posset. Noui etiam quemdam, qui dicebat se, si sanctius viueret, quam viuebat, debere miracula facere.

2. Aduersus hos dico resolute hunc errorem aperte repugnare sacris Scripturis, quæ docent gratiam iustificãtem posse crescere ad mortem vsque. vt Eccles. 18. vbi Sapiens ait: *Ne verearis vsque ad mortem iustificari: quia merces Dei manet in æternũ.* Et Prouerb. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum*

Eccles. 18. Prou. 4.

perfectum diem. Deinde confirmatur exemplo Pauli qui ad Philipp. 3. c. cum plurimum in charitate profecisset, dicit se non esse perfectum, ita nimirum vt vlterius nequeat perfici: sed tendere ad perfectionem Christianismi, in verbis: *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam in quo & cõprehensus sum à Christo* IESV. *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem: quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea vero, quæ sunt priora, extendens meipsum ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo* IESV. Quasi dicat, Hæc quæ modo dixi de rerum omnium cõtẽptu, quo propter Christum omnia arbitror vt stercora, de iustitia, quę ex Deo est ex fide Christi, de cognitione virtutis, resurrectionis, & societatis passionis Christi, & maxime quod dixi: *Configuratus morti eius* (de his enim egerat) non ea mente dixi, quasi putem me iam apprehendisse hunc contemptum, hunc Christianæ iustitiæ apicem, hanc perfectam resurrectionis ac passionis Christi cognitionem, neque assertiuè dixi, me configuratũ esse morti Christi, sed conditionaliter & inchoatiuè, me scilicet sperare & optare iam dictam resurrectionis ac passionis Christi cognitionem per configurationem mortis eius, siue quando conformis ero & configuratus Christo morienti, quã configurationem licet iam inchoarim, multum tamen adhuc ab eius perfectione absum, multum mihi adhuc laborandum est, vt imaginẽ Christi crucifixi in me perficiam, & perfecte exprimam ac depingam.

Philip. 3.

Rursum nota Apostolum hæc non solum dicere studio humilitatis quoad se, sed propter Philippenses etiam, qui nimium sibi tribuebant, quasi iam perfectionem Christianismi adepti essent. Quasi dicat: O Philippenses discipuli mei, nolite altum sapere, nolite putare vos apprehendisse culmen tum cognitionis & doctrinæ, tum iustitiæ & vitæ Christianæ: ecce ego, qui vester sum & magister Apostolus, qui tot iam annos perfectioni huic tam impensè studui confiteor & assero me necdum hanc perfectionem apprehendisse, me adhuc illam currendo persequi, & dubitare an eam omni meo cursu & conatu tandem comprehensurus sim. Videte ergo quam vos iam recenter conuersi, & vix discipuli, ab illa absitis. Deinde ostendit quibus medijs quis ad perfectionẽ debeat conari. Vnde merito in Conc. Vien. relato Clemẽt. supra citata, ille error damnatus est, & tales, vt dixi, trepidauerunt timore, vbi non erat timor: quia tam breui tempore ac viuimus per auxilia quæ de facto accipimus, ad tam intensam charitatem quam fuit charitas Christi peruenire non possumus, nisi multis annorum milibus viueremus, aut valde magnis & extraordinarijs diuinæ gratiæ auxilijs præueniremur, vnde nobiscum res ita se habet ordinariè, vt ad tantam perfectionẽ peruenire nequeamus. Illustrabo hoc similitudine limacis & aquilæ. Limax enim, & si quamdiu viuit, possit semper vlterius repere, ita vt nunquam tam procul possit repsisse, quin possit adhuc vlterius repere, tamen tota sua vita nullo modo potest repere ad centũ milliaria, aut etiam tam procul quam aquila paucis diebus possit volare; sed quantumuis tota vita continenter repat, tamen in fine ab vtroque termino lõgissime aberit.

3. Addo quod ea persuasio, qua quis existimat se ad summã perfectionẽ peruenisse, valde sit nociua, & sępe occasio sit grauioris lapsus. Sic ille qui dicebat se miracula facere debere, si sanctius viueret, post quindenam deprehensus est in crimine viuere. Hinc Apostolus loc. citato taxans tum Philippenses, & in ipsis illos, qui cum cœperint Deo seruire, mox se perfectos existimant; quod videant se alios mundo & peccatis seruientes, longo post se interuallo reliquisse, dicit: *Sequor autem* &c. vt supra. Id est, Præterita mea bona opera, labores, passiones pro

Christo obliuiscor (quia eorum memoria tum pigros tum superbos facit) & imitor stadiodromos, qui dum currunt in stadio, non respectant quantum spatij transmiserint, sed quantum supersit ad metam, eoque toto conatu & impetu ac cursu recto feruntur: ita & ego præteriti cursus mei obliuiscor, totus in metam feror, & non respecto quid egerim, sed quid supersit agendum.

Hieronim. Hoc Apostoli præceptum inculcat S. Hieronymus Celantiæ ad perfectionem adspiranti: *Beati*, inquit, *qui non sibi de præterita iustitia blandientes secundum Apostolum per dies singulos in virtute renouantur; iustitia enim non proderit ei, à quo die iustus esse desierit. Totum spatium vitæ tuæ sit, vt peragere possis iustitiam, ne de præterita iustitia confidens remissior efficiaris, sed sicut ait Apostolus: posteriora obliuiscens, ad ea autem, quæ sunt anteriora me extendens, ad destinatum persequor brauium supernæ vocationis. Idcirco age, vt ordines reliquum tempus vitæ tuæ sic, vt possis canere cum Propheta: Perambulabam in innocentia cordis mei: quia inchoasse nõ sufficit, sed perfecisse iustitia est.* Hæc de primo quæsito.

4. Quantum ad secundum quæsitum, an charitas possit minui, nempe secundum legem ordinariã id promerente ipso homine per aliquos actus suos malos, videlicet per peccata venialia.

Respondeo primo per peccatum veniale minui perfectionem habitus charitatis extrinsecam, atque adeo intrinsecam perfectionem actuum ipsius, quatenus hi secundum appretiationem, extensionem, feruorem ac constantiam redduntur imperfectiores: qui enim peccat venialiter, amat aliquid præter Deum: & non propter Deum: teste Augustino. qui lib. 10. Confess. cap. 29. *Minus te* (scilicet Deum) *amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat*, idque sæpe faciendo generat in se vitiosum habitum, ac amorem inordinatum siue cupiditatem, qua ita, vt dixi, minuitur & impeditur charitas. Augustin.

5. Dico secundò per peccata venialia, quem à charitate non excidere, ita D. Thomas 2. 2. q. 24. ar. 10. Et ratio est, quod peccans venialiter non auertatur à Deo tanquam ab vltimo fine, in quem est ordinatus per ipsam charitatem: sed tantum offendit nonnihil Deum, saluo nihilominus recto illo ordine charitatis in ipsum vt ad finem vltimum, vnde non meretur puniri vllo modo in ipso dono charitatis, per quod est in Deum, tanquam in vltimum finem ordinatus. Probatur quia qui delinquit in minori non iuste punitur in eo quod maius est, præsertim à Deo, qui ad benefaciẽdum & remunerandum, quam ad puniendum, multo potentior est. D.Thom.

6. Sed dices filij Aaron Nadab & Abiu Leuit. 10. cap. alieno igne, seu non sacro vtentes ad sacrificia, secundum aliquos venialiter tantum peccarunt, vtpote perculsi nouitate miraculi, quo Deus ignem de cælo mittens sacrificium Aaronis absumebat, eaque de causa non audentes accedere ad altare, vt inde ignem sacrum acciperent, aliunde festinanter igne rapto incensum Domino pro gratiarum actione obtulerunt, & tamen morte puniti leguntur, in verbis: *Egressusque ignis à Domino deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino*, id est, ex altari thymiamatis, quod erat obuersum propiatorio (quod erat quasi thronus Dei) erupit vltor ignis, qui eos deuorauit instar fulminis afflando & occidendo. Leuit. 10.

Respondeo hoc nihil referre, nam Deus iuste potest peccata venialia, etiam vbi non est scandalum punire morte, quod iudici inter homines non licet. Est enim Deus absolutus omnium Dominus, qui summum in vitam & necem omniũ ius habet & imperium. Cuius rei illustre exemplum est, 3. Regum 13. 24. vbi vir Dei & Propheta sanctus occisus est à leone iussu Dei, quia deceptus ab alio propheta in eius domo cibum sumpserat, quod Deus illi vetuerat. Simili modo Deus occidit 3. Reg. 13.

cidit Ozam, eò quod arcam labentem suffulcijsset, & tetigisset 2. Regum 6. v. 6. Atqui illud maxime solet facere in initijs vt hic vbi voluit recentem legem, & sacerdotij religionem tam seuera vindicta sancire, in posterorum exemplum. Et 1. Reg. 13. vbi Saul Rex in summis angustijs cōstitutus propter Philistinos ambiebat per Sacerdotes sacrificium offerre, quibus Deum placaret & consuleret: sed obstabat inhibitio Samuelis, nempe vt eum exspectaret septem diebus, atque ab ipso disceret, quid facto opus esset; Illique contrauenit Saul, offerendo holocausta & victimas pacificas, ante exactum omnino septem dierum spatium, quod videtur excusabile & venialem duntaxat continere culpam. Verum propterea à Samuele, qui antequā septimus clauderetur dies, aduenerat, audiuit hęc verba: *Quid fecisti? stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israël in sempiternum, sed nequaquam regnum tuum vltra consurget. Quæsiuit Dominus sibi virum secundum cor suum: & præcepit ei Dominus vt esset dux super populum suum, eò quod non seruaueris, quæ præcepit Dominus.* Quibus verbis dicit expresse illum propterea regno priuandum, & tamen necessitas compulerat, & parua videtur materia, quod vna atque altera hora forsitan præuenerit, & tamen Deus tam acriter puniuit. Ratio fuit, vt mihi videtur, vt Reges futuri in Israël intelligerent in administrāda Republica à Dei ducis & auspicis præscripto discedendum non esse.

2. Reg. 6.

1. Reg. 13.

1. Reg. 13.

7. Dices iterum D. Augustinus epist. 108. sub finem dicit, nos quotidie tondendo pectus petere nobis demitti peccata, *quæ humanæ fragilitati, quamuis parua, tamen crebra subrepunt: quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt & opprimēt, sicut vnum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur; an paulatim subrepens aqua in sentinā, & per negligentiam derelicta atque contempta impleat nauim atque submergat?*

August.

Respondeo hæc verba sic intelligenda esse, vt peccata venialia significent hominem efficere minus dignum & aptum, vt frequentes à Deo gratias præuenientes recipiat, eumque reddere magis inclinatum ad amorem rerum temporalium, & ad parui faciēda peccata etiam grauiora, vt pulchrè patet ex diuo Gregorio, qui cum dixisset, animam multis leuibus peccatis sicut nauim multis guttis sensim obrui, explicans quomodo hoc fiat, paulo infra subdit: *Vnde fit plerumque, vt mens assueta malis leuioribus nec grauiora perhorrescat, atque ad quandam authoritatē nequitiæ per culpas nutrita perueniat, & tanto in maioribus contemnat pertimescere, quantò in minimis didicit non timēdo peccare.* Item lib. 10. Moral. cap. 9. ait: *Ex vanitate ergo, vt superius dictum est, ad iniquitatem ducimur, cum prius per leuia delicta diffluimus, vt vsu cuncta leuigante nequaquam post committere etiā grauiora timeamus.* Simili modo Patres sępe dicunt in via spirituali non progredi, esse regredi: non quod hæc sint formaliter eadem, sed quia communiter coniuncta sunt. Nam qui non conatur proficere, in feruore charitatis deficit. Et hanc etiam esse mentem D. Augustini colligitur ex sermone eius 41. de Sanctis, vbi cum enumerasset multa peccata venialia, subdit: *Hæc enim & his similia ad minuta peccata pertinere non dubium est, quæ sicut iam dixi enumerari vix possunt, & à quibus non solum populus Christianus, sed etiam nullus Sanctorum immunis esse potuit aliquando, aut poterit. Quibus peccatis licet occidi animam non credamus, ita tamen ea velut quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie replentes deformem faciunt, vt eam ad amplexus illius sponsi cœlestis aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant.*

Gregorius

Item. l. 10. Moral. c. 9.

August. serm. 14. de Sanctis

Rursum sic verba illa intelligenda sunt, quia efficiunt hominem magis pronum ad peccandum mortaliter, iuxta illud Ecclesiast. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet,* nempe

Eccles. 19.

nempe ex gratia Dei, quasi dicat. Qui modica spernit, non quidem per se immediate decidet ab amicitia Dei: sed ratione peccati mortalis, quod sæpissime sequitur ex incuria peccatorum venialium.

Discursus XXXVI.

An & quibus modis charitas semel habita amitti possit?

1. Cor. 10. Diuus Paulus, 1. Cor. 10. monet Corinthios: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Quibus verbis apertè indicat aliquem posse excidere à charitate: verum quia Nouantes sustinent fidem & iustitiam propriã esse electorum, & semel vere acceptam non posse amitti, & qui eam videntur amittere, nunquam vere habuisse: hinc tractabo, an & quomodo amittatur?

1. Ratio huius inquisitionis est quod Caluinus secutus Iouinianum, Beguardos, & alios antiquos hæreticos lib. 3. Instit. cap. 2. §. 11. & 12. id doceat, & ibidem affirmet plurimos decipi, qui fidem se habere putant, cum nihil habeant nisi fidei vmbram & simulacrum. Deinde quod hic error adhuc vigeat, & multa mala causet.

2. Hinc dico resolutè hominem quantumuis iustum & fidelem duobus modis excidere posse ex gratia Dei. Primò, per recessum à fide. Luc. 8. Probatur ex cap. 8. Lucæ, vbi per parabolam seminis dicit, quod magna pars hominum sese perdat, eò quod ad tempus credat, & in tempore tentationis recedat, in verbis: *Nam qui supra petram* (supple seminant, sunt) *qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*, id est, qui significantur per terram petrosam, recipientem semen, sunt illi homines, qui audiunt verbum, & cum gaudio suscipiunt credentes: at quia non habet radices eorum fides, quãdo propter verbum & fidem tentatio se offert, & persecutio, potius abijciunt fidem, quam priuationem, & amissionem temporalium bonorũ admittant: credunt quidem à principio cum gaudio, bonis per Euangelium promissis delectati; at quando propter ea, bonorum sensibiliũ suorum amissio sustinenda est, illa postponunt, vt hæc retineant. Dicit etiam Apostolus, quod Galatę, qui Circumcisionem seducti admittebant cum Euangelio, à gratia Dei excidissent, in verbis cap. 5. *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini: à gratia excidistis. Nos enim spiritu ex fide, spem iustitiæ exspectamus. Nam in Christo* IESV *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per charitatem operatur.* id est, Vos qui iustitiam ex circumcisione, alijsque legis operibus quæritis, à gratuita iustificatione, quam per Christi fidem & gratiam in baptismo adepti estis, *excidistis*, quia scilicet gratiæ Christi, diffidendo illi, & ad legem recurrendo, fuistis & ingrati & iniurij, vt propter iniuriam hanc grauem & mortiferam, Christus gratiã suam, & iustitiam datam vobis subtraxerit. Et ratio duplex est, vna, quod nos qui veri & puri Christiani sumus, non ex lege, circumcisione, alijsque corporalibus cæremonijs, sed *spiritu*, id est, per spiritum gratiæ & charitatis *ex fide* scilicet Christi acceptum: *spem iustitiæ*, id est, iustitiam speratam *exspectamus*. Gal. 5.

Altera quod neque Iudaismus neque Gentilismus valeat ad iustitiam Christianam, seu sanctam & beatam vitam; *sed fides quæ per charitatem operatur*, id est, quæ in charitatis opera se diffundit, qualis fuit fides Magdalenæ pœnitentis, Christique pedes

pedes lachrymis abluentis, & aliorum, in quibus fides operatur actus charitatis Dei & proximi, ficut dispositio operatur per formam, ad quam disponit: exempli gratia vt calor per formam ignis dicitur operari ligni inflammationē, lignumq; ignire & in ignem conuertere. Idē Apostolus 1. ad Timoth. 1. dicit quosdam circa fidem naufragasse, in verbis: *Habens fidem & bonam conscientiam, quam quidem repellentes, circa fidem naufragauerunt: ex quibus est Hymenæus, & Alexander: quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare.* quasi dicat, Militabis ô Timothee, bonam militiam, si fidem rectam circa vera & orthodoxa dogmata, & bonam conscientiam, id est, sanctam vitam & mores sequaris & conserues, vt fidem rectam alios docere, & bonæ vitæ exemplo subditis prælucere possis. Postquam enim bonam conscientiam quidam repulerunt fidei naufragium & iacturam fecerunt, factique sunt Apostatæ, Schismatici, & Hæretici. Apposite Chrysostomus homil. 5. in 1. ad Timoth. 1. *Qui naufragium facit, nudus omnibusque destitutus euadit: ita qui ex fide exciderit, nihil iam habet vbi figatur, non habet vbi seipsum recipiat, non habet vitam, quæ ipsi prodesse valeat: quippe capite perdito atque corrupto, quænam reliqui corporis vtilitas est? Si enim fides absque operibus mortua est, multo magis absque fide nil proderunt opera.* Vbi nota iuxta Chrysostomum, Apostolum pulchrâ metaphorâ fidem naui cōparare, in qua anchora, quæ nauim hanc roborat, vt in tribulatione perseueret, est bona conscientia, & ex ea manans spes vitæ æternæ: sicut enim nauis in procelloso mari spem portus præbet hominibus, & ducit ad portum, ita fides ducit ad vitam æternam: & sicut homo extra nauim in mari, sine spe salutis est, ita & homo sine fide: quādiu vero manet in naui, id est, fide, licet peccet, restitui potest, spem habet salutis.

1. Tim. 1.

Chrysost.

Rursum hinc Ecclesia, quæ est fidei magistra, & fidelium congregatio, comparatur arcæ Noë, extra quam nemo saluus est à diluuio, & nauiculis Euangelicis, in quibus Christus prædicabat regnum Dei, tempestates sedabat & pisces capi faciebat.

Denique ne quis dubitet hominem à gratia Dei hoc modo posse excidere, allegat exempla Hymenæi & Alexandri, quos excommunicauit, vt desinerent ab hæresi, de qua excommunicatione sic Theodoretus: *Eos autem, inquit, tradit diabolo, non vt bonorum magistro, sed vt seruo carnifici; & ideo non dixit, vt eos doceret, sed vt doceantur non blasphemare; ab Ecclesiastico enim corpore separati & diuina gratiâ nudati, ab aduersario crudeliter flagellabantur, incidentes in morbos & difficiles affectiones, & alias calamitates; hac enim consueuit inferre hominibus, quoniam est inimicus & vltor, vt dicit Propheta Psalmo octauo. Consentaneum autem erat illos castigatos mutare sententiam*, &c. Et Chrysostomus de excommunicato loquens: *Deÿciebatur, inquit, à communi fidelium cœtu abscindebatur à grege, fiebat nudus, atque ita destitutus, luporum patebat & prodebatur occursibus, sicut enim dudum nubes Hebræorum castra tegebat, ita & Ecclesiā protegebat Spiritus sancti gratia.*

Theodoret.

Chrysost.

Demum dicit idem Apost. 1. ad Tim. 6. *Radix omniū malorū est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide.* Vbi Apostolus firmiter & certo presupponit ex causa homines excidisse à gratia Dei per amissionem fidei. Et idem est ac si dicat, Vere malorum omnium radix est cupiditas, nam ad apostasiam, hæresim, quæ malorum omnium caput est & congeries, deducit: Et ratio est quod auarus, qui tantum præsentia bona quærit per fas & nefas, negligit Deum & diuina, adeoque tandem non credit superesse bona alia futuri seculi: itaque religionem omnem ac fidem contemnit. Sic hodie multi vel metu amittendarum, vel spe acquirendarū opum à fide Christiana ad heresim desciscunt. Quid certius, quam tales veram fidem habuisse, & excidendo à fide charitatem amisisse?

1. Tim. 6.

3. Dico

3. Dico secundò non solum infidelitate aut hæresi, sed quouis peccato mortali charitatē amitti. Probatur ex Ezech. capite 18. vbi dicit Dominus: *Cum auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in iniustitia, quam operatus est, morietur.* id est, Cum inciderit quis in peccatum, & obdurauerit in eo impœnitens morietur in illo & consequenter ibit ad mortem æternam: sicut enim per quoduis vulnus lethale homo viuens occiditur corporaliter, ita per quoduis peccatum mortale occiditur spiritualiter, & consequenter amittit charitatem, quæ est vita animæ, de qua amissione seu morte dixit Deus Adamo. Genes. 2. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Non enim statim punitus fuit morte corporali: sed morte animæ. Et si quis non resipiscat, morietur etiam impœnitens corporaliter, & subibit mortem æternam, quæ dicitur mors secunda.

Ezech. 18. Genes. 2.

Et Ioannis 15. Christus hortatur suos discipulos vt in se maneant, pergēdo eum diligere eiusque mandata seruare: eo quod alias fructum ferre nequeant. Et subdit: *Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes* (scilicet à vite præcisus) *& arescet, & colligent eum, & in ignem mittent & ardet.* Vbi aperte ostendit, eum qui prius in se sicut palmes in vite natus fuit, & vixit per fidem, & charitatem, posse in eo non manere, excidendo à charitate, & in æternum perire, missus in ignem æternum. Ratio horum est, quia, etsi charitas, ac Dei gratia nos excitent, vt peccatis abstinentes maneamus in Christo, tamen non necessitant nos, sed liberum nobis relinquunt arbitrium, quo à Deo, per peccatum possimus auerti.

Ioan. 15.

4. Deinde res hæc nimis clara est per plurima exempla. Primò, Angelorum malorum, qui prius iusti fuerunt vt colligunt sancti Patres ex cap. 14. Isaiæ & 20. cap. Ezechielis, & tamen, Scripturā teste, peccauerunt, vt constat ex 2. Petri, 2. cap. vbi Apostolus Petrus à plaga eorum alios admonet: *Si enim Deus*, inquit, *Angelis peccantibus non pepercit*, & supplendum reliquit, nec Pseudoprophetis (de his enim ibi agebat) parcet. Secundò, exemplo primorum parentum, quorum lapsum grauissimum omnes agnoscimus & sentimus. Tertiò, exemplo Saulis, Dauidis, Salomonis: nam de his dicitur respectiue, 1. Reg. 9. *Erat Saul electus, & bonus: & non erat vir de filijs Israël melior illo: ab humero & sursum eminebat super omnem populum.* Act. 13. *Inueni Dauid virum secundum cor meum.* De Salomone 2. Reg. 12. *Dominus dilexit eum misitque in manu Nathan Prophetæ* (scilicet ad instruendum) *& vocauit nomen eius amabilis Domino, eo quod Dominus diligeret eum.* Quos tamen enormiter peccasse Scriptura abunde testatur.

Isaie. 14. Ezech. 20. 2. Pet. 2. 1. Reg. 9. Act. 13. 2. Reg. 12.

5. Adhæc experientia hoc ita palam facit, vt potius deplorandum veniat, quam probandum, multos etiam postquam diu bene vixerunt, in grauiora peccata incidere, & à gratia Dei excidere. Deplorat hoc grauiter D. Basilius homil. 21. in initium Prouerbiorum dicens: *Plures ab ipsa iuuentute multa congregantes, instantibus deinde malignorum spirituum incitamentis, tempestatis onus, arte gubernationis deficiente, ferre non valuerunt, sed omnium iacturam fecerunt. Alij autem pudicitiam, quam vsque à pueris thesaurizauere, voluptate deinde pestilenti, veluti procella quadam irruente perdiderunt.* Et immediate post lamentabiliter illud deplorat, dicens: *O miserabile spectaculum, ô sortam lugendā post ieiunia multa, post durum vitæ genus, post longas ad Deum preces, post vberes effusas lachrymas, denique post annorum viginti seu triginta abstinentiam, ob indulgentiam, inconsiderantiamque, nudum omnibus, ac tot laborum mercede priuatum reperiri, & similem omnino fieri mercatori cuidam diuiti, qui de multitudine commeatuum gloriatus, vento secundo nauem impellente, timendas tuto per mare currens præterit procellas. Naufragio deinde prope portum superueniente, omniumque possessione aceruatim simulq; destitutus, apparet. Itaque mille laboribus sudori-*

Basilius.

sudoribusque parta, vno tantum dæmonis impulsu facile amittes, peccato velut acerbo quodam turbine depressus. Ex quo sic de virtute omni simul periclitanti naufragantique opportuna vox illa: veni in profundum maris, & tempestas demersit me. Quod amplius est, dicit D. Augustinus terribilius quid libro de Correp. & grat. cap. 13. Nēpe hoc quod sequitur, *Credendum est, quosdā de filijs perditionis non accepto dono perseuerādi vsque in finem in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere viuere, & aliquamdiu fideliter & iuste viuere, & postea cadere, neque de hac vita, priusquam eis id contingat, auferri.* Vt vt est satis confirmatur verbis Christi perseuerantes tantum saluari sic enim ait Matth. 24. *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum, qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Vbi refrigescentia charitatis extinctionem significat. Nam alias non opponeretur perseuerantiæ vsque in finem. Et sic certum est aliquādo iustos nō perseuerare in iustitia. Explicando sensum Scripturæ res fiet clarior, qui est eiusmodi vt loquitur Maldonatus: tantam futuram esse omnium fere hominum in Christi discipulos sæuitiam, & crudelitatem (hanc enim iniquitatem vocat) vt qui aliquam alioqui charitatem habebant, qua Apostolos, cæterosque discipulos excipere solebant, atque iuuare, exercere non audebunt: hoc est charitatem refrigescere; quia vix quisquam reperiendus erat etiam inter Christianos, qui Christianos iuuare volet aliquando ne & ipse Christianus esse videatur: exemplum est apud D. Paulum in secūda epist. ad Timoth. cap. 4. 16. *In prima,* inquit, *mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur.* Id est, in primis vinculis meis, cum scilicet secundo Neronis anno Hierosolymis captus ad eundem, Romam missus eram, mei me deseruerunt metuantes fastum & furorem Neronis: sed Deum habui adiutorem, qui Neronem mihi beneuolū reddidit, vt è carcere liberarer; sequitur enim: *Dominus enim mihi astitit, & confortauit me.* vnde rectè Origenes hom. 9. in Num. *Tum maxime adest gratia Dei, cum hominum sæuitia concitatur.* Et vt ait Ambrosius lib. de Ioseph. *Ibi plus est auxilij, vbi plus est periculi.*

Aug. | Matt. 24. | 2. Tim. 4. | Origenes. | Ambros.

6. Sed dices, esto hæc clara sint, tamē in Scripturis quædam loca reperiuntur, quæ hæreticorum opinioni fauere videntur, vt Ioan. 10. vbi Christus dicit de ouibus suis: *Nemo rapiet eas de manu mea.* Et ad Rom. 8. vbi Apostolus dicit: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.*

Ioan. 10. | Rom. 8.

Respondeo locum Ioannis hæreticis non suffragari, quia Christus nihil aliud dicit, quam quod quantum est ex parte Dei, & ipsius gratiæ, oues eius sint in æternum victuræ, si velint. Quod expresse colligitur ex verbis præcedentibus: *Ego vitam æternam do eis* (scilicet ouibus meis) *& non peribunt in æternum.* Vbi dicit oues, quæ eum sequuntur liberari ab æterna morte, & vitam habere æternam, & tum subiungit verba obiecta: *Non rapiet eas quisquam de manu mea.* quorum verborū sensus est secundum Chrysostomum & Euthymium neminem oues Christi rapere posse: quia nemo impedire valebit, quin oues, quæ Christi sint futuræ ad ipsum conuertantur, & eum sequantur, quod ea occasione dictum est, quia procurabant Pharisæi auertere homines, ne in Christum crederent: Tum etiam quia conati sunt tyranni credentes à fide tormentis auertere, Dœmon quoque innumeris artibus idem tentat efficere. Aut secundum Basilium libro primo contra Eunomium, quod ij qui semel ad Christum sunt conuersi, & vere oues eius sunt permansuræ, nemo rapiet de manu Dei: quia nulli tentationi in extremo vitæ

3. Dico secundò non solum infidelitate aut hæresi, sed quouis peccato mortali charitatē amitti. Probatur ex Ezech. capite 18. vbi dicit Dominus: *Cum auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in iniustitia, quam operatus est, morietur.* id est, Cum inciderit quis in peccatum, & obdurauerit in eo impœnitens morietur in illo & consequenter ibit ad mortem æternam: sicut enim per quoduis vulnus lethale homo viuens occiditur corporaliter, ita per quoduis peccatum mortale occiditur spiritualiter, & consequenter amittit charitatem, quæ est vita animæ, de qua amissione seu morte dixit Deus Adamo. Genes. 2. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Non enim statim punitus fuit morte corporali: sed morte animæ. Et si quis non resipiscat, morietur etiam impœnitens corporaliter, & subibit mortem æternam, quæ dicitur mors secunda.

Ezech. 18.

Genes. 2.

Et Ioannis 15. Christus hortatur suos discipulos vt in se maneant, pergēdo eum diligere eiusque mandata seruare: eo quod alias fructum ferre nequeant. Et subdit: *Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes* (scilicet à vite præcisus) *& arescet, & colligent eum, & in ignem mittent & ardet.* Vbi aperte ostendit, eum qui prius in se sicut palmes in vite natus fuit, & vixit per fidem, & charitatem, posse in eo non manere, excidendo à charitate, & in æternum perire, missus in ignem æternum. Ratio horum est, quia, etsi charitas, ac Dei gratia nos excitent, vt peccatis abstinentes maneamus in Christo, tamen non necessitant nos, sed liberum nobis relinquunt arbitrium, quo à Deo, per peccatum possimus auerti.

Ioan. 15.

4. Deinde res hæc nimis clara est per plurima exempla. Primò, Angelorum malorum, qui prius iusti fuerunt vt colligunt sancti Patres ex cap. 14. Isaiæ & 20. cap. Ezechielis, & tamen, Scripturâ teste, peccauerunt, vt constat ex 2. Petri, 2. cap. vbi Apostolus Petrus à plaga eorum alios admonet: *Si enim Deus*, inquit, *Angelis peccantibus non pepercit*, & supplendum reliquit, nec Pseudoprophetis (de his enim ibi agebat) parcet. Secundò, exemplo primorum parentum, quorum lapsum grauissimum omnes agnoscimus & sentimus. Tertiò, exemplo Saulis, Dauidis, Salomonis: nam de his dicitur respectiue, 1. Reg. 9. *Erat Saul electus, & bonus: & non erat vir de filijs Israël melior illo: ab humero & sursum eminebat super omnem populum.* Act. 13. *Inueni Dauid virum secundum cor meum.* De Salomone 2. Reg. 12. *Dominus dilexit eum misitque in manu Nathan Prophetæ* (scilicet ad instruendum) *& vocauit nomen eius amabilis Domino, eo quod Dominus diligeret eum.* Quos tamen enormiter peccasse Scriptura abunde testatur.

Isaiæ 14.
Ezech. 20
2. Pet. 2.

1. Reg. 9.

Act. 13.

2. Reg. 12.

5. Adhæc experientia hoc ita palam facit, vt potius deplorandum veniat, quam probandum, multos etiam postquam diu bene vixerunt, in grauiora peccata incidere, & à gratia Dei excidere. Deplorat hoc grauiter D. Basilius homil. 21. in initium Prouerbiorum dicens: *Plures ab ipsa iuuentute multa congregantes, instantibus deinde malignorum spirituum incitamentis, tempestatis onus, arte gubernationis deficiente, ferre non valuerunt, sed omnium iacturam fecerunt. Alij autem pudicitiam, quam vsque à pueris thesaurizauere, voluptate deinde pestilenti, veluti procella quadam irruente perdiderunt.* Et immediate post lamentabiliter illud deplorat, dicens: *O miserabile spectaculum, ô sortam lugendā post ieiunia multa, post durum vitæ genus, post longas ad Deum preces, post vberes effusas lachrymas, denique post annorum viginti seu triginta abstinentiam, ob indulgentiam, inconsiderantiamque, nudum omnibus, ac tot laborum mercede priuatum reperiri, & similem omnino fieri mercatori cuidam diuiti, qui de multitudine commeatuum gloriatus, vento secundo nauem impellente, timendas tuto per mare currens præterit procellas. Naufragio deinde prope portum superueniente, omniumque possessione aceruatim simulq; destitutus, apparet. Itaque mille laboribus sudori-*

Basilius.

ſudoribuſque parta, vno tantum dæmonis impulſu facile amittes, peccato velut acerbo quodam turbine depreſſus. Ex quo ſic de virtute omni ſimul periclitanti naufragantique opportuna vox i'la: veni in profundum maris, & tempeſtas demerſit me. Quod amplius eſt, dicit D. Auguſtinus terribilius quid libro de Correp. & grat. cap. 13. Nẽpe hoc quod ſequitur, *Credendum eſt. quoſdã de filijs perditionis non accepto dono perſeuerãdi vſque in finem in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere viuere, & aliquamdiu fideliter & iuste viuere, & poſtea cadere, neque de hac vita, priuſquam eis id contingat, auferri.* Vt vt eſt ſatis confirmatur verbis Chriſti perſeuerantes tantum ſaluari ſic enim ait Matth. 24. *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum, qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Vbi refrigeſcentia charitatis extinctionem ſignificat. Nam alias non opponeretur perſeuerantiæ vſque in finem. Et ſic certum eſt aliquãdo iuſtos nõ perſeuerare in iuſtitia. Explicando ſenſum Scripturæ res fiet clarior, qui eſt eiuſmodi vt loquitur Maldonatus: tantam futuram eſſe omnium fere hominum in Chriſti diſcipulos ſæuitiam, & crudelitatem (hanc enim iniquitatem vocat) vt qui aliquam alioqui charitatem habebant, qua Apoſtolos, cæteroſque diſcipulos excipere ſolebant, atque iuuare, exercere non audebunt: hoc eſt charitatem refrigeſcere; quia vix quiſquam reperiendus erat etiam inter Chriſtianos, qui Chriſtianos iuuare volet aliquando ne & ipſe Chriſtianus eſſe videatur: exemplum eſt apud D. Paulum in ſecũda epiſt. ad Timoth. cap. 4. 16. *In prima,* inquit, *mea defenſione nemo mihi affuit, ſed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur.* Id eſt, in primis vinculis meis, cum ſcilicet ſecundo Neronis anno Hieroſolymis captus ad eundem, Romam miſſus eram, mei me deſeruerunt metuantes faſtum & furorem Neronis: ſed Deum habui adiutorem, qui Neronem mihi beneuolũ reddidit, vt è carcere liberarer; ſequitur enim: *Dominus enim mihi aſtitit, & confortauit me.* vnde rectè Origenes hom. 9. in Num. *Tum maxime adeſt gratia Dei, cum hominum ſæuitia concitatur.* Et vt ait Ambroſius lib. de Ioſeph. *Ibi plus eſt auxilij, vbi plus eſt periculi.*

Auguſt. | Matt. 24. | 2. Tim. 4. | Origenes. | Ambroſ.

6. Sed dices, eſto hæc clara ſint, tamẽ in Scripturis quædam loca reperiuntur, quæ hæreticorum opinioni fauere videntur, vt Ioan. 10. vbi Chriſtus dicit de ouibus ſuis: *Nemo rapiet eas de manu mea.* Et ad Rom. 8. vbi Apoſtolus dicit: *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei.*

Ioan. 10. | Rom. 8.

Reſpondeo locum Ioannis hæreticis non ſuffragari, quia Chriſtus nihil aliud dicit, quam quod quantum eſt ex parte Dei, & ipſius gratiæ, oues eius ſint in æternum victuræ, ſi velint. Quod expreſſe colligitur ex verbis præcedentibus: *Ego vitam æternam do eis* (ſcilicet ouibus meis) *& non peribunt in æternum.* Vbi dicit oues, quæ eum ſequuntur liberari ab æterna morte, & vitam habere æternam, & tum ſubiungit verba obiecta: *Non rapiet eas quiſquam de manu mea.* quorum verborũ ſenſus eſt ſecundum Chryſoſtomum & Euthymium neminem oues Chriſti rapere poſſe: quia nemo impedire valebit, quin oues, quæ Chriſti ſint futuræ ad ipſum conuertantur, & eum ſequantur, quod ea occaſione dictum eſt, quia procurabant Phariſæi auertere homines, ne in Chriſtum crederent: Tum etiam quia conati ſunt tyranni credentes à fide tormentis auertere, Dæmon quoque innumeris artibus idem tentat efficere. Aut ſecundum Baſilium libro primo contra Eunomium, quod ij qui ſemel ad Chriſtum ſunt conuerſi, & vere oues eius ſunt permanſuræ, nemo rapiet de manu Dei: quia nulli tentationi in extremo vitæ

succumbent, sed victores euadent. Aut denique secũdum alios de gloriæ statu hæc verba intelligenda sũt, vt continuentur superioribus, *vitam æternam do eis, & in æternum non peribunt*: quia non potest vllus eos à statu vitæ æternæ remouere. Quid quæso hæc ad intentum hæreticorum? cum ex hoc quod ex parte Dei sit omnis certitudo, nullo modo sequatur oues non posse spõte à Christo discedere: sicut ex eo, quod aliquis sit in loco ita munito, vt hostis non possit eum inde vi abstrahere, non sequitur eum non posse, si velit, se per muros præcipitem dare, atque in manus hostium, ac mortem incurrere.

7. Quantum ad verba Apostoli illa nihil continẽt in fauorem praui dogmatis hæreticorũ: nihil enim aliud dicit illis verbis, quã quod charitas Dei, qua suos dilectos amat, curat & dirigit ad salutẽ: ita fida sit, certa & immutabilis, vt nulla omnino creatura ab ea nos possit diuellere, aut efficere, vt illã nos desinat amare, vel vt amor eius frustretur suo effectu, puta gratia, iustitia, salute nostra, *quæ est in Christo*, idest, per Christum, qui hanc Dei charitatem sua morte nobis conciliauit; intellige nisi nos sponte per peccatum ab eius amore auellamus, & nolimus ab eo amari & regi; & hoc est quod ait S. Bernardus: *Nulla creatura à Dei charitate separare nos potest, sed sola propria voluntas idipsum potest.* Atque illum esse sensum huius loci cõfirmatur ex alijs locis eiusdem Apostoli, quæ ostendunt hominem posse ex gratia excidere, & debere cautum esse, nempe 1. ad Cor. 10. vbi ait: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Et capite 11. ad Rom. *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time*, scilicet, ne cadas. Quorsum hæ admonitiones, si homo non possit à gratia excidere?

Bernard.

1. Cor. 10.

Rom. 11.

8. Dices iterum, alius adhuc restat scrupulus ex cap. 3. Ioan. 1. epist. vbi dicit: *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quia ex Deo natus est.* Et cap. 2. dicit: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum, sed vt manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis.* Quæ loca videntur in speciem fauere dogmati hæreticorum.

1. Ioan. 3.

Cap. 2.

Respondeo hæc loca nullatenus illis fauere. Nam quoad locum capitis tertij, Ioannes Apostolus nihil aliud voluit dicere, quam hominem non posse mortaliter peccare, quãdiu perseuerat filius Dei, *quoniam semen illius*, idest, charitas, quæ omnibus peccatis lethalibus contraria est, in ipso manet. Charitas enim est plenitudo legis, ac per hoc nullo modo fieri potest, vt sit præuaricator, qui charitatem habet. Id quod de nulla alia virtute dici potest: nam qui fidem habet, qui temperãtiam habet, qui liberalitatem habet, qui fortitudinem habet, qui reliquas virtutes habet, potest qualibet earum retenta contra aliam peccare; at qui charitatem habet, non potest ea retenta cõtra aliã virtutem peccata committere, quoniam charitas virtutes omnes continet. *Benigna est, patiens, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* &c. Quare ipsa sola est certissima nota, qua discernuntur filij Dei à filijs diaboli, quos eo loci Ioannes ab inuicem distinguit. Hoc ipsum quod Ioannes hic dicit etiam Christus dixit Samaritanæ in Euangelio Ioan. 4. cum dixit: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Quibus verbis ei insinuauit Spiritum sanctum hoc operari in nobis, vt non peccemus mortaliter, quamdiu eius gratia in nobis manet: quia sitis desideriorum, & affectuum prauorum, quæ superbos, ambitiosos, carnales, auaros, cæterosque iniquitatis operarios vexat; extinguitur per aquam hanc Spiritus sancti, cuius virtus adeò etiam in hoc seculo operatur, vt iustis & sanctis, quæ prius placebant, & cupiebant, summopere displicet, fiantque molesta, quæ dulcia videbantur ante huius aquæ potum.

Ioan. 4.

Dixi,

Dixi, ne peccemus mortaliter, nam sitis prædicta non tam perfecte in hoc seculo remouetur, quin aliqui motus & leues affectus praui insurgāt. Ait enim Paulus de cōcupiscentia carnali ad Rom. 7. *Sentio*, inquit, *in membris meis legem repugnantem legi mentis meæ*. Verum per aquā hanc fit, vt vel minuatur hæc sitis vel vires accrescant, quibus facilius feratur, nec valeat victoriam de spiritu reportare. Sicut enim qui dat vini potum ferenti pondus non minuit pondus, sed facit, vt illud facilius portet, & leuius videatur viribus auctis ex potu vini: sic efficit gratia Spiritus sancti, vt facilius feramus tentationes carnales, & non succumbamus, quamdiu eam in nobis conseruamus. Et sic intelligendum est etiam quod Christus dixit Matth. 7. *Arbor bona non potest malos fructus facere*, quamdiu scilicet bona manet.

Rom. 7.

Matt. 7.

Quod attinet ad alterum locum capitis 2. Non vult Apostolus dicere eos qui ad hæresim deflexerunt, nunquam vere & ex animo ipsi Christo ipsiusque doctrinæ perfectæ adhęsisse: hoc enim alijs Scripturæ locis repugnat, quæ adduxi in initio huius discursus: sed tantum illos, de quibus agit, sola externa professione doctrinæ cultusque cæteris iunctos fuisse fidelibus; moribus, & fide diffidisse interna: quia nempe illa consequentia erat moraliter euidens, eo quod isti tum temporis nihil potuerint cognoscere de doctrina Christi, nisi per Apostolos: si autem vere credidissent prædicationi Apostolorum, omnino incredibile fore, eos tam cito sine vlla noua ratione contrariā docturos fuisse, arguendo hæreseos ipsos Apostolos magistros suos, qui in doctrinā, quam ab initio ijs tradiderant, persistebant. *Tales fuerunt*, inquit Carthusianus, *Ebion & Cherintus ac Marcion impijssimi hæresiarchæ, qui adhuc viuente sancto Ioanne Euangelista surrexerunt in Asia*, & alij multi, qui agniti non fuerunt antequam se proderent vt exitiale bellum Ecclesiæ inferrent. Huic sententiæ subscripsit Cyprianus de vnitate Ecclesiæ dicens: *Nemo existimet bonos de Ecclesia posse discedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subuertit. Inanes paleæ tempestate iactantur, inualidæ arbores turbinis incursione euertuntur. Hos execratur & percutit Ioannes Apostolus dicens: Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent vtiq; nobiscum.* Satis superque iam cum hæreticis actum.

Carthus.

Cyprianus.

1. Ioan. 2.

9. Sed quæres quæ vtilitas Catholicis emanet ex refutatione dogmatum hæreticorum?

Respondeo variam, prima quod dignoscamus eorum peruersitatem, qua scripturam æmulæ suæ fidei attemperant, indeque magis eorum colloquia & consortia vitemus. Secunda, quod non debeamus mirari, neque à fide deficere, eo quod videamus viros alioquin prudentissimos ab Ecclesia deficere. Nam non probamus fidem ex personis, sed ex fide personas. Pulchrè in hāc rem Tertullianus lib. de præscrip. cap. 3. *Solent quidem isti Miriones* (ita ridiculè nuncupat eos, qui mirantur hæreticos) *etiam de quibusdam personis ab hæresi captis, ædificari in ruinam. Quare illa vel ille fidelissimi, prudentissimi & vsitatissimi in Ecclesia, in illam partem transierunt? Quis hoc dicens, non ipse sibi respondet, neque prudentes neque fideles, neque vsitatos æstimandos, quos hæreses potuerint demutare? Et hoc mirum (opinor) vt probatus aliquis retro postea excidat? Saül bonus præ cæteris; liuore postea euertitur. Dauid vir bonus secundum cor Domini; postea cædis & stupri reus est. Salomon omni gratia & sapientia donatus à Domino, ad idololatriam à mulieribus inducitur. Soli enim Dei filio seruabatur sine delicto permanere. Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si Vidua, si Virgo, si Doctor, si etiam Martyr lapsus à regula fuerit, ideo hæreses veritatem videbuntur habere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas? Nemo sapiens est, nisi fidelis; nemo maior, nisi Christianus: nemo autem Christianus, nisi qui ad finē vsque perseuerauerit.*

Tertull.

1. Reg. 10.

2. Reg. 13.

3. Reg. 11.

3. Reg. 3.

Matth. 10.

Esdræ 8. 1.Reg.16. 2.Tim.2. Matt.15. Matt.10. Matt.3. Luc.3. Ioan. 6.

Tu vt homo extrinsecus vnumquemque nosti: putas quod vides. Vides autem quousque oculos habes. Sed oculi, inquit, Domini, alti. Homo in faciem, Deus in præcordia contemplatur. Et ideo cognoscit Dominus, qui sunt eius, & Plantam quam nō plantauit Pater, eradicat: & de primis nouissimos ostendit: & palam (ventilabrum) in manu portat ad purgādam aream suam. Auolent quantum volent paleæ, leuis fidei quocumque afflatu tentationum, eo purior massa frumenti in horrea Domini reponetur. Nonne ab ipso Domino quidam discentium scandalizati deuerterunt? Nec tamen propterea cæteri quoq; discedendum à vestigijs, eius putauerunt: sed qui scierunt illum vitæ esse verbum; & à Deo venisse, perseuerauerunt in comitatu eius vsque ad finem: cum illis, si vellent & ipsi, discedere, placidè obtulisset.

Confirmat hoc ipsum Cyprianus epist.55. verbis Pauli inquiens: *Paulus monet nos, cum mali de Ecclesia pereūt, non moueri, nec recedētibus perfidis, fidem minui. Quid enim, inquit, si exciderunt à fide quidam eorum, nunquid infidelitas illorum fidem Dei euacuauit? Absit. Est enim Deus verax, omnis homo autem mendax.* Tertia, quod salubriter per hoc moneamur cauti esse, & attendere ad verba Apostoli: Qui stat, videat ne cadat; non solum ergo de numero censeamur Christianorum: sed etiā merito, contendamus & impetremus precibus ac bonis operibus perseuerantiam, vt sic salui fiamus. Cypr. epist. 55. Rom. 3.

Discursus XXXVII.

Qua de causa contingat hominem excidere à charitate, & de remedio lapsum iuuandi.

PRouerb. 4. dicitur: *Semita iustorum, quasi lux splendens, quæ procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Quibus verbis significat hominem iustificatum semper debere proficere in virtute, & quia contrarium sæpe experimur, nēpe quod quis à gratia Dei excidat, hinc quęram quod in argumento ponitur.

1. Huius quæsiti respōsio in prōptu est. Causa enim est hæc, quod quis iustitiā semel acquisitā bonis operibus nō cōseruet: vti necessariū esse probatur verbis Christi Ioan. 15. *Si præcepta mea seruaueritis manebitis in dilectione mea.* Et v. 14. ibid. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis.* Deinde ex Apostolo Petro, 2. Petr. 1. instanter monente: *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Item ex D. Paulo, qui ad Rom. 6. hortatur fideles, vt iustitiæ, per Christum acceptę seruandæ & augendæ studeant; & par esse dicit, vt membra sua tradant in obsequium iustitiæ ad vitam æternam consequendam, quæ prius tradiderant immunditiæ ad mortem, in verbis: *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* quasi dicat, Ego à vobis rem æquam exigo moderatam & facilem; non vt olim à Iudæis exegit Baruch Propheta cap. 4. vt decuplarent cursum in stadio virtutis, dicens: *Sicut enim fuit sensus vester, vt erraretis à Deo, decies tantum iterum conuertentes, requiretis eum:* sed dumtaxat vt tanto conatu, studentes indies magis sanctificari, quanto olim studuistis iniquitati ad iniquitatem: ita vt ex vna rueretis in aliam, & fieretis semper sceleratiores. Audi desuper Anselmū ex S. Augustino disserētem: *Sicut,* inquit, *ad peccandum vos nullus cogebat timor;*

Ioan. 15. Vers. 14. 2.Pet.1. Rom 6. Baruch. 4. Anselmus.

timor, sed ipsius libido, voluptasque peccati: sic ad iuste viuendum non vos supplicij metus vrgeat, sed ducat delectatio, charitasque iustitiæ. Sicut ergo ille iniquissimus est, quem ne pœna quidem temporales deterrent ab immundis operibus sordidæ voluptatis: ita iustissimus ille est, qui ne pœnarum quidem temporalium timore, euocatur à sanctis operibus luminosissimæ charitatis. Rursum Originem: *Pudorem*, inquit, *hisce verbis auditoribus incutit Apostolus vt hoc saltem vel sequi impendant iustitiæ, quod prius impenderunt iniquitati; quasi dicat: Currebant prius pedes vestri ad effundendum, nunc autem ad liberandum sanguinem currant. Protendebantur prius manus, vt aliena diriperent, nunc protendantur, vt propria largiantur. Circumspiciebant prius oculi alienum ad concupiscendum, nūc circumspiciant pauperes ad miserendum, & vniuscuiusque membri ministerium, quod exhibuit vitijs, aptet virtutibus, & actum quem exhibuit immunditiæ, ad castitatem nunc sanctitatemque conuertat. Videtur hanc iustitiam hic pro omnibus simul virtutibus nominasse: sicut è contrario iniquitatem pro omnibus simul vitijs posuisse.* Opponit enim Apostolus à versu 12. hucusque regnū iustitiæ & regnum peccati, siue iniquitatis & iniustitiæ.

Origenes.

2. Quæres quorsum hoc ita vrgeat Apostolus? Respondeo primo, quia non proficere deficere est, iuxta Apostolum Petrum, *Melius erat non cognoscere viam iustitiæ, quam cognoscentes retrorsum conuerti.* Secundo quia ex incuria prætermittens quæ prius ædificauerat, facit ea sponte ruere. Hinc Sapiens Prouerb. 18. *Qui mollis est ac dissolutus in opere suo, frater est opera dissipantis.* In quæ verba Gregor. Past. curæ, p. 3. adm. 35. *Si inchoata bona fortis manus operantis ad perfectionem non subleuat, ipsa operandi remissio contra hoc, quod operatum est, pugnat. Hinc est quod per Salomonem dicitur, Qui mollis & dissolutus est &c. Qui videlicet cœpta bona districte non exequitur, dissolutione negligentiæ, manus destruentis operatur.* Et Apocalypſ. 3. cap. dicit Christus cuidam in se confidenti tanquam iusto: *Vtinam calidus esses aut frigidus: sed quia tepidus es* &c. *incipiam te euomere ex ore meo.* Id est, Vtinam ferueres charitate, aut frigidus esses, seu in maiora peccata relapsus ex hoc agnosceres miserabilem statum tuum, in quo versaris, & de mutatione eiusdem cogitares agendo pœnitentiam: sed quia sine gratia es, & iustum te credis cū reuera omni gratia sis exutus & destitutus (hoc enim innuunt verba versus 16. *Quia dicis quod diues sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus & nudus*) incipiā te euomere ex ore meo, idest, non statim euomam, sed postea, iam mihi nauseam moues, & vomitū prouocas, & cito, nisi calidus fias, euomeris: vtitur autem verbo *incipiā*, quia neminē Deus plane in hac vita euomit: neminē enim ita deserit, vt necessarijs ad salutem destituat auxilijs, sed incipit tamen euomere, quia peculiaria quædam nō largitur gratiæ adiumenta & præsidia: vel quemadmodum annotauit Richardus de S. Victore: *Quia qui per teporem resoluitur, non subito à gratia deseritur, vt statim in mala præcipitet, sed primum minima, deinde maiora contemnens, gradatim à summis descendit, atq; ad ima ruit.*

2. Pet. 2.

Prou. 18.

Gregorius.

Apoc. 3.

Richardus.

3. Quæres iterum quare Deus tātopere homini sic tepido minas intentet. Respondeo vt resipiscat antequam in grauiora mala relabatur. Communiter enim sequitur ex huiusmodi tepiditate acedia seu tristitia, qua dolet se à Deo ita creatum esse, vt necessario debeat per fugam vitiorum & mandatorum obseruationem ad beatitudinem peruenire, & hinc velle se animal esse irrationale & cælum ac infernum ad se nō pertinere, vt possit sine timore suis cupiditatibus ac otio indulgere; quę tristitia peccatum grauissimū mortale continet, cum deliberata est, quam huius seculi vocat Apostolus & mortem operari pronuntiat dicens 1. ad Corinth. 7. *Tristitia huius seculi mortem operatur.* Continet enim apertum contemptum amicitiæ diuinæ ac status filij, æternæq; beatitudinis, & facit deliberate violare præcepta, tum iuris naturæ

1. Cor. 7.

tum positiui grauiter obligantia; quod amplius est, abominari eadem præcepta, Sacramenta, ieiunia, ac alia huiusmodi spiritualia exercitia, vnde morti spirituali appropinquat, iuxta illud Ps. 106. mystice explica- Psal. 106. ti. *Omnē escam abominata est anima eorū, appropinquauerunt vsque ad portas mortis*, seu tœdio ac languore ita affecti, vt respuant alimoniam cœlestem, periculo se exponunt ex nausea & fastidio æternum pereundi: cibus enim spiritualis hominis est verbū Dei, Corpus Christi, facere eius voluntatem, & gaudere de bonis operibus, vt patet Deuteron. 8. v. 3. Deutr. 8. v. 3. *Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu & patres tui, vt ostenderet tibi, quod non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Domini.* Ioan. 6. *Caro mea* Ioan. 6. v. 55. *verè est cibus, Sanguis meus verè est potus*, &c, *qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem habet vitam aeternam*: Et Ioan. 4. v. 34. *Meus cibus* Ioan. 4. v. 34. *est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* Tum Isaiæ Isai. 3. 3. vbi Isaias Propheta sic ait: *Dicite iusto, quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet*, id est, O vos meorum consiliorum præcones annuntiate iustis, quod ex bonorum operum semine metent fructus gaudij, gloriæ & exultationis, tum in hac vita, tum maxime in futura: adeoque tristitia hæc repugnat gaudio vni ex fructibus charitatis. Demum disponit hominem sic ad omnem contemptum rerum di- Prov. 18. uinarum, iuxta illud Prouerb. 18. v. 3. *Impius cum in profundum venerit peccatorum contemnit*, id est, Cum impius peccatis suis ad profundissimas tenebras delapsus est, verecondiam exuit. Audi si placet authorem operis imperfecti, homil. 4. in Matth. vbi sic ait: *Homo qui aliquod graue peccatum fecit, quasi amplius non habeat, quod iam speret in Deum, alia committit, dicente Salomone: Cum venerit impius in profundum malorum contemnit: sicut enim infirmus donec mediocriter habet aliquam passionem, & sperat se posse curari, seruat se à nociuis escis, si autem intellexerit insanabilem se esse, iam non sibi parcit: sic & homo, donec mediocriter peccat, & sperat salutem, quantumcumque potest obseruat se à malo, si autem grauiter peccando cœperit desperare, iam nihil dubitat facere, quasi qui iam peccatis suis vicit iudicium Dei.* Hæc ille. Et hinc Salomon rerum humanarū & diuinarum peritissimus Prouerb. 24. dicit se expe- Prov. 24. rientiā cōperisse hominem auersum à curis spiritualibus inuolui omnibus malis, his verbis: *Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat.* Id est, Cum aliquando forte fortuna per agrum, vineamque viri socordis, negligentisque iter regerem, vidi vtrique ob Domini incuriam sementem bonam, quam nuper in agrum sparserat, carduis vrticisque adnascentibus peremptam; vites etiam imputatas & infectas, in syluestres labruscas conuersas, ac demum maceriam ruina ingenti depulsam fuisse.

Quem locum penitius enucleans D. Gregorius lib. 30. Moral. cap. 20. Gregorius sic ait: *Per agrū hominis pigri, atque per vineam stulti transire, est cuiuslibet vitam negligentis inspicere, eiusque opera considerare; quam vrticæ vel spinæ replent, quia in corde negligentium prurientia terrena desideria, & punctiones pullulant vitiorum: quia scriptum est, in desiderijs est omnis ociosus. Maceria lapidum destructa erat, id est, disciplina patrū ab eius corde dissoluta erat.* Hinc Sapiens Eccles. 6. præcipit vt quis se totum à Eccles. 6. sapientia cohiberi & captiuari, omnesque sensus suos & affectus eius disciplina & præceptis constringi, vt quidquid ea faciendum decreuit, id non detrectet exequi, etiamsi molestum carni videatur, in verbis: *Subijce humerum tuum & porta illam*, supple sapientiam, *& ne acedieris vinculis illius.* Hoc est, ne tristeris vel tœdio afficiaris ob vincula eius veluti manibus tuis iniecta. Et vt ait alibi: *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi*, quod tam de tristitia huius seculi, quam alterius

alterius intelligi potest: quia, vt ait alibi: *Vermis eorum non morietur*, id est, dolor damnatorum animas excrucians.

4. Quæres quid remedij pro ijs qui sunt huiusmodi malo irretiti, an sic relinquendi, vt pereant? absit. *Vnicuique* enim *Deus mandauit de proximo suo*, Ecclesi. 17. Primum igitur oratione nostra iuuandi; hoc docuerunt suo exemplo Moyses, Samuel & Ieremias, qui pro populo in altero malo versante, Deum deprecati sunt. Hoc S. Stephanus Act. 7. orando pro Saulo; sancta Monica cum lachrymis orans pro filio suo Augustino Manichæorum errore infecto. Talium enim fidem & orationẽ intueri & audire solet Deus, vt patet Matth. 9. in Paralitico, in Paulo & Augustino; idque non ex condigno, sed de congruo.

5. Secundò, socordia eorum excutienda est: sic egit Chrysostomus epist. 6. ad Theodorum lapsũ cum eodem, illum sic compellans: *Non est graue Theodore charissime cadere luctantem, sed iacere deiectum: non est perniciosum in prælio vulnerari, sed post vulnus acceptum desperatione curandi medelam, vlceri denegare. Nullus se demergit, naue fluctibus semel mersa, ac post totum onus perditum desijt nauigare: sed rursus ad maria nudus quoque festinat, rursus immensa peruolat freta, & iterato facilius cursu, casus prioris damna compensat. Sæpe etiam athletas videmus, post frequentes lapsus & deiectiones plurimas coronatos; militem scimus quoque post fugas multas virum fortem fuisse, & vicisse victores. Multi etiam qui negauerant prius Christum propter crudelitatem, necessitatemque pœnarum, simile rursus certamen aggressi gloriose coronam martirij receperunt.* Chrysost.

6. Tertiò, proponendo illi Dei potentiam simul & misericordiam, qui etiam morbos hominibus incurabiles facile curare potest, vt patet in leprosis à Christo curatis Luc. 15. cap. vnde idem Chrysostomus epist. 5. ad eundem Theodorum: *Hominibus*, inquit, *hoc esse supra vires apparet, Deo tamen omnia in manu sunt. Is est enim qui erigit è terra mendicum,* Idem.
& è stercore exaltat pauperem, vt sedeat cum principibus, principibus populi sui. Is est qui facit incolere sterilem in domo, matrem propter liberos lætantem. Itaque ne desperes ad optima commutari. Quod si cacodæmon tantum potuit, vt te à vertice illo & fastigio virtutis, in extremum malitiæ detruderet: multo magis Deus in pristinam te poterit vindicare libertatem, neque in eam solum, sed tibi multo feliciorem, quam fuit prior, perficere. Idque confirmat exemplis Achab, Manassis, Fornicarij 1. Corinth. 5. qui per pœnitentiam in gratiam redierunt. Addo exemplum Pauli ex quo D. Augustinus serm. 10. de verbis Apostoli explicans verba 1. ad Timoth. 1. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus: quia Christus* IESVS *venit in mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum* &c. inquit in persona Pauli: *Christus daturus veniam conuersis ad se peccatoribus vsque ad inimicos suos, me primo elegit acriorem inimicum, quem cum sanaret, nemo in cæteris desperaret. Faciunt hoc medici, quando ad ea loca veniunt vbi ignoti sunt, quos curent primitus eligunt desperatos, vt in eis & beneuolentiam exerceant, & commendent doctrinam, vt vnusquisque in illo loco dicat proximo suo, Vade ad illum medicum, securus esto, sanat te. Et ille, me sanat? Non vides quid patiar? Ego noui quid simile, Tu quod pateris, & ego quidem passus sum. Sic dicit Paulus vnicuique ægroto, & de se volenti desperare, Qui curauit me, misit me ad te, & dixit mihi: Illi desperanti vade, & dic quid habuisti, quid in te sanaui; quam cito sanaui. De cælo vocaui, vna voce percussi & deieci, alia erexi & elegi, tertia impleui & misi, quarta liberaui & coronaui. Vade dic ægrotis, clama desperatis, Fidelis sermo & omni acceptione dignus; quia Christus* IESVS *venit in mundum peccatores saluos facere. Quid timetis? Quid trepidatis? Quorum primus ego sum. Ego, inquit, vobis loquor, sanus ægrotantibus, stans iacentibus, securus desperantibus, ideo enim misericordiam consecutus sum, vt in me ostenderet Christus* IESVS *omnem longanimitatem. Morbum meum diu pertulit, & sic abstulit, tanquam bonus medicus phreneticũ patienter tolerauit,* 1. Cor. 5. 1. Tim. 1.

sustinuit me ferentem se, donauit mihi feriri pro se. Omnem, inquit, longanimitatem ostendit in me, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam. Nolite ergo desperare.

7. Quarto tum terrore gehennæ & grauitate pœnarum, vt solet Dominus agere per Prophetas in veteri Testamento: tum & magis contemplatione visionis beatificæ. Hoc modo egit Chrysostomus dicta epistola quinta, cum præfato Theodoro, sic inquiens: *Dic obsecro, si quis te in theatrum induceret, vbi magna multitudo hominum sederet, amicta stolis aureis, & in medio omnium ostenderet aliū quendam ornatum eximiè gemmis, regio vestitu insignem, coronam habentem in capite, deinde polliciatur te assumpturum in numerum eorum, num omnia faceres quæ ipse iusserit?* Tum subiungit: *Euola nunc in cælos animo, in illud intende theatrum, quod non coijt ex huiusmodi viris. Conuentus est illic eorum, qui exuperant omne pretium auri, lapidum pretiosorum, radiorū solis, & omnis visibilis formæ, nō hominum solum, sed eorū, qui hominibus antecellunt angelorū, archangelorum, thronorum, dominationum, principatuum, potestatum. De Rege ipso*, inquit, *nihil satis idoneum dici potest, adeo sermonem & mentem omnem excedit eius pulchritudo, formositas, splendor, gloria, maiestas, magnificentia.* Hinc dictis infert: *Tantumne bonorum à nobis ipsis submouebimus, quo declinemus exigui temporis laborem? Quod si quotidie foret infinities moriendum, ferendum tamen esset. Præterea gehennam tormentaque omnia conuenit sustinere, vt videre queas Christum venientem in gloria sua, & conscribi ordini Sanctorum. Audi quid Petrus dicit, Bonum est nos hic esse. Si Petrus, qui vidit obscuram quandam imaginem futurorum, omnia continuo reiecit ab animo propter voluptatem inditam animæ à tali aspectu: quid dicemus, quādo rerū veritas aderit, quando regijs cubiculis adapertis cōtueri licebit ipsum regem, non per ænigma, nec per speculum, sed facie ad faciem.* Ac demum vt magis corroboret, ostendit nihil esse pœnam sensus effugisse præ pœna damni. *Sunt quidā*, inquit, *absurdi iudicij, ij dumtaxat amant effugisse gehennā: contra ego multo durius esse tormentum quoddam assero, quam gehenna est: hoc est, non assecutum esse tantam gloriam, & illinc lapsum esse. Nec opinor equidem tanto dolore lugendum de malis gehennæ, quanto necesse est casum deplorare, quod de cælis excidimus, qui est cruciatus nimirum dirissimus.*

Chrys. epist. 5.

Discursus XXXVIII.

An Deus sacrificijs coli debeat?



Deuter. 6

Deuteron. 6. dicitur: *Dominum Deū tuum adorabis, & illi soli seruies.* Quibus verbis Moyses loquitur de adoratione Deo soli debita, tanquam rerum omniū principio atqui, hanc adorationē ad hoc præceptū pertinere, satis colligitur ex verbis: Ego sum Dominus Deus tuus. Cum enim scriptum sit Matth. 7. *Nemo potest duobus Dominis seruire*, eiusdem rationis esse videtur, & sub eodem præcepto cadere: *Ego sum Dominus Deus tuus &c.* ac *non habebis Deos alienos coram me*, adeoque insinuant Deum verum singulariter esse colendum & adorandum, & hoc fuisse propositum, & in memoriam redactum, vt inde facile intelligeretur ratio præcepti negatiui, expressi per verba: *Non habebis Deos alienos.* Vnde tractabo quod in argumento ponitur.

Matth. 7

1. Ad huius quæsiti intelligentiam prænotandum est hominem duplici natura constare, corporali nimirum & spirituali, & ideo vtriusque actibus ab ipso coli deberi Deum, quia vtriusque auctor est, & inde quamlibet legē præscribere duplicem cultum, vnum internum, qui consistit in actu fidei, spei, timoris

moris & dilectionis, de quibus iam late egimus. Alterum externum, quo Deum adoramus signo iam imposito ad significandum peculiari modo Dei excellentiam.

2. Rursum notandum est illum modum adorationis esse duplicem; vel priuatim, vel publicum. Priuatus est, quando certo motu corporis Deum adoramus, vt genuflectione, aut eleuatione manuum ad cœlum.
2. Paral. 6. Sic 2. Paralip. 6. de Salomone legitur: *Flexis genibus contra vniuersam multitudinem Israël, & palmis in cœlum leuatis, ait: Domine Deus Israël, non est similis tui Deus in cœlo & in terrâ: qui custodis pactum & misericordiam cum seruis tuis, qui ambulant coram te in toto corde*
1. Esd. 9. *suo.* Sic 1. Esd. cap. 9. Esdras de se dicit: *Curuaui genua mea, & expandi manus meas ad Dominum Deum meum.* Et Dauid hoc videtur existimasse proprium signum veræ adorationis veri
Psal. 43. Dei. Vnde dicit Psal. 43. *Si expandimus manus nostras ad Deum alienũ, nonne Deus requiret ista?* De genuflectione
Daniel. 3. par videtur ratio. Nam ideo tres pueri in Babylone Daniel 3. noluerunt procidere ad adorandam statuam Nabuchodonosoris, etiamsi statuta esset pœna mortis. Deinde
Matth. 4. Diabolus Matth. 4. hoc modo tentauit Christum, quod daret illi omnia regna mundi, si procidens adoraret eum; forsitan ex eo quod tres
Matth. 2. Reges Matth. 2. sic Christum adorarint vt hominem & Deum.

3. Verum hic mos procidendi, siue pectus tundendi, vt publicanus misericordiam deprecabatur, aut alius similis, nisi determinetur ad huiusmodi adorationẽ, incertus est. Nam homines etiam sic adorari solent, & signa reuerentiæ, quæ Deo ipsi per corpus exhibentur, hominibus etiam leguntur exhibita. Sic Ruth. 2.
Ruth. 2. prostrata in terram adorauit Booz,
1. Reg. 25. & Abigail adorauit Dauid 1. Reg. 25 cum eius iram voluit placare, quam conceperat contra maritum eiusque familiam. Iudith etiam cap.
Iud. 10. 10. viso Holoferne *adorauit eum pro-*
4. Reg. 1. *sternens se super terram.* Et 4. Reg. 1. tertius quinquagenarius *curuauit genua contra Eliam; & precatus est eum, & ait: homo Dei noli despicere animam meam, & animas seruorum tuorum, qui mecum sunt.* Vnde si ab aliquo priuatim fiat similis corporis motus adorandi loco secreto, ex intentione eius habebit suam significationem, nec erit peccatum hunc immutare. Si vero fiat priuatus hic motus adorandi publicè, tunc necesse erit talibus signis vti, quæ alios non offendant. Vnde dum quis transit ante venerabile Sacramentum, vel in Ecclesia, vel cum defertur ad ægrotos, vel solemmitatis causa, non faciens reuerentiam motu corporis exhiberi solitã, grauiter peccat, videlicet cũ non subest rationabilis causa. Hæc de priuato modo adorãdi, de quo hic non disputamus.

4. Est alter modus publicæ adorationis per sacrificium & orationẽ publicam, quæ duo actionum genera inuenta sunt apta & sufficientia ad Deum adorandum publico cultu & ritu. Et maxime primo per sacrificium, quod omnes gentes ita soli Deo conuenire existimarunt, vt nulli alteri id offerendum vlla gens Augustin.
censuerit, quam Deo siue vero siue falso, siue putatiuo, teste Augustino, qui lib. 10. de ciuitate Dei capite 4. tranctans quod vni Deo sacrificium debeatur, dicit: *Multa denique de cultu diuino vsurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis: siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera: ita tamen vt quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi & venerandi: si autem eis multum additur, & adorandi. Quis vero sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum aut sciuit, aut putauit, aut finxit? Quam porro antiquus sit in sacrificando Dei cultus, duo illi fratres Cain & Abel satis indicant, quorum maioris reprobauit sacrificium, minoris aspexit.*

5. Porro iam quæritur an illud tantum congruè Deo exhibeatur, an vero ex præcepto legis naturalis diuinæ vel Ecclesiasticæ debeatur?

Respondeo quantum ad legem naturalem colere Deum per visibile sacrificium & externam oblationẽ, licet

licet non sit in rigore præscriptum lege naturæ, esse tamen adeo consentaneum illi, vt semper quasi fuerit de iure Gentium; quod quodãmodo naturale dicitur. Et sic intelligendus est D. Thomas, cum dicit 2. 2. q. 85. art. 1. sacrificiorum oblationem esse de iure naturali. Quod confirmatur ex ipso vsu, qui ab exordio mundi ostendit inclinationem hominis naturalem talem fuisse, vt omnium animis de hoc religioso cultu fuerit insita cogitatio. Quemadmodum patet exemplo Abelis & Cain, qui Genesis 4. leguntur Deo sacrificia obtulisse. Ille de fructibus terræ; hic de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Quem ritum sacrificandi docet Athanasius, Cain & Abel à patre Adamo didicisse, In dictum: *Omnia mihi tradita sunt* &c. Quo loco probare volens Prophetas Deo concorditer loqui, his vtitur verbis: *Quæ enim Moyses docuit, eadem illa Abraham obseruauit, Noë cognita habebat, distinguens munda ab immundis, neque Abelem latuerunt offerentem ex primogenitis, quippe qui aliud didicerat ab Adam, qui ea ex Deo audiuerat.*

D. Thomas. Genes. 4. Athanas.

Adstipulatur Chrysostomus, qui docet Abelem & Cain naturali lege ad sacrificãdum Deo ductos fuisse. Sic enim ait homil. 18. in Genesim *Considera quo modo naturæ conditor scientiam animæ indidit. Quis enim illum, dic oro ad hanc cogitationem perduxisset? nullus alius, quam quæ in animo conscio scientia. Obtulit, inquit, de fructibus terræ sacrificium Domino. Sciebat enim, & clarè sciebat; quod congruum esset ex suis possessionibus aliquid Deo offerre: non quod eo Dominus indigeat; sed vt suam gratitudinem declaret, qui tali beneficio fruitur. Nulla enim re indiget Deus, nullisque nostris opus habet. Cæterum ob ineffabilem misericordiam ita nostræ infirmitati se attemperat, & propter salutem nostram hæc fieri tolerat, vt Dei agnitio humanæ naturæ virtutis sit schola.*

Chrysost.

Et exemplo Melchisedech Genes. 14. qui vt Sacerdos Dei altissimi legitur in pane & vino sacrificasse, illa enim Deo obtulit primariò in sacrificium deinde dedit militibus, non vt inde famem & sitim exstinguerent, sed vt sacrificij essẽt participes.

Genes. 14.

Hoc ipsum etiam constat exemplo Abrahæ, qui Genesis 15. cap. volens modum scire promissionis Dei, qua promittebat semen eius numerosum futurum instar stellarum cœli, & simul terram Chanaan; & eius, quod crediderat, symbolũ aliquod & similitudinem sibi exhiberi in vtilitatem posterorum, quo firmius crederent Dei promissis, edoctus est à Deo sumere vaccam triennem, capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Idque primo in vsu fœderis, quod cum ipso more & ritu eorum pacisci, & animaliũ occisione, ac diuisione sancire vellet. Secundo vt per ista, ipsi adumbraret & significaret, quæ posteris ipsius euentura erant, tum læta, tum tristia, antequam inirent possessionem terræ Chanaan. Tertio, quod hic seruit, vt post initium cum eo fœdus illis animalibus ipsi sacrificaret.

Adhæc Deus probare volens fidem Abrahæ Genes. 22. iussit eum sacrificare sibi filium suum, cuius præceptum tanti æstimauit, vt non obstante promissione Dei, quod in Isaac multiplicaret semen eius, paratissimus fuerit eundem in holocaustum offerre, ne gratis crederet, nolens filium immolare, sciens Deo iubente in quauis etiam materia, ei esse sacrificandum. Iob etiam alio remedio non putauit Deum suis propitium seruare, nec placandum, si occulta inter filios regnarent peccata, quam quotidiano sacrificio. Sic enim habetur Iob 1. *Cumque in orbem transijsset dies conuiuij mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis: dicebat enim, ne forte peccauerint filij mei & benedixerint Deo in cordibus suis.* Id est, Postquam conuiuialis ordo transijsset, inuitabat ipse Iob liberos suos ad sacratiores epulas, & per nuntium, præuiam aliquam purificationis

Genes. 22. Iob. 1.

ficationis sanctificationisque cæremoniam, indicens, sacrificio matutino dignè & sanctè iubebat interesse. Deinde his cum primum Deo oblata essent, cum religione & iucunditate frui; insuper pro singulis filijs, quos sigillatim vnicè diligebat, singula apparabat sacrificia, quibus illorum peccata expiaret; si quid forte inter lautiores epulas per negligentiam admisissent, & vel leuiorē cogitationē, quæ Dei cōspectu, corda scrutantis, indigna esset, cordibus concepissent. Et additur, *sic faciebat Iob cunctis diebus*, id est, sic sacrificabat post euolutam cōuiuialē hebdomadam octauo quoq; die.

6. Ex quibus omnibus colligitur hunc ritum sacrificandi, tum ex inspiratione, tum ex præcepto Dei ortum habuisse, & legitimâ consuetudine firmatum esse. Insuper Deum voluisse in re sacra diligentiam & sollicitudinem adhiberi: non enim gratis pro laude Iob dicuntur hæc verba: *Consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis*, seu hæc cura religionis Iobum excitabat à somno, & vigilantis animum prima occupabat. Nec è contrario Scriptura sacra Caini contemptum & negligentiam obseruauit, dum Genes. 4. dicit: *Factum est post multos dies, vt offeret Cain de fructibus terræ munera Domino.* Teste enim Ambrosio lib. de Cain & Abel cap. 17. dupliciter peccauit Cain, his verbis: *Duplex culpa* (supple fuit in Cain) *vna quod post dies obtulit; altera quod ex fructibus, non ex primis fructibus. Sacrificium autem & celeritate commendatur & gratia.* Genes. 4. Ambrosius

Probatur secundò eadem necessitas ex lege Mosaicâ; vbi cum Deus per Moysen scripto dedisset Legem naturalem Decalogi; Præcepta quoque iudicialia; tandem tradidit etiam cæremonialia, id est, cęremonias & sacrificia quædam instituit ad cultum suum; quæ præcepit ob diuersas causas certisque modis offerri, vt tradit Liber Leuiticus. Illa autem ratione formæ ac finis erant triplicia, nempe Holocaustum, Sacrificium pro peccato; & hostia pacifica, de quibus Diuus Thomas 1. 2. q. 102. ar. 2. ad 8.

7. Ad hæc nota Deum voluisse in initio rerum, visibili signo ostendere, oblata sibi sacrificia esse grata; nempe missione ignis de cœlo, qui illa absumeret, vt patet Leuit. 9. cap. vbi Araone summo sacerdote creato, & primum sacrificante, ignis de cœlo missus, holocaustum deuorauit. Salomonis etiam templo ædificato Sacerdotibus ibi sacrificantibus, ignis quoque sacrificia absumpsit. 2. Paralip. 7. dū Gedeon in ducem populi Israël assūmitur, in signum quod à Deo hæc esset vocatio, sacrificium quod offerebat, tangente Angelo summitate virgæ petram, ignis qui ex ea ascendebat, consumpsit: vt ex hoc dignosceret Gedeon Angelum esse Dei personam repræsentantem, quo cum loquebatur, certoque sciret se destinatum liberatorem Israëlis de manu Madian. At qui hoc signo tradunt Patres etiam in lege naturæ declarasse Deum sibi placere oblationes Abelis; non autem Cain, quod illas igne de cœlo misso combusserit & consumpserit, has minimè. Idque quia soluit Deus in quauis occasione hoc signo probare & acceptare sacrificiaē, quadmodum constat ex prædictis, & Iudic. 13. vbi Sampson nasciturus ab Angelo prædicitur matri & deinde patri, & ex eius instinctu pater offerēs Deo sacrificiū, illud consumptum est per ignem altaris, vt innuunt verba: *Cumque ascenderet flamma altaris in cælum, Angelus Domini par in flamma ascendit.* Denique 3. Reg. 18. cum differentia esset de vera Religione illius sacrificium igne consumptum est, qui veram religionem tuebatur. Nonne hæc satis reuincunt quam Deus testatum voluit Sacrificij cultum? Leuit. 9. 2. Paral. 7. Iudic. 13. 3. Reg. 18.

8. Probatur tertiò huiusmodi necessitas ex lege Euangelica, vbi Christus legitur duplex instituisse Sacrificium: vnum cruentum, quo in ara Crucis Deo Patri oblatus est, pro expiatione nostrorum peccatorum.

rum. Alterum incruentum, quo idem Christus quotidie sub specie panis & vini offertur in altari, partim in memoriam cruenti illius sacrificij, partim ad colendum Deum, ad gratiarum actionem pro beneficijs acceptis, ad impetranda noua beneficia; demum ad placandum Deum.

Porro nota hæc duo Sacrificia quoad rem oblatam esse tantum vnum, nam in vtroque est vna & eadem res oblata, nẽpe Christus Dominus quoad modum vero & ritum offerendi duo sunt. Nam Christus in altero oblatus est cruento modo, & in propria specie humanâ, per realem sui occisionem nunquam repetendam, quo tendunt verba Pauli ad Hebræos 4. *Vnâ oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.* In altero, offertur incruento modo, & sub specie alienâ, sine reali sui occisione, quo modo semper repeti iussit, in verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, vt sic esset *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* vti dictum Psal. 109. Audi desuper Patres Concilij Tridentini sess. 22. c. 1. vbi sic habetur: *Deus & Dominus noster, etsi semel seipsum in ara Crucis, morte intercedente Deo patri oblaturus erat, vt æternam illic redemptionem, operaretur: quia tamen per mortem Sacerdotium eius extinguendum non erat, in cœnâ nouissimâ, quâ nocte tradebatur, vt dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud, semel in Cruce peragendum repræsentauit, eiusque memoria in finem vsque sæculi, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur peccatorũ, applicaretur, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans; corpus & sanguinem suũ sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit: ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc noui Testamenti Sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit, & eisdem eorumque in Sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, vti semper Ecclesia Catholica intellexit, & docuit.*

Hebr. 4.
Psal. 109.
Concil. Trident. sess. 22. c. 1.

9. Ad pleniorem intelligentiam nota verbum facere, tam apud Gẽtiles, quam Hebræos, sumi pro sacrificare. Patet quoad Gentiles Iob. 1. vbi de ipso sacrificante singulis octiduis dicitur: *Sic faciebat Iob cunctis diebus*, id est, sic sacrificabat Iob quoque octauo die. Hanc autem significationem habuisse verbum, *facere*, apud Gentiles, confirmatur ex Virgilij Ecloga 3. vbi ait: *Facere vitula pro frugibus.* & Varrone lib. 5. de lingua latina, vbi ait: *Agnam Ioui facit*, id est sacrificat. Et idem Author lib. 4. tradit etymologiam nominis, *Pontifex*, prouenire iuxta sententiam Quinti Sceuolæ, quod sit, potens facere, idest, sacrificare. Quoad Hebræos vero plurima Scripturæ loca id manifestissime probant. Duo aut tria tantum recensebo, nempe Leuit. 15. vbi Moses loquens de duobus turturibus, aut duobus pullis columbæ pro seminifluo offerendis ad ostium tabernaculi testimonij, dicit: quod *dabit eos Sacerdoti, qui faciet vnum pro peccato, & alterum in holocaustum.* Id est, immolabit vnum pro peccato legali ad purgandam immunditiam ex lege contractam: alterum pro peccato propriè dicto, si quod habeat needum expiatum, cuius symbolum erat prius peccatũ legale. Elias quoque 3. Reg. 18. illud sic vsurpauit, cum enim quęstio esset inter Prophetas Dei, & Prophetas Baal, & vtrique se dicerent à Deo missos, ac Elias proponeret missionẽ probãdam, sacrificio miraculosè cælitus per ignem consumẽdo, vsus est his verbis: *Dentur nobis duo boues, & illi eligant sibi bouem vnum, & in frusta cædentes ponãt super ligna, ignem autem non supponant, & ego faciam bouem alterum*, idest, sacrificabo bouem alterum. Oseæ etiam 2. capite vbi Deus minatur quod ab impijs hominibus resumet frumentũ suum ac vinum cum maxime indigebunt, & linum ac lanam quibus suam nuditatem atque ignominiam tegunt, quasi ab alienis possessoribus, quibus iniustè seruiunt, causam indicat his verbis:

Iob. 1.
Virgilius.
Varro.
3. Reg. 18.
Oseæ 2.

verbis: *Et hæc nesciunt, quia dedi frumẽtum & vinum & oleum & argentum multiplicaui ei, & aurum quæ fecerunt Baal.* Id est, quia hæc bona, quæ à liberali mea manu acceperunt, & in bonum vsum debuissent expendere, me neglecto, sacrificârunt Baal, idcircò tanquam ab iniustis possessoribus illa mihi vindicabo. Similia pluries occurrunt in Scripturis, sed hæc sufficiunt ad firmandum præceptum Domini. Addo tamen locum Pauli ad Hebr. 7. quo patet, ipsum necessitatem sacrificij satis explicasse dicentẽ: *Translato Sacerdotio necesse est, vt & legis translatio fiat.* His enim verbis certum est insinuari sub nomine Sacerdotij, comprehendi etiam Sacrificium, & per legem intelligi, legem diuini cultus, adeò vt sensus sit verborum Apostoli: Sacrificium & lex diuini cultus ita connexa sunt, vt vnum sine altero esse non possit; & vno translato, alterum quoque transferri necesse sit. Vnde sicut est triplex lex, quæ præscribit diuinum cultum: Vna naturalis ab Adamo vsque ad Moisen: altera Mosaica, à Moise vsque ad Christum: tertia Euangelica, à Christo vsque ad finem mundi: ita triplex debet esse Sacrificium: vnum, quo colitur Deus iuxta legem naturalem: Alterum quo colitur iuxta Mosaicam: Tertium, quo iuxta Euangelicam. Et quotiescumque lex diuini cultus mutatur, toties Sacrificium mutari necesse est. Atque ita necessariò sequitur, vbicumque est peculiaris lex & religio, ibi debet esse peculiare sacrificium, quo Deus ex præscripto illius legis colitur: Talis est apud Christianos: ergo etiam peculiare Sacrificium.

Hebr. 7.

10. Sed dices Nouantes sustinent omne opus bonũ quod Deo reddimus, & quo eum honore afficiamus esse Sacrificium, nec aliud requiri? Respondeo hoc friuolum esse. Nam opera bona, non sunt Sacrificia propriè dictá, sed metaphorica, vt patet ex Scripturis, vbi interna contritio, Psal. 50. vocatur sacrificium, spiritus Deo contribulatus, eo quod sit opus bonum in cultum Dei relatum. Psal. 46. Laus quæ voce profertur in verbis: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Hebr. 13. eleemosyna, quia eam hostiam vocat Apostolus, dicens: *Talibus enim hostijs promeretur Deus.* Sap. 3. Martyrium vbi Salomõ de eo patientibus loquẽs, ait: *Tanquã in fornace probauit illos, & quasi holocaustũ hostiæ accepit eos.* Rom. 12. Castigatio etiã corporis: Sic enim precatur Apostolus, Romanos ad mortificationem inducens: *Obsecro vos vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem* &c.

Psal. 50. *Psal. 46.* *Hebr. 13.* *Sap. 3.* *Rom. 12.*

Porrò hæc metaphorica esse patet, quia Sacrificia, talia, Scriptura distinguit, à propriè dicto, quod in quauis lege necessariũ est. Et primo Oseæ 6. c. vbi sacrificium Deus distinguit ab actu misericordiæ v. 6. dicens: *Quia misericordiam volui, & non sacrificium, & scientiam Dei plusquam holocausta.* Id est, magna vobis illa videbatur Religio ac sanctitas, quæ in externâ sacrificiorum ac holocaustorum immolatione cernitur: sed sanè dum abest misericordia, fallax est illa, atque fucata religio. Misericordia mihi gratior est, quã victima, & illa Dei practica cognitio, quæ animũ ad illius legem & voluntatem informat, & regit, multò magis placet, quam holocaustũ. Aut clarius. Quod si alterutrum defuturum est, aio me malle, vt sacrificium deseratur, quam misericordia. Ita tenent Ambrosius lib. de Pœnitentia cap. 2. vbi sic legit: *Misericordiam malo quam Sacrificium.* Idem Augustinus lib. 10. de Ciuitate cap. 5. Et contra Faustum lib. 20. cap. 16. *Nihil aliud quam sacrificio sacrificium prælatum oportet intelligi.* Idque confirmant verba secundi membri: *Scientiam Dei plusquam holocausta.* Et quod Hebræi, quia carent comparatiuo, exprimunt eum per negationem, quod minus est. Idque tunc locum habebat, quia sacrificia externa in lege veteri secundum se, siue ex opere operato, Deo nõ placebãt, vt sacrificium noui Testamẽti, sed tantum ex deuotione offerentium: non autem

Oseæ 6. c. *Vers. 6.* *Ambrosius lib. de Pœnit. c. 2. Augustin. l. 10 de Ciuit. c. 5. & cont. Faustum c. 16. lib. 20.*

R quod

quod illi exosa essent, nam ab eo erant instituta & præcepta, erantque actus latriæ & religionis Dei, atque adeò cum coniuncta erãt cum operibus misericordiæ Deo magis placebãt: quia religio præstat omnibus virtutibus moralibus: Sola autẽ non item. Misericordia vero per se placebat Deo. Hac de caussa dixit Samuel 1. Reg. 13. Sauli, cõtra præceptum Dei reseruanti ex melioribus ouibus & armentis in cæde Amalecitarum ad immolandum Domino: *Melior est obedientia, quam victima.*

1.Reg. 15.

Deinde ad metaphorica nõ opus est Sacerdote, cuius munus est offerre sacrificia, vt expressè tradit D. Paulus ad Hebræos 5. dicens: *Omnis Põtifex ex hominibus assũptus cõstituitur in iis, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Deniq; hoc est contra vsum omnium nationũ, quæ dum proprie loquuntur per sacrificium certum aliquem actum intelligunt distinctum ab alijs bonis operibus. Quis enim dum legit apud aliquem authorem sacrum aut prophanum simpliciter & sine vllis adiunctis aliquem sacrificasse, intelliget eum dolere de pecatis, eleemosynam dedisse, corpus castigasse, aut humiliter Deum orasse? Certè id paradoxum esset, & contra communem sensum, cum omninò intelligendum sit eum Deo vero vel falso aliquid immolasse.

Hebr. 5.

Demum si metaphorica tantum intellexissent, non ita doluissent, cum ob varias persecutiones religio vera in periculum adducebatur, vt in lege Mosaica Prophetæ, qui nihil magis lamentabantur, quã sacrificij cessationẽ, vt Elias 3. Reg. 19. qui mori maluit, quam viuere, eo quod altaria essent destructa, Prophetæ occiderentur, ac quod paucissimos putaret superesse, qui vero Deo sacrificium offerrent. Id enim conferunt verba, quæ respondit Angelo quærenti, quid solus ageret latens in spelunca in monte Horeb, quæ sunt hæc: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filij Israel: Altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam vt auferant eã.* 2. etiam Paralip. cap. inquit *Asarias: transibunt multi dies in Israël absque Deo & Sacerdote, Doctore, & absque lege.* Danielis etiam 3. cum tres pueri essent in fornacem à Nabuchodonosor missi, quod noluissent statuam eius auream pro Deo colere Azarias nomine suo & sociorum, cum adhuc incertus esset, an ex flammis eripiendus esset cum suis, nec ne, in medio flammarum longam orationem protulit, & inter alia: *Et non est in tempore hoc Princeps & Dux, & Propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum apud te. Vt possimus inuenire misericordiam tuam: sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur. Sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi: quoniam non est confusio confidentibus in te.* Quod idem est ac si dicat, Sic exabuit respublica, populusq; Israëliticus, vt nullum habeat caput, nullum ductorem, aut Principem quem sequatur (non quod omnino non essent aliqui, vel Sacerdotes, vel Rex, vel Prophetæ: sed quia aut pauci erant, aut non in illo honore, quo decebat; aut quia certè non ita liberè atque cum dignitate loquebantur, sicut ante, florente Iudæorum republica, fuisse, eo tempore negantur ab Azaria) neque sacrificium est, neque vllum habemus vbi liceat sacrificare legitimum locum, vnde ijs destituti non offerimus tibi holocaustum, & sacrificia, quibus olim solemus contritum animum significare, & temporales afflictiones auertere: sed tantum animum contritum afferimus, humiliatum & compunctum, quem rogamus solum acceptum habeas, sicuti olim soles cum sacrificijs: quia iam alia non datur occasio.

3.Reg. 19

2.Paralip.

Daniel. 3.

Idem dico de Sacrificio noui Testamenti, quia nunc cum ciuitates occupa-

occupabantur ab Hæreticis in Belgio summus est fideliū luctus, quod hoc Sacrificio priuentur ob tyrannidem Hæreticorum, qui vt præcursores Antichristi illi vehementissimè insidiantur, adeoq; Catholici magnum beneficium existimēt furtiuè alicubi huic sacrificio interesse. Ratio est quod durum sit immenso eius fructu destitui.

Porrò maior erit tempore Antichristi, cum ipse ita auferet iuge Sacrificium seu Eucharistiæ, de quo Daniel cap. 12. v. 11. vt nullus hoc publicè facere audebit, ac consequenter tollet omnem Dei publicū cultum, adeò vt fideles tunc priuatim in speluncis & locis abditis Eucharistiam celebrare debebunt, eâque se contra Antichristum munire, & dicere Deo illud Psalm. 22. *Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me.* Vti olim fecerunt Christiani sub Decio & Diocletiano. Quia tūc Antichristus solus volet coli sacrificijs & precibus, & abolere locupletissimum Passionis & Redemptionis Christi monumentum: quin etiam priuare hoc Cibo spirituali, quo in tentatione & persecutione mirè corroborantur, vt eos sic deijciat, & sic subdat.

Daniel. c. 12. v. 11. *Psal. 22.*

In supplemētum probationis addo, si verum foret bona opera esse sacrificia propriè dicta, inde sequi necessariò plura existere Sacrificia noui Testamenti incruenta, quod est cōtra institutionē Christi Matth. loc. cit. Vbi illud vnicū instituit abrogatâ varietate veterū sacrificiorū.

Discursus XII.

An sacrificium Missæ sit illud propriè dictum de cuius necessitate facta mentio?



CYrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioannem cap. 57. dicit, non esse blasphemiam tam magnam, quæ non libenter dicatur ab ijs, qui Ecclesiæ dogmata peruertunt, quod dicit magnus ille vir, hoc verum comperitur in Nouātibus, qui Missæ sacrificium volunt omnium abominationū esse caput, vt effutit liberè Caluinus lib. 4. Institut. cap. 18. num. 1. vbi dicit: *Horrendæ abominationis caput fuit* (nempe Sathan) *cum signum extulit quo non modo obscuraretur & peruerteretur, sed penitus obliterata & abolita euanesceret, & ex hominum memoria excideret* (scilicet Cœna Dominica) *nempe cum pestilentissimo errore totum penè orbem excæcauit, vt crederet Missam Sacrificium & Oblationem esse.* Hinc mearum partium existimo esse, probare quod in Argumento queritur.

1. Ad huius rei intelligentiam imprimis repeto triplicem fuisse legem, & in quauis necessario fuisse, & debere esse Sacrificium propriè dictum. Nam sicut homo constat duplici parte, nempè animo & corpore; ita lex præscribit, illi duplicem cultum, quem tenetur Deo exhibere. Vnum internum: Alterum externum. Internus autem cōsistit in actu fidei, spei, timoris & dilectionis: Externus in solo sacrificio peculiariter instituto ad colendum Deum. Huiusmodi vero est Sacrificiū, quod Missam vocant Christiani, quod diu Deus voluit esse prædictum, ne videretur imprudēter prædicatum. Audi desuper August. epist. 49. q. 3. *Dispertita*, inquit, *diuinis eloquijs Sacrificia pro temporum congruentia, vt alia fierent ante manifestationem noui Testamenti, quod ex ipsa vera & vnius Sacerdotis victima, hoc est effuso Christi sanguine ministratur, & aliud nunc quod huic manifestationi est congruū, qui iam declarato nomine Christiani appellamur, offeramus nō solū Euangelicis, verū etiā propheticis libris demonstratur.*

August. epist. 49. q. 3.

Mutatio quippe non Dei, non ipsius religionis, sed sacrificiorum & Sacramentorum imprudenter nunc videretur prædicata, nisi fuisset ante prædicta.

2. Porrò hoc sacrificium præfigurarunt omnia sacrificia veteris Testaméti, tam quæ ante legem Moysis fuerunt, vt Sacrificium Abelis, Abrahæ, Melchisedech, Iob: quam quæ à Moyse nomine Dei præcepta. Quod patet ex generali regula, quam tradit Paulus 1. ad Corinth. 10. *Omnia in figura cõtingebant illis.* Vnde August. lib. 10. de Ciuitat. cap. 20. *Mensa quam Sacerdos noui Testaméti exhibet, de corpore ac sanguine suo est; id est enim sacrificium quod successit omnibus Sacrificijs quæ immolabantur in vmbra futuri. Propter quod agnoscimus etiam vocem illam in Psal. 39. eiusdem mediatoris, Corpus autem aptasti mihi, quia pro illis omnibus sacrificijs & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur.* Leo serm. 8. de Passione Domini: *Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, vna corporis & sanguinis tui implet oblatio: & sicut vnum est pro omni victimá sacrificium; ita nunc vnum de omni gente fit regnum.*

1. Cor. 10.

August. lib. 10 de Ciuit. c. 20

Psal. 39.

Leo serm. 8. de Passione Domini.

3. Secundò dicit D. Augustinus loco citato, id probari vaticinijs prophetarum, ea autem sunt plurima: pauca seligam. Primum est Isaiæ c. 19. vbi dicitur: *Cognoscent Aegyptij Dominum in die illa, & colent eum in hostijs & muneribus.* Quibus verbis prædicit Propheta, quod in lege Euangelicâ, gentes agnoscent Deum, & eum colent sacrificio propriè dicto. Et confirmatur; quia additur: *In die illa altare Domini in medio Aegypti.* Id est, in loco visibili cõstitutum; quale ad sacrificia spiritualia, non est necessarium.

Isaia c. 19.

Secundum est Danielis 12. vbi dicitur Antichristum ablaturum iuge sacrificium, de quo latius dixi præcedenti discursu. Vnde certum est, illud esse Sacrificiũ Missæ, quia aliud non erit neque reperiet quia aliud non durabit vsque ad consummationem sæculi, quam hoc ipsum.

Daniel. 12.

Tertium & notabilius est Malachiæ 1. vbi Dominus dicit, quod sibi displiceăt Sacrificia Sacerdotum illius tẽporis, in verbis: *Nõ est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituũ, & munus non suscipiam de manu vestra.* Tum etiam quod nolit angustis Iudeæ finibus contineri, aut in templo Hierusalem, sed quod velit totum mundum sibi esse tẽplum, vt omnes gentes vbique eum colant victimis & sacrificijs, in verbis: *Ab ortu enim Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus.* Confirmatur ex sequẽtibus: *Et in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio mũda:* Quasi dicat, Nolo ô Sacerdotes Iudaici, vestra Sacrificia, sed breui ea abolebo, tũ quia impura & polluta sunt, tum quia vno in loco à pauculis Iudæis offeruntur, & per Christũ subrogabo Sacrificium aliud, quod in se purissimum erit & sanctissimum, quodue vbiuis terrarum à quibuslibet gentibus offeretur. Malach. 1.

Verum vt res penitius intelligatur; Nota Prophetã loqui de Sacrificio propriè dicto, nõ autem de sacrificijs spiritualibus (vt hæretici volũt) quia loquitur Sacerdotibus Araonicis, eorumque mensæ & victimis pollutis opponit Sacerdotes, altare; victimam mundam legis nouæ, & vni loco Hierosolymorum totum orbem. Secundò hanc oblationem mundam, de quâ loquitur, esse Sacrificium corporis & sãguinis Christi in Eucharistia, quia pro *oblatio* Hebraicè est *Mincha*, quæ vox licet ex sua origine significet quoduis munus, donum, oblationẽ, sacrificiũ; tamen à Moyse, & Deo, appropriata est vni Sacrificio, vt scilicet propriè significet Sacrificium farreum, quod fiebat ex farina & pane, quodque describitur Leuit. 2. Hoc autem mincha, siue sacrificium farreum erat proprie dictum Sacrificium, vt patet Leuit. 2. eratque typus sacrificij Eucharistici: vtrobique enim offertur farina & panis, sed in Eucharistia transsubstantiatus & transmutatus in Corpus Christi. Cum ergo mincha typicum Leuit. 2.

picum & Iudaicum fuerit dictum propriè sacrificium, sequitur multo magis mincha verum & Christianum, puta Eucharisticum, esse verum & proprium Sacrificium.

Rursum illud futurum esse, significat oblatio munda, quæ non pendet ab indignitate aut malitiâ offerentium, vt sacrificium Cain in lege naturæ, & Sacrificia Iudæorum in lege Mosaica. Vnde Concilium Tridentinum loco citato: *Et hæc est quidem illa munda oblatio, quæ nullâ indignitate aut malitia offerentium inquinari potest: quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in Gentibus, in omni loco, mundam offerendam prædixit.*

Tertiò patet eum loqui de Sacrificio Christianorum, quia loquitur more prophetico, quo ponitur præsens pro futuro: atque ita nō potest aliter intelligi, quam de Christianis, quia Gentiles istius temporis, Diabolo vt plurimum sacrificabāt, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 10.
1. Cor. 10. *Quæ Gentes dæmonijs immolant, & non Deo.* Et præsertim tempore Prophetarum, quando Idololatria mūdum planè repleuerat, ita vt respectu eorum diceretur Deus maximè notus in Iudæa secundum illud Psal. 75.
Psal. 75. *Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius.* Tum etiam quia Gentiles, qui ante Christi aduentum, fuerunt in mundo, vt Melchisedech, Iob & similes, paucissimi erant, & nunc è viuis excesserant. Quartò non potest intelligi de Sacrificio Crucis, quod semel & in vno loco peractum est, sed de Sacrificio Missæ, quod vbiuis locorum in recognitionem Sacrificij Crucis partim celebratur. Hoc enim est magnum illud Sacrificium, in quo *memoriam*
Psal. 110 *fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus.* Psal. 110. & Miraculum Miraculorum, opus operū Dei, ac portentum sæculorum, iuxta il-
Zachar. 9. v. 17. lud Zachariæ 9. v. 17. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* Vbi Dominus per Prophetam dans caussam cur Apostoli & eorum sequaces sint futuri quasi sagittæ & iacula fulgurantia, quæ omnes Gentes sternent sibique subijcient; curque saluandi sint à Deo, & pascendi vt grex eius; denique cur sint lapides *Nezer*, id est, separati & consecrati Deo, ideoque eleuandi super terram: horum, inquā, omnium caussa est, quod Deus ita eos amet, vt omne suum bonum eis cōmunicet. Illud autem frumentum & vinum ad litteram significat Eucharistiam, in quâ Corpus Christi Domini sub specie panis è frumento confecti, & Sanguis sub specie vini, vi consecrationis, puta verborum Christi Domini, realiter & substātialiter præsens in Altari sistitur, quod Apostolos & fideles nutrit, corroborat & inflammat ad præliādum prælia Domini, eosdemque à terrenis desiderijs ad cœlestia traducit & eleuat.

4. Quod prædixit Malachias, hoc cōfirmauit Christus Dominus Ioan. Ioan. 4.
4. in suo colloquio cum Samaritana, cum enim illa ex Christo petente aquam, intellexisset prętātiam aquæ viuæ, petijt eandem, sed Christus mandauit illi vocare virum suum, cui respondit: *Non habeo virum.* Et cū Christus replicasset: *Benè dixisti, quia non habeo virum, quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes nō est tuus vir, hoc verè dixisti.* Id est, iam viuis in adulterio, nam alterius est hic maritus, ex quo fassa est crimen suum dicens: *Domine video quia Propheta es tu.* Et inde vlterius sūpsit occasionem Christi sententiā exquirēdi de controuersia inter Iudæos & Samaritanos quoad Sacrificiū propriè dictū his verbis: *Patres nostri in monte hoc adorauerūt, & vos dicitis quia Ierosolymis est locus vbi adorare oportet.* Id est, Domine, quandoquidem Propheta es, scisma est inter Iudæos & Samaritanos: Iudæi volūt sacrificium offerri debere Hierosolymis, & Patres nostri obtulerunt sacrificium in hoc monte Garizin, loco nempe totius Samariæ eminentissimo propè Sichar, vbi templum ædificauerunt, iudica vtri rectius faciant ac sen-

tiũt an Samaritani an Iudæi? Ad cuius interrogationem Christus respondit dupliciter. Primò de loco adorationis seu sacrificij; secundò de modo, de loco sic: *Mulier crede mihi veniet hora quando nec in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrẽ.* Quod idem est, ac si diceret: Deinceps qui erunt Christiani, neque in hoc monte, neque in templo Hierosolymitano tantum, sed in omni loco offerent Sacrificium, vel quod idem est, Sacrificiũ Christianorum non erit allegatum vni certo loco, sicut Sacrificia Samaritanorum & Iudæorum, sed vbiq; poterit offerri, sicut prædixit Malachias.

5. Ad cuius planiorem intelligentiam, nota verbum *Adorare*, hic esse sacrificare. Sicut Genes. 22. in eadem sacrificatione Abraham instructus gladio & igne ad sacrificandum filium suum iuxta præceptum Domini, dixit famulis suis: *Exspectate hic cum asino, ego & puer illuc properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Sic Ioannis 12. etiam intelliguntur verba, erant quidem Gentiles qui ascenderent vt adorarent in die festo. Et eodem modo dicitur Actor. 8. quod Eunuchus venerit adorare in Hierusalẽ. Adeò vt sermo sit de Sacrificio propriè dicto, non autem de Sacrificijs spiritualibus operũ bonorum: quia illa poterant vbique fieri, vt clarum est per exempla Iob orantis in sterquilinio, Daniëlis in lacu leonum, Ionæ in ventre ceti, & aliorum. Deinde sermo est de sacrificio nouo, quod antea non fuerat, quodque initium haberet à Christo, dicit enim: *Venit hora & nunc est* &c. Illud autem non est Sacrificium Crucis cruentum, quod semel tantum & vno loco oblatum est, vnde sequitur esse Sacrificium Eucharistiæ incruentum quod quotidie in omnibus Ecclesijs offertur. Hæc de loco.

Genes. 22.

Ioan. 12.

Act. 8.

De modo quod attinet sacrificandi respondit Christus: *Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est, sed venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate.* In quibus verbis primò præfert cultum Iudæorum cultui Samaritanorum, quasi dicat Iudæorum cultus ex fide verâ est, quia vnicum credit esse Deum, sicuti vere est, idque in templo Hierosolymitano iuxta præceptum Dei Deuteron. 19. *Ad locum quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis & offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras.* Tum etiam præstantior est Iudæorum caussa, quia promissiones salutis per Messiam futuræ Iudæis factæ sunt, & ex ipsis in alios sunt effundendæ. Samaritanorum autem cultus ex infidelitate & errore ac ignorantiâ est, quia non habet veram de Deo fidem, quamuis enim Deum Israël credat esse Deũ, tamen cum eo multos recipit Deos; seu in monte illo Deo simul & Idolis Samaritani immolant (quod contra præceptum Domini est, qui præcepit non habere Deos alienos iuxta se, Exod. 20. Quæ inter cæteras vna erat caussa, quare Samaritani & Iudæi non coüterentur.) Secundò dicit Christus his verbis, vtrumque cultum cessaturum Samaritanorum, quia idololatricus & falsus est: Iudęorum etiamsi sanctus est, quia imperfectus est figuratiuus & vmbraticus, omnia enim animalium sacrificia, cæremoniæ & ritus, instituta erant à Deo, & data Iudæis, tanquam futurorum figuræ & signa eorum quæ per Christum futura erant. Tertiò dicit quod Iudęi non offerant Sacrificium in Spiritu, sed secundam externam cæremoniam, quasi dicat: *Cor autem eorum lõgè est à me.* Atque adeò quia non procedunt de spiritu & deuotione operantis, non sunt mihi grata. Samaritani non offerunt in veritate, quia immolant Idolis, sed nunc venit tẽpus per aduentum meum, ex quo Christiani, qui erunt veri adoratores, vbiuis locorum offerent Sacrificium, à me instituendum, Deo vero cum internâ mentis deuotione.

Deuteron. 19.

Exod. 20.

Porrò

Porrò illud ipsum legitur Christus instituisse Matth. 26. cap. n verbis: *Cœnantibus autē eis, accepit* IESVS *panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite* HOC EST CORPVS MEVM. *Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicēs: Bibite ex hoc omnes:* HIC EST ENIM SANGVIS MEVS NOVI TESTAMENTI: QVI PRO MVLTIS EFFVNDETVR IN REMISSIONEM PECCATORVM: Et Lucæ 22. additur, & *hoc facite in meam commemorationem*. Quibus indicatur primo Christum acceptū panem benedixisse nimirū oratione super eum fusâ ad Deum Patrem, oculis in cœlum eleuatis quâ ipse vt homo & Sacerdos petebat, illius creaturæ, quam manibus tenebat, sanctificationem. Secundò eam consecrasse, mirabiliter eam in suum corpus transmutando. Tertiò Deo Patri in Sacrificium obtulisse, antequam discipulis suis illud communicauerit.

Matt. 26.

Luc. 22.

6. Sed quæres vnde hoc constet, nam Sacrificij hîc nulla fit mentio?

Respondeo primò id constare, quod Christus sese Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech in æternum constitutum declararit, quod de ipso prædixerat Propheta Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Atqui offerre Sacrificium est proprijssimū Sacerdotis munus, adeoque necesse est, vt Christus aliquando obtulerit Sacrificium, secundum illum ordinem Sacerdotij, seu simile sacrificium, quod Melchisedech offerre consueuit, nempe incruentum in pane & vino, quod nunquam egit, nisi in cœna nouissima. Cuius rei nobis fidem facit Ecclesiæ authoritas, & Traditio per Patres Concilij Tridentini sess. 22. cap. 1. cum Christi intentionem talem fuisse declarant. Secundò hoc ipsum colligitur ex coniunctione mysteriorum quæ in eâ nocte in Cœna peregit, nam prius legalem Agnum, posteà mysticum panem comedit: certum est autem legalem Agnum, quia fuit vna ex potissimis figuris Eucharistiæ, potius sacrificari solitum, quam comedi. Ideò enim Exod. 12. *Victima Domini*, appellatur, quia sacrificabatur: vt expressius dicitur Num. 9. & 34. ergo etiam ipsa veritas in illa figurâ repræsentata impleta est à Christo per modum sacrificij. Sicut enim à Iudæis quotannis celebrata fuit Agni Paschalis immolatio in memoriam redemptionis eorum ex Ægypto: ita nunc noua & vera liberatio, quæ per corporalem illam liberationem fuit designata, deinceps nouo symbolo erat celebranda, quod præfiguratum fuit symbolo illius corporalis liberationis.

Psal. 109.

Concil. Trident. sess 22. c. 1.

Exod. 12.

Num 9. & 34.

Pulchrè de hac re Chrysostomus hom. de proditione Iudæ; *Per hoc* (nempe Sacrificium Agni Paschalis) *aliud maius beneficium mōstrabatur, quod ille sāguis Dominici sāguinis mōstrabat aduētum: & ouis illa fuit spiritualis ouis exēplum: ille Agnus vmbra fuit, hic veritas. Sed postquam sol Iustitiæ radiauit, vmbra soluitur luce. Et ideò in ipsa mensa vtrumque Pascha & typi & veritatis celebratum est. Nam sicut pictores pingendam tabulam vestigijs quibusdam adumbrare consueuerunt, & sic colorum varietate perficere; ita & Christus fecit in mensa: & typum Paschæ descripsit, & Pascha veritatis ostēdit, vbi vis paremus tibi manducare Pascha? Iudaicum Pascha erat, sed vmbra lumini cedat aduectata imago veritate superetur.* Et ideò dixit Christus: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum.* Vt illud tum aboleret & nouum institueret. Audi desuper Tertullianum lib. 4. aduersus Marcionem sic disserentem: *Concupiscentia concupiui Pascha edere vobiscum antequam patiar, O legis destructorem, qui concupierat etiā Pascha seruare. Nimirum veruecina illum Iudaica delectaret? An ipse erat qui tanquam ouis ad victimam adduci habens, & tanquam ouis coram tundente sic os non aperturus figuram sanguinis sui salutaris implere concupiscebat?*

Chrysost. hom de Iuda prodit.

Tertull. aduersus Marcionem lib. 4.

Nemo autem est, qui neget, Agnum Paschalem debuisse sacrificari. Ergo &c. Secundò probatur ex verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Tertiò confirmatur idipsum

1. Cor. 10 sum per Verba Apostoli 1. ad Corinthios 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus; Videte Israel secundum carnem; nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? dico quod Idolis immolatum, sit aliquid? aut quod Idolum sit aliquid? Sed quæ immolant gentes: Dæmonijs immolant & non Deo. Nolo autem vos fieri socios Dæmoniorũ. Non potestis calicem Domini bibere & calicẽ Dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mẽsæ Dæmoniorũ.* Illis enim verbis omninò cõuincitur esse Sacrificiũ apud Christianos: nã eo loco agnoscit Apostolus triplicem mensam, seu triplex altare. Vnum in quo Gentiles sacrificant Idolis seu Dæmonijs. Alterum in quo Iudæi offerunt Deo victimas ex animalibus. Tertium in quo Christiani offerunt Corpus & sanguinem Christi sub specie Panis & Vini. Confirmatur ex scopo Apostoli qui erat abstenere Christianos ab Idololatria, vt patet ex verbis præcedentibus: *Fugite ab Idolorum cultura*. Idque non tantum vt Idola expresso Sacrificio non colerent, sed etiã ne Idololyta, id est, sacrificia eis immolata comederent, quasi sacra & sacrificia; quemadmodum ea comedunt Gentiles peracto sacrificio ad aras, vel in templis Idolorum. Vnde idem est, ac si dicat, omninò abstinete ab Idolotytis sic comedendis, nam sic eorum sacrificijs censeremini consentire, tacitèque approbare Idololatriam, vt autem melius auertat, vtitur duplici exemplo, altero Christianorum, altero Iudæorum, hoc modo. Christiani qui sumunt de corpore & sanguine Christi, sunt participes Altaris seu Sacrificij Christi. Et Iudæi, qui comedunt de victimis Mosaicis, sunt participes altaris seu sacrificij Mosaici. Ergo similiter, qui comedunt de victimis, quæ immolatæ sunt Idolis seu Dæmonijs, sunt participes altaris seu sacrificij idololatrici. At nemo potest simul esse particeps Altaris Christi, & Idolorum. Ergo si vultis esse participes Altaris Christi; debetis abstinere ab altari & sacrificio Idolorum: aut si ab hoc non abstinetis, non potestis esse participes altaris Christi.

7. Verumenimuero enucleemus verba quibus maximè vrget Christianos ab Idololytorum abstinentiâ, quæ sunt hæc: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicationis Sanguinis Christi est? Panis quem frangimus; nõne participatio Corporis Domini?* Quod idem est, ac si diceret: Potus calicis benedicti à Sacerdote, & consequenter ipse calix continens hunc potum benedictum, nonne ipsum Christi sanguinẽ nobis communicat? quam ergo habet apparentiam, quod Christi Sanguinem sumentes, velitis cibis vesci, tanquam Idolo immolatis? Quod clarius explicat Theophilactus: *Non dixit*, inquit, μετοχή, *id est, participatio, sed* κοινωνία, *id est, communicatio, vt aliquid excellentius indicet, puta summam vnionem. Quod autem dicit, huiusmodi est; hoc quod in calice est, illud est, quod effluxit de latere Christi, Vt ex eo accipientes communicamus, id est, vnimur Christo: non pudet itaque vos, ô Corinthij, ad Idolorum calicem recurrere, à calice hoc, qui nos ab Idolis liberauit:* Theophil.

Ad hæc nota benedictionem de qua Paulus loquitur, non esse consecrationem, sed præuiam orationem qua Dei benedictionem & omnipotentiam Christus super panem & vinum inuocauit, vt præstò esset, & iam in futuris omnibus consecrationibus ad panem conuertendum in coprus, & vinum calicis in Sanguinem Christi, quando legitimè pronuntiantur verba Consecrationis: HOC EST CORPVS MEVM. HIC EST SANGVIS MEVS. De pane alibi dicam.

Quibus omnibus ritè perpensis facile iudicabis quam iustè Concilium Tridentinum condemnet aduersarios negantes Apostolos institutos Sacerdotes in vltima cœna, & prę-

& pręceptum de offerendo corpore & sanguine suo, in verbis: *Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes; aut non ordinasse vt ipsi alijque Sacerdotes offerrent corpus & Sanguinem suum, anathema sit.*

8. Sed dices nusquam in Scripturis habetur verbum *Missa*? Respõdeo hoc parum esse, cum ipsa res habeatur, nempe Sacrificium, quod Catholici Missam vocant. Et hæreticorum est, de verborum vocabulis quæstiones subornare. Sic enim Arius noluit Christum esse consubstantialem Patri, eò quod vocabulum, *Consubstantialis*, in scriptura non haberetur. Sic Sabellius non admisit Trinitatem personarum, eò quod in Scripturis vocabulum *Trinitas* non legeretur. Alij similes ob causas, grauia mysteria non admiserunt. Verum ne sic videamur effugere. Dico aliquos conari ostendere nomen *Missæ* esse hebraicum, & oblationẽ voluntariam significare: quia Deutr. 16. vox מסה *Missae* in ea significatione habetur, sed parum probabiliter, quia si vox ista hebraica Apostolis in vsu fuisset, retinuissent illam Græci & Syrij, atque aliæ Nationes, vt retinuerunt alias similes voces, *Amen, Alleluya, Sabaoht, Osanna.* Sed apud Græcos nulla est mentio huius vocis *Missa*, sed Liturgiæ.

Arius

Deutr. 16.

Dico secundò alios melius dicere esse vocem Latinam, indèque dictam missam, quod oblatio & preces ad Deum mittantur, sed optimè, qui missam dici volunt à demissione Populi, vt dum dicitur, *Ite missa est*, idem sit ac dimittimini, quia missa est ad Deum hostia.

Dices iterũ, ad quid necessaria est ista missa, seu Sacrificiũ Missæ, cum Christus in Cruce abundè pro nobis satisfecerit, & Sacrificium Crucis vim habeat infinitam & æternam?

Respondeo, hoc à Deo petendũ esse, quare illud voluerit perpetuum in Ecclesiâ offerri, licet seipsum oblaturus esset in Arâ Crucis, per modum veri & cruenti Sacrificij. Vti indicant illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus voluit, vt cruenta oblatio nobis repræsentaretur, & quotidiè in memoriam reuocaretur ad recognitionem tanti beneficij. Vnde Augustinus libro 20. contra Faustum cap. 18. *Christiani iam peracti Sacrificij in Cruce memoriam celebrant sacrosanctâ oblatione & participatione Corporis & & Sanguinis Christi.* Deinde id necessarium est, vt fructus illius beneficij & satisfactionis nobis applicetur. Sicut enim Sacramenta nouæ Legis non sunt superflua, vt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, & alia, non obstante quod Sacrificium Crucis habeat vim infinitam, ita nec Sacrificium Eucharistiæ. Addo si non foret necessariũ, quod Antichristus in fine mundi non tantopere studeret eius publicum vsum Christianis auferre, vt prædicitur Daniel. 12.

August. l. 20. contra Faustum cap. 18.

Daniel. 12

Discursus XL.

An vetusti sanctiue Patres huic Sacrificio adstipulentur?



SAt supra dixisse videbar ad firmandum verum & legitimum Ecclesiæ Catholicæ Sacrificium, sed non permisit ibi sistere hæresiarcha Caluinus, qui lib. 4. Instit. cap. 18. impudenter asserit Missæ Sacrificiũ (quam Peruersitatem nominat) puriori Ecclesiæ fuisse incognitum, & totam antiquitatem Doctoribus orthodoxis aduersari. Sic enim ait nu. 9. *Adde quod hæc peruersitas puriori Ecclesiæ incognita fuit, vtcumque enim hic suum facere conantur, qui sunt inter Aduersarios impudentiores, certo tamen certius est, totam antiquitatem ipsis aduersari.*

Caluinus l. 4. instit. c. 18. nu. 9.

uersari. Res notatu digna. Vnde inquiram quod in argumnnto ponitur.

1. Vincentius Lerinensis quando ad certam metam nos redigere voluit, ad inhærendum Ecclesiæ Catholicæ doctrinæ, ad antiquitatem appellat, dicens cap. 3. Commonitorij. *In Ecclesia Catholica magnopere curandum est, vt id teneamus quod semper, & quod ab omnibus creditum est.* Hoc autem melius sciri non potest, quam ex antiquorum Patrum scriptis. Agedum, videamus quantopere condemnent Caluinum, quàm disertè, quam clarè de hoc Sacrificio loquantur, & intuebimur neminem terminis eorum inhærētem, de hoc Sacrificio dubitare posse.

2. Primo igitur hoc asserunt, esse sacrificium quando loquuntur de Eucharistiâ, quia passim vsurpant has voces: *Sacrificium, oblatio, immolatio, hostia, victima, offerre, sacrificare, immolare.* Et in primis Andreas Apostolus, vt scribunt Presbyteri & Diaconi Achaiæ in eius passione, dixit Ægeæ Proconsuli: *Ego immaculatum agnum offero in altari, cuius carnes, postea quàm omnis populus credentiū manducauerit, agnus, qui immolatus est, integer perseuerat & viuus.* Et Gregor. Nyssenus in oratione de resurrectione Domini: volēs probare Christum sacrificasse in cœna nouissima, sic ait: *Qui omnia pro dominicâ potestate & authoritate ministrat, non exspectat Pilati iudicium, sed per ineffabilem & arcanum Sacrificij modum, sua dispositione & administratione præoccupat impetum violentum, ac sese in oblationem & victimam offert pro nobis Sacerdos simul & Agnus Dei. Quando hoc accidit? cum suum corpus ad edendum, & sanguinem suum familiaribus ad bibendum præbuit. Cuilibet enim perspicuum, quod oue vesci homo non possit, nisi comestionem mactatio præcesserit: cum igitur dedit Discipulis suis corpus ad comedendū, apertè demonstrauit iam fuisse perfectam & absolutam immolationem.* Augustinus libro 2. quæst. Euangel. q. 3. reddens rationem cur Dominus iusserit leproso, vt sacrificium offerret, secundum ritum Moysis; *Quia*, inquit, *nondum institutum erat hoc sacrificium, sanctum sanctorum, quod corpus eius est.* Idem lib. 4. de Trinit. cap. 14. *Quid gratius offerri aut suscipi posset, quam caro sacrificij nostri, corpus effectum Sacerdotis nostri?* Augustin.

Diuus vero Chrysostomus hom. 24. in 1. ad Corinth. exhortās Christianos ad mutuam charitatem, his vtitur verbis: *Hac ergo cum intelligamus, dilectissimi, velimus quoque inuicem vnitatem seruare? Ad hoc enim inducit Sacrificium illud formidandum, & admirabile quod iubet nobis vt concordia ex charitate maximâ ad se accedamus, & aquila in hac vitâ facta ad ipsum cælum euolemus, vel potius supra cælum.* Et homil. 26. in Matthæum: *Quod pro Iudaorum salute aliquando faciebat, temporibus locisque, ac festiuitatibus varijs in memoriam beneficiorum suorum reducens, id nunc equidem magno cum cumulo est operatus in nobis, ipso genere sacrificij ad iugem nos pro beneficijs suis incitans gratiarum actionem.* Idem homil. 83. in Matthæum docet per hoc Christū pro nobis mortem obijsse: *Hoc*, inquit, *vt vetus pascha instituit memoriā mysteriorum colligendo, & hinc hæreticorum ora frænando. Nam quando dicunt, Vnde patet immolatum Christum fuisse, & alia multa mysteria, hæc afferentes ora eorum consuimus. Si enim mortuus Iesus non est, cuius symbolum ac signū hoc sacrificium est? Vides quantum ei studium fuerit, vt semper memoria teneamus ipsum mortuum fuisse? Nam quando Marcio, Valentinus, Manichæus, eorumque sequaces negaturi erant hanc dispensationē, in memoriā passionis per hoc sēper reduxit mysteriū, vt nemo nō insanus seduci possit.* Breuiter S. Leo serm. 8. de passione Domini docet omnia sacrificia veteris Testamenti hoc vnum implere, dum ait: *Nunc etiam carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum vna corporis & sanguinis tui implet oblatio.* Et vt intelligas ipsum de hoc sacrificio loqui, attende verba immediate præcedētia quæ sunt hæc: *Traxisti Domine omnia ad te, vt quod in vno Iudea templo obumbratis significationibus tegebatur,* Chrysost.

plena

pleno apertoque Sacramento vniuersarum vbique nationum deuotio celebraret. Nunc enim & ordo clarior Leuitarum & dignitas amplior seniorum, & sacratior est vnctio Sacerdotum: quia crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.

Plura attexerem, sed inconstans Caluinus conuictus multitudine testium num. 10. loci citati, fatetur, Patres vti vocabulo *Sacrificij*, sed dũ vafritie suâ vult probare, quod non aliter intelligant, quam de sacrificio laudis in memoriam Sacrificij Crucis, adducit duas sentẽtias Augustini, quibus seipsum clarè cõdemnat. Prior ex lib. 20. contra Faustum cap. 18. est hæc. *Hebræi in victimis pecudum, quas offerebant Deo, Prophetiam seruabãt futuræ victimæ, quam Christus obtulit: Christiani iam peracti Sacrificij memoriam celebrant, sacrosanctâ oblatione & participatione Corporis Christi*. Posterior ex lib. de fide ad Petrum: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites ipsum vnigenitum carnem pro nobis factum se pro nobis obtulisse sacrificium, & hostiam Deo in odorem suauitatis, cui cum Patre & Spiritu sancto, tempore veteris Testamenti animalia sacrificabantur, & cui nunc cum Patre & Spiritu sancto (cum quibus illi vna est Diuinitas) Sacrificium panis & vini Sancta Ecclesia per vniuersum orbem offerre non cessat.*

Attende quæso an perspicillo opus sit ad detegendam fraudulẽtam audaciam Hæresiarchæ, qua verbis Augustini populo persuasum voluit tantum Patrem docuisse, quod ipse perperam docebat, cum expressè innuat Augustinus Sacrificia veteris Testamẽti fuisse propriè dicta, in figuram Sacrificij Crucis futuri. Sacrificium verò Missę nominet sacrosanctam oblationẽ sacrificij in Cruce peracti, id est verum esse sacrificium incruentum in memoriam Sacrificij cruenti: ita vt, sicut in veteri Testamento respiciebant sacrificia Crucis sacrificium futurum; ita vnicum sacrificium Christianorum sacrificium Crucis iam peractũ. Quid quæso clarius?

Porro licet hæc apertissima sint, libet tamen addere, quæ in hanc rẽ lib. 3. de Sacerdotio profert Chrysostomus, dum probat ex sacrificij huius eminenti ministros noui Testamenti præcellere veteris Testamenti ministris. *Nam*, inquit, *dum cõspicis Dominum immolatum, sacerdotem sacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tum vero turbam circumfusam pretioso illo sanguine intingi, ac rubescieri, etiãne te inter mortales versari, atque in terra consistere censes? an non potius e vestigio in cælos transferris, an nõ carnis cogitationem omnem abijciens, nudo animo, mente pura circumspicis quæ in cælo sunt?* Et paulo post. *Visne & sanctimoniæ istius excellentiam alio miraculo perspicere?* Ponito *ob oculos Heliam illum, præterea & infinitam illam turbam circumfusam, & sacrificium lapidibus superpositum, tum vero reliquos omnes admodum quietos ac taciturnos, solum autem Prophetam preces fundentem, secundum id flammam derepente è cælo delabentem, sacrificiumque ipsum lambentẽ: mira sunt illa profectò, ac stupore omni plena. Ab illis ergo sacris ad nostratia sacra te transfer: nec ea mira modo esse videbis, sed etiam omnem stuporem excedẽtia. Adest enim sacerdos, non ignẽ gestans, sed Spiritum sanctum, is preces diuturnas fundit, non quod flamma cælitus dilapsa, sacra apposita absumat: sed vt gratia in sacrificium influens, per illud ipsum omnium animos inflammet, & puriores reddat argento igni excocto, purgatoque. Hoc ergo mysterium omnium maxime verendũ horrendumque, quis tandem qui insanus idem minime sit, quique è potestate non exierit, fastidire ac despicere poterit?* Chrysost.

Secundò quia vt Apostolus meminit 1. Cor. 10. mensæ seu altaris Christianorum, ita requirunt vetusti Patres altaria ad celebrandã Eucharistiam. Altaria autem nõ erigũtur, nisi ratione Sacrificij. Supponunt ergo Eucharistiam esse Sacrificium. Dionysius cap. 3. Ecclesiast. Hierarchiæ meminit altaris: Tertullianus lib. de Pœnitentiâ, inter alia signa humilitatis pœnitentiam numerat. *Presbyteris aduolui, aris Dei adgeniculari.* Et in libro de oratione in vlti- 1. Cor. 10.

in vltimis verbis: *Solemnior*, inquit, *erit statio tua, etsi ad aram Dei steteris.* Cyprianus lib. 1. epist. 9. iubet vt non offeratur sacrificium pro quodam Christiano defuncto, qui reliquerat Presbyterum rerum temporalium procuratorem, & caussam reddit: *quia non est dignus, vt pro illo sacrificetur, qui Sacerdotem Dei ab altari abstraxit.* Eusebius lib. 1. demonst. Euangel. cap. 6. multa dicit de altari Ecclesiæ. Optatus Mileuitanus libro 6. contra Parmenianum: *Quid est*, inquit, *tam sacrilegum, quàm altaria Dei, in quibus aliquando & vos obtulistis frangere?* Et ibidem altare esse dicit, Sedem Corporis Christi. Ambrosius lib. 5. epist. 33. *Certatim*, inquit, *milites nuntiare & irruentes in altaria osculo pacem significare.* Sanctus Antonius, vt in vitâ eius scribit Athanasius, cùm præuidit futuram hæresim Arrianam, videre sibi visus est, feroces mulos calcibus euertẽtes Christi altaria. Nazianzenus oratione in Gorgoniam, scribit eam ad altare procubuisse, & inuocasse illum, qui super altari coli solet. Nyssenus in lib. de Baptis. dicit altare esse lapidem naturâ suâ, sed consecratione fieri sanctum &c. Chrysostomus hom. 53. ad populum volens eundẽ instruere, quàm esset iniquum spiritualibus fratris donis inuidere, per quæ Deus honoratur, inquit: *Licet hostis esset & inimicus: si tamen per hunc Deus glorificaretur, amicum fieri propter hoc oporteret: tu verò amicum facis inimicum, quoniam propter illius prosperitatem Deus glorificatur. Si quis corpus tuum malè se habens curauerit, licet sit inimicus, ipsum iã de primis amicorũ esse censebis: Christi vero corpus ornantẽ, id est, Ecclesiam, & amicum ducis inimicũ: & quomodo contra Christum pugnam aliter præ te tulisses? Propterea siue quis signa faciat, siue virginitatem, siue ieiuniũ, siue humistratum excolat, siue ipsos Angelos virtute praeueniat, omnium erit scelestissimus, hunc habens defectum, & adultero, lenone, & latrone ac fure iniquior.* Vt verò illud efficacius persuadeat, subiungit quæ sic quadrant. *Et ne quis sermonis excessum redarguat, illud à vobis libenter interrogauerim: Si quis ignem sumens, & fossorium, hanc destruxisset domum & incendisset, & hoc suffodisset altare: nonne quilibet eum lapidibus obrueret, tanquam prophanum & impium? Quid igitur si quis voraciorem hoc igne flammam inferat, inuidiam dico, non lapidum ædificia destruentem, nec aureum suffodientem altare: sed quod parietibus & altari multo pretiosius est, doctorum ædificationem subuertentem & corrumpentem, quali venia dignus esset?* Et homil. 20. in posteriorem ad Corinthios. *Tu*, inquit, *altare honoras, quod accipit Corpus Christi.* Hieronymus in lib. contra Vigilantium. Augustinus lib. 8. Ciuit cap. vlt. & lib. 22. cap. 8. & alij Patres, & etiam antiqua Concilia frequentissimè altarium meminerunt.

Tertiò quia ministros qui offerũt Eucharistiam, vocant Sacerdotes, & eorum ministerium sacerdotium: proprium autem Sacerdotis est offerre sacrificium. Nam vt ait Apostolus ad Hebr. 3. *Omnis Pontifex constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum vt offerat dona & sacrificia.* Et cap. 8. *Omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur.* Ita Gaudentius tractatu 2. de Exodo: *Dominus*, inquit, *discipulis fidelibus mandat, quos primos Ecclesiæ suæ constituit Sacerdotes, vt indesinenter ista vitæ æternæ mysteria exerceant, quæ necesse est à cunctis Sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari.* Item Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos prope finem. Cyprianus in singulis fermè epistolis. Tertullianus lib. de præscript. & de velandis virginibus. Dionysius cap. 1. Eccles. Hierarch. Augustin. lib. 20. cap. 10. Chrysost. in lib. sex. de Sacerdotio; & quod amplius est ipsum sanctum Ioannẽ Sacerdotio functum, & laminam Pontificalem gestasse scribit Polycrates apud Eusebium lib. 5. histor. cap. 13. *Hebr. 3.*

Sed dices: Ministri Ecclesiastici in nouo testamento non dicuntur Sacerdotes? Admitto, sed caussa in promptu est. Quia enim tempore Aposto-

Apostolorum adhuc vigebat sacerdotium Iudaicum, & sacrificia cruenta offerebantur in templo Ierosolymitano. Apostoli, Domino inspirante, non vtebantur nominibus Sacerdotij, Sacrificij, Templi, Altaris, & similium rerum, vt facilius distinguerent Christiana sacra à Iudaicis, & ne putarentur, si eisdē vterentur vocibus, eosdem illos ritus innouare aut confirmare. Sed paulò post euerso templo Hierosolymitano, & cessantibus omninò sacrificijs Hebræorum, liberè cœperunt antiquissimi Patres vti nominibus templi, altaris, sacrificij & sacerdotis: quia Araonicum cum Christi morte cessabat, & sacerdotium Christi incruentum iam vigorem obtinuerat. Ob istius mutationem enim dixit Paulus: *Translato sacerdotio, necesse est, vt & legis translatio fiat.* Audi si placet Chrysostomum hoc mirè extollentem lib. 3. de Sacerdotio. *Etenim sacerdotium*, inquit, *ipsum in terra quidem peragitur, sed in rerum cælestium classem ordinemque referendum est. Atque id perquam meritò: quippe non mortalis quisquam, non angelus, non archangelus, non alia quæuis creata potentia, sed ipse paracletus ordinem huiusmodi disposuit: qui mortalibus hominibus etiamnum in carne manentibus author fuit, vt angelorum ministerium animo cōciperent. Idcirco necesse est sacerdotem sic esse purum, vt si in ipsis cælis collocatus inter cælestes illas virtutes medius staret. Terribilia namque atque horrifica fuisse ferunt, quæ gratiæ tempus præcesserunt: quod genus fuere, tintinnabula, mala punica, lapides pectori sacerdotis, itemque alij humeris eiusdem superpositi, mitra, strophium, vestis ad pedes vsque demissa, lamina aurea, sancta sanctorum, ingens intus quies atque silentium. At verò si quis ea, quæ gratiæ tempus nobis aduexit, examinet, terribilia atque horrifica quæ dixi, indicabit esse admodum leuia, ac quod de lege à Paulo dictum est, hic verum esse comperiet: quandoquidem ne glorificatum quidem fuit, quod glorificatum est in hac parte, propter eminentem gloriam.*

Chrysost.

1.Co. 13.

Quartò, quia docent Eucharistiam celebrari & offerri posse pro viuis & defunctis, pro pace & incolumitate, & generatim pro omnibus necessitatibus tā corporis quam animi, quod sanè nō dicerēt, nisi putarent esse verū sacrificiū. Ita Chrysostomus hom. 79. ad populum Antiochenū. *Altari*, inquit, *assistens Sacerdos pro terrarū orbe, pro Episcopis, pro Ecclesia, pro gubernantibus, Ecclesia iubetur Deo offerre* Et hom. 72. in Matthæum addit offerri etiam pro infirmis, pro sanis, pro terræ fructibus. Homil. 21. in Acta & lib. de sacerdotio, & alibi addit; etiam pro mortuis. Augustinus quoq; lib. 22. de Ciuit. Dei ca. 8. scribit à suis Presbyteris oblatū sacrificiū Eucharistiæ pro domo liberandâ à Dæmonū vexatione. Et lib. 9. Cōfess. cap. 12. scribit sacrificiū pro matre suâ defunctâ oblatum. Et ne putemus merā esse cęremoniā pro defunctis offerre, ipse idē scribit in Enchiridio cap. 100. hostiam hanc pro non valde malis propitiationē esse. addā eius verba: *Cum*, inquit, *sacrificia siue altaris siue quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarū actiones sunt: pro nō valde malis, propitiationes sunt.* Et serm. 34. de verbis Apostoli cap. 2. *Orationibus verò sancta Ecclesiæ & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogātur, non est dubitādum mortuos adiuuari; vt cum eis misericordius agatur à Domino, quā eorū peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum, vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis, qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur; ac pro illis quoque id offerri commemoretur.*

Quintò, quia docēt Christū figuras veteres adimpleuisse, vt Chryso. hom. de proditione Iudæ, vbi docet Christū veteris Testamēti Paschate celebrato nouum inchoasse. *Post quā*, inquit, *Sol iustitiæ radiauit, vmbra soluitur luce: & ideo in ipsa mensa vtrūq; Pascha, & typi, & veritatis celebratū est. Nā sicut pictores pingendam tabulam vestigijs quibusdam adumbrare consueuerunt, & sic colorū varietate perficere: ita & Christus fecit in mensâ, & typum Pascha descripsit, & Pascha veritatis ostendit.* Etenim

Chrysost. hom. de perdit. Iud.

S agnus

agnus primum sacrificiũ veteris Testamenti extitit ante egressũ de Ægypto institutũ, & postremo perfectũ est à Christo in cœna. Gerebat autẽ Agnus ille expressã imaginem Christi, de quo Scriptura cecinerat: *Emitte agnũ, Domine, dominatorẽ terræ.* Et alibi, *quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Et Ioannes Baptista: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Omitto Cyprianum id specialiter docẽtem de sacrificio Melchisedech, lib. 2. epist. 3. ad Cecilium, Clementem Alexãdrinũ, lib. 4. Stromat. cap. 8. & alios.

Cyprian. Clement Alexand.

Sed dices Lutherus de abroganda Missa nõ curat Patrum antiquorum dicta. Nam ait ibidem: *Profiteor in primis aduersus eos, qui clamaturi sunt, quòd contra ritum Ecclesiæ, contra statuta Patrum docuerim, nihil me horum auditurum.* Et in libro de Missa priuata: *Hic non moramur, si clamitent Papistæ, Ecclesia, Ecclesia, Patres, Patres; quia vt dixi, hominum dicta aut facta nihil in tã magnis caussis curamus. Scimus enim ipsos Prophetas lapsos esse, adeoque Apostolos: verbo Christi iudicamus Ecclesiam, adeoque ipsos Angelos.* Similia habent alij Nouatores. Caluinus lib. 4. Instit. cap. 18. §. 12. *Pestilentissimo errore Sathan totum penè orbem excæcauit, vt crederet Missam sacrificium.* Et infra §. 12. *Non est cur vlla hominum authoritate, vel annorum præscriptione patiamur nos moueri.* Magni sanè Patriarchæ qui sine ratione insanientes volunt prudentes haberi. Quid causæ quod antiquos Patres reijciant, vel sententias eorum peruersè interpretentur? An quod ipsi dij sint, & extraordinariè à Deo missi? sed hoc falsum esse alibi ostendimus, ita vt eorum dictis nullâ ex parte nos moueri oporteat. Sed quid? Edmundus Campianus rationem dicit, quam vnicam & verissimam credo, nempè quod stantibus illis, omninò aduersarij debeant cadere, sic enim ait quintâ ratione. *Antiochiæ, quâ primum in vrbe Christianorum nobile cognomẽ tum increbuit, Doctores, id est, concionatores, perquam celebres floruerunt; huiusce generis Scribas & Sapiẽtes, doctos in regno Dei noua promẽtes & vetera, Christũ callẽtes & Moisen, Dominus ipse fatuus gregi prospexerat. Hos ingẽtis beneficij loco donatos explodere, quãti maleficij est? explosit aduersarius. quid ita? quia stantibus illis concidisset.* Et immediatè post subiũgit, quod pugnam cũ Academicis simpliciter exoptauerit, in verbis: *Id ego cũ pro certo cõperissẽ, pugnã simpliciter exoptaui; nõ illã iocularẽ, quã turba velitantur in compitis, sed istam seueram & acrem, quã cõgredimur in vestris Philosophorum spatijs. Pede pes, densusque viro vir. Ad Patres si quando licebit accedere confectum est prælium.*

Luther. Caluin l. 4. Instit. c. 18. §. 12. Edmund. Campianus. Act. 13. 1 Cor. 12. Ephes. 4. 1 Cor. 14. Matth. 13. & 23.

Sed quid ni Patres reijciãt? Cum ipsi quod Scripturis est cõforme, dissonũ à doctrina nouantium, expressissimè tradiderũt. Audi paucula ex eodẽ Edmũdo, quibus clarũ euadit, cur infensi sint Sanctis antiquisque Patribus. *Qui captiuãt, inquit, hominis volũtatẽ, qui Christiana funebria sustulère, qui diuorũ reliquias incendère, sintne placabiles Augustino, qui de libero arbitrio libros tres, de curâ pro mortuis vnũ: de Miraculis ad Basilicas & memorias Martyrũ prolixũ caput nobilissimi operis, & cõciones aliquot exarauit? Qui fidẽ suis captiunculis metiũtur, nõne succenseãt Augustino, cuius est insignis* [a] *epistola contra Manichæũ, quã se profitetur, antiquitati, cõsensioni, successioni perpetuæ & Ecclesiæ, quæ sola inter tot hæreses Catholicæ nomen vsucapione vẽdicant, assentire?* [b] *Optatus Mileuitanus Episcopus Donatianam partem reuincit ex cõmunione Catholicâ, nequitiam accusat, ex decreto Mechliadis:* [c] *Hæresim refutat ex ordine Romanorũ Pontificum:* [d] *insaniam patefacit ex Eucharistiâ & Chrismate cõtaminatis:* [e] *sacrilegiũ horret, ex diffractis altaribus, in quibus Christi mẽbra portata sunt, pollutisq; calicibus, qui Christi sanguinẽ tenuerunt. De Optato quid sentiãt, aueo scire, quem* [f] *Augustinus vt venerabilẽ & Catholicum Episcopum, Ambrosio parem & Cypriano, quem Fulgentius vt sanctum & fidelem Pauli interpretem, Augustini similem & Ambrosij meminerunt.*

Lib. 22. de ciuit. c. 11. & serm. de diuers. 31. & seq. a Con. ep. Man. quã vocant fundam. c. 4. b Lib. 1. cõt. Parm. c Lib. 2. d Lib. 3. e Lib. 6. f Aug. l. 1. cont. Parm.

Sed quid dico de Patribus antiquis? quos subinde reijciunt, subinde perperam in fauorem suæ hæresios allegant; Doctores orthodoxos huius temporis etiam mendaciter traducunt, dicentes ex eorum doctrina

ctrina colligi fidem apud nos negligi, sola opera commendari; Ipsosq; docere peccatorem suis operibus mereri gratiam, & remissionē peccatorum. Sanctos æquè ac Christū à nobis coli, imo sanctos pro dijs apud nos haberi & adorari, & similia, quod facile credunt simpliciores, non autem cordati, qui rē prudentius discutiunt & examinant. Refert quid notatu dignum & à seductis imitandum P. Martinus Becanus Cōfessarius Imperatoris Ferdinandi, in Manuali suo, quod eius verbis adscribam: Dicam quid anno superiore cōtigerit. Quidam Baro, cum essemus in itinere Cellēsi cum S.C.M. bona fide mihi recensuit, se ante complures annos, cum adhuc à nostra religione esset alienus, hæc & similia figmenta, quæ iam commemoraui, non semel audiuisse à suis Prædicantibus: & teneriori quidem ætate fidem adhibuisse: at postea, cum iam maturo esset iudicio, nullo modo potuisse adduci, vt crederet, adeo stolidos esse Catholicos Doctores, qui huiusmodi portenta profiterentur. Itaque, coëmptis eorum libris, in quibus de fide disputant, diligenter se eos euoluisse, & re totâ accuratè perpensâ & examinatâ, manifestè cōperisse, omnia secus habere, ac ministri commenti essēt: Et hac occasione, ex Lutherano Catholicū factum esse. Lubens hoc intellexi, & Viennā reuersus, in multorum cōsessu narraui, quæ audiueram. Nec sine fructu. Aderant enim ex Lutheranis Viri ac Matronæ illustres, & protestati sunt, idem se facturos quod Baronem fecisse commemoraueram. Vtinam omnes ab ipsis illusi id imitentur! Videbūt apertè se à Prædicantibus illusos esse. Quinetiam teneri Romanę Ecclesiæ simpliciter subscribere, nisi velint de libro vitæ exterminari.

Discursus XLI.

An sacrificium Missæ impetret remissionem peccatorum; & quo modo?



Leuit. 1. cap. ordinat Dominus Moysi, quid populus, volens aliquid offerre in sacrificio, cū holocaustum est, offerre debeat ad placandum sibi Dominum, & addit: *Ponetque manum super caput hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem proficiens.* Hinc quæram quod in argumento ponitur. Leuit. 1.

Matt. 13. 1. Matth. 13 cap. dicit Dominus: *Omnis scriba doctus in regno calorū similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera*, quē imitari vrget Caluinus qui 4. Inst. cap. 18. dicit Sathanam pestilentissimo errore totum pene orbem obcęcasse, *vt crederet Missam sacrificium & oblationem esse ad impetrandam peccatorum remissionē.* Et insuper sacrificium Missæ sine iniuria sacrificij crucis offerri non posse. Ratio eius duplex est, prior quod Christus sit sacerdos in æternum, cui nulli substitui debeant successores aut Vicarij; posterior, quod sacrificium crucis habeat infinitam & æternam vim, ideoque nos nō egere alio sacrificio, neq; alia repetitione eiusdem sacrificij.

2. Sed econtra obijcio verba Apostoli ad Rom. 3. *Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus.* Rom. 3. Hæc autem protulit occurrēs obiectioni Iudæorū, qui indignè ferebāt Paulū docere neminem ex operibus legis iustificari, in quibus gloriabantur Iudæi: sed ex fide in Christū propitiatorē, quasi ipse legem destrueret per fidem; & idem est ac si dixisset, ego per Euangelium adeo le-

gem non destruo, non deijcio, vt eã potius per hoc stare faciam, stabiliã & confirmem. Euangelium enim est confirmatio, ratificatio, obsignatio legis & Prophetarum, seu lex statuitur & confirmatur ex eo quod illa quæ lex vetus significabat & promittebat per Euãgelium completa sint. Messias enim in lege adimpleuit, & adimplendo quasi stabiliuit, & cõfirmauit, quidquid Moyses in veteri lege præfigurauit. Vt autem Apostolus dixit de lege & fide, sic de Cruce & Missa dicere possum. Nunquid crucem euertimus per Missam? Absit; sed crucem statuimus. Quomodo enim Missa crucem euerteret, quæ nihil fermè est aliud, nisi continua commemoratio Crucis? Et quamuis admittamus sacrificium crucis vim infinitam & sempiternam habere ad sanctificandum: adeoque non opus esse, vt alius Christus moriatur pro nobis, aut vt idem Christus sæpius moriatur. Negamus tamen expresse inde sequi, non posse sine crucis Christi iniuria multiplicari sacrificia repræsentantia sacrificium crucis, & eius fructus nobis applicantia. Nam si ita esset, non solum tollerentur Missæ de medio, sed etiam efficeremus omnia sacrificia Testamenti veteris fuisse peracta in iniuriam crucis Christi. Nam sacrificium crucis non solum vim habuit sanctificandi futuros homines, sed etiam præteritos; inde enim dicitur, agnus occisus ab origine
Apoc. 13 mundi Apoc. 13. Si igitur probauero vetera sacrificia quid potuisse, à maiori constabit sacrificium Missæ amplius posse.

3. Vnde ad obstruendum os loquentium iniqua, dico in veteri lege fuisse triplicia sacrificia ratione finis. Primum vocabatur holocaustũ; secundũ pro peccato: tertium pacificum, seu in gratiarũ actionem pro beneficio impetrato vel pro beneficio obtinendo. Holocaustũ vero erat, quod in recognitionem maiestatis diuinæ totum cõburebatur. Quale obtulit Noë Genes. 8. finito dilu-
Genes. 8. uio, vt habetur v. 20. in verbis: *Aedificauit autem Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocausta super altare. Odoratusq; est Dominus odorẽ suauitatis*, id est, Deus acceptauit holocaustum Noë, tanquam rem sibi suauem & gratã, quia scilicet hoc sacrificio Deum generi humano iratum placauit & trãquillauit, vt videlicet terram nõ amplius perderet diluuio. Tale etiam fuit, quod iusserat Deus Genes. 22. A- Genes. 22.
brahæ immolare, cum dixit illi: *Tolle filium tuum vnigenitũ, quem diligis Isaac, & vade in terrã visionis* (seu moria) *atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi.* id est, ita vt nec corpus, nec pars vlla corporis tibi maneat: sed totus Isaac in cinerem redigatur, & quasi annihiletur, vt per hoc opus pateat te ex toto corpore diligere Dominum. In lege Moysis eius etiam fit mentio. loc. cit. v. 3.

Sacrificium vero pro peccato erat, quod offerebatur Deo ad expiationem peccati. Quale obtulit in lege naturæ Iob pro filijs suis. Et eius historiæ capite vltimo, iussit Deus, vt amici Iob sacrificarent pro peccato suo. Et in lege Moysis eius frequens est mentio, nempe Leuit. 4. Leuit. 4.
& alibi, vbi quadruplex species hostiæ pro peccato designatur. Illud vero non valebat ad remissionẽ peccatorum quoad culpam & pœnam æternam, nec ex opere operato homines iustificabant, & amicos Dei efficiebant. Nam teste Apostolo ad Hebr. 10. impossibile erat sanguine Hebr. 10.
hircorum & vitulorum auferri peccata: sed tantum ex opere operantis illa auferebantur, puta ex fide, contritione, & charitate offerẽtis, quarum protestationes & signa erãt huiusmodi sacrificia. Secundo valebat ad expiationem pœnæ temporalis, & ad punitionem huius vitæ, quam Deus aliàs illis irrogasset, auertendam. Tertio conferebat quandam iustitiam legalem, & externã: quia auferrebat immunditiã legalẽ siue carnis, quã censebantur Iudæi immũdi inter suos, & arcebãtur sacris.

Sacrificium vero pacificum erat, vt dixi

vt dixi, vel pro actione gratiarum: quale fuit sacrificium Melchisedech Genes. 14. qui panem & vinum Deo obtulit in sacrificium, scilicet partem panis cremando, partem vini libando, Deo in gratiarum actionem pro victoria Abrahæ, quã obtinuerat contra quatuor Reges. Deinde reliquam panis & vini partem in milites Abrahæ libandam, seu participandam, & comedẽdam distribuit, vt moris erat in sacrificio pacifico. Simile obtulit Isaac Genes. 27. pro liberali promissione Dei, qua promiserat Isaaco suam protectionem, benedictionem, & copiosam posteritatem. Iacob etiam sic legitur sæpius sacrificasse, videlicet primò in monte Galaad, Genes. 31. 53. Secundò, iuxta oppidum Sichẽ, Genes. 33. 20. Tertiò in Bethel, Genes. 35. 7. Quartò, in eodem loco, Genes. 35. 13. Quintò ad puteum iuramenti Genes. 46. 1. Hęc omnia sacrificia fuerunt Eucharistica, pro diuersis beneficijs à Deo acceptis. Iacob enim, vt sanctorum hominum mos est, quotiescumque à Deo nouũ aliquod beneficium accipiebat, statim pro gratiarum actione, offerebat illi sacrificium. Igitur primum obtulit in monte Galaad, pro felici compositione litis, quæ inter ipsum & Laban orta erat. Alterum prope Sichem, eo quod in itinere, rediens ex Mesopotamia Syriæ, euasisset irã fratris sui Esau, quem valde metuebat. Tertium in Bethel propter eandem causam. Quartum in Bethel, pro promissione futuri seminis & benedictionis à Deo facta. Quintũ ad puteum iuramenti, eo quod intellexisset, filium suum Ioseph, quẽ putarat esse mortuum, adhuc viuere, & dominari in Ægypto.

Gen. 14. Genes. 27 Genes. 31. 53. Genes. 33. 20. Genes. 35. 7. Genes. 35. 13. Genes. 46. 1.

Rursus sacrificium pacificum erat etiam votiuũ pro beneficio aliquo impetrando, vt videre est 1. Reg. 13. vbi Saül in summa perplexitate cõstitutus propter Philistæos, qui tum è domestico ac proprio, tum è vicino atque conducto milite copias armabant, sacrificijs Deum conciliare voluit. Et 2. Reg. vlt. vbi Dauid ex mandato Dei constituit altare Domino in area Areuna Iebusęi, & obtulit holocausta & pacifica, vt cessaret pestilentia, quæ grassabatur in populo; quod & impetrauit. Sic enim ibidem legitur: *Ædificauit ibi Dauid altare Domino, & obtulit holocausta & pacifica, & propitiatus est Dominus terræ & cohibita est plaga ab Israël.* 2. etiã Machab. 3. legitur Onias obtulisse hostiam salutarem pro vita tẽporali Heliodori flagellati ab Angelis: quia voluerat auferre deposita viduarũ & pupillorũ è tẽplo Hierosolymitano.

1. Reg. 13. 2. Reg. vlt. 2. Mach. 3.

In horum omnium locum successit Sacrificium Missæ, quod probaui abundè, esse vnicũ noui Testamẽti.

4. Porro his ita positis, quæro an sacrificium Missæ remissionem peccatorum impetret? Respõdeo sacrificium Missæ primo valere ad colẽdum Deum, secundo, ad gratiarum actionem pro beneficijs acceptis, & nominatim pro beneficio mortis ac passionis Christi ex ordinatione Christi, *Hoc facite in meam commemorationem.* Tertio ad impetrãda noua beneficia. Quarto ad placandũ Deũ, & expianda peccata. Lutherani & Caluinistæ concedunt quidẽ reuocari posse ad colendũ Deum & gratiarũ actionẽ: sed nullo modo volũt esse impetratoriũ & propitiatorium.

Probatur igitur tale esse, primo ex sacrificijs veteris Testamẽti, quæ typi fuerunt ac figuræ nostri sacrificij, quod successit omnibus veteribus, tanquam vnum. sufficiẽs pro omnibus, & eminenter omniũ vim continens. Atque inter vetera sacrificia multa fuerunt propitiatoria & impetratoria, vnde sequitur hoc etiã impetrare remissionẽ peccatorũ.

Secundò quia sacrificium Missæ est sacrificium applicans promissiones noui Testamẽti, inter quas vna est de remissione peccatorum, vt liquet Matth. 26. & Luc. 22. vbi calix Sanguinis Christi dicitur effundi, siue per sacrificiũ Deo offerri, in remissionẽ peccatorum. Tertiò quia Apostolus ad Hebr. 5. docet omnis Põtificis munus esse, offerre Deo sacrificia pro peccatis. Sic enim ait:

Matt. 26. Luc. 22. Hebr. 5.

Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccato: at in Ecclesia sacerdotium esse & sacrificium propriè dictum, alibi, ostendi: ergo necesse est, vt ad purganda peccata illud habeamus.

5. Vlterius dico non solum valere ad peccatorum remissionem: sed etiã ad omnis generis beneficia impetranda. Primum, quia veteris Testamenti sacrificia ad hoc valebant, vt patet per exempla n. 3. allegata, Deinde ex eo quod Apostolus Paulus 1. ad Tim. 2. dicat faciendas in Ecclesia obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones pro Regibus & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agant. Quem locum S. Patres de publicis precibus, quæ fiunt in missa, exponunt, & volunt Apostolum hoc præcepisse vt sacrificium etiam offerretur pro temporali pace & tranquillitate Ecclesiæ, vt videre est apud August. epist. 59. ad Paulinum, Chrysostomum & Oecumenium, in Commẽtarijs huius loci, & Ambrosium lib 6. de Sacramentis cap. vltimo. Tertiò quia veterũ scripta hoc ipsum passim testantur: Tertullianus enim in libro ad Scapulam. *Sacrificamus*, inquit, *pro salute Imperatoris.* Et in lib. de corona militis scribit, oblationem pro natalitijs fieri solitam. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 5. mystagogica: *Postquam confectum est*, inquit, *illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruẽtus, super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarũ pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro socijs, pro ægrotis & afflictis, & in summa pro omnibus, qui egent auxilio.* Chrysostomus hom. 18. & 21. in Acta Apostolorum, & alibi sæpe docet, offerri sacrificium pro fructibus terræ, proque alijs necessitatibus, August. lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8. meminit sacrificij Eucharistiæ oblati ad purgandam domum à Dœmonum vexatione. Prosper in lib. de prædicationibus Dei, cap. 6. dimidij temporis, scribit suo tempore sacrificium Missæ oblatum pro dæmoniacâ, & rursus eâ curata, oblatum iterum in gratiarum actionẽ. Gregor. hom. 37. in Euangelia, & Beda 4. lib. hist. Angliæ, cap. 22. scribunt diuersis temporibus idem miraculum cõtigisse, vt cum sacrificiũ Missæ offerretur pro homine captiuo in alia regione posito, & ignorãte quid pro se fieret, eius vincula diuinitus soluerẽtur ipsa horâ sacrificij.

1.Tim. 2.

Tertull. lib ad Scap.

Cyrillus.

Augustinus.

Prosper.

Gregorius.

Beda.

6. Sed ait, inquies, Caluinus per hoc euacuari sacrificiũ crucis. Respondeo nullo modo id verum esse. Quod probo primò, quia vetera sacrificia, quæ respiciebant sacrificiũ crucis futurum nullatenus derogarũt eidẽ sacrificio: ergo nec nostrũ, quod respicit sacrificiũ crucis præteritum. Et vt percipiamus ineptias Caluini, quæro an sacramenta noui Testamenti sacrificium crucis non eneruẽt? Illa enim certũ est peccata remittere: vnde Baptismo Christus tribuit salutem Marc. 16. dicẽs: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Et B. Petrus hinc suos hortabatur: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum in remissionem peccatorum.* Et de Pœnitentiæ sacramento habentur hæc verba Ioan. 21. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remissa sũt.* De extrema vnctione dicit Iacobus cap. 5. *Si quis infirmatur in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orẽt super eum, vngẽtes eum oleo in nomine Domini &c. & si in peccatis sit, remittentur ei.* Atqui hanc gratiã nobis nõ conferunt aliũde, quàm ex sacrificio crucis, cuius virtutẽ nobis applicant. Vnde certũ est nõ euacuare sacrificiũ crucis: sed illud nobis fructuosum reddere. Sic necessariò obmutescere debet Caluinus; nisi velit perperam Sacramenta nouæ legis æquiparare sacramentis Mosaicis, quæ Paulus ad Gal. 4. vocat *infirma & egena elementa.*

Marc. 16.

S. Petrus.

Ioan. 21.

Iac. 5.

Gal. 4.

7. Resumo iterum argumentum, & dico, si Nouãtes velint sacrificiũ crucis per hoc euacuari, quod multo magis debeant reprehendere Apostolum Paulũ adstruentem Christi sacrificium nobis nõ sufficere ad salu-

Hebr. 5. salutem, nisi Christo obtemperemus, cum dicit Hebr. 5. *Et quidem cum esset filius Dei, didicit ex eis, quæ passus est, obedientiam: & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ.* Illis enim verbis hortatur Hebræos, vt in fide ac religione persistant, vtque aduersa forti constantique animo perferant: fidem enim non sufficere, nisi quis obtemperet Christo, qui nouo & exactiori modo in passione expertus est, quam difficile sit, & arduum in omnibus se submittere.

Coll. 1. Denique quomodo excusabunt eundem Apostolum dicentem ad Collossens. 1. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius quod est Ecclesia*, quod idem est, ac si diceret, Christus quidem in se satis abundè passus est, vt nos redimeret, nobisque compararet commune lytrum, quo à peccato redimamur, si illud nobis applicetur: verum vt hoc lytrum & hæc Christi passio hominibus præsertim infidelibus applicetur, multa adhuc desunt, nimirum oportet nos Apostolos peregrinari per totum mundum, docere omnes Gentes, monere, hortari, arguere; vt eas conuertamus, ideoq; multa nobis dura & acerba patienda sunt; vti iam ego vincula hæc patior in carne, vt ea quæ desunt passionibus Christi in Gentium conuersione procuranda, ego adimpleam, multaque patiar pro corpore Christi, quod est Ecclesia, vt nimirum inter Gentes Ecclesia propagetur, crescat & perficiatur, passionisque ac redemptionis Christi planè fiat particeps: Theoph. quemadmodum, inquit, Theoph. Si duce exercitus abeunte subimperator (id est ducis Vicarius.) pro phalange dimicans in illius locum constitutus vulnera ipsius recipiat: ita Christo in cœlos abeunte Apostoli in acie depugnantes pro eo vulnera recipiunt.

Rursum nota, sicut multa desunt passionibus Christi, vt Gentes ad Christi fidem conuertantur, & passionis Christi fiant participes; quæ adimplet Apostoli, dum multa patiuntur in prædicatione Euangelij pro Ecclesia Christi propaganda, quod primò & propriè intendit hic Apostolus; ita multa desũt passionibus Christi, vt fidelibus iam cõuersis plenius in dies & plenius, passiones & satisfactiones illæ Christi applicentur: sicut ergo quisque fidelis per opera satisfactoria quæ subit, applicat sibi satisfactionem Christi, vt satisfaciat pro pœna temporali peccatis suis debita: ita potest passionem & satisfactionem hanc suam Christi satisfactione nixam & mixtam, cum ea amplius non indiget, vtpote omni culpâ & pœnâ sibi iam condonata, alijs applicare: hoc enim requirit cõmunio Sanctorũ & bonorum operum, quæ est in Ecclesia. Et hoc sensu Paulus quoque adimplebat ea, quæ deerant passionũ Christi pro Ecclesia: quia passiones & satisfactiones sibi redundantes Paulus applicabat Ecclesiæ; vt per eas fidelibus, qui erant in Ecclesia, applicaretur satisfactio Christi, itaque satisfacerent pro peccatis suis, id est, pro pœna temporali, quæ culpâ condonata eis luenda restabat. Vnde Anselmus eo loci: *Passiones Christi non in solo Christo, imò passiones Christi non nisi in Christo, si enim Christum intelligas solum caput, passiones Christi non in solo Christo: Nam Apostolus adimpleo, inquit, ea quæ desunt passionum, non mearum, sed Christi in carne, non iam Christi, sed meâ. Patitur, inquit, Christus adhuc passiones, non in carne sua, in qua ascendit in cælum, sed in carne mea, quæ adhuc laborat in terra.* Anselmus.

8. Denique si ita est, vt ait Caluinus, cur Apostolus dicit ad Rom. 8. Christum scilicet vt hominem sedentem ad dextram Dei intepellare pro nobis. Cur, inquam, ibidem versu 26. dicit Spiritum sanctum quasi magistrum & præfectum libellorum nostrorum supplicum esse apud Deum, in verbis: *Quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Si euacuetur sacrificiũ Crucis, cur non omnes saluantur, si sine ap- Rom.

 plica-

plicatione virtus illius sacrificij nobis prodesse possit?

9. Verum enimuerò iam satis disceptatum cum Nouantibus. Restat ad instructionem nostram inquirere quomodo sacrificium missę impetret remissionem peccatorum.

Respondeo non remittere peccata vt sacrificia veteris Testamenti solum ex opere operãtis: neque immediatè per se ex opere operato, vt sacramenta nouæ legis homini obicem non ponenti, gratiam conferunt: sed mediatè ex opere operato donum pœnitentiæ impetrans, per quod homo peccator ad sacramentum accedere velit, & per illud iustificetur; quod clarè docet Concil. Tridentin. sess. 22. cap 2.. vbi sic habetur: *Huius oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit. Vna enim, eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa. Cuius quidem oblationis, cruentæ, inquam, fructus per hanc vberrimè percipiuntur: tantum abest, vt illi per hanc quouis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè, iuxta Apostolorum traditionem, offertur.* Hoc autem sic placuit Deo, qui voluit sacrificium hoc visibile perpetuum in Ecclesia permanere: vt sacrificij crucis *salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum, applicaretur.* Vt loquitur idem Conc. loc. citat. Ex quibus verbis constat rationem esse voluntatem Christi; vt hoc modo frequentaretur hoc sanctum Sacrificium: tum etiam quod ordo diuinæ prouidentiæ, id requireret; quæ etiam causa est cur Christus assiduè interpellet pro nobis in cœlo, cum tamen videatur, vnica interpellatione potuisse omnia statim impetrare; & similiter cur pretium infinitum, quod in cruce acquisiuit, quo totus mundus continuò saluari potuisset, non nisi quibusdam, & in certa mensura applicari voluerit. Atque adeo mirum est Nouantes non velle Deum per ministerium Sacerdotum hoc efficere, partim quia sacerdotiũ Christi non erat extinguendũ in cœna nouissima; sed duraturum vsque ad finem mundi, quando Antichristus publicum eius exercitium conabitur auferre. Et Christus ea de causa Apostolos in cœna nouissima constituerit Sacerdotes: tum etiam quod fateri debeant Christum per Sacerdotes tãquam ministros suos aut Vicarios in Sacramẽtis operari remissionem peccatorum.

Discursus XLII.

An necesse sit ex virtute Religionis Deum orare?



Acrificio comes est, Oratio. Proinde tractabo an necessaria sit ad cultum Dei.

Ratio inquisitionis est, quia nonnulli veterum hæreticorum eius necessitatem penitus negant, vt Pelagiani, qui dicebant homines posse suis viribus bene viuere, seruare mandata, gratiam Dei & gloriam promereri, & alij suo more de ea loquuntur.

Vt igitur obstruam os loquentiũ iniqua, dico apud Theologos duplicem esse necessitatem, aliam medij, aliam præcepti; & vtramque necessitatem existere de oratione. Medij colligitur euidenter ex sacris Scripturis, nempe Matth. 7. vbi Christus dicit: *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis.* Et Luc 18. *Oportet semper orare,* Matth. 7. Luc. 18.

& nun-

Chrysost. & numquã deficere. in quę verba Chrysostomus serm. de Moysi: *Dum oportet, dicit, necessitatem inducit.* Ideoque Christus speciatim dixit Apostolis Matth. 26. *Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Et cap. 21. Lucæ. *Vigilate omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia.* Hinc etiam Apostoli frequenter exhortati sunt ad orationem, vt Paulus ad Thessal. vlt. *Sine intermissione orate.* Coloss. 4. *Orationi instate vigilantes in ea.* Iac. 4. *Non habetis propter quod nõ postulatis, & petitis & non accipitis eo quod male petatis.* Ex quibus verbis necessitas medij quoad orationem satis patet. Si enim non habet quis, quia non postulat, & non accipit, qui non bene petit: multo certius est non accipere, qui non petit. Vnde D. Augustinus lib. de Eccles. dogmatibus cap. 56. dicit: *Nullum credimus ad salutem, nisi Deo inuitante venire, nullum inuitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante, operari, nullum nisi orantem, auxilium promereri.* Idem author de nat. & grat. indicat tam necessariam esse petitionem auxilij diuini, ac impletionem mandatorum Dei, cum ait cap. 43. *Deus, impossibilia non iubet: sed iubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Et lib. 2. de bono perseuerantiæ, tam necessariam esse orationem quàm perseuerantiam, dum dicit cap. 15. *Deum alia dare non orantibus, sicut initium fidei, alia non nisi orãtibus, sicut vsque in finem perseuerantiam.* D. vero Basilius libro de Constit. Monasticis cap. 2. hoc ipsum clarè asserit faciens distinctionem inter bona temporalia & spiritualia, sic inquiens: *Scit sine dubio Dominus, quibus nobis rebus sit opus: & omnia ad corpus pertinentia largiter nobis ad potiundum suppeditat: & cum singulari sit bonitate, pluit super iustos & iniustos, & solem suum oriri facit super malos & bonos, etiam priusquam à nobis rogatus sit. Fidem verò (id est fidei augmentum) & virtutis opera, & regnum cæleste, nisi cum labore & perseuerantia forti admodum oraueris, numquam impetrabis.* Quę omnia necessitatẽ medij apertissimè euincunt.

Matth. 26. 21. Luc. Thessal. vlt. Iac. 4. August. Basilius.

2. Nihilominus eadem confirmatur ex ordine & consuetudine diuinæ prouidentiæ. Operatur enim Deus per causas secundas quoad commodè fieri potest, & seruata proportione, in operatione virtutis, vult cooperationem nostram: cum ergo possimus saltem orando cooperari ad nostram salutem, postquam per gratiam præuenti sumus, hanc cooperationem merito à nobis exigit, & eam voluit esse quasi necessariam causalitatem causæ secundæ ad talem effectum. Vnde sicut in adultis ad consequendam gloriam est necessarium meritum, & ad consequendam gratiam sanctificantem est necessaria dispositio, ita ad obtinenda diuina auxilia opportuna, est necessaria oratio, quantum est ex se & ex parte nostra. Nec refert quod velit Deus omnes saluos fieri: non enim vult nos salutem consequi sine medijs. Quemadmodum non vult nos ditare sine labore. Sicut enim Deus constituit nobis dare frumentum & vinum, & vult nos ad hoc arare, serere, plantare, fodere, & alia id genus facere, si metere, & vindemiare velimus: ita sese res habet quoad consecutionem salutis.

3. Hoc ipsum rursus confirmatur: quia Deus multa promisit concedere, quæ tamen sine præuia oratione non concessit: quemadmodum constat exemplo plurimorum Sanctorum veteris Testamenti, & Primò Patriarchæ Isaac, qui tametsi sciebat ex diuina promissione in semine suo benedicendas omnes gentes, ac per hoc se prolem aliquam habiturum dubitare non posset; orauit tamen Deum pro sterilitate coniugis suæ, vt legimus Genes. 25. Genes. 25. Quoniam illud etiam sciebat, multa Deum promittere, quæ per orationes à se impetrari velit, vt S. Gregorius annotauit in libro 1. Dialog. cap. 8. Gregorius.

Sic Deus promiserat populo Iudæorum pacem & tranquillitatem, & tamen non dabat nisi orantibus. Hinc

Iudic. 3. v. 9. Hinc Iudic. cap. 3. v. 9. *Clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit illis saluatorem, & liberauit eos.* Et cap. 6. v. 6. *Humiliatus est Israël valde in conspectu Madian: & clamauit ad Dominum postulans auxilium contra Madianitas. Qui misit ad eos virum Prophetam*, &c. Similiter promiserat se missurum Messiam: & tamen Prophetæ orabant vt eum mitteret, Exod. 4. v. 13. *Obsecro Domine, mitte, quem missurus es.* Et Isa. 45. v. 8. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra & germinet saluatorem.* Et cap. 64. v. 1. *Vtinam dirumperes cælos & descenderes.*

Exod. 4. v. 13. Isa 45. v. 8 Cap. 64. v. 1.

Sic Elias Propheta, cum Dei nomine pluuiam promisisset Regi, & certò sciret falsum esse non posse, quod Deus promittit: anxiè tamen Deum precari cœpit pro pluuia impetranda, 3. Reg. 18. quia nouerat pluuiam quidem à Deo donandam esse, sed non nisi per orationes suas, esse donandam. 3. Reg. 18.

Tob. cap. 6. Denique Tob. cap. 6. Angelus Raphaël dicit Saram Tobiæ iuniori à Deo destinatam esse vxorem: & tamen eundem Tobiam admonuit, vt Deum precaretur, ne se à dæmonio illo pateretur occidi, à quo necatos fuisse constabat alios omnes, qui cum eadem Sara coniugio copulari tentauerant. Nimirum indicauit Angelus, conscius Dei secretorum, præordinatum fuisse à Deo coniugium Tobiæ & Saræ, sed non nisi per orationes eorum diuinam illam præordinationem fuisse implendam. Hinc B. Prosper libro 2. de vocat. Gentium. cap. 36. *Quamuis ergo quod statuit Deus, nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrij deuotio relaxatur: cum implendæ voluntatis Dei ita sit praordinatus effectus, vt per exercitia virtutum fiant incrememента meritorum: & qui bona gesserint, non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronentur.* Sic Matth. 17. dixit Christus de quodam genere dæmoniorum: *Hoc autem genus non eijcitur nisi per orationem & ieiunium.* Sic sanctus etiam Augustinus serm. 1. de S. Stephano. *Si Stephanus sic non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.* August.

Prosper. Matt. 17.

Sanè D. Chrysostomus videtur tantopere necessitatem orãdi ponderasse, vt etiam hominis vitam ex orationis studio diiudicãdã credat. Accipe hoc eius verbis declaratum lib. 1. de orando Deum, vbi sic inquit: *Cum videro quempiam non amantem orandi studium, nec huius rei feruidâ vehementique cura teneri: continuò mihi palam est eum nihil egregiæ dotis in animo possidere. Rursus vbi quem conspexero, insatiabiliter adhærentem cultui diuino, idque in summis damnis numerantem, si non continenter orauerit, coniecto talem esse omnis virtutis firmum mediatorem, ac Dei templum. Etenim si vestitus hominis, si pedum incessus, si risus dentium declarat qualis sit, quemadmodum sapiens dixit Salomon; multò magis deprecatio cultusque Dei, signum est totius iustitiæ, cum sit ornatus spiritualis ac diuinus, multam pulchritudinem ac decorem concilians membris nostris, dum vniuscuiusque vitã componit, nec sinit quidquam sordidum aut absurdum dominari animo nostro, dum persuadet reuereri Deum, & honorem quem illi debemus præstare, dum docet vniuersam mali spiritus imposturam reijcere turpes ac absurdas cogitationes profligans: denique dum cuiusque mentem constabilit in contemptu voluptatum. Nam hæc superbia sola decet eos qui Christum venerantur, videlicet, nulli seruire turpitudini, sed mentem seruare in libertate morumque puritate. Arbitror itaque cunctis esse manifestum, quod simpliciter impossibile sit, absque precationis præsidio cum virtute degere, cumque hac huius vitæ cursum peragere. Etenim qui fiat, vt quis virtutem exerceat, nisi continenter adeat, & supplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem suppeditat ac largitur hominibus? Rursum qui fiat, vt aliquis concupiscat esse temperatus ac iustus, nisi lubens cum eo consuetudinem, & colloquium habeat, qui cum hæc tum his etiam plura à nobis exigit?* Idipsum illustrat idem Doctor pulchra similitudine: cum enim allegasset loca Pauli citata ad orationem incitantia, ait: *Decet igitur nos ab illo doctos cum precatione*

Chrysost. Eccles. 19.

tione vitæ cursum peragere, atque hac mentem assiduè rigare: Si quidem hoc omnes homines non minus opus habemus, quàm arbores aquarum humore. Neque enim valent illæ fructus producere, nisi bibant humorem radicibus: neque nos pretiosis pietatis fructibus poterimus esse grauidi, nisi precibus irrigemur. Et paulo post: *Dic mihi qua fronte solem intueberis, nisi prius adoraueris qui lumen illud dulcissimum oculis tuis mittit? Quo pacto frueris mensa, nisi prius adoraueris eum qui tibi tantum bonorum largitur ac suppeditat? Qua spe trades teipsum nocturno tēpori, qualibus cum insomnijs putas tibi rem fore, nisi teipsum præmunieris orando, sed incustoditus ad somnum accesseris? Nimirum contemptibilem captuque facilem teipsum præbebis sceleratissimus spiritibus, qui continenter obambulant, obseruantes nos, vt si quem deprehenderint nudatum deprecationis præsidio, protinus abripiant.* Hinc libro 2. de orando Deum, vocat orationem fundamētum, his verbis: *Quod in domo est fundamentum, hoc in anima est deprecatio: hanc vbi primum ceu basim ac radicem in anima fixerimus, tum oportet diligenter superstruere pudicitiam, mansuetudinē, iustitiam, pauperum curam, breuiter omnes Christi leges.* Et lib. 1. de orando Deum, dicit esse animæ lumen: *Etenim quemadmodum sol lucem præbet corpori, sic animæ lumen est precatio.* Et immediatè post subiungit. *Proinde si cæco damnosum est, non intueri solem: quanto grauius damnum est homini Christiano, si non assiduè deprecetur, neque Christi lucem orando in animum suum inducat?* Libro 2. dicit orationem esse animæ neruū & hominis vitam, vt pisci est aqua. Hæc vero scimus, quam sint respectiuè necessaria.

4. Porro quia hæc necessitas tanta est, etiam oratio est præcepta. Et quidem iure naturali, quod semper obligauit: quia sicut fides semper necessaria fuit ad salutem, ita etiam viguerunt illa præcepta, quæ cum ipsa fide habent naturalem & intrinsecam connexionem, vt est præceptum de oratione: quia ipsum fidei lumen ostendit orationem esse medium necessarium ad salutem. Et reducitur ad illa præcepta moralia Decalogi quę spectant ad cultum Dei.

5. Sed dices, Quare Deus disposuit non aliter dare quàm per orationem? Respondere possem interrogando. Quis nouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? Nihilominus addam rationes aliquot. Quarum prima est: quia vult nos per orationem profiteri Deum esse rerum omnium authorem, & nos eius auxilio indigere: atq; adeo nobis innotescere orationem esse actum Religionis, in quo virtutes Theologicæ exercentur. In primis enim exercetur fides; nam qui petit, credit fieri posse ab eo, à quo petit. Similiter spes: nemo enim postulat, nisi sperans id factū iri, quod flagitat. Tertio dilectio; diligitur enim qui benefacturus creditur, & in quo speratur.

Secunda est, quam suprà etiam attigit diuus Prosper, vt cum merito donet, de qua sic Hieronymus ad verba Ieremiæ capite 29. *Orabitis me & ego exaudiam vos. Certa absque oratione & inuocatione poterat implere Dominus, quod promiserat: sed hortatur eos ad preces, vt quod promissum est mereantur accipere.* Deus enim dignos nos facit suo dono, ipsâ bonâ & debita petitione. Est autem egregium & optabile cum dignitate obtinere, quod homo petit & postulat. *Ierem. 29.*

Tertia ratio est, vt occasionem nobis daret affectum inflammandi erga ipsum, nosque cum ipso tenacius vniendi. Quam adfert Chrysostomus homil. 30. in Genesim dicens: *Ipse nouit quo modo salus nostra paranda; nostrūm ergo sit opus continuis insistere precibus, & non ægrè ferre si differatur quod petimus, sed longanimes esse: neque enim renuens preces nostras differt: sed hac arte sedulos nos efficiens, ad semetipsum attrahere vult.* Et immediatè post ponit patrum exempla, qui expectant peti à filijs, vt amor petitione ipsa magis accendatur. Et inde magis vrget orationis studium in verbis: *Nam & Pater, quamuis benignus, cum à puero rogatur, abnuit quasi non* *Chrysost.* *Idem.*

non volens dare: non vt neget, sed vt ardentius petat, & sibi magis concilietur. Hæc itaque legentes non desperemus, non deficientes accedamus ad eum, & preces dicamus. Equidem cum crudelem & inhumanum illum iudicē, qui neque Deum timebat, neque homines reuerebatur, mulieris sedulitas coëgit, & prouocauit, vt sibi succurreret: quantò magis nos, si voluerimus illam imitari mulierem, ad opitulandum nobis prouocabimus mansuetum & misericordem nostrum Dominum, cōpatientem & ad saluandum nos occurrentem? Discamus ergo, vt ipsi à precibus auelli nequeamus, sed perpetuò incumbamus illis, tam die quā noctu,

Quarta est, vt sic homo non solum cognoscat donum Dei & propriam indigentiā, sed pluris etiam faciat rem datam, nec eam facile amittat. Quod enim petitione obtinemus, diligentius conseruamus. Quam adducit D. Basilius libro de Constitut. Monasticis, cap. 2. dum ad perseuerantiam in oratione hortatur. *Desiderandum*, inquit, *est primum: tum vbi desideraueris, ex animo quærendum, adiunctis fide & perseuerantia: neque omnino quod præstare ipse possis, quidquam prætermittendum: neque patiendum, vt à tua ipsius conscientia condemnere, veluti qui negligenter & cum socordia ores: & cum hæc omnia seruaueris, tum demum voti compos efficieris tui, quando Dominus voluerit: quandoquidem, quæ tibi expediant, melius ipse intelligit, quā tu.* Post hæc adducens, quæ hic congruunt, inquit: *Et ea re fortasse differt quæ daturus est, vt hoc modo magis te ad assiduitatem vocet, & vt intelligas, quod sit donum Dei, & vt datum diligenter custodias. Siquidem nititur vnusquisque, quod magno labore inuenit, id maiore etiam quadam diligentia custodire, ne eo amisso, labores etiam vnà cum eo suos multos amittat, neue neglecto Dei munere, æterna vita indignus efficiatur. Quid enim profuit Salomoni, citò sapientiæ donum inuenisse, quod postea erat amissurus? Proinde noli vnquam animum despondere, nisi celeriter inuenias quod rogas. Si enim intellexisset Dominus te, si munus celeriter impetrasses, id nequaquā esse amissurum, sine dubio, quæ eius bonitas, vltro ipse tibi nullo tuo rogatu detulisset. Nunc autem tibi prospiciens hoc facit. Etenim si qui talentum, quod acceperat saluum custodierat, is tamen propterea, quod illud ad quæstum non contulerat, condemnatus fuit, cui non verisimile est, eum multò grauius multatum iri, qui illud etiam amiserit? Hæc ergo cum ita esse intelligamus, siue maturius aliquid, siue serius consequimur à Deo, hoc tenere constanter debemus, vt ipsi gratias agamus, quando Dominus, quæcumque facit, ea omnia, saluti nostræ consulens facit, tantum nos ne pusillanimitatis vitio à petitione constanti desistamus.*

Basilius.

6. Quæres iterum quando hoc præceptum orationis obliget? Nam quidam hæretici errarunt dicentes semper & continuò ex necessitate esse orandum, vt refert Augustinus hæresi 56. quod malè interpretarentur verba Christi: *Oportet semper orare.* &c. August.

Respondeo iure naturæ non esse determinata certa tempora ad orādum, & rigorosè sumere verba Christi de toto tempore vitæ sine vlla interruptione aut requie, vt prædicta hæresis faciebat, esse contra omnem rationem & sensum: quia continuitas illa non est humana, sed Angelica, atque adeo impossibilis secundum communē gratiam & potentiam, quod est contra suauitatem & prudentiam diuinæ legis. Et contra Paulum, qui 1. ad Corinth. 7. indicat aliquando coniugatis esse orandum, dum dicit: *Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi.* Id est, ne denegetis inuicem debitum, nisi ex communi consensu ad aliquod certum tempus, idque tantisper, ac ieiunio & precibus vacatis. Immo hoc est contra sensum verborum Christi, qui Luc. 18. dumtaxat voluit persuadere instantiam in oratione, dum quid certi à Deo petitur. Cum enim Deus locutus erat de futuris persecutionibus, deque repentino aduentu suo ad iudicium, docere voluit vigilandum & orandum esse, ne imparati opprimamur; & nihil esse quod à Deo assidua & impor- 1. Cor. 7.

importuna quodammodo oratio impetrare non possit. Et vt dignoscas illum esse sensum, Nota Christum addere parabolam de vidua quæ importunitate petendi extorsit à iudice, alioquin iniusto & sæuo, iustam sententiam. Et ratio dictat per se tempus orandi cum discretione esse sumendum, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 83. art. 14. in verbis: *Conueniens est, vt oratio tantum duret, quantum est vtile ad excitandum interioris desiderij feruorem, cum verò hanc mensuram excedit, ita quòd sine tædio durare non possit, non est vltra protendenda.*

D.Thom.

7. Dico secundò vnumquemque teneri ad orandum Deum cum pertenit ad vsum rationis, & in fide sufficienter instructus est: insuper eum obligari ad orandum, quoties ad rectam & honestam vitam instituendam prudenti arbitrio iudicabitur esse necesse: quia vita humana, totum est vnum continuum bellum, iuxta illud Iob: *Militia est vita hominis super terram*, & consequenter vnum continuum periculum, quod scimus sine continuo etiam Dei auxilio, & protectione superari non posse: quinetiam orationem esse ordinarium medium ad impetrandum illud auxilium, ad quam homo obligatur non solum obligatione charitatis propriæ, sed etiam religionis, quâ Deo sic tribuimus cultum latriæ. Hinc D. Paulus Colos. cap. 4. orationis studium & frequentiam Christianis etiam laicis magnopere inculcat, dum ait: *Orationi instate vigilantes in ea in gratiarum actione*. id est, obtestor vos, vt precandi studium, atque assiduitatem neutiquam intermittatis; quin potius ei quàm maximè inuigiletis, adhibitâ etiam, quæ mirificè Deo placet, gratiarum actione: & rectè; oratio enim est fistula cælestis, per quam omnis ros, seu gratia cælestis in nos descendit, & omne bonum in nobis conseruatur. Audi, si placet, S. Ephrem sermone de orando Deum. vbi sic ait: *Si orationem operi præmiseris, & surgens è lecto primorum motuum tuorum initia ab oratione duxeris, aditus peccato in animam non patebit*. Et immediatè post addens mira elogia, & incitamenta orationis: *Oratio*, inquit, *est temperantiæ custodia, iracundiæ frænum animi elati repressio, odij medicina, recta legum iurisque constitutio, regni potentia, trophæum atque vexillum belli, tutela pacis, virginitatis sigillum, fides nuptiarum, viatorum præsidium, dormientium custos, agricolarum fertilitas, nauigantium salus, reorum patrona, mœrentium consolatio, lætantium iucunditas, lugentium solamen, morientium sepultura*. Deinde hæc ipsa exemplis confirmans subdit: *Oratio Ionæ Prophetæ balenam pro domo concessit: & Ezechiam ex portis mortis ad vitam reduxit: ipsisque tribus pueris in Babylone flammam ignis in flatum roris conuertit*: indeque concludit: *Nulla est alia in tota vita humana pretiosior oratione possessio*. Hinc Apostolus Paulus ostendens viam Thessalonicensibus, quâ semper gauderent, hæc duo iungit: *Semper gaudete, sine intermissione orate*. quasi dicat. Si vis semper gaudere, assiduè versare cum Deo, oratione frequēti ipsum compellando, qui dixit: *Inuocabitis me, & ego exaudiam vos*. Vnde illam omittere notabili tempore, seu ad mensem atque alterum, credo peccatum esse graue, tum contra charitatem, tum etiam contra religionem.

Colos. 4.

Ephrem.

Ionæ 1. & 2. 4. Reg. 20. Dan. 3.

1. Thessal. 5.

Confirmo id verbis Chrysostomi, qui lib. 1. de orando Deum, sic ait: *Quisquis non orat Deum, nec diuino colloquio cupit assiduè frui, is mortuus est, & vita carens, expersque sanæ mentis. Nam hoc ipsum euidentissimum est argumentum amentiæ, non intelligere magnitudinem huius honoris, nec amare deprecandi studium, nec hoc habere persuasum, quod animæ mors sit, non prouolui ad genua Dei. Quemadmodum enim corpus hoc nostrum, si non adsit anima, profectò mortuum est, ac fœtidum: sic anima, nisi ipsa se incitet ad orandum, mortua est, ac misera, & grauiter olens.*

Chrysost.

Certè Daniel Propheta admirabilis quauis morte tristius existimauit ab oratione cessare: adeo vt ne tri-

ne triduo quidem voluerit illam intermittere. Cum enim Darius Rex suo edicto mandauerat, ne quis intra triduum peteret quidquàm ab vllo Deorum aut hominum, quàm ab ipso, *ingressus est domum suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Hierusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut & ante facere consueuerat.* Porro non videtur mihi dumtaxat his verbis indicari ex pia consuetudine Danielem tribus vicibus in die orare solitum, neque illam voluisse intermittere, etiamsi mors indicta esset alium orãti quàm Dariũ. Sed quid amplius, nempe fidelem sub graui peccato obligatum esse orare, quando honor Dei id requirit: cum enim sciret edictum Regis publicatum esse in contemptum Dei, spreto Regis edicto, oratione Deum colere voluit, ostendens tunc orationem esse necessariam, quamuis aliàs nulla foret obligatio vel semel in die orandi. Hoc insinuant verba, *fenestris apertis in cœnaculo suo contra Hierusalem* &c.

Per hoc enim quod versus Hierusalem manus extendebat, apertè protestabatur se illum Deum colere per orationem, qui promiserat suam pręsentiam, & exauditionem precum, quæ ibi funderentur. Quę etiam causa fuit quare Ezechias Rex percipiens nuntium mortis, oraturus conuertit faciem suam ad parietem, qui erat versus templum.

8. Dico tertiò in aliquibus occasionibus, ex peculiari necessitate, maiorem quandam oriri necessitatem orandi, vt v. g. cum quis actu vexatur grauissima tentatione, ex qua versatur in periculo animæ suæ: atqui illo tempore illam omittere, graue peccatum est, non solum contra illam virtutem, contra quàm vexat tentatio, v.g. contra castitatem: sed etiam speciali modo contra charitatem; vel, vt probabile est, etiam contra religionem; quia licet ea occasio religioni extrinseca sit, tamen eâ positâ suboritur obligatio religionis. Secundo in articulo mortis, quia tunc maximè obligat charitas propria, atque etiam Dei. Et ratio est, quod in hisce occasionibus, quando dæmon præcipuè insistit, superbum & præsumptuosum sit confidere de sua libertate, & stulta negligentia confidere de solo auxilio ordinario sufficiente: quia tunc sæpè est moraliter necessarium extraordinarium auxilium, idque sperandum est debito modo, & per media à Deo nobis proposita, inter quæ ex potissimis & maximè necessarijs est oratio.

Discursus XLIII.

Quotuplex sit oratio? & de eius efficacia.

Ierem. 29

PRopheta Ieremias capite 29. dicit nomine Dei. *Inuocabitis me, & ego exaudiam vos.* Quibus verbis in genere indicat necessitatem orationis, eiusque vtilitatem. Sed vt vtilius de ea loquamur inquiram quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam notandum est, orationem esse duplicem, priuatam & publicam. Priuata est, quæ quouis loco, & à quibusuis priuatis, siue mentaliter siue vocaliter fit. Publica

blica est quæ fit per ministros Ecclesiæ, cum orationes communes nomine populi Christiani ad Deum fundunt. Rursum hæc publica oratio fit vel extra sacrificium, vel cum sacrificio, populo in Ecclesia cum Clero conueniente, ad orandū pro communi aliqua necessitate. De priori apud Ioëlem Prophetam cap.
Ioel. 2. 2. dicitur: *Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes: congregate paruulos, & sugentes vbera: egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Inter vestibulum & altare plorabūt sacerdotes ministri Dei: dicēt, Parce Domine, parce populo tuo: & ne des hæreditatem tuā in opprobrium, vt dominētur eis nationes.* idest, Sono tubæ conuocate omnes ad publicam supplicationem, & Litaniam ad auertendam cladem excidij Hierosolymorum (Iudæi enim ad conuocandum populum vtebantur tubis ex præscripto Dei, Num.
Num. 10. 10. non campanis) Edicite vt omnes ieiunium sanctum legitimūque constituant, quo preces fiant Deo gratiores: Congregate omnis ætatis, sexus, & ordinis homines, vt omnes clament in cælum, flagitentque misericordiā, eamque cōmuni omniū voce, quasi armata manu à Deo extorqueant, & inter hos etiam paruulos, vt suo ploratu excitent parentes & vicinos ad feruentius orādum & plorandum: Noui ac recentes quoque coniuges, ad legitimas preces, maritalis thalami abstinentiā, disponantur; Sacerdotes etiam supplices orent & plorent, vti eos decet in tanta populi necessitate, quin etiam vt populus eorum exemplo magis accendatur ad communes preces, quando ipsi per victimas pro peccato & holocausta parauerint sibi aditum ad Deum. Huiusmodi orationis vsus satis etiam colligitur in nouo testamento fuisse familiaris ad quid petendum à Deo,
Act. 3. ex eo quod Act. 3. legitur: *Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.* Et ex Tertulliano,
Tertull. Apolog. c. 39. Apolog. cap. 39. vbi is cum crimina Christianis obiecta ab Ethnicis non solum doluisset, sed etiam in aduersarios reiecisset, negotia Christianæ factionis edit, dicens: *Corpus sumus de conscientia religionis, & disciplinæ vnitate, & spei fœdere. Coimus in cætum & congregationem, vt ad Deum quasi manu facta precationibus, ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum & potestatibus, pro statu sæculi, pro rerum quiete, pro mora finis.* In quæ verba sic Pamelius: *Quid sint Christiani, breuiter ab efficiente causa definit. Cum enim mutua inter se charitate deuinciantur, systema eorum corpus quoddam merito dicitur: cuius caput Christus est. Conciliantur autem hæc inter se membra, non vt aliarum hæresium cœtus, sed quia conscij sunt, veram Dei religionem per Christum operari, veram eius esse doctrinam, & præmiorum spem certam, quo veluti fœdere continentur in ordine. Cumque in Ecclesiam, id est in cœtum cogimur, nullum aliud nobis propositum est, quàm vt multiplicibus ex vno veluti impetu precibus Deum nobis alijsque propitium reddamus, vt quæ vasa sunt indignationis, fiant vasa misericordiæ. Præterea vt temporum tranquillitate perfruamur, & horrendum Dei iudicium differatur.* Pamelius.

2. De posteriori, sed de oratione cum sacrificio est illud Pauli 1. ad Timoth. 2. *Obsecro primum fieri omnium obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt positi: vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo: qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quibus verbis Apostolus ante omnia Timotheo Episcopo commendat orationem, & idem est, ac si dicat: O Timothee, vt tuo episcopatu rite perfungaris ad peccatorū salutem, scias primum Episcopi munus esse, orationi cum suis, & pro suis vacare, & te plus oratione, quàm 1. Tim. 2.

prædicatione(quæ inter externa officia actiuæ vitæ primum est, in Episcopo) effecturū; oratio enim infidelibus, & peccatoribus, lucem & gratiam, qua conuertantur, à Deo impetrabit. Confirmatur ex verbis sequentibus, *hoc enim bonum est* &c. Porro Apostolum hic loqui maximè de oratione publica & communi, qualis est Missa, Litania & similes, notant Ambrosius, Augustinus & Chrysostomus. Verba Chrysostomi, ne grauis sim, omissis aliorum sententijs, dumtaxat addam, qui hom. 6. in hunc locum sic ait: *Quasi communis quidā totius orbis pater, sacerdos est. Dignum igitur est, vt omnium curam agas, omnibusque prouideat sicut & Deus cuius ministerio seruit & fungitur vice, idcirco ait: Obsecratio igitur &c.* Et infra dicit, *hoc esse faciendum in obsequio quotidiano perpetuoque diuino religionis ritu*. Et inferius hoc apertius declarans dicit ex hoc loco colligi *Sacramentorum tēpore etiam pro Gentilibus oportere offerre seu orare*: quia nempe Reges tunc Gentiles adhuc erant.

Chrysost.

Sic Christianos olim in sāctis mysterijs pro Rege siue Imperatore, etiam infideli (qualis tunc erat Nero, Decius, Diocletianus) orare solitos esse, testes sunt Iustinus apolog. 2. Orig. l. 8. contra Celsum, Arnobius l. 3. contra Gentes, Euseb. lib. 4. hist. c. 26. Ita S. Cyprianus, vt habet eius vita, cum ei à Præfecto obiectum esset, quod ipse tanquam Christianus in Cæsarem coniurasset, liberè respondit: *Longissimè absumus nos Christiani absita culpa, qui Cæsari etiamsi alia sacra, alios Deos colenti, tamen quia princeps noster est, bene cupimus & precamur, & rogamus Deum nostrum, vt ad cogitationem verorum bonorum adducat*. Deinde vsus Ecclesiæ hoc ipsum abundè testatur, per quem patet hoc ipsum, quod Apostolus dicit, vbique & sēper seruatum esse, & promiscuè obsecrationes, orationes &c. in quauis Missæ parte per sacerdotem fieri; nunc enim petit, nunc obsecrat, nūc iterum iterumque gratias agit Sacerdos. Et hinc orationes, quę in Missa publicè dici solent Collectæ

Iustinus. Arnobius. Eusebius. Cyprianus

vocantur; vel quia nomine totius populi in vnum collecti, funduntur; vel quod omnium petitiones compendiosè colligant; vel etiam quod per eas omnium audientium animi ad Deum colligantur; vnde Sacerdos præmittit, *Oremus*, de quo Augustinus epist. 107. ad Vitalem. *Vbi audieritis sacerdotem Dei ad eius altare populum hortantem ad orandum, non respōdebitis, Amen?* Et Chrysost. hom. 16. in 2. ad Corinthios. *Quin precibus viderit quis populum multū simul offerre; communes enim preces, à sacerdote & ab illis fiunt, & omnes vnā dicunt orationē.*

August.

Chrysost.

3. His positis quæritur an quæuis oratio sit impetratiua. Respōdeo affirmatiuè, & patet primo de priuata quoad sufficientiam ex aptitudine quam habet oratio ad impetrandū; quoad efficaciam vero, quæ certum & infallibilem reddat effectum ex promissione Dei, quæ frequenter in Scripturis repetitur, constat Psalm. 49. vbi legitur: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me*. Et Matth. 7. & Luc. 11. *Petite & accipietis*, & *Omnis qui petit accipit*. Et Ioan. 16. vbi Christus dixit Apostolis: *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Psalm. 49.

Matth. 7. Luc. 11. Ioan. 16.

Porro eius fructus in multis deprehenditur: primo enim tentationes repellit, & dæmonem vincit, teste Chrysostomo, qui hom. 3. contra Anomæos sic ait: *Si dæmones nos cōspexerint deprecatione munitos, illicò resiliūt, non aliter quam prædones ac facinorosi, vbi conspiciunt militis gladium in caput suū vibrari. Quod si cōtigerit aliquem esse nudum precationis præsidio, hic aulsus deportatur à dæmonibus, & in calamitates, variaque mala impellitur.* Et confirmatur verbis Christi dicentis: *hoc genus dæmoniorum non eicitur, nisi per orationem & ieiunium*. Tum etiam ex eo, quod Christus nos docuerit orare Matth. 6. *Et ne nos inducas in tentationē*. id est petere à Deo, ne à tentatore vincamur, aut potius ne tētemur.

Chrysost.

Matt. 6.

Deinde impetrat remissionē peccatorum. Vnde in oratione Dominicā Christus iussit nos dicere: *Demitte nobis debita nostra*. & Publica-

blicanus orans dixit: *Deus propitius esto mihi peccatori*, *descendit in domum suam iustificatus*, vt est apud Lucam c. 18. vnde Chrysostomus lib. citato: *Etiamsi*, inquit, *nos peccatis refertos precatio deprehenderit*, *celeriter purgatos reddit. Quid itaque maius, aut diuinius obtingere possit, quàm deprecatio, cum hãc animis ægrotantibus pharmacum quoddam esse liqueat?* Et paulo post exemplis Niniuitarum, Mariæ Magdalenæ, & Leprosi id illustrat. Chrysost.

Tertio valet ad vincendos hostes visibiles, & alia mala auertẽda. Docet hoc pulchrè Chrysostomus lib. 1. de orando Deum, dicens: *Deprecatio non solum purgat à peccatis*, *verum etiam ingentia pericula depellit: Siquidem ille Rex simul & Propheta mirabilis Dauid, multos ac sæuos inimicos effugit precationis ope, non alijs armis exercitũ muniens, atque ita tradidit suis militibus potiri victoria, quietis interim & securis. Quemadmodum alij quidam Reges incolumitatis suæ spem ponere consueuerunt in militum peritia, & arte belli gerendi, in sagittarijs, in cataphractis, in equitibus: ita magnus ille Dauid sanctis precibus mœnium vice, suum cinxit exercitum, nequaquam respiciens Imperatorum, tribunorum, ac centurionum ferociam, neque pecunias colligens, nec arma comparans, sed orando diuinam armaturam è cœlo deportans. Nam verè cælestis armatura deprecatio, quæ Deo funditur, solaque firmam custodiam præbet his, qui sese Deo tradiderunt. Siquidem cataphractorum & robur & peritiam, tum sagittariorum experientiam, atque in prodendo hoste caliditatem, sæpe numero ludit ac frustratur vel ipsa belli facies, vel hostium fiducia, cumque his alia permulta: cæterum deprecatio armatura est inexpugnabilis, ac tutissimũ, nec vnquam fallens munimentum, pari facilitate vel vnum repellens militem, vel innumerabilia hostium millia. Quandoquidem admirandus ille Dauid, de quo modò diximus, Goliath illum immanem, eum veluti dæmon quispiam formidandus irrueret, non armis neque gladijs, sed precibus deiecit: vsque adeo regibus quidem aduersus hostes in prælijs valida arma sunt deprecatio. Quin eadem & nobis æque valida sunt arma aduersus dæmones. Sic & Ezechias Rex superior euasit in bello, quod illatum est à Persis, non cum armaret exercitum, sed preces tantum opponeret hostiũ multitudini: itidem & mortem effugit, vbi cum qua decuit religione se Deo prosterneret, soloq; deprecatio Regi dedit, vt reuiuisceret.* Idipsum amplificat idem Doctor lib. 2. de orando Deum alijs Scripturæ exemplis, addẽs præclara orationis elogia. Sic enim ait: *Petrus ille magnus, ille cælo splendidior, carcerem effugit, maxime quidem ob propriam virtutem, & communem hominum salutem, sed tamen interim Ecclesiæ deprecatio occlusas carceris fores velociter aperuit. Nec enim temere addidit Lucas: deprecatio autem fiebat assidua totius Ecclesiæ pro Petro: Verum vt nos disceremus, quantam vim in cælis obtineat deprecatio, videlicet vt Paulum ac Petrum à periculis liberaret, columnas Ecclesiæ, principes Apostolorũ, claros in cælo, murum orbis terrarum, cõmune præsidium totius terræ ac maris. Dic mihi quo modo Moses Israëliticum populũ in bellis seruauit? An non arma quidem cũ exercitu discipulo tradidit, ipse verò deprecationem opposuit hostium multitudini: nos interim docens preces iustorũ plus valere, quàm arma, quàm equitatũ, quàm pecunias, quàm multas copias, eoque vniuersus exercitus, & innumera militũ multitudo, in deprecatione Prophetæ, spem salutis habebat. Siquidem orante Moise superabant Iudæi, eodem ab orando cessante, inferiores erant hostibus: itidem & nos orantes facilè Diabolum superabimus, cessãtes vero scelestum illum in nos instruimus. Iam & populum ad pietatem prolapsum, orando seruauit Moyses, orando meruit Dei conspectu frui, aliaque innumera bona consecutus est, non alia re quam orando. Nam & deprecatio & hoc illi præstitit, vt vitã ageret adsimilem ijs, qui cælũ inhabitant. Deprecatio vim incendij exercuit, leones mites reddidit, hoc quidem in Daniele, illud vero in tribus pueris, per quos nimirum declaratum est omnibus, quod quoscumque deprehenderit in periculo constitutos, facile exurgentibus malis eripiat deprecatio, salutis causa, immortalitatis animæ conciliatrix, Ecclesiæ murus, qui rũpi non possit, munimentum inconcussum, dæmonibus quidem formidabile, pijs vero, nimirum nobis salutiferum.*

Margin notes: Chrysost. (beside "I. de orando Deum"); 1. Reg. 17. (beside "innumerabilia hostium millia"); 4. Reg. 19. (beside "Ezechias"); Isaie 37. (beside "bi cum qua decuit"); Act. 12. (beside "clusas carceris fores"); Exod. 17. (beside "mihi quo modo Moses"); Dan. 3. Dan. 6. (beside "Deprecatio vim incendij")

August. Cæterum D. Augustinus serm. 22. ad Fratres in eremo hoc ipsum admirãs varijs etiam collustrat exẽplis: *O quàm grandis est ipsius orationis causa! ô quàm grande mysterium! Ecce Moyses orabat in monte, & Iosue Amalech deuincebat. Per orationem Ezechias sanatur, & salutem animæ & corporis adipiscitur. Per orationem Saulus efficitur Paulus & Doctor Gentium, Ieremias confortatur in carcere, Daniel inter leones exultat, Iob in sterquilinio nudus triumphat, Susanna inter senes defenditur, paradisum de cruce latro inuenit, Stephanus de torrente in cælum suscipitur, & inter lapidantes pro Saulo exauditur.*

Exod. 17. 4. Reg. 18. Act. 7. Hierem. Dan. 6. Daniel 13.

4. De oratione publica seu communi hęc multo magis dici possunt. Si enim multum valet iusti assidua oratio, quid ni multorum simul cõcurrentium? *Quodsi*, inquit Chrysostomus, *omnis oratio tantam vim habeat, longe magis eam, quæ ore multorum proueniat, valere consentaneum est. Plus enim neruorum in ea est, & multo audientia maior, quàm in domestica illa & priuata*, Et ibidem probat idem Doctor, communem orationem Deo esse gratiorem, quod Deus multitudinis habeat rationem, ex verbis ipsius, quæ dixit Ionæ, cap. 4. quando ægre tulit Ionas quod Deus Niniuitis contra oraculum suum parceret; & ipsum per vmbram hederę (sub qua degebat) vermemque eam corrodentem corriperet & erudiret. Cum enim propter consumptã hederam, quæ illum à solis æstu præseruabat, mallet Ionas mori, quã viuere, dixit illi Dominus: *Tu doles super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti vt cresceret, quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte perijt: & ego nõ parcam Niniuæ ciuitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dextram & sinistram suam.* Id est, Si adeo doles ob hederam vilem herbam, quæ cito nascitur & cito perit, succisam; quanto magis vna mecum dolere & pœnitere debes de interitu tantæ vrbis, totque centenorum millium animarum, quot sunt in Niniue, eisque prænitentibus misereri & parcere: vbi enim cẽtum & viginti millia paruulorum erant, (qui significantur per verba: *Qui nesciunt, quid sit inter dextram & sinistram suam*; quod adeo rerum ignari sint, vt nullum habeant dextræ sinistræque discrimen.) Certum est, quod multo plures erant vsum rationis habentes. Deinde probat exemplo Pauli, qui, 2. ad Corinth. 1. loquens de grauissimis periculis, quæ subierat in Asia, quæ tanta erant, tum multitudine tum acerbitate malorum, vt nulla spes restaret, quã in eum, qui vita functos pro imperio reuocat ad vitam, dicit, quod illum de tãtis periculis eripuerit, & adhuc eripiet *adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis: vt ex multorum personis, eius qui in nobis est donationis per multos gratiæ agantur pro nobis.* quod idem est ac si dicat, Deus etiam in posterum me periculis eripiet, præcipuè, si vestrarum apud Deum precum subsidium accesserit: vt veluti facta manu multorum quasi suffragijs, pro munere, nobis ad multorum vtilitatem collato, à plurimis, etiam nostro nomine, Deo immortali gratiæ agãtur. Addit quoque causam fuisse liberationis Petri è carcere per Angelum, orationem Christi fidelium; de qua dicitur Act. 12. *Petrus quidem seruabatur in carcere; oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deũ pro eo.* Demum iungere potuisset exemplum Christi fidelium, qui Act. 4. audientes ex redeuntibus Apostolis à Concilio Pharisæorũ, quæ ad eos principes Sacerdotum, & seniores dixissent, quomodo eos dimisissent, quidque illis comminati fuissent, *vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum, & dixerunt: Domine tu es, qui fecisti cælum & terram* &c. exponentesque querelam aduersus persequentes, rogauerunt: *Domine respice in minas eorum, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum.* Quid factum est? Oratio tantæ communitatis talem habuit vim apud Deum, vt eius efficacia statim visibili signo nempe commotionis totius domus, & feruoris Prædicatorum Euangelij, manifestata

Chrysost. hom. 3 contra Anomæos. Ionæ 4. 2. Cor. 1. Act. 12. Act. 4.

ſtata fuerit. Subdit enim Scriptura: *Et cum oraſſent motus eſt locus in quo erãt congregati & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia.*

5. Porro mirum non eſt apud Chriſti fideles tanti valere communem orationem, cum habeat peculiarem Dei promiſſionem, expreſſam Matth. 18. in verbis: *Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cælis eſt: vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Id eſt, Si duo conſentientes, qui Apoſtolis ſunt ſimiles, quique diuina inter ſe charitate conſenſerint, & aliquid petierint propter me, aut cauſam aliquam ad me pertinentẽ, ſpeciali mea gratia & aſſiſtentia eorum orationes decorabo, & efficiã exaudibiles.

Matt. 18.

Quamuis autem hæc oratio communis vbiuis magnam vim habeat, tamen præcipuè in Eccleſia, vt notat Diuus Thomas 2. 2. q. 83. artic. 3. idque ob triplicem rationem. Prima eſt ob loci conſecrationem, ex qua ſpiritalem deuotionem concipiunt orantes, vt magis exaudiãtur, deſumptam ex 3. Reg. capite 8. Secunda propter ſacra myſteria & alia ſanctitatis ſigna, quæ ibi continentur. Tertia propter concurſũ multorum adorantium, ex quo Deus exorabilis fit ratione promiſſionis, quam mox probaui verbis Chriſti Matth. 18. Hinc Chryſoſtomus dicta hom. 3. aduerſus eos, qui dicunt ſe priuatim domi orare poſſe, ſic philoſophatur: *Orare vel domi poſſumus, dicunt: ſed homiliam doctrinamque audire non niſi in Eccleſia poſſumus. Te homo decipis, & magno in errore verſaris. Nam ſi & domi quoque datur orandi facultas, tamen fieri non poteſt, vt domi tam bene ores, quam in Eccleſia, vbi tot patres, vbi clamor felici ſocietate excitus ad Deum immortalem refertur: non pariter exoras, cum ſolus Dominum obſecras, atq; tuis cũ fratribus. Eſt enim in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conſpiratio, copula amoris & charitatis, ſacerdotum clamores: præſunt enim ob eam rẽ ſacerdotes, vt populi orationes, quæ infirmiores per ſe ſunt, validiores illas complexæ, ſimul in cælum euehantur.*

D. Thomas. 3. Reg. 8. Matth. 18. Chryſoſt.

6. Quantum vero ad orationem publicam quæ ſacrificio Miſſæ comes eſt, maioris eſt efficaciæ, idque ratione ſacrificij, quod præter effectum ex opere operato, ex vi ſuæ inſtitutionis habet ſpecialem vim ad impetrandum eos effectus, pro quibus obtinendis offertur: vt clarum eſt ex vſu Eccleſiæ, quo vbique & ſemper ſeruatum eſt, vt in oblatione huius ſacrificij oret miniſter pro viuis & defunctis, pro Eccleſiæ pace & alijs ſimilibus rebus ſeu neceſſitatibus hominum: quia nimirum ſemper exiſtimatum eſt, ſacrificium hoc plurimum valere ad conferendũ huiuſmodi orationi impetrandi vim, vt colligitur ex Dionyſ. c. 3. de Eccleſ. Hierarch. Clemente libro 8. Conſtitut. Cyril. Hieroſol. Catech. 5. Myſtag. Tertull. lib. de orat. & lib. ad Scapul. Vnde Chryſoſtomus dicta hom. 3. incitans ad ſupplicationem communẽ, & præſentiæ Angelorum & ſacrificij incruenti mentionem faciens, dicit: *Tempore illo mi frater chariſſime, non ſolum homines clamorem illum horribilem reddunt, ſed etiam Angeli Domino genu flectunt, & Archangeli rogant, habent ſibi tempus id idoneum, habent ſacram illam oblationem in fauore. Itaque vt homines ramos olearum gerentes mouere Reges conſueuerunt: eoque arboris genere miſericordiam commemorant, & humanitatem: ſic Angeli tunc pro ramis oleaginis corpus Domini ipſum protendentes, rogant pro genere humano, quaſi dicant: Pro his Domine rogamus, quos tu adeo dilexiſti, vt pro eorum ſalute mortem obires, animam in cruce efflares: pro his ſupplicamus, pro quibus ipſe tuum largitus es ſanguinẽ: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolaſti.*

Dionyſ. Clemens. Cyril Hieroſ. Tertull. Chryſoſt.

Diſcurſus XLIV.

An cuiuſuis hominis oratione colatur Deus?



Rophetæ Dauid Pſal. 49. dicit Dominus: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & glorificabis me.* Quibus verbis ſatis clarè inſinuat Deum coli oratione hominis in tribulatione conſtituti. Hinc quæram quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæſiti intelligentiam conſiderandum eſt inter homines tam bonos quàm malos Deũ inuocare, vt patet ex diuerſis Scripturæ locis; vbi non ſolùm Abraham, Iob, Dauid, Ezechias, Daniel alijq; pij & iuſti leguntur oraſſe; ſed etiam impij, vt Niniuitæ, Eſau, Manaſſes, Antiochus, alij.

2. Poſitâ igitur hac differentia, dico primo orationem hominum iuſtorum Deum glorificare, quamdiu adſunt hæ conditiones. Quarũ prima eſt, vt habeant fidem potẽtiæ & benignitatis Dei, & fidelitatis in implendis promiſſis, ac proinde impetrandi quod petitur, iuxta illud
Marc. 11. Marc. 11. *Quidquid orantes petitis, credite: quia accipietis.* Et illud Iacob. 1.
Iacob. 1. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans: qui enim hæſitat ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur.* Quaſi dicat: Qui hanc fiduciam ex parte Dei non habet, neque in deſiderando neque in petendo habet ſtabilitatem, ſed infirmatus eſt fide. Quod exemplo ſuo oſtendit Abraham eſſe cauendum, quando promiſſionem Dei de multiplicando ſemine per Iſaac credidit adimplendam, quamuis Deus iuberet eum immolari, de quo Apoſtolus loqui-
Rom. 4. tur ad Rom. 4. *Contra ſpem*, inquit, *in ſpem credidit, & non confirmatus eſt fide.*

Secunda conditio, vt quis ex charitate actu vel virtute oret: hanc
Ioan. 15. enim requiſiuit Chriſtus Ioan. 15. in verbis: *Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Et 1. Ioan. 1. Ioan. 3.
3. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos fiduciam habemus ad Deum, & quodcumque peterimus dabit nobis.*

Tertia eſt, vt res, quæ petitur, ſit neceſſaria petenti, aut vtilis. Hoc declarant verba 1. Ioannis 5. 1. Ioan 5.
Hæc eſt fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus ſecundũ voluntatem eius, audit nos.

3. Petes quæ illa ſint. Reſpondeo primo illa eſſe bona ſpiritualia, quę ad ſalutem ſunt neceſſaria, vt fides, ſpes, charitas, remiſſio peccatorum, perſeuerantia in timore & amore Dei, aliaque ſine quibus ſaluari non poſſumus. De quibus pulchrè Chryſoſtomus libro 1. de orando Deum: *Vitam piam, ac Dei cultu dignã, miris modis oratio conciliat, conciliatam auget, ac ceu theſaurum recondit animis noſtris* vt deſcendens ad particularia, addit. *Etenim ſiue quis virginitatis amore tenetur, ſiue quis ſtudet amplecti honorabilem coniugij caſtimoniam, ſiue quis meditatur inijcere frænum iracundiæ, & cum manſuetudine familiaritatem habere, ſiue quis cupit ab inuidẽtiæ lue purus eſſe: denique ſi aliud quidquam facere ſtudet, quod ad rectè viuendum pertinet, duce precatione, ac huius vitæ viam præparante, cõmodum ſimul & facilem habiturus eſt pietatis curſũ. Neque enim fieri poteſt, non poteſt, inquam, fieri, vt qui poſtulant à Deo pudicitiam, iuſtitiam, manſuetudinẽ, ac benignitatem, non aſſequantur id quod petunt. Petite enim, inquit Dominus, & dabitur vobis, quærite & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis. Quiſquis enim petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulſanti aperietur. Et rurſus alibi. Quis eſt, inquit, ex vobis, à quo ſi filius petat panem, det illi lapidẽ? aut ſi piſcem poſtulet ille, porrigat ei ſerpentem? Quòd ſi vos*

cum

cum sitis mali, nostis bona munera dare filijs vestris: quanto magis pater vester, qui in cælis est, dabit Spiritum sanctum, his qui nunc ab ipso petunt? Secundo bona temporalia, quatenus nobis vtilia sunt ad salutem. Sic orauit Sapiens Prouerb. 30. *Duo rogaui te*, inquit, *ne deneges mihi antequam moriar.* &c. *Mendacitatem & diuitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria: ne forte satiatus illicar ad negandum, & dicam, Quis est Dominus, aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei.* Tertio ea quæ conducunt cuique ad muneri suo satisfaciendum. Sic petijt Salomon 3. Regum 3. in verbis: *Dabis seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum. Quis enim poterit iudicare populum istum, populum tuum hunc multum?* Id autem perquàm gratum esse Deo constat ibidem: quia non solum hoc obtinuit, sed etiam abundantiam diuitiarum, vt Scriptura ibidem refert, in verbis: *Placuit ergo sermo coram Domino, quòd Salomon postulasset huiusmodi rem. Et dixit Dominus Salomoni, Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium: ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Sed & hec quæ nõ postulasti dedi tibi, diuitias scilicet & gloriam, vt nemo fuerit similis tui in regionibus cũctis retrò diebus.* Quartò etiã liberationẽ petere ab afflictionibus temporalibus, iuxta exempla Sãctorum, qui hanc plurimum leguntur à Deo expostulasse. Sic Dauid petijt liberari de manibus Saulis 1. Reg. 26. Tobias à cęcitate cap. Anna. 1. Reg. 1. de improperio, Ezechias 4. Reg. 20, ciuitatem solui ab obsidione, sanitatem quoque sibi restitui, & vitam prorogari. Ionas à ventre cæti liberari cap. 3. Tres pueri eripi de camino ignis. Daniel solui captiuitatem Babylonicam.

Prouerb. 30. — 3. Reg. 3. — 1. Reg. 26. — Tob c. 3. — 1. Reg 1. — 4 Reg. 20. — Ione 3. — Dan 3. — 2. Cor. 12.

Sed dices Diuus Paulus 2. ad Corinth. 12. dicit se sæpius rogasse Dominum, vt liberaret eum à stimulo carnis, quem dæmon suscitabat in ipso, & inflammabat, humores cõmouendo, sanguinem accendendo, spiritus generationi subseruientes excitando & inflammando, ipsius phantasiæ turpes imagines objiciẽdo, concupiscentiam quasi sopitam, & tot laboribus, inedijs, atque ærumnis penè mortificatam suscitãdo; & tamen non impetrauit: atqui sic plures alij aliqua per se vtilia non impetrarunt.

Respondeo id non referre: nam Deus non minus colitur aut gratam habet iusti orationem etsi non concedat postulata. Sunt enim multa de se vtilia, quæ nouit Deus, aut impeditura maius animæ bonum, aut noxia futura postulanti. Ob priorem causam non abstulit Deus stimulum carnis à Paulo, sed dixit illi: *Paule sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Id est, Satis est tibi diuinæ gratiæ meæ pręsidium, quo posito diuina potentia per ministrorum imbecillitatem illustratur & clarior euadit; seu cum in infirmis tantam fortitudinem, patientiam, aliaque mira operatur. Et ratio est quod infirmi sibi diligentissimè caueant, à contrarijs cautè desistant, sicque fiant exercitatiores & fortiores, teste S. Thoma. Crescit nimirum aduersis agitata virtus, adeoque in tentatione constans castitas, & quæuis virtus robustior fit, vt patet in Patriarcha Ioseph, Susanna, Paulo, & alijs.

Ob posteriorem causam, multi non consequuntur liberationem à morbis, aut restitutionem ab infortunijs, vnde in eis perturbari non debent: sed cogitare quod Deo non placeat eiusmodi concedere, propter eorum salutem: ideoque illa omnia subjicienda esse diuinæ voluntati. Hoc docuit Saluator noster exẽplo suo, qui cum in grauioribus Passionis suæ doloribus constitutus esset, & vehementes mortis cogitationes, ac dolores eum sic adorirentur, vt sanguineum sudorem ab eo exprimerent, paululum à suis digressus,

gressus, demissus pronus in terram, Patri supplicauit. *Positis*, ait Euangelista, *genibus orabat dicens, Pater si vis, transfer calicem istum à me, veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Pulchrè in hanc rem Augustinus epist. 121. ad Probam. *Si aliquid*, inquit, *contra quàm oramus acciderit, patienter ferendo, & in omnibus gratias agendo, hoc potius oportuisse, quod Dei, non quod nostra voluntas habuit, minimè dubitare debemus. Nam & huiusmodi exemplum præbuit ille nobis Mediator, qui cum dixisset: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste, humanam in se voluntatē ex hominis susceptione transformans, continuò subiecit, Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater. Quisquis autem illam vnam petit à Domino, & hanc requirit, certus ac securus petit, nec timet, ne fortè obsit, cum acceperit, sine qua nihil prodest, quidquid aliud, sicut oportet, acceperit.* Et Chrysostomus hom. 30. in Genesim docet exemplo Pauli, ideo potius in infirmitatibus gloriandum. Sic enim ait: *Paulus talis & tantus, qui ineffabilia illa consecutus fuit ignorabat, & quæ non expediebant, precabatur. Nam quia videbat se tot molestijs cingi, ac circumdari crebris tentationibus, orabat vt ab eis liberaretur: idque non semel, neque iterum, sed & sæpius. Tertiò enim, inquit: Dominum rogaui. Tertiò autem, vocauit sæpè, & non impetrauit. Videamus quomodo affectus fuerit. Num grauatim tulit? num segnior fuit? num languescebat? Non. Sed quid inquit? Dixit, sufficit tibi gratia mea. Virtus enim mea in infirmitate perficitur. Non solū nō liberauit illum præsentibus malis, sed in ipsis perseuerare permisit. Esto: vnde autem manifestum quod non tulit grauiter? Audi ipsum qui dicit, postquam didicit hoc probari Domino: Volupè igitur gloriabor in infirmitatibus meis. Non solum, inquit, postea liberari non requiro, sed & magna voluptate gloriabor in illis. Vidisti gratam animam? vidisti eius in Deum amorem? Audi etiā dicentem: Quid enim precemur vt oportet, nescimus. Impossibile, inquit, est, cum nos homines simus, id certò scire. Relinquendum ergo hoc est omnium conditori, sumendaque sunt cum gaudio, & voluptate quacumque ipse voluerit: nec spectandum ad speciem eorum quæ fiunt, sed quod acceptum sit Domino. Magis enim scit, quid nobis prosit, quàm ipsi nos. Ipse nouit quomodo salus nostra paranda.*

Augusi. / Chrysost.

Confirmatur Deum non minus honorari & coli, quamuis non concedat, quod petitur: quia æquè bene oratio, vt est opus iusti, meretur apud Deum, incrementum in virtute, & ipsam vitam æternam, teste Chrysostomo, qui libro 1. de orãdo Deum sic ait: *Si qui cum Cæsare miscent sermones, familiariterque versantur, non possunt esse pauperes: multò minus fieri potest, vt qui Deum deprecantur, cum eo familiariter colloquentes animas habeant mortales. Nam mors animæ est impietas, ac vita pugnans cum lege diuina. Ex quo consequitur animæ vitam esse Dei cultum, ac vitam eo cultu dignam. Porro vitam piam ac Dei cultu dignam miris modis oratio conciliat, conciliatam auget, ac ceu thesaurū animis nostris recondit.* Quod clarum est ex verbis Christi Matth. 6. vbi vetans vanam gloriam in oratione, inquit: *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi*, supple mercedem; quam prius dixerat, iustitiam faciẽtes coram hominibus, vt videantur ab eis, non habituros apud Patrē, qui in cælis est.

Chrysost. / Matth. 6.

5. Sed quid dices de peccatoribus? Dicit enim Sapiens Eccles. 15. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Eccles. 15.

Respondeo faciendam esse distinctionem inter peccatorem incipientem agere pœnitentiam, & voluntariè permanentē in peccato. Quoad primum respondeo eum glorificare Deum orãdo, quandoquidem Deus *non vult mortem peccatoris, sed magis vt cõuertatur & viuat*; ac huiusmodi impetrare sæpè quod postulat, non de condigno, sed de congruo seu ex misericordia & benignitate Dei. Patet exemplo Niniuitarum Ion. 3. qui ex prędicatione Ionę clamantis, exactis quadraginta diebus impendêre extremum ciuitatis exitium, commoti crediderunt in Deum, & præconis voce publicum ciui-

ciuibus indixere ieiunium. Et cum ad aures Regis peruenissent Prophetæ voces, iussit vt clamarent ad Dominum in fortitudine, seu fortiter contentâ voce, Misericordia! Misericordia! miserere nostri Deus secundum magnam misericordiam tuam! Pœnitentiam agendo condonation em culpæ à Deo meruerunt. Vnde Chrysost. libro 1. de orando Deum agens de efficacia orationis, inquit: *Primò occurrunt Niniuitæ, quos clarum est deprecationis præsidio plurimorum scelerum, quibus diuinam iram in se prouocarunt, remissionem accepisse. Simul enim atque illos cepit deprecandi studium, illico iustos reddidit, ac ciuitatem, quæ assueuerat iam malitiæ, lasciuiæ, breuiter vitam exlegem & impiam viuere, statim correxit: nimirum potentior diutina peccandi consuetudine, cum ciuitatẽ illorum cælestibus legibus implesset, pariter secum trahebat temperantiam, humanitatem, mansuetudinem, curamque pauperum. Nec enim sustinet deprecatio absque his virtutibus versari inter pauperes; sed in quorumcumq; pectore sibi domicilium delegerit, eos reddidit plenos omnis iustitiæ erudiens, & exercens ad virtutem, ac malitiam omnem propellens: & sanè si quis tum ingressus fuisset ciuitatem Niniuitarum, qui prius eandem probè nouisset, nequaquam agnouisset eam, adeò repentè à turpissima vita ad pietatem resilierat. Quemadmodum enim si quis mulierem mendicam, sordidis pannis vestiri solitam, pòst aureis vestibus ornatam videret, nequaquam agniturus sit muliérculam: ita si quis eam ciuitatẽ prius nouisset mendicam, hoc est vacuam omnibus thesauris spiritualibus, nimirum ignorasset quænam esset illa ciuitas, in qua transmutanda tantum valuisset, vt & mores, & vitam ad virtutem reduceret.* Chrysost.

Similiter Luc. 18. Publicanus incipiens agere pœnitentiam, non audens oculos leuare ad cælum, tundens pectus, & dicens: *Propitius esto mihi peccatori*, à Deo veniam impetrauit: Dicit enim Scriptura faciens distinctionem inter orantem Pharisæum, bonaque opera recolentem cum proximi contemptu, & humiliter orantem Publicanum: *Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo: quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* Luc. 18.

6. Sed quæres quare ergo Niniuitæ vsi sint verbis, *Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus: & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus?* Respondeo id actum esse, non quòd dubitarent de promissione Dei, casu quo forent verè pœnitentes, & verè cõtriti: sed quia timebant se non esse sufficienter dispositos ad gratiam, seu verè cõtritos ex amore Dei, & potius attritos ex timore pœnæ vel turpitudine peccati: Et hac de causa verosimile est Ioëlem cap. 2. & Niniuitas sic fuisse locutos. Hinc enim Petrus dixit Simoni Mago Act. 5. *Pœnitentiã age, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui:* nempè quia incertum erat, an is quem orare iubebat remissionem culpæ, habiturus esset dispositionem sufficientem ad obtinẽdum quod postularet, seu an cooperaturus esset gratiæ Dei. Ioël. 2. Act. 8.

Vel rursum, rogabãt non diffidẽtes de remissione culpæ, sed de remissione pœnæ temporalis, quam Deus sæpè non remittit condonatâ culpâ, nam raro contingit quantũuis etiam iustum posse satisfacere de condigno pro pœna accidentali seu extraordinaria; qualis fuit euersio illa Niniue, & excidium Iudeæ per Chaldæos comminatum Ioël. 2. Et certum est non posse eum aliquid facere, quo infallibiliter talis pœnæ remissionem consequatur: Exemplum est in Dauide; quem condonatâ culpa adulterij Deus puniuit morte filij ex eo genito & priuatione regni in persecutione Absalonis 2. Reg. 12. Nota tamen ideo non esse abstinendum ab oratione, quia vt ait Hieronymus, *Ambiguum ponitur, vt dum homines dubij sunt de salute, fortius pœnitentiam agant, & magis ad misericordiam prouocent Dominum.* Ioël. 2. 2. Reg. 12. Hieronym.

7. Dico secundo quantũ ad peccatorem attinet permanentem voluntariè in peccato, & sic petẽtem donum aliquod spirituale, Deum non glorificare, sed potius eum cõtemnere; adeoque non exaudiri,

iuxta

Ps. 65. iuxta verba Psalmistæ. Psalm.65. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Quod amplius est Deũ irritare. Hoc probant verba Sapiẽtis Prouerb.28.v.9. *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio erit execrabilis.* Quod idem est ac si dicat: sicut peccator non vult audire Deum loquentem per legem; ita nec Deus vicissim ipsum audiet sibi in oratione loquentem; nec tantùm non audiet, sed & orationem eius execrabitur tanquam peccatum, iuxta illud Psal. 108. *Oratio eius fiat in peccatum.* Quæ grauis est punitio, dum hoc ipsum Dei iram magis prouocat, quod aliàs gratiam eius obtinere solet. Simile est apud Isaiam, vbi Propheta hominibus sanguinarijs, crudelibus ad vindictam, acribus ad odia, vim, & rapinam, Dei nomine dicit: *Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* D. Basilius in hunc locum sic ait: *Planè hæc est causa, quare Deus oculos suos deflexit ab istis, cum alioquin manus suas extenderint, quod signa depromendæ supplicationi accõmoda verterint in occasionem exasperandæ iræ Dei.* Et similitudine in Iudæos retortâ post Christum occisum, Deum orantes, rem confirmat: *Veluti*, inquit, *si quispiam filium alicuius vnicè dilectum neci tradiderit, isque manus filij sanguine eatenus cruentatas supplex exporrigat ad patrem vehementer illi infensum, dextram amicitiæ indicem efflagitans, vtque apud ipsum veniæ locum inueniat. An non responderemus, filij sanguinem in manu filiicidæ ad iram tanto acrius exacerbare patrem tali iniuria affectum? Equidem Iudæorum preces sic se habent, ad quas cum manus extẽderint, Deo & Patri memoriam renouant piaculi in vnigenitum filium admissi; perque singulas extensiones, manus suas ostẽtant sanguine Christi plenas. Hi enim tantisper dum in pertinaci excæcatione persistunt, hæredes sunt paternæ occisionis. Dixit enim ille populus: Sanguis eius super nos, & super filios nostros.*

Psal.

Basilius.

8. Sed dices leguntur tamen peccatores aliquando quid temporale à Deo impetrasse, veluti Num. 11. vbi Iudæi murmurantes, & nonnihil fatigati ex labore itineris cœperunt aspirare ad carnes & ollas Ægypti, easque petierunt à Domino, & impetrarunt.

Num. 11.

Respondeo hoc verum esse; sed eas non fuisse concessas misericorditer à Deo: sed ad ostendendam potentiam suam, & in pœnam murmuris: quod patet; quia dum vescuntur carnibus, puniuntur à Deo plagâ ignis, & absumuntur, teste scriptura, quæ ibidẽ vers.33. sic habet: *Adhuc carnes erant in dẽtibus eorũ, nec defecerat eiusmodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magnâ nimis:* adeò vt Dominus aliquando concedat iratus, quod non daret placatus. Et quamuis contingere etiam subinde possit, vt peccatoribus aliquid corporale concedat, ex benignitate extraordinaria id facit; vel vt eos beneficijs ad amorem suum illiciat, vel vt bona qualiacumque opera temporali bono remuneret, cum æternum non mereantur.

9. Dices denique peccatores aliquando à Deo impetrare miracula, ad confirmationem fidei. Respondeo non attendere præcisè ad orationem peccatoris, vt peccator est, sed vt instrumentum est ad vtilitatem aliorum, in quorum gratiam miracula facit, etiam per homines impios; qui idcirco Deo non sunt gratiores. Vt patet Matth. 7. in verbis: *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, Quia nunquam noui vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Sed illis non proficiet. Appositè Chrysostomus in hanc rem, homil. 2. in 2. ad Timotheum: *Per omnes ipse* (supple Deus) *operatur, salutem populi moliens, non illorum intuens merita. Nã si per asinæ os, si per Balaam scelestum hominem populi causâ locutus est: multò magis loquitur per sacerdotẽ, plebis suæ gratiâ. Quid enim non agit Deus, salutis nostræ causâ? quid non loquitur? per quem non operatur?*

Matth. 7.

Chrysost.

vatur? Si enim per Iudam operatus est, & per Prophetas, quibus dicturus est: non noui vos, discedite à me qui operamini iniquitatem: perque illos qui dæmones in nomine suo eiecerunt: non magis per sacerdotes diuino ministerio famulantes operabitur. Vnde quod ad talium petitionẽ Deus faciat, id non contingit, quod Deus respiciat eorum orationem, sed fidem veram, quæ confirmanda est, vel inuocationem nominis Dei, aut signum crucis, quo peccator vtitur ad faciendum miraculum in finẽ prædictum. Quo respiciunt verba
Act. 4. Petri Act. 4. cum dixit admirantibus claudi ex vtero matris restitutionẽ: fides, *quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam, in conspectu omnium vestrum.* itaque honoratur Deus ex parte miraculi, quod facit in confirmationem fidei, non autem ex parte orantis: quod clarum euadit ex eo quod Deus nullũ signum daret, si quod peterent in signum suæ sanctitatis. Et hoc est quod cœcus natus, iam restitutus Ioan. 9. respondit Pharisæis, cum dixit: *Scimus quòd peccatores Deus non audit,* volens Christum defendere, quem Pharisæi volebant esse impostorem.

Discursus XLV.

An Deus instanti oratione coli debeat?

Matth. 6. CHristus Dominus Matth. 6. cap. loquens de oratione dicit: *Orantes nolite multum loqui*: quibus verbis alicui videri posset instãtem, & perseuerantẽ orationem inhiberi. Hinc quæram quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiã prænotandum est variè quosdam in oratione perseuerasse, videlicet Ethnicos, qui multiplicabant superuacaneam, & inanem studio affectatam verborum copiam, vt viderentur coram hominibus benè orare: & facilius credebant Deum multa, quàm pauca verba exauditurum:
Matth. 6. hos reprehendit Dominus Matth. 6. his verbis: *Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici: putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur.* Et ab eorum consuetudine discipulos suos dehortatur, addens: *Nolite ergo assimulari eis.* De huiusmodi habes exemplum 3. Reg. 18. cap. vbi omniũ consensu tam fidelium quam infidelium admittebatur, vt ille verus existimaretur Deus, qui à suis cultoribus imploratus misso desuper igne, oblatum sibi sacrificium consumeret: vt autem id faceret Baal, Prophetæ ipsius intimis precibus flagitabant; & vt ait Scriptura, *inuocabant nomen Baal de manè vsque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos.* Quod amplius est, solẽt Ethnici, cum sic non exaudirentur, clamare voce maiori, vt patet ex eo, quod illusi ab Elia, vt magis clamarent, cum Baal statuto tempore præterlapso, eos non exaudisset, clamauerint voce maiori, &, vt est verosimile, ad modum vlulantium, vt patet cap. 7. Oseæ, vbi Dominus conqueritur de Osee 7.
Iudæis, quod illum honorem ipsi non tribuerint; vt in tribulatione constituti, ex animo ad ipsum clamarent; sed confictè in aliorum oculis pias viderentur preces effundere; in secessu tamen & tenebris Gentilium more vlularent & mugirent absonis & agrestibus clamoribus cum vinum sibi peterent & triticũ: *Et non clamauerũt ad me in corde suo, sed vlulabant in cubilibus suis super triticum & vinum ruminabãt, recesserũt*

Ps. 65. iuxta verba Psalmistæ. Psalm. 65. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Quod amplius est Deũ irritare. Hoc probant verba Sapiẽtis Prouerb. 28. v. 9. *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio erit execrabilis.* Quod idem est ac si dicat: sicut peccator non vult audire Deum loquentem per legem; ita nec Deus vicissim ipsum audiet sibi in oratione loquentem; nec tantùm non audiet, sed & orationem eius execrabitur tanquam peccatum, iuxta illud

Psal. Psal. 108. *Oratio eius fiat in peccatum.* Quæ grauis est punitio, dum hoc ipsum Dei iram magis prouocat, quod aliàs gratiam eius obtinere solet. Simile est apud Isaiam, vbi Propheta hominibus sanguinarijs, crudelibus ad vindictam, acribus ad odia, vim, & rapinam, Dei nomine dicit: *Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.*

Basilius. D. Basilius in hunc locum sic ait: *Planè hæc est causa, quare Deus oculos suos deflexit ab istis, cum alioquin manus suas extenderint, quod signa depromendæ supplicationi accõmoda verterint in occasionem exasperandæ iræ Dei.* Et similitudine in Iudæos retortâ post Christum occisum, Deum orantes, rem confirmat: *Veluti*, inquit, *si quispiam filium alicuius vnicè dilectum neci tradiderit, isque manus filij sanguine eatenus cruentatas supplex exporrigat ad patrem vehementer illi infensum, dextram amicitiæ indicem efflagitans, vtque apud ipsum veniæ locum inueniat. An non respenderemus, filij sanguinem in manu filijcidæ ad iram tanto acrius exacerbare patrem tali iniuria affectum? Equidem Iudæorum preces sic se habent, ad quas cum manus extẽderint, Deo & Patri memoriam renouant piaculi in vnigenitum filium admissi; perque singulas extensiones, manus suas ostẽtant sanguine Christi plenas. Hi enim tantisper dum in pertinaci excæcatione persistunt, hæredes sunt paternæ occisionis. Dixit enim ille populus: Sanguis eius super nos, & super filios nostros.*

8. Sed dices leguntur tamen peccatores aliquando quid tempo-

Num. 11. rale à Deo impetrasse, veluti Num. 11. vbi Iudæi murmurantes, & nonnihil fatigati ex labore itineris cœperunt aspirare ad carnes & ollas Ægypti, easque petierunt à Domino, & impetrarunt.

Respondeo hoc verum esse; sed eas non fuisse concessas misericorditer à Deo: sed ad ostendendam potentiam suam, & in pœnam murmuris: quod patet; quia dum vescuntur carnibus, puniuntur à Deo plagâ ignis, & absumuntur, teste scriptura, quæ ibidẽ vers. 33. sic habet: *Adhuc carnes erant in dẽtibus eorũ, nec defecerat eiusmodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magnâ nimis:* adeò vt Dominus aliquando concedat iratus, quod non daret placatus. Et quamuis contingere etiam subinde possit, vt peccatoribus aliquid corporale concedat, ex benignitate extraordinaria id facit; vel vt eos beneficijs ad amorem suum illiciat, vel vt bona qualiacumque opera temporali bono remuneret, cum æternum non mereantur.

9. Dices denique peccatores aliquando à Deo impetrare miracula ad confirmationem fidei. Respondeo non attendere præcisè ad orationem peccatoris, vt peccator est, sed vt instrumentum est ad vtilitatem aliorum, in quorum gratiam miracula facit, etiam per homines impios; qui idcirco Deo non sunt gratiores. Vt patet Matth. 7. in ver- Matth. 7.
bis: *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, Quia nunquam noui vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Sed illis non
proficiet. Apposite Chrysostomus Chrysost.
in hanc rem, homil. 2. in 2. ad Timotheum: *Per omnes ipse* (supple Deus) *operatur, salutem populi moliens, non illorum intuens merita. Nã si per asinæ os, si per Balaam scelestum hominem populi causâ locutus est: multò magis loquitur per sacerdotẽ, plebis suæ gratiâ. Quid enim non agit Deus, salutis nostræ causa? quid non loquitur? per quem non operatur?*

ratur? Si enim per Iudam operatus est, & per Prophetas, quibus dicturus est: non noui vos, discedite a me qui operamini iniquitatem: perque illos qui dæmones in nomine suo eiecerunt: non magis per sacerdotes diuino ministerio [illegible] operabitur. Vnde quod ad talium petitionē [illegible] si non contingit, quod Deus respiciat eorum orationem, se [illegible] veram, quæ confirmanda est, vel inuocationem nominis Dei, [illegible] peccator [illegible] miraculum in finē [illegible]. Quo respiciunt verba [illegible] cum diceret admirantibus claudi ex vtero matris restitutionē: fides, *quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam, in conspectu omnium vestrum.* Itaque honoratur Deus ex parte miraculi, quod facit in confirmationem fidei, non autem ex parte orantis: quod clarum euadit ex eo quod Deus nullo signum daret, si quod peterent in signum suæ sanctitatis. Et hoc est quod cæcus natus, iam restitutus Ioan. 9. respondit Pharisæis, cum dixit: *Scimus quòd peccatores Deus non audit*, volens Christum defendere, quem Pharisæi volebant esse impostorem.

Act. 3.

Discursus XLV.

An Deus instanti oratione coli debeat?

Matth. 6. CHristus Dominus Matth. 6. cap. loquens de oratione dicit: *Orantes nolite multum loqui*: quibus verbis alicui videri posset instātem, & perseuerantē orationem inhiberi. Hinc quærimus quod in argumento ponitur.

1 Ad huius quæsiti intelligentiā [illegible] est varie quosdam in oratione perseuerasse, videlicet [illegible] multiplicabant super[illegible] studio affectatam [illegible] copiam, vt viderentur [illegible] omnibus benè orare: & [illegible] Deum multa, [illegible] verba exauditurum: hos [illegible] Dominus Matth. 6. [illegible]: *Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici: putant enim, quòd in multiloquio suo exaudiantur.* Et [illegible] discipulos [illegible], addens: *Nolite ergo assimilari eis.* [illegible] huiusmodi habes exemplum 3. Reg. 18. cap. vbi omniū [illegible] fidelium quam infidelium [illegible], vt ille verus existimaretur Deus, qui à suis cultoribus imploratus misso desuper igne, oblatum sibi sacrificium consumeret: vt autem id faceret Baal, Prophetæ ipsius intimis precibus flagitabant; & vt ait Scriptura, *inuocabant nomen Baal de mane vsque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos*. Quod amplius est, solēt Ethnici, cum sic non exaudirentur, clamare voce maiori, vt patet ex eo, quod illusi ab Elia, vt magis clamarent, cum Baal statuto tempore præterlapso, eos non exaudisset, clamauerint voce maiori, &, vt est verosimile, ad modum vlulantium, vt patet cap. 7. Oseæ, vbi Dominus conqueritur de Iudæis, quod illum honorem ipsi non tribuerint, vt in tribulatione constituti, ex animo ad ipsum clamarent: sed ficte in aliorum oculis pias viderentur preces effundere; in secessu tamen & tenebris Gentilium more vlularent & mugirent abiomis & agrestibus clamoribus cum vinum sibi peterent & triticū: *Et non clamauerūt ad me in corde suo, sed vlulabant in cubilibus suis super triticum & vinum ruminabāt, recesserūt à me*; Osee 7.

Matth. 6.

à me id est, ita, vt voces, quas [illegible] dicolus, nō [illegible] & quæ [illegible] à mente profectæ, [illegible] leonum, [illegible] luporum vlulatum [illegible] dicit [illegible]

Theophyl. *[illegible] vlulabant, [illegible] mentem [illegible] fangentes.*

3. Reg. 18. Hoc [illegible] Reg. 18. Prophetæ [illegible] non exaudire: [illegible] *clamabant voce magna, & incidebant [illegible] suum [illegible] fangue.* Hoc enim [illegible] quando [illegible] iusta facere [illegible] potuerant, & optata [illegible] petere, [illegible] infirmi essent clamores, & voces & laceratæ [illegible] Deum, [illegible] cultris se incidebant, & secabant, lanceolis se [illegible], donec suo toti sanguine [illegible]; vt sanguis ille [illegible], & Deum sui [illegible] inflecterent. [illegible]

2. [illegible]

Ephrem. Aug. [illegible] & Augustinus ad [illegible]

Luc. 18. [illegible] Luc. 18. [illegible]

Luc. 11. [illegible] Et Luc. 11. per parabolam [illegible] mediâ nocte petentis panem ab [illegible] amici [illegible] propter importunitatem [illegible] surget, & [illegible] quotquot habere [illegible]

[illegible] *Ille autem [illegible] ne [illegible] Dominus [illegible] mediâ [illegible] commoda mihi tres panes [illegible] non habeo quod ponam ante illum [illegible] Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili: non possum surgere, & dare tibi. Et si ille perseuerauerit pulsans: dico vobis, etsi non dabit illi surgens eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.* Hanc vsus est D. Paulus à Thessalonicentibus, 1. ad Thessal. 5. dicens: *Sine intermissione orate.* Et ad Coloss. 4. *Orationi instate vigilantes in ea.* Et Dominus ipse vsurpauit Matth. 26. cum [illegible] orauit, illam sermonem: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* De qua oratione [illegible] Gregorius in Psal. pœnitentialem, *De [illegible] & c. Non ait, clamo, sed clamaui [illegible] documentum [illegible] non exaudiris, [illegible] Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci [illegible]* [illegible] Tertullianus Apolog. [illegible] *Hæc vis Deo grata est.*

1. Thess. 5. Coloss. 4. Matt. 26. Gregorius. Tertull.

Quæres

Quæres quare Deus voluerit hominem perseueranter orare? Respondeo varijs de causis. Primò vt fides exerceatur: nam si statim daretur quidquid postulatur, esset potius experientia, quàm fides. Quod dixi, euidentissimè constat in exemplo mulieris Chananææ Matth. 15. Matth. 15. quam Dominus credentem ipsum esse filium Dauid, & deprecantem pro filiæ salute iam à dæmonio correptæ, nullo responso primùm dignatus est; ne quidem etiam ad petitionem Apostolorum rogantiũ, *Demitte eam, quia clamat post nos.* sed illis respondit: *non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël*, neque etiam postea, cum iterum adorans accessit, dicẽs: *Domine adiuua me*, illã audiuit, sed responsũ dedit: *Nõ est bonũ sumere panẽ filiorũ, & mittere canibus.* id est, non est bonum gratiam miraculorum solis Iudæis, per me competentem, concedere Gentilibus, (qui canum nomine censebantur, quod instar canum viuerent.) Sed tum demum, quando institit dicens: *etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* id est, non peto à te, vt passim hic, sicut apud Iudæos, miracula facias, vt cœcos cures, mortuos exsuscites, sed vnum tantum & minus naturâ sua difficile, nempe vt dœmonem à filia mea expellas: neque rogo, vt ex professo, vt apud Iudæos, miraculum facias, sed vt obiter non quasi dederis, ac ne proieceris quidem, sed quasi tibi exciderit, quemadmodum solent ex diuitum mensa micæ cadere. Tunc, inquam, eam audiuit, & dixit: *O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis, & addit Euangelista, sanata est filia eius ex illa hora.* Quorsum hæc tanta dilatio? Certè non alia de causa, nisi vt mulieris fidem & constantiam probaret, atque vt alijs eam patefaceret, (magnæ enim fidei, & singularis fuit, contemptam, & ne verbo quidem dignam iudicatam, perseuerare) & vt ostenderet se non sponte, sed quodammodo inuitum, & importunis mulieris precibus coactum miraculorum gratiam Gentibus impertiri, cùm non esset missus, nisi ad oues, quæ perierant domus Israël. Pulchrè hoc factum discutit Chrysostomus hom. 17. ex varijs in Matthæum locis. Chrysost. Sic enim ait ad illa verba: *Ipse autem non respondit ei verbũ, O noua rerum materies. Rogat mulier, obsecrat, deprecatur, deflet casum suum, auget tragœdiam, enarrat passionem: & amator hominum non respondit, sermo tacet, fons clausus est, medicus medicamenta retinuit. Quid nouum? quid admirabile? Alios prouocas ad sequendum, & hanc miserabilem insequentem abigis. Sed considera medici sapientiam, qui non respondit ei verbum. Cur non respondit? Quia fidem illius amplius prouocabat, & animum perseuerantia exercebat, & discipulorum miserationes exercitabat. Dicunt quippe ad eum discipuli eius. Dimitte eam, quia clamat post nos. Vos, inquit, à foris clamare auditis, ego autem intrinsecus video: grãdis quidem vox ex ore procedit, sed maior est mentis.* Ad responsum autem, *Non sum missus*, hoc modo philosophatur. *Hic paululum charissimi accommodate mẽtem vestram, thesaurum enim inuestigare volo absconditum. Non sum, inquit, missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. O domine, hoc est totum: ideo homo factus es, ideo carnem assumpsisti, gubernantias tantas operatus es, vt vnum saluares angulum, & hoc pereunte, orbis terrarum vniuersus desertus est: & Schytæ, Thraces, Indi, Mauri, Cilices, Cappadoces, Syri, Phœnices, quantamcumque sol respicit terram transisti, & propter Iudæos solos venisti: Gentes autem in desolatione cõstitutas despicis, & illos quidem contemnẽtes patrem tuum, & idola adorantes, & incensa illis offerentes, insuper & filios suos dæmonibus consecrantes: hæc omnia dissimulans, & nos miseros exspectantes te, despicis. Et certè omnes Prophetæ, & ipse proauus tuus Dauid secundum carnem dicit? Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Ps. 2. *Et Esaias, qui te in sede maiestatis tuæ contemplatus est, dicit: Et erit radix Iesse, &c. Qui exurget imperare Gentibus, in ipsum Gentes sperabunt.* Esa. 11. Ibidem. Rom. 15. *Et Iacob Patriarcha dicit: Non deficiet Princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius,* Genes. 49. *donec*

donec veniat cui repositum est, & ipse erit exspectatio Gentium. Malachias quoque Propheta dicit: Ab ortu solis vsque ad occasum magnũ est nomẽ meũ in gentibus, & in omni loco sacrificia munda offeruntur Deo. Et ipse Dauid ita dicit: Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis: quia Deus excelsus terribilis, rex magnus super omnem terram. Ascendit Deus in voce tubæ. Et alter dicit: Lætamini gentes cum populo eius, & reliqui omnes aduentum tuum salutare gentibus annunciarunt. Nam & ipse in aduentu tuo magos ab Oriente vocasti, & principia Gẽtilitatis per illos cessare fecisti, & euangelistas eos ad sua remisisti. Et tu quidem per stellam magos conuocasti, Prophetæ autem Gentibus annunciantur. Exurgens ab inferis, dicis discipulis tuis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti Et nunc cum venisset miseranda & infelix mulier pro filia sua infirmitate obsecrans, & casus suos deplorans, dicis: Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. Nam & cum accessisset Centurio, rogans pro famulo suo, dicis: Ego veniam, & curabo eum. Et latroni obsecrãti respondes: Hodie mecũ eris in paradiso. Et paralytico dicis: Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domũ tuam. Et Lazarò quatriduano mortuo, & iam fœtenti dicis: Lazare veni foras. Et qui leprosos mundas, mortuos suscitas, paralyticos stringis, cæcos illuminas, latrones saluas, meretricem castificas, & huic miseræ nihil respondes. O noua res & admiranda. Et tum adfert rationem dilationis, dicens: *Considerate charissimi constantiã, & virilitatem mulieris, & Domini benignam sapientiam, pariter & clementiam, quomodo dilatio & excusatio eius diuitias contulit obsecranti: vt & tu, si oraueris, & statim non acceperis quod rogasti, non desinas deprecando.* Idem doctor enucleans illa verba: *Etiam Domine, nam & catelli &c. O violentia mulieris, ô intentio animi, ô profectus fidei. Medicus dicit, non: hæc dicit etiam: Dominus dicit, non, ista dicit etiã. Non quasi procax, aut impudẽs reputãda est: sed laudanda magis, quia expectat salutem. Non est, inquit, bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Etiam Domine tu canem me vocas, ego te Dominum voco: tu me iniurias, ego te glorifico: Etiã Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Non respuo opprobrium, tantum accipiam vel escã canis. Dicit rem, quæ in consuetudine est. Tu fac, quod debetur cani, quia canem me vocas, da mihi micas. O Domine aduocatus meæ factus es postulationis, abnegando promittis. Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Quid ergo? Qui abnegabat, qui repellebat, qui non respõdebat, qui dicebat: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus: qui dicebat, Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel: in laudes mulieris subitò erũpit, dicens: O mulier. Propterea, inquit laudo constantiam eius, laudo fidem: quia iniuriata permansit, & ratione extorsit. Si enim ab initio dimisissem illam, nec illa paulatim erudita fuisset, nec tu scisses virtutem animi eius, latentem fidei thesaurum: & ideo suspendi donationem, vt tu agnosceres fidem. O mulier, Deus dicit, ô mulier.*

Malach. 1. Psal. 46. Rom. 15. Matth. 28. Ibid. 8. Luc. 23. Mar. 2. Ioan. 11.

Altera ratio, quare Deus differat petitioni annuere, est vt res postulata in maiori habeatur ęstimatione, & desiderium eius crescat. Quam attigit Diuus Augustinus serm. 5. de verbis Domini dicens, *Cum aliquando tardius dat, commendat dona, non negat. Diu desiderata dulcius obtinentur, citò autem data vilescunt. Petendo, & quærẽdo crescis vt capias. Seruat tibi Deus, quod non vult citò dare, & vt tu discas magna magnè petere.* Tertia denique ratio, quia ille qui petit non est dispositus ad recipiendum, sed paulatim disponetur, vel non est illi tũc vtile, quod postulat, sed erit postea.

5. Quæres iterum quanta debeat hæc esse perseuerantia orationis. Respõdeo in hoc nõ posse dari certam regulam quoad tempus aut numerum actuum, quo perseuerandũ est in petitione: sed quotiescumque quis petit bona spiritualia, in petitione perseuerandum esse, donec quis obtineat, quia Deus iussit nos quærere regnum Dei & iustitiam eius, Matth. 6. hoc dicit Diuus Basilius loco citato, Christum per parabolam amici nos docere his verbis:

Matth. 6.

Basilius. verbis: *Hoc autem exemplum idcirco nobis proponitur à Domino, vt in fide acres ac pertinaces esse nos doceat. Exemplum enim ab homine ad alium hominem sumit, vt intelligas nulla laboris fatigatione debere te à suscepto proposito desistere, vt videlicet quandocumque aliquid petieris, neque impetraueris, tam diu perseueres, quoad impetres. Si tamen, vt suprà dixi, ea petas, quæ voluntati Dei non repugnēt. Neque verò tecum tacitus dixeris, Peccator sum, & propterea non exaudior. Vt enim diffidentiæ ille tibi causam omnem præcideret, illud adiecit; & si non dabit illi surgens, eò quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius dabit illi quotquot habet necessarios. De cætero autem & si mensis præterijt, & si annus, & si triennium, & si quadriennium, & si anni complures perseuerato tamen, donec impetres, sed postula cum fide*. Et insinuans orationem, hominem in via virtutis stabilire, addit: *Neque interea rectè vnquā viuere intermiseris. Incidit enim plerumque vt pudicitiam quis quamdiu adolescens fuit, constanter retinuerit, tum latenter se insinuante voluptate naturales libidines excitantur, oratio languidior efficitur, iuuentuti vinum superinijcitur, actum est de pudicitia, idem denique non est homo, qui erat antea. Hoc modo existere in hominibus mutationes solent, si quis non generoso animo vitiosis istiusmodi affectibus obstiterit, & quantum in ipso sit, non omnia præstiterit, & ad Deum vociferans, opem sibi illius implorauerit*. Adeoque ab hac petitione desistendum non est, donec Deus reuelauerit se nos velle propter bonum melius aliqua afflictione premi, sine nostro dispendio, vti reuelauit Paulo sæpius petenti à stimulo carnis liberari, dicens: *Sufficit tibi gratia mea, virtus in infirmitate perficitur*.

6. Dico secundò, si quis oret pro temporalibus bonis, vt pro diuitijs, prolibus & similibus, etiam incertū esse, quousque orandum sit. Nam Isaac viginti annis precibus institit pro semine à Deo promisso: sed interdum ex dilatione temporis, vel ex alijs successibus aut effectibus sumi posse coniecturam, non esse beneplacitum Deo illa concedere, & tunc desisti quidem posse à tali petitione cum humili submissione, & conformitate cum diuina volūtate, semper credendo ita nobis fuisse expediens.

7. Dico tertiò nunquam desistendum esse ab oratione ob diffidentiam, aut animi deiectionem, vel quasi impatientiam. Hinc Basilius loco citato. *Patienter fores eius pulsa,* Basilius. *dum petis. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Quid enim est aliud, quod velis impetrare, nisi salutem tantummodo, quæ est secūdum Deum?* Vtque id persuadeat, adducit exemplum Patriarchæ Abrahæ, qui patienter expectauit vsque ad senectutem quod Deus ipsi Iuniori promiserat, dicens: *Scire vis charissime, quo pacto olim patienter sancti viri expectare soliti essent, neque desperationi se darent. Abraham Deus, cum iunior esset, vocauit, & è terra Assyriorum in Palæstinorum fines transtulit, cum ei dixisset: tibi dabo terram hanc, & semini tuo post te: & sicut astra cæli, sic erit semen tuum, quod numerari non poterit. Multorum deinde annorum iam numerus effluxerat, naturalisque in eo iam vis erat extincta ad procreandum, & iamiam moriendi tempus instabat, neque tamen ille cum hæc hoc modo ire animaduerteret, dixit vnquam, Domine, semper tu mihi filios promittis, & gentium multarum futurum me patrem prænuntias. Naturalis in me ad creandam sobolem motus exacta iam ætas extinxit: & Sara vxor mea senio confecta amplius iam per annos parere non potest: proinde fallax est promissum tuum. Quam enim vetuli duo sobolis habere spem possumus? Neutiquam hæc ille dixit, potiusque nec cogitauit quidem, sed fide immobilis permansit: cumque ætas quotidie magis ac magis ad maius senium declinaret, nihilominus excitabatur in eo tamen, ac veluti iuuenescebat spes, & collabente corpore, & desperationem afferente fides ipsi & animo simul & corporis vires addebat. Sic enim secum cum animo suo cogitans ipse dicebat, Deus est, qui promisit, ipse est Dominus naturæ & aliter quàm quemadmodum ille promisit, res cadere non potest, ipse est, qui quæ sua sponte fieri non possunt, vt fieri possint, ipse facit.*

Omnium enim rerum potens est, & arbitratu suo cuncta commutat. Hanc tu Abrahae fidem imitare. Igitur cum naturae iam vis in eo defecisset, & innati ad procreandum motus essent extincti, tum demum viuum Dei promissum apparuit. Hac tu tibi imitanda exempla propone. Et immediatè pòst exemplum accommodans ad nostram vtilitatem, inquit: *Nos verò annum oramus, & desistimus postea: biennium ieiunamus, & ieiunandi postea facimus finem. Nolimus igitur animum ad Dei promissum despondere. Qui enim illi promiserat multiplicaturum se semen eius, idem quoque promisit nobis daturum se quidquid ab eo petierimus. Similiterque ille etiam est, qui dicit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Etenim cum ab eo longius abesses, laborarésque, & grauissima peccati sarcinâ esses oneratus, misericordiâ motus leuandi tibi oneris causâ, & requietis in posterum largiendae te ad seipsum accersiuit, & tu ei fidem non habes? Atqui licet tacere velimus, ab ipsa tamen nostra arguimur conscientia. Neque enim propterea ei fidem abrogamus, quasi nos reficere non possit: sed iugum eius supra nos tollere recusamus, suaue illud & leue: pigetque nos ingredi per angustam portam in regnum cælorum, potiusq; gestare malumus sarcinam peccatorum, & per voluptatis libidines latam viam tenere, & per amplam portam ingredi in perditionem.* Et obiectioni occurrens, ait: *At sæpè petiui, inquit, neque impetraui tamen. Prorsus quia non rectè petiuisti, videlicet aut dubitabũdus, aut aliud agens, aut quæ tibi vtilia non erant futura. Quod si & quæ tibi erant vtilia sæpè petijsti, at non tamen perseuerantiam adhibuisti. Scriptum est enim, In perseuerantia vestra possidebitis animas vestras. Et qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.*

Iudith 8. Hac de causa Iudith. inuehitur in quosdam cap. 8. qui diem Deo constituebant, & Bethuliam obsessam ab Holopherne tradere meditabantur quinto die, si Dominus infra illud tempus exoratus, eis non succurreret, in hunc modum: *Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, vt tradat ciuitatem Assyrijs, si intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo qui misericordiam prouocet: sed potius, qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei. Sed quia patiens Dominus est, in hoc ipso pæniteamus, & indulgentiam eius fusis lacrymis postulemus: non enim quasi homo, sic Deus comminabitur: neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur. Et ideo humiliemus illi animas nostras: & in spiritu constituti humiliato, seruientes illi dicamus flentes Domino, vt secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum citò misericordiam suam, vt sicut conturbatum est cor nostrum in superbia eorum, ita etiam de nostra humilitate gloriemur.* Appositè D. Chrysostomus homil. 5. in Ioan. Chrysost. *Pudeat nos, pudeat dilectissimi, & incredibilem nostram socordiam deploremus, octo & triginta annos paralyticus ad piscinam exspectauerat, expectabatque vt sanaretur, neque eius impletum est desideriũ, neque negligentia sua nõ sanabatur, sed praeuentus ab alijs, neque propterea desperauit. Nos autem si vel decem dies orationibus inuigilantes non exaudimur, iam tepescimus: hominibus verò quàm diligentissimum exhibemus ministerium in malitia, in difficultatibus seruientes, tandem frequenter omnem spem amittimus: Dominum autem nostrum, vbi sine dubio merces sequitur longè laboribus amplior. Spes enim non confundit, inquit, debito studio & diligentia prosequi non patimur, & quonam hoc supplicio dignum? Sed laboriosa est assidua oratio. Et quid non laboriosum, quod à virtute proficiscatur?* Et hom. 4. ad populum Antiochenum idem Doctor in tribulatione constitutis, & non impetrantibus dat rationem cur non impetrẽt citò postulata. *Sed,* inquit, (supple dices) *quotidie percellitur mens tua, mortem expectãs, & minas maximas? Sed hinc quoque nobis magnus ad virtutem accessus erit, crescente nobis per angustiam religione. Potest enim Deus omnia grauia hac ipsa die soluere: sed donec nos purgatos videat, donec videat factam conuersionem, & pænitentiã firmã & inconcussã,* non

non dissoluit tribulationem. Etenim aurifex donec aurum bene purgatum viderit, de conflatorio non extrahit: sic & Deus non abducit hanc nubem, donec nos penitus emendauerit. Qui enim tentationem permisit, ipse nouit & tentationis soluendæ tempus. Et sicut citharœdus neque neruum intendit, vt non abrumpat: neque remittit vltra modum, ne harmoniæ concentum lædat: sic & Deus agit, neque in remissione continua, nec in longa tribulatione nostram constituit animam, secundum suam prudentiam vtrumque faciens. non sinit enim nos continua potiri remissione, ne segniores fiamus: non autem rursum sinit in continua esse tribulatione, ne concidamus, neue desperemus. Et immediatè pòst monet piè, quod huic intento conuenit dicens: *Ipsi igitur aduersitatis finiendæ tempus relinquamus, nos verò tantum in sanctitate viuamus. Opus enim nostrum ad virtutem mutari, Dei verò opus malis vrgentibus finem imponere: Etenim ipse magis, quam tu qui tentaris, hoc incendium extinguere vult, sed salutem tuam exspectat. Sicut ergo ex remissione tribulatio facta est: sic & ex tribulatione remissionem exspectare conuenit. Neque enim semper hyems, neque semper æstas, neque semper procella, neque semper tranquillitas, non semper nox, neque semper dies: sic neque semper tribulatio, sed erit & remissio, si tantùm in tribulatione Deo gratias semper agamus. Etenim tres in fornacem pueri coniecti sunt, & nec ita religionis obliti sunt, nec ipsos terruit flamma: sed in cubiculo sedentibus, & nihil graue patientibus, studiosius igne circumdati, sacras illas preces emittebant: propterea murus ipsis factus est ignis, & vestis flamma, & fons fornax, & ligatos capiens, solutos reddidit. Mortalia suscepit corpora, & tanquam immortalibus abstinuit: non agnouit naturam, sed pietati reuerentiam exhibuit.*

8. Porro aliud est, & quidem cõsolatorium, nempè quod oratio iusti debitè fusa ad Deum mereatur incrementum in virtute, & ipsam vitam æternam vt dixi discursu 43. sub finem. Insuper impedit alia mala magis noxia quæ nobis contingerent, non orantibus.

Discursus XLVI.

An promoueat cultum Dei certa loca visitare Deum orandi gratia?



Psal. 102. PRopheta Dauid Ps. 102. dicit: *In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.* Quibus verbis indicat Propheta vbique Dominum orãdum esse, quod etiam Nouantes admittunt. Sed specialia loca ad Deum orandum visitare tanquam magis pium, volunt illicitum, eo quod Deus vbique sit. Vnde inquiram quod in argumento quæritur.

1. Ad huius rei intelligẽtiam dico Deum vbique orari posse, quia vbique est secundum potentiã, scientiam, & essentiam suam iuxta Prophetam Ieremam qui c. 23. nomine Dei dicit peccatoribus: *Nunquid non cælum & terram ego impleo.* & Psalmistam Psalm. 138. dicentem. *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam. Si ascendero in cælum tu illic es, si descenderò in infernum, ades.* q. d. Etiamsi ascendere possem in cęlum vel descendere in infernum, non possem à te abscondi, vel à te fugere. Ita quod ad orandum non sit vllus non idoneus aut opportunus locus. Huc spectant verba Chrysostomi, hom. 17. ex varijs in Matthæũ locis: *Quod si foris Ecclesiã es, dic tu: miserere mei Domine, non solùm labia mouẽs, sed mente ingemiscẽs: quia & tacentes audit Deus. Non quæritur locus, sed deuotio mẽtis. Hieremias* Psal. 138. Chrysost.

Hier. 39. *in lacū cœni demersus erat, fideliter orans,*
Dan. 6. *Deum promeruit. Daniel in lacum leonum missus, ad se Dei misericordiam inclinauit. Tres pueri in camino ardenti* Ibidem. 3
erant, & Deo placuerunt. Latro in cruce Luc. 23.
erat, & exauditus est, fideliter postulando. Et nihil obfuit crux, sed confessio fidei
Iob 2. *aperuit paradisum. Iob in sterquilinio erat, & per patientiam suam Deum propitiabatur. Quòd si & in balneis es, ora: vbicumque fueris, ora. Templum Dei* 1. Cor. 3.
& 6. *estis, & spiritus Sanctus habitat in vobis. voluntas solummodo deuotæ mentis opus. Quòd si in iudicio assistis, ora. Et cum irascitur rex, ora. Vbique Deus præsens est, non clauditur loco: inuocanti dicit: Adsum.*

2. Dicò secundò magis pium esse, peculiaribus quibusdam locis Deū orare, idque varijs de causis. Prima, quia Deus ostendit se certis locis coli velle, vt Genes. 28. vbi Iacobo Gen. 28.
fugienti à facie Esau ostendit visionem, quâ Deum vidit innixum scalæ, perquam Angeli ascendebant & descendebant ipsum consolantes: quem locū propterea dixit valde religiosū, & colendū ob Dei & Angelorū per scalam ascendentiū & descendentiū præsentiam, dicens euigilās: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam, pauensque, quàm terribilis est, inquit, locus iste? non est hic aliud quam domus Dei, & porta cæli.* Et ea propter lapidem erexit in titulum, & consecrauit, in verbis: *Tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper.* Eoque quasi altari consecrato, postea vsus est, cū in eo sacrificauit, de quo Genes. 35.
mentio fit ibidem cap. 35. v. 7. Item v. 7.
exemplo Moysis, qui populum Israël docuerat Domini esse terram & plenitudinem eius, cælum & cœlos cœlorum; tamen nomine Dei præcepit Iudæis, ne in omni loco, quem vidissent, seu qui eis placuisset, victimas & hostias offerent: sed ad illum locum ascenderent, quem Dominus Deus eorum elegisset, vt ibidem coleretur, & nomen eius in- Deut. 16
uocaretur, vt habetur Deutron. 16. in verbis: *Non poteris immolare Phase in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus daturus est tibi: sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.*

Secunda, quod Dominus voluerit ad illum locum omne masculinum ter in anno concedere, videlicet in festo Paschatis, Pentecostes, Tabernaculorum, vt illic, seu in Hierusalem, Exodi 34. Exod. 34.
& Deutron. 16. respectiuè Deo Deut. 16.
gratias agerent pro liberatione ex Ægypto, pro receptione legis datæ in monte Sinai, & quod in tabernaculis ex frondibus Deus Iudæos fouerit, quadraginta annis in deserto. Denique ne quis tergiuersaretur aut excusationem prætenderet, quòd in virorum absentia hostes terram inuaderent, Deus reddidit illos securos, in verbis: *Nullus insidiabitur terræ tuæ*, id est, Ne metuas hostes, cum obedis legi meæ, vt ascendas, seu vt, eas ad sanctuarium meum, quasi illi te absente vrbes masculis & bellatoribus vacuas inuasuri sint: ego enim illos frænabo & diuertam, vt eas nec concupiscant, nec cogitent. Tale quid etiam Dominus videtur prçstitisse in grege Prophetarum, qui ascendebant in Bethel, de quo dicitur 1. Regum 10. Saüli à Samuele, ad regni sui assecurationem: 1. Reg. 10.
Post hæc venies in collem Dei, vbi est statio Philistinorum: & cum ingressus fueris in vrbem, obuium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium & tympanū & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes. Illum enim gregem conseruauit saluum ab inimicis Philistinis infestissimis hostibus Israëlitarum: ita vt cum psalterio & tympano alijsque instrumentis laudes Dei canentes securi eos pertransirent. Hoc verò sine Dei auxilio ipsos continente & compescente fieri non potuisse, res ipsa loquitur. Quod insinuat Scriptura per verba: *vbi est statio Philistinorum.* Præterea antequam templum Hierosolymis esset ædificatum, Deus oranti Dauidi, vt Angelus Dei cessaret ab inflictione pestilentiæ, non contentus

contentus fuit, vt quouis loco illi placationis sacrificium offerret, sed per Prophetã Gad pręcepit ascendere & constituere altare Domino in area Areuna Iebusæi, quo loco obtulit holocausta & pacifica, quibus *propitiatus est Dominus* terræ, & cohibita est plaga ab Israël, 2. Reg. 24. Immò volens ire ad tabernaculum Domini in Gabaon, vt oraret pro auertenda peste à populo, non præualuit eo ire ad altare, vt obsecraret Deum, perculsus nimio ex aspectu Angeli, habentis gladium euaginatum in manu, vt habetur, 1. Paralip. 21. Quod sine dubio factum est, quia Dominus voluit placari per sacrificium & orationem in area Areuna.

2. Reg. 24.

1. Paral. 21.

Tertia causa deprehenditur ex vsu fidelium, qui precaturi non putarunt sat esse, si quouis loco orarent, quando aliqua difficultas oboriebatur; sed ad altare aut tabernaculum, aut templum concesserunt: vt patet Genes. 25. vbi Rebecca iam impregnata sentiens in vtero paruulos collidere, legitur perrexisse vt consuleret Dominum, hoc est, iuxta Theodoretum, Diodorum, Procopium, animo consternata, iuit ad vicinum & domesticum altare, ibique Deum orauit, qui per angelum respondit, quod sequitur. *Duæ gentes in vtero tuo sunt, & maior seruiet minori.* Ex quo intellexit Rebecca, quod Iacob præferretur Esau, eique primogenituram & benedictionem paternam præriperet. Anna etiam afflicta, quod sterilis esset precatura Dominum, concessit ad tabernaculum in Silo, vbi erat arca Domini 1. Reg. 1. ibique orans exaudita est. Dauid quoque 2. Reg. 7. intelligens pacem, quam Dominus daturus esset in Israël, stabilitionem domus suæ, aliaque beneficia, exultans & gratulabundus ingressus est angustum & venerabile sacrarium, vbi arcæ Domini religiosus cultus impendebatur, vt gratias ageret pro singulari illa liberalitate, & aliquid præterea oraret, quod ad promissionis illius rata & certã complementa pertineret, vt versu 18. habetur in verbis: *Ingressus est autem Rex Dauid, & sedit coram Domino, & dixit.* Itaque læta audiuit illa nuntia, tamen ibi non orauit, sed in tabernaculo forsitã humi stratus & supplicantis more, aut diu orans. Vtrumque verbum, sedit, innuit. At certè nisi magis pium putasset ibi orare, domi suæ mansisset. Insuper Daniel oraturus, cum in Babylone captiuus non posset ingredi templum, aperta fenestra non orasset ad eam partem conuersus, vbi fuerat templum; nisi in eo quid amplius esset efficaciæ. Daniel. 6. Petrus etiam Act. 3. frustrà non ascendit in templum ad horam orationis nonam. Eunuchus Act. 8. & Gentiles Ioan. 12. gratis non perrexerunt Hierusalem sacrificandi causa. Denique non sine causa festinauit Apostolus, vt diem Pentecostes faceret Hierosolymis.

Genes. 25.

1. Reg. 1.

2. Reg. 7.

Daniel. 6.

Act. 3.

Act. 8.

Ioan. 12.

3. Sed dices, quare ad tabernaculum aut templum aut Hierosolymam perrexerunt, nunquid Deus vbique est?

Respondeo, secundum potentiã, scientiam & essentiam suam vbique esse, vt dixi: sed tamen in certis quibusdam locis potius quam in alijs dici esse, aut fuisse Deum; quod vel maiestatem suam singulari modo ibi ostendat: sic dicitur, *Pater noster qui in cælis est*: quia, vel in creatione, conseruatione, & gubernatione ipsorum cœlorum, quæ inter corpora nobilissima sunt, maiestatem suam singulari modo ibi ostendat, vel quia in illo loco Sanctos homines & Angelos beatificat, illumque locum quasi curiam Regiam designarit, ibique thronum regni sui collocarit.

Illustrat hanc rem Bernardus sermone 6. de dedicatione Ecclesiæ; dilatans quomodo Deus diuersimodè dicatur alicubi esse, dicens super verba Genes. 28. *Verè Dominus est in loco isto. Ibi verè est, & verè Dominus est, vbi in eius nomine Angeli simul & homines congregantur. Licet enim in omni loco sit qui nullo clauditur loco, signãter*

Bernard.

Genes. 28.

gressus, demissus pronus in terram, Patri supplicauit. *Positus*, ait Euangelista, *genibus orabat dicens, Pater si vis, transfer calicem istum à me, veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat*. Pulchrè in hanc rem Augustinus epist. 121. ad Probam. *Si aliquid, inquit, contrà quàm oramus acciderit, patienter ferendo, & in omnibus gratias agendo, hoc potius oportuisse, quod Dei, non quod nostra voluntas habuit, minimè dubitare debemus. Nam & huiusmodi exemplum præbuit ille nobis Mediator, qui cum dixisset: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste, humanam in se voluntatē ex hominis susceptione transformans, continuò subiecit, Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater. Quisquis autem illam vnam petit à Domino, & hanc requirit, certus ac securus petit, nec timet, ne fortè obsit, cum acceperit, sine qua nihil prodest, quidquid aliud, sicut oportet, acceperit*. Et Chrysostomus hom. 30. in Genesim docet exemplo Pauli, ideo potius in infirmitatibus gloriandum. Sic enim ait: *Paulus talis & tantus, qui ineffabilia illa consecutus fuit ignorabat, & quæ non expediebant, precabatur. Nam quia videbat se tot molestijs cingi, ac circumdari crebris tentationibus, orabat vt ab eis liberaretur: idque non semel, neque iterum, sed & sæpius. Tertiò enim, inquit: Dominum rogaui. Tertiò autem, vocauit sæpè, & non impetrauit. Videamus quomodo affectus fuerit. Num grauatim tulit? num segnior fuit? num languescebat? Non. Sed quid inquit? Dixit, sufficit tibi gratia mea. Virtus enim mea in infirmitate perficitur. Non solū nō liberauit illum præsentibus malis, sed in ipsis perseuerare permisit. Esto: vnde autem manifestum quòd non tulit grauiter? Audi ipsum qui dicit, postquam didicit hoc probari Domino: Volupè igitur gloriabor in infirmitatibus meis. Non solum, inquit, postea liberari non requiro, sed & magna voluptate gloriabor in illis. Vidisti gratam animam? vidisti eius in Deum amorem? Audi etiā dicentem: Quid enim precemur vt oportet, nescimus. Impossibile, inquit, est, cum nos homines simus, id certò scire. Relinquendum ergo hoc est omnium conditori, sumendaque sunt cum gaudio, & voluptate quæcumque ipse voluerit: nec spectandum ad speciem eorum quæ fiunt, sed quod acceptum sit Domino. Magis enim scit, quid nobis prosit, quàm ipsi nos. Ipse nouit quomodo salus nostra paranda*.

Confirmatur Deum non minus honorari & coli, quamuis non concedat, quod petitur: quia æquè bene oratio, vt est opus iusti, meretur apud Deum, incrementum in virtute, & ipsam vitam æternam, teste Chrysostomo, qui libro 1. de orādo Deum sic ait: *Si qui cum Cæsare miscent sermones, familiariterque versantur, non possunt esse pauperes: multò minus fieri potest, vt qui Deum deprecantur, cum eo familiariter colloquentes animas habeant mortales. Nam mors animæ est impietas, ac vita pugnans cum lege diuina. Ex quo consequitur animæ vitam esse Dei cultum, ac vitam eo cultu dignam. Porro vitam piam ac Dei cultu dignam miris modis oratio conciliat, conciliatam auget, ac ceu thesaurū animis nostris recondit*. Quod clarum est ex verbis Christi Matth. 6. vbi vetans vanam gloriam in oratione, inquit: *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi*, supple mercedem; quam prius dixerat, iustitiam faciētes coram hominibus, vt videantur ab eis, non habituros apud Patrē, qui in cælis est.

5. Sed quid dices de peccatoribus? Dicit enim Sapiens Ecclef. 15. *Non est speciosa laus in ore peccatoris*.

Respondeo faciendam esse distinctionem inter peccatorem incipientem agere pœnitentiam, & voluntariè permanentē in peccato. Quoad primum respondeo eum glorificare Deum orādo, quandoquidem Deus *non vult mortem peccatoris, sed magis vt cōuertatur & viuat*; ac huiusmodi impetrare sępè quod postulat, non de condigno, sed de congruo seu ex misericordia & benignitate Dei. Patet exemplo Niniuitarum Ion. 3. qui ex prędicatione Ionę clamantis, exactis quadraginta diebus impendêre extremum ciuitatis exitium, commoti crediderunt in Deum, & præconis voce publicum ciui-

Margin notes: August. Chrysost. Chrysost. Matth. 6. Eccles. 15.

ciuibus indixere ieiunium. Et cum ad aures Regis peruenissent Prophetæ voces, iussit vt clamarent ad Dominum in fortitudine, seu fortiter contentâ voce, Misericordia! Misericordia! miserere nostri Deus secundum magnam misericordiam tuam! Pœnitentiam agendo condonationem culpæ à Deo meruerunt. Vnde Chrysost. libro 1. de orando Deum agens de efficacia orationis, inquit: *Primò occurrunt Niniuitæ, quos clarum est deprecationis præsidio plurimorum scelerum, quibus diuinam iram in se prouocarunt, remissionem accepisse. Simul enim atque illos cepit deprecandi studium, illico iustos reddidit, ac ciuitatem, quæ assueuerat iam malitiæ, lasciuiæ, breuiter vitam exlegem & impiam viuere, statim correxit: nimirum potentior diutina peccandi consuetudine, cum ciuitatē illorum cælestibus legibus impleßet, pariter secum trahebat temperantiam, humanitatem, mansuetudinem, curamque pauperum. Nec enim sustinet deprecatio absque his virtutibus versari inter pauperes; sed in quorumcūq. pectore sibi domicilium delegerit, eos reddidit plenos omnis iustitiæ erudiens, & exercens ad virtutem, ac malitiam omnem propellens: & sanè si quis tum ingressus fuisset ciuitatem Niniuitarum, qui prius eandem probè nouisset, nequaquam agnouisset eam, adeò repentè à turpissima vita ad pietatem resilierat. Quemadmodum enim si quis mulierem mendicam, sordidis pannis vestiri solitam, pòst aureis vestibus ornatam videret, nequaquam agniturus sit muliercu-lam: ita si quis eam ciuitatē prius nouißet mendicam, hoc est vacuam omnibus thesauris spiritualibus, nimirum ignoraßet quænam esset illa ciuitas, in qua transmutanda tantum valuisset, vt & mores, & vitam ad virtutem reduceret.* Chrysost.

Luc. 18. Similiter Luc. 18. Publicanus incipiens agere pœnitentiam, non audens oculos leuare ad cælum, tundens pectus, & dicens: *Propitius esto mihi peccatori*, à Deo veniam impetrauit: Dicit enim Scriptura faciens distinctionem inter orantem Pharisæum, bonaque opera recolentem cum proximi contemptu; & humiliter orantem Publicanum: *Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo: quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.*

6. Sed quæres quare ergo Niniuitæ vsi sint verbis, *Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus: & reuertatur à furore iræ suæ, & non perібimus?* Respondeo id actum esse, non quòd dubitarent de promissione Dei, casu quo forent verè pœnitentes, & verè cōtriti: sed quia timebant se non esse sufficienter dispositos ad gratiam, seu verè cōtritos ex amore Dei, & potius attritos ex timore pœnæ vel turpitudine peccati: Et hac de causa verosimile est Ioëlem cap. 2. & Niniuitas sic fuisse locutos. Hinc enim Petrus dixit Simoni Mago Act. 5. *Pœnitentiā age, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*: nempè quia incertum erat, an is quem orare iubebat remissionem culpæ, habiturus esset dispositionem sufficientem ad obtinēdum quod postularet, seu an cooperaturus esset gratiæ Dei. Ioël. 2. Act. 8.

Vel rursum, rogabāt non diffidētes de remissione culpæ, sed de remissione pœnæ temporalis, quam Deus sæpè non remittit condonatâ culpâ, nam raro contingit quantūuis etiam iustum posse satisfacere de condigno pro pœna accidentali seu extraordinaria; qualis fuit euersio illa Niniue, & excidium Iudeæ per Chaldæos comminatum Ioël. 2. Et certum est non posse eum aliquid facere, quo infallibiliter talis pœnæ remissionem consequatur: Exemplum est in Dauide; quem condonatâ culpa adulterij Deus puniuit morte filij ex eo genito & priuatione regni in persecutione Absalonis 2. Reg. 12. Nota tamen ideo non esse abstinendum ab oratione, quia vt ait Hieronymus, *Ambiguum ponitur, vt dum homines dubij sunt de salute, fortius pœnitentiam agant, & magis ad misericordiam prouocent Dominum.* Ioël. 2. 2. Reg. 12. Hieronym.

7. Dico secundo quantū ad peccatorem attinet permanentem voluntariè in peccato, & sic petētem donum aliquod spirituale, Deum non glorificare, sed potius eum cōtemnere; adeoque non exaudiri, iuxta

Ps. 65. iuxta verba Psalmistæ. Psalm. 65. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Quod amplius est Deũ irritare. Hoc probant verba Sapiẽtis Prouerb. 28. v. 9. *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio erit execrabilis.* Quod idem est ac si dicat: sicut peccator non vult audire Deum loquentem per legem; ita nec Deus vicissim ipsum audiet sibi in oratione loquentem; nec tantùm non audiet, sed & orationem eius execrabitur tanquam peccatum, iuxta illud Psal. 108. *Oratio eius fiat in peccatum.* Quæ grauis est punitio, dum hoc ipsum Dei iram magis prouocat, quod aliàs gratiam eius obtinere solet. Simile est apud Isaiam, vbi Propheta hominibus sanguinarijs, crudelibus ad vindictam, acribus ad odia, vim, & rapinam, Dei nomine dicit: *Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* D. Basilius in hunc locum sic ait: *Planè hæc est causa, quare Deus oculos suos deflexit ab istis, cum alioquin manus suas extenderint, quod signa depromendæ supplicationi accõmoda verterint in occasionem exasperandæ iræ Dei.* Et similitudine in Iudæos retortâ post Christum occisum, Deum orantes, rem confirmat: *Veluti*, inquit, *si quispiam filium alicuius vnicè dilectum neci tradiderit, isque manus filij sanguine catenus cruentatas supplex exporrigat ad patrem vehementer illi infensum, dextram amicitiæ indicem efflagitans, vtque apud ipsum veniæ locum inueniat. An non responderemus, filij sanguinem in manu filijcidæ ad iram tanto acrius exacerbare patrem tali iniuria affectum? Equidem Iudæorum preces sic se habent, ad quas cum manus extẽderint, Deo & Patri memoriam renouant piaculi in vnigenitum filium admissi; perque singulas extensiones, manus suas ostẽtant sanguine Christi plenas. Hi enim tantisper dum in pertinaci excæcatione persistunt, hæredes sunt paternæ occisionis. Dixit enim ille populus: Sanguis eius super nos, & super filios nostros.*

Psal. Basilius.

8. Sed dices leguntur tamen peccatores aliquando quid temporale à Deo impetrasse, veluti Num. 11. vbi Iudæi murmurantes, & nonnihil fatigati ex labore itineris cœperunt aspirare ad carnes & ollas Ægypti, easque petierunt à Domino, & impetrarunt.

Num. 11.

Respondeo hoc verum esse; sed eas non fuisse concessas misericorditer à Deo: sed ad ostendendam potentiam suam, & in pœnam murmuris: quod patet; quia dum vescuntur carnibus, puniuntur à Deo plagâ ignis, & absumuntur, teste scriptura, quæ ibidẽ vers. 33. sic habet: *Adhuc carnes erant in dẽtibus eorũ, nec defecerat eiusmodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magnâ nimis:* adeò vt Dominus aliquando concedat iratus, quod non daret placatus. Et quamuis contingere etiam subinde possit, vt peccatoribus aliquid corporale concedat, ex benignitate extraordinaria id facit; vel vt eos beneficijs ad amorem suum illiciat, vel vt bona qualiacumque opera temporali bono remuneret, cum æternum non mereantur.

9. Dices denique peccatores aliquando à Deo impetrare miracula ad confirmationem fidei. Respondeo non attendere præcisè ad orationem peccatoris, vt peccator est, sed vt instrumentum est ad vtilitatem aliorum, in quorum gratiam miracula facit, etiam per homines impios; qui idcirco Deo non sunt gratiores. Vt patet Matth. 7. in verbis: *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, Quia nunquam noui vos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Sed illis non proficiet. Appositè Chrysostomus in hanc rem, homil. 2. in 2. ad Timotheum: *Per omnes ipse* (supple Deus) *operatur, salutem populi moliens, non illorum intuens merita. Nã si per asinæ os, si per Balaam scelestum hominem populi causâ locutus est: multò magis loquitur per sacerdotẽ, plebis suæ gratiâ. Quid enim non agit Deus, salutis nostræ causâ? quid non loquitur? per quem non operatur?*

Matth. 7. Chrysost.

uatur? Si enim per Iudam operatus est, & per Prophetas, quibus dicturus est: non noui vos, discedite a me qui operamini iniquitatem: perque illos qui dæmones in nomine suo eiecerunt: non magis per sacerdotes diuino ministerio famulantes operabitur. Vnde quod ad talium petitionē Deus faciat, id non contingit, quod Deus respiciat eorum orationem, sed tandem veram, quæ confirmanda est, vel inuocationem nominis Dei, aut [illegible] peccator [illegible] endum miraculum in finē [illegible]. Quo respiciunt verba Act. 4. [illegible] cum dixit admirantibus claudi ex vtero matris restitutionē: *fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam, in conspectu omnium vestrum.* Itaque honoratur Deus ex parte miraculi, quod facit in confirmationem fidei, non autem ex parte orantis: quod clarius euadit ex eo quod Deus tantum signum daret, si quod peterent in signum suæ sanctitatis. Et hoc est quod cæcus natus, iam restitutus Ioan. 9. respondit Pharisæis, cum dixit: *Scimus quòd peccatores Deus non audit*, volens Christum defendere, quem Pharisæi volebant esse impostorem.

Discursus XLV.

An Deus instanti oratione coli debeat?

Matth. 6. CHristus Dominus Matth. 6. cap. loquens de oratione dicit: *Orantes nolite multum loqui*: quibus verbis alicui videri posset instātem, & perseuerantē orationem inhiberi. Hinc quæram quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiā prænotandum est varie quosdam in oratione perseuerasse, videlicet Ethnicos [illegible] multiplicabant superua[illegible] manem studio affectatam [illegible] copiam, vt viderentur [illegible] omnibus benè orare; & [illegible] credebant Deum multa, quam [illegible] verba exauditurum: hos reprehendit Dominus Matth. 6. his verbis: *Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici: putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur.* Et ab eorum consuetudine discipulos suos [illegible], addens: *Nolite ergo assimilari eis.* De huiusmodi habes exemplum 3. Reg. 18. cap. vbi omniū [illegible] quam infidelium [illegible] mittebatur, vt ille verus existimaretur Deus, qui à suis cultoribus imploratus misso desuper igne, oblatum sibi sacrificium consumeret: vt autem id faceret Baal, Prophetæ ipsius intimis precibus flagitabant; & vt ait Scriptura, ***inuocabant nomen Baal de mane vsque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos*** . Quod amplius est, solēt Ethnici, cum sic non exaudirentur, clamare voce maiori, vt patet ex eo, quod illusi ab Elia, vt magis clamarent, cum Baal statuto tempore præterlapso, eos non exaudisset, clamauerint voce maiori, &, vt est verosimile, ad modum vlulantium , vt patet cap. 7. Oseæ, vbi Dominus conqueritur de Iudæis , quod illum honorem ipsi non tribuerint; vt in tribulatione constituti, ex animo ad ipsum clamarent; sed confictè in aliorum oculis pias viderentur preces effundere ; in secessu tamen & tenebris Gentilium more vlularent & mugirent absonis & agrestibus clamoribus cum vinum sibi peterent & triticū: ***Et non clamauerūt ad me in corde suo, sed vlulabant in cubilibus suis super triticum & vinum ruminabāt, recesserūt*** Osee 7.

Matth. 6.

à me id est, ita, vt voces, quas exim- [illegible] torquet diabolus, nó tantum animas [illegible] ades, & quæ [illegible] profe [illegible] grammũ, [illegible] vlula- tum [illegible] amplius de hac re dicit Theophylactus [illegible], inquit, *[illegible] vlula- bant, [illegible] non [illegible]. [illegible] me [illegible] vi- num, [illegible] Actionis [illegible] gratiam [illegible] monum [illegible] fangentes.* Hoc [illegible] 3. Reg. 18. Prophetas B[illegible], qui cum non exaudirentur [illegible] *voce magna & incidebant [illegible] suum cultris & lanceolis, [illegible] perfunderentur sanguine.* Hoc [illegible] quod [illegible] ceret [illegible] consequerentur [illegible] infirmi essent clamores, & voces & lacera- tæ victimæ ad inflectendum Deum, vt [illegible] cultris se [illegible] lanceolis se compungebant, donec suo toti sán- guine [illegible] vt sanguis ille [illegible] fieret, & Deum suũ [illegible] inflecterent. [illegible]

2. [illegible] Hære- tici [illegible] de quibus Epi- phanius [illegible] & Augustinus ad Quodvultdeum [illegible] ter [illegible] continuo & [illegible] quod dixit [illegible] non esse [illegible]

3. [illegible] qui per- [illegible] ad modũ hæ- re [illegible] & [illegible] est [illegible] Deus [illegible] patet Luc. 18. [illegible] per [illegible] qui [illegible] de ad- uersario suo vindicauit. Et Luc. 11.

per parabolam amici mediâ nocte petentis panem ab eo, qui licet ami- cus [illegible] non esset, prop- ter improbitatem tamen petentis surge[illegible] quotquot ha- beret [illegible]. Vt [illegible] D. Basilius [illegible] Con- stit. Monast. cap. [illegible] *Hæc [illegible] Deo. Hæc [illegible] [illegible] [illegible] nimium [illegible] quis ex vobis habebit a- micum, & [illegible] illum mediâ nocte & dicet [illegible] commoda mihi tres pa- nes, [illegible] meus venit ad me [illegible] quod apponam [illegible] & ille [illegible] Noli mihi mole- stus [illegible] clausum [illegible] pueri mei mecum sunt [illegible] non possum sur- gere, & dare tibi. Et si ille perseuerauerit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi sur- gens, eo quod amicus eius sit, propter im- probitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.* Hanc vrsit D. Paulus à Thessalonicensibus, 1. ad Thessal. 5. dicens: *Sine intermissio- ne orate.* Et ad Coloss. 4. *Orationi insta- te vigilantes in ea.* Et Dominus ipse v- surpauit Matth. 26. cum ter [illegible] ora- uit, illum sermonem: *Pater mi, si pos- sibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* De qua oratione primata [illegible] Gregorius in [illegible] pœnitentialem, *De profundis* &c. *Non [illegible] [illegible] documentum [illegible] non exauditis, ab oratione [illegible] [illegible] Vult Deus rogari, vult [illegible] [illegible] [illegible]* [illegible] omnium Tertullianus Apol. [illegible] 39. *Hæc vis Deo grata est.*

Quæres quare Deus voluerit hominem perseueranter orare? Respondeo varijs de causis. Primò vt fides exerceatur: nam si statim daretur quidquid postulatur, esset potius experientia, quàm fides. Quod dixi, euidentissimè constat in exemplo mulieris Chananaæ Matth. 15. quam Dominus credentem ipsum esse filium Dauid, & deprecantem pro filiæ salute iam à dæmonio correptæ, nullo responso primùm dignatus est; ne quidem etiam ad petitionem Apostolorum rogantiũ, *Demitte eam, quia clamat post nos.* sed illis respondit: *non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël,* neque etiam postea, cum iterum adorans accessit, dicẽs: *Domine adiuua me,* illã audiuit, sed responsũ dedit: *Nõ est bonũ sumere panẽ filiorũ, & mittere canibus.* id est, non est bonum gratiam miraculorum solis Iudæis, per me competentem, concedere Gentilibus, (qui canum nomine censebantur, quod instar canum viuerent.) Sed tum demum, quando institit dicens: *etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* id est, non peto à te, vt passim hic, sicut apud Iudæos, miracula facias, vt cœcos cures, mortuos exsuscites, sed vnum tantum & minus naturâ sua difficile, nempe vt dœmonem à filia mea expellas: neque rogo, vt ex professo, vt apud Iudæos, miraculum facias, sed vt obiter non quasi dederis, ac ne proieceris quidem, sed quasi tibi exciderit, quemadmodum solent ex diuitum mensa micæ cadere. Tunc, inquam, eam audiuit, & dixit: *O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis, & addit Euangelista, sanata est filia eius ex illa hora.* Quorsum hæc tanta dilatio? Certè non alia de causa, nisi vt mulieris fidem & constantiam probaret, atque vt alijs eam patefaceret, (magnæ enim fidei, & singularis fuit, contemptam, & ne verbo quidem dignam iudicatam, perseuerare) & vt ostenderet se non sponte, sed quodammodo inuitum, & importunis mulieris precibus coactum miraculorum gratiam Gentibus impertiri, cùm non esset missus, nisi ad oues, quæ perierant domus Israël. Pulchrè hoc factum discutit Chrysostomus hom. 17. ex varijs in Matthæum locis. Sic enim ait ad illa verba: *Ipse autem non respondit ei verbũ, O noua rerum materies. Rogat mulier, obsecrat, deprecatur, deflet casum suum, auget tragœdiam, enarrat passionem: & amator hominum non respondit, sermo tacet, fons clausus est, medicus medicamenta retinuit. Quid nouum? quid admirabile? Alios prouocas ad sequendum, & hanc miserabilem insequentem abigis. Sed considera medici sapientiam, qui non respondit ei verbum. Cur non respondit? Quia fidem illius amplius prouocabat, & animum perseuerantia exercebat, & discipulorum miserationes exercitabat. Dicunt quippe ad eum discipuli eius. Dimitte eam, quia clamat post nos. Vos, inquit, à foris clamare auditis, ego autem intrinsecus video: grãdis quidem vox ex ore procedit, sed maior est mentis.* Ad responsum autem, *Non sum missus,* hoc modo philosophatur. *Hic paululum charissimi accommodate mẽtem vestram, thesaurum enim inuestigare volo absconditum. Non sum, inquit, missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. O domine, hoc est totum: ideo homo factus es, ideo carnem assumpsisti, gubernantias tantas operatus es, vt vnum saluares angulum, & hoc pereunte, orbis terrarum vniuersus desertus est: & Schytæ, Thraces, Indi, Mauri, Cilices, Cappadoces, Syri, Phœnices, quantamcumque sol respicit terram transisti, & propter Iudæos solos venisti: Gentes autem in desolatione cõstitutas despicis, & illos quidem contemnẽtes patrem tuum, & idola adorantes, & incensa illis offerentes, insuper & filios suos dæmonibus consecrantes: hæc omnia dissimulans, & nos miseros exspectantes te, despicis. Et certè omnes Prophetæ, & ipse proauus tuus Dauid secundum carnem dicit: Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et Esaias, qui te in sede maiestatis tuæ contemplatus est, dicit: Et erit radix Iesse, &c. Qui exurget imperare Gentibus, in ipsum Gentes sperabunt. Et Iacob Patriarcha dicit: Non deficiet Princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius,*

Margin notes: Matth. 15. — Chrysost. — Ps. 2. — Esa. 11. — Ibidem. — Rom. 15. — Genes. 49.

donec veniat cui repositum est, & ipse erit Malach. 1. *exspectatio Gentium. Malachias quoque Propheta dicit: Ab ortu solis vsque ad occasum magnũ est nomẽ meũ in gentibus, & in omni loco sacrificia munda offeruntur Deo. Et ipse Dauid ita dicit: Omnes gentes* Psal. 46. *plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis: quia Deus excelsus terribilis, rex magnus super omnem terram. Ascen-* Rom. 15. *dit Deus in voce tubæ. Et alter dicit: Lætamini gentes cum populo eius, & reliqui omnes aduentum tuum salutare gentibus annunciarunt. Nam & ipse in aduentu tuo magos ab Oriente vocasti, & principia Gẽtilitatis per illos cessare fecisti, & euangelistas eos ad sua remisisti. Et tu quidem per stellam magos conuocasti, Propheta autem Gentibus annunciantur. Exurgens ab in-* Matth. 28 *feris, dicis discipulis tuis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti Et nunc cum venisset miseranda & infelix mulier pro filia sua infirmitate obsecrans, & casus suos deplorans, dicis: Non sum missus, nisi* Ibid. 8. *ad oues quæ perierunt domus Israël. Nam & cum accessisset Centurio, rogans pro famulo suo, dicis: Ego veniam, & curabo* Luc. 23. *eum. Et latroni obsecrãti respondes: Hodie mecũ eris in paradiso. Et paralytico dicis:* Mar. 2. *Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domũ tuam. Et Lazarò quatriduano mor-* Ioan. 11. *tuo, & iam fœtenti dicis: Lazare veni foras. Et qui leprosos mundas, mortuos suscitas, paralyticos stringis, cæcos illuminas, latrones saluas, meretricem castificas, & huic miseræ nihil respondes. O noua res & admiranda.* Et tum adfert rationem dilationis, dicens: *Considerate charissimi constantiã, & virilitatem mulieris, & Domini benignam sapientiam, pariter & clementiam, quomodo dilatio & excusatio eius diuitias contulit obsecranti: vt & tu, si oraueris, & statim non acceperis quod rogasti, non desinas deprecando.* Idem doctor enucleans illa verba: *Etiam Domine, nam & catelli &c. O violentia mulieris, ô intentio animi, ô profectus fidei. Medicus dicit, non: hæc dicit etiam: Dominus dicit, non, ista dicit etiã. Non quasi procax, aut impudẽs reputãda est: sed laudanda magis, quia expectat salutem. Non est, inquit, bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Etiam Domine tu canem me vocas, ego te Dominum voco: tu me iniurias, ego te glorifico: Etiã Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Non respuo opprobrium, tantum accipiam vel escã canis. Dicit rem, quæ in consuetudine est. Tu fac, quod debetur cani, quia canem me vocas, da mihi micas. O Domine aduocatus mea factus es postulationis, abnegando promittis. Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Quid ergo? Qui abnegabat, qui repellebat, qui non respõdebat, qui dicebat: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus: qui dicebat, Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel: in laudes mulieris subitò erũpit, dicens: O mulier. Propterea, inquit laudo constantiam eius, laudo fidem: quia iniuriata permansit, & ratione extorsit. Si enim ab initio dimisissem illam, nec illa paulatim erudita fuisset, nec tu scisses virtutem animi eius, latentem fidei thesaurum: & ideo suspendi donationem, vt tu agnosceres fidem. O mulier, Deus dicit, ô mulier.*

Altera ratio, quare Deus differat petitioni annuere, est vt res postulata in maiori habeatur æstimatione, & desiderium eius crescat. Quam attigit Diuus Augustinus serm. 5. de verbis Domini dicens, *Cum aliquando tardius dat, commendat dona, non negat. Diu desiderata dulcius obtinentur, citò autem data vilescunt. Petendo, & quærẽdo crescis vt capias. Seruat tibi Deus, quod non vult citò dare, & vt tu discas magna magnè petere.* Tertia denique ratio, quia ille qui petit non est dispositus ad recipiendum, sed paulatim disponetur, vel non est illi tũc vtile, quod postulat, sed erit postea.

5. Quæres iterum quanta debeat hæc esse perseuerantia orationis. Respõdeo in hoc nõ posse dari certam regulam quoad tempus aut numerum actuum, quo perseuerandũ est in petitione: sed quotiescumque quis petit bona spiritualia, in petitione perseuerandum esse, donec quis obtineat, quia Deus iussit nos quærere regnum Dei & iustitiam eius, Matth. 6. hoc dicit Diuus Matth. 6. Basilius loco citato, Christum per parabolam amici nos docere his verbis:

Basilius. verbis: *Hoc autem exemplum idcirco nobis proponitur à Domino, vt in fide acres ac pertinaces esse nos doceat. Exemplum enim ab homine ad alium hominem sumit, vt intelligas nulla laboris fatigatione debere te à suscepto proposito desistere, vt videlicet quandocumque aliquid petieris, neque impetraueris, tam diu perseueres, quoad impetres. Si tamen, vt suprà dixi, ea petas, quæ voluntati Dei non repugnẽt. Neque verò tecum tacitus dixeris, Peccator sum, & propterea non exaudior. Vt enim diffidentia ille tibi causam omnem præcideret, illud adiecit; & si non dabit illi surgens, eò quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius dabit illi quotquot habet necessarios. De cætero autem & si menses præteriji, & si annus, & si triennium, & si quadriennium, & si anni complures perseuerato tamen, donec impetres, sed postula cum fide.* Et insinuans orationem, hominem in via virtutis stabilire, addit: *Neque interea rectè vnquã viuere intermiseris. Incidit enim plerumque vt pudicitiam quis quamdiu adolescens fuit, constanter retinuerit, tum latenter se insinuante voluptate naturales libidines excitantur, oratio languidior efficitur, iuuentuti vinum superinijcitur, actum est de pudicitia, idem denique non est homo, qui erat antea. Hoc modo existere in hominibus mutationes solent, si quis non generoso animo vitiosis istiusmodi affectibus obstiterit, & quantum in ipso sit, non omnia præstiterit, & ad Deum vociferans, opem sibi illius implorauerit.* Adeoque ab hac petitione desistendum non est, donec Deus reuelauerit se nos velle propter bonum melius aliqua afflictione premi, sine nostro dispendio, vti reuelauit Paulo sæpius petenti à stimulo carnis liberari, dicens: *Sufficit tibi gratia mea, virtus in infirmitate perficitur.*

6. Dico secundò, si quis oret pro temporalibus bonis, vt pro diuitijs, prolibus & similibus, etiam incertũ esse, quousque orandum sit. Nam Isaac viginti annis precibus institit pro semine à Deo promisso: sed interdum ex dilatione temporis, vel ex alijs successibus aut effectibus sumi posse coniecturam, non esse beneplacitum Deo illa concedere, & tunc desisti quidem posse à tali petitione cum humili submissione, & conformitate cum diuina volũtate, semper credendo ita nobis fuisse expediens.

7. Dico tertiò nunquam desistendum esse ab oratione ob diffidentiam, aut animi deiectionem, vel quasi impatientiam. Hinc Basilius loco citato. *Patienter fores eius pulsa, dum petis. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Quid enim est aliud, quod velis impetrare, nisi salutem tantummodo, quæ est secũdum Deum?* Vtque id persuadeat, adducit exemplum Patriarchæ Abrahæ, qui patienter expectauit vsque ad senectutem quod Deus ipsi Iuniori promiserat, dicens: *Scire vis charissime, quo pacto olim patienter sancti viri expectare soliti essent, neque desperationi se darent. Abraham Deus, cum iunior esset, vocauit, & è terra Assyriorum in Palæstinorum fines transtulit, cum ei dixisset: tibi dabo terram hanc, & semini tuo post te: & sicut astra cæli, sic erit semen tuum, quod numerari non poterit. Multorum deinde annorum iam numerus effluxerat, naturalisque in eo iam vis erat extincta ad procreandum, & iamiam moriendi tempus instabat, neque tamen ille cum hæc hoc modo ire animaduerteret, dixit vnquam, Domine, semper tu mihi filios promittis, & gentium multarum futurum me patrem prænuntias. Naturalis in me ad creandam sobolem motus exacta iam ætas extinxit: & Sara vxor mea senio confecta amplius iam per annos parere non potest: proinde fallax est promissum tuum. Quam enim vetuli duo sobolis habere spem possumus? Neutiquam hæc ille dixit, potiusque nec cogitauit quidem, sed fide immobilis permansit: cumque ætas quotidie magis ac magis ad maius senium declinaret, nihilominus excitabatur in eo tamen, ac veluti iuuenescebat spes, & collabente corpore, & desperationem afferente fides ipsi & animo simul & corporis vires addebat. Sic enim secum cum animo suo cogitans ipse dicebat, Deus est, qui promisit, ipse est Dominus naturæ & aliter quàm quemadmodum ille promisit, res cadere non potest, ipse est, qui quæ sua sponte fieri non possunt, vt fieri possint, ipse facit.*

Omnium enim rerum potens est, & arbitratu suo cuncta commutat. Hanc tu Abrahæ fidem imitare. Igitur cum naturæ iam vis in eo defecisset, & innati ad procreandum motus essent extincti, tum demum viuum Dei promissum apparuit. Hæc tu tibi imitanda exempla propone. Et immediatè pòst exemplum accommodans ad nostram vtilitatem, inquit: *Nos verò annum oramus, & desistimus postea: biennium ieiunamus, & ieiunandi postea facimus finem. Nolimus igitur animum ad Dei promissum despondere. Qui enim illi promiserat multiplicaturum se semen eius, idem quoque promisit nobis daturum se quidquid ab eo petierimus. Similiterque ille etiam est, qui dicit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Etenim cum ab eo longius abesses, laborarésque, & grauissima peccati sarcinâ esses oneratus, misericordiâ motus leuandi tibi oneris causâ, & requietis in posterum largiendæ te ad seipsum accersiuit, & tu ei fidem non habes? Atqui licet tacere velimus, ab ipsa tamen nostra arguimur conscientia. Neque enim propterea ei fidem abrogamus, quasi nos reficere non possit: sed iugum eius supra nos tollere recusamus, suaue illud & leue: pigetque nos ingredi per angustam portam in regnum cælorum, potiusq; gestare malumus sarcinam peccatorum, & per voluptatis libidines latam viam tenere, & per amplam portam ingredi in perditionem.* Et obiectioni occurrens, ait: *At sæpè petiui, inquit, neque impetraui tamen. Prorsus quia non rectè petiuisti, videlicet aut dubitabūdus, aut aliud agens, aut quæ tibi vtilia non erant futura. Quod si & quæ tibi erant vtilia sæpè petijsti, at non tamen perseuerantiam adhibuisti. Scriptum est enim, In perseuerantia vestra possidebitis animas vestras. Et qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.*

Iudith 8. Hac de causa Iudith. inuehitur in quosdam cap. 8. qui diem Deo constituebant, & Bethuliam obsessam ab Holopherne tradere meditabantur quinto die, si Dominus infra illud tempus exoratus, eis non succurreret, in hunc modum: *Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, vt tradat ciuitatem Assyrijs, si intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo qui misericordiam prouocet: sed potius, qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei. Sed quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, & indulgentiam eius fusis lachrymis postulemus: non enim quasi homo, sic Deus comminabitur: neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur. Et ideo humiliemus illi animas nostras: & in spiritu constituti humiliato, seruientes illi dicamus flentes Domino, vt secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum citò misericordiam suam, vt sicut conturbatum est cor nostrum in superbia eorum, ita etiam de nostra humilitate gloriemur.* Appositè D. Chrysostomus homil. 5. in Ioan. Chrysost. *Pudeat nos, pudeat dilectissimi, & incredibilem nostram socordiam deploremus. octo & triginta annos paralyticus ad piscinam exspectauerat, expectabatque vt sanaretur, neque eius impletum est desideriū, neque negligentia sua nō sanabatur, sed præuentus ab alijs, neque propterea desperauit. Nos autem si vel decem dies orationibus inuigilantes non exaudimur, iam tepescimus: hominibus verò quàm diligentissimum exhibemus ministerium in malitia, in difficultatibus seruientes, tandem frequenter omnem spem amittimus: Dominum autem nostrum, vbi sine dubio merces sequitur longè laboribus amplior. Spes enim non confundit, inquit, debito studio & diligentia prosequi non patimur, & quonam hoc supplicio dignum? Sed laboriosa est assidua oratio. Et quid non laboriosum, quod à virtute proficiscatur?* Et hom. 4. ad populum Antiochenum idem Doctor in tribulatione constitutis, & non impetrantibus dat rationem cur non impetrēt citò postulata. *Sed,* inquit, (supple dices) *quotidie percellitur mens tua, mortem expectās, & minas maximas? Sed hinc quoque nobis magnus ad virtutem accessus erit, crescente nobis per angustiam religione. Potest enim Deus omnia grauia hac ipsa die soluere: sed donec nos purgatos videat, donec videat factam conuersionem, & pœnitentiā firmā & inconcussā,*

non

non dissoluit tribulationem. Etenim aurifex donec aurum bene purgatum viderit, de conflatorio non extrahit: sic & Deus non abducit hanc nubem, donec nos penitus emendauerit. Qui enim tentationem permisit, ipse nouit & tentationis soluendæ tempus. Et sicut citharœdus neque neruum intendit, vt non abrumpat: neque remittit vltra modum, ne harmoniæ concentum lædat: sic & Deus agit, neque in remissione continua, nec in longa tribulatione nostram constituit animam, secundum suam prudentiam vtrumque faciens. non sinit enim nos continua potiri remissione, ne segniores fiamus: non autem rursum sinit in continua esse tribulatione, ne concidamus, neue desperemus. Et immediatè pòst monet piè, quod huic intento conuenit dicens: *Ipsi igitur aduersitatis finiendæ tempus relinquamus, nos verò tantum in sanctitate viuamus. Opus enim nostrum ad virtutem mutari, Dei verò opus malis vrgentibus finem imponere: Etenim ipse magis, quam tu qui tentaris, hoc incendium extinguere vult, sed salutem tuam exspectat. Sicut ergo ex remissione tribulatio facta est: sic & ex tribulatione remissionem exspectare conuenit. Neque enim semper hyems, neque semper æstas, neque semper procella, neque semper tranquillitas, non semper nox, neque semper dies: sic neque semper tribulatio, sed erit & remissio, si tantùm in tribulatione Deo gratias semper agamus. Etenim tres in fornacem pueri coniecti sunt, & nec ita religionis obliti sunt, nec ipsos terruit flamma: sed in cubiculo sedentibus, & nihil graue patientibus, studiosius igne circumdati, sacras illas preces emittebant: propterea murus ipsis factus est ignis, & vestis flamma, & fons fornax, & ligatos capiens, solutos reddidit. Mortalia suscepit corpora, & tanquam immortalibus abstinuit: non agnouit naturam, sed pietati reuerentiam exhibuit.*

8. Porro aliud est, & quidem cõsolatorium, nempè quod oratio iusti debitè fusa ad Deum mereatur incrementum in virtute, & ipsam vitam æternam vt dixi discursu 43. sub finem. Insuper impedit alia mala magis noxia quæ nobis contingerent, non orantibus.

Discursus XLVI.

An promoueat cultum Dei certa loca visitare Deum orandi gratia?



Psal. 102. PRopheta Dauid Ps. 102. dicit: *In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.* Quibus verbis indicat Propheta vbique Dominum orãdum esse, quod etiam Nouantes admittunt. Sed specialia loca ad Deum orandum visitare tanquam magis pium, volunt illicitum, eo quod Deus vbique sit. Vnde inquiram quod in argumento quæritur.

1. Ad huius rei intelligẽtiam dico Deum vbique orari posse, quia vbique est secundum potentiã, scientiam, & essentiam suam iuxta Prophetam Ieremam qui c. 23. nomine Dei dicit peccatoribus: *Nunquid non cælum & terram ego impleo.* & Psalmistam Psalm. 138. dicentem. *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam. Si ascendero in cælum tu illic es, si descenderò in infernum, ades.* q. d. Etiamsi ascendere possem in cęlum vel descendere in infernum, non possem à te abscondi, vel à te fugere. Ita quod ad orandum non sit vllus non idoneus aut opportunus locus. Huc spectant verba Chrysostomi, hom. 17. ex varijs in Matthæũ locis: *Quod si foris Ecclesiã es, dic tu: miserere mei Domine, non solùm labia mouẽs, sed mente ingemiscẽs: quia & tacentes audit Deus. Non quæritur locus, sed deuotio mẽtis. Hieremias* Psal. 138. Chrysost.

contentus fuit, vt quouis loco illi placationis sacrificium offerret, sed per Prophetã Gad pręcepit ascendere & constituere altare Domino in area Areuna Iebusæi, quo loco obtulit holocausta & pacifica, quibus *propitiatus est Dominus* terræ, & cohibita est plaga ab Israël, 2. Reg. 24. Immò volens ire ad tabernaculum Domini in Gabaon, vt oraret pro auertenda peste à populo, non præualuit eo ire ad altare, vt obsecraret Deum, perculsus nimio ex aspectu Angeli, habentis gladium euaginatum in manu, vt habetur, 1. Paralip. 21. Quod sine dubio factum est, quia Dominus voluit placari per sacrificium & orationem in area Areuna.

2. Reg. 24. *1. Paral. 21.*

Tertia causa deprehenditur ex vsu fidelium, qui precaturi non putarunt sat esse, si quouis loco orarent, quando aliqua difficultas oboriebatur; sed ad altare aut tabernaculum, aut templum concesserunt: vt patet Genes. 25. vbi Rebecca iam impregnata sentiens in vtero paruulos collidere, legitur perrexisse vt consuleret Dominum, hoc est, iuxta Theodoretum, Diodorum, Procopium, animo consternata, iuit ad vicinum & domesticum altare, ibique Deum orauit, qui per angelum respondit, quod sequitur. *Duæ gentes in vtero tuo sunt, & maior seruiet minori.* Ex quo intellexit Rebecca, quod Iacob præferretur Esau, eique primogenituram & benedictionem paternam præriperet. Anna etiam afflicta, quod sterilis esset precatura Dominum, concessit ad tabernaculum in Silo, vbi erat arca Domini 1. Reg. 1. ibique orans exaudita est. Dauid quoque 2. Reg. 7. intelligens pacem, quam Dominus daturus esset in Israël, stabilitionem domus suæ, aliaque beneficia, exultans & gratulabundus ingressus est angustum & venerabile sacrarium, vbi arcæ Domini religiosus cultus impendebatur, vt gratias ageret pro singulari illa liberalitate, & aliquid præterea oraret, quod ad promissionis illius rata & certã complementa pertineret, vt versu 18. habetur in verbis: *Ingressus est autem Rex Dauid, & sedit coram Domino, & dixit.* Itaque læta audiuit illa nuntia, tamen ibi non orauit, sed in tabernaculo forsitã humi stratus & supplicantis more, aut diu orans. Vtrumque verbum, sedit, innuit. At certè nisi magis pium putasset ibi orare, domi suæ mansisset. Insuper Daniel oraturus, cum in Babylone captiuus non posset ingredi templum, aperta fenestra non orasset ad eam partem conuersus, vbi fuerat templum; nisi in eo quid amplius esset efficaciæ. Daniel. 6. Petrus etiam Act. 3. frustrà non ascendit in templum ad horam orationis nonam. Eunuchus Act. 8. & Gentiles Ioan. 12. gratis non perrexerunt Hierusalem sacrificandi causa. Denique non sine causa festinauit Apostolus, vt diem Pentecostes faceret Hierosolymis.

Genes. 25. *1. Reg. 1.* *2. Reg. 7.* *Daniel. 6.* *Act. 3.* *Act. 8.* *Ioan. 12.*

3. Sed dices, quare ad tabernaculum aut templum aut Hierosolymam perrexerunt, nunquid Deus vbique est?

Respondeo, secundum potentiã, scientiam & essentiam suam vbique esse, vt dixi: sed tamen in certis quibusdam locis potius quam in alijs dici esse, aut fuisse Deum; quod vel maiestatem suam singulari modo ibi ostendat: sic dicitur, *Pater noster qui in cælis est*: quia, vel in creatione, conseruatione, & gubernatione ipsorum cœlorum, quæ inter corpora nobilissima sunt, maiestatem suam singulari modo ibi ostendat, vel quia in illo loco Sanctos homines & Angelos beatificat, illumque locum quasi curiam Regiam designarit, ibique thronum regni sui collocarit.

Illustrat hanc rem Bernardus sermone 6. de dedicatione Ecclesiæ; dilatans quomodo Deus diuersimodè dicatur alicubi esse, dicens super verba Genes. 28. *Verè Dominus est in loco isto. Ibi verè est, & verè Dominus est, vbi in eius nomine Angeli simul & homines congregantur. Licet enim in omni loco sit qui nullo clauditur loco, signãter*

Bernard. *Genes. 28.*

[illegible] ecclesia, & in omni loco, qui dica[illegible] [illegible] Probatur, quia de [illegible] publica maxime sacrifici[illegible] [illegible] egerat Apostolus, [illegible] commendarat ante [illegible], qui oretur pro [illegible], etiam Regibus, & dignitas [illegible] E[illegible] esse ora[illegible], & [illegible], v. care. [illegible] idcirco Sacer[illegible], sed etiam se velle [illegible] hoc facere. Con[illegible] in publica oratione [illegible] & [illegible] [illegible] Ratio est, quia Chri[illegible] ante orationem [illegible] primò hono[illegible], maximè [illegible] synodo cano. [illegible] sacram hostiã [illegible] ore, vt iam sit, [illegible] crucis ma[illegible], fœminæ puro lin[illegible] vocabant, [illegible] patet ex Concil. Altisiod. can. [illegible] manibus hostiam ori admo[illegible]. Secundo, vt admon[illegible] puritatis animæ. Diserte id habet Clemens 8. const. 38. & Tertull. de oratione, cap. 11. *Quæ, inquit, ratio est, manibus qui-dem [illegible] orare:* Rursum patet de [illegible] loqui Apostolum, [illegible] se velle, quod [illegible], hoc est [illegible] oret; quod in priuata oratione, quæ fit in cubiculo, [illegible].

Clemens. *Tertull.*

5. Quæres tandem, quis fructus orationum [illegible] locis? Respondeo [illegible] Iudæi olim [illegible] præcepto Dei se conformantes, per obedientiam [illegible] celebant. Christiani vero [illegible] profitebantur fidem in Christum: vt enim [illegible] crederent Christiani ad sancta loca cõtenderunt, magis enim mouetur [illegible], quam auditu. Sic ait Hieronymus epist. 134. *Adorare vbi steterunt pedes Domini, partem fidei esse, & quasi recentia natiuitatis, & crucis, & passionis videre vestigia.* Nec mirum: si enim magni faciebat Salomon Ps.

Hieron.

131. quod daretur occasio firmum locum habendi, quo Deus publicè coli posset, & adorari, vbi pedes Domini [illegible] super arcam steuissent: quanto Christiani locum inuisere, partem fidei æstimarent, vbi Christus sanguinem suum pro humano genere ex [illegible] charitate effuderat? Nonne hoc ipsum ostendit S. Paula, cuius idem Hieronymus occupationes describit, quibus [illegible] se exercere in terra sancta. *[illegible], inquit, erit illa dies, quando nobis liceat speluncam Saluatoris intrare: in sepulchro Domini, flere cum sorore, flere cum matre? crucis deinde lambere lignum, & in oliueti monte cum ascendente Domino, voto & animo subleuari: videre exire Lazarum fascijs colligatum, & fluenta Iordanis, ob lauacrum Domini puriora, inde ad pastorum caulas pergere, in Dauid orare mau[illegible]leo: Amos Prophetam etiam nunc buccina pastorali, in sua conspicere rupe clangentem? ad Abraham, Isaac, & Iacob, trium quoque illustriũ fœminarum [illegible] tabernacula properare, vel memorias? videre fontem, in quo à Philippo Eunuchus est tinctus: Samariam pergere, & Ioannis Baptistæ, Helisæi quoque, & Abdiæ pariter cineres adorare? ingredi speluncas, in quibus persecutionis, & famis tempore Prophetarum agmina sunt nutrita? Ibimus ad Nazareth, & iuxta interpretationem nominis eius, florem videbimus Galilææ. Haud procul inde cernetur Cana, in qua aquæ in vinum versæ sunt.* Atque pium esse, velle in quauis causa adaugeri fidem ostenderunt discipuli Domini Luc. 17. cap. dicentes Domino: *Adauge nobis fidem.* & Christus sua responsione: cum enim Dominus docuisset pusillos non esse scandalizandos credentes in Christum; & discipuli peterent augmentum fidei; vt ad implenda præcepta Dei, atque ad impetrandum quidlibet à Deo, essent aptiores: Dominus sua respõsione ostendit eos rectè petere fidei augmentum, quod perfectæ fidei magna sit vis, vt patet ex sequẽtibus; atque huiusmodi fidei commendatione, fidem, quantum in se est, confirmat & auget in eis, auctu-

Idem.

Luc. 17.

rus non verbis, sed spiritus sui efficaciâ, fidem, post suam in cælos ascensionem: quando magis conueniret illum pro sua diuinitate agere, & illi essent capaciores suscipiendi fidem perfectam. Si, inquit, *habueritis fidem* &c. Rursum non existimabant se perfectam habere fidem [illegible] : [illegible] aliarum virtutum, [illegible] charitatis & [illegible] ornatus, & [illegible] plures [illegible] fuisse in [illegible] Ecclesiæ [illegible] testis est H[illegible] Marcellam [illegible] eam [illegible] eius

Hieron.

verba [illegible] *nunc ab ascensione* [illegible] *diem* [illegible] *Episco*[illegible] *Martyrum* [illegible] *in* [illegible] *venerint Hierosolymam*, [illegible] *minus religione* [illegible] *nec summam*, [illegible] *virtutum*, *nisi in illis* [illegible] *locis*, *de quibus primum Euangelium de patibulo coruscauerat.*

Tertio [illegible] eo, ob beneficia, quæ [illegible] consequebantur, teste Cyrillo Hierosolymitano, qui

Cyril Hieros.

Catech. 13. rogans populorum turbam, [illegible] ad loca sancta per [illegible] ærumna, cōfluat: respondet crucem Domini illā cōgregare: *Quæ te*, inquit, *nunc cōgregauit?* [illegible] *quibus vinculis coactus?* [illegible] *te huc compulit*: & respondet: [illegible] *Iesu* [illegible] *salutare, crux omnes congregauit.* tum ne quis miretur, addit mirabilia per virtutē crucis facta dicens: *Hæc Persis seruire fecit* [illegible] &c. *hæc Aegyptios* [illegible] *& variis erroribus ad Dei cognitionem adduxit, hoc ad hodiernum vsque diem curat morbos, dæmones fugat,* [illegible] *incantationumque* [illegible]. Atqui certe hoc [illegible] ii. quando [illegible] florem de [illegible] quod sepulchrum [illegible] suam, æque [illegible] quod omnes [illegible] confluerent. [illegible] pulcherrime [illegible] qui multis seculis [illegible] [illegible] Dominum [illegible] [illegible] ad quos [illegible] Petro suum [illegible] trib[illegible] & [illegible] reddentium: nec Turca licet infensus Christianis vnquam illud euertere ausus est; licet id Pontifex [illegible] facturum minatus sit, nisi [illegible] ret Emmanuelem Regem [illegible] Indicum expeditionem [illegible] sed partim ob lucrum & vectigal, quod à peregrinantibus [illegible] partim ex reuerentia, & metu, ne Deus hoc eius sacrilegium puniat, hactenus minas hasce exequi non sustinuit; vti Osorius & alij narrant. Secundo, quia ibi multa facta sunt, & fiunt miracula. Nam peccatores conuertuntur; dæmones fugantur, morbi curantur: testis est S. Augustinus 22. Ciuit. c. 8. Vnde ibi Maria Ægyptiaca peccatrix conuersa est, indeque iuit in eremum, vbi per 47. annos sine cibo in oratione, & lachrymis sanctissimam egit vitam. Testis est Zozimas oculatus testis, qui eius vitā scripsit.

Nec mirū est, hæc loca ideo magis visitari, quia alia ratio non est, quod ad templa confluimus orandi causâ, nisi quod Deus gloriam suā illic ostenderit, dum illi consecrarentur; & specialem promiserit exauditionem; aut propter Ecclesiæ specialem intercessionem, vt orationes ibi factæ, facilius exaudiantur.

Discursus XLVII.

An Christi humanitas, vt in Eucharistia est, adorari possit cultu latriæ?

1. Tim. 1.  D. Paulus 1. ad Timoth. 1. dicit: *Soli Deo honor & gloria*. Sed Christus simul homo est & Deus, queritur an eius humanitas adorari possit, vt in argumento ponitur?

Ratio huius inquisitionis est, quòd caro Christi sit pars rerum creatarũ, quodque Deus solus cultu latriæ adorandus & orandus veniat; non autem res creata.

1. Breuiter & resolutè dico Christum hominem in diuina & humana natura subsistentem, adorandum esse illa perfectissima adoratione latriç, quâ tota Trinitas, & singulæ personæ adorantur. Probatur verbis
Isa. 45. Isaiæ Prophetæ cap. 45. *Viuo ego dicit Dominus, quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua.* id est, Iuro per vitam meam, quod omnes gentes me colent & adorabunt. (Est enim ibi prophetia de conuersione omnium Gentium ad Christum,) & idem est ac si diceret: omnes homines Christum hominem agnoscent pro Deo & iudice summo, cultuque latriæ ipsum colent, eiusque laudabunt clementiam vel iustitiam, boni voluntariè, mali coactè & inuitè. Quod autem addit, *Mihi iurabit omnis lingua*, id est, apertè ipsum profitebuntur Deum iureiurando, vt testem & periurij vindicem appellando. Vnde Ps. 62. dici-
Psal 62. tur: *Laudabuntur omnes qui iurant in eo*, id est, omnes, qui eum colunt.

Probatur idipsum testimonio A-
Heb. 1. postoli ad Hebr. 1. vbi probans diuinitatẽ & dignitatem Christi, ipsumque Angelis esse præstantiorẽ, dicit: *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum, Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium?* Et tum subiungit, quód huic proposito seruit. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*, id est, Christũ hominem, quem in orbem per Incarnationem introduxit Pater passibilem & mortalem & Angeli adorauerunt, iterum publicè adorabunt, cum illum Pater inducet in die iudicij. Adeo vt Apostolus ex adoratione Angelorum colligat esse præstantiorem Angelis, Deum esse ac Dei Filium; quin etiam Christum, qua homo est & iudex, cultu latriæ adorandum esse, æquè atque qua Deus est. Tertiò probatur, quia sic Magi Matth. Matth. 2.
2. Christum adorarunt, cum thus offerendo diuinitatem eius professi sunt. Et etiam cœcus à natiuitate Ioan. 9. à Christo illuminatus illum Ioan. 9.
adorauit, vt patet ex contextu. Sic enim eum adoriebatur Christus, cum eiectus esset de Synagoga, *Tu credis in Filium Dei?* id est, vis & paratus es credere? iuxta morem Scripturæ, quæ verbum actionis ad voluntatem sæpe refert, vt Ioannis Ioan. 10.
10. *Propter quod opus me lapidatis?* id est, vultis lapidare? & Ioannis 13. Ioan. 13.
vbi Petrus dicit: *Tu mihi lauas pedes?* id est, vis lauare? Ipse verò *respondit, & dixit, Quis est Domine, vt credam in eum?* id est, Si eum mihi demonstraueris, credere in eum paratus sum. Ad quod dixit ei Iesus: *Et vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est.* At ipse illuminatus perfectè corpore & multo perfectius mente, non vt Prophetam, sed vt Christum verè Dei Filium recipit & veneratur, vt innuunt verba, *Credo Domine, & procidens adorauit eum.* Hoc clarius expressit Thomas Apostolus, cum Ioan. 20. visis foraminibus vulnerum in Christo, dixit: *Domi-* Ioan. 20.

nus meus, & Deus meus. Certè, vt verbo expediam, Ioannes Euangelista reddens rationem, quare Deus Pater dederit Christo viuificationẽ mortuorum, & iudicium generale hominum, dicit cap. 5. *Vt omnes honorificent filium, sicut omnes honorificant Patrem*, id est, Filium Dei latentem in natura humana agnoscant, & agnitum honorificent vt Deum, & adorent vt Deum. Et maximè, vt notauit Chrysostomus hom. 38. in Ioannem, vt omnes metu futuri iudicij per Christum, ipsum honorificent tãquam Deum: quos enim beneficia non alliciunt, timor pœnæ attrahere solet. Aut, vt alij, prę ter viuificationem mortuorum, omne iudicium generale dedit Christo, in quo ipsi incuruabitur omne genu, & mali ac infideles etiã nolentes credent & contremiscent, & diuinitatem eius confitebuntur. Denique Apocalyp 5. & 22. vt Deum adorãt in cælis Sancti omnes agnum occisum; atque illi & sedenti in throno simul cãtatur ab omnibus, *Benedictio & honor, & potestas in sæcula sæculorum.* Quæ omnia satis reuincunt Christũ in carne adorandum cultu latriæ.

Ioan. 5.

Chrysost.

Apoc. 5 & 22.

2. Si quæras rationẽ, ea in promtu est, quod caro ita sit vnita Verbo, vt composuerit vnam Personam, indeque effectum sit, vt eâdem adoratione, quâ adoratur Persona, coadoretur Caro Christi. Sic inquit Augustinus serm. 58. de verbis Domini: *Ego Dominicã carnẽ, imò perfectã in Christo humanitatem propterea adoro, quod à Diuinitate suscepta atque Deitate vnita est: vt non alium atque alium, sed vnum eundemque Deum & hominem & Dei filium confitear.* Et Ioan. Damascenus lib. 3. cap. 8. & lib. 4. cap. 3. *Non carnem nudam adoramus, sed carnem Dei, id est incarnatum verbum.* Et oratione prima de imaginibus, rationem reddit, *Quia caro idem effecta est cum verbo, quantum scilicet ad personam attinet.* D. Bernardus serm. 3. de Vigilia Natiuitatis Domini, hanc vnitionem ita admirabilem dicit, vt quidquid in carne Deus fecerit, caro fecisse credatur, & quidquid humanitas pertulerit, Deus pertulisse dicatur. Sic enim ait explicans honorem generi humano exhibitũ, cùm verbum diuinum assũpsit carnem nostram: *Voluit infirmiora nostra abundatiori gloria sublimare, & contraxit se maiestas, vt quod melius habebat, videlicet seipsũ limo nostro coniungeret, & in personâ vnâ sibi inuicem vniretur Deus & limus, maiestas & infirmitas, tanta vilitas & sublimitas tanta. Nihil enim Deo sublimius, nil vilius limo, & tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit ad Deũ, vt quidquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur, quidquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse credatur, tam ineffabili, quàm imcõprehensibili sacramento.* Et immediatè post comparat Incarnationem Christi mysterio sãctissimæ Trinitatis, attentas requirens aures, cum dicit: *Et attende, quia sicut in illa singulari diuinitate trinitas est in personis, vnitas in substantia, sic in illa speciali cõmixtione trinitas est in substantijs, in persona vnitas: & sicut ibi persona non scindunt vnitatẽ, vnitas non minuit trinitatẽ: ita & hic persona non confundit substantias, nec substantia ipsa persona dissipant vnitatem. Sũma illa trinitas hãc nobis exhibuit trinitatem, opus mirabile, opus singulare inter omnia, & super omnia opera sua. Verbũ enim & anima, & caro in vnã conuenere personam, & hac tria vnũ, & hoc vnũ tria, non confusione substantia, sed vnitate persona.* Quibus verbis satis clarè insinuat humanitatem Christi ita vnitam verbo, non posse non adorari eo cultu, quo diuinitas trium Personarũ. Habes quomodo secundum carnem Christus in hoc sęculo adorari debuerit vt Deus, quomodo etiam in cælis, & in extremo iudicio ab omnibus sic adorabitur.

August.

Ioan Damascenus.

Bernardus

3. Sed dices, satis comprehendo Christum cultu latriæ adorandum, quòd sit ita vnitus verbo, vt ab eo non sit separabilis: atque adeò magis vnitus, quã anima corpori, quam scimus simul cum homine coli. Sed quæstionem mouisti de humanitate Christi vt est in Eucharistia, in qua Nouãtes nolunt Christũ latriã coli.

Respondeo illis argumentis, quibus

bus docui Christum in carne nobiscum versantem adorari potuisse, & debuisse cultu latriæ, conuinci eundem posse & debere sic coli in Eucharistia. Id confirmatur ex vsu Ecclesiæ, quæ absolutè totum Sacramentum visibile adorat, vt ex Christo & speciebus constat, vnico latriæ actu. Vnde etiam canit, *Tantum ergo sacramentum veneremur cernui.* Et D. Cyprianus sermone de Cœna Domini, ostendit ad hoc Sacramentum Eucharistiæ etiam institutum: *Sicut*, inquit, *in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita sacramento visibili ineffabiliter diuina se effudit essentia, vt esset religioni ad sacramenta deuotio, & ad veritatem, cuius corpus sacramenta sunt, sincerior pateret accessus* Idipsum affirmat Eusebius Emissenus hom. 5. de Paschate, in verbis: *Vt coleretur per mysterium, quod semel offerebatur in pretium* Chrysostomus hom. 24. in 1. ad Corinth. hortatur suos ad morem trium Magorum in præsepi Christum adorantium, etiam adorare in Eucharistia. Sic enim ait: *Hoc corpus in præsepi reueriti sunt Magi, & viri impij, & barbari, longo itinere confecto, cum timore & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur igitur saltem Barbaros nos, qui cælorum ciues sumus. Illi enim cum id præsepe & tugurium tantum, neque eorum quidquam, quæ tu nunc intueris, viderent, summa accesserunt reuerentia & honore. Tu verò non in præsepi id, sed in altari: non mulierem, quæ in vlnis teneat, sed sacerdotem præsentem, & spiritum abundè super proposito sacrificio vides. Nec simplex, vt illi, corpus intueris, sed & eius potentiam, & omnem cognoscis administrationem, & nihil eorum quæ per ipsum facta sunt, ignoras, & diligenter initiatus es in omnibus. Excitemur igitur horrescamusque, & maiorem quam barbari illi præ nobis feramus pietatem.* Petrus Chrysologus serm. 34. loquens de Hemoroissa Matth. 9. quæ tetigit fimbriam vestimenti Christi. *O quid*, inquit, *ista mulier vidit habitare in interioribus Christi, quæ in Christi fimbria diuinitatis totam vidit inhabitare virtutem! O quam docuit mulier, quantum sit corpus Christi, quæ in Christi fimbria tantum esse monstrauit!* Hinc Conc. Trident. hoc definiens sess. 13. cap. 5. inquit: *Nullus dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles, pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui verò Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant, neque enim ideò minus est adorandum, quod fuerit à Christo Domino, vt sumatur, institutum: Nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei, quem Magi procidentes adorauerunt, quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse, Scriptura testatur.* Deinde immediatè post optimas rationes insinuat consuetudinis Ecclesiæ, qua illud per vias & loca publica, cum solemni pompa, cultu ac veneratione colit, dicens: *Declarat præterea sancta Synodus piè & religiosè admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, vt singulis annis peculiari quodam & festo die præcelsum hoc, & venerabile Sacramentum singulari veneratione, ac solemnitate celebraretur, vtque in processionibus reuerenter, & honorificè illud per vias, & loca publica circumferretur: Equissimum est enim sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari, ac rara quadam significatione gratos, & memores testentur animos erga communem Dominum, & Redemptorem pro tam ineffabili, & planè diuino beneficio, quo mortis eius victoria, & triumphus repræsentatur: atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæresi triumphum agere; vt eius aduersarij in conspectu tanti splendoris, & in tanta vniuersæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati & fracti tabescant, vel pudore affecti, & confusi aliquando resipiscant.* Et Can. 6. anathemate percutit Nouantes. *Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum vnigenitum Dei filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum; atque ideò nec festiua peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem, & vniuersalem Ecclesiæ sanctæ ritum, & consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publicè, vt adoretur, populo proponendum,*

Cyprianus. Euseb. Emiss. Chrysost. Pet. Chrys. Conc. Trid.

nendum, & eius adoratores esse idololatras; anathema sit.

4. Dices iterum, Nouantes negant in Eucharistia Christum verum Deum & hominem contineri, & asserunt audacter ibi nudum esse dumtaxat panem, quæ causa est, quare nos, in hoc cultu, idololatriæ insimulent.

Respondeo hoc non solum gratis, sed blasphemè ab illis dici. Probatur quia Christus Ioan. 6. non promisit nudum panem, sed transsubstantiatum in corpus suum dicens: *Panis quem ego dabo caro mea est pro mūdi vita*, id est, Caro, quæ pro mundi vita in mortem danda est, hæc ipsa panis est. Quod vero Christus carnem suam intelligat, patet ex præcedentibus, vbi dicit: *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*. Et cum hoc dixisset se esse panem, qui de cælis esset, aliosque viuere faceret, illum panem magis explicat, & se daturum dicit, ipsumque esse carnem suam, qua daturus est pro vita & mundi salute. Deinde declarat carnem suam esse verè cibum. Tertiò præceptum instituit de eius mãducatione. Quartò scandalizatos, quod carnem suam daret ad mãducandum reprehendit his verbis: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem, vbi erat prius*. id est, Vos scandalizamini, quia dixi me daturum carnem meam in cibū vitæ æternæ, visusque sum vobis id facere non posse, nec carnem meam id efficere valere, quid ergo dicturi estis, cum videritis hunc filium hominis ascendentem, vbi erat prius? id est, cum meam diuinitatem cognoueritis, & hanc carnem diuinitati vnitam esse intellexeritis, vtique tunc non me aliquid, quod fieri nequeat, dixisse, cognosceretis: maius enim est carnem meam vnitã esse diuinitati, quam cibum esse vitæ æternæ. His enim verbis Dominus rem mirabilem alia mirabiliore, vel æquè mirabili, vult confirmare. Sicut enim cum dubitabant Iudæi, an Christus posset remittere peccata; id ipse probauit, sanando Paralyticum, Matth. 9. & idem sæpe alibi fecit; vt Ioan. 1. cum Nathanaële, & Ioan. 3. cum Nicodemo: ita hic sua ascensione voluit illos ad saniorem mentem reducere.

Ioan. 6. | Matth. 9. | Ioan. 1. | Ioan. 3.

Probatur secundò ex verbis institutionis, Matth. 26. quibus Christus planissimè dixit, id quod exterius speciem panis habebat, suum esse corpus: *Hoc est*, inquit, *corpus meum*. Et vt tolleret omnem ambiguitatē, adiungit, *quod pro vobis tradetur*. Possem id multis rationibus & authoritatibus illustrare; sed quia incidenter tantum huius contingit mentio, vnius dumtaxat explicationem adduco. Ea est Petri Abbatis Cluniacensis, qui Christum alloquitur: *In cœna nouissima, quam cum discipulis tuis vetus Pascha nouo commutans celebrasti, accepisti panem, gratias egisti, fregisti, dedisti discipulis tuis. Sed quid dixisti? Accipite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et quid addidisti? Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnasti, dicens: Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro vobis & multis effundetur in remissionem peccatorum. Audistis? Nolite fieri simulachra, quæ oculos habent, & non vident, aures habent & non audiunt. Auditis enim hæc, non à quolibet Doctore, sed ab illo de quo Pater clamans præcepit; ipsum audite. Auditis enim dantem corpus, sed quod corpus? Sunt enim corpora cælestia, & corpora terrestria, & quidquid visui, auditui, & olfactui, gustui, tactui hic subiacet, corpus est, & vndique quis putaret animalis cuiuslibet, aut hominis cuiuslibet hoc esse corpus, ad excludendum omne aliud sensibile vel insensibile corpus; postquam dixit: Accipite, hoc est corpus, adiunxit, meum. Suum ergo non alterius corpus discipulis. Rursus ne fortè alicui cogitatio occulta subreperet, potuisse creare in manibus suis corpus, quod suum quidem esset, sed tamen quod ipse erat, non esset; addidit, quod pro vobis tradetur: ac si diceret, nolite dubitare, nolite hoc vel illud vobis fingere, nolite aliud & aliud cogitare, quia hoc est corpus non alterum, nec alterius, sed meum; non permutatum, vel noniter creatū, sed quod pro vobis tradetur, pro vobis crucifigetur,* pro

Matt. 26. | Pet. Abb. Cluniac. | Ps. 113. | Matt. 17.

pro vobis morietur. Sic & de calice: hic est, ait, sanguis; non bouis aut arietis, non agni aut cuiuslibet hominis, sed meus, non alius, vel noua creatione productus, sed qui pro vobis fundetur, flagellis prouocatus, clauis extortus, lancea excussus. Quid ad demonstrãdam veritatem corporis & sanguinis Domini dici potuit clarius, lucidius, manifestius? Ita ille.

Quod autem Christus gessit in cœna, hoc ipsum mandauit discipulis suis, vt facerent in verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, constituens & ordinans eos per dicta verba sacerdotes, vt ipsi eorũq; successores in perpetuum id facerent, quod ipse fecerat. Non enim aliter poterat Christus esse sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, vt, 109. Psal. de eodem dictum erat, & vt alibi satis probatum est, & vniuersa tenet Ecclesia, & multis miraculis est comprobatum; quæ videre licet apud Bellarm. libro tertio de Eucharistia capite 8. Suarez tertia parte disput. 46. sect. 5. nihilominus vnum atque alterum asscribam ex lib. 2. vitæ Bernardi nempe cap. 3. vbi liberans mulierem à dœmonio, sacrum Domini corpus imponens patenæ calicis, & mulieris capiti superponens, sic locutus legitur: *Adest, inique spiritus, iudex tuus, adest summa potestas: iam resiste si potes. Adest ille, qui pro nostra salute passurus, nunc, inquit princeps huius mundi eijcietur foras, Hoc illud corpus est, quod de corpore virginis sumptum est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumulo iacuit, quod de morte surrexit, quod videntibus discipulis ascendit in cælum. In huius ergo maiestatis terribili potestate tibi spiritus maligne præcipio, vt ab hac ancilla eius egrediens, contingere eam deinceps non præsumas.* Et confestim eam dœmon deseruit, pax & salus integra reddita est mulieri. Aliud refert cap. 6. de Duce Aquitaniæ schismatico, & Episcopos de sedibus suis expellente. Quem cum nullis verbis ad sanam mentem reducere posset, etiam interuenientibus alijs egregijs viris concedit ad altare, oblaturus & supplicaturus: *Peractis igitur consecrationibus, & pace data & diffusa in populum, homo Dei non se iam agens vt hominem, corpus Domini super patenam ponit, & secum tollit: atque ignea facie, flammeis oculis, non supplicans, sed minax foras egreditur* (vbi scilicet dux erat) *& verbis terribilibus aggreditur ducem: Rogauimus te, inquit, & spreuisti nos. Supplicauit tibi in altero quem iam tecum habuimus conuentu seruorũ Dei ante te adunata multitudo, & contempsisti. Ecce ad te processit filius virginis, qui est caput & dominus Ecclesiæ, quem tu persequeris. Adest iudex tuus, in cuius nomine omne genu curuatur cælestium, terrestrium & infernorum. Adest iudex tuus, in cuius manus illa tua anima deueniet. Nunquid & ipsum spernes? nũquid & ipsum sicut seruos eius contemnes? Lachrymabãtur vniuersi qui aderant, & orationibus intenti præstolabantur exitum rei: & omnium suspensa expectatio, nescio quid diuinum fieri cælitus expectabat.* Quid actum est? *Videns Comes Abbatem in spiritu vehementi procedentem, & sacratissimum Domini corpus ferentem in manibus, expauit & diriguit, membrisque tremebundis metu & dissolutis, quasi amens solo prouoluitur, Eleuatus à militibus iterum in faciem ruit, nec quippiam alicui loquens, aut intendens in aliquem saluis per barbam defluentibus, cum profundis efflans gemitibus epilepticus videbatur. Tum vir* Dei *ad ipsum propius accedit, & pede pulsans accliuem surgere iubet, & stare supra pedes, &* Dei *audire sententiam. Præsens est, inquit, Pictauiensis Episcopus quem ab Ecclesia sua expulisti: vade & reconciliare ei, & in osculo sancto, pacis cum eo iungito fœdera, & ipse ad sedem suam eum reducito: & satisfaciens Deo, redde pro contumelia gloriam, & in vniuerso principatu tuo diuisos & discordes ad charitatis reuoca vnitatem. Subdere Innocentio Papæ, & sicut ei vniuersa obedit Ecclesia, tu quoque electo à* Deo *tanto patre Pontifici. Audiens hæc Comes, auctoritate Spiritus sancti, & sanctorum Sacramentorum præsentia victus, nec audebat respondere nec poterat: sed statim occurrit, & in pacis osculo recepit Episcopum: & eadem qua eũ obiurauerat manu, cum totius exultatione ciuitatis ad propriam sedem reduxit.*

Bellarm.
Suarez.

Si vis aliud miraculum, audi hominem ambiguæ fidei, Erasmum dico Roterodamum magnum apud Nouantes Patriarcham. Is qui liberè solet de rebus fidei rebusque sacris loqui, scribit ad Conrardum Pellicanum, à quo ad Suinglianismum sollicitabatur, seu ad credendum corpus Christi non esse in Eucharistia; quique alijs dixerat Erasmum sentire, nihil esse præter panem & vinum in Eucharistia, hoc modo. *Agnoscam etiam parricidij si quisquam mortalium, vel serio, vel ioco audiuit ex me hanc vocem, in Eucharistia nihil esse præter panem & vinum; aut non esse ibi verum corpus & sanguinem Domini, quod nunc quidam libellis editis propugnant. Imo Christum ipsum mihi precor parum propitium, si ista sententia vnquam insedit animo meo.* Et multis interiectis. *Si tuus animus est, vt solebas profiteri, qui nihil tribuis authoritati Pontificum & Conciliorum; meum animum hactenus confirmauit Ecclesiæ Catholicæ consensus. Si tibi persuasum est in Synaxi nihil esse præter panem & vinum; ego membratim discerpi malim, quam tali flagitio contra meam ipsius conscientiam admisso ex hac vita demigrare. Nec hic iustissimam expostulationem verbis atrocibus exaggero, res ipsa satis habet tragœdiæ. Si micam vllam habes Euangelici spiritus, sanabis, quos istis susurris vanissimis infecisti.* (Eras. Roter.)

Porro ne quis dicat nihil videri nisi panem, audi pauca, sed salutaria verba Petri Abbatis Cluniacensis lib. 1. epist. 2. (Pet. Abb.) *Solitario & stupendo miraculo, latet in illo Sacramento quod est, & patet quod non est: ne cruda carne, ne viua & maximè humana vesci homo contra usum & naturam refugiat.* Et paulo post: *Manet tecta veritas & carnis & sanguinis, honesta panis & vini specie: vt & vsui humano condescendatur, & fides exerceatur, & meritum augeatur. Inde est quod Sacramentū, mysteriū, species & figura vocatur: quia intra hoc, quod exterior forma nunciat, virtus diuina verū corpus & sanguinē Redēptoris occultat.*

6. At dices, Cur ergo Lucas Act. 4. cur Paulus 1. ad Cor. 10. & 11. Eucharistiam panem vocat? (Act. 4. 1. Cor. 10. & 11.)

Respondeo triplicem solutionem desuper deprehēdi apud Doctores; quarum prima est, quòd Eucharistia vocetur panis per tropum, quia antea panis fuit, quemadmodum Eua dicitur Genes. 3. os Adami, quia ex osse eius creata est. (Genes. 3.) Virgæ conuersæ in dracones, Exod. 7. adhuc vocātur virgæ. (Exod. 7.) Matth. 11. cæci dicuntur videre, claudi ambulare. (Matth. 11.) Matth. 21. dicitur quod publicani & meretrices præcedent in regno cœlorum. (Matth. 21.) Hęc prima licet non omnino solida; nam aduersarij dicere possent: Non ideo, quia alicubi res denominatur ab eo, vnde facta est, vbique ita vocabula esse accipiēda.

Secunda igitur est: Scripturam vocare ordinariè res vt exterius apparent. Sic enim serpentem æneū vocat serpentem, Num. 21. (Num. 21.) Sic Angelos, qui apperebant in forma humana, vocat viros, Genes. 18. Iosue 5. 4. Reg. 9. (Genes. 18. Iosue 5. 4. Reg. 9.) Sic boues æneos, malogranata aurea, & similia ornamenta templi, simpliciter vocat boues, malogranata &c. Quoniam igitur Eucharistia forma exteriore, nihil differt à vero pane, quid mirū si vocetur panis? hæc de secunda.

Tertia porro & solidissima est, panem hebraismo significare quemque cibum, vt patet, 4. Reg. 6. v. 22. & 23. (4. Reg. 6.) Sic Lucas 14. c. de Christo (Luc. 14.) cum introisset in domum cuiusdam Principis Pharisæorum sabbatho manducare panem. Sic. Ioan. 6. v. 31. Manna; & v. 41. ipse Christus vocatur panis: (Ioan. 6.) panis enim communis omnium, & necessarius est cibus. Vnde Christus tum aliàs, tum in vltima cœna dicitur panem fregisse, & distribuisse ex more Hebręorum, apud quos paterfamilias mensæ benedicens discumbentibus conuiuis panem frangere, & diuidere solebat. Habebant enim Orientales, non panes eleuatos, vt nos habemus, ita vt ad scindendū cultro esset opus; sed latos pinsebant atque subtiles instar placentæ, vnde manibus eos frangebant vt inter alios annotauit Heterodoxus, licet Stuchius lib. 1. conuiualium, capite tertio.

Itaque

Itaque in Scriptura frangere panem significat conuiuari,& fractio panis significat quoduis conuiuium, cœnam, refectionem, & in nouo Testamento appropriatur ad hoc, vt significet Cœnam, Communionem Eucharistiæ. Hinc frangere panem est verbum Ecclesiasticum & sacramentale, vnde Paulus 1. 1. Cor. 10. Cor. 10. Eucharistiam vocat panem, quem frangimus; scilicet in Sacramento species corporis Christi frangentes & comedentes, & in sacrificio illas offerentes, sumentes & consumentes.

5. His ita solutis, quæres quotuplex sit præceptũ de adoratione Eucharistiæ. Respondeo duplex, negatiuum & affirmatiuum; videlicet negatiuum, quo prohibetur iniuria aut irreuerentia fieri huic Sacramento, & hoc semper obligat. Vnde particularia sunt decreta in iure Canonico extrau. de celebratione Missarum, & de custodia Eucharistiæ, & alibi, maximè ad Sacerdotes pertinentia, & extendenda ad illos qui Ecclesias inuadunt, spoliãt, & irreuerenter sacras hostias contingunt. Affirmatiuum vero est præceptum exhibendi honorem Eucharistiæ, idque aliquo tempore; videlicet, quandocumque fideles ad communicandum accedunt, vt ratio & Ecclesiæ consuetudo dictat. Secundò, quando hoc Sacramentum ab Ecclesia proponitur, nobis adorandum, seu quando eleuatur in missa iuxta capitulum *Sanè* de celebratione Missarum. Aut denique quando idipsum Sacramentum nobis occurrit, aut præsens fit in via, cum pro publica deuotione circumfertur, aut ad ægrotos defertur. est autem peccatum mortale illum honorem omittere ex contemptu formali; aut quandocumque alijs ex eo datur scandalum, etiamsi non adsit formalis contemptus.

Discursus XLVIII.

An repugnet huic Præcepto cultus Sanctorum in Ecclesia vsitatus?



1. Tim. 1. D. Paulus ad Timoth. 1. dicit: *Soli Deo honor & gloria.* Quibus verbis alicui videri posset excludere honorem Sanctis in Ecclesia exhiberi solitũ. Vt vt est, prętер veteres hæreticos, Caluinus nullum honorem sanctis Angelis vel hominibus defunctis vult deferri, & quem Catholici Sanctis deferunt cultum, dicit palam esse, nihil reipsa differre à Dei cultu. Hinc tractabo quod in argumento ponitur.

1. Breuiter & resolutè dico honorem in Ecclesia sanctis Angelis & hominibus deferri solitum huic præcepto non repugnare: quia sacræ Scripturæ clarissimè nobis ostẽdunt, Sanctis aliquem honorem ritè exhiberi. Nam in eis leguntur sæpe homines iusti sanctos Angelos adorasse: vt Abraham, qui Genes. 18. tres viros excipiẽs in hospitium, Genes. 18. eos primùm pronus in terram adorans, ciuilem & Orientalibus consuetam reuerentiam exhibuit. Deinde cum hisce tribus agendo, sensim ex splendore, sermone, maiestate, alijsque signis, atque ex Dei instinctu agnouit eos non esse homines, sed angelos, legatos Dei; imo Dei vicem & personam gerere, maximè medium, qui in persona Dei loquebatur & vocabatur semper *Iehoua*, indeque quasi Deus excidium intentabat Sodomæ, vers. 20. Eundem vt talem omninò reuerenter Abraham compellat, honorat, & pro Sodoma precatur. Iosue etiam quinto capite eum, Iosue 5. quem iam nouerat Angelum seu Principem esse exercitus Domini,

pronus in terram adorauit. Manue
Iudic. 13. quoque & vxor eius Iudic. 13. Angelum, qui eis nunciauerat ortũ Sampsonis, cum eum cognouissent Angelum esse, proni in terram adorarunt.
Num. 22. Num. 22. Balam Propheta postquam *Angelum stantem in via* euaginato gladio, vt illi obsisteret volenti maledicere populo Dei, perfectè cognouit angelum esse, adorauit pronus in terram.

2. Quod viri iusti aut prudentes gesserunt erga Angelos, hoc præstiterunt viri tum iusti tum eminentes erga homines tam viuos quam
3. Reg. 18. defunctos. Sic 3. Reg. 18. Abdias vir sanctus adorat Eliam pronus in terram, tanquam Prophetam ac Dei hominem singulari sanctitate excel-
4. Reg. 2. lentem. Et 4. Reg. 2. filij Prophetarum, cum audissent spiritum Eliæ requieuisse super Helisæũ, accedẽtes adorauerunt eum proni in terrã.
Daniel. 2. Nabuchodonosor Daniel 2. adorat Danielem vnum ex captiuis, quia reuelauerat illi mysteria, quæ latebant in visione, illi exhibita. Quantum ad defunctos attinet, Saul Rex
1. Reg. 28. 1. Reg. 28. Samuelem ei post mortẽ apparentem, *inclinauit se super faciem suam in terra, & adorauit*, neque ab eo est reprehensus. Scriptura etiam indicat alibi Deum honorare Sanctos tam viuentes, quã defunctos; Nam
1. Reg. 2. 1. Reg. 2. declarans priuandam familiam Heli sacerdotio, eo quod filios suos non debitè corripuisset, di-
Ioan. 12 cit: *Qui honorificauerit me, honorificabo eum.* Et Ioan. 12. promittit Christus iusto ipsum sequenti, quod Pater eius illum honore afficiet, vel honorari faciet, in verbis: *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.* q. d. Qui mihi ministrant & me, sequuntur ad tantum honorem prouehentur, & in cælis ab ipsis Angelis tam honorificè tractabuntur,
Ps. 138. vt in eis verum fiet illud Ps. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Hinc Apostolis Euangelij primis præconibus dixit: *Sedebitis & vos super sedes duodecim iudicãtes duodecim tribus Israel.* Id est, Vos Apostoli, qui omnia reliquistis, & sic secuti estis me, non solum habebitis excellentiorem gloriam, quam illi habebunt, qui viam perfectionis amplexi sunt: sed illum etiã habebitis honorem, vt in extremo iudicio, mundũ mecũ iudicabitis tanquã doctores, tanquam testes. Et Apocalyp. 14. cap. de cer- Apoc. 14.
tis virginibus dicitur: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocumq; ierit.* Diuus Paulus etiam non omisit honorem virtuti deberi ad Rom. 2. Rom. 2.
dicens: *Gloria & honor & pax omni operanti bonum* id est, Cum fide bene operantibus futura est omnium bonorum quieta, perpetua, certa & secura possessio.

3. Cęterum Angelos & homines, defunctos dignos esse honore definitum est à Felice primo cum Conc. Felix primus.
Romano in episto. 2. Decretali vbi de quibusdã perturbatoribus Ecclesiæ inquiens, *Non solum prædicta agunt mala, sed & memorias martyrum execrantur*, subdit: *Quapropter in præfata constituimus Synodo, vobisque & omnibus Ecclesijs tenendum & agendum mandamus, vt super memorias Martyrum missa celebrentur, ne memoria eorum à talibus extingui, aut veneratio possit prohiberi.* In Conc. Gangrensi Can. 20. Conc. Gang.
hanc definitionem habes alijs verbis, videlicet, his: *Si quis Sanctorum memorias contemnendas putauerit, anathema sit.*

4. Sed dices, liquidò patet per exempla Scripturæ, & definitiones Conciliorum antiquorum & recentiorum, vt Concilij Tridentini sess. 25. licitum esse sanctos honorare, neque vllatenus huic præcepto repugnare honorem in Ecclesia solitum Sanctis deferri: sed velim scire quis honor illis exhiberi possit.

Respondeo, necesse esse ad huius quæsiti clariorem intelligentiam distinguere tres species excellentiæ, & totidem species adorationis, vt sic qui ex aduerso sunt confundantur, & nos in Ecclesiæ doctrina confirmemur.

Prima itaque est excellentia diuina & infinita, cui debetur soli cultus

cultus latriæ, vtpote soli Deo competens; tanquam primo principio & vltimo fini quem exprimunt verba Christi, responsa Sathanæ, Matth. 4. *Dominum Deum tuũ adorabis, & illi soli seruies.* Et verba Pauli 1. ad Tim. 1. *Soli Deo honor & gloria.* Illis enim verbis vult D. Paulus sanctissimę Trinitati honorem diuinum & latriã tribui, eo quod ipsum traxerit ad se quod nemo potest facere nisi Deus iuxta illud Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Vnde idẽ est ac si dicat: Honor latriæ non Angelis, non idolis, non Dijs Gentium, sed soli Deo vero tribuatur honor & gloria diuinitatis, vt omnes Angeli & homines faciunt, & maximè ego Paulus, ob tantam Dei in peccatores, & in me primum & maximum peccatorem clementiam, qua me, hoc Christi, & gratiæ seculo, nasci fecit, rebellem ad se traxit, & pœnè coëgit, peccata demisit, iustificauit, imo Apostolum fecit, hunc autem honorem Paulus noluit exhiberi ijs qui natura non sunt Dij, dum reprehendit Galatas, quod *ignorantes Deũ ijs qui natura non sunt Dij* seruiebant. Id est, Pagani existentes colebatis idola latriã & sacrificijs. Atque hũc Catholici omnes nolunt Sanctis Dei impendi, & cum Hieronymo epist. 53. libere protestantur, dicentes: *Nos autem non dico Martyrum reliquias, sed ne solem quidem & lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubin, non Seraphin, omne nomen quod nominatur in præsenti seculo & in futuro colimus & adoramus; ne seruiamus creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in secula.*

Matth. 4. 1. Tim. 1. Ioan. 6. Hieronym.

Secunda excellentia est humana seu naturalis, quæ posita est in humanis virtutibus, dignitatibus, & gradibus, quam dignam esse adoratione aliqua, patet exemplo Abraham & Loth, Genes. 18. & 19. qui Angelis, quos viros eminentes putabant, ciuilẽ & Orientalibus consuetam reuerentiam exhibuerunt se prosternendo in terram. Tum etiã ex eo, quod Iudices Dij vocati fuerint, vt Exod. 22. in verbis: *Si latet fur, Dominus domus applicabitur ad Deos & iurabit, quod non extenderit manum in rem proximi sui.* Id est, Si fur aliquis depositum subripuerit, depositarius apud quem res posita, & cui commendata erat, vocatus in ius veniet ad Iudices, & iuramento purgabit se, probabitque suam à furto innocentiam. Et vers. 28. dicitur, *Dijs non detrahes*, id est. Iudicibus. Adeoque certum est illis deberi cultum ciuilem & obseruantiam quandam humanam quandoquidem propter excellentiam quandam dij vocantur.

Genes. 18. & 19.

Tertia species excellentiæ, est quędam media inter diuinam & humanã, qualis est gratia & gloria Sanctorum: Ista enim sunt dona spiritualia, & excellentissima, cui excellentiæ respondet adoratio, quæ respectu communium Sanctorum vocatur *dulia*, respectu humanitatis Christi separatim, eiusque Matris, *hyperdoulia.* Hanc duliã, voluit Deus exhibitam Moysi in hac vita; cum illũ propter participationem eminentiæ & potestatis diuinę, Exod. 7. vocauit Deum Pharaonis in verbis: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, quod idem est ac si diceret, Noli ô Moyses timere sæuitiam & fastum Pharaonis, quia ego te feci quasi Deum Pharaonis, non quem ille fideliter adoret, sed seruiliter timeat punientem, atque medentem obsecret; & vt ait Rupertus, *Quoniam tu mitissimus virorum cum Pharaone dimicare indignum te ducis, teque deprimis, ecce ego sustollam te, faciamque te Deũ Pharaonis; vt imperes aquis pro potestate Dei, vt ranas crees; vt imperes terræ ac cineri, faciasq; in rege & exercitu eius ciniphes & vesicas; vt imperes aëri, & pestem generet; vt imperes igni, & cum grandine mixtus feratur super peccatores: imperando elementis Deus eris Pharaonis. ecce quam gloriosa virtutum regina est humilitas, quæ in cælum volare consueuit.* Hactenus Rupertus insinuans Moysen ob humilitatem illo honore à Deo donatum. Hanc etiam exhibuerũt Abraham, Iosue, Manue & vxor eius, ac Balam, Angelis, locis citatis. *Homines sancti erunt vt Angeli Dei.* Matth. 22.

Exod. 7. Rupertus. Matt. 22.

Cæte-

Cæterum hunc honorem licitè angelis exhiberi, docuit Michael cum iussit Iosue amplius se humiliare dicens: *Solue calceamenta pedum tuorum, locus enim in quo stas, sanctus est.* Id est, humilia te instar serui, qui in signum humilitatis, nudis pedibus solent incedere, idque dumtaxat propter suam præsentiam. Nam ob locum per se id non fiebat cum ille alias non esset sanctus, nec sacer. quia erat in campestribus Hierico.

Hunc honorem etiam admisit Elias, cum Abdias vnus ex principibus regni illum adoraret, 3. Reg. 18.. Et Daniel à Nabuchodonosor propter causam supradictam, ex qua patuit fuisse religiosum, vti conuincunt & verba, quæ Nabuchodonosor adorans protulit: *Verè Deus vester Deus Deorum est, & Dominus Regũ, & reuelans mysteria, quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum.* Atqui talem honorem licitè exhiberi iustis defunctis, quis ambigat? Ait enim Augustinus libro 20. contra Faustum cap. 21. *Colimus Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Euangelica veritate passionem paratum esse sentimus.* Et vt sciamus quod maiori ratione ad cultum defunctorum obligemur, subiungit: *Sed illos tantò deuotius, quantò securius, post incerta omnia superata, quantò etiam fidentiori laude prædicamus, tam in vita feliciori victores, quam in ista adhuc pugnantes?* Quibus posterioribus verbis indicat optimè August. quamuis species huius adorationis eadem sit: tamen sicut status beatorum perfectior est, tum in charitate, quia sunt impeccabiles, & omnino securi; tum in cognitione, quia Deum clarè, ac manifestè intuentur; tum in potestate, quia cum Christo regnant; tum in gradu honoris, quia cum ipso sedent in throno eius, vt dicitur Apocalyps. 3. ita perfectioribus actibus & rebus coli debere. Atque hinc fit, vt alijs signis, & certioribus testimonijs vtamur ad honorandos Sanctos, qui iam vitam cum morte cõmutarunt, quam eos qui adhuc in humanis degunt.

3. Reg. 18.

August.

5. Vt autem intelligas hanc distinctionem excellentiarum ritè factã, audi Ioannem Damascenum orat. 1. de imaginibus, adorationem latriæ, duliæ, & ciuilem discernentem ex sacris Scripturis: *Adoratio, inquit, est submissionis & honoris nota, atq; huius item est duplex ratio. Altera enim est, quam Deo, qui natura solus adorandus est, latriaque dicitur: altera, quam propter ipsum Dominum, qui natura solus adorãdus est, & exhibemus, vel amicis & seruis illius, vt cum Iesus filius Naue, & Daniel Angelum adorarunt: vel quibuslibet Dei locis; Adorabimus, inquit Dauid, in loco, vbi steterunt pedes eius: vel templis eius, vt omnis Israël tabernaculum adorabat, & in circuitu templi, quod erat in Hierusalem, stantes, aut vndique ad ipsũ respicientes adorant ad hunc vsque diem: vel Principibus ab ipso constitutis, vt Iacob tum Esau fratrem natu maiorem, tum Pharaonem Principem à Deo declaratum adorauit, & Iosephum fratres ipsius. Adhæc mutui honoris gratia adorationem exhiberi nõ ignoramus, qualis inter Abraham & filios Emmor intercessit. Proinde aut aufer omne genus adorationis, aut omnes pro conueniente cuique ratione & modo suscipe.* Quapropter non te crucient verba Matth. 4. & 1. ad Timoth. 1. superius citata, quasi illa honorem prędictum Sanctis adimant, nam ita non est.

Genes. 33.
Genes. 41.
Genes. 31.
Genes. 23.

Ad cuius clariorem intelligentiã nota quod sacra Scriptura, multa Deo soli tribuat, quę etiam alijs conueniunt, sed diuerso sẽsu. Sic enim Matth. 9. v. 17. solus Deus dicitur bonus. 2. Machab. 1. v. 25. *solus pius*, vti & Apocal. 15. v. 4. 1. ad Tim. 1. *Soli Deo honor & gloria.* 1. Tim. 6. solus habere immortalitatem. Psal. 17. solus facere mirabilia. Et tamen hęc omnia cõueniunt etiam hominibus: non quidem per essentiam, vt Deo, sed per participationem. Nã Deus omnia ista habet à se, homines à Deo. Quis enim tam vecors, qui neget homines iustos, & pios rectè dici, & esse? Quis Angelos & animas hominũ immortales suo modo? quis

Mat. 9. 17.
2. Mach. 1. 25.
Apoc. 15. v. 25.
1. Tim. 6.
Ps. 71.

quis Moysen constitutum Deum Pharaonis facere mirabilia? quis Prophetas, Apostolos, aliosúe Sanctos cum sacra Scriptura eiusmodi potestatem, & verbo & facto ostendit?

6. Dices iterum si Sanctorũ cultus est religiosus, ergo pertinet ad virtútem religionis, quæ solum Deum, habet pro obiecto.

Respondeo hoc non sequi: quia religio spectat ad excellentiam increatam, & propter eam, cultum defert: sed Sancti coluntur propter intrinsecas & absolutas perfectiones, vt propter visionem Dei, charitatem, sanctitatem, statumque beatum, atque adeò ob excellentiam creatam: vnde non est religionis sed alterius virtutis, quæ vocatur *dulia*, & vsu scriptorum Ecclesiasticorum & Doctorum accommodatum est ad significandum omnem cultũ Sãctorum, qui ipsis propriè impenditur: non autem cultum diuinum & virtutem religionis, ad quem significandam vsitatum est nomen *latria*.

7. Dices quare ergo religiosus vocatur? Respondeo tribus de causis. Prima, quia non est ciuilis & politicus, qualis defertur Principibus & Viris magnis in republica: sed est supernaturalis ortum habens ex vera fide in Deum, quæ religio vocari solet. Secunda est, quòd virtus, quã coluntur Sancti, vel est ipsa religio, vt quãdo immediatè propter Deum honorantur; in quem modum locutus est Leontius in Dialogo qui recitatus est in Synodo 7. actione 4. in verbis: *Sanctos veneramur vt Dei amicos; & honor, qui Sanctis impenditur, in Deum recurrit. Qui Martyrem colit, Deũ ipsum colit; qui matrem illius adorat, ipsi honorem assignat*. Quia enim excellentia Sanctorum nihil est aliud, quàm participatio quędam diuinæ naturę, quodam modo ad diuinum ordinem pertinens, atque ad Dei gloriam ex natura sua tendens, ideo honor qui Beatis datur propter hãc sanctitatem, totus dicitur in Deum referri: non quia ipsa excellentia increata Dei, sit proxima ratio, quæ ad hanc adorationem mouet, sed quia in eam tandem terminatur, & refunditur, ad eum modum, quo Christus Dominus dixit Matth. 10. *Qui recipit vos, me recipit*. Vel oritur à virtute religionis, vt quando coluntur propter perfectiones intrinsecas, quas dixi, & tunc religiosus dicitur, quia vt excellentia Sanctorum oritur ab excellentia diuina, estque participatio quædam illius, ita etiã virtus, qua coluntur Sancti, oritur ex virtute religionis, eamque semper comitatur. Tertia causa est, quòd cultus Sanctorum valde coniunctus sit cum cultu diuino, & rebus sacris & ad religionem & cultũ Dei spectantibus perficiatur; vt patet ex traditione Ecclesiæ, quæ Sanctos colere consueuit, dicãdo Deo, in eorum memoriam & honorem, dies sacros; qui licet primariò ad cultum Dei destinentur, tamen in honorem Sanctorum redundant. Deinde honorat Ecclesia Sanctos templis Deo dicatis, quamquam enim primariò hæc ad Deum referãtur, cui in illis sacrificium offertur, & vt sic templa, vel altaria dicãtur; secundariò verò in memoriam aliquorum Sanctorum, vel ad eorum reliquias honorificè seruandas instituta sunt, & vt sic vocari solent, *Basilica*, siue *memoria Martyrum*, & Chrysost hom. 28. ad populum, *Domos regias, oratorias ædes, & Martyrum monumenta appellat*. Vnde Damasc. lib. 4. cap. 16. *An non*, inquit, *honorandi sunt, qui totius humani generis patronos se profitentur? Honorandi quidem, & ita certè, vt in eorum nomine templa Deo extruamus, dona offeramus, eorum memorias colamus, atque in eis spiritualiter oblectemur*. Et hanc fuisse perpetuam & Apostolicam traditionem constat ex Epiphan. hęres. 69. Ambros. lib. 1. epist. 5. August. lib. 1. de Ciuit. cap. 1. Greg. 2. dialog. cap. 8. & lib. 3. ca. 14. & Leone primo serm. 1. de B. Petro & Paulo, ac denique ex VII. Synodo act. 6. tom. 1. Quam consuetudinem auctam, & illustratam potissimum fuisse à temporibus Syluestri, & Constantini vulgare est, tum

Leontius. Matth. 10. Chrysost. Damasc. Epiph. Ambros. August. Greg. Papa. Leo Papa. VII Synod.

tum ex ijs, quæ in 1. tom. Concil. de Syluestro & Constantino referuntur, tum ex omnibus Ecclesiasticis historijs, tum etiam ex antiquis monumentis, quæ oculis cernũtur, quæ tam multa sunt, totque miraculis confirmata, vt ex errore aliquo, vel falsa traditione opinionem, quæ de illis habetur, profectam esse, incredibile sit. Vnum tantùm libet adscribere miraculum ex Greg. Nazianzeno orat. 3. quæ est 1. contra Iulianum. Is enim habens sermonem de tempore, quo Gallus & Iulianus, diuersis quidem studijs, eadem tamen religionis signa præbebant, sic inquit, *Iam sumptuosissimis quoque Martyrum monumentis, & votiuorum donorũ munificentijs, omnibusque alijs rebus, quibus diuinus timor insignitur, sapientiæ studium, Christique amorem declarabant: alter quidem verè, & seriò pietatem profitens, alter autem tempus redimens, ac sub mansuetudinis specie atque obtentu morum prauitatem occultãs; quod quidem ex eo conijcere licebit: (neque enim miraculũ, quod tunc accidit silentio præterire queam, vtpote memoriâ in primis dignum, atque eiusmodi, vt impiorum multis documento esse possit) Martyribus (vt diximus) ambo laborabant, munificentiaque, & liberalitate præclarè inter se contendebant, tũ multarum manuum operâ, tum multis expensis ædem sacram extruentes. Verum, quoniam non pari voluntate, animique instituto in hoc opus incumbebant, idcirco neque in eundem finem labor vtrique progrediebatur. Etenim alterius, hoc est fratris natu maioris, opus perficiebatur, atque ex ratione procedebat, Deo videlicet munus illud libenter admittente, velut Abelis sacrificium rectè & oblatum, & diuisum: atque hæc oblatio veluti quædam primogeniti consecratio erat. Alterius autem munus, non secus ac Cain sacrificium Deus martyrum repudiabat. Itaque ille quidem laborabat; sed terra, quod elaboratum fuerat, excutiebat. Ille vehementius adhuc obnitebatur: hæc hominis ægrâ pietate præditi fundamenta capere detrectabat, tanquã terræ motum eum, quem ipsius scelus allaturum erat, clamans, ac per impijssimi hominis dedecus, martyres honore afficiens.*

Greg. Nazian.

8. Dices demum, quamuis hæc certa comperiam, tamen scrupulus adhuc restat, quem tolli vellem, népe quòd Angelus Apocal. 19. recusauerit adorationem Ioannis. Et Petrus honorem sibi à Cẽturione exhibitum Act. 10. Respondeo hæc nihil derogare prædictis. Nam Angelus recusauit illum honorem, vt ait August. quæst. 61. in Genes. quia circa personam Ioannis errabat, existimãs esse Deum, & sic cultum latriæ illi exhibebat: quod verisimile videtur cum in veteri Testamẽto eam adorationem Angeli admiserint, vt Genes. 18. Ios. 5. & alibi.

Apo. 19. Act. 10. August. Genes. 18. Ios. 5.

Vel Angelus ex quadam vrbanitate, vel ex singulari reuerentia assumptæ humanitatis à Deo, honorẽ duliæ recusauit, vt aiunt Rupertus lib. 10. in Apocal. & Beda cap. 19. Bonau. in 3. dist. 9. ar. 1. quæst. 5. & Gregor. Mag. hom. 8. in Euang. vbi talem dat rationem, quare in veteri testamento orationem admiserint, in nouo recusent: *Quid est*, inquit, *quod ante redemptionis aduentum ab hominibus adorantur, & tacent: postmodum adorari refugiunt: nisi quod naturam nostram quam prius despexerant, postquam hanc super se assumptam conspiciunt, prostratam sibi videre pertimescunt? nec iam sub se velut infirmam cõtemnere ausi sunt, quam super se in cæli Rege venerantur, nec habere dedignantur hominem socium, qui super se adorant hominem Deum.*

Rupertus. Beda. Bonau. Greg. Mag.

Vel denique, vt notauit Ribera. *Quoniam præter dignitatem, quæ hominibus accessit, assumente filio eorum naturã, hac quoque magna est, ministros Christi esse eos, & Prophetas, & Euangelicæ doctrinæ nuntios, tum etiam propter hanc doctrinam vexari ab inimicis Christi: conseruus, inquit, tuus sum, & fratrum tuorum habẽtium testimonium Iesu.* Et cap. 22. *Conseruus tuus sum, & fratrum tuorũ Prophetarum, & eorum qui seruant verba huius libri. Ac si dicat, mihi summè honorificum est, Christi ministrum esse, & eius mysteria tibi nuntiare. Cum tu igitur & fratres tui mihi pares sitis in eo, quod mihi gloriosum est, id est, in reddendo testimonium Iesu Christi, nolo vt me adores, Deum potius adora, à quo ego, & tu tantũ honorem accepimus. Itaque in honorem*

Ribera.

Christi,

Christi, non vult adorari à Ioanne, quasi ostendens quanti faciat Christum, cum tanto honore eius amicos fideles prosequatur, & faciat illud Ps. 136. Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus. Accedit quòd cum de beatitudine loquatur, in qua homines æquales Angelis erunt, rectè & hoc ostendit, conseruus Ioãnis, & æqualis vocari vult potius, quàm adorari. Huc vsque Ribera.

Ps. 136.

Chrysost. Quantũ ad Petrũ insinuat Chrysost. hom. 23. in Act. Corneliũ rectè fecisse Petrum honorando, & adorando, & Petrum modestè etiam, & humaniter egisse adorationẽ recusando, atque ita ex vrbanitate quadã. Vnde nihil hæc loca præiudicãt honori Sanctorum, quia eos non honoramus indebito honore, seu vt Deos, sed vt diuinitate quadã à Deo glorificatos; & cũ eos veneramur & colimus, non tam ipsos honoramus, quàm gratiã & gloriam, siue illã diuinitatem, quæ in ipsis à Deo est: vt herbas, & vniones amamus propter insignem virtutem, flores propter pulchritudinem illis à Deo naturæ auctore inditã: sic illos quoq; propter gloriã, quâ Deus illos dignatur, cultu colimus cõgruente. Et sic in omniũ Sanctorum cultu rectè & piè dicimus, quod Nazianzenus in laudatione Athanasij: *Athanasiũ laudans, virtutem laudabo: virtutem laudans, Deũ laudabo, à quo virt⁹ ad homines promanat*. Et quidẽ id ad Prophetę mentẽ: *Laudate Dominũ in sãctis eius*: qui tamẽ omnia refundunt ad Deũ: *Non nobis Domine, nõ nobis, sed nomini tuo da gloriam*. Nazianz.

9. Restat inquirere an liceat quosuis sanctos colere? Respondeo non licere publicè colere aliquẽ Sanctũ hoc tẽpore, nisi Canonizatũ à summo Pontifice, etiamsi miracula faciat, vt patet capit. 1. & 2. de reliquijs & Sanctorum veneratione. Si verò quis aliquo modo certam de felicitate quorundam iustorum habeat fidem, quamuis humanam, eos priuatim licebit venerari: id enim prædictis locis non est inhibitum, modo absit scandalum.

Discursus XLIX.

An repugnet huic Præcepto Sanctos inuocare?

Ps. 49. PSalmo 49. dicit Propheta nomine Dei: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me*. Quibus verbis indicat Deũ honorari à nobis quãdo inuocatur. Quæritur autẽ, an cũ illi⁹ inuocatione, etiã subsistat inuocatio Sãctorũ? quãdoquidẽ Deus Exod. 20. dixit: *Non habebis Deos alienos coram me, &c. non adorabis neque coles*.

Exod. 20.

1. Sanctorum inuocationem huic præcepto non repugnare, sed licitã esse, clarum est ex sacra Scriptura. Verũ quia Caluinus lib. 3. instit. cap. 20. multum cõtra hãc debacchatur, & in Scripturis nullã de ea fieri mẽtionẽ liberè effutit, per verba Num. 21. *Deinde quis vel Angelus vel dæmon vlli hominum de huiusmodi, quã fingunt ipsorum intercessione, syllabam vnquam renuntiauit: in Scriptura enim nihil extat*. Propterea, inquã, libet in medium proferre eos, qui Spiritu Sancto inspirante de hac inuocatione nobis scripto reliquerunt. Primò occurrit Moyses, qui in lib. Genes. cap. 18. declarat Abrahamũ ante pedes Angeli orasse pro liberatione Sodomitarum, & dixisse: *Obsecro ne irascaris Domine si loquar adhuc semel*. Genes. etiam 19. clarum est Loth inuocasse Angelum Dei non semel: quia cùm intercessisset pro vrbecula Segor, vt eam seruaret quasi refugiũ & asylũ sibi, respondit Angelus: *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem, pro quã locutus es*. Hæc enim verba clarè innuunt, Loth tunc & antea Angelum inuocasse. Iacob Petriarcha 31. cap. Genes. luctans

Num. 21. Genes. 18. Genes. 19.

luctās cum Angelo noluit Angelum dimittere, nisi prius illi benedixisset, quam benedictionē non est assecutus, nisi præuia inuocatione, quæ licet eo loci nō sit expressa, Propheta tamē Oseas id declarat factū c. 12. in verbis: *Et inualuit ad Angelum & cōfortatus est, fleuit & rogauit eum.* quod idē est ac si dicat: ex reuelatione Dei, Iacob timēs fratrem suum Esau, cōtra se venientem cū quadringentis armatis, luctans cum Angelo petijt ab eo supplex & flens benedictionē, vt illud fratris periculum ope ipsius Angeli euaderet. Hunc morē seruauit vsque ad mortē Iacob, nam morti proximus, benedicēs filijs Ioseph inuocat primò Deū, vt filijs illius benedicat, tū Angelū custodē, vt & ille ipsis benedicat, in verbis, Genes. ca. 40. *Benedixitq; Iacob filijs Ioseph, & ait: Deus in cuius cōspectu ambulauerūt Patres mei, Abrahā & Isaac: Deus qui pascit me ab adolescentiā meā vsque in præsentē diē: Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* B. Iob vir sincerus & rectus ac timēs Deū cap. 5. scribit de seipso quod Eliphas amicus eius sustinēs Iob ob peccata sua puniri, illi suaserit inuocare Angelum, vt ipsi illud reuelaret, in verbis: *Voca ergo si est qui tibi respondeat, & ad aliquē Sanctorum cōuertere,* id est iuxta expositionē D. Thomæ: *Si meis dictis fidem nō adhibeas vel nō satis perspicis quæ dixerim, pete à Deo, vt te verā rectāq; sententiā instruat, & quò facilius obtinere possis, ad aliquem Sanctorum te conuerte, qui te quoque sua oratione & intercessione adiuuet: vel potius ad rem ipsam. Satius tibi erit humiliari sub potenti manu Dei, & adhibere Sanctorum inuocationem, & preces, qui Deum tibi iratum placent, & concilient.* Neque hanc exhortationē vt peregrinā aut superstitiosam reiecit Iob, sed ei se conformauit, cū cap. 19. inuocās Angelos, iuxta Septuaginta, & alios, dixit: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me* Confirmatur ex cap. 33. v. 23. vbi dicit Eliu: *Si fuerit pro eo Angelus loquens vnus de millibus vt annuntiet hominis æquitatem, miserebitur eius, & dicet, Libera eum.* id est: Si fuerit aliquis Angelus ex millibus qui Deo ministrant, & obtulerit Deo hominis bona opera, Deus eius miserebitur, & dicet Angelo intercessori, Libera eum. Quid videtur? Nonne hæc testimonia contra Caluinum apertissimè conuincūt Angelorum inuocationem in Scripturis contineri, eamque gratā esse Deo? Quis ambigat?

Genes. 40. Iob 5. D. Thom. Iob 19. Iob 33.

2. Sed dices nusquam leguntur in veteri testamento, viuentes, Sanctorum defunctorū opē implorasse. Admitto, & respondeo id mirum nō fuisse, quia prēter Angelos, alij, quātumuis sanctissimi viri iā è viuis trāslati nō poterant audire preces nostras, eò quod cælum esset clausum vsque ad Christi aduentū: atqui hæc est differentia veteris & noui Testamenti, cur Angelos inuocarint, non homines vitâ functos: quia illi Deū videbant, hi non item. Quod clarè colligitur ex D. Pauli epist. ad Hebr. 11. v. 13. vbi de Sanctis veteris Testamenti sic ait: *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes.* Et infrà vers. 39. *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur.* Ex quibus verbis manifestè cōstat, Noë, Abraham, & alios sanctos veteris testamenti, non statim post hanc vitā accepisse præmium æternæ beatitudinis, quod illis promissum erat, sed debuisse exspectare aduentum Christi. Et ratio duplex est. Vna, quia Deus non voluit quemquā admittere ad statum beatitudinis, nisi prius persolutum esset pretium, quo per Christum redempti sumus è statu seruitutis, & ad statum filiorum Dei adoptati. Hoc autem pretium nō fuit persolutum, nisi in morte Christi: tunc enim sanguis eius pro nobis effusus est. Ergo tunc primùm potuimus admitti ad statum beatitudinis.

Hebr. 11.

Hoc sensu dixit Hieron. in ep. ad Dardanū: *Sanguis Christi clauis paradisi est.* Et ibidē: *Hæc est terra viuentium, in qua sāctis viris bona Domini Saluatoris, nec Abrahā, nec Isaac, nec Iacob, nec Propheta, & alij iusti viri consequi potuerunt.* Quo etiam

Hieron.

Hebr. 9. etiam spectat illud Hebr. 9. v. 15. *Ideo noui Testamēti mediator est* (nēpe Christus) *vt morte intercedēte in redemptionē earū preuaricationū, quæ erāt sub priori testamento, repromissionē accipiāt, qui vocati sunt æternæ hæreditatis.* Et c. 10. v. 19. *Habētes itaq. fratres fiduciā in introitu Sāctorum, in sāguine Christi, quā initiauit nobis viam nouā & viuentē per velamen, id est, carnē suam.* q.d. Christus parauit nobis viā nouā ad cælum, quod antea clausū erat propter prǣuaricationē Adæ. Altera verò ratio est, quia non decebat, vt Sancti veteris Testamēti prius adirent hæreditatem, quàm Sancti noui Testamenti, sed potius vt exspectarēt, *ne sine nobis consummarentur,* vt ait Apostolus.

Et cap. 10.

3. Nihilominus multa suppetunt, quæ ostendūt Deum tunc temporis propter piorū tū defunctorū, tū etiā viuorū pietatē multa beneficia promisisse & præstitisse. Exod. enim 20. c. Deus promisit se propter virtutes & laudabilia facta parentū defūctorum propitiū fore posteris, cum dicit se vsurum misericordia vsque ad millesimā generationem eorum qui diligunt eū, in verbis: *Ego sū Dominus Deus tuus fortis Zelotes &c. faciens misericordiā in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Et 4. Reg. 19. Deus propter merita Dauidis iā diu defūcti dicit se protecturum ciuitatem Hierusalem, in verbis: *Propter me & Dauid seruum meum protegam ciuitatē hanc.* Imò teste Chrysostomo pluris fecit Deus merita Dauidis defuncti, quā preces Ezechiæ Regis iusti adhuc superstitis. Sic enim ait hom. 2. in Ps. 50. *Videtis charissimi, quanta est pænitentiæ virtus, & cōuersionis ad Deum ab operibus malis. Hic enim S. Dauid non solum, cum in corpore esset, placuit Deo, sed & post mortem suam viuis inuenitur magnum præstitisse solatium. Contigit namque Ezechiæ Regi inimicas in tēporibus Iudæorum gentes circumuallasse Hierosolymam. Et cum esset Ezechias vir iustus rogabat Deum & prostratus lachrymis deprecabatur, vltionem de aduersarijs postulās. Venit ad eum Isaias Propheta, & dicit: Ne putaret ille quia iustitiā suā exauditus est: & certe iam defecerat Dauid, & habebat multos annos requiescens. Quid ergo dicit ei? Protegā ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid seruum meum. Dauid mortuus est, & merita eius viuent: O rem admirandā! O ineffabilis Dei clementia! homo mortuus viuo patrocinatur. O iustorum & post consūmationem inexpugnabilis pugna virorū.*

Exod. 20.

4. Reg. 19.

Chrysost.

4. Ex hoc capite credo motos fuisse viros Sāctos, quādo graue peccatum Dei vindictā vrgebat, iuxta orationes suas, merita defunctorū Deo allegare. Vti Moyses qui Exod. 32. intercedens pro populo, hoc modo orauit: *Quiescat,* inquit, *ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui: recordare Abraham, Isaac, & Israel seruorū tuorum.* Et tres pueri, dum in Babylone considerabant se propter peccata populi, quocum in exilium venerāt, fornacis ignē subire: *Ne quæsumus tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne dissipes testamentum tuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuū, & Isaac seruū tuum, & Israel sanctum tuum.* Daniel. 3.

Exod. 32.

Daniel. 3.

5. Deinde Deus etiam viuentium precibus voluit placari tempore offensæ, quāuis enim pronus sit ad misericordiam, tamen alijs parcere nō vult, nisi piorū intercessione pacatus: vt patet, Genes. 20. vbi Deus noluit Abimelechum liberare à morte & plaga, qua domū eius percusserat, nisi Abraham oraret pro eo; hoc innuunt verba: *Nunc ergo redde viro suo vxorem, quia Propheta est, & orabit pro te, & viues.* id est, orabit & exorabit vt cesset ista plaga tua, quia vir sanctus est, cū quo scilicet Deus familiariter agit & loquitur. Et Iob. 42. vbi noluit amicis eius peccatū remittere, quo non erāt rectum locuti coram Deo, nisi Iob pro eis sacrificante & orāte. Sic enim iussit: *Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad seruum meū Iob, & offerte holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis. Faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia, neque enim locuti estis ad me recta; sicut seruus meus Iob.* Et Et Exod. 32. Deus expresse hanc occasionem expectauit, vt aliquis intercederet pro populo, qui vitulum aureum adorauerat, ideoque dixit

Genes. 20.

Iob. 42.

Exod. 32.

Moysi: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos.* Quæ verba perpendēs S. Gregorius, inquit: *Quid est aliud, dimitte me, quam deprecandi ansam præbere?* Et S. Hieron. in 13. Ezechielis: *Sententia Dei Sanctorum precibus frangitur.* Vnde idem est ac si diceret: peccauit grauiter populus tuus, qui veniam non meruit, sed punitionem; verum vt ostendam immensam clemētiam meam, volo te ô Moyses sequestrum & deprecatorem pro eis intercedere, vt hac ratione nonnihil placatus, mitius cum illo agam. Et Ezech. 22. Hierosolymâ criminibus inundāte, ita vt exitium mererentur inhabitatores eius, dicit Dominus: *Quæsiui de eis virū, qui interponeret sepem, & staret oppositus cōtra me pro terra, ne dissiparem eam, & nō inueni.* id est quæsiui aliquē ex illa gente, quam dixi tanta plaga dignam, qui orationem funderet ad me placandum, ne populum disperderem. Atque hanc existimo rationem quare in libro Leuitici post cōtritionem ad sacrificia pro peccatis, pro auertēda pœna tēporali frequēter adiungatur, *orabitque pro eo Sacerdos.* Quin etiam quòd Israëlitæ resipiscentes ab idolorum insania, iustorum viuentiū preces flagitauerint, vt 1. Reg. 8. egerūt Israëlitę erga Samuelem precātes: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominū Deū nostrum, vt salues nos de manu Philistinorum.* Et Iudic. 8. seniores Bethuliæ contendunt ab Heroina Iudith: *Ora pro nobis, quia mulier sancta es.* Et tempore captiuitatis Babilonicæ, qui residui erant in Iudæa sic Ieremiā obtestabantur, c. 42. *Cadat oratio nostra in conspectu tuo, & ora pro nobis ad Dominum Deum tuū, pro vniuersis reliquijs istis: quia derelicti sumus pauci de pluribus, sicut oculi tui nos intuētur.*

Gregor. | Hieron. | Ezech. 22. | 1 Reg. 8. | Iud. 8. | Ierem. 42.

6. Porro Apostolus etiā, licet cœlo iam reserato per Christi sanguinē & resurrectionem, & licet vir esset à Deo multis honoribus cumulatus, credidit iustorū viuētium opē multū esse proficuā ad bene decurrendum cursum suū. Et inde preces eorū flagitauit, vt ad Coloss. 1. vbi eos rogauit vt orarēt pro ipso, quatenus Deus aperiret illi ostium sermonis ad loquēdum mysterium Christi, in verbis: *Orātes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquēdum mysteriū Christi.* id est vt det nobis apertum & liberū os, fiduciam & audaciā prædicandi, etiāsi in vinculis constitutus & coarctatus sim. Et 2. ad Thessal. 3. preces eorum contra Euangelij hostes implorat, dicens: *De cætero fratres orate pro nobis, vt sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos: & vt liberemur ab importunis & malis hominibus,* quales tūc erant Iudaizātes, & similes, qui vbique concitabāt plebē contra Paulum. Et 1. ad Tim. 2. vult tam Episcopum Timotheum, quam Christianos sæculares in quouis loco Deo dicato orare pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt; vt scilicet à Deo gratiam bene & pacificè regendi illis impetrarent, vtque Deus eo modo flecteret, & dirigeret eorū animum, & regimē, quô proficuum erat Ecclesiæ, eiusq; paci & tranquillitati: quin etiam vt ipsi ab impietate, traducātur ad fidē & pietatem. Quod innuunt verba: *Hoc enim bonum est & acceptum coram Deo, qui omnes homines vult saluos fieri & ad agnitionem veritatis peruenire.* Ad hęc Apostolus Iacobus hortatur vt vicissim salutem nostram sic promoueamus, dicens: *Orate pro inuicem, vt saluemini.*

Coloss. 1. | 2. Thess. 3. | 1. Tim. 2.

7. Quæres quid ex supradictis inferā. Respōdeo primò inuocationē sanctorum hominum qui ad cælestia migrarunt nunc æquè gratā esse, atque fuit inuocatio Angelorum. Ratio est, quòd post hanc vitam iusti in cælo sint sicut Angeli Dei, vt Christus dixit Matth. 22. Rursum quòd sicut illi sunt administratorij spiritus missi in ministerium eorum, qui hæreditabunt salutem, sic Beati habebunt potestatem viuentes iuuandi post hanc vitam. Ita enim Christus promisit, quòd faciet Sanctos columnas in templo Dei sui, Apocal. 3. in verbis: *Qui vicerit, faciam illum columnam in tēplo Dei mei,* qui locus dupliciter exponitur ab interpretibus. Primò quasi hæc promissio pertineat ad statum

Matt. 22.

tum præsentis vitæ, & promittatur persecutionibus non cedenti, sed semper fidem & pietatem tenenti, aduersus vitia & errores donū perseuerantię, quo munitus instar columnæ minimè loco dimoueri possit, habeatque in se fortitudinem ac firmitatem, quâ imbecilliores prætereà valeat sustinere. Hanc sustinet Richardus de S. Victore, dum ait: *Faciam illū columnam in templo Dei mei, id est, efficiam vt instar columnæ sit in se firmus per fidem, rectus per æquitatem, erectus per intentionem, sublimis per contemplationem. Et præterea alios sustentet verbo consolationis, suffragio orationis, exemplo actionis.* Altera expositio hāc promissionem refert ad statum, futuræ gloriæ, in quo beati sunt veluti columnæ quędam firmissimæ, nulli iam mutationi subiecti, quam tenet Venerabilis Beda, & probabilior est altera, quia sequitur post verba citata: *Et foras non egredietur amplius.* q. d. Non est rediturus ad statum quem habebat, cùm necdum erat beatus. Quemadmodum igitur in hoc sęculo Apostoli columnæ vocabantur, quia alios iuuabant vt dicitur, ad Galat. 2. per verba: *Cum cognouissent gratiam quæ data est mihi, Petrus, & Iacobus & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, & Barnabæ societatis.* Ita multò magis in cœlum recepti, Sancti Dei columnæ vocātur, ad modum sententiæ Richardi de S. Victore: Et eodem cap. dicuntur Sancti iuxta Ambrosiū & Haymonem sessuri ad iudicandum cum Christo, in verbis: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cū Patre meo in throno eius.* Ad hęc Apocal. 2. dicitur quòd semper custodienti mandata Dei potestas dabitur super Gentes, in verbis: *Qui vicerit & custodierit opera mea vsque in finem, dabo illi potestatem super Gētes, & reget eas in virga ferrea,* id est virga inflexibili, seu iustissima, quæ Ps. 44. dicitur: *Virga directionis, virga regni tui.*

Richardus.

8. Secundò infero ex his magis gratas apud Deum esse defūctorum preces, quas postulamus pro viuentibus, quā viuentiū pro viuentibus, quas scimus tantopere flagitatas; tū quòd defunctorum preces sint Deo gratiores: quia, vt traditur Apocal. 8. *Oratio sanctorum est sicut fumus incensorum coram Deo,* & tantò vtilior, quāto oratio securi de suâ salute apud Deum est magis accepta. Tum etiā quia Deo sic disponente Sanctorum prædestinatio efficaci⁹ iuuatur precibus defunctorum. Hinc Augustinus lib. Medit. cap. 24. sic compellat Sanctos: *Obsecro vos per vestram charitatem, qui securi estis de vobis, solliciti estote de nobis: securi estis de vestra immarcescibili gloria, soliciti estote de nostra multiplici miseria. Per ipsum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, estote iugiter memores nostri, subuenite nobis miseris, qui adhuc in salo huius vitæ circumstātibus agitamur procellis. Date manum, & erigite iacentes super pedes; vt conualescentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello. Intercedite, orate constanter pro nobis miseris, multumq; negligentibus peccatoribus, vt per vestras orationes vestro sancti consortio coniungamur.* Et protinus addit: *Quia aliter salui esse nō possumus.* Possem addere multas Patrum sententias, sed sufficit traditio & consuetudo Ecclesiæ, quę est columna & firmamentum veritatis. 1. Tim. 3. quæque sess. 25. Conc. Trid. *mandat Episcopis omnibus & cæteris docendi munus curamq; sustinentibus, vt iuxta Apostolicæ, Catholicæ vsum à primæuis Christianæ religionis temporibus receptum, sanctorum Patrum consensionem, & Sacrorum Conciliorum decreta, in primis de Sanctorum inuocatione, intercessione &c. fideles diligenter* instruere, docendo vtile esse Sanctos inuocare, ad eorum orationes, opē auxiliumque ob beneficia impetrāda à Deo per Iesum Christum cōfugere; & dicentes inuocationem Sāctorum esse idololatriam, vel pugnare cum Dei verbo Sanctos inuocare, omninò damnandos esse.

Apoc. 8.

August.

Conc. Trid.

9. Certè Dominus hanc doctrinā ita manifestā voluit, vt eā miraculis confirmarit, quæ videre licet apud Augustinum lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 8 & alios. Vt breuis sim vnum & valde famosum dūtaxat adscribā

August.

ex D. Bernardo, qui, vt auctor eius vitæ lib. 3. cap. 5. scribit, dum quidã apostata Hericus rideret orationes, oblationesque pro mortuis, Sanctorum inuocationes, & alia multa; & sic infecisset populum; vir sanctus illum restituere volens, nutantia corda per concionem roborauit, errantes reuocauit, & subuersos reparauit; concione peractâ miraculo doctrinam confirmauit. De quo sic dictus auctor. *Est locus in regione eadẽ, Sarlatum est nomen illi, vbi sermone completo plurimos ad benedicendum panes, sicut vbique fiebat, Dei famulo offerebant. Quos ille eleuat à manu, & signo crucis edito in Dei nomine benedicens: In hoc, inquit, scietis vera esse quæ à nobis, falsa quæ ab hæreticis suadentur, si infirmi vestri gustatis panibus istis adepti fuerint sospitatẽ. Timens autem venerabilis Episcopus Carnotensium magnus ille Gaufridus, siquidẽ præsens erat & proximus viro Dei, si bona (inquit) fide sumpserint, sanabuntur. Cui pater sanctus de Domini virtute nihil hæsitans, non hoc ego dixerim, ait, sed verè qui gustauerint, sanabuntur: vt proinde veros nos & veraces Dei nuntios esse cognoscant. Tam ingens multitudo languentium gustato eodem pane conualuit, vt per totam prouinciam verbum Dei diuulgaretur, & vir sanctus per loca vicina regrediens, ob concursus intolerabiles declinauerit, & timuerit illò ire.*

Rursum nota hæc miracula facta esse non ob merita Bernardi, neque ob fidem aut deuotionem populi, sed dumtaxat ad confirmationem veritatis: hoc exprimunt verba, *Sed verè, qui gustauerint, sanabuntur.*

10. Verum enimuerò dices, quãuis comperiam hoc esse dogma verę fidei, tamen obstrepunt aduersarij in Scripturis haberi, *Dominum Deum tuũ adorabis, & illi soli seruies.* Et Christũ Ioan. 16. dixisse discipulis: *Si quid petieritis Patrem meum in nomine meo, dabit vobis.* Ioan. 16.

Respondeo per hoc non excludi Sanctorum inuocationem. Priori enim loco nihil vult Scriptura, quàm Deum solum orandum esse, tanquã auctorem supernaturalium donorũ: non autem, Sanctos non esse inuocandos vt amicos & patronos apud Deum. Quia tunc temporis passim sic Angeli Dei inuocabantur, vt superius probatum est. Posteriori verò loco Christus discessurus ex hoc mundo ad Patrem, consolatus est discipulos suos, quòd illis non deesset, etiam si ascẽderet ad cælũ, & ad hoc docuit nouũ orandi modũ valde efficacem obtinendi quidquid in nomine ipsius à Patre peterent. Nouum, inquam, modum prius Iudæis non cognitum, duabus de causis. Quarum prior erat quòd antea fidẽ Trinitatis distinctam non habebãt, hæc enim fides est Christianorum propria, vt dicit Basil. lib. 2. con. Eunom. Et Cyril. lib. 9. in Ioan. cap. 30. Non ergo poterant petere in nomine filij Patrem, qui nondum notitiã habebant filij, licet aliqui primores, vt Prophetæ, Patriarchæ petierint aliquid in nomini Christi, quia illi fidem habuerunt distinctam Trinitatis, & Christi venturi, non autem Iudæi in communi. Altera est, quia erant in statu seruorum, & nondum adoptionem filiorum perfectam receperant. Galat. 4. *Quamdiu hæres paruulus est, nihil differt à seruo.* Rom. 4 *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore.* Non ergo petere poterant à Patre, sicut nos docuit Dominus. Matth. 6. *Pater noster, qui es in cælis.* Basilius. Cyril. Galat. 4. Rom. 4. Matt. 6.

11. Dices iterum D. Paulus 1. ad Timoth. 2. dicit vnum esse mediatorem, his verbis: *Vnus est Deus, vnus est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* 1. Tim. 2.

Respondeo tribus modis quempiam posse dici mediatorem, & reconciliare duos dissidentes; vno modo declarando vter iustum petat; altero modo, soluendo creditori pro debitore; tertio modo orando creditorem vt debitum remittat. Primus modus locum non habet apud Deum, quia constat eum iuste offẽsum. Secundo modo solus Christus est mediator Dei, & hominum, & hoc modo loquitur Apostolus, quia subdit: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Et hæc est vna causa cur Christus dicatur solus mediator.

tor. Altera verò est, quia non solum est mediator ratione officij, sed etiam naturæ, quia Deus & homo est, id quod erat necessarium ad reconciliandum hominem Deo. Quam rationem reddunt ferè omnes Patres in dictum locum. Tertia causa est, quia solus Christus, ita mediator est, vt ipse nullo mediatore indiguerit, quod indicat Apostolus ad Hebr. 7. *Accedit per semetipsum ad Deum semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Hinc Sancti defuncti tales mediatores dici non possunt.

Hebr. 7.

12. Verum tertio modo, ex suprascriptis tribus, verè dici possunt mediatores. Probatur Deutron. 5. vbi Moyses dicit de se: *Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo*: quia videlicet pro populo ad Deum locutus est, & pactum Dei ad populum detulit. Vnde illis verbis alludens Apostolus Galat. 3. dicit legem veterem ordinatam fuisse per Angelos *in manu mediatoris*, id est Moysis. Et Hebr. 9. & 12. vocat Christum mediatorem noui testamenti ad distinctionem Moysis, qui fuit mediator testamenti veteris. Sic Cyrillus lib. 12. thesauri cap. 10. vocat Apostolos, & Prophetas mediatores: quicumque enim interuenit inter duos, vt alter alteri concilietur, vel aliquid alteri ab altero impetretur, recte dicitur mediator inter illos.

Deut. 5. Galat. 3. Hebr. 9. & 12. Cyrillus.

Colligitur secundò ex illo Hebr. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Quid est hoc aliud, quàm Pontificem pro hominibus hominumque peccatis esse mediatorem ad Deum constitutum? Immo Apostolus 1. Timoth. 4. vers. vlt. vocat Timotheum Saluatorem, quod longe maius est, quàm mediator: *Hoc*, inquit, *faciens*, *teipsum saluum facies*, *& eos qui te audiunt.* Quid enim aliud est saluum facies, quàm eris saluator? Et hoc sensu Sanctos pro nobis orantes vocat mediatores Nazianzenus orat. ad Gregor. Nyssen. Hieron. in c. 2. Malachiæ. Chrysost. libro 6. de Sacerdotio. Atque eiusmodi mediatio non aduersatur huic Præcepto, neque obscurat officium mediatoris Christi, nisi velis dicere Angelos, & homines viuos pro nobis intercedendo peccare, quod absurdum est, vtpote Scripturis contrarium.

Hebr. 5. 1. 1. Tim. 4. Nazianz. Hieron. Chrysost.

13. Dices denique Paulus ad Hebr. 4. instigat nos ad thronum Christi accedere, in verbis: *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Ergo non licet inuocare Sanctos. Sic enim solent per negatiua quidlibet inferre Nouantes.

Hebr. 4.

Respondeo hoc nihil referre, nam illud non est signum diffidentiæ: quia per Sanctos ad thronum gratiæ Christi cum maiori fiducia accedimus; quod magis pium est, nec vllatenus improbandum; nisi velimus Paulum peccasse, quod post ascensionem Christi in cælos, implorauerit auxilium aliorum Rom. 15. & locis citatis, & fatuos esse qui in hoc sæculo per Nobiles Principum fauorem sibi conciliant.

Rom. 15.

Discursus L.

An sanctorum inuocatio sit inutilis?



SAtis, superque dixisse videbar de inuocatione Sanctorum, demonstrando illam licitam esse. Verum Nouantes, vt illam eneruent, negant sanctos pro nobis orare, nostrasque preces cognoscere. Hinc inquiram, an hoc veritate nitatur? vt constet, an inuocatio Sanctorum sit vtilis.

1. Ex sacrâ Scripturâ clarum est aliorum preces Deo gratas esse, & vtiles ijs, in quorum gratiam funduntur. Vti patet ex precibus Loth fusis pro Segor, Genes. 19. Abrahami pro Abimelech, Genes. 20. Isaaci pro vxore sua, Genes. 24. Moysis & Araonis pro populo Israëlitico, Exod. 32. Eliæ pro impetrandâ pluuiâ, 3. Reg. 18. Et sic pro alijs euentus docuit vtiles esse. Ex quibus satis colligi debebat vtiles esse preces, quas Sancti inuocati à nobis pro nobis Deo offerunt. Sed Nouantes libenter quæuis quantumuis blasphema aduersus Ecclesiæ dogmata effutiunt, sicuti hæresiarcha Caluinus, qui in 1. ad Timoth. cap. 2. scribit esse mera deliria à cerebro humano conficta, falsam doctrinam sine vlla Scripturarum auctoritate fabricatã, si quis credat aut doceat Sanctos defunctos pro nobis intercedere.

Genes. 19. Genes. 20. Genes. 24. Exod. 32. 3. Reg. 18. Caluinus.

2. Ad huius & asseclarum confusionem, ac nostrã instructionem dico contrarium clarissimum esse in Scripturis, primò exemplo Angelorum, qui tum in genere, tum in specie orant pro hominibus in terrâ existentibus. Negotium enim eorũ gerunt, quorumque aliquis totius Ecclesiæ prouinciam subit, vt Michaël Archangelus, de quo cap. 12. Daniel. dicitur: *In tempore illo consurget Michaël Princeps magnus, qui stat pro filijs populi tui.* id est, Michaël qui nunc præest, & tuetur Iudæos tanquam fideles, populumque Dei, ac filios Patriarcharum tempore Antichristi exurget in prælium contra eundem, vt tueatur fideles & sanctos in tantis persecutionibus, atque tunc erunt. Et cap. 10. Gabriel vocat Michaëlem vnum de principibus primis, id est primum principũ, supple Archangelorum, qui ipsi Gabrieli agenti causam Iudæorum venit in adiutorium. Isque creditur ille, qui Abrahę gladium continuit, ne filium occideret, & in eo benedixit omnes gentes. Qui Moysi legislatori pascenti oues apparuit totus igneus in medio rubi, eumque vssit, sed non combussit, designans Iudæos sub Pharaone afflictos non perituros, mysticè B. Virginis partum, & generationem Dei hominis adumbrãs. Qui vice Dei legem dedit Hebræis in monte Sinai, Exod. 20. Qui Iosue apparuit stricto gladio cap. 5. cùm is aciem contra hostes dirigeret. Qui Gedeoni apparuit eumque adiuuit, vt cum trecentis militibus innumeros Madianitas profligarit, Iudic. 6. & 7. Qui centũ octuaginta millia Assyriorũ 4. Reg. 19. in castris Sennacherib vna nocte occidit. Aliaque multa præstitit Ecclesiæ Iudæorum, & nunc præstat Ecclesiæ Christi. Quis dubitat, quin orationibus huic sit auxilio, præsertim cum officium Angelorum hoc muneris inter alia contineat, vt hominum viuentium preces Deo offerant?

Dan. 12. Cap. 10. Genes. 22. Exodi 3. Exod. 20. Iosue 5. Iudic. 6. & 7. 4. Reg. 19.

3. Horum verò alij singulis regnis ac prouincijs præfecti sunt, vt clarè colligitur ex cap. 10. Daniel, vbi tres Angeli principes introducuntur, quorum vnus erat princeps Persarum, alter Princeps Gręcorũ, tertius

Daniel. 10.

tertius Gabriel Princeps captiuorum in Perside. Idque oratione Danielis, qui orauerat pro liberatione Iudæorum è captiuitate Babylonica, in ieiunijs, sacco & cinere tribus septimanis; cuique apparuit Angelus Gabriel dicens exauditas esse preces eius à die primo, quo applicuerat animum ad affligendum se per abstinentiam. De qua vers. 3. *Panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, sed neque vnguento vnctus sum.* Porrò occurrens tacitè obiectioni, quam Daniel potuisset allegare, Si oratio mea die primo fuit exaudita, cur illicò ad me non aduenisti, cur exspectasti ad tres septimanas, subijcit idem Angelus: *Princeps regni Persarū restitit mihi viginti & vno diebus, & ecce Michaël vnus de Principibus primis venit in adiutorium meum.* id est, Ego fui impeditus propter resistentiam Angeli Persarum, qui contrarijs precibus & rationibus tua postulata, si non in totum, certè ex parte euertere conatus est. Erat autem hæc resistentia illa quædam concertatio Gabrielis & Angeli Persarum, vbi Iudæi erant captiui. Gabriel pro suis Iudæis orabat Deum, vt omnes è Babylone in patriam reduceret, ne Babyloniorum idololatriâ, & vitijs inficerentur, (vti aliquos infici videbat) atque vrbem & templum restaurari curaret, iuxta promissa sua; vt ibi piè, securè & quietè Deo seruirent, quod tam instanter postulauerat, & assiduè postulabat Daniel, cum templi fabricam anno primo Cyri inchoatam, sed anno secundo eiusdem propter hostes interruptā & inhibitam fuisse audisset. Addebat, Iudæos esse populum Dei, & gentem ex omnibus ab eo electam & dilectam, ex qua nasciturus erat Messias. Allegabat merita Abrahę, Isaac, Iacob, Moysis &c. preces Ieremiæ, Ezechielis, Nehemiæ, Iesu, & aliorum tum viuentium, præsertim Danielis. E cōtrario Angelus Persarū orabat, vt Deus aliquos Iudęos in Babylone relinqueret ad Babyloniorum & Persarum conuersionem, vtque illi à Iudæis vnum verum Deum, eiusque cultum discerent; illudque Iudæis esse vtile, vtpote qui aduersis meliores fierent.

Rursum hæc pugna fiebat coram Deo, non digladiando, non verberando, sed precibus concertando, & à Deo definitiuam sententiam exspectando, quemadmodum Grammatici suum habent bellum Grammaticale, quo non verberibus sed verbis inter se confligunt, de vocibus ad rauim vsque decertant exspectantes decisionem à Magistro; sic eo loci quoddam est simile. Licet enim Gabriel sciret Deum exaudisse preces Danielis, eisque annuisse, tamen verebatur ne Angelus Persarum eas contrarijs rationibus & precibus saltem ex parte subuerteret, vnde causam Iudæorum seriò egit, & Michaëlem aduocauit Principem Ecclesiæ, qui venit illi in subsidium, quia meliorem causam tuebatur. Iam enim effluxerant septuaginta anni captiuitatis, quibus elapsis promiserat Deus, se Iudæos Babylone liberaturum, & mox his indicatis Danieli dixit vers. 20. *Nunc reuertar vt prælier aduersus Principem Persarum.* id est, Festino vt contra eum disceptem, & à Deo auditis vtriusque rationibus definitiuam sententiam pro te ô Daniel & Hebræis impetrem, non obstante etiam, quòd Angelus Græcorum pro suis contra Iudæos instet, in verbis: *Cum ego egrederer apparuit Princeps Græcorum veniens.* Timuit enim ne Angelus Græcorum faueret Angelo Persarum contra se & Hebræos, aut ne quasi tertius tragulam aliquam injceret, quâ retardaret aut diuerteret liberationē Hebræorū, simili aliquo modo, quo Angelus Persarum instabat. Certè qui tam instanter agunt causam suæ gentis, ostendunt se instantissimis precibus eam iuuare.

Si forte ambigua ex his sit tibi fides, considera quodnam Zachariæ prophetia ad horum confirmationē posteris reliquerit testimonium. *Zach. 1.*

Illic

Illic enim capite 1. Propheta videt Angelum stantem inter myrtheta, siue locum myrthis consitum, & orãtem, *Vsquequo tu non misereberis Hierusalem, iste iam septuagesimus annus est?* id est, Curô Domine, cum cæteræ gentes in pace & prosperitate degant, solos Iudæos finis turbari à Cambyse, à Samaritis, & alijs hostibus, qui vrbis templique fabricam hucusque impediuerunt? vsquequo differs misereri Ierusalem, quæ à paucis ciuibus Babylone redeuntibus habitatur, nec muris plenè, nec templo est septa? 1. Esdr. 5. vsquequo non efficis, vt ipsa aliæque vrbes Iudææ, ac præsertim templum in eâ restauretur? En *iam septuagesimus annus est*, desolationi eius à te decretus & præstitutus. Is verò Angelus exauditus audit Deum pacem & bona daturum, vt Hierusalem reædificetur, hostesque eorum perditurum. Hæc de oratione Angelorum in genere.

1. Esdra 5.

4. De Angelorum speciali protectione & custodia Scriptura Genes 48. Tob. 5. Act. 12. testimoniũ suppeditat. Quæ breuitatis causa prætereo adscribens dumtaxat illa, quibus patet Angelos specialiter orationem & aliorum eleemosynas offerre Deo, vt dignoscas Nouantes blasphemè & gratis effutire quod libet. Primò occurrit Angelus Raphaël, qui Tob. 12. illi dixit: *Quando orabas cum lachrymis & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, &c. ego obtuli orationem tuam Domino.* Actor. 10. fuit quidam Cornelius Centurio, qui in visu manifeste vidit Angelum Dei introëuntem ad se & dicentem sibi: *Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Quis dubitat, quin ipse obtulerit, quamuis Scriptura hoc non declaret?

Tob. 12.

Act. 10.

5. Probatur secundò etiam defunctos pro nobis orare ex 2. Machab. vlt. vbi Iudas Machabęus suos roborat contra Nicanorem eorum aduersarium Dei potentiam contemnentem; tum sermonibus optimis, tum nocturnæ apparitionis manifestatione, per quam vniuersos lætificauit: illa autem erat de Onia & Ieremia orantibus pro populo, quæ describitur, ibidem his verbis: *Erat autem huiuscemodi visus: Oniam qui fuerat summus Sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modestũ moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Iudæorũ. Post hoc & apparuisse alium virum ætate & gloriâ mirabilem, & magni decoris habitudine, circa illum. Respondentem vero Oniam dixisse, Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate, Ieremias propheta Dei. Extendisse autem Ieremiam dextram, & dedisse Iudæ gladium aureum, dicentem, Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israel.*

2. Machab. vlt.

Ibidem.

Et licet alia Scripturæ exempla non suppetant, quis ambiget omnes iustos hoc idem facere maximè, quia *charitas*, vt inquit Apostolus 1. Cor 13. *nunquam excidit*. id est, nunquam deletur ex animis beatorum, postquam è terris ad cælestia regna migrarunt. Ex quo cap. Hieronymus perpendens iustos pro alijs in hac vita orasse, sic philosophatur lib. 1. contra Vigilantium. *Si*, inquit, *Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti: quantò magis post coronas, victorias & triumphos?* Et continuo exempla producit, dicens: *Vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam: & Stephanus imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur. Et postquam cum Christo esse cœperint minus valebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex sibi ait in naui animas condonatas: & postquam resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro ijs, qui in toto orbe ad suum Euangeliũ crediderunt, mutire non poterit?*

1. Cor. 13.

Hieron.

Exodi 32.

Act. 7.

Act. 27.

Eodem modo ratiocinatur D. Bernardus multis post Hieronymum sæculis, serm. de S. Victore, vbi sic ait: *Nunquid cælestis habitatio animas, quas admittit, indurat, aut memoriâ priuat,*

Bernard.

uat, aut spoliat pietate? Fratres, latitudo cæli dilatat corda, non arctat: exhilarat mentes non alienat: affectiones non contrahit, sed extendit. In lumine Dei serenatur memoria, non obscuratur. In lumine Dei discitur, quod nescitur: non quod scitur, dediscitur. Superni spiritus illi, qui ab initio cælos inhabitant, nunquid quia incolunt cælos, despiciunt terras, & non magis eas visitant & frequentant? Nunquid quòd semper vident faciem Patris, ministerium euacuat pietatis? Omnes nihilominus administratorij spiritus sunt missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Quid ergo? Discurrunt Angeli, & succurrunt hominibus: & qui ex nobis sunt, nesciunt nos? nec norunt iam compati, in quibus passi sunt & ipsi? Qui dolores nesciunt, sentiunt tamen nostros, & qui venerunt de magnâ tribulatione, non recognoscunt iam in quo fuerunt? Scio qui dixit: Me exspetant iusti, donec retribuas mihi. Iustus est victor etiam exspectans nostram procul dubio retributionem. Non est ille pincerna Pharaonis, qui inuentam gratiam retinuit sibi, Prophetæ sui pariter & captiui minime recordatus; Minister Christi est, Christum sequitur. Non est ille oblitus suæ promissionis, nec socio passionis regni consortium denegauit. Non est discipulus contra Magistrum, non potest victor quidquam facere, nisi quod viderit magistrum facientem. Opera, quæ ille fecit, & iste fecit similiter. Iam cælos ingressus, quos & antè apertos beatis oculis suspiciebat, verè nunc reuelata facie speculatur gloriam Dei, absorptus quidem, sed non oblitus clamorem pauperum.

Heb. 1. Psal. 141. Genes. 40.

6. Porrò idem fecisse & facere alios Sanctos post Christi mortem, certissimum est: tum quia sunt similes Angelis, sapientiâ, charitate, potentiâ; neque sunt conclusi abditis quibusdam receptaculis, vt hæretici nostri cum Vigilantio somniant: sed possunt esse ibi, vbi placuerit, vt docet Hieronymus lib. contra Vigilantium in principio, vbi sic ait: *Si agnus vbique, ergo hi qui cum agno sunt, vbique* (id est vbicumque volunt) *esse credendi sunt: & cum diabolus & dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimia vbique præsentes sint; Martyres post effusionem sanguinis sui, arcâ operientur inclusi, & inde exire non poterunt?* Tum quia Scriptura docet, Sanctos post hanc vitam regere mortales, Apocal. 2. *Qui vicerit, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virgâ ferreâ.* Itẽ *esse columnas in templo Dei*, Apocal. 3. id est sustinere Ecclesiam. *Sedere cum Christo in throno*, eodem cap. id est, vnà cum ipso regere orbem.

Hieron. Apocal. 2. Apoc. 3.

7. Dices, iam satis probatum est Sanctos pro nobis orare, ac inuocationem esse vtilem. Sed quoad aliam obiectionem Sanctos non posse cognoscere nostras preces, velim instrui. Respondeo hoc æque certum esse, primò ex Scripturâ, quæ declarat Angelos scire pœnitentiam & conuersionem peccatoris. Nam Luc. 15. dicitur. *Gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pænitentiam agente*, Tob. 12. dicitur Angelus Dei orationes eius obtulisse coram Domino. 1. ad Corinth. 11. colligitur ipsos habitum & honestatem mulierum cognoscere in publicis conuentibus, vbi fit oratio. Nam Paulus ibidem ait: *Debet mulier potestatem habere supra caput propter Angelos*, id est, velamen, signum potestatis viri in fœminam; quod Paulus illis dicit conuenire, quòd id exigat reuerentia Angelorum, præsertim in templo. Angeli enim templum oberrant, & singulorum habitum, vestes & vota explorant. Par ratio est de hominibus defunctis.

Luc. 15. Tob. 12. 1. Cor. 11.

8. Sed dices, quomodo cognoscunt nostram necessitatem, an habent tam longas aures, vt loquitur Caluinus, vt preces nostras audiãt? At hoc blasphemum est. Nam animæ separatæ à corpore spiritualiter loquuntur & audiunt, sicut Angeli dicuntur audire & videre nostras miserias & preces, cum aliquid intellectu & cogitatione complectũtur.

9. Dico igitur primò eos scire nostras necessitates nostraque desideria, primò ex viuida memoria, quæ ipsis residua superest earum rerum,

rerum, quas experiendo didicerunt optandas aut refugiendas, dum nobiscum in humanis essent. Sic enim Luc. 16. anima diuitis reminiscebatur quinque fratrum suorum, vitæque perditæ; ita vt rogaret Abraham eis significare, ne & ipsi venirent ad locum tormentorum, in quo erat. Hoc modo Petrus iam morti vicinus dixit 2. Pet. 1. *Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* hoc est, habere commendatos discipulos, vt indelebili memoria conseruent ea, quibus ipsos, dum in terris esset, erudierat. Quod B. Clemens sic explicat epist. 1. quasi promitteret se, cùm cælo receptus esset, non desiturum orare Deum pro discipulis. Ignatius Ioannis Apostoli & Euangelistę discipulus pollicetur Trallensibus, spiritum suum fore memorem ipsorum, simul atq; ad superos peruenisset, quò iam instante Martyrio proficisci maturabat. Potamiena Virgo & martyr Basilidi carnifici suo promisit rependere ciuilitatem, quam illi exhibebat illam vindicando à petulantia irridentium, & inciuiliter tractantium, cum pro fide Christi ad supplicium eam duceret, idque triduo post mortẽ effecit, ita vt Christian⁹ fieret, & Martyr Euseb. lib. 6. hist. c. 5. Addã ex eo seriem rei gestæ. *Cum Basilides,* inquit, *vnus ex his qui ius implere speculatoris officium mos est, susceptam eam duceret ad supplicium, ac multitudo impudicorum pariter & impiorum Potamienæ verbis & iniurijs conaretur illudere, Basilides abigere impudentius irruentes, ac deturbare cœpit humanitatis & miserationis obtentu. At illa religiosum viri votum erga se & propositum humanitatis amplexa: Certus esto, inquit, quòd cùm abiero ad Dominum meum, sine mora boni huius tibi remunerationem parabo. Post hæc autem verba constanter suscepit statuta supplicia picis calidæ, paulatim per artus ac membra diffusa, & hoc modo beata virgo è terris migrauit ad cælum. Non multis autem post diebus Basilides cùm inter collegas suos ob causam quandam iuramentum posceretur, ait sibi non licere omnino iuuare, pro eo quòd esset Christianus, & hoc publice fatebatur. Ioco æstimatus est primo dicere: tum deinde cùm constantius affirmaret, pertrahitur ad tribunal. Vbi cum perseuerasset in confessione, vinculis traditur. Tum verò visitantibus eum nostris, & causam subitæ ac laudabilis huius permutationis inquirentibus, dixisse traditur, quòd Potamiena post diem tertium Martyrij sui, noctu assistens coronam capiti suo imposuerit, dicẽs, deprecatam se pro ipso Dominum, & impetrasse vt secundum quod scriptum est: Qui recipit Martyrem, mercedem Martyris consequatur. Quibus auditis confestim fratres signum ei Dominicum tradunt, & die posterâ ob Domini Martyriũ capite punitur. Sed & alijs pluribus per illud tempus apud Alexandriam condiscipulis suis, cum quibus verba Dei in Originis schola operam dederat, Potamiena simile munus traditur præstitisse, assistens eis per visum, & coronas Martyrij impetratas à Domino deferens.*

2. Pet. 1.

Clemens.

Euseb.

10. Secundò id possunt scire operâ & ministerio innumerabilium Angelorum, qui continenter è terris ad superos euadunt, singulisque probè animaduersis, deferunt omnia coram Deo, consuluntque diuinam eius maiestatem, quid suo interuentu atque ministerio fieri placeat. Quid ni porro manifestarent beatis hominum spiritibus, qui secum in cælo degunt, quantopere suffragijs eorum indigeamus, & ipsos à nobis inuocari. Sic enim clarũ est viceversâ Angelos manifestasse multis mortalium, quæ decreta erant in cælis, exempli gratia, sic reuelarunt Abrahamo, Quid Deus constituisset de excidio Sodomæ & Gomorræ, Genes. 18. Item quid euenturum esset Isaaco, & posteris eius, Genes. 22. Sic aperuerunt Isaiæ Messiam concipiendum & nasciturum de Virgine, cap. 7. Sic Danieli tempus huic rei præstitum: templique ac populi Hebraici postremam vastationẽ, Daniel. 9. 10. 11. & 12.

Iob. 1. Genes. 32. Iob. 11. Genes. 18. Genes. 22. Isa. 7. Daniel. 9. 10. 11. & 12.

11. Tertiò rescire possunt animę Sanctorum quæ hic in terris fiunt ex relatu animarum, quæ singulis momentis ex hoc mundo migrant: non

non est enim ambigendum, quin vt Angeli mutuis alloquijs fruuntur, suntque inter illos qui alios instruāt, & illustrent suo lumine, vt patet, Isaiæ 1. Danielis locis citatis. Zachar 1. & 2. ac Luc. 2. tale quippiam statuendum sit de spiritibus iam à corporibus seiunctis. Sic enim Luc. 16. inducuntur animæ Abrahæ ac Epulonis vltro citroque disserētes, Matth. 17. Moyses & Elias loquentes cum Iesu, quorum ille è viuis excesserat, hic à viuis translatus in locum quietis. Sic inquam Hieremias & Onias loc. cit. post mortem comperiuntur inuicem locuti. Sanctorū quoque maryrum spiritus Apocal. ca. 6. diuinam iustitiam & vltionem simul implorantes. Quis dubitat, quin etiam de nostrâ salute, nostrisque necessitatibus & precibus conferant?

Matt. 17.

Apoc 16.

12. Quartò scire possunt animę defunctorum nostras necessitates & preces ex fruitione beatificæ visionis. Vident enim ex conspectu Dei, velut tersissimo & clarissimo quodam speculo, & nos & humana omnia, quorum cognitio ad complendam eorum beatitudinem pertinet. Hoc declarat sanctus Gregorius libro duodecimo Moral. cap. 13. ita scribens: *Quia sanctæ animæ omnipotentis Dei intus claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid, quod ignorent.* Confirmatur, quia Prophetæ adhuc conditione mortales res nondum existentes intelligere potuerunt, quia Deus in ipsis habitabat. Vnde sequitur quòd Sancti immortalitate fruentes, multò magis sciant, quæ facta sunt, cùm Deus est omnia in omnibus Si enim Moyses in hoc sæculo existens, duobus millibus annorum ab orbe condito, nouit creationem illius: Dei cum Adamo, Eua, serpente, & Caino colloquia: res item gestas Abelis, Enoch, Noë, Abrahami, aliorumque veterum, quas liber Genesis ad oculum nobis reprę sentat, quòd Spiritu sancto esset afflatus. Helisæus ea quæ in interiori Regis Syrorum consilio tractabantur, 4. Reg. 5. Famuli sui fraudes & furta, 4. Reg. 6. Tres Apostoli Matth. 17. conspectâ claritate & gloriâ humanitatis Christi transfiguratæ, Moysen ac Eliam, quos nunquam corporis sensibus viderant & audierant, protinus in illa luce cognouerunt. Quî fieri posset, vt beatis spiritibus preces nostræ essent penitus ignotæ, cùm nūc in infinita Dei luce inhabitent? Nōne Scriptura clamat in illa ciuitate cœlesti nullam amplius superesse noctem, nec beatos eius ciues egere vlla luce solis, lunę aut lucernę, cùm ipse Deus illos illustret, & lucerna eorum sit agnus, Apocal. 22. Atque hunc posteriorem modum sentio esse certissimum propter vsum Ecclesiæ, quæ tam audacter in Litanijs non diceret, *Sancte Petre, ora pro nobis*, nisi in diuinę Maiestatis speculo absque noua reuelatione, aut relatione perciperent nostras preces.

Gregor. 4.

4 Reg. 5.

4. Reg. 16.

Matth. 17.

Apoc. 22.

13. Sed dices hæc mihi abundè probant, quouis modo, animas defunctorum intelligere posse nostras preces. Verum obijciunt Nouantes locum Isaię 63. *Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit nos.* Eccles. 9. vers. 5. *Viuentes sciunt se morituros, mortui verò nihil nouerunt amplius.* Et Iob. 14. *Siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non intelliget.*

Isa. 63.

Eccles. 9.

Iob. 14.

Respondeo verba Isaię nullatenus suffragari intento Nouantium, quia Propheta vice populi illic orans rogat flebiliter, vt Deus oculis gratiæ suæ eum respiciat, & misereatur populi ab hostibus afflicti & oppressi; vtque oratio sit magis efficax prædicat magis Deum, quàm Abraham & Iacob patres Iudæorum, quòd videlicet parum aut nihil contulerint aut cōferant Iudæis, quasi dicat, Abraham & Iacob iam pridem mortui non habuerunt nostri curam (imò nos non cognoscunt) sed suorum tantum filiorum, qui tum viuebant: eos enim solos videbant & cognoscebant, tu verò, ô Deus, es pater noster, qui nos ab omni sæculo nouisti, & nostri habuisti curam

& prouidentiam, quâ nos ex Ægypto, Babylone, alijsque ærumnis mirè liberasti. In te ergo omnes spes nostras collocamus, te imploramus, non Abraham: tui filij sumus, non Abrahæ. Porro, vt dignoscas verum esse quòd Abraham patrem suum non neget, sed Deum dumtaxat præferat, Nota morem esse Hebręorum, cum pręcellentiam vnius præ altero significant, hoc insinuare per negationem istius, quod minus est, vt Matth. 23. vers. 9. ait Christus: *Patrem nolite vocare vobis super terram; vnus est enim pater vester, qui in cælis est.* Non enim vetat, quin parentes nostros patres vocemus. Hoc enim dictat & poscit ius naturæ, sed iubet Deum patrem omnibus præferri. q. d. Nolite in terris vocare patrem eo modo, vt putetis eum præcipuum esse vitę auctorem, hæreditatis & alimentorum curatorem, vt ab eo toti, vel magis pědeatis quàm à Deo, vti faciũt Gentiles & Athei, alijque nõ Deo, sed hominib⁹ fidẽtes: quia talis pater, est solus Deus. Sic Matth. 9. 13. ait: *Misericordiam volo, & non sacrificium*, id est, malo misericordiam, quàm sacrificium. Certum enim est Deum velle quoque sacrificium: tantum ergo sacrificio præfert Misericordiam. Pari modo Iudæi hic non negant Abraham suũ patrem, sed Deum in curâ paternâ ei præferunt.

Matt. 23.

Matth. 9.

14. Quæres quare dicatur Abraham suos nescire? Respondeo tribus de causis. Prima, quia exigua, & quasi nulla erat cura & auxilium Abrahæ, si cum Dei curâ & auxilio conferatur. Secunda, quia esto in limbo oraret pro posteris, non tamen curam, aut directionem eorũ habebat talem, qualem parentes dum viuunt, & præsentes sunt, suorum filiorum habere solent. De tali enim curâ & prouidentiâ hîc loquuntur Iudęi; & talem eorum curam habebat Deus, vt nimirum apprehensâ manu Moysen & populum deduceret, vt dixit v. 12. Tertia, quia eorum captiuitas & ærumnæ tam animæ, quàm corporis superabant vires Abrahæ & Iacob, atque à solo Deo tollendæ & sanandæ erant. Vnde sequitur: *Tu es redemptor noster.*

Verum penitius ad obiectionem propositam interpretantur hunc locum eximij auctores, Abraham & Iacob nesciunt nos & res nostras: quia sunt in obscuro limbo patrum; vbi tam egent luce & ope Dei, quàm nos: non ergo eos imploramus, qui nostras res & ærumnas nesciunt, atque satis negotij habent, vt sibi consulant, sibique liberationem ex inferno procurent; sed te Domine, qui solus potes iuuare & liberare tàm Abraham, quàm nos. Hâc enim de causâ in veteri Testamento non legimus, quòd viuentes inuocarint Patriarchas, aut Sanctos degentes in limbo. Secus est in nouo testamẽto, vbi Sancti triumphant cum Christo in cælis, atq; in Deo nostras preces audiunt & cognoscunt, nosque & nostram salutem amant & sitiũt.

Adeò vt perperàm Nouantes nostri temporis hunc locũ torqueãt contra inuocationem Sanctorum. Esto enim animę patrũ in limbo orarent pro posteris, tamen preces & afflictiones suorum audire non poterant: quocirca frustra posteri eorum opem implorassent. Ad Deum ergo recurrere, eumque inuocare debebant. Rursum etsi Patres, suas preces & merita posteris apud Deũ commodare possent; ea tamen quasi captiuorum, non nisi in quantum volebat & donabat Deus, eis commodabant. Tota ergo hæc res pendebat à Deo, Deique nutu: ad Deum ergo posteris confugiendum erat. Secus se res habet in Beatis iam in cœlis Deo fruentibus.

15. Sunt alia loca quæ suo intẽto attemperant hæretici, vt Iob. 14. 3. Reg. 18. quæ facilè admittunt solutionem. Prior est Iob 14. Vbi Iob describens miseriam hominis de muliere nati, dicit, quòd morietur & ad inferos perget, vbi nescitur quid apud mortales agatur, neque vllam defunctus vtilitatem capiet ex ex-

Iob 14.
3. Reg. 18.

ex externa bonorũ & familiæ magnificentia, quam inter viuos reliquerit, in verbis: *Siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non intelliget*. Est admonitio pro homine carnali, qui in hac vita valde solicitus fuit de suis filijs circa honores & diuitias, & post hanc vitam, quãdo est in inferno, non prodest illi illa sollicitudo: quia nescit quid agatur de filijs, aut in quo statu sint. Hoc insinuat D. Gregorius, lib. 12. Moral. cap. 14. his verbis: *Sicut enim hi qui adhuc viuentes sunt, mortuorum animæ quo loco habeantur, ignorant: ita mortui vitam in carne viuentium post eos qualiter disponatur, nesciunt: quia & vita spiritus longe est à vitâ carnis: & sicut corporea atque incorporea diuersa sunt genere, ita etiã distincta cognitione.* Et vt dignoscas inuocationem Sanctorum hæc verba non cõcernere, expresse addit: *Quod tamen de animabus sanctis sentiendum non est: quia quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid, quod ignorent*. Sed carnales quique quia amorem præcipuum filijs impendunt, hoc eos beatus Iob nescire postmodum asserit, quod hic vehementer amauerunt: vt siue nobiles, siue ignobiles sint filij, nesciant, quorum eos semper cura fatigabat.

Gregorius

16. Posterior locus est, 3. Reg. 8. vbi Salomon dicit, quòd Deus dabit orãtibus, prout viderit eorũ dispositionẽ, cui secreta cordis soli nota sunt, in verbis: *Tu exaudies in cælo in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis, & facies, vt des vnicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor eius: quia tu nosti solus cor filiorum hominum*. Quid hæc ad rem? cùm certò omnes credamus Deum ex se & propriâ virtute solum nosse secreta cordis: Sanctos verò illa dumtaxat scire, cùm Deus dat eis cognitionem, eaq; reuelat, maximè in hoc sęculo: sed certius in futuro sæculo ex vi beatitudinis, de quo antea latiùs dixi. 3. Reg. 8.

Discursus LI.

An repugnet huic præcepto negatiuo Cultus Reliquiarum in Ecclesia vsitatus?

Psalm. 33.

DAuid Ps. 33. dicit: *Multæ tribulationes iustorum, de omnibus his liberabit eos Dominus.* Et subiungit: *Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur.* Quibus verbis ostendit apud Deum pretiosa esse ossa eorum, qui sanctè ex hac vita migrarunt. Verum quia Nouantes nos idololatriæ insimulant, quòd fidelium reliquijs honorẽ deferamus, hinc examinabo, quod in argumento quæritur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam prænotandum est quatuor de causis aliquando solitas coli reliquias Sanctorum. Primò instar Dei; secũdò, formaliter; tertiò, materialiter; quartò, ex affectu prauo.

2. His positis dico, primo modo colere reliquias Sanctorum idololatricum esse, & expresè repugnare verbis: *Non habebis Deos alienos coram me.* Atque illa de causa, cum periculum esset idololatriæ, sepultum est corpus Moysis ab Angelis in loco hominibus incognito, ne Hebræi procliues ad idololatriam corpus eius, vtpote Ducis & legislatoris sui velut numen vel diuinum quiddam colerent: quia valde credibile est corpus Moysis, licet mortuum conseruasse adhuc vultus splẽdorem & decorẽ,

quem antea habebat. Sic enim refert Cardinalis Bellarm. lib. 2. de reliquijs Sanctorum, cap. 4. multis Sāctorum accidisse. Confirmatur ideò secretò sepultum fuisse, ex altercatione, quam refert Apostolus Iudas in epist. sua fuisse de Moysis corpore inter Michaëlem Archangelum & diabolum. Creditur enim illa fuisse quòd diabolus vellet Moysis corpus & sepulchrum hac de causa patere & cognosci à Iudęis: Michaël verò idipsum noluerit, ne Iudæis esset occasio idololatriæ.

Bellarm. *Iudas Apost.*

3. Dico secundò reliquias Sanctorum formaliter coli posse, hoc est, quatenus reliquiæ mentis apprehensione referuntur ad personas Sanctorum. Tum enim licet à personis separatæ sint, eodem modo coli possunt quo ipsi Sancti. Hoc similitudine Leontius in 7. Synod. Act. 4. illustrat. *Quemadmodum*, inquit, *filij peregrinante patre, ingenti amore ex animo erga eum affecti, quidquid in illius domo viderint, siue baculum siue sedem, cum lachrymis amplexantur, non illa honorantes, sed patrem desiderantes & venerantes: sic nos Christum & reliquos sanctos colimus.* Et sic videtur loqui Hieronymus epist. 17. ad Marcellum, cum dicit, omnes ingredientes sepulchrum Domini toties in syndone cernere Saluatorem. Accipe hoc eius verbis: *Venerabantur*, inquit, *quōdam Iudæi sancta sanctorum, quia ibi erant Cherubim, & propitiatorium, & arca testamenti, manna, virga Aaron, & altare aureum. Nonne tibi venerabilius videtur sepulchrum Domini? quod quotiescumque ingredimur, toties iacere in syndone cernimus Saluatorem: & paululum ibidem commorantes, rursum videmus angelum sedere ad pedes eius, & ad caput sudarium conuolutum. Cuius sepulchri gloria, multò antequam excideretur à Ioseph, scimus Isaiæ vaticinio prophetatum, dicentis: & erit requies eius honor; quod scilicet sepultura Domini locus esset ab hominibus honorandus.*

Leontius. *Hieronym.* *Isaia 11.*

4. Dico tertiò reliquias Sanctorum coli posse per se vt res quædam sunt, ad vsum pietatis & religionis, quod est considerare eas materialiter. Probatur primò ex scripturis, quæ ostendūt in lege naturali magnâ cum reuerentiâ Sanctorum reliquias à fidelibus conseruatas. Genes. enim 50. & Exod. 13. leguntur ossa Iacob & Ioseph cum magno honore esse conseruata & sepulturæ tradita. Deuteron. vltimo capite creditur ex antiquâ traditione Deū suo exemplo nos docuisse, quàm honorificè sanctos, eorumque reliquias venerari debeamus, cum eas ab hominibus abscondit, & non nisi per Angelos decenter tractari & sepeliri voluit; vt ex antiquâ traditione exponit Epiphanius hæres. 9. circa finem. Act. 8. *Curauerūt Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum.* Deus etiam reuelauit Luciano quædam corpora Sanctorum, quæ minus honorificè sepulta erant; inter quæ fuit corpus S. Stephani Protomartyris, quod persecutionis tempore potuit à tyrannis, aut hæreticis, ab honesto loco fuisse dimotum, & in obscurum proiectum. Sic enim habet epistola Luciani, cuius verba referuntur 3. Augusti in breuiario Romano: *Sanctorum corpora Stephani Protomartyris, Gamaliëlis, Nicodemi & Abibonis, quæ diu in obscuro, ac sordido loco iacuerant, Honorio Imperatore, Luciano presbytero diuinitus admonito, inuenta sunt, prope Hierosolymam. Cui Gamaliel, cum in somnis apparuisset, graui quadam & præclara senis specie, locum iacentium corporum commonstrauit, imperans vt Ioannem Ierosolymitanum antistitem adiret, ageretque cum eo, vt honestius illa corpora sepelirentur. Quibus auditis Hierosolymorum antistes finitimarum vrbium Episcopis, Presbyterisque conuocatis ad locum pergit, fodi iubet: defossos quatuor loculos inuenit, vnde suauissimus odor efflabatur.* Scribit etiam diuus Ambrosius reuelata sibi esse diuinitus corpora Sanctorum Seruasij & Protasij.

Genes. 50. *Exod. 13.* *Deuteron. vlt.* *Epiphan.* *Act. 8.* *Lucianus.* *Ambros. epist. 85.*

5. Probatur secundò ex vniuersalis Ecclesiæ traditione & consensu. Ex quo manifestum est reliquias Sanctorum honestè semper conseruatas;

uatas; vt patet, quantum ad Ecclesiam Romanam, ex I. epist. Cornelij Papæ circa annum 200. vbi tractatur de translatione corporum Apostolorum Petri & Pauli; quę furtim sublata, vt verior opinio habet, Græci, paulo pòst tempus passionis Apostolorum longius trasferre volentes, ad Catatumbas secundo ab vrbe miliari, diuino miraculo, ne longius ferrent, præpediti, & à cæptis desistere coacti sunt: quâ re comperta fideles eorundem corpora in sua loca retulerunt. Scribit hoc clarè D. Gregorius, lib.3. ep.30. his verbis: *De corporibus verò SS. Apostolorum quid ego dicturus sum? dum constat, quia eo tempore, quo passi sunt, ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora, sicut ciuium suorum repeterent: quæ ducta vsque ad secundum vrbis milliarium, in loco, qui dicitur ad Catatumbas, collocata sunt. Sed dum ea exinde leuare omnis eorum multitudo conueniens niteretur, ita eos vis tonitrui atque fulguris nimio metu terruit atque dispersit, vt talia nullatenus denuo attentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romani, eorum corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, leuauerunt, & in locis, in quibus nunc sunt condita, posuerunt*. Sanctus Hieronymus lib. contra Vigilantium refert summos Pōtifices solitos esse super reliquias Sanctorum Deo sacrificium offerre. Sic enim compellat illum hæreticum reliquias contemnentem: *Malè facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri, & Pauli secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem puluisculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi altaria arbitratur*. Et immediatè pòst. *Et non solum vnius vrbis, sed totius orbis errant Episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur Basilicas mortuorum, in quibus puluis vilissimus, & fauilla*. Et longe antè: *Dolet*, inquit, *martyrum reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proijci in sterquilinium; vt solus Vigilantius ebrius & dormiens adoretur*. Deinde pium morem Imperatorum & Episcoporum commemorans, qui Sanctorum reliquias ad certa loca transtulerunt, eius sinistrum acumen hoc quasi validissimo cuneo retundit, dicens: *Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum se sentire præsentiam confitentur? Sacrilegus dicendus est & nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo pòst tempore de Iudæa transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem vilissimam, & cineres dissolutos in serico, & vase aureo portauerunt. Stulti omniū Ecclesiarum populi qui occurrerunt sanctis reliquijs, & tanta lætitia quasi præsentem, viuentemque Prophetam cernerent, susceperunt, vt de Palæstina vsque Chalcedonem iungerentur populorum examina & in Christi laudem vna voce resonarent? Videlicet adorabant Samuelem, & non Christum, cuius Samuel & Leuita, & Propheta fuit.*

Certè D. Chrysostomus serm.32. ad Rom. dicit se propter reliquias Apostolorum Petri & Pauli Romā maximè diligere. *Ego*, inquit, *Romam propterea diligo, tametsi & aliunde queam illam laudare, nempe à magnificentia, ab antiquitate, à pulchritudine, à multitudine, à potentiâ, à diuitijs, & à rebus in bello fortiter gestis. Sed relictis istis omnibus, ob illam beatam deprædico, quòd erga illos Paulus dum viueret, adeò fuit beneuolus, adeò illos amauit, coram disseruit, & postremò vitam apud eos finiuit. Vnde & ciuitas ista hinc facta est insignis plusquam à reliquis omnibus. Et quemadmodum corpus magnum ac validum, duos habet oculos illustres, sanctorum videlicet illorum corpora: Non ita cælum splendescit, quando radios suos sol ex sese dimittit, quemadmodum Romanorum vrbs duas illas lampades vbique terrarum effundens.*

De Ecclesia Constantinopolitana idem cōstat; quandoquidem reliquiæ plurium Sanctorum eò sint translatæ, teste Hieronymo, cuius verba iam allegaui. De alijs Ecclesijs, vt Antiochena, Alexandrina, Hierosolymitana, Hispana & Gallicana, & alijs, passim apud auctores

Corn. Papa.
Gregorius.
Hieron.
Matt. 18.
Apoc. 16.
Chrisost.

inueniuntur testimonia, eximij nẽpe cultus reliquiarum. Libet tãtùm referre, quòd aliquando cum periculo vitæ zelosi quidã reliquias Sanctorum è furore Gentilium abstulerint. Rem narrat Ruffinus lib. 11. histor. cap. 20. cum Gentiles tempore Iuliani ossa Sancti Ioannis Baptistæ apud Sebasten Palestinę igni cremarent. *Quidam*, inquit, *dum tãtùm nefas humanis quidem manibus, sed mente ferinâ fieri viderent, mori gratius habentes, quàm huiusmodi piaculo funestari, inter eos qui ossa ad exurendum legebant mixti diligentius, ac religiosius congregantes, furtim se vel stupentibus vel insanientibus subtraxere, & ad religiosum patrem Philippum venerandas reliquias pertulère.*

Ruffinus.

6. Ratio horũ erat, quòd in illis resolutis corporibus honorarẽt Dominum. De quâ sic Ambrosius, serm. 92. *Quòd si dicas mihi, quid honoras in carne iam resolutâ, atque consumptâ, de quâ iam nulla cura Deo est? & vbi est illud, charissimi, quod ipsa veritas loquitur per Prophetam? Pretiosa, inquit, in conspectu Domini mors sanctorum eius. Et iterum: Mihi autem valde honorificati sunt amici tui Deus. Honorare debemus seruos Dei, quantò magis amicos Dei; de quibus alio loco dicitur: Dominus inquit, custodit ossa eorum, & vnum ex his non conteretur. Honoro ergo in carne Martyris exceptas pro Domino cicatrices. Honoro viuentis memoriam perennitate virtutis. Honoro per confessionem Domini sacratos cineres. Honoro in cineribus semina æternitatis. Honoro corpus, quod mihi Dominum meum ostendit diligere: quod me propter Dominum mortem docuit non timere.*

Ambros.

7. Altera ratio erat, quòd agnoscerẽt Deũ tanquã salutiferos fontes nobis reliquisse Sanctorũ reliquias. Sic enim ait Damascenus lib. 4. cap. 16. *Christus Dominus Sãctorum reliquias, veluti salutiferos fontes præbuit, ex quibus plurima ad nos beneficia manant, suauissimumque vnguentum profluit*, quod mox latius demonstrabo.

Damasc.

8. Tertia ratio, quòd Ecclesia definiuerit, non semel, reliquijs Sanctorum honorem esse habendum: vt patet ex epist. 2. Decret. Felicis primi, cuius verba citaui discursu 47. n. 9. In 7. Synodo act. 1. In Cõc. Carthag. 5. cap. 14. In Lateran. sub Innocentio tertio, cap. 62. Denique in Trident. sess. 25. decreto 2. Hæc est enim *columna & firmamentum veritatis*, 1. ad Timoth. 3. 1. Tim. 3.

9. Quarta ratio quòd Deus miraculis hanc doctrinam confirmarit, reliquiasq; coli posse manifestè demonstrauerit, per eas tanquam per diuina organa signa efficiens, vt 4. Reg. 13. vbi mortuum corpus contactu Helisæi ossium reuixit. Act. 19. vbi sudaria & semicinctia Pauli, ad infirmos deferebantur, *& recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur*. Quin etiam vmbra Petri liberabat homines ab infirmitatibus suis, Theodoretus lib. 8. aduersus gręcos copiosè de hac re scribit. D. August. lib. 22. de Ciuit. cap. 8. multa refert miracula per reliquias S. Stephani, & aliorum effecta: D. Ambrosius epist. 85. plurima narrat facta ad contactum reliquiarum SS. Seruasij & Protasij, quod eius verbis communico: *Cognouistis*, inquit, *imò vidistis ipsi multos à dæmonijs purgatos, plurimos etiam, vbi vestem Sanctorũ manibus contigerunt, ijs quibus laborabant debilitatibus absolutos*, & addit: *reparata vetusti corporis miracula, quò se per aduentum Domini Iesu gratia terris maior infuderat, vmbrâ quâdam Sanctorum corporum plerosque sanatos cernitis.* Tum admirans subiungit, *Quanta oraria iactitantur? Quanta indumenta super reliquias sacratissimas, vt tactu ipso medicabilia reposcantur? Gaudent omnes extrema linea contingere, & qui contigerit, saluus erit. Gratias tibi Domine Iesu, quòd hoc tẽpore tales nobis sanctorũ martyrum spiritus excitasti, quo Ecclesia tua præsidia maiora desiderat.*

4. Reg. 13. Act. 19. August.

Hâc ratione dixit Iustinus Martyr, quæst. 28. ad Orthodoxos absurdum esse corpora Sanctorum abominationi Gẽtilium subiecta esse. Cum enim soluisset quæstionem, cur Christus viduæ filij tetigerit loculum, Luc. 7. & Filiæ Iairi apprehenderit manum, quandoquidem ex lege cæremoniali, Leuit. 13. immundus esset, qui cadauer attigisset,

Iustin. Martyr. Luc. 7. Leuit. 13.

set, subiungit: *Quòd si hæc quoque sunt emortua, minus tamen detestationi subiecta propter eorum vsum; quomodo multo absurdissimum non est, pura quidem ista, vsus eorum gratia existimari, abominationi vero Græcorum subdita esse Sanctorũ corpora, & sepulchra Martyrum? Quæ & dæmonum amoliuntur insidias, & morborum ab arte medica comploratorũ* (id est, arte medicinæ incurabilium) *conferunt sanationes.* Ambrosius serm. 92. *Cur autem non honorent illud fideles corpus, quod reuerentur dæmones, quod & afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro? honoro igitur corpus, quod Christus honorauit in gladio, quod cum Christo regnabit in cælo.* Gregorius verò Nazianz. orat. 1. in Iulianum tanti fecit hæc miracula, vt merito crediderit sufficiens esse argumentum ad compescendam tyrannidem Iuliani Apostatę, eumque ab honore sepulchrorum Herculis, Iouis, Saturni auocandum. Cum enim multis inuectiuis illum aggressus fuisset, & tandem dixisset ipsum post Herodẽ, esse Christi persecutorem, post Iudam quodammodo proditorem; post Pilatum Christicidam, post Iudæos Dei hostem, subnectit: *Non victimas pro Christo cæsas veritus es? nec magnos pugiles extimuisti, Ioannem illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum, Lucam, Andream, Theclam, eos qui, & post illos, & ante illos, pro veritate periculis se obiecerunt? qui cum igni, & ferro, & belluis, & tyrannis, & præsentibus malis, & denunciatis, alacri animo, velut in alienis corporibus, immò quasi corporum expertes, dimicarunt (cur? ne pietatem vel verbotenus proderent.) Quibus præclari honores & festa constituta sunt: à quibus dæmones propelluntur, & morbi curantur: quorum apparitiones & prædictiones: quorum vel sola corpora idem possunt, quod animæ sanctæ, siue tangantur, siue honorentur: quorum vel solæ sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa idẽ possunt, quod corpora? Hæc non colis sed contemnis, qui Herculis rogum ex calamitate, iniurijsque mulieribus illatis, excitatum admiraris.* D. vero Chrysostomus volens populo indicare quàm proficua sit virtus & efficax, cùm multis hæc de re egisset, hom. de virtutibus & vitijs, id confirmat: quia per Sanctorum viuentium vestes & instrumẽta, ac per mortuorũ cineres mira opera fiant: *Aspice,* inquit, *Sanctorum quanta sit virtus: neque enim sua verba tantùm, aut corpora, sed etiam ipsa corporis tegmina semper omni sunt possessione augustiora. Heliæ siquidem leonina pellis Iordanem discindere fecit. Trium puerorum calcei per ignes ambularunt. Helisæi lignum potuit vndarum mutare naturam, quas quidem superficie suâ, quasi tergo ferrum sustinere cogit. Moyses virgâ mare rubrum dehiscere iussit, petram disrumpere valuit. Pauli vestes morbos fuderunt. Petri vmbra mortem fugarunt. Sanctorum Martyrum cinis improbos dæmones expulit.*

Ambros.

Nazian.

Chrysost.

Matth. 23. Luc. 11.

10. Quinta denique ratio fuit, quòd Deus reprehenderit eos, qui malâ intentione Sanctorum memorias honorabant, vt Matth. 23. & Luc. 11. vbi Dominus dicit: *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: Patres autem vestri occiderunt illos. Profectò testificamini, quòd cõsentitis operibus patrum vestrorum; quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.* Quibus verbis nõ reprehẽdit Dominus, quòd Sanctorum sepuchra ædificent, & ornent: hoc enim laude dignum est, vtpote opus religionis & pietatis. Vnde valde commendantur ex Gentibus conuersi, qui Martyribus, à maioribus occisis, & templa & sepulchra ædificarunt, quãdoquidem hoc sit reprobare & detestari peccata maiorum. Et 1. Machab. 3. Simon magnificentissimum sepulchrum legitur ędificasse patri & fratribus sine vituperatione. Verum reprehendit, quòd ficto animo ac intentione id faciant, videlicet, vt dum simulant se zelum iustitiæ habere ac detestari delictum occidendi ac persequendi Prophetas ac iustos, ex zelo iustitiæ, apud populum videantur discipulos meos, quos affligunt, & ad mortem quærunt, iustè persequi & occidere, propterea quòd sepulchra maioribus ædificent; cùm hæc tantùm exterius faciant, non animo

1. Machab. 3.

illos honorandi, sed meos facilius iniustè persequendi, & sic dolosè consentiant operibus patrum suorũ, qui Prophetas & iustos occiderunt. Hac ratione etiam Deus detexit, & quidem adhibito miraculo fraudem Iuliani, qui simulatè & in malum finem Martyribus templum ædificabat. De quo scribit Nazianzenus, cuius verba retuli discursu 47. n. 6.

11. Dices hæc mihi abundè probant reliquiarum honorem esse licitum & vtilem, nihilominus Nouantes liberè effutiunt, his nõ obstantibus, eum esse inutilem, quòd Sancti sint mortui: & hinc prohibent suis vllã spem ponere in Sanctis, vt aiunt, emortuis.

Matth. 22. Respondeo, Deũ dicere Mat. 22. Sanctos viuere, etiam sæparatos à corpore. Sic enim ait: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, non est Deus mortuorum sed viuentium.* At Abraham, Isaac & Iacob iã mortui erant.

Dico ergo illis verbis docuit Dominus mortuos Deo viuere, non tantùm quia eorum animæ viuunt, sed etiam quia efficere Deus potest, vt in sua corpora reuertantur, & eo modo viuant, quo ante viuebant:

Cap. 6. v. 24. sicut cap. 9 v. 24. dixit: *Non est mortua puella, sed dormit.* Iam sic libet ratiocinari. Si viuant Deo, quia potest Deus efficere vt animæ in sua corpora reuertantur, viuunt etiam suo modo, quando Deus per eorum corpora & vestes miracula operatur. Hoc non ex me dico, sed fultus au-

Damascen. ctoritate Ioan. Damasceni, qui sic ait loco cit. *In veteri lege comparatum erat, vt quisquis mortuum contigisset immundus censeretur. Verum hi in mortuorum numero minime habendi sunt. Ex quo enim ipsamet vita, ac vitæ auctor inter mortuos adscriptus est, eos qui in spe resurrectionis, fideque erga eum, diem extremum clauserunt, mortuos haudquaquã appellamus. Qui enim mortuum corpus miracula edere queat? Quõnam itaque modò per ea dæmones expelluntur, morbi profligantur, ægroti sanantur, cæci prospiciunt, leprosi mundantur, tentationes ac mærores discutiuntur, ac denique omne donum optimum à Patre luminum, eorum operâ, ad eos, qui fide minimè dubiâ postulant, descendit?* Propterea Diuus

Chrysost. Chrysost. homil. de Natali Machabæorum monens aperiendos esse fidei oculos, sic ait: *Non attendas cinerem Sanctorum corporum, nec fauillam reliquiarum carnis, omniaque ossa consumpta temporibus; sed aperi oculos fidei, & vide eos diuina virtute, & gratia Spiritus sancti amictos, & diuini luminis claritate radiãtes. Hi ergo ipsi de superno solis circulo in terram radij Christo emittente iaciuntur, & à corporibus eorũ prosilientes corusca luce fulgoris, sicut speciem Ecclesiæ gaudentis illustrant, ita faciẽ diaboli inuidẽtis obcæcãt.* Et immediatè post rem similitudine illustrat: *Nam,* inquit, *vt audaces latronum duces, siue impij sepulchrorum effossores, si forte dum prædas agunt, aut spolia capienda conquirunt, in arma, vel ornamenta Imperatoris incurrerint, quamlibet cupidi prædarum; tamen ita agnitis regis insignibus deterrentur, vt fugiant neque cominus accedere, vel attingere audeant. Vnde sibi non compendium procedere, sed periculum prouidẽt imminere, si quid inde audeãt vsurpare: Ita profectò & dæmones, qui vere latronum & principes & magistri sunt, vbi coronatorum Martyrum viderint corpora posita, longe illico à conspectu eorum pauidi fugiunt, & absiliunt. Non enim ad naturam eorum intendunt, sed in arcanam dignitatem, & gloriam Christi, qui in agone certãtium induta corpora Martyrum suorum, sicut arma portauit. Huiusmodi enim armis non angelus, non archangelus, nõ vlla alia creatura virtus induta est, sed ipse Dominus virtutum, & angelorũ, sicut Paulus clamat, dicens: Si experimentum quæritis, præliantis in me Christi.* 2. Cor. 13. *Pretiosa enim sunt corpora Martyrum, quoniam plagas pro Domino susceperunt. Et quia stigmata propter Christum membris suis impressa ferunt, & sicut corona regalis vndique decorata fulgores varios emittit: ita & sanctorum Martyrum corpora, sicut pretiosis lapidibus acceptis pro Christo vulneribus distincta, omni regum diademate pretiosiora, & spectabilia reddũtur.* Pro- Proclus.

clus Archiepiscopus Constantinop. serm. in adorat. venerab. catenar. & gladij S. Petri & Pauli confirmat

hanc

hanc rem sudarijs & semicinctijs Pauli à corpore separatis ægrotos sanãtibus, & vmbra Petri efficaciter operante. Cum enim multa dixisset de præstantia reliquiarum, subiungit: *Sed dubitat aliquis, num hæc ita se habeant, neque hæc tanti esse credit, vt gratiam illius, quæ in Apostolo fuit, participarint. Persuadeat huic vmbra ipsa & semicinctia, quorum illa quidem ex corporis appositione ad solis lucem composita, & ab Apostolorũ Principis tactu longe distans: hæc autem à Pauli corpore delata, & diuinam ex illo gratiam participantia, pari & miraculorum effectrici potentiâ repleta sunt; quodque admirabilius est, per secundam participationis consecutionem, & gratiarum translationem sibi adhærentibus impertita eandem miraculorum potentiam, & nihilo minorẽ abundè suppeditant.* Porro nemo incredulus erit ex Sanctorum reliquijs suaue vnguentum scaturire, qui perspexerit ex asperâ & solidâ rupe aquã in deserto, & ex asini maxillâ ad sedandam Sampsonis sitim, Deo ita volente, prosilijsse. Quo argumento vtitur Damascenus dicto capite 16. sic inquiens: *Nec vero quisquam huic sermoni fidem detrahat. Nam si aqua in deserto ex asperâ & solidâ rupe, atque ex asini maxillâ, ad sedandam Sampsonis sitim Deo ita volente prosilijt, eritne cur cuinam incredibile videatur, ex Martyrum reliquijs suaue vnguentum scaturire? minimè certè ijs quidem, quibus Dei potentia, honorque, quô Sanctos suos afficit, perspectus & exploratus est.*

Ambros.

12. Dices denique his bene perpensis velim scire, quare Hæretici obstrepant huic cultui, Catholicos idololatriæ accusent, & miracula circa reliquias Deo operante facta mordicus negent? Hoc enim contigit olim D. Ambrosio, quando Ariani negabant quemdam Seuerum nomine per reliquias SS. Geruasij & Protasij à cœcitate, quâ cruciabatur, curatum esse. Sic his diebus passim negant miracula, quæ ad memorias Sanctorum palam dignoscuntur fieri. Quid causæ?

Inquirit hanc rem serm. 91. D. Ambrosius ratione prædicti cœci sanati, sic dicens: *Sed quæro quid non credant, vtrum à Martyribus possint aliqui visitari? hoc est Christo non credere. Ipse enim dixit: & maiora his facietis, cũ ab istis Martyribus, quorũ merita iã dudũ vigẽt, corpora iã dudũ reperta sunt. Quæro hic vtrũ mihi, an sanctis Martyribus inuideãt? Si mihi, nũquid à me aliqua virtutes fiũt? Nũquid meo opere, meo nomine? Cur igitur mihi inuident, quod meum non est? Si Martyribus (restat enim vt si mihi non inuident, Martyribus inuidere videantur) ostendunt alterius fidei fuisse Martyres, quàm ipsi credunt. Neque enim aliter eorum operibus inuiderent. Fidem illã maiorum traditione firmatam, quam dæmones ipsi negare nõ possint, Ariani negant.* Hęc est prima causa.

Ambros.

Altera & motiua est, quia à dæmone instigantur, qui per has reliquias torquetur. Sic Olim respondit D. Hieronymus Vigilantio argumentanti contra miracula, quæ fiunt circa reliquias Sanctorum; cuius verba non grauabor adscribere: *Argumentatur, inquit, contra signa, atque virtutes, quæ in Basilicis Martyrum fiunt, & dicit eas incredulis prodesse, non credulis: quasi nunc hoc quæratur, quibus fiãt, & non quâ virtute fiant. Esto, signa sint infidelium; qui quoniam sermoni & doctrinæ credere noluerunt, signis adducantur ad fidem, & Dominus incredulis signa faciebat: & tamen non idcirco Domini sugillanda sunt signa, quia illi infideles erant, sed maiori admirationi erunt, quæ tanta fuere potentiæ, vt etiam mentes durissimas edomarent, & ad fidem cogerent. Itaque nolo mihi dicas, signa infidelium sunt: sed responde quomodo in vilissimo puluere & fauillâ nescio quâ tanta sit signorum virtutumque præsentia. Sentio, sentio infelicissime mortaliũ, quid doleas, quid timeas. Spiritus iste immundus, qui hæc te cogit scribere, sæpe hoc vilissimo tortus est puluere, imo hodieque torquetur, & qui in te plagas dissimulat, in cæteris confitetur.*

Hieron.

13. Verũ enimuerò hoste prostrato, fidelibus cõfirmatis, quoad veras reliquias; his cauendum est ne error surrepat, & ne falsæ reliquiæ pro veris colãtur, adnotandũ est, quando quis reliquias securè possit colere.

Dico

Dico itaque esse publicum & solemnem ritum, seu honorem reliquiarum, & priuatum. Ad hoc autẽ vt aliquæ reliquiæ publicè ab vniuersâ Ecclesiâ colantur, Primò necesse est, vt de sanctitate personæ, vel per vniuersalem Ecclesiæ consẽsum, seu traditionem, vel per sũmi Pontificis canonizationem constet. Deinde oportet, vt publicâ auctoritate reliquiæ proponantur, vt veræ, & ad talem personam pertinentes: hæc autem auctoritas est apud summum Pontificem, & Episcopos, qui sufficientem diligentiam ante approbationem adhibere tenentur. Et piè credendum, non permittere Deum errorem in hoc publico cultu. At verò, vt reliquiæ priuatum coli possint, sufficit priuatim etiam testimonium virorum fide dignorum vel alia ratio, aut coniectura ita probabilis, vt sufficiens sit ad prudens iudicium ferendum. Et sic licet reliquias priuatim possidere, & deuotionis gratiâ secum ferre. Quando verò res est dubia & incerta, tunc quidem abstinendum est à cultu, non tamen reliquiæ conculcandæ sunt, & contemnendę, sed priuatim custodiendæ.

Discursus LII.

An lignum Crucis, in quò Christus pependit, maiori honore possit coli, quàm cætera reliquia Sanctorum?

Hieron. D. Hieronymus epist. 17. ad Marcellam: *Venerabantur* inquit, *Iudæi propitiatorium* &c. *Nonne tibi venerabilius videtur sepulchrum Domini, quod quoties ingredimur, iacere in syndone videmus Saluatorem*. Maiori ratione quæro, id quod in argumento positum est.

1. Ratio huius inquisitionis est, quòd tum veteres, tum huius æui hæretici illud magnopere detestentur & execrentur. Ad quorum confusionem & nostram instructionẽ. Dico primò de fide esse, quòd lignum crucis sit venerabile. Et probatur primò ex eo quòd semicinctia & sudaria Pauli propter eius cõtactum veneratione digna ab omnibus orthodoxis credantur. Secundò, terra, vbi Angeli sese repræsentarunt, ab ijsdem sancta sit pronunciata, velut Exod. 3. vbi Moysi iubetur vt soluat calceamenta, quòd locus, in quo staret, terra sancta esset, propterea quod Angelus Deum repræsentans in visione rubi ardentis, & incombusti auditus fuisset. Et Iosue 5. vbi Angelus Michaël se videndum exhibuit Iosue instar ducis militum, vt sciret ratione cælesti obtinendam vrbem Hierico. Tertiò, quia honoramus sacramẽta eò quod sint instrumenta gratiæ.

Exod. 3.

Iosue 5.

2. Dico secundò lignum Crucis, in quo Christus pependit tanto euidentius esse venerabile, quanto plures maioresque causas habet ad venerationem instigantes, quàm reliquiæ Sanctorum. Si quæras quęnam illæ sint? Respondeo plures occurrere, videlicet primam, quòd armis crucis salus nostra comparata sit in Christo, & dœmon deuictus quod indicat Apostolus ad Coloss. 2. vbi dicit quòd Christus deleuerit, *quod aduersus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci*. Vbi alludens ad syngraphas creditorum & debitorum, per quas Metonymicè accipit ipsum debitum, quod solent syngraphæ continere, dicit quòd debitum pœnæ æternæ, ita certum & liquidum, ac si chirographo & manu nostrâ consignatum extaret, Christus moriens in cruce cassauerit & oboleuerit sua cruce & morte. Sicut syngraphæ Coloss. 2.

phæ soluto debito pertunduntur, & stylo vncôue affiguntur. Deinde addit Apostolus: *Et expolians principatus & potestates* (id est, spolians dæmones sua potestate, dominio & tyrannide in homines sibi hoc peccati chirographo obligatos & subditos) *traduxit confidenter palam triumphans in semetipso.* id est, Christus in sua Cruce triumphauit de suis hostibus, crux fuit triumphalis ipsius currus, in quâ ita deuicit hostẽ humani generis, vt omnibus palam ostẽderit, quàm imbecelles sint dæmones, Deoque & Angelis triumphum ostentauerint, vti solet triũphator hostes & prædam in triumphum circumducere, ostentare, & omnibus spectanda exhibere. Pulchrè in hanc rem Origenes hom. 8. in Iosue tractans allegoricè de Iosue qui Regẽ Hai in ligno suspẽderat, cap. 8. sic inquiens: *Domini nostri Iesu Christi crux gemina fuit, hoc est geminâ ratione & duplici constat. Quia visibiliter quidem filius Dei in carne crucifixus est, inuisibiliter verò in eâ cruce diabolus cum principatibus suis & potestatibus affixus est cruci. Non tibi hoc videbitur verum, si tibi horum testem produxero Apostolum Paulum? quod erat contrarium nobis tulit illud de medio affigẽs cruci sua, exuens principatus & potestates traduxit eas liberè triumphans in ligno crucis.* Origenes.

Ephes. 2. Deinde ad Ephes. 2. dicit Apostolus, quòd Christus in cruce dissoluerit inimicitias mutuas, contemptum & odium, quo Iudæi Gentes omnes quasi idololatras & incircumcisas contemnebant, & auersabantur; Gẽtes pariter Iudæos quasi à communi Gentium lege & ritu ac vitâ abhorrentes oderant: vti cœteræ aues oderunt, & persequuntur noctuam, afflans communem charitatis legem & spiritum, ac tollens occasionem inimicitiarum, veterem Iudæorum legem euacuando, in verbis: *Ipse enim* (supple Christus) *est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua: legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.* Quod amplius est ad Coloss. 1. dicit quod complacuerit Deo Patri sibi omnes reconciliare pacificando tàm homines, quàm Angelos per sanguinem, quem in cruce fudit Christus, in verbis: *Quia in ipso, complacuit, omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt,* cum videlicet sedes gloriæ dœmonum lapsu vacuas, & numerũ Angelorum hoc eodem lapsu imminutum per homines restaurat & implet. Coloss. 1.

3. Secunda causa est, quòd crux fuerit, quasi sacrum in quo Christus cruentum sacrificium obtulit, quẽadmodum significatur ad Hebr. 7. in verbis: *Hoc enim fecit semel seipsum offerendo scilicet hostiam in cruce.* Hebr. 7.

4. Tertia causa, quod crux fuerit via & scala, per quam Christus ad suam exaltationem peruenit, de qua Christus Nicodemum instruens Ioan. 3. credendum esse in ipsum, quòd exaltandus esset in cruce, vt qui in eum crederet vitam haberet æternam, dicit: *Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in ipso, non pereat, sed vitam habeat æternam.* Vtitur autem figura mortis & crucis Christi, quæ habetur Numer. 21. de serpente erecto in deserto, quia Nicodemus erat legisperitus. Et Ioan. 12. opus quoddam exprimens Christus, quo glorificandus est, inquit: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* id est, in cruce moriens mundum ipse in meam potestatem & principatũ cõuertam, vt iam non diabolus, sed ego sim huius mundi princeps. Et ad Philip. 2. inquit Apost. quòd Deus Christum humiliatum & factum obedientem vsque ad mortem crucis exaltauerit, in verbis: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Ioan. 3. Ioan. 12. Philip. 2.

Quod

Quod idem est ac si dicat, Christus propter tantam sui humiliationem vsque ad mortem crucis meruit exaltari, vt nomen non nostrum, sed Christi ipsius exaltaretur, & celebraretur in cœlo, in terrâ, in inferno. Idem patet Apocalypseos cap. 5. v. 12. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere* (ab omnibus hominibus, vt scilicet omnes gentes agnoscant, & laudent eius) *virtutem, diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, honorem & gloriam & benedictionem.* Porrò nota licet Christo omnia debeantur ratione vnionis hypostaticæ, tamē alio quoque titulo, videlicet ob suam humilitatem & obedientiam meruit hæc sequentia, videlicet vt primus à morte resurgeret, vtque mortis victor eam in se & in nobis aboleret. Secūdò, meruit sibi dotes corporis gloriosi, vt quia corpus suum ita in passione dilaniandum dedit, hinc pro mercede acciperet in resurrectione corpus gloriosissimum, planè scilicet immortale, impassibile, fulgidissimum, agillimum, & subtilissimum. Tertiò, meruit euehi super omnes Sanctos, & Angelos. Quartò, meruit sessionem ad dextram Dei Patris. Quintò, meruit potestatē iudiciariam, vt fieret iudex viuorum & mortuorum. Sextò, meruit regnum cæli & terræ, vt quasi rex & dominus mundi imperet Angelis, hominibus omnibusque creaturis.

Apoc. 5.

5. Quarta verò fuit, quòd crux tactu carnis & sanguinis Christi cōsecrata fuerit. Vnde Damascenus lib. 4. cap. 12. *Hæc*, supple crux, *clypeus atque armatura & trophæum est aduersus diabolum. Hæc sigillum, vt ne exterminator angelus nos tāgat, velut Scriptura sacra monumentis proditum est. Hæc iacentium excitatio est, stantium fulcimentum, infirmorum baculus, ouium virga, resipiscentium adminiculum, proficientium perfectio, animæ & corporis salus, malorum omnium depulsio, bonorum omnium causa, peccati extinctio, resurrectionis planta, vitæ æternæ lignum.* Et tum subnectit quod huic rei seruit, dicens: *Hoc itaque ingentis sanè pretij lignum ac venerandum in quo Christus seipsum sacrificij causâ pro nobis obtulit, vt ex sancti corporis & sanguinis contactu sanctificatum optimo iure adorari debet, clauique item & lancea & indumenta, ac sacra ipsius tabernacula, hoc est præsepe, antrum, Golgotha, crux, viuificum sepulchrum, Sion Ecclesiarum arx, aliaque id generis, quemadmodum ait Dei parens Dauid, Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius. Quòd autem his verbis crucem intelligat, argumento est id, quod sequitur: Exurge Domine in requiem tuam. Comes enim crucis est resurrectio. Nam si eorum, quorum amore flagramus, & domus nobis chara est, & lectus, & vestis, quantò magis ea quæ Dei ac Saluatoris sūt, per quæ nobis salus parta est?* Certè D. Hieronymus epist. 17. ad Marcellam ægrè fert Hierosolymam maledictam terram nominari, quòd cruorem Domini hauserit: & è contra sustinet potius benedictam ex eo dici debere; quid ni magis de cruce? Addam, si placet, eius verba. *Et quomodo*, inquit, *benedicta loca putant, in quibus Petrus & Paulus, Christiani exercitus duces, sanguinem fudêre pro Christo? Si Seruorum & hominum gloriosa confessio est; cur Domini & Dei non sit gloriosa confessio? Et Martyrum vbique sepulchra veneramur. Et sanctam fauillam oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingimus: & monumentum, in quo Dominus conditus est, quidam existimant negligendum? Si nobis non credimus, credamus saltem diabolo, & angelis eius, qui quotiescumque ante illud de obsessis corporibus expellūtur, quasi in conspectu tribunalis Christi stantes contremiscunt, rugiunt, & serò dolent crucifixisse, quem timeant? Si post passionē Christi (vt scelerata vox concrepat) hic detestabilis locus est: quid sibi voluit Paulus Hierosolymam festinare, vt ibi faceret Pentecosten? qui retinentibus se locutus est, dicens: Quid facitis flentes, & conturbantes cor meum? ego enim non solum ligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum pro nomine Domini Iesu. Quid cæteri sancti illustres viri, quorum vota & oblationes post prædicationem Christi ad fratres, qui erant Hierosolymis deferebantur?* Et longè post expostulat illum diem,

Damasc. Psal. 131. Hieron.

diem, quo possit lignum crucis osculari, in verbis: *Ergone erit illa dies, quã do nobis liceat speluncam Saluatoris intrare? in sepulchro Domini flere cum matre, flere cum sorore? crucis deinde lambere lignum.* Diuus etiã Chrysostomus causam quęrit & exprimit, quare omnibus tantum sit crucis studium: *Vnde,* inquit, *dic mihi omnibus tantum eius studium & cura, quod ita desiderata cunctis, & omnibus desiderabilior? Ipsum ergo hoc lignum, in quo positum sanctum corpus Domini & crucifixum: quare non habere totus orbis ita contendit, vt qui parum quiddam ex illo habent, hoc auro concludant, tam viri quàm mulieres, & ceruicibus suis aptent, hinc valde honestati, & magnifici, & muniti ac protecti, licet condemnationis fuerit lignum?* Et respondet: *Sed qui omnia operatur, & præparat, qui orbem terrarum à peccato tanto transfert, & terram cœlum facit, etiam rem hanc licet contemptam, & omnibus mortibus turpiorẽ, supra cœlos eleuauit.*

Chrysost. *1 Quod Christus sit Deus.*

6. Quinta ratio est, quòd Deus noluerit crucẽ altissimè defossã, inueniri illo tempore, quo tutò nõ poterat coli, nimirum vsque ad initium Imperij Constantini, quãdo placuit Helenam diuinis admonere reuelationibus, ad crucem Domini quærendam, vt testatur Euseb. in Chronico, quod Hieronymi vertit in latinum: *Helena Constantini mater,* inquit, *diuinis monita visionibus beatissimum crucis lignum, in quo salus mũdi pepẽdit, apud Hierosolymam reperit.* Et idem dicunt Ambros. Ruffin. Paulin. Sulp. & alij; ac per euidentia miracula patefacere, quænam esset ipsius crux. Nã cum tres cruces simul inuentæ fuissent, nec posset planè crux Domini à crucibus latronum dignosci, admotæ fuerunt omnes tres ad mulierem quandam in extremis agentem, & cũ duæ priores nihil egissent, tertia admota mulieri, mox illã reddidit sanam. Scribit hoc Ruffinus lib. 10. histor. cap. 8. Socrates cap. 13. lib. 1. Theodor. lib. 1. cap. 18. Sozomenus lib. 2. cap. 1. & Nicephorus lib. 8. cap. 29. nec solum mulierem ægrã sanauit, sed etiam mortuum virum excitauit eodem tempore, vt scribunt Paulin epist. 11. ad Seuerũ, Seuerus lib. 2. hist. sacræ, & Sozom. lib. 2. cap. 1. qui & viri mortui, & mulieris ægrotæ meminit. Deinde constat, vt ait Bellarm. lib. 2. cap. 27. de imaginibus, ex Paulo Diacono, Zonara, & Cedreno in vita Heraclij, Heracliũ in recuperatione crucis, quam Persę ex Hierosolymis abstulerant, diuinitus adiutum, ita vt etiam de cœlo Deus lapidibus grandinis pugnaret contra Persas, vt olim fecerat cum Iosue. In ipsa etiam restitutione crucis in suum locum miracula quędam contigerunt, vt refert Sigebertus in Chronico anni DC. XXXI. Vnde etiam festum institutum testantur, Otho Frisingensis lib. 5. cap. 9. Beda & Ado in Martyrolog.

Eusebius. *Ruffinus.* *Socrates.* *Theodor.* *Sozomen.* *Niceph.* *Paulin.* *Seuer.* *Bellarm.* *Sigebertus.*

Ad hęc Paulinus versibus posteritati relictis parte crucis, illi, à Ioanne Hierosolymitano missa, incendium domus suæ compescuisse, illã solum apponendo, scribit. Euagrius lib. 4. histor. cap. 26. & Procop. lib. 2. de bello Persico, narrant Apameæ fuisse particulam sanctæ crucis, quam sibi ostendi voluit populus, cum ciuitas diu obsessa iamiam capienda videretur, vt nimirum conspecta cruce Domini, alacrius morerentur. Sed cum ab Episcopo crux illa ostenderetur semel & iterum, & tertiò, effulsisset splendidum ignem non comburentem, sed lucentem, quo territi hostes, obsidionem soluerint.

7. Sed quæres quâ adoratione coli possit? Respondeo distinguendum esse; vel enim adoratur crux vt mentis cognitione ipsi Christo coniuncta, vel vt tota materia adorationis. Si primo modo lignum crucis adoretur, tum cultu latrię coli potest. Ratio istius est, quòd cum adoratio per se primò ad Christum, cõcomitanter verò & quasi per accidens ad lignum terminetur. Sic intelligendus est D. Hieronymus dum ait epist. 17. *Quotiescumq́ sepulcrũ Christi ingredimur iacere in syndone videmus Saluatorem.* Si verò adoretur crux vt tota materia adorationis, adoratio quidem erit respectiua propter excellen-

Hieron.

cellentiam Christi,minus tamẽ perfecta, quam sit illa, quam Christo propter se debemus, atque sic cultu hyperduliæ:quo sensu intelligendus est August.serm.58.de verbis Domini, dicens: *Purpuram coniunctam Regi simul cum ipso adoro: si verò separetur, iam non meretur honorem Regis.* id est, eum qui ipsi Christo competit mente apprehenso: sed tamen maiorem, quàm vllis reliquijs Sanctorum conuenit. August.

8. Verùm enimuerò dices, quomodo crucem colam,si amem Christum? nam filius qui patrem amat, interfectorem non solùm non amat, sed nec etiam libenter videt patibulum, aut gladium,quo pater interfectus, aut supplicio fuit affectus.

Respondeo cum D. Thoma 3. p. q.25.art.4.ad 1. Nos non adorare crucem,vt illâ vsi sunt Iudæi ad iniuriam & pœnam Christo inferendã, sed vt ab illo sanctificata est, eique gloriam & exaltationem attulit, & eodẽ modo pius, & fidelis filius veneratur gladium,quo pater suus, nõ vt malefactor, sed vt innocens Martyr occisus est, & per mortem ad æternam gloriam translatus.

9. Dices iterum,solum contactũ non esse sufficiens adorationis fundamentum: aliàs enim terra, asina, & sacrilega manus, quæ Christum percussit, adoranda essent. Sic enim solent hęretici nobis obijcere.

Respondeo breuiter contactum Christi per se quidem sufficientem rationem adorationis esse: sæpe tamen non expedire vti hac adoratione, vel quia non decet, vel quia res adoranda valdè incerta est,vel cum alijs rebus necessariò cõiuncta, quæ ad communes vsus humanos deputatę sunt; præsertim verò manus illius, qui Christum percussit, adorãda non fuit,sed execranda, non solũ quia tactus ille, vt fuit actio talis personæ, grauissimum peccatum fuit, sed etiam, quia erat membrum iniquissimæ personæ. Vnde cum persona sit, quæ per se primò adoratur non debuit pars illa adorari, ne in talem personam veneratio redundaret.

10. Adde magnam esse differentiam inter crucem, labia Iudæ, & manus crucifigentiũ, vt docet Thomas VValdensis tom.3.titul.13. cap. 120. Nam crucem Dominus elegit, & amanter amplexus est, vt rem innoxiam, deseruiẽtem redemptioni: at labia Iudæ, & manus impiorum Christus non elegit,nec amauit,sed execrabatur, vt res impias & sceleratas. Nos autem illa solùm amare, & honorare debemus, quæ Dominus amauit & honorauit.

Sed ne videamur Nouãtibus nõ satisfacere,audi Ionam Aurelianensem lib. de cultu imaginum serijs inuectiuis Claudium Taurinẽsem huiusmodi obiectionis auctorem aggredientem ob crucis & asini absonam comparationem. O,inquit,*detestanda & abominanda prædicatio! ô inconcinna & absona crucis & asini comparatio. Quæ te, ô Claudi, dementia cepit, vt tam vesana, tamque cunctis Catholicis execrãda scribendo & prædicando proruperis? Apostolus quippe non in asino, sed in cruce gloriatur, dicens: Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est,& ego mũdo,& cætera, quæ de cruce in eiusdem Apostoli reperiuntur verbis. Et tu ex obliquo eidem Apostolo resultans, quid videris dicere in eo quod ais: Si adoretur crux, adoretur & asinus, nisi vt siquis glorietur in cruce, æquè glorietur in asino?* Quod idem est ac si dicat, Apostolus dicit, quòd neque in carnali circũcisione, neque in aliâ re velit gloriari;sed dumtaxat in fide,gratâ memoriâ, meditatione, deprædicatione beneficij crucis,vtpote per quam redempti ac iustificati sumus, à quo gratiam piè & sanctè viuendi, & ad beatitudinem perueniendi accepimus. Rursum quòd cupiat in eâ solâ gloriari, quòd magnitudo peccati nostri,& immensus in nos Dei amor in cruce manifestatus fuerit. Pulchrè in hãc rem August.serm. 20. de verbis Apostoli: *Poterat*, ait, *Apostolus gloriari in sapientiâ Christi, & verum diceret; poterat in maiestate, poterat in potestate, & verũ diceret; sed dixit in cruce. Vbi*

Ionas Aurel. Galat. 6. August.

Vbi mundi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Quo Domino? Christo crucifixo, vbi humilitas, ibi maiestas; vbi infirmitas, ibi potestas; vbi mors, ibi vita; si vis ad illam venire, noli ista contemnere, noli erubescere; ideo in fronte, tanquam in sede pudoris signum crucis accepisti. Ionas verò Aurelianensis in Præfat. lib. 2. de cultu imaginum dictum Claudium percellens, inquit: *Videamus qualiter Doctor Gentium in Cruce gloriari, atque eius mysterium cōprehendendū nos salutariter instruat, per quā magnam diuinæ pietatis dignatio armaturam suæ fortitudinis nobis subministrauit, quæ etiam eum de persecutore prædicatorē, & de vase iniquitatis, vas nobis tribuit electionis, quique raptus vsque ad tertium cœlum, audiuit arcana verba, quæ nec homini loqui licet. Qui etiam cælesti reuelatione edoctus, & sancti Spiritus gratia inebriatus, inter cætera prædicationis suæ documenta, non in asino, sed in Cruce adinstar sui nos gloriari perdocuit, dicens: Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Et ad Ephesios scribens, non aut caudam, aut latera tui comprehendi hortatur aselli: sed flectendo genu orat & obsecrat, vt in charitate radicati & fundati possint comprehēdere cum omnibus sanctis, quæ sit eius Crucis non asini latitudo, longitudo, altitudo, sublimitas, & profundū. In quibus verbis mysterium Crucis non asini ab eodem Paulo Apostolo sibi traditum sancta tenet Ecclesia.*

Quod insinuat tale est, Apostolus frustra non orat Deum, vt Ephesios in fide Christi & spiritu corroboret, vtque in charitate radicati ad plenum in diuinis Christi mysterijs edoceantur, & comprehendant, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas & profundum. Rursum Apostolus de his mysterijs loquens frustra dimensiones crucis Christi nō commemorat: sed vt comprehendat quis, quænam his verbis doceantur, nimirum longitudine Crucis, quòd ab initio mundi vsque ad finem nemo iustificari aut saluari potuerit & poterit, nisi per crucem & passionem Christi: latitudine, Ecclesiam toto orbe diffusam processisse ex latere Christi in cruce mortui, velut Eua processit ædificata ex latere viri dormientis: altitudine quanta sit cœlestis gloriæ sublimitas, & excellentia, ad quā nos prouehit humilitas crucis Christi. Denique profundo, arcanum diuinę electionis ac discretionis hominū è massa cōmuni, & signū *Tau* paucorū frōtibus inscriptū: Vnde verè exclamandum est: *O profunditas diuitiarū, sapiētiæ & scientiæ Dei, quàm incōprehensibilia sūt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Adeò vt rectè subiungat quæ sequūtur. *Quibus verbis, quàm sit absurda aselli tui & viuificæ Crucis nostræ comparatio, apertè comprobatur, & cunctis Christum veraciter colentibus manifestum habetur. Neque enim ait idem Apostolus, quòd Christus asello tuo principatus, & potestates tenebrarum harum quæ sunt spiritalia nequitiæ in cælestibus, sed cruce eas triumphans deuicerit. Asellus itaque tuus, Claudi, rudit fame, aut lupi terrore stimulatus, Crux Christi, purpureo, pretiosoque sanguine eius rubet; in qua vitis vera pependit, ex cuius botro stirps Crucis coruscæ rutilat, quadratumque orbē suis sacratis quatuor cornibus circumfouet, & fidelium frontibus defixa procul ab eis propellit dæmonum præstigias. Nam si Isaac non asinum ad iugulandum futurus ipse hostia, sed ligna portauit: nec vtique verus Isaac noster, asellum tuum, sed crucem baiulauit, futurus ille salutifera hostia Patris. In Euangelio quoque secundum Matthæum: Et nunc parebit inquit, signum filij hominis in cælo, non dixit asinus Claudij, sed signum filij hominis. Mille præterea, & eo amplius inueniuntur, tam in veteri testamēto, salutiferæ crucis in typū præcedētia, quàm in nouo honore iam eiusdem longè lateque, iam easdem in quatuor scilicet plagas mundi, quæ etiā quatuor cornibus eiusdē aptari nō incōueniēter possunt.* Genes. 22. Matt. 24.

Deinde ex cōsuetudine Ecclesiæ illū magis cōfundit, ait enim: *Postremo multa sūt quæ mos sācta Ecclesia sicut à maioribus tradita sunt, & derelicta, quādam insitā atque natiuā celebratione frequentat. Neque enim nostro tempore vsus irrepsit, figuram crucis in basilicis sanctorū statui, sed mos antiqua obseruationis legitimus id instituit, vt cunctis sapienti-*

 bus

bus atque rusticus, non solum memoria spiritalem deformet quandam imagine crucis figuram, sed etiam corporalis ipsius intuitus crebram menti præfigat Dominicæ passionis victoriam. Si enim quantitas tanta venerabilis ligni, in quo Dominus & Saluator noster pependit, foret, vt ex eo minuatim diuiso cuncta Deo dicata templa possent imaginem crucis habere, nullatenus ex alijs lignis eiusdem formam in basilicis locaremus. Deinceps vsum ab idololatriæ calumnia eximit, dicens: *Nec tamen ideo crucem vt Dominum adoramus, sed magis eum qui per crucem mortis destruxit imperium, cuique chirographum peccati nostri affixit, pacificans in ea sanguine suo, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. Porrò & si oscula infigimus, non vtique causa ligni, sed potius amore illius id à nobis agitur, quia in ea veteris ligni damna restaurauit. Miror si vnquam legi Dei, quæ vtique pellibus, & atramento digesta habetur, caput supposuisti, & osculum dedisti: fortè respondebis si tamen veritatem profitearis, multoties te id egisse: volo ergo vt mihi respondeas, cuius causâ caput inclinasti, pellium, vel atramenti, an Dei auctoris legis eiusdem.* Et postea ad lõgum pluribus argumentis Nouatorem studet compescere. Et lib. 1. illum vt stultum taxans, inquit: *O Claudi, putaris absque alicuius certâ ratione mysterij, asinum adorandum proposuisse, & in eo ita vt in cruce, gloriandum prædicasse. Quia profectò in adoratione asini, quã docuisti, magnam stultitiæ notam acquisiuisti. Asinus quippe stultum significat hominẽ, iuxta illud Deuteron. Non arabis in boue simul & in asino, id est, in prædicatione stultum ne sapienti socies.* Denique addit hanc exhortationem. *Desine itaque seplasiariorum pigmentulis potionari, vt non talia ganniendo, mansuetis incutias terrorem volucribus, quæ necdum fortiori pennâ robustæ aëra sudum transcendere potuerunt, illud applicans ex latere tibi, quia qui scandalizauerit vnum de pusillis his, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum.* Masticent hęc Nouantes.

Idem. | Matt. 18.

Discursus LIII.

An non repugnet saltem huic præcepto ad diuersorum Sanctorum reliquias peregrinari huius vel illius rei impetrandæ gratia?

Chrysost. D. Chrysostomus orat. in Iuuentium & Maximum, inuitat suos ad eorundẽ Sãctorum reliquias inuisendas, dicens: *Sæpè Martyres istos inuisamus, tumulos adoremus, magnaque fide reliquias eorum contingamus, vt inde benedictionem aliquam assequamur.* At quia Nouãtes eiusmodi visitationem plenam aiunt impietate, quòd Deus sit vbique, tractabo an superstitiosum sit illas inuisere?

1. Vt autem res melius intelligatur, præmitto primò Deũ multa fieri velle per Sanctorum inuocationem, quæ ipse solus posset potenter & efficaciter, sed tamen adhibere subinde Sanctos, tanquam instrumenta, vt sic charitas, & vnio inter membra Ecclesiæ militantis, & triumphantis magis elucescat, & innotescat, ac augescat. Quod mirum non est, cum etiam quemuis morbum viuentium per se curare possit, & nihilominus operã, opẽue causarũ secũdarũ, medicorum videlicet, & medicamẽtorũ adhibere iubeat, vt patet Eccl. 38. Eccles. 38.

2. Permitto secundò hinc natam esse consuetudinem in Ecclesiâ Sanctorum reliquias visitandi, easque subsidij causâ colendi. Cuius consuetudinis plurima extãt apud Gretserum lib. 2. de sacris peregrinationibus & apud alios auctores, testimonia; imò de visitatione ad memorias B. Virginis tã manifesta diuersis locis est notitia, vt frustraneum videatur quid de eâ annotare. Accipe tamen hæc pauca quæ Petrus Cluniacensis lib. 2. contra Iudæos de illâ pulchrè scribit. Gretser. | Petr. Cluniac.

scribit. Is cum de reliquijs aliorum Sanctorum egisset, sic Iudæum affatur. *Cerne ipsam, quam semper exosam speciali odio habuisti: supercælestem, ipsoque sole splendidiorem æternam Virginem Matrem Christi: conspice, quamuis liueti oculo salutarem, quam huc vsque maximè execratus es, Crucem Christi. Agnosce apud loca in memoriâ ipsorum, vel honore familiarius dedicata frequentius, ac solennius ista, vel maiora fieri; vt vnde magis scandalizaris; inde maximè confundaris: & vt ea, quæ apud te maiore vilescunt ignominiâ, maiore præ cæteris decorentur gloriâ. Concurrunt ad eadem loca inter innumeros diuersis miserijs affectos, horrendo, ac tetro igne adusti: &, sui multitudine Ecclesias illas implentes: infra breue spatium, non solùm tantùm bini, vel quaterni; sed sæpe, & quinquageni, vel centeni curantur.*

Hieron. 3. De concursu ad Prophetarum monumenta scribit Hieronymus in vitâ Paulæ ad Blesillam, quid suis oculis viderit per sancta loca peregrinando, his verbis: *Vidit duodecim Patriarcharum sepulcra, & Sebasten, id est, Samariam* &c. *ibi siti sunt Helisæus & Abdias Propheta, & quo maior inter natos mulierum non fuit, Ioannes Baptista, vbi multis intremuit consternata mirabilibus: namque cernebat varijs dæmones rugire cruciatibus, & ante sepulchra Sanctorũ vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum, alios rotare caput, & post tergum terram vertice tangere: suspensisque pede fœminis vestes defluere in faciem, miserebatur omniũ: & per singulos effusis lachrymis Christi deprecabatur clementiam.* Hæc S. Hieronymus.

Chrysost. De Apostolis scribit Chrysostomus hom. 66. ad populum, quòd eorum sepulchra regijs aulis sunt clariora, idque ob eò conuenientium studiũ. Cum enim ostendisset Christum post mortem suam miracula, & omnem humanam vim excedẽtia opera perpetrasse, subiungit. *Et quid de Christo loquor, cum & discipulos, postquã obierunt, tunc effulgere fecerit? Quid dico discipulos? Nam & eorũ loca, & sepulchra, simul & tempora perenni memoriâ celebrari curauit. Tu verò mihi sepulcrum ostendas Alexandri, & profer diem, quo vitam finiuit. Sed nihil horum insigne, sed omnia destructa sunt, & exterminata: Christi verò seruorum, & sepulchra clara sunt, regiam assecuta ciuitatem, & dies notissimi mundo festam afferentes lætitiam. Et illius quidem loculum, & proprij nesciunt, horum autem sciunt & barbari. Et seruorum Crucifixi sepulcra regijs aulis sunt clariora, nõ magnitudine, & ædificiorũ pulchritudine, (nã & in hoc quidẽ superãt) sed quod multò maius est, cõuenientiũ studio. Nam & ipse, qui purpuram indutus est, accedit illa complexurus sepulcra, & fastu deposito stat sanctis supplicaturus, vt pro se apud Deum intercedant: & scenarum fabrum, & piscatorem, etiam mortuos vt protectores orat, qui diademate redimitus incedit.*

4. De Martyribus scribit Theodoretus lib. 8. aduersus Græcos: *Martyrum templa conspicua cernuntur magnitudineque præstantia, omni præterea ornatus genere variata, splendoremque quodammodo pulcritudinis suæ latè fundẽtia. Neque verò hæc per annum semel, aut bis, aut quinquies aduẽtamus, sed in eis sæpenumero dies festos peragimus, sæpe diebus singulis eorum Martyrum Domino laudes hymnosque cantamus. Quique homines prosperâ sunt valetudine, conseruari eam sibi à Martyribus petunt, qui verò ægritudinem aliquam patiuntur, sanitatem exposcunt. Insuper & steriles viri & mulieres; dari sibi filios petunt, qui verò parẽtes sunt, integra sibi & propria custodiri quæ consecuti sunt, dona. Item qui peregrè aliquãdo proficiscũtur, petunt martyres sibi comites in via, vel potius itineris duces, qui verò iam sospites redierunt, gratias agunt, acceptum beneficium confitentes.* Theodor.

5. De Cõfessoribus & Virginibus etiam non desunt antiquorum luculẽta testimonia, quę breuitatis causâ omitto: hoc tamen præterire non licet, quòd ab ineunte ætate pueri consuetudinem habuerint sepulcra Apostolorum & Martyrum visitare certis diebus, teste Hieronymo, qui in cap. quadragesimo Ezechiel. de se sic scribit: *Dum essem Romæ puer, & liberalibus studijs erudirer, solebam cum cæteris eiusdem ætatis & propositi diebus Dominicis sepulcra* Hieron.

Apostolorum & martyrum circumire, crebroque criptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ ex vtraque parte ingredientium, per parietes habent corpora sepultorum.

6. Quæritur an rectè & conformiter huic præcepto? Respondere possem cū D. August. epist. 118. quod *per orbem frequentat Ecclesia, hoc quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insania est.* Verum quia Nouantes nos idololatriç insimulant, dico resolutè id nullatenus huic præcepto repugnare, nec idololatriæ speciem habere, vt enim ait Theodoretus loc. cit. Nemo arbitratus fuit ex cōcurrentibus ad sepulchra Martyrū, se ad Deos accedere, his verbis: *Non qui se ad Deos accedere arbitrentur, sed qui orent Dei Martyres tanquam diuinos homines, intercessoresque sibi eos apud Deum aduocent ac precentur.* Nec pluribus hîc opus est, quia Ecclesia definiuit hoc pium esse, in Tridentino sess. 25. Et qui hanc non audit debet tibi esse vt ethnicus & publicanus, vt dixit Christus Matth. 18.

August. *Theodor.* *Trident.* *Matth. 18.*

7. Dico secundò ad pleniorem instructionem fidelium, hoc esse, diuino beneplacito se conformare, qui hoc ipso, quòd certis locis signa præsentiæ suæ per operationem miraculorum ostenderit, designauit hæc loca & memorias à se esse selectas, vt magis piè & vtiliter frequentarentur à fidelibus: atque adeò sicut Iacob olim dignouit locum esse sanctum propter visionem illi factā, Genes. 28. Sicut Iudæi Numer. 21. crediderunt se non aliter sanandos, nisi aspiciendo erectum æneum serpentem in deserto Sicut paralytici exspectabant ad triginta octo annos ad Probaticam piscinā, Ioan. 5. quòd ibi Dominus per miracula præsentiam suam ostenderet. Sicut 4. Reg. 5. non in fluuijs Damasci, Abanar & Pharphar, sed in fluuio Iordanis septies se lauando curari debuit à leprâ Naaman Syrus, sic iubente Prophetâ Helisæo: ad eundem modum antiquitùs nouerunt certa hæc loca visitanda esse; vbi Deus miracula faciendo signa suæ præsentiæ ostendebat.

Genes. 28. *Num. 21.*

8. Porrò tantùm abest, vt, ad reliquias Sanctorum peregrinari, idololatriam aut superstitionem redoleat, vt potius sit pars fidei. Vis hoc ex sacris Scripturis dignoscere? audi quid S. Lucas dicat Act. 5. *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum: ita vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, vt, veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Quod dicit, tale est, Ex signis quæ faciebant Apostoli auctus est credentium numerus, qui ferebant infirmos positos in lectulis & grabatis in publicum, quâ Petrus erat trāsiturus, vt ex vmbrâ illius sanarētur. Attende quid dicat vlterius: *Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Hierusalem afferentes ægros & vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes.* Quęritur an hi superstitiosi fuerint, aut Christo detraxerint? Quis hoc dixerit? Nemo sanæ mentis, cum Scriptura eos non reprehēdat, sed vt signum fidei posteris scripto commendatum reliquerit.

Act. 5.

Accommodo rem ad propositam quæstionem non meis, sed D. Augustini verbis, qui serm. 29. de Sanctis sic ait: *Si tunc opem ferre poterat vmbra corporis, quantò magis nunc plenitudo virtutis? si tunc supplicantibus proderat aura quædam transeuntis, quantò magis gratia nunc permanentis?* Et immediatè pòst, subiungit: *Meritò per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum: si tam medicabilis fuit obumbratio visitantis, quantò magis catena vincientis? vt vmbra, inquit, venientis Petri obumbraret eos. Si inanis quædam species vacuæ imaginis habere potuit in se vim salutis: quantò plus de corpore meruerunt attrahere salubritatis ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis?* His addo, quòd idipsum quod ad vmbrā Petri compulit populorum multitudinem concurrere, hoc etiam quodammodo coëgit Cœlitum memorias frequentare. Hanc sanè causam non obscurè insinuat Theodoretus loc. cit.

August.

Theodor. cit. vbi indicatâ frequentiâ peregrinantium, sic testatur, *Piè verò fideliterq́ precatos ea maximè consequi, quæ desiderant, testatur illa, quæ votorum rei dona persoluunt, manifesta nimirum adeptæ sanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij porrò manuū simulacra suspendunt ex argento auroúe confecta.* Et paulò pòst. *Hæc itaque omnium spectaculo exporrecta testantur morborum depulsionem, cuius ipsa certissima signa sunt à sanitatem consecutis allata.* Addo quòd ambigendum non est, alios fideles quasi tubâ sic euocatos ad Martyrū reliquias: Nec dubium quin alibi sic ad aliorū Sanctorū memorias. Vidi ego, & mille alij ante annos viginti tres, aut circiter, post aliquot miracula ad memoriam B. Virginis in aspero colle iuxta Sichemium, Oppidum Brabantiæ facta, tantam frequentiam eò concurrere, vt sit incredibile dictu. Denique pluribus non opus est: quia Ecclesia, columna & firmamentum veritatis, definiuit hoc pium esse in Trid. sess. 25. Et qui hãc non audit debet tibi esse velut ethnicus & publicanus, vt dixit Matt. 18. Christus Matth. 18.

Quòd Ecclesia definiuit, hoc protestantur de facto Naaman Syrus & fideles Act. 5. Ille enim cognoscens se sic restitutum sanitati *reuersus ad virum Dei cum vniuerso comitatu suo venit & stetit coram eo, & ait: Verè scio quòd non sit alius Deus in vniuersâ terrâ, nisi tantùm in Israel.* Illi ad fidem venientes hoc auxilium in suis tribulationibus implorarunt. Cæterum ait Theodor. Theodor. dict. lib. 8. hoc honorem Dei promouêre, cum ait: *Hæc inquam sepultorum ibi Martyrum quæ sit virtus ostendunt. Martyrum autem virtus, quem ipsi coluerunt Deum, verum esse Deum declarat.*

9. Quæres iterum an aliqua possit dari ratio, quare Deus ad intercessionem, reliquias, aut memorias vnius Sancti mira operetur, ad alterius verò minimè?

Respondeo affirmatiuè, nempè Dei beneplacitum. Sicut enim gratias gratis datas aliquibus in hoc mundo concessit, alijs non: quia, vt ait Apostol. 1. ad Corinth. 12. cum 1. Cor. 12. de harum distributione egisset, *hæc omnia operatur vnus, atqui idem spiritus diuidens singulis prout vult.* id est, quòd alius habeat gratiam sanitatum, siue donum curationum, alius operationem virtutum, siue maiorum miraculorum, quæ non corpus & morborum curationem, sed animam & quæuis alia spectant; qualia sunt excitare mortuos, dæmones eijcere, punire incredulos & impios per miraculum, vti S. Petrus Ananiam & Saphiram miraculosâ morte, Act. 5. Act. 5. è medio sustulit: quòd alius autem id non possit, procedit ex Dei beneplacito.

Ex quo libet sic ratiocinari vti Deus quibusdam hominibus speciale donum curationum dedit in hoc mundo; ita quibusdam Sanctis in æternâ beatitudine concessit peculiariter, vt ad ipsorum memorias in hoc sęculo fierent miracula postulata per eorum intercessionem, ad aliorum non item. Hoc argumento satisfactum credidit beatus Augustinus epist. 137. cum miracula August. contingerent ad corpus sancti Felicis Nolæ, quæ alibi non fiebant in Africa, licet corporibus Sanctorum esset plena. Sic enim ibidem legitur: *Vbique quidē Deus est, & nullo cōtinetur vel includitur loco, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in spiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiens in occulto etiam iustificet, & coronet. Veruntamen ad ista, quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest eius consilium perscrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant? multis enim notissima est sanctitas loci, vbi B. Felicis Nolensis corpus conditum est, quò volui vt pergerent, quia inde nobis facilius fideliusque scribi potest, quidquid in eorum aliquo diuinitùs fuerit propalatum.* Casus verò erat rarus. Quidam accusauerat alium de crimine; res euidentibus argumentis nec refelli, nec coargui poterat: iussit D. Augustinus vtrumque adire sepulcrū Martyris, vt miraculo transigeretur iudicium, & certo placito se ambo cō-

 strin-

ſtringerent ad locum ſanctum peregrinari, vbi terribiliora opera Dei non ſanam cuiuſque conſcientiam multò facilius aperirent, & ad confeſſionem, vel pœnâ vel timore compellerent. Egit autem hoc Auguſtinus ex iuſtâ cauſâ ad hoc compulſus. Et rationem dans, quare vnô locô hoc potius contingat, quàm aliô, ait: *Sicut quod Apoſtolus dicit; non omnes Sancti habent dona curationum, nec omnes habēt diiudicationem ſpirituum ita nec in omnibus memorijs Sanctorum iſta fieri voluit ille, qui diuidit propria vnicuique prout vult.* Sic Auguſtinus. Neque hoc mirum eſt, cum certis aquis Deus vim concedat, tum naturaliter, tum ſupernaturaliter infirmitates ſanandi. Et quis quæſo eſt qui rationem poterit dare phyſicam, quare aquæ Iordanis potius lepram diluerint Naaman, quam fluuiæ Damaſci Abana & Pharphar, quæ meliores erant iuxta aſſertionē ipſius Naaman? Quis, inquam, rationem dabit, cum crebræ lotiones in fluuialibus aquis dignoſcātur nihil momenti habere ad curandam lepram, in qua Phona & Elephantiaſis inueterauit, & quæ Medicorum vim iam omnem experta eſt, ac pharmacis omnibus obſtitit, qui hæc Naaman Syri lepra in eis curata ſit, niſi credat Deum illis cooperatum?

10. Alia porrò ratio aſſignari poſſet, quòd Deus Sanctos ſuos glorificare voluerit, congruam eorum paſſioni & patientiæ hanc dans mercedem pro ærumnis ab ijs in vitâ perpeſſis, vt ad eorum preces ſimili paſſione laborantibus opitularetur & ſuccurreret. Sicut enim Chriſtus ſuâ tentatione & paſſione iniuſtâ, vtpote innocenti inflictâ meruit vt poſſit ijs qui tentantur & patiuntur, auxiliari, eoſque victores & triumphatores efficere, iuxta illud Pauli ad Hebr. 2. *In eo enim in quo paſſus eſt, ipſe & tentatus, potens eſt & eis qui tentantur auxiliari.* Sic veroſimile eſt, inquam, quòd Sanctis hoc concedat in cælo, vt in quo iniuſtè paſſi ſūt alijs opitulari valeant. Et hinc credo ortā conſuetudinē Sāctos in cęlo beatos inuocādi in eo quod paſſi ſūt, vt nobis idē patiētibus auxiliētur apud Deū. Sic enim à ſanctis Virginibus, quæ pro caſtitate ad mortem vſque certarunt, petimus opem in tentatione libidinis. Ita à SS. Martyribus petimus, vt nobis impetrent robur in tentationibus fidei, & perſecutionibus hæreticorum & infidelium: ita à S. Iob, Euſtachio, & ſimilibus petimus in infortunijs & aduerſis patientiam: quinimò particulatim in dolore dentium inuocamus S. Apolloniam, cui pro Chriſto excuſſi ſunt dentes. In peſte inuocamus ſanctum Rochum, cuius inſignis charitas in ijs qui peſte laborabant curandis totâ Italiâ celebratur; in alijs morbis & ærumnis alios inuocamus Sanctos, qui eaſdem perpeſſi ſunt.

Hebr. 2.

11. Vt vt eſt, certum & notorium eſt Deum ad memorias Sanctorum quorundam homines iuuare, aliorum verò minimè. Et hinc credo afflictiones aliquas vocari morbos S. Ioannis, S. Huberti, ſicut morbus epilepticus: quòd ad memorias aut reliquias eorum in priſtinum ſtatum reſtitui ſolebant tali morbo affecti; non alibi. Aut quòd à dœmone obſeſſi huiuſmodi reliquias viſitantes ſoleant peregrinas voces edere (vt faciunt epileptici latrando) nempè vlulatum more luporum, latratum more canum, fremitum leonum, ſibilum ſerpentum, & ſimiles, dœmone has formante. Hoc enim teſtatur Hieronymus in vita Paulæ ad Bleſillam, eandem Paulā vidiſſe, id eſt *varijs dæmones rugire cruciatibus, & ante ſepulchra Sanctorum* (ſupple Heliſæi, Abdiæ, & Ioannis Baptiſtæ) *vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, ſibilare ſerpentum, mugire taurorum*, & alias inſolentias exercere in obſeſſis, quas n. 3. huius diſcurſus ex Hieronymo retuli. Idque quia ſentiunt vim diuinam circa eorum reliquias magis operari, eoſque cogere, ad deſerendum quod obſident. Quod D. Chryſoſtomus nō obſcurè inſinuat, hom. 66. ad populum, agens de monumentis Apoſtolorum Petri & Pauli,

Hieron.

Chryſoſt.

Pauli, & affirmans quòd illa regalibus sepulchris sint clariora ob magnum concursum eo confluentium. Sic enim ait: *Hic* (supple Rex) *quidem regnans alicui subiecto præcipit, vt hũc quidẽ soluat, illũ verò liget: Sanctorũ autem ossa non hãc habẽt miserabilem & abiectam potestatem, sed illã multò maiorem. Dæmones enim sistunt, & torquent, & vinctos ab illis soluunt sæuissimis vinculis.* Et tum addit quòd huic proposito congruit, dicens: *Quid hoc foro magis reuerendum, cum videatur nemo, nemo dæmonis instet lateribus, voces sentiuntur, & lacerationes, flagella, tormẽtaque, ac linguæ ardentes, terribilem illam vim dæmone non ferente? Et corpus induti, incorporeas opprimunt potestates. Et cinis & ossa, & fauilla inuisibiles illas potestates dilaniant.* Tum subiungit: *Itaque quò Regias quidem aulas videat, nullus vnquam peregrinatus fuerit: multi verò Reges plerumque huius spectaculi gratiã peregrinati sunt. Futuri namque iudicij vestigia & signa, sanctorum ædes exhibent vbi dæmones flagellantur, corriguntur homines, & liberantur.*

12. Verum enimuerò cum Deus tam mirabiliter quàm efficaciter operetur per Sanctos, & tanta ex visitatione illorum redundet vtilitas, vt Chrysostomus dicta hom. dicat multos longa & transmarinã peregrinatione à terræ finibus in Arabiam abijsse, vt fimum, supple Iob, cernerent, & conspicati terram deoscularentur, quæ illius victoris certamina & cruorẽ omni auro pretiosiorẽ recepit; quî fit vt tam multi redeant à peregrinatione voti minus compotes.

Respondeo id contingere pluribus de causis: quarum prima est, quòd sępe magis recreationis causã, quàm deuotionis peregrinatum cõcedant: atque adeò oratio, quæ ad Deum & Sanctos funditur, non ex fide aut deuotione proueniat, adeoque longè absit à fide Centurionis, quàm Christus admiratus est, Luc. 7. & Mulieris Hęmoroissæ, cuius fidem Christus magnificauit Matth. 9. Sanè D. Hieron. lib. aduersus Luciferianos acutè animaduertit

Luc. 7. Matt. 9. Hieron.

orationem ex frigidã illã fide manantẽ causam esse cur postulata non impetrẽtur: vnde dicit se nolle audire vocem illam Christi in oratione: *Fiat tibi secundum fidem tuam. Si enim*, inquit, *secundum fidem fiat mihi, peribo. Et certè credo in Deum Patrem, credo in Deum Filium, & credo in Deum Spiritum sanctum: credo in vnum Deum: & tamen secundum meam fidem nolo mihi fieri. Sæpe quippe venit inimicus homo, & inter Dominicam messem Zizania interserit. Neque hoc dico, quòd maius quidquam sit, quàm sacramenti fides, quàm puritas animæ: sed indubitata ad Deum fides arduè reperitur. Verbi gratiã dictum sit, vt quòd volumus perspicuum fiat: ad orationem assisto: non orarem, si non crederem: sed si verè crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lachrymis rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, iacerem ad Domini mei pedes, eosque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certè trunco crucis, nec prius amitterem, quàm misericordiam impetrarem. Nunc verò creberrimè in oratione meã, aut per porticus deambulo, aut de fænore computo; aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescenda sunt, gero. Vbi est fides? siccine putamus orasse Ionam? siccine tres pueros? Sic Danielem inter leones? sic certè latronem in cruce? Et ego hæc exempli causã ad intelligentiam sensus protuli.* Deinde monet vt vnusquisque seipsum scrutetur, ex quo capite procedat, & in quem finem, opus bonum quòd facit, his verbis: *Cæterum conueniat vnusquisque cor suum, & in omni vita inueniet, quàm rarum sit, fidelem animam inueniri, vt nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumusculos hominum faciat. Neque enim statim, qui ieiunat, Deo ieiunat; aut extendens pauperi manum, Deo fænerat. Vicina sunt vitia virtutibus, difficile est Deo tantum Iudice esse contentum.* Ad hunc modum conueniat vnusquisque cor suum, an rectã fide & persuasione subnixus Sanctos inuocet, vt in charitatis officio erga nos perseuerent, diuinæ maiestati continenter supplicaturi vt nostri misereantur. Qui enim ipsos honorat & inuocat, debitè, hoc ipso honorat & in-

Ionæ 2. Dan. 3. Ibidem. 6.

& inuocat Christum, qui non aliter, quàm per Sanctorum intercessionẽ sæpe vult postulata concedere. Et econtra faciēs dehonorat Christū.

13. Secunda causa est, quòd peregrinatum concedentes sæpe neglectis & contemptis Pastoribus & religiosis viris superstitiones admisceant non ferendas, & anilibus fabulis plus fidei tribuant, quàm instructioni Superiorum. Sic videmus quosdam ex præscripto muliercularum maiorem vim ponere nummo argenteo, quem præscribunt offerre eiusmodi Anus, In certa quantitate siliginis, aut fruméti, quā aiunt necessariò ostiatim petendā, & in alijs rebus deterioribus, quàm in ijs, quę edocti sūt à superioribus secundū fidē esse necessaria; quasi verò Deus vel numerū, vel munus respiciat; aut modū quo acquiritur, neglectâ fide & deuotione. Quod Theoderetus loc. cit. expressè affirmat, dicēs: *Gratissimè accipit eorū Dominus, qualiacumq; sūt dona, nec exigua, nec vilia dedignatur, quippe qui ea proferētis facultate metitur.* Dicit hoc Theodor. de ijs qui gratiarū actionis ergo munera relinquunt apud memorias, tāquā signa depulsionis. Sed eadē ratio est de muneribus, quæ ante adeptā sanitatē offeruntur, in quibus Deus maximè cōsiderat, quæ dixi: vnde his nugis fidē tribuere, est Deo & idolis sacrificia facere, & quodāmodo imitari Samaritanos, qui in mōte Garizim Deo & idolis sacrificabāt; quinimo denegare Christo fidē, qui dixit Ioā. 5. *Si crederetis in Moysē, crederetis forsitā & mihi: de me enim ille scripsit.* Et de Apostolis dixit. *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* At dogmata Superiorū sūt dogmata Christi & Apostolorū: ergo ijs sese nō cōformās, incredulus est in Christum & Apostolos. Ioan. 5.

14. Tertia verò causa est, quòd peregrinantes sæpè in viâ grauiora crimina cōmittāt: atq; adeo etiā cōfessi nō mereātur à plaga liberari, pro qua supplicāt, quòd demissâ culpâ noua maneat temporalis pœna, & aliquādo talis, quā Deus nullius etiā precibus, aut sacrificijs aut Sāctorū intercessione vult tollere: qui perpēdere debēt illud Iob, c. 9. *Deus cuius iræ nemo potest resistere, sub quo curuātur, qui portāt orbē.* hoc est, Cum Deus indignationē aduersus mortales concipit, nullius metu, increpationeue irā remittit, nempè quoad pœnā temporalē; licet Angeli, qui res inferiores administrāt; licet etiā sancti homines, se ante numē diuinū prosternāt, suisq; precibus alios sustētare conētur. Et his applicari potest etiam illud Prophetæ Ps. 75. *Tu terribilis es, & quis resistet tibi.* Iob 9. Ps. 75.

15. Quarta denique causa, quòd sæpe nō expediat saluti animæ à tēporalibus malis liberari, pro quibus auertēdis supplicatur. Hinc Angelus quidam apud Danielem cap. 10. contendebat Iudæis expedire, vt manerent in Perside, quòd meliores essent in aduersis. Sic D. Paulo contigit responsum: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur,* cum sæpe orasset, vt Deus angelū sathanæ à se auerteret stimulum carnis. Idque eatenus fieri testatur August. in hoc casu, serm. 39. de diuersis. *Non cessat,* inquit, *Deus sanctis suis attestari; & quomodo ipsa miracula sua debeat commendare, nouit. Nouit agere, vt magnificentur: nouit agere ne vilescant. Non omnibus donat per Martyres sanitatē: sed omnibus promittit imitatoribus Martyrum immortalitatem.* Et nōnihil post: *Modo petit ab illo* (supple patre) *filius suus sanitatem corporis: adhuc flagellat. Sed nunquid pater quando flagellat, non præstat? Profert flagellum, sed cogita, quale præparat patrimoniū. Flagellat, inquit omnē filium, quem recipit. Quem enim diligit Dominus, corripit. Ideo ista dico fratres mei, ne constritemini, quando petitis, & non accipitis, & arbitremini, quòd ante oculos suos non habeat Deus, si ad tempus non exaudit voluntatem vestram. Non enim semper ægrum exaudit Medicus ad volūtatem; quamuis eius sine dubio procuret, atque appetat sanitatem. Non dat, quod petit: sed quod nō petit, hoc procurat. Petit frigida, non dat. Crudelis factus est, qui venit sanare? Artis est, non crudelitatis. Nō dat ad horā, quod detrectat; vt sanus possit omnia, dum sano negantur aliqua.* Daniel 10. August.

Discursus

Discursus LIV.

An hoc præcepto prohibeamur facere imagines?



DOminus Deus postquam cultum sui præcepit, in verbis: *Ego sũ Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Aegypti,* & vetuit habere Deos alienos coram se, addit: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terrâ deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terrâ. Non adorabis ea, neque coles.* Quibus verbis alicui fortè videri posset & confectionem, & cultum imaginum prohiberi. Hinc quæram, quod in argumento ponitur.

1. Nouantes expresſè volunt omne genus imaginum hoc præcepto inhiberi. Catholici verò aliqui existimant, omnem confectionem imaginum Iudæis interdictam, eò quòd procliues esſēt ad idololatriã, Christianis autem minimè existimantes hoc præceptum esse iuris diuini positiui cæremoniale, quod Christi morte abrogatum est.

2. Verùm omissis huiusmodi opinionibus, dico neque Iudæis, neque Christianis hoc præcepto inhiberi absolutè imagines facere; sed ratione peruersi finis, tam Iudæis quàm Gentibus ex vi huius præcepti inhibitum esse imagines conficere: quia præceptum hoc naturale est omnes concernens. Prior pars, videlicet, quòd non absolutè hoc præcepto inhibeatur confectio imaginum, patet, quia in lege naturali ea fuit licita, alioquin enim Iacob numquã erexisset lapidem (super quo iacuerat) in titulum habitâ visione de prouidentiâ Dei, quemadmodum legitur fecisse, Genes. 28. in verbis: *Surgens ergo Iacob mane, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum.* Ad cuius intelligentiam nota titulum quatuor res significare videlicet, primò inscriptionem, quæ rebus superscribitur, vt statim primo conspectu noscatur, quid superscripta res sit. Sic referunt Euangelistæ titulum Dominicę cruci à Pilato superpositum, Græcis, Latinis, & Hebraicis literis scriptum, vt eò causa mortis Christi pateret. Nonnumquam significat marmoreas columnas, pyramides, pilas, vel fornices, nominibus & elogijs illustriũ virorum inscriptas, ad seruandam rerum ab eis præclarè gestarum memoriam. Sic 2. Reg. 18. legitur, *Porrò Absalon erexerat sibi, cum adhuc viueret, titulum, qui est in valle Regis: dixerat enim, non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei. Vocauitque titulum nomine suo: & appellatur manus Absalon vsque ad hanc diem.* Quæ verba Iosephus in libro Antiq. septimo exponens, *Porrò Absalomus,* inquit, *erexerat sibi in valle Regis columnam marmoream cum inscriptione duobus stadijs ab Hierosolymis dissitam, quam voluit vocari Manum Absalomi, dicens, quòd si liberos eius perire contingat, in hâc tamen nomen ipsius esset mansurum.* Tertiò, significat titulus statuam in bonum vel malum finem, quia Hebraicè est vox *Mattseba*, quæ significare potest statuam, tumulum, vel quoduis monumentum: in malum finem intelligitur titulus, de quo Leuitic. 1. In bonum finem intelligitur titulus hic à Iacobo erectus, id est lapis informis sine vllâ inscriptione & absque vllâ artis politurâ stans & in terræ superficie erectus secundũ quosdam, vt esset monumentum visionis & apparitionis sibi factæ; secundum verò Feuardentium lib. 10. Theomachiæ statua fuit, quam erexit, scalam cum Angelis ascendentibus & descendentibus repræsentans. Quod hausisse videtur ex Rabbi Isaac ad 18. & 20. cap. Genes. qui id præsup-

Genes. 28. 2. Reg. 18. Iosephus.

præsupponit tanquam certum: quia infert ex eo, quòd prisci magistri Israëlitarum non culparunt Iacob, Moysen & Salomonem, quòd publicè habuerint imagines, nō quasuis damnari.

3. Vt vt est certum est, quòd si fuisset illicitum, Deus nunquam postea imperasset imagines conficere. Iam verò edixit Moysi Exod. 25. facere duos Cherubinos habentes speciem & formam humanam: Nam de eis sic dicitur in Hebræo, *& facies viri versa erat ad fratrem suum.* Et 2. Paralip. 3. de Cherubim dicitur: *Ipsi autem stabant erectis pedibus.* Itaque iussus est Cherubinos facere aureos, qui speciem habuerunt alati, & imberbis iuuenis, vt ea specie repræsētarēt vigorē, viuacitatē, & æternitatē Angelorum Principum semper stipantium & astantium Deo. Quâ de causâ Imperatores etiam olim pingebantur imberbes, velut Dij quidam terrestres, qui nunquam senescerent. Rursum præcepit eidem Moysi Deus Numer. 21 erigere serpentem æneum, ex cuius conspectu percussi ab ignitis serpentibus sanarentur, in verbis: *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum, viuet.* id est, pone eū super hastam vel perticam vexilli, vt sit instar signi & vexilli, quod per tota castra (quæ facilè per sex milliaria extendebantur) à vulneratis circumquaque videri possit, tanquam instrumentum morale curationis prædictæ.

Exod. 25. | 2. Par. 3. | Num. 21.

4. Post Moysen, Salomon duos Cherubinos fecit collocandos in oraculo, & præter eos multos alios Cherubinos fecit in parietibus templi; palmas etiam & varias cœlaturas, 3. Reg. 6. Item duodecim boues æneos, qui sustinerent mare æneum, cap. 7. v. 25. & in solio suo leones & leunculos, cap. 10. v. 20. leones itē in Tēplo, & boues 3. Reg. 7. v. 29. & 36. quæ omnia à Salomone impiè fuisse facta, eò maximè tempore, quo templum fabricaretur, Deoque amabilis existeret, temerarium videtur asserere, maximè cùm Scriptura nusquam eum ob res istiusmodi reprehendat, & illa deinceps tot sçculis intacta remanserint; quod non videtur fuisse futurum, si id legi diuinæ contrarium esset maximè cùm etiam in Templi descriptione, quam Dauid Salomoni dedit, 1. Paralip. 28. vers. 17. aliqua huiusmodi legamus, quem tamen in hoc peccasse nemo ausit asserere.

3. Reg. 6. | Cap. 7. v. 25. | Cap. 10. v. 20 | 3. Reg. 7. | Paral. 28.

5. Confirmat hanc rem, quòd Deus non solum iusserit fieri, sed etiam, Exod. 31. & 35. viris Goliab & Beseleel dederit spiritum suum, sapientiam & scientiam ad sculpendum, & excogitandum multa exquisitè pro ornatu Tabernaculi.

Exod. 31. & 35.

His attentis philosophatur Leontius Episcopus Neapoleos apud Damascenum, orat. 3. de imaginibus: *Age*, inquit, *deinceps iam, sanctarum expressionis imaginum defensionem moliamur, vt ora iniquorum iniusta loquentium obstruantur. Neque enim inuentum nostrum hoc est, sed legis institutum. Audi enim Deum ipsum Moysi præcipientem, vt geminas Cherubin imagines sculptiles, & conflatiles strueret, quæ propitiatorium obumbrarent. Præterea templum ostendit Deus Ezechieli, quod quidem à pauimento vsque ad laquearis fastigium sculptiles,* inquit, *habebat leonum, & palmarum, & hominum, & Cherubim facies.* Quid tum ô Leonti? *Verè sermo* inquit *terribilis. Deus qui iussit Israëli ne vllius rei, quæ in cælo, quæue in terra sit, simulacrum, aut imaginem, vel similitudinem faceret, idem præcepit Moysi, vt sculpta faciat animantia Cherubim. Idem ostendit Ezechieli templum imaginibus, & sculptis leonum, & palmarum, & hominum similitudinibus plenum. Quin etiam Salomon formam ex lege sumens, templū æreis boum, & palmarum, & hominum simulacris impleuit. Neque tamen ob id reprehensus est à Deo.* Et immediatè pòst inferens non esse sugillandam confectionem imaginū in Ecclesia subiungit: *Quamobrem si vis me reprehendere: Deum prius hæc fieri iubentem reprehende, vt eius admonitio nobis exemplo sit.*

Leontius.

6. Altera pars patet, quòd ratio-

ne finis mali omnibus sit interdicta imaginum confectio. Quia Deus cum prohibuisset non habere Deos alienos, simul prohibuit, ne quis aliquam similitudinem faceret ad adorandam, seu colendam illã pro Deo, vt ipsius honor vndique seruaretur illibatus. Et probatur, primò, tantum Idola, seu Deos manibus fabricatos prohiberi, quibus, vero Deo relicto, latriæ cultus impenditur, ex Leuit. 26. cap. vbi simul distinguitur titulus in malum finem ab

Leuit. 26. illo Iacobi licito, his verbis: *Non facietis vobis idolum & sculptile, nec titulos erigetis, neque insignem lapidem ponetis in terra vestra* (super quo scilicet erectũ sit idolum; hoc enim vetuit Dominus adorari, vt patet ex verbis sequentibus) *vt adoretis eum; ego enim sum Deus vester.* Et ideo cap. 18. dixe-

Cap. 18. rat Deus: *Ego Dominus Deus vester, iuxta consuetudinem terræ Aegypti, in quâ habitastis, non facietis.* &c. Et subdit

Cap. 19. cap 19. *Nolite conuerti ad idola, nec Deos conflatiles facietis vobis.* Et ad hũc modum, vbicumque explicatur hoc præceptum, significatur, substantiã eius esse, vt nullus præterquã verus Deus, colatur, & adoretur vt Deus.

7. Probatur secũdo, nihil aliud inhiberi: quia hæc verba sunt vnius eiusdemque præcepti, quo præcipitur solum Deum latriâ colere, & Deos alienos respuere. Vnde idem est ac si diceretur: Nõ coles Deos alienos, quocumque modo illud posset fieri, siue in sculptili, siue in quacumque similitudine, alicuius creaturæ: alioquin enim non forẽt decem sed vn-

Exod. 20. decim præcepta, contra Scripturã,
Deuter. 5. Exod. 20. & Deuteron. 5. Vide August. lib. 19. cõtra Faustum, cap. 18. Clementem Alexandrinum, lib. 6. Stromat & alios.

8. Tertio probatur ex eo, quod prisci Iudæorum ac Hebræorum Rabbini, vt ait Feuardentius, lib. 10. Theomachiæ Caluinisticæ, pluribus probationibus conuicti, cuncti in hanc sentẽtiam descenderint, vt dicerent, & scriberent legem Decalogi, sacrarum imaginum vsum non prohibere: sed idola dumtaxat inanium & falsorum Deorum, vt sunt Baal, Venus, Astaroth, Beelzebus, aliaque nomina sine Numine. In quẽ finem nominat auctores, dicens: *Enimuerò R. Aben Esdra super Decalogo id sentit: & opinioni suæ põdus adijcit à Rabbi Iaphet, alijsque superioribus magistris circumcisis. Rabbi Leui laudato auctore magis antiquiore ex libro Melchita, dicit nihil vetari à Deo prætenso præcepto præter idola Paganorum. Rabbi Isaac ad 18. & 20. caput Geneseos scribit, cum prisci magistri Israelis non culparint Iacob, Moysen, Salomonem, quod publicè imagines habuerint; id tabulis diuinæ legis minimè prohibitum videri: sed solummodo damnari infidelium populorũ (inter quos Israel habitabat) Deos falsos & inanes. Rabbi Kimhi priorem Ezechielis visionem exponens, ait: Figuras quatuor animalium, quorum illic fit mentio, insculptas fuisse quatuor primoribus Israelis militaribus vexillis, cum in præliũ procederent. Vnde concludit, quod arguit imagines non fuisse indiscriminatim, ac verbo Dei expresso prohibitas.*

His adstipulatur Tertul. lib. 2. ad- Tertull.
aduersus Marcionem, cap. 22. vbi docet legi similitudinẽ prohibitarũ nõ refragari ænei serpentis, aut Cherubim, aut Seraphim aureas effigies, in verbis: *Similitudinẽ vetãs,* supple De⁹, *fieri omnium, quæ in cælo, & in terra, & in aquis, ostendit & causas, idololatriæ scilicet substantiam cohibentes: subijcit enim, Non adorabitis, neque seruietis illis. Serpẽtis autem ænei effigies post leges præcepta Moysi à Domino non ad idololatriæ titulum pertinebat, sed ad remediandos eos qui à serpẽtibus infestabantur. Et taceo de figura remedij. Sic & Cherubim & Seraphim aurea in arca figuratum exemplum, certè simplex ornamentum, accommodata suggestui, longè diuersas habendo causas ab idololatriæ cõditione, ob quam similitudo prohibetur, nõ videtur similitudinum prohibitarum legi refragari, nõ in eo similitudinis statu deprehẽsa, ob quẽ similitudo prohibetur.* Quod idẽ auctor alijs locis sępè inculcauit.

9. Sũma hoc præcepto idola prohibentur, non imagines, Ratio est, quòd, vt ait Paulus 1. ad Cor. 8. *Idolum nihil est.* Fabricantur enim idola ad repræsentandas res falsas, imo impossibiles, vt dij Gentium, qui

nunquam extiterunt. Sed imagines Christianorum exhibent ea, quæ nunc & olim veram essentiam, ac existentiam habuerunt. Vnde magno sacrilegio se adstringũt, qui imagines cum idolis confundunt.

Deut. 4. Isa. 40. 10. Sed dices, Deuteron. 4. & Isa. 40. videtur non solum idolum prohiberi, sed etiam omnis imago Dei. Priori enim loco dicitur: *Memento quod Dominus locutus sit tibi in mõte Horeb, vocem verborum vidisti, imaginem non vidisti, obserua ergo teipsum, ne fortè deceptus facias tibi vllam similitudinem*. Et posteriori loco dicitur: *Cui similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?*

Respondeo sermonem hic esse de pingẽdâ aut fabricandâ figurâ diuinitatis. Ad cuius rei intelligentiam, nota vtendum esse distinctione: vel enim depingere quis vult imaginẽ, quæ formaliter ac propriè repræsẽtet Deum; quales fuerunt olim Antropomorphitæ, qui Deum humanis putabant esse cõpactum mẽbris: fingebant enim sibi grãde simulacrum quod in cœlo sederet, & terram pedibus cõtingeret, ex illo Isa. 40. *Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum*. Vel depingere quis vult imaginem, quæ solũ metaphoricè, & per quandam analogiã Deũ repræsentet. Priorem non posse pingi, certum est de fide. Et Damascenus lib. 3. cap. 17. hoc sensu dixit: *Extrema dementia est, velle depingere Deum.* Ratio est duplex, vna, quia cũ Deus non habeat figuram corpoream, nõ potest per corpoream imaginem repræsentari. Et sic intelligenda sunt loca citata, & illud Pauli Act. 17. *Nõ debemus existimare auro aut argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominis diuinum esse simile*. Et eiusmodi quid fabricantes mutãt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, &c. vt loquitur Paulus ad Rom. 1. seu vt Salomon Sap. 14. *Incommunicabile Dei nomen lapidibus, & lignis imponunt.* Et hoc sensu dicit Theodorus Patriarcha Hierosolymitanus in epist. synodali, quæ habetur VII. Synodo, act. 3. *Inuisibilis est diuinitas, nec depingi, nec figurari se permittit.* Altera est, quòd nemo viderit vnquam clarè Dei essentiam iuxta illud Ioan. 1. cap. 4. *Deum nemo vidit vnquã* Et illud Apostoli, 1. ad Timoth. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*. Quo loco Apostolus mandans Timotheo non sectari opes, sed iustitiam, pietatem, fidem, seruare mandata sua, vsque ad aduentum Domini, deprædicat potentiam Dei, quòdque solus habeat immortalitatem, videlicet plenissimè & absolutissimè à seipso, & lucem habitet inaccessibilem, seu quam homines non magis intueri possunt quàm densissimas tenebras, aliamue caliginem, seu nubem atram. Et tũ subiungit verba: *Quem nullus hominũ* &c. In quibus duo notãda insinuat, primò nullum hominum quantumuis illustratum à Deo, atque adeò nec Moysen, nec ipsummet Paulũ, nec quemquam alium Dei essentiã clarè vidisse. Quod confirmatur, quia ne Moyses quidem potuit videre fulgorẽ faciei Dei, qui in corpore assumpto secum loquebatur, Exod. 33. quin mortem subijsset, vt clarè indicant illa verba: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet*. Et quæ paulò post sequuntur: *Videbis posteriora mea, faciem autem meã videre non poteris*. Quod idẽ est ac si dicat: Cupis ô Moyses videre fulgorem faciei meæ, vt in facie videas eum, qui tecum loquitur, cuiusque voces audis: verùm scito id fieri non posse: nam fulgor hic faciei meæ, licet corporeus & assumptus, quia tamen aliquo modo fulgorem essentiæ & maiestatis meæ referre, adumbrare & repræsentare debet; hinc talis tantusque est, vt illum ferre nõ possit mortalis oculus, quin protinus hoc fulgore homo excæcetur, imò exanimetur & moriatur. hoc enim est quod ait: *Nõ videbit me homo & viuet* Hinc Chrysostomus vehementer inuehitur hom. 1. de incõprehensibili Dei natura, in Anomæos, qui dicebãt se suo naturali acumine nõ minus Deũ cognoscere, quam

Isa. 40. Damasc. Act. 17. Rom. 1. Sap. 14. Ioan. 1. 4. 1. Tim. 6. Exod. 33. Chrysost.

quam Deus cognosceret seipsum. Et multis ostendit Dei naturam & essentiam in hoc sæculo esse incomprehensibilem, ad quod adducit illud Pauli, 1. ad Cor. 13. *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus; cum autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Illud Dauidis Psalm. 138. *Cõfitebor tibi Domine, quoniã terribiliter magnificatus es, mirabilis facta est scientia ex me,* Et illud Isa. 53. *Generationem eius quis enumerabit.* Rursum illud Pauli ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum, sapientia & scientia Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* Quæ omnia singulatim docent generationem diuinam, neminem comprehendere, & ex Apostolo nos partem partis tãtum tenere; ex Psalmo citato non comprehendi quomodo Deus vbique sit; ex cap. 11. ad Rom. Inscrutabile esse, qui Deus Iudæos reiecerit, Gentes amplexus sit, quod illa exclamatio Pauli insinuat: Vnde Chrysostomus ex his ac similibus ad modestiã hortatur, & cauendum à præsumptuosa illa scientia Anomæorum, dicens: *Fratres hortor vos, & rogo, caueatis, & insaniam illorum hominum fugiatis. Contendere enim scire, quid substantia Deus sit, postrema,* inquit, *esse insania iudico.*

1. Cor. 13.

Psal. 138.

Isa 53.

Rom. 11.

11. Secũdò dicit Apostolus, quod nemo Deum vnquam videre poterit, intellige in hoc sæculo, nempè per se, & naturæ vires, sed necesse foret, vt homo visurus Deum super hominem eleuaretur, ac per gratiã naturam transcenderet, & super seipsum attolleretur, atq; quasi supernaturalem vim visiuam, oculumque acciperet, puta lumen gloriæ, quo Deum videre posset: neque tunc etiam illam pingere valeret: quia eius essentiam Angeli in cælis dumtaxat admirantur, summisque laudibus deprædicant clamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* quia certum est, non omnia, quæ in Deo sunt, exactissimè ab Angelis etiam in cœlo comprehendi, vnde quod Genes. 32. dicitur *Iacob vidisse Deum facie ad faciem*. Et Moyses, Num. 12. *Ore ad os, quasi amicus cum amico familiariter cum Deo collocutus.* Intelligendum non est de Dei essentia, sed de corpore à Deo, vel potius ab Angelo personam Dei repræsentãte assumpto, in quo facie ad faciem cum Moyse & Iacob Angelus vice Dei colloquebatur. Videre enim Dei essentiam, est prœmium, quod seruat Deus iustis post hanc vitam, iuxta promissionem, Matth. 15. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Genes. 32.

Num. 12.

Matth. 15.

12. Altera autem imago depingi potest, quia est possibilis. Nam visus est Deus sæpè corporea specie, vt scriptura refert. Adæ enim apparuit tanquam homo *deambulans in Paradyso ad auram post meridiem,* Genes. 3. Iacob verò fugienti à facie Esau innixus summitati scalæ, & proinde forma corporea, Genes. 28. Moysi autem apparuit in corpore assumpto, Exod. 33. & 34. Isaiæ Prophetæ cap. 6. in solio excelso & eleuato. Danieli similiter, cap. 7. v. 9. & S Ioanni Apoc. 1. v. 13. Deinde Filius Dei carnem assumpsit, & cum hominibus conuersatus est. Spiritus sanctus apparuit in forma columbæ, Matth. 3. Cum ergo Deus sui imaginem nobis in corporea specie exhibuit, quis dicet eum simili imagine exprimi non licere, cum Scriptura eam exprimat verbis? Vnde appositè rogat Thomas Waldensis de Sacramẽtalibus, tit. 19. *Quod scriptura facit verbis, cur artifex non faciet signis? An magis peccatum circa hanc rem penicillus quam penna? imago quam littera?*

Genes. 3.

Genes. 28.
Exod. 33.
Exod. 34.
Isa. 6.
Dan. 7. v. 9.
Apoc. 1. v. 13.
Matth. 3.

Thom. Wald.

Id quod dixi per modum Dialogi, sic illustrat S. Ioannes Damascenus. *Quid agis Moyses? Tu qui dicis: Ne feceris tibi sculptile, neque vllam similitudinem, velum conficis, opus contextum cherubim, & duo Cherubim ex auro puro. Verum audi, quid tibi reipsa minister Dei respondeat. O cæci & stulti viri, eorum quæ dicuntur, attendite, & animas vestras sollicitè custodite. Dixi vos similitudinem non vidisse in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb in monte de medio ignis, ne quando delinquatis & faciatis vobis ipsis sculptam similitudinẽ. Omnem imaginem & Deos conflatiles ne feceris tibi. Non dixi, ne*

Damasc.

xi, ne feceris imaginem Cherubim, & seruorum assistentiũ propitiatorio, sed ne feceris tibi Deos conflatiles, & ne feceris vllã similitudinem tanquam Deos. Et paulò post: *Itaque Dei similitudinem non feceris, neque alterius, tanquam Dei.* & aliquot interpositis: *Sed rei procreatæ similitudinem, tabernaculum construxi secundum exemplar, quod mihi in monte demõstratum est, & Cherubim obumbrantia propitiatorium, tanquam Deo ministrantia.* Et paulò ante de filio incarnato: *Cum is,* inquit, *qui cerni non potest carnem indutus se conspicuum præbuerit, tunc illius imaginem exprimas. Cum igitur is, qui propter naturæ præstantiam & corpore & figura, & quantitate, & qualitate, & magnitudine caret, in forma Dei existens, ad quantitatem qualitatemque formâ serui susceptâ sese contraxerit, & formam corporis induerit, tunc eum in tabula coloribus exprime, conspiciendumque propone, qui se conspici voluit. Incredibilem eius demissionem explica. Ortũ illius è virgine, baptisma eius in Ioanne, transformationem in monte Thabor, cruciatus illos ac mortem, quæ vitæ ac immortalitatis nostræ causa fuit, res admirandas carnis ministerio, sed vi diuinâ confectas, quæ diuinam ipsius vim indicabant, describe. Crucem illam salutarem, sepulturam, resurrectionem, ascensum in cælum, hæc omnia & verbis, & coloribus, tum in libris, tum in tabulis depinge.*

13. Hæc autem sic illibatè tenenda esse confirmant vsus & traditio Ecclesiæ, quam ab ipso Christo Domino originem duxisse constat. Primò enim ipse suæ faciei imaginem linteo impressam reliquit, quæ Romæ adhuc seruatur, & ostenditur, vt habet antiqua traditio. Secundò similiter reliquit sui corporis delineamenta impressa in syndone, in quâ inuolutus iacuit in sepulcro, & Taurini seruari, & demonstrari dicitur. Tertiò misit effigiem suam Abagaro Regi Edessæ, vt testantur Stephanus, & Adrianus Põtifices apud Iuonem, 4. part. sui decreti. cap. 83. & habetur etiam in lib. Adriani de imaginibus, non longè à principio in 3. tomo Conciliorum, & eandem historiam refert Damasc. lib. 4. de fide, cap. 17. & orat. 1. de imaginibus circa finem; & Euagrius lib. 4. hist. cap. 26. addit ob præsentiam illius imaginis, ciuitatẽ Edessæ, sæpe fuisse incendio liberatam. Idem refert Nicephorus, lib. 2. hist. cap. 17. subiungens, eodem tempore Reges Persarum, Christi, & eius matris imagines accepisse. Referunt etiam hanc postea fuisse Constantinopolim translatam, eiusque translationis festum anniuersariâ Græcorum sollẽnitate celebrari, 16. Augusti, vt patet ex Kalendario Græco, seu menologio, quod latinum fecit Genebrar. & habetur tom. 4. Bibliot. sanct. Quartò est vetus historia de imagine Christi Domini crucifixi à Nicodemo depictâ, quam postea Iudæi contumeliis affecerunt & lanceà transfixerunt, & ab illa sanguis profluxit quo multorum corpora, & mentes sanatæ sunt, teste Athanasio, vel sub nomine eius, aliquo antiquo auctore, serm. de passione imaginis Domini, quam historiam VII. Synodus, act. 4. & citat & approbat. Athanas. Quintò habetur etiam antiquâ traditione mulierem illam, quam Christus à fluxu sanguinis liberauit, in memoriam tanti beneficij, imaginem seu statuã Saluatoris Cæsareæ erexisse, quod refert Euseb. lib. 7. Euseb. hist. cap. 14; vbi addit, iuxta illam imaginem, herbam nasci solitam, quæ cum primùm fimbriam imaginis attingebat, similem morbum curabat. Quam historiam recipit etiam dicta Synodus act. 4. in epist. Germani Patriarchæ Constant. circa finem. Plura addi possent, quæ prolixitatis vitandæ causâ omitto, & videri possunt in compendiũ redacta apud Pamelium in Apologeticum Tertull. Nũ. 185. & Feuardẽtiũ in Ireneũ lib. 1. c. 24. n. 15. Satis est quòd constet vsum imaginũ in Ecclesia fuisse à tẽpore Christi, & Apostolorũ, & quod in actionib⁹ omnibus & singulis septẽ Synodi Nicænæ secundæ cõgregatæ aduersus Iconoclastas, frequẽtissimè dicatur esse veterem legislationem, & Apostolicam traditionem imaginum vsum in Ecclesiâ, qui nem-

nempè tunc octingentis annis obtinuerat.

14. Sed dices, distinctiones suprapositas plebecula non intelligit, & imagines tanquam veri Dei formas admiratur. Respondeo hoc nihil referre. Non enim ideo Scripturæ abijciendæ sunt, tãquam malæ: quamuis populus eas non capiat, verbi gratia, an Iacob verè comestus sit etiam cum synapi, an cum sale, quia
Psal. 78. Scriptura dicit Ps. 78. *Comederunt Iacob, & locum eius desolauerunt.* Tum etiam, quòd duo calathi ficuum optimarum & pessimarum, duo genera
Ierem. 24. hominũ significent, Ierem. 24. quorum alij felices erant, qui transmigrabant cum Rege; alij miseri, qui remanebant Hierosolymis. Quòd
Daniel. 7. Daniel. 7. quatuor bestiæ significent quatuor regna seu imperia; & alia, licet hęc duo à Deo ibidem sint ex-
Eccles. 41. plicata; quódque Sapiens Eccles. 41. dicat: *Melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens, & confundens in oppro-*
1. Cor. 11. *brium*; quòd Paulus 1. Corinth. 11. dicat se despondisse Corinthios vni viro virginem castã exhibere Christo, cum certum sit inter Corinthios multos fuisse fornicarios, & fornicarios non posse iterum esse virgines, licet quidem continentes. Omitto grauiora mysteria veteris ac noui Testamenti, quæ non sunt delenda ex Scripturis: sed populo explicanda, ne in errorem rapiatur. Similiter faciendum est de imaginibus, vt docet Tridentinum sess. 25. his verbis: *Quòd si aliquando historias & narrationes sacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit, doceatur populus, non propterea diuinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit.*

15. Quibus sic positis concludo licere imagines facere. Primò, quia non est intrinsecè malum pingere. Deus enim artem pingendi interdũ approbauit, & infudit, vt colligitur ex citatis capitibus 31. & 35. Exod: & ars imaginum effectrix est quædam imitatio, seu participatio artis diuinæ, cum Deus res omnes fecerit aliquo modo ad sui imitationem, & præsertim hominem, quem ad sui imaginem condidit; Secundò, quia neque lege diuinâ, neque humanâ est prohibita. Et de lege diuinâ iam docuerim nullam fuisse talem legẽ, quæ omnes omnino imagines prohiberet. Tum etiam licet fuisset talis lex, non esset moralis, quia non prohiberet rem, natura sua, bonis moribus contrariam; sed esset ceremonialis, & iam vim obligandi non haberet, quia Christi morte cessauit. Et in lege Euangelicâ nulla talis reperitur, nequidem etiam apud Auctores, humana. Tertiò, quia hoc per se non est scandalosum potissimum hoc tempore, quia periculum idololatriæ in Ecclesia Catholica moraliter nullum est, in quâ & vera vnius Dei cognitio, & sãctorum hominum æstimatio Christianis omnibus nota est. Quare probabiliter timeri non potest, ne Sanctorum picturæ, aut Dij, aut per se honore dignæ censeantur. Et si fortasse interdũ nonnulla subrepat ignorantia, ad Pastores Ecclesiæ pertinet illam diligenter remouere, nõ verò ob eam causam, vniuersam Ecclesiam imaginum decore, & vtilitate priuare: maiora enim incommoda, & crassior ignorantia inde oriri posset, vt ex postea dicendis clarum euadet. Nunc satis est, constare imagines ob aliquam causam iustam confici & depingi posse.

Diſcurſus L V.

An liceat Imagines in templis collocare?



Ominus Deus per Moyſē dixit: *Non facies tibi ſculptile* &c. Explicaui quid ea verba ſignificent, & probaui iis imaginum confectionem abſolutè non prohiberi: ſequitur tractandum, an liceat Imagines in templis collocare?

1. Nouãtes contendũt id nullâ ratione licere, Catholici contra ſuſtinent, & quidem ab antiquo vſu. Et rectè. Cum enim Ieremias ritè ſuos
Ierem.6. inſtruere vellet, dixit ca. 6. *State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in eâ, & inuenietis refrigerium animabus veſtris.* Itaque ex veteri Teſtamento probo primùm, illum vſum eſſe lici-
Exod.40. tum. Exod. enim cap. 40. conſtat arcam illatam eſſe in tabernaculum, ſuper cuius tabulam, propitiatoriũ, nuncupatam duo Cherubini conſtituti fuerunt, & cum tabernaculo ſeu templo portabili per 40. annos in deſerto, & diu poſt vſque ad tempora Salomonis deferri conſueuerunt. Idque gratum fuiſſe Deo, patet non ſolum ex ipſius iuſſu, ſed etiam quia de medio eorũ Cherubim dignatus fuit loqui ad Moyſem; vt habetur ibidem, verſ. 22. his verbis: *Inde præcipiam & loquar ad te, ſuper arcam teſtimonij, cuncta quæ per te mandabo filijs Iſrael.* Salomon quoque ſuo tempore
3.Reg.8. ſtatuit. 3. Reg. 8. ædificato recenter templo, ex ciuitate Dauid (vbi illam pater ante locauerat) in nouam ædē religioſâ ac celebri pompâ arcam eãdem traducere. Quod vt cum maiori dignitate, ac religione fieret, vndecumque terrarum, quæ ipſius poteſtati ſuberant, populum adeſſe iuſſit, qui vt diem illum, & locum obiret, non inuitus accurrit. Cumque iam arca in ſuum ſeceſſum, id eſt, in Sancta Sanctorum eſſet illata, ſubita quædam nebula domum impleuit. Quod diuinæ præſentiæ eſſe ſignum deſignabat, ac Deo ęquè gratam eſſe introductionem arcæ in templum, ac olim fuerat introductio in tabernaculum. Simul etiam documētum erat, non eſſe conuenientiorem locũ conſtituēdi imagines, quàm in templis. Arca enim habebat ſuper propitiatorium duos Cherubinos, vti dictum eſt.

2. Probatur ſecundò ex Canone 8. Apoſtolorum in Synodo Anthiochenâ, vbi ſic ſtatuitur: *Ne decipiantur ſaluati ob idola: ſed pingant ex oppoſito diuinam humanamque manufactam impermixtam effigiem Dei veri, ac Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, ipſiuſque ſeruorum contra idola & Iudæos. Neque errent in idolis, neque ſimiles fiant Iudæis.* Quibus verbis tria diſertè notata habes. Primùm Chriſti Domini, & ſeruorum eius, manibus efformandas eſſe imagines; deinde idolorum diſtrictam prohibitionem. Poſtremò Gentium Idolomaniæ, & Iudæorum ſuperſtitioni opponendas eſſe Chriſti & Sãctorum imagines.

3. Dices, quid tum? Quid enim conferunt hæc ad imagines in templis collocandas? Reſpondeo plurimùm. Nam hęc oppoſitio imaginum contra idola, indicat ibidem ordinari imagines in tēplis eſſe conſtituendas. Illic enim vt plurimùm Ethnici habebant ſua idola, vt & Iudæi, qui ad idololatriam Gentium deflexerant. Confirmatur ex Theodoreto, qui lib. 8. aduerſus Græcos refert idolorum loco Sanctorum reliquias introductas eſſe in templa. Cum enim ibidem oſtendiſſet Philoſophorum

rum nomina obliuioni tradita; Martyrum verò apud omnes ita viuere, vt parentes nascentibus filijs ea imponant, ipsosque Martyres filijs custodes & tutelares comparent, sic subdit: *Sed quid ego Philosophos, Imperatores, ducesque commemoro, cum eorū quoque, qui passim differebantur memoriam è mente hominum Martyres aboleuerint? Eorum namque templa vnà cum suis lucis sic destructa iam sunt, vt ne vlla quidem vestigia superent, nedum quà formâ illorum aræ constiterint scire homines possunt. Earum verò rerum materia, templis arisque Martyrum excitatis expiata est. Suos enim mortuos Dominus Deus noster in templa pro Dijs vestris induxit. Ac illos quidem cassos gloriâ vanosque reddidit, suis autem Martyribus honorem illorum dedit, pro Pandijs enim, Diasijsque, ac Dionisijs, hoc est, Iouis, Lyberique patris solemnitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, alijsque sanctis Martyribus solemnitates populari epulo peraguntur. Proque illâ veteri pompâ pro turpi obscænitate ac impudentiâ, fiunt modestæ, castæ ac temperantiæ plenæ festiuitates, non illæ quidem mero delibutæ, non commessationibus lenes, non cachinnis solutæ, sed diuinis canticis personantes, sacrisque sermonibus audiendis intentæ. In quibus ad Deum preces non sine sanctis lacrymis ac suspirijs submittuntur.* Et vt dignoscas eundē finem ad hoc mouisse, quem ex constitutione Apostolorū annotaui, per imagines fuisse intentum subiungit: *Cū itaq; talē tantāq; vtilitatē ex Martyribus honore collato prouenire homines videatis,* (Refricat quę superiùs asseruerat, nēpè visitātes reliquias Martyrū, ibiq; precātes quàm plurima obtinere beneficia, adeò vt ciuitates & oppida, eorū reliquias inter se sortitò participēt, & laborātibus animis ægrisque corporibus salutares confiteri non cessent, martyresque vt vrbium custodes ac locorum præsides venerentur, quòd per eorum preces, & interuentionem apud Deum diuina munera consequantur.) *Fugite, quæso, errorem dæmonum, præuioque ductu Martyrum facibusque vtentes viam capessite, quæ ad Deum perducit, vt immortali æuo illorum choris & præsentiâ fruamini.*

Theodor.

4. Sed dices obstrepent Hęretici, quia fidem istius constitutionis trahunt in dubium. Credo, sed perperam: nimis enim certa & firma est huius constitutionis fides. Audi desuper Feuardentium lib. 2. cap. 24. in annotationibus in Irenæum, vbi, n. 15. sic ait: *Hunc autem Apostolicum Canonem, germanum esse, non recēs vnus, & alter in angulo affirmant; sed propè innumerabiles, qui in publico totius orbis theatro ante octingentos annos conuenerūt Patres synodo Nycænâ posteriore. Hoc quoque Canone innixus Basilius magnus ante 1270 asseruit, imaginum vsum ab Apostolis emanasse, simulque eò adhuc antiquior Eusebius à maioribus prodijsse confirmans; & Pamphilus Martyr vtroque superior, hanc Apostolorum constitutionem, cum pluribus alijs se in Origenis bibliothecâ reperisse testatur.* Quod verò de Synodo Nycæna attingit, hoc ex eâdē adscribo, nempè ex act. 1. vbi Gregor. Pessenuntis Episcopus hunc Canonem adducit in confirmationem vsus imaginum, his verbis: *In Antiochenâ Synodo Sanctorum Apostolorum dictum est saluatos non debere amplius ad idola aberrare: sed certandum esse ante columnam Dei, hominisque Iesu Christi Domini nostri.* Cui cæteri Patres annuerunt.

Feuardēt.

Gregor.

5. Probatur tertiò ex vetustis sanctisque Patribus, ac Historicis fide dignis, qui meminerunt imaginū in templis cōstitutarum. Tertullianus enim lib. de pudicitiâ testatur in sacris calicibus Ecclesiæ depictum fuisse Christum in formâ pastoris ouem errantem suis humeris portantis ad ouile. Hic autem vsus tam frequens erat in Ecclesiâ, vt Catholici ex eo argumentum sumerent contra Tertullianum scribentem aduersus Catholicos, ad probandum pœnitentiam etiam grauium delictorum in Ecclesiâ concedi. Hoc enim designabat ouis errās deportata in humeris Christi.

Tertull.

Verum nota Apostolorum canonem vbiuis non potuisse sortiri effectū ilicò in primitiuâ Ecclesiâ, iuxta

eorum decretum, quia propter persecutiones decem Cæsarum Ethnicorum paucissimæ Ecclesiæ ædificatæ fuerunt, vsque ad tempus Constantini Imperatoris. Adeoque mirum non esse quòd eo vsque parum reperiatur de imaginum vsu in templis scripto consignatum. A tempore verò ipsius Constātini & deinceps, frequens legitur ipsius vsus. Nam de illo constat ipsum plurima templa ædificasse, & in ijs non modò signum crucis erexisse, sed & alias imagines collocasse. Locuples eius rei testis est Damascenus in Pontificali de S. Syluestro Pontifice, vbi dicit Constantinū in Basilicā Cōstantianâ hæc dona dedisse, fastigium argenteum habens in fronte Saluatorem sedentem in sella & duodecim Apostolos cum coronis, item à tergo in abside respicientem Saluatorem sedentem in throno, & Angelos quatuor ex auro purissimo; Candelabra denique ex aurichalco numero septem interclusa sigillis Prophetarum cum ornatu ex argento. Et rursum in labro fontis, vbi baptizatus est, agnum ex auro purissimo, ac in læua agni B. Ioannem Baptistam ex argento tenentem titulum scriptum: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Quem adeò locum ipsum citat Adrianus 1. epist. supradictâ ad August. quæ extat Tom. 3. Cōcilior. Nicephorus verò lib. 10. cap. 30. refert illam Christi imaginem, quam diximus Cæsareæ fuisse erectam à muliere, quæ sanguinis fluxu laborabat, posteà fuisse à Christianis in Ecclesiam translatam, & honoratiori locô positam. Et lib. 14. cap. 2. refert Pulcheriam Augustam Constantinopoli templum insigne ædificasse, & in eô imaginem Virginis, quam Lucas Euangelista in tabula depictam reliquit, posuisse. Cæterū Nazianzenus epist. 49. ad Olympiū huiusmodi vsus meminit, conqueritur, quod ciuitas Diocæsariensis euertenda esset, in quā ipse templū mirificè exornarat, & addit: *Neque enim si statuæ deijciantur, hoc nos excruciat, etiamsi alioqui excruciat, verum*, &c. Basilius in oratione S. Barlaam, ait se gaudere, quòd melius pictores expresserint manū eius pro Christo combustā, quā ipse in oratione descripserit: *Abeo*, inquit, *fortium Martyris factorum picturâ à vobis superatus. Gaudeo tali vestræ fortitudinis victoriâ hodie victus. Video manus ad ignem luctam exactius à vobis descriptam. Video luctatorem in vestrâ imagine illustrius depictum.* Gregorius Nyssenus in oratione ad Theodorum, alij etiā Patres continuationis vsus præfati fidem faciunt. Quod aliunde non prouenit, quàm ex statuto Apostolorum. Hoc declarat cēsura D. Augustini, qui sic ait epist. 118. *Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesiâ saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quòd Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cælum, & aduentus de cœlo Spiritus sancti, anniuersariâ solemnitate celebrantur. Et si quid aliud tale occurrerit quod seruatur ab vniuersa, quàcumque se diffundit, Ecclesiâ.*

Damasc. Basilius. Gregor. August. Nazianz.

6. Verum enimuerò totam controuersiam & difficultatem quam quis mouere posset, Ecclesiæ auctoritas dirimit, & decidit. Sic enim attentis quàm plurimis in hâc materiâ considerandis, definit præfata Nicæna Synodus (cui interfuerunt trecenti, quinquaginta Episcopi) act. 7. his verbis: *His sic se habentibus, regiam viam incedentes, & Sanctorum nostrorum, & diuinorum Patrum doctrinæ insistentes, & Catholicæ Ecclesiæ, in quâ S. Spiritus inhabitat, traditionem obseruantes, definimus cum omni diligentia, & cura, venerandas & sanctas imagines; ac modum ac formam venerandæ, & viuificantis Crucis è coloribus, & tessellis, aut aliâ quāuis materiâ comparatas, dedicandas, & in templis sanctis Dei collocandas, habendasque, tum in sacris vasis, & vestibus.* &c. Et longè post anathema dicunt aliud sentientibus aut docētibus &c. in verbis: *Igitur qui ausi fuerunt aliud sentire, aut docere, aut more impiorum hæreticorum Ecclesiasticas traditio-*

ditiones contaminare, aut nouam quandam vaniloquentiam inducere, aut quidquam de consecratis in Ecclesiâ abijcere: Euangelij, inquam, depictum Codicem, aut figuram crucis, aut imaginis alicuius picturam &c. *Si fuerint Episcopi, aut Clerici deponantur, si Monachi aut Laici communione priuentur.*

7. Sed dices ad quid tantopere defenditur vsus imaginum in templis? Respondeo, diuersis de causis, quarum prima est, vt omnes sciant doctrinę Apostolorum, & antiquorum inhærendum esse, & non expedire vt vel minimum dogma Ecclesiæ (quæ tota pulchra est, & sine maculâ) intereat: vt enim ædificiũ, si lapis vel vnus extrahatur, præiudicium sentire posset; ita & Ecclesia spirituale ædificium, & mysticum Christi corpus.

8. Secunda, quia nullum est melius ornamentum templorum, quàm sacrarum imaginum: quia imagines simul templum ornant, & continent mentes hominum, ne vagentur inanibus cogitationibus, & nullus est conuenientior locus, quia templum est quædam imago cœli, vt patet ad Hebr. 9. vbi Apostolus cõparat tabernaculum Mosaicum cœlo. Volens enim idem Apostolus probare vlterius veterem legem cessare debuisse, & cedere Christo, eiusque legi, id confirmat ex fabricâ & significatione tabernaculi, quod erat figura Ecclesiæ, idque hoc modo inculcat. Primò describens Sanctum, & Sanctum Sanctorum, eorumque vasa; docet Pontificem veterem semel in anno cum sanguine hircorum introëuntem in sancta Sanctorum significasse Christum, qui per sanguinem suum ingressus in cœlum illud reseruauit, & æternam redẽptionem nobis comparauit. Secundò, v. 15. docet Christum esse mediatorem noui Testamenti, quia illud suo sanguine & morte sanxit, & confirmauit, sicut sanguine hircorum sancitum & confirmatum est vetus testamentum. Tertiò, v. 24. docet Christum per sanguinem suũ ingressum esse in cœlum, vt appareat vultui Dei pro nobis, & exspectantibus se sit in salutem. Hinc Chrysost. hom. 36. in 1. ad Corinth. non dubitat Ecclesiam Cœlum vocare, sic suos commonens ad reuerentiam Ecclesiæ: *Neque enim tonstrina, aut vnguentaria taberna Ecclesia est, aut officina forensis: sed locus Archangelorum, regia cœli, cœlum ipsum. Quemadmodum igitur si cœlũ quispiam in angustũ redactum illuc inducat, etiamsi patrem, etiamsi fratrem videas, tamen præ stupore non alloquare: sic neque hîc aliud quidquam quàm sancta sonare decet.* Sicut ergò templum est imago cœli, ita decet, vt in ipso templo sint imagines eorum, qui sunt in cœlo, id est Christi & Sanctorum. Chrysost.

9. Tertia, quia seruiunt ibidem non ad solam historiam, sed ad instruendam rudem & indoctam plebem. Vt enim ait Chrysostomus hom. 33. in Ioan: *Mens rerum familiarium imagine conceptâ, magis suscitatur, & tanquam in picturâ rem ipsam magis amplectitur.* Hunc finem expressè tradit Synodus VII. act. 6. longâ oratione docens quantopere in Ecclesiâ vtiles sint imagines, cuius exordiũ tale est: *Sancta Dei Catholica Ecclesia ad pœnitentiam & cognitionem obseruationis mandatorum Dei omnes nostros sensus trahit, & ad gloriam Dei cognoscẽdam studet nos deducere, non modò per auditum, sed per visum, morum correctionem moliri cupiens. Quare ea quæ acta sunt, optat omnium oculis etiam esse conspicua.* Ideoque vel pingimus Christum in formâ pueri in sinu matris, vt dignoscant omnes Christum in carne assumptâ omnes miserias humanas præter peccatum subijsse, sicut cæteri homines; vel in formâ viri alligati ad columnam, vt discamus quàm indigna pro nobis Christus pertulerit; vel in cruce pendentis, vt ignominiã mortis recolamus, quâ è potestate diaboli liberati sumus; vel denique resurgentis è tumulo, vt sciamus Christi resurrectionẽ esse sigillum fidei nostræ.

Quantum attinet ad Sanctos eorum præclara facta ad virtutis fomentum picturis exhibentur. Quod latius

latius deducit dicta oratio, quæ docet imaginum conspectum alios reuocare à malis, alios continere in virtutibus. Sic enim habet, *Cum ex auaritiâ & habendi studiô aliquem rapit, Matthæum ex Telone Apostolum illi indicat, qui relictâ auaritiæ insania Christũ secutus est. Eodem modo Zacheum ascendentem in sycomorum arborem, & Christum desiderantem videre, & comparantem se, vt dimidietatem bonorum suorum det pauperibus, & si quem defraudarit, vt reddat illi quadruplum. Ita imaginum iugis contemplatio continuo memoriam exercet, ne iterum recurratur ad proprium vomitum. Si quem autem amore meretricio detentum capere cupit, casti Ioseph imaginem proponit, qui adulterium execratus, & temperantia illum vincens, atque hoc ipsum factum in imagine repræsentatum, amatores huius virtutis multum confirmat. Rursus alibi Susannam continẽtia exornatam exhibet, extensis manibus auxilium ex alto inuocantem, Danielemque præsidentem Iudicem eruentem eam è manibus impiorum Sacerdotum. Ipsa autem pictura ad recordationem temperantis, & continentis vitæ facit. Rapere vult aliquem luxuriosum mollibusque vestibus indutum, & non erogantem in pauperes, quæ posset ab illis pretiosis vestibus sumere, & à sua delicata vita? Ioannem huic pilus camelorum indutum edentem syluestre mel, & digito Christum, qui suffert peccata mundi, indicantem exhibet. His adiungit Basilium Magnum, & cum eo solitariorum, ieiunantiumque, corporibus in terram prostratis, multitudinem.*

Matt. 9.
Luc. 19.
Gen. 39.
Dan. 13.
Matth. 3.

Nyssenus. Gregorius Nyssenus orat. de Deitate Filij, & Spiritus sancti, enucleans historiam Abrahami & Isaac ad immolationem procedentium, non semel commotum dicit se ad lachrymas, cum videret huius historię imaginem. Primò itaque sic ait: *Vtrum illorum duorum plus admirer? qui propter dilectionem erga Deum filio manus iniecit, an illum qui patri vsque ad mortem parebat, & obediebat? Certant inter sese, hic quidem super naturam sese tollens, ille verò morte grauius & atrocius esse ducens aduersari atque resistere patri: deinde prius vinculis filium pater constringit.* Et tum subiungit: *Sæpe numero miserabilis huius rei imaginem in pictura vidi, nec absque lachrymis spectaculum præterij, adeo perspicuè atque euidenter ars pingendi oculis rem gestam subiecit. Procumbit Isaac ante Patrem propter ipsum altare flexis genibus nixus, & manus retrorsum habens adductas: ille vero post genuum curuaturam pedibus insistens, & sinistra manu capillum eius ad sese adducens, inclinato capite intuetur vultum miserabiliter ad ipsum oculos attollentis, ad dexteram armatam gladio dirigit ad feriendum, ac iam gladij mucro corpus tangebat, & tunc demum diuinitus ad eum editur vox, quæ rem agendam prohiberet.*

Gen. 22.

Ioãnes Damascenus lib. 4. orthodoxæ fidei proinde monuit Sanctos imaginum erectione esse colendos, vt viuæ eorum imagines fieri possemus. Sic enim ait, cap. 16. *Sanctos colamus, statuas ipsis, ac visibiles imagines erigamus, imo ipsi virtutibus eorum imitãdis hoc consequamur, vt viuæ eorum statuæ, atque imagines simus. Dei genitricem, vt propriè ac verè Dei matrem honore afficiamus, Prophetam Ioannem, vt præcursorem & baptistam, vt Apostolum & Martyrem (neque enim, vt Deus dixit, maior quisquam Ioanne inter natos mulierũ surrexit: regnique ipse præconiũ primus obijt) Apostolos item, vt Domini fratres, & conspectores, ministrosque ipsius passionũ, quos Deus ac pater præsciuit, ac prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, primum Apostolos, deinde Prophetas, demum Pastores & Magistros, ac Domini testes, ex omnibus ordinibus electorum, vt Christi milites, quique ipsius calicem biberunt, & viuificæ mortis ipsius baptismo tincti sunt, velut passionis ipsius, & gloriæ socios (quorum antesignanus fuit ille primus Christi Diaconus & Apostolus, ac primus martyr Stephanus:) tum etiam Sanctos Patres nostros, ac diuinitus afflatos Monachos, qui diuturniore, ac molestiore conscientiæ martyrio perfuncti sunt, qui circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, afflicti, angustiati, in solitudinibus errantes, & montibus, & speluncis, & cauernis terræ, quibus dignus non erat mundus: ac denique eos, quorum ætas gratiam antecessit, Prophetas, Patriarchas, iustos, qui Christi aduentum prænunciarunt. Horum omnium vitæ rationem intuentes, fidem charitatẽ, spem,*

Damasc.
Hebr. 11.

spem, zelum, vitam, tolerantiam in cruciatibus perferendis, ac patientiam vsque ad sanguinem imitemur. Sic enim fiet, vt gloriæ quoque coronas communes cum ipsis habeamus.

10. Verùm dices, hoc melius per concionem fieri posse. Respondeo, id per se verum esse: sed concionem non semper haberi in Ecclesijs, vt rectè animaduertit dictorum Patrū oratio, act. 7. vbi facta mentione picturæ, quæ totam Euangelicam narrationem depictam habet, & in recordationem diuinorum nos ducit, & mirè nos commouet, infert: *Itaq. semper per eam Dei recordari possumus Nā est cum lectio in sacratis templis non pronuncietur: imaginum autem apparatus, & mane, & meridie, & vespere, in his fixus, actorum veritatem nobis narrat & annuntiat.* Et hinc monet immediatè post: *Traditionem itaque Ecclesiæ recipiamus, legislationem eiusdem veneremur, ne flocci pendamus piam & diuinam consuetudinem, in vetera & prisca iudicia ne simus curiosi. Omne enim quod in recordationem Dei erigitur, acceptum illi esse constat.* Quod venerandi isti Patres docuerunt, hoc ex Dei instituto originē habet. Is enim cum vellet sanare Iudæos ab ignitis serpentibus
Num. 21. morsos, Numer. 21. erigi curauit serpentem æneum tantæ magnitudinis, vt per sex milliaria circumquaque videri posset, & aspicientes sanaret. Quorsum credis hoc factū? Certè non alia de causa, quàm vt hâc miraculosâ curatione erudiret homines, salutem eorum dependere à Christo in crucem erigendo: sic enim solet Christus infirmos sanare corporaliter, vt conuenientius ad spiritualem salutem perduceret: Si tergiuersaris, audi hoc non ex me, sed ex Seueriano Gabalorum Episcopo, qui apud Damascenum orat. 1. de imaginibus obiectioni præuenit: sic enim ratiocinatur: *Nonne credibilius erat, si dixisset: Si quis vestrum morsus fuerit cælum suspiciat, aut tabernaculum Dei, & salutem assequetur. Verū ille his posthabitis, crucis tantum imaginē statuit. Cur autem hoc fecit Moyses, qui populo dixerat: Non facies tibi sculptile, neque conflatile, neque similitudinem vllam earum rerum, quæ sunt in cælo sursum, aut in terrâ deorsum, aut in aquis sub terrâ? Sed quid ego hæc ingratis loquor? Dic obsecro, fidelissime Dei minister, quod alijs vetas, hoc ipse facis? Quod præcipis euerti, hoc ipse constituis? Qui non facies,* Exod. 20.
inquit, sculptile, quique conflatum vitulū Ibid. 32.
comminuisti, serpentem ipsum ex ære conficis? eumque non clam, sed palam, & omnibus perspicuum statuis. At ille inquit, mandaui, quo materiam impietatis exscinderem, & ab omni defectione, atque idolorum cultu populum abducerem. Nunc autem serpentem vtiliter conflo, vt veritatē ipsam significem. Et quemadmodum tabernaculum compegi, & quæ in ipso sunt omnia, & Cherubim similitudinem, quæ non videntur, adhibui in sanctis, vt figuram atque vmbram futurorum ostenderem. Sic & serpentem ad populi salutem conflaui, & eiusmodi experimento exercitatus, crucis imaginem, & Seruatorem, & Redemptorē in ipsa pendentem præcognosceret. Hoc autem verissimum esse intelliges, amice, ex verbis Domini idipsum confirmantis: & sicut Moyses exaltauit serpentem in de- Ioan. 3.
serto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

11. Quapropter Gregorius Magnus lib. 9. epist. 9. meritò succenset Sereno Massiliensi Episcopo, quòd imagines in templo constitutas indiscreto zelo inde amouisset, dum ait: *Quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus: quia in ipsa etiam ignorantes vident, quod sequi debeāt, in ipsa legunt, qui litteras nesciunt. Vnde & præcipue gentibus pro lectione pictura est. Quod magnopere à te, qui inter gentes habitas, attendi debuerat: ne dum recto zelo incaute succenderis, ferocibus animis scādalum generares. Frangi verò non debuit, quod non ad adorandum in Ecclesijs, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nesciētium collocatum. Et quia in locis venerabilibus Sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit, si zelum discretione condisses, sine dubio & ea, quæ intendebas salubriter obtinere, & collectum gregem non dispergere, sed potius dispersum poteras cōgregare: vt pastoris in te meritum nomen excelleret, non culpa dispersoris*

foris incumberet. Et merito. Sunt enim imagines fidei & amoris testimonia, omniumque virtutum fomenta.

12. Porrò licet satis superque ex his probatum colligatur, licitum & vtilem esse in templis imaginum vsum, nihilominus obstrepunt hęretici, demoliuntur, & sæuiunt in easdem imagines, & penitus illas exstirpant. Quid causæ? Aiunt nos ex eo esse idololatras. Sic enim scribit Paræus in cap. 1. Epistolæ ad Romanos, dub. 18. *Idololatra sunt, qui imaginem Christi crucifixi in templis ad repræsentandum Christum, & ad docendum rudiores de Christo, tuentur.* Sed quam impiè, sequentibus discursibus latè reuincam. Quid ergo ipsos mouet sine ratione insanire? Respondeo, spiritus diabolicus, qui inuidet spirituali bono, per eos facilius in Deũ & Sanctos tyrannidem exercet, vt facilè colliges ex ijs, quæ Gretserus collegit ex diuersis historicis: lib. enim 2. de Cruce cap. 68. inquit: *Audiamus quid de Caluinistis Gallis commemoret Rossæus: Aurangi, inquit, in Prouincia, post ordinaria illa Caluiniani Euangelismi facinora, disturbatas Ecclesias, euersa Sanctorũ monumenta, exusta corpora, & inter alia, patronum & primum Apostolum suum sanctum Eutropiũ, & huiusmodi cætera, ad extremum scitè formatam Christi crucifixi imaginem, templo educunt, funibusque alligatam imponunt asino, & per omnes plateas & compita, perpetuis eam maledictis, & vnà continuis flagellis, & verberibus afficientes, & circumducunt, & deinde, non quidem in crucem egerunt, sed quod eiusdem erat immanitatis, proiecerunt in ignem.* Et paulò post subiungit: *Pergit Rossæus, Ijdem fratres in Diœcesi Carnotensi longè vltra hanc, vel Aurangiorum, vel Turcarum diritatem progressi sunt, qui in Ecclesiam quandam, vbi sacerdos diuinum illud Christianorum sacrificium peragebat, irrumpentes, proculcata suis pedibus sacra hostia, & effuso sanguine, calice loco matulæ abutentes, & sacerdotem ad vrinam ebibendã compellentes, mox eundem cum Crucifixi Christi imagine altè colligarunt, & Christum cum Sacerdote plurimorum sclopetorum glandibus transfixerunt. Quod facinus, plusquam diabolicum, à multis Euangelicis, in alijs plerisque locis factitatum fidelissimi historici annotarunt. In Theatro crudelitatis Hæreticorum legimus, quod Geusij statuam Iesu Crucifixi è templo Gorcomiensi abreptam suffixerint patibulo.*

Gretserus.

Ross. lib. de iusta Respub. in Reg. Antichrist.

Theat. crud. fol. 18.

Hinc ortum est quod scribit Reginaldus lib. 2. Caluinoturcismi, c. 18. Caluinum prohibuisse, ne imago Christi Crucifixi è collo gestaretur, & auream vel argenteam Caluini imaginem è collo gestare cœpisse. Fuit hac de re monitus Caluinus à modestioribus; sed respõdit: *Si quis hoc spectaculo offenditur, eruat sibi oculos, vel abeat citò, suspendat se.*

13. Hinc, inquam, ortũ est, quod scribit Sanderus lib. 2. de schismate Anglicano, nempè quod *in locum deiectæ crucis*, in Anglia sub Imperio Eduardi, *subrogarunt Regis Angliæ insignia, nempè tres Leopardos, & tria lilia, hinc serpentis, inde canis pedibus expansis sustentata. Quod perinde erat, ac si dixissent, se non Christum, cuius imaginem contumeliosè deiecerant, sed Regem terrenum, cuius insignia eodem loco erexerant, colere & adorare.* Quod amplius est, crimen lesæ maiestatis haberi in Anglia, vel aureas cruces, vel argenteas, aut ex alia materiâ confectas, ex collo suspensas gerere, vt testatur libellus de persecutione Anglicana. Hinc etiam processit mos in scholis Caluinistarũ, vt simias, & feles grãdioris formæ depictas, iuuentuti in prœmium distribuerent, loco imaginum Christi & Sanctorũ, vt memini Antvverpiæ factum. Quod verò hęc omnia tenderent ad iniuriam Christi, abundè colligitur ex facto enormi, quod scripto reliquit Petrus Hanssonius admon. ad Germanos contra Caluinistas, Nempè Hęreticos Varadini in Hungaria, *imaginem Crucifixi primò in aquas abiecisse, extractamque rota comminuisse, eo modo quo latronibus brachia & crura impulsu rotæ confringuntur; his adiunctis blasphemijs: Latro es, non Deus, latronis tibi præmia ferenda sunt.* Et cõfirmatur ex ijs, quæ teste eodem Gretsero loc. cit. dicit Lutherus; cuius hæc sunt verba: *Si*

Sanderus.

miles

miles essem, mihique in acie vel Sacerdos, vel vexillum Cruce insignitum, vel etiam ipsa Crucifixi imago occurreret, non aliter me inde proriperem, quam si ipse Cacodæmon tædis ardentibus me insequeretur. Et ex Antesignano Caluinistarũ Beza, qui in Colloquio Montpelgart. inquit: *Fateor me ex animo Crucifixi imaginem detestari*. Cur enim alias tolerarent imagines bestiarum, turpes & ad voluptatẽ pictas, has vero detestarentur? nisi quòd in Christũ sæuire cupiant, cuius imagines sunt testimonia.

Discursus LVI.

An præcepto huic repugnet imagines cultu aliquo colere?

DOminus Deus postquam vetuisset non habere corã se Deos alienos, addidit: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem &c.* Et subiunxit: *Nõ adorabis ea, neque coles.* Hinc tractabo, an liceat imagines, de quibus diximus, venerari, & quo cultu?

Hæretici, qui omnium omnino imaginum vsum abstulerunt, multò magis earum adorationem illicitam esse censuerũt. Ratio est, quod perperam illa, quæ sacra Scriptura contra idola profert, homines isti post cognitionem veritatis detorqueant in imagines sacras. Catholici verò, seu Orthodoxæ fidei cultores, meliꝰ instructi è contra sustinent, & absolutè docent imagines esse colendas.

1. Horum dogma probatur primò ex sacra Scriptura, vbi res inanimes ad religionẽ & pietatem spectantes, venerabiles dicũtur. Sic ob relationem ad Deũ, Propitiatorium dicitur sanctum, vt Ps. 89. his verbis: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctũ est.* Ps. 131.
Vbi iubet arcã adorari, quæ Ps. 131. Ps. 89.
vocatur scabellũ pedum Dei: quia propitiatoriũ, quod sustentabatur à duobus Cherubinis, erat sedes Dei; vnde 1. Paral. 13. dicitur: *Arca Dei sedentis super Cherubim.* 1. Paral. 13. Eamque adorationem vsus illius tẽporis confirmat, teste Hieron. qui in epist. 17. ad Marcellam dicit: Hieron. *Venerabantur quondã Iudæi sancta Sanctorum, quia ibi erant cherubim, & propitiatorium, & arca Testamenti.* Et hoc idem ex alijs Scripturis patet Iosue 3 cap. 1. Reg. 6. & 2. Reg. Iosue 3.
6. Hebr. 9. Nam Iosue 3. iubentur in itinere nũquam accedere prope arcam, ad spatium duorum milliũ cubitorum. 1. Reg. 6. Bethsamitæ, quia 1. Reg. 6.
arcam viderunt sine debita reuerẽtia, occisi sunt à Deo, ad 50000. hominum. 2. Reg. 6. Oza similiter interfectus est à Domino, cum arcam 2. Reg. 6.
tetigisset, quod ei non licebat, sed solis sacerdotibus. Denique propter honorem arcę nemo poterat ingredi sancta Sanctorum, vbi illa erat, nisi summus Põtifex semel in anno, vt Paulus docet Hebr. 9 cap. At certè arca creatura erat, & iste honor illi exhibitus, non ex vrbanitate, sed ex religione aliqua procedebat.

Sic vestes, sanctæ dicuntur ob relationem ad munia sacra, vt patet Exod. 28. vbi mandatur Moysi: *Facies vestem sanctam Aaron fratri tuo:* Exod. 28. & paulò post: *Facient vestimenta sancta fratri tuo Aaron, & filijs eius, vt sacerdotio fũgantur mihi.* Et sacra Scriptura nominat literas, quibus res sacrę comprehenduntur, litteras sacras: sic enim loquitur Paulus, 2. ad Tim. 3. ipsi 2. Tim. 3.
Timotheo: *Sacras litteras ab infantia didicisti.* Et ita D. Thomas, 2. 2. q. 99. art. 3. *Inter res sacras, quibus sanctitas attribuitur* imagines numerat; quòd diuino cultui dicatæ sũt: nec minus sufficiens est hæc habitudo imaginis ad eiusmodi effectum, quã habitudo loci, qui sanctus dicitur, Exod. 3. ob Exod. 3.
præsentiam Angeli. Quòd autem illud quod sanctum est, venerabile sit, cõstat Exod. 12. vbi de festo Paschatis dicitur: Exod. 12. *Eiusque octaua dies prima erit sancta, & dies septima eadem festiuitate venerabilis.*

2. Probo secundò ex vsu, traditione & definitione Ecclesiæ, cuius veritatem traditam & definitã tanquã de fide in 7. Synodo generali Act. 7. habes præcedenti discursu n. 1. eiusque definitioni Concilium florent. sess. 5. & Trident. sess. 25. inhærent, & ab omnibus est recepta. Addo tamen verba D. Basilij ad Iulianũ Imperatorẽ, quæ citat Adrianus Papa act. 2. septimæ Synodi, hoc modo: *Quin etiam in epistola D. Basilij, qua in Iulianum desertorem inuehitur: Quemadmodum à Deo Christianã & inculpabilem nostram fidem, veluti hæreditario iure accepimus, sic confiteor, & in eo maneo. Credo autem in vnum Deum Patrem omnipotentem, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, Vnum Deum hæc tria adoro & glorifico. Confiteor etiam Filij incarnatã οἰκονομίαν: deinde sãctam Mariã, quæ secũdum carnẽ illum peperit, hãc Deiparam vocans. Suscipio etiam sanctos Apostolos, Prophetas & Martyres, qui pro me apud Deum supplicant, quo per illorum meditationem propitius mihi sit Deus noster benignissimus, & remissionem peccatorum mihi gratis largiatur. Quam ob causam & historias imaginũ illorum honoro & palam adoro, hoc enim nobis traditum est à sanctis Apostolis, nõ est prohibendũ, sed in omnibus Ecclesijs nostris eorum historias erigimus.*

Adria. Papa.

3. Porro eãdem traditionem Deus miraculis cõprobauit; ex quo intelligimus placere illi, vt imagines honorentur. Illustre in primis est quod Euseb. refert lib. 7. hist. c. 14. vbi testatur ex basi Christi statuæ æneæ, ab Hemoroissa positæ apud Paneadẽ, herbã quandã omnibus incognitam oriri solitã, quæ vbi creuisset vsque ad fimbriã imaginis Christi, eamque attigisset, vim haberet omnes morbos depellendi; quod etiam refert Theophylactus in c. 9. Matth Addit Sozomenus lib. 5. hist. c. 20. de eadẽ imagine aliud miraculũ, quod videlicet cum Iulianus Apostata statuam Christi inde amouisset, & suã in eodẽ loco posuisset, mox ignis de cœlo statuam Iuliani discerpsit, & caput à reliquo corpore diuulsit, planè ad eũ modum, quo olim accidit idolo Dagon, 1. Reg. 5.

Eusebius. Theophil. Sozom. 1. Reg. 5.

Tũ etiam ex eo intelligimus Deo placere, quòd beneficia, quæ per imagines contigerũt, illis dumtaxat conferantur, qui imagines honorãt, & qui existimant Deo placere cultũ imaginũ. Nam illud miraculum factum Edessæ per imaginem Christi, vt refert Euagrius lib. 4. c. 26. factum est in salutẽ eorum, qui Christi imaginẽ venerabantur. Scribit enim Zonaras in vita Michaëlis Balbi, cũ Leo Armenus imagines persequeretur, filium eius Sabbatium Constantinũ, qui mutus erat, accessisse ad statuam S. Gregorij Nazianzeni, & Sanctum ipsum mente precatum, loquẽdi vsum diuino miraculo recepisse: At si cultus imaginum esset idololatria, Deus certè tum maximè idololatriæ fauere visus fuisset. Scribit Paulus Diaconus lib. 21. rerum Rom. cùm Iconomachus quidã cõspectã statuã B. Virginis, lapides in eã iecisset, eãque comminuisset, per quietem Virginem ab eo visã terribiliter his verbis comminantem: *In caput tuum hoc fecisti.* Deinde paulò pòst eundem lapide percussum, atque ita contritum esse, vt ipse statuam comminuerat.

Tertiò quia infelix fuit exitus Iconomachorum, & felices fuerunt, qui imagines defenderũt. Prior pars patet, quia vt habet Chronicũ Matthæi Palmerij anno DCCXLI. teste Bellarm. lib. 2. de imaginibus, cap. 12. tempore Leonis Iconomachi, posteaquam imagines Sanctorum in foro constantinopolitano crematæ fuerunt, orta est pestilentia tam grauis, vt Constantinopoli trecenta hominum millia interirent. Item eadem occasione amisit idem Leo, & successores eius Imperium Italiæ, nec vnquam amplius recuperare potuerunt. Vide Zonaram, & Paulum Diaconum in vita eiusdem. Eo tempore Rex Arabum Ezides, qui imagines Christianorum confringi iusserat, non superuixit vnum annũ, cum tamen triginta anni illi promissi fuissent ab eo, qui illum ad Iconomachiam incitauit.

4. Tẽpore Cõstantini Copronymi inauditæ calamitates Orientem inua-

inuasêrũt. Nã terræ motus ingentes integras vrbes deiecerunt, & multa hominũ millia occiderunt. Itẽ pestis grauissima orta est, ita vt horti, putei, aliaq; loca vix sufficerẽt sepeliẽdis hominibus. Et ne dubitaretur quã ob causã ista acciderẽt, simul vbiq; in vestibus hominũ, in velis sacris, indumẽtis sacerdotalib⁹ diuinit⁹ existebãt cruces paruę, quasi oleo designatę: Deus enim indicare volebat, velle se vbique cõspici crucis imaginẽ, quam Cõstantinus Copronymus eo tẽpore omnino obliterare contendebat. Ad hæc tã horribile frigus accessit, vt mare Ponticum ad centum milliaria cõgelaretur, essetque glacies profunditatis XXX. cubitorum, cui superuenit nix, quæ in glaciẽ etiã conuersa est, ad altitudinem XX. cubitorum super aliã glaciem XXX. cubitorũ. Paulò pòst cœpit solui glacies, & fragmenta ingẽtia instar magnorũ montiũ, vel insullarum, magno impetu discurrebant; quædam etiam ad Cõstantinopolim allisa partem mœniũ, & vicinas domos euerterunt. Testatur autẽ Paulus Diaconus se vidisse hæc omnia. Eodem anno tanta siccitas postea fuit, vt flumina, fõtes, putei fere omnes siccarentur; ita vt omnes intelligerent, & dicerent propter impietatem in Deũ & Sanctos, quã exercuerãt Iconomachi, ista omnia fieri.

Denique obstinatus Imperator Constantinus, ita perijt, vt in morte clamaret, se adhuc viuum igni inextinguibili traditum comburendum. Testes sunt Zonaras & Paulus Diaconus in eius vita. Posterior pars probatur, quia è contrario Pipinus, & Carolus filius eius, qui cum Rom. Pontific. imagines defendebant, ad regnum & imperium prouecti felicissimè vixerunt, & regnauerunt, vt ex ijsdem auctoribus patet.

5. His positis quæres quo cultu liceat imagines colere? Respondeo propriè, neque latriæ, neque hyperduliæ, aut duliæ; Sed primò, si considerentur dumtaxat vt sacra vasa, & alia ad munera sacra dicata, cultu minore, quam tres sunt citati, verum quodam religioso, & maiori quam ciuili. Sic intelligendi sunt diuersi Patres relati, act. 9. VII. Synodi, nẽpe Epiphanius de typo Crucis sic loquens: *Apud nos honorabilis existit.* & act. 1. ait Basilius in sua confess. *Honorifice veneror venerandas imagines, suscipio & amplector, honoremque debitum eis exhibeo.* Et act. 2. ait Adrianus in epist. *Ex animi desiderio eas veneramur.* Et inferius Tharasius. *Has desiderio nostro adoramus, vt in nomine Christi, Deipara, & Sanctorum factas.* Et inferius Euthym. Episcopus Sardens. *Ego*, inquit, *lectis beatissimi Papæ veteris Romæ litteris, syncerè, & inrepugnabiliter inhæreo.* Et infrà: *Ob eam causam venerandas imagines ex toto corde cum debito honore, & saluatoria adoratione suscipio.* Et infra ait Elias Episc. Cretens. *Iuxta sanctissimi Papæ Adriani litteras confiteor, & teneo venerandas & sacras imagines, nunquam seponẽs, sed perfectè adorans.* Atque de hoc cultu Ioannes Damasc. orat. 3. de imaginibus (recensens varios modos adorationis qui apud Catholicos in veneratione sunt) sic loquitur. *Tertius adorationis modus est, quo adoramus ea, quæ Deo dicata sunt, & consecrata, vt sacra Euangelia, & reliquos libros. Scripti enim sunt ad nostram institutionem, ad quos fines sæculorum peruenerunt: vt discos, & pocula, & thuribula, & lucernas, & mensas: hæc enim omnia esse sancta perspicuum est. Vide enim quomodo Deus, cum Balthazar populo vasis sacris ministrari fecisset, regnũ eius euerterit?* Hæc de primo modo.

Epiphan. Basilius. Adrianus. Tharas. Euthym. Elias Episc. Damasc. Dan. 5.

Si verò considerentur, quatenus sese referunt ad prototypum, tunc maiori honore venerari possunt; imò tali ac ipsum exẽplar. Quia tunc nõ honoratur imago per se, sed formaliter honor imaginis transit ad exẽplar, proindeque honor imagini vere exhibitus, redundat in prototypum: quẽadmodũ, qui facit eleemosynam pauperi, Christo illam fecisse dicitur; non quod eleemosyna immediatè non tendat in pauperem, sed quia qui eleemosynam facit pauperi, propter Christũ facit, & Christum honorat in paupere. Qui modus probatur in Conc. Trident. sess.

 25. vbi

2. Probo secundò ex vsu, traditione & definitione Ecclesiæ, cuius veritatem traditam & definitā tanquā de fide in 7. Synodo generali Act. 7. habes præcedenti discursu n. 1. eiusque definitioni Concilium florent. sess. 5. & Trident. sess. 25. inhærent, & ab omnibus est recepta. Addo tamen verba D. Basilij ad Iulianū Imperatorē, quæ citat Adrianus Papa act. 2. septimæ Synodi, hoc modo: *Quin etiam in epistola D. Basilij, qua in Iulianum desertorem inuehitur: Quemadmodum à Deo Christianā & inculpabilem nostram fidem, veluti hæreditario iure accepimus, sic confiteor, & in eo maneo. Credo autem in vnum Deum Patrem omnipotentem, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, Vnum Deum hac tria adoro & glorifico. Confiteor etiam Filij incarnatā ὀικονομίαν: deinde sāctam Mariā, quæ secūdum carnē illum peperit, hāc Deiparam vocans. Suscipio etiam sanctos Apostolos, Prophetas & Martyres, qui pro me apud Deum supplicant, quo per illorum meditationem propitius mihi sit Deus noster benignissimus, & remissionem peccatorum mihi gratis largiatur. Quam ob causam & historias imaginū illorum honoro, & palam adoro, hoc enim nobis traditum est à sanctis Apostolis, nō est prohibendū, sed in omnibus Ecclesijs nostris eorum historias erigimus.*

Adria. Papa.

3. Porro eādem traditionem Deus miraculis cōprobauit; ex quo intelligimus placere illi, vt imagines honorentur. Illustre in primis est quod Euseb. refert lib. 7. hist. c. 14. vbi testatur ex basi Christi statuæ æneæ, ab Hemoroissa positæ apud Paneadē, herbā quandā omnibus incognitam oriri solitā, quæ vbi creuisset vsque ad fimbriā imaginis Christi, eamque attigisset, vim haberet omnes morbos depellendi; quod etiam refert Theophylactus in c. 9. Matth. Addit Sozomenus lib. 5. hist. c. 20. de eadē imagine aliud miraculū, quod videlicet cùm Iulianus Apostata statuam Christi inde amouisset, & suā in eodē loco posuisset, mox ignis de cœlo statuam Iuliani discerpsit, & caput à reliquo corpore diuulsit, planè ad eū modum, quo olim accidit idolo Dagon, 1. Reg. 5.

Eusebius. Theophil. Sozom. 1. Reg. 5.

Fū etiam ex eo intelligimus Deo placere, quòd beneficia, quæ per imagines contigerūt, illis dumtaxat conferantur, qui imagines honorāt, & qui existimant Deo placere cultū imaginū. Nam illud miraculum factum Edessæ per imaginem Christi, vt refert Euagrius lib. 4. c. 26. factum est in salutē eorum, qui Christi imaginē venerabantur. Scribit enim Zonaras in vita Michaëlis Balbi, cū Leo Armenus imagines persequeretur, filium eius Sabbatium Constantinū, qui mutus erat, accessisse ad statuam S. Gregorij Nazianzeni, & Sanctum ipsum mente precatum, loquēdi vsum diuino miraculo recepisse: At si cultus imaginum esset idololatria, Deus certè tum maximè idololatriæ fauere visus fuisset. Scribit Paulus Diaconus l. b. 21. rerum Rom. cùm Iconomachus quidā cōspectā statuā B. Virginis, lapides in eā iecisset, eāque comminuisset, per quietem Virginem ab eo visā terribiliter his verbis comminantem: *In caput tuum hoc fecisti.* Deinde paulò pòst eundem lapide percussum, atque ita contritum esse, vt ipse statuam comminuerat.

Tertiò quia infelix fuit exitus Iconomachorum, & felices fuerunt, qui imagines defenderūt. Prior pars patet, quia vt habet Chronicū Matthęi Palmerij anno DCCXLI. teste Bellarm. lib. 2. de imaginibus, cap. 12. tempore Leonis Iconomachi, posteaquam imagines Sanctorum in foro constantinopolitano crematæ fuerunt, orta est pestilentia tam grauis, vt Constantinopoli trecenta hominum millia interirent. Item eadem occasione amisit idem Leo, & successores eius Imperium Italiæ, nec vnquam amplius recuperare potuerunt. Vide Zonaram, & Paulum Diaconum in vita eiusdem. Eo tempore Rex Arabum Ezides, qui imagines Christianorum confringi iusserat, non superuixit vnum annū, cum tamen triginta anni illi promissi fuissent ab eo, qui illum ad Iconomachiam incitauit.

4. Tēpore Cōstantini Copronymi inauditæ calamitates Orientem inua-

inuaserũt. Nã terræ motus ingentes integras vrbes deiecerunt, & multa hominũ millia occiderunt. Itẽ pestis grauissima orta est, ita vt horti, putei, aliaq; loca vix sufficerẽt sepeliẽdis hominibus. Et ne dubitaretur quã ob causã ista acciderẽt, simul vbiq; in vestibus hominũ, in velis sacris, indumẽtis sacerdotalib⁹ diuinit⁹ existebãt cruces paruę, quasi oleo designatę: Deus enim indicare volebat, velle se vbique cõspici crucis imaginẽ, quam Cõstantinus Copronymus eo tẽpore omnino obliterare contendebat. Ad hæc tã horribile frigus accessit, vt mare Ponticum ad centum milliaria cõgelaretur, essetque glacies profunditatis XXX. cubitorum, cui superuenit nix, quæ in glaciẽ etiã conuersa est, ad altitudinem XX. cubitorum super aliã glaciem XXX. cubitorũ. Paulò pòst cœpit solui glacies, & fragmenta ingẽtia instar magnorũ montiũ, vel insullarum, magno impetu discurrebant; quædam etiam ad Cõstantinopolim allisa partem mœniũ, & vicinas domos euerterunt. Testatur autẽ Paulus Diaconus se vidisse hæc omnia. Eodem anno tanta siccitas postea fuit, vt flumina, fõtes, putei fere omnes siccarentur; ita vt omnes intelligerent, & dicerent propter impietatem in Deũ & Sanctos, quã exercuerãt Iconomachi, ista omnia fieri.

Denique obstinatus Imperator Constantinus, ita perijt, vt in morte clamaret, se adhuc viuum igni inextinguibili traditum comburendum. Testes sunt Zonaras & Paulus Diaconus in eius vita. Posterior pars probatur, quia è contrario Pipinus, & Carolus filius eius, qui cum Rom. Pontific. imagines defendebant, ad regnum & imperium prouecti felicissimè vixerunt, & regnauerunt, vt ex ijsdem auctoribus patet.

5. His positis quæres quo cultu liceat imagines colere? Respondeo propriè, neque latriæ, neque hyperduliæ, aut duliæ; Sed primò, si considerentur dumtaxat vt sacra vasa, & alia ad munera sacra dicata, cultu minore, quam tres sunt citati; verum quodam religioso, & maiori quam ciuili. Sic intelligendi sunt diuersi Patres relati, act. 9. VII. Synodi, nẽpe Epiphanius de typo Crucis sic loquens: *Apud nos honorabilis existit.* & act. 1. ait Basilius in sua confess. *Honorifice veneror venerandas imagines, suscipio & amplector, honoremque debitum eis exhibeo.* Et act. 2. ait Adrianus in epist. *Ex animi desiderio eas veneramur.* Et inferius Tharasius. *Has desiderio nostro adoramus, vt in nomine Christi, Deiparæ, & Sanctorum factas.* Et inferius Euthym. Episcopus Sardens. *Ego,* inquit, *lectis beatissimi Papæ veteris Romæ litteris, syncerè, & inrepugnabiliter inhæreo.* Et infrà: *Ob eam causam venerandas imagines ex toto corde cum debito honore, & salutatoria adoratione suscipio.* Et infra ait Elias Episc. Cretens. *Iuxta sanctissimi Papæ Adriani litteras confiteor, & teneo venerandas & sacras imagines, nunquam seponẽs, sed perfectè adorans.* Atque de hoc cultu Ioannes Damasc. orat. 3. de imaginibus (recensens varios modos adorationis qui apud Catholicos in veneratione sunt) sic loquitur. *Tertius adorationis modus est, quo adoramus ea, quæ Deo dicata sunt, & consecrata, vt sacra Euangelia, & reliquos libros. Scripti enim sunt ad nostram institutionem, ad quos fines sæculorum peruenerunt: vt discos, & pocula, & thuribula, & lucernas, & mensas: hæc enim omnia esse sancta perspicuum est. Vide enim quomodo Deus, cum Balthazar populo vasis sacris ministrari fecisset, regnũ eius euerterit?* Hæc de primo modo.

Epiphan. Basilius. Adrianus. Tharas. Euthym. Elias Episc. Damasc. Dan. 5.

Si verò considerentur, quatenus sese referunt ad prototypum, tunc maiori honore venerari possunt; imò tali ac ipsum exẽplar. Quia tunc nõ honoratur imago per se, sed formaliter honor imaginis transit ad exẽplar, proindeque honor imagini verè exhibitus, redundat in prototypum: queadmodũ, qui facit eleemosynam pauperi, Christo illam fecisse dicitur; non quod eleemosyna immediatè non tendat in pauperem, sed quia qui eleemosynam facit pauperi, propter Christũ facit, & Christum honorat in paupere. Qui modus probatur in Conc. Trident. sess. 25. vbi

Conc. Trid. 25. vbi postquam dictum erat imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis habēdas & retinendas, eisque debitū honorem, & venerationem impertiendam, additur: *Non quòd credatur inesse aliqua in eis diuinitas, vel virtus propter quā sint colendæ. Vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda: veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant: Sed quoniam, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita vt per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus; Christum adoremus; & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur, id quod conciliorū, præsertim Nicænæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitū.*

Conc. Senon. Huc etiam accedit doctrina Cōc. Senonens. in decretis fidei, cap. 14. quę sic habet: *Neque dum catholicus quispiam sanctam Christi veneratur imaginem, aliquod numen illi subesse putat, aut quasi Deum colit, sed ob recordationem filij Dei, vt in eius amore recalescat, cuius imaginem videre desiderat. Et nos quidem, non quasi ante diuinitatem, ante imaginem prosternimur, sed illum adoramus, quē per imaginem, aut passum, aut in throno sedētem recordamur.* Sic Iacob vita discessurus fastigium virgę Ioseph adorauit, non tam virgam honorans, sed eum qui virgam tenebat; atque ita primariò animus venerantis fertur in exemplar, concomitanter verò in imaginem, quam deosculatur. Gen. 47. v. vlt.

10. Sed dices, imago est honoris incapax. Respondeo non esse incapacem, patet primò quia omnes nationes, quasi dictante natura hoc signo honoris vsæ sunt, erigēdo statuas, vel imagines insignium virorum, in eorum excellentiæ, & virtutis testimoniū, vt tradit Plinius lib. 35. hist. c. 2. & in Codice habetur titulus de statuis & imaginibus insignium personarū, & priuilegijs illis concessis.

11. Secundò ex eo quòd viri eminētes in imagine se iniuriatos & cōtumelia affectos acriter ostenderint; vt Imperator Theodosius, optimus alioquin & sapientissimus Princeps, qui ob imaginem vxoris ab Anthiochenis deiectam, ita iratus fuit, vt parū obstiterit, quin totam Antiochiam euerterit. Ad placandum enim Imperatorem, accessit tanquam Legatus Episcopus Flauianus, de cuius legatione, & ab ipso dicendis multa refert Chrysostomus, hom. 3. ad populum quæ probant summam eius indignationem, videlicet quod instar Moysis, dicet: *Si dimittis quidem ipsis peccatum, dimitte: si nō autem, & me occide cum ipsis. Talia enim sāctorum viscera, cum filijs mortem, quàm sine ipsis vitam dulciorem esse putant, Adijciet à tempore patrocinium, & sacrum Pascha proponet, & commemorabit tempus, per quod orbi terrarum toti Christus peccatum remisit, dominum exhortabitur imitari, & parabola illius decem millium talentorum, & cētum denariorum ipsū cōmonebit. Noui patris nostri fiduciam, non recusabit ipsū per hanc similitudinem terrere & dicere: Vide ne forte, & tu illo die audias: Serue nequam, omne debitum illud dimisi tibi, quoniam rogasti me, oportebat & te dimittere conseruis tuis. Tibi ipsi magis, quā illis prodes, in paucorum dimissione peccatorum maiorum obliuionem recipiens. Addet prædictis & orationem illam, quam qui sacris initiauere mysterijs, orantem dicere docuerunt: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Et immediatè post subiūgit alias rationes, quibus Imperatorem pacabit, nempe, vt misericorditer cum illis agat, tum quòd externorum sit facinus, tū quòd multa passi eòusque incolæ; tū quòd Antiochia ciuitas sit, in quâ primùm Christiani sumus appellati his verbis: *Ad hæc docebit, quod non cōmune ciuitatis fuit peccatū, sed hominum quorundam externorum, & aduenarum, nihil cum ratione facientium audacia, & omnis præuaricatio. Nec iustum esse posse pro paucorum temeritate tantam diripi ciuitatem, & qui nihil iniustè fecerūt, pœnas luere: alioquin etsi omnes peccassēt, dignas dedissēt pœnas, tot diebus timore cōsumpti, & per singulos mori dies expectātes, pulsi exulantes, reis miserabilius vinctes, sanguinem in manibus gestantes, & de vita sua non confidentes. Hæc tibi pœna sufficiat, ne vlterius irâ procedas, mitem tibi supernum iudicem per humanitatem in confer-* Chrysost.

conseruatos redde. Cogita vrbis magnitudinem, quod non de vna, vel de duabus, vel de tribus, vel decem animabus nunc nobis est consideratio, sed ne millibus infinitis, de totius orbis capite. Hæc ciuitas, in qua primum Christiani appellati, honora Christū, reuerere eam, quæ prima nomen hoc omnibus desiderabile & dulce prædicauit. Apostolorum illa fuit tabernaculum, habitaculum iustorum. Nunc hoc primum, & solum in principes facinus patratum est, & ciuitatis mores omne præteritum tempus testatur. Si enim continuò seditiones moueret, improbitatem condemnare oporteret: si verò semel hoc omni tēpore acciait, certum est, quod non ciuitatis morum est peccatum, sed eorum qui impudenter & temerè in ciuitatem irruperunt ista insania fuit. Hæc sacerdos & plura his cum maiori dicet fiducia, hæc Imperator audiet: & ille humanus, & hic fidelis. Vnde vtrimque bonas habemus spes. Deinde cur Hæretici deturbantes imagines Crucifixi dixerunt: *Tu non es Deus sed latro.* Sicut ex Gretsero præcedenti discursu retuli, si imagines non sunt honoris & iniuriæ capaces?

12. Ex quibus omnibus euidentissimè colligitur, quam sine ratione insaniant Nouantes, cum obijciunt Catholicis, quod colant opera manuum hominum, tanto magis, quòd serpens æneus, qui non poterat non honorari, manu factus erat, & arca, & Cherubim similiter iussu Dei manu hominum facta fuerunt. Vnde rectè congruit argumentum Stephani Bostrenij aduersus Iudæos ca. 4. quod refert Damasc. orat. 3. de imaginibus, vbi postquam imagines, & omnia, quæ nomine Dei fiūt, præclara, sanctaque audacter pronuntiasset, paulò post subiungit: *Quòd si quæ facta sunt hominum opera, & manu, ejcienda putas; quid obsecro, Iudæi, adoratur in terra, quod hominum manu factum non sit? Quid? Arca Dei, manu facta non fuit? aut altare, aut propitiatoriū? aut Cherubim? aut vrna illa aurea? quæ manna cōtinebat? aut interius tabernaculum, & omnia quæ à Deo appellantur sancta sanctorū? Nonne Cherubim, quæ Angelorū imaginē referunt, hominum facta sunt labore & manu? Quid ais, si hæc idola appellas, quod Moysi, & Israel ex adorantibus nomen impones?* Damasc.

13. Sed dices, vsus Ecclesiæ in veneratione imaginis Crucis cultū latriæ videtur insinuare, dū dicit: *Aue crux spes vnica.* Respōdere posse esse Prosopopæiā Rhetoricam, qua Ecclesia alloquitur Crucem, eo modo, quo Moyses alloquitur cœlū & terrā, cum ait Deuter. 32. *Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Et quando B. Andreas crucē sibi paratā ad martyrium alloquebatur, dicens: *Salue crux pretiosa,* significans se velle saluari per meritum Christi, qui in Cruce passus est. Sed dico Ecclesiā hoc modo imaginem per se nō adorare latria, sed Deū, qui spes nostra vnica est, & in cruce est passus. Sicut ille ipse Ierosolymitas allocutus est, Matth. 23. dicens: *Ierusalē Ierusalē, quoties volui* &c. vbi non lapides & ligna cōpellabat, sed inhabitatores Hierusalē. Sic cōcionatores intelligendi sūt, quando alloquuntur imaginem crucifixi, eiq; dicunt: Tu nos redemisti, tu nos Patri recōciliasti ista enim non dicūtur imagini, nec vt lignū est, nec vt imago est, sed vt accipitur loco exēplaris, id est, dicūtur ipsi Christo, cuius tamen imago vicē gerit; quēadmodū etiā in die Parasceues, cum crucifixus paulatim detegitur, & ostēditur, & adorādus proponitur, illa omnia per imaginem ipsi Christo verò exhiberi intelligūtur: tunc autē propriè nullus honor defertur imagini, sed soli exemplari, tamen impropriè dici potest ipsa etiam imago honorari. Deut. 32. Matt. 23.

14. Porrò quæres, Si ita est, vt talis inferior honor liceat, cur Ezechias pius Rex fregit æneū serpentē? Nā ille, vt dictum est, tantū religioso aliquo cultu colebatur. Et quare Episcopus quidam apud Gregor. lib. 9. ep. 9. eas confregit? quare etiā hæretici nostri temporis illa debellent?

Quoad primum respondeo, quod imago serpentis ænei facta fuit in eum finem, vt morsi ab ignitis serpentibus illam aspicerent, & sanarētur. Hoc autem tādiu durabat, quādiu erant in solitudine Iudęi, vbi

Discursus LVII.

Vtrum prædictis non obstantibus cultus imaginum sit idololatricus?



SAtis superque dixisse de imaginum cultu videbar nisi obstreperent adhuc hæretici, qui nihilominus contẽdunt esse idololatricum, quia Gentiles & Iudæi, vt ipsi aiunt, olim in simulacris verum Deum coluerunt, nec tam stupidi fuerunt, vt ligna & lapides Deos existimarent, & tamen idololatriæ notam, ac reprehensionem subierunt. Ita videtur colligi olim quosdam hæreticos dixisse, ex epistola Grogorij Papæ ad Germanum relata act. 4. Synodi VII. idque expresse Caluin. lib. 1. Institut. cap. 11. §. 8. in verbis: *Deum quidem esse nouerant*, (nempè Iudæi) *cuius experti virtutem erant in tot miraculis, sed propinquũ sibi esse nõ confidebãt, nisi oculis cernerent corporeũ vultus eius symbolũ, quod sibi testimoniũ esset gubernãtis Dei. A praeũte ergò imagine volebãt cognoscere Deum itineris sibi esse Ducem.* Videlicet quando Exod. 32. dixerunt Aaroni: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* & §. 9. addit: *Nec tam prorsus incogitantes erant Iudæi, vt non meminißent Deum fuisse, cuius manu educti essent ex Aegypto, antequam fabricarent vitulum. Quin Aaroni dicenti illos esse Deos, à quibus liberati essent è terra Aegypti intrepidè annuebant, non dubia significatione velle se retinere illum Deum liberatorem, modo praeuntem in vitulo conspicerẽt. Nec ita stupidi fuisse Ethnici credendi sunt, vt non intelligerent Deum aliũ esse, quàm ligna, & lapides. Mutabant enim pro arbitrio simulacra, nec pro multitudine, complures tamen Deos sibi fingebant. Prateread noua quotidie consecrabant, nec putabant tamen, se nouos facere Deos.* Hinc tractabo quod in argumento quæritur.

Caluin.

Exod. 32.

1. Mos est apud Iurisperitos in praxi, vt lite contestata, permittant post testium productionem & testimonia, parti ijs contradicere, ad illa infirmanda, aut silentio probanda, & demum actori obiectiones communicare soluendas. Hoc mihi incumbere existimo, cuius testimonia pro cultu imaginum producta audijstis, & obiectiones hæreticorum, ad fidem eis derogandam. Dicunt itaque Gentiles, neque Iudæos agnouisse ligna, & lapides, aut simulacra tanquam Deos; Ego contrà probo, id esse falsum, primò, quia Scriptura testatur multas gentes nõ agnouisse verum Deum, Ps. 89. vbi Propheta vult Deum eas punire in verbis: *Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non nouerunt, & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt.* Secundò quia ad Rom. 1. scribit Apostolus, quòd multi, qui Deum cognouerunt, sed non vt Deum glorificarũt, euanuerint in cogitationibus suis, & mutauerint gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & seruierint creaturæ potius quã creatori. Quod plurimis locis Scripturæ confirmatur. quia inprimis certum est à patre Abrahæ Thare & à Laban Idola culta pro Deo, Iosue, 24. & Genes. 31. cumque cultum ita exuberasse, inter posteros Abrahæ, vt Deus selegerit gentem Iudaicam, quæ sibi seruiret iuxta leges illi speciatim proponendas relictis gentilium communibus medijs, ad cognoscendum vnum Deum, eumque colendum iuxta legem diuinam naturalem: eamque segregauerit à Gẽtibus sacramẽto circumcisionis, distinctione vestium, delectu ciborũ, aliorũque rituũ. Quin etiã quadraginta annis duxerit per solitudinem ad terram promissam, vt omnis causa com-

Ps. 89.

Iosue 24.
Genes. 31.

communicandi Dijs Gentium auferretur.

2. Porrò quod in illis nec gentiles nec Iudæi coluerint Deũ patet, quia Dauid Psal. 113. dicit, *Omnes Dij Gentium dæmonia.* Et Paul. 1. ad Cor. 10. *Quæ Gentes immolant, dæmonijs immolant, & non Deo.* Et Baruch 6. cap. monet Iudæos in Babylonem captiuos ducendos, ne Gentilium Deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos, quos in humeris portari videbunt, colant, quia opera manuũ hominum sunt, & non dij, nec vllum Dei opus cum illis. Et Apostoli in Concilio Ierosolym. Act. 15. præceperunt factis Christianis ex Gentibus, abstinere se à contaminatione simulacrorum, hoc est ne sacrificatis Diaboli cibis profanarentur seu ne redire viderentur ad idola; & vt Paulus loquitur, *socij esse dæmoniorum*, dum cibis vescerentur Idolo immolatis cum aliornm offensione credentium id fieri in honorẽ Idoli.

Psal. 113. 1. Cor. 10. Baruch. 6.

Iudęos autem ritus Gentium imitatos esse, patet; quia Exod. 32. conflauerunt vitulum aureum, & dixerunt: *Isti sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Et Ierem. 2. cap. dicitur: *Si mutauit gens Deos suos, & certe ipsi non sunt dij: populus verò meus mutauit gloriam suam in idolum. Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini, vehementer dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontẽ aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Et 3. Reg. 17. datur ratio, quare Deus de populo sibi antea dilecto, tam durum sumpserit supplicium, vt illum captiuum duci voluerit in Assyriam: nempè quia ingratus & rebellis populus, nõ recogitans quòd Deus de terra Ægypti è manu Pharaonis eum eduxerat, coluerit Deos alienos, & ambulauerit iuxta ritum Gentium, quas consumpserat Dominus in cõspectu filiorum, & Regum Israël, in verbis v. 8. *Et ambulauerunt iuxta ritum Gentium, quas consumpserat Dominus in conspectu filiorum Israël, & Regum Israël.* Et vers. 15. *Et abiecerunt legitima eius, & pactum quod pepigit cum patribus eorum, & testificationes, quibus contestatus est eos: secutique sunt vanitates, & vanè egerunt: & secuti sunt Gentes, quæ erant per circuitum eorum, super quibus præceperat Dominus eis, vt non facerent sicut & illæ faciebant. Et dereliquerũt omnia præcepta Domini Dei sui: feceruntque sibi cõflatiles duos vitulos, & lucos, & adorauerunt vniuersam militiam cæli seruieruntque Baal.*

Exod. 32. Ierem. 2. 3. Reg. 17.

3. Quòd autem hoc modo illos Deos suos agnouerint, vero Deo relicto, exprimitur Exod. 32. vbi dicitur Moysi à Deo: *Recesserunt citò de via, quam ostendisti eis: feceruntque sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hostias dixerunt, Isti sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Et Deut. 32. cap. in verbis: *Immolauerunt dæmonijs, & non Deo, dijs quos ignorabant: noui recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum. Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.* Neque dici potest, quòd formando vitulum voluerint fingere similitudinem veri Dei, vt per eam ipsius recordarentur, & cultum ad ipsum dirigerent; sic enim potius Angelicã formam, aut aliam sub qua Deus Patriarchis aliquando apparuerat effinxissent, quã vituli; sub qua certum est, quod nunquam apparuerit. Vnde euidens signum est, voluisse illos colere primarium Deum Ægyptiorum Apim, qui forma bouis pingebatur: idque faciebant, quia putabant illius ope se eductos, vt apertè Scriptura insinuat, & fortè eo fine faciebant, vt illius auxilio in Ægyptum redire possent. Neque etiam verum esse potest, quòd Deum verum in vitulo voluerint habere præsentem, sed Deum Ægyptium. Ratio est, quia Iudæi habebant Deum verum præsentem per signa externa multo expressiora, scilicet per columnam ignis nocte, & per nubem interdiu, quæ diuino nutu mouebantur & sistebãtur. Deinde nisi ita fuisset, frustra Elias 3. Reg. 18. dixisset: *Si Dominus est Deus, sequimini eum, si autem Baal, sequimini illum.* Frustra, inquam, voluisset

Exod. 32. Deut. 32. 3. Reg. 18.

voluisset veritatem ostendi, per cõsumptionem sacrificij ab vtraque partium constituendi, ex inuocatione vel Deorum falsorum, vel Dei veri. Non enim offertur sacrificium nisi ei, quem quis habet pro vero Deo.

Verum hanc controuersiam apertissimè decîdit Episto. Hierem. Baruch. locô citato, penitius rem explicans: nam dehortans Iudæos in Babylonẽ iam iam ituros, ne Chaldæorum idola sequantur, ait illic Chaldæos Deos aureos, argenteos, lapideos & ligneos in humeris portare, ostentantes metum Gentibus, eosque adorare; sed illos abhorrere debere à simili cultu, & dicere in cordibus suis: *Te oportet adorari Domine.* Et adhoc multis ostendit ipsos non esse Deos, sed truncos aut lapides, nempè ex eorum materia, fabrica, turpitudine, impotentia, & ineptitudine ad omnia, addens vers. 28. *Scientes itaque ex his qui non sunt Dij, ne timeatis eos. Vnde enim vocantur Dij? quia mulieres apponunt Dijs argenteis & aureis, & ligneis.* id est, quia mulieres hosce Deos faciunt, dũ stultè & superstitiosè ipsis quasi Dijs dona apponunt. Et v. 71. dicit hoc colligendum ex eo quod non solum vestes idolorum purpureæ, & muriciæ à tineis consumantur: sed etiam ex eo quod ipsa idola comedentur, supple, à tineis, & sic omnibus erunt risui & opprobrio, in verbis: *A purpura quoque & murice, quæ supra illos tineant, scietis itaque quia non sunt Dij. Ipsi etiam postremo comeduntur, & erunt opprobrium in regione.* Adeoque nihil certius est, quam Gentiles tam stupidos fuisse, vt simulachra coluerint tanquam veros Deos, vt patet ex integro capitis discursu. non autem in lignis & lapidibus adorasse Deum, quasi in imagine, vt effutit Caluinus. Et confirmatur ex Arnobio, Lactãtio, Tertull., Iustino, Athenag. & alijs, qui passim rident Gentiles, quod lapides & ligna pro Dijs colant: vti ex præcedentibus constat Iudæos, Gentiles esse imitatos.

4. Ex his clarissimè liquet apertissimè falsa esse, quæ Hæretici nobis objiciunt, ac sartum tectumque manere cultum imaginum in Ecclesia vsitatum reprehensioni Gentiliũ & Iudæorum non subiacere, imò nihil in Ecclesia eorum fieri circa imagines, quod Gentiles, & Iudęi (qui ad idololatriam Gentilium deflexerant) facere consueuerunt. Vnde Gregorius Papa Epist. ad Germanũ Patriarcham Constantinop. protestans dicit: *Neque volumus vt in Ecclesia Christi idolum aliquod sit, absit.* Et recolẽs plurima quæ circa idola exercere solent Gẽtiles & Iudęi, Christianos ab ijs vindicat, dicens: *Non enim vaccas adorauimus, neque vitulum in Horeb fudimus, neque Deus nobis factitius existimatus est, neque rursus sculptili procidimus, & Beelphegor initiati sumus, neque filios nostros, & filias nostras vnquam Dæmonijs obtulimus, vt nobis ea, quæ in Salomonẽ dicuntur, obijci possunt: neque à nobis terra sanguine cædium perfusa est, aut imaginem facimus quadratam continentem idolum, nec in templum hoc induximus, neque impuritatem serpentium, aut volatilium parietibus templi inscripsimus: neque Ezechiel spectauit nos Adonidem lamentantes, & thymiama soli offerentes.* Ezech. 8. *De quibus inquit Apostolus, seruierunt in colenda creatura, creatorem relinquentes.* Rom. 1. *Neque etiam imagines duarum meretricum Oolla & Ooliba in Aegypto ereximus, aut has adorauimus, neque sacrificia à nobis Bel in Babylone, neque Dagoni in Palæstina obtulimus, neque etiam alijs Gentium Dijs subiecti fuimus. Non sunt ista, vel è non ita se habent. Nemo nos hac de re accuset: non enim ijs rebus, quæ nihil sunt, nomen illud, quod supra omne nomen est, inferius Christi populus, vsque in hunc præsẽtem diẽ iudicat, sed viuificantẽ Trinitatem colimus, & adoramus. Absint impura illa à nobis. Modus enim quo idola coluntur, satis manifestus est: Christianis autem pietatis studiosis omnium Deus est, quem adorant.* Quod dicit, tale est: Non egimus vt Samaritæ, de quibus Oseas Propheta, cap. 10. Osea. 10. *Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ: quia luxit super illum populus eius, & editui eius exultauerunt in gloria eius, quia migrauit ab eo.* id est,

idest, Samaria, quia adorauit vitulos aureos, quos in Bethauen locauit Ieroboam, illis sublatis dolebit, & plorabit, plorabunt quoque ęditui, & templorum mystæ, qui in vitulorum gloria propter priuata commoda prius exultauerãt. *Neque vitulum in Horeb fudimus* adorandi causâ, quemadmodũ fecerunt Hebræi absente Moyse, Exod. 32. Neque etiam addiximus nos Beelphegor, Deo ventris, nuditatis & libidinis, vti fecerunt ijdem Hebræi Numer. 25. iram Dei subeuntes, de quo ibidem: *Initiatusque est Israel Beelphegor, & iratus Dominus.* Neque filios nostros &c. dæmonijs obtulimus, vt Leuit. 18. vbi vetantur Iudęi de semine suo dare vt consecretur Moloch idolo, idest cauere filios suos per parricidium & idololatriam, ignisque combustionem dæmoni offerre. Sanguine enim infantium delectari dæmones compertissimum est ex historia Indorum, vnde liquet Mexicanos quotannis ad viginti hominũ millia immolasse dæmoni. Neque impuros serpẽtes, tanquam Deos parietibus affiximus, vti vidit Ezechiel, & conscripsit in verbis: *Ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum. Et septuaginta viri de senioribus domus Israel, & Iezonias filius Saphan stabat in medio eorum, stantium ante picturas: & vnusquisque habebat thuribulum in manu sua: & vapor nebulæ de thure consurgebat.* Hoc est, huiusmodi animalia non coluimus, nec thymiama obtulimus, vt Deo, neque adorauimus, neque, quod sequitur, Venerem coluimus, plangendo Adonidem Veneris amasium, vti mulieres ibi fecisse narrantur. Insuper non sumus imitati, vel decem tribus, vel duas tribus Iudæorum, quas Ezechiel cap. 3. sub parabola duarum meretricum Oollæ & Oolibæ scribit fornicatas seu idololatriam commisisse, & duas tribus magis exarsisse in idola, videntes iuuenes nobiles Chaldæos egregia forma, & habitu Babylonico insignes in pariete depictos: ex hoc enim Iudæi ad ipsos Chaldæos eorumque Deos adamãdos fuerunt magis illecti. Rursum non obtulimus sacrificia idolo Beli, quod Daniel cap. 14. ostendit truncum esse, non Deum: neque Dagoni sacrificium in gratiarum actionẽ obtulimus partâ victoriâ de inimicis, quemadmodum fecerunt Philistini, Iudic. 16. *conuenientes in vnum, vt immolarent hostias magnificas Dagon Deo suo, & epularentur dicentes: Tradidit Deus noster inimicum nostrum Sampson in manus nostras.* Hæc enim fastidimus tanquam abominabilia Deo, quem solum adoramus, vt rerum omnium principium, & vltimum finem. Sanctos autem, eorumque imagines, & quidquid ad illos spectat, in suo gradu & ordine iuxta modum eis conuenientem veneramur, omnia in vnius Dei cultum & honorem referendo. Vnde rectè subdit idem Gregorius: *Quod si quis autem Iudaico animo nobis obijciat ea, quæ in eos, qui insano in idola amore ferebantur, dici solent, Ecclesiamque nostram idololatriæ propter venerandarum imaginum diuina & admiranda ad promotionem, & adductionem ad pietatem studia, accuset, habeatur hic non alius, ac canis oblatrans, & vt in fundâ à nobis quam procul abijciatur.* Quasi dicat, Is habeatur vt Ethnicus, aut Publicanus, & sicut Goliath à Dauide, ita prosternatur spiritualibus Ecclesiæ armis.

5. Porrò ne mireris excessum tãti Pontificis, Attende Catholicos tãtopere horruisse stolidam illam idololatriam, quæ verùm Deum diuinitate sua priuat, eamque in creaturam transferre conatur, vt summum crimen læsæ Maiestatis diuinæ, illam esse sustinuerint ad mortem vsque, adeoque maluerint quęuis tormenta, & mortes acerbissimas subire, quam idola colere. Primis enim trecentis annis Ecclesię Christianę plusquam sexcenta Christianorum millia hac vna de causa Martyrium subierunt, vel ad furcas, vel ad ignes, vel ad gladios, vel ad cruces, vel

Marginalia: Num. 25. — Leuit. 18. — Ezech. 8. — Ezech 3. — Daniel. 14 — Gregor.

vel ad bestias damnati. Quocirca B. Remigius Archiepis. Rhemensis, cum Clodouæum Francorum Regem, primum ex Regibus Franciæ conuersum ad Christum post superatos Alemannos Baptizare deberet, coram procerum frequentia, deponenti ornamenta regalia, & ad sacrum se lauacrum humilianti, cunctis audientibus dixit: *Mitis depone colla Sicamber; adora, quod incendisti; incende, quod adorasti:* hoc est, Christum adora, cuius Ecclesias incendisti Paganus; incende idola, quæ tunc adorasti. ita Ioan. Trithem. lib. 1. Compend. Annal. & lib. de Origine Francorum.

Sanctus Chrysogonus, Diocletiano Imperatore, Romæ inclusus in carcere, ibi biennium vixit. Sed cum Imperator Diocletianus Dalmata obscuro loco natus, Romam scripsisset, vt reliquis Christianis, qui in vinculis essent, interfectis, Chrysogonus Aquileiam ad se mitteretur, eò perductus est. Cui Imperator, Accersiui, inquit, te Chrysogone, vt honoribus augeam; si modò induxeris animum Deos colere. At ille: *Ego eũ, qui verè est Deus, mente & oratione veneror: deos autem, qui nihil sunt, nisi dæmonum simulacra, odi & execror.* Quo responso excandescens Imperator, ad aquas Gradatas cum securi percuti iubet. ita habet eius vita.

Romæ, sub Adriano Imperatore, Seraphia virgo Antiochena, cum in domo Sabinæ præclarissimæ fœminæ apud vrbem commaneret, rapta ab officio Præsidis exhibita est in conspectu ipsius. Cui ille: Sacrifica Dijs immortalibus, quibus sacrificant domini Imperatores: B. Seraphia respondit: *Timeo & colo omnipotentem Deum, qui fecit cælum, & terrã, & omnia quæ in eis sunt. Nam dij quos iubes adorare, non sunt dij, sed sunt dæmonia; & ideo non licet mihi eos adorare, quia christiana sum.* Rursum Præses, Sacrifica, inquit, ne morte plectaris. Cui virgo: *Non facio voluntatem patris tui Satanæ, quia christiana sum.* Quare variè torta, tandem capite plexa martyr in cœlum euolauit. ita Ado in Martyrol. 3. Septemb.

Sancta Perpetua, & Felicitas Africanæ Martyres sub Seuero Imp. anno Domini 205. quas sæpe dilaudat S. August. damnatæ ad leones, cum ducerẽtur ad amphitheatrum vt ijs obijcerentur, alta alacrique voce canebant: *Omnes dij Gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit.* Cumque Præses iuberet alapis faciẽ & os earum contundi, illæ maiori & contentiori voce idipsum canendo iterarunt, vt habent earum Acta 7. Martij, illâ enim die sancta Perpetua à leonibus, S. Felicitas à leopardis dilacerata, de idolis & dæmonijs triumpharunt.

6. Sed meritò quæres ex quo capite tum Gentiles tum Iudęi eò perducti sunt, quod simulacris diuinũ honorem impenderint?

Respondeo præmittendum esse, Gentiles fuisse triplicis generis colentes idola. Simpliciores enim credebant ipsa Idola lignea & lapidea, esse Deos. Sapientiores vero vt Philosophi, sciebant ipsa Idola non esse Deos, & tantum in Idolis Deos ipsis repręsentari: veruntamen omnes tam hi, quam illi non Deum verum in idolo, quasi in imagine, vt vult Caluinus, sed ipsa idola, vti Deum vel numen aliquod adorarunt, & adoranda crediderunt: idque, quia putabant idolum esse corpus Dei, aut esse simulacrum Dei, Deũque similem esse idolo, & similia habere membra, aut esse locum aut sedem Dei, cui quasi naturaliter adhæreret, & præsens esset Deus. Denique censebant omnes, idolum habere aliquid numinis, vt cũ ad illud irẽt, ad Deos ire se putarent, ait Cicero lib. 1. de Natura Deorum; idque, quia videbant idolum loqui, & oracula dare. Sapientissimi autem riserunt Idola, sed tamen ea colebant, non ex animo, sed metu legum suarum, & vt populum metu Deorum in officio continerent, vti testatur Cicero libro citato: & tales fortè fuerunt Socrates & Plato.

His positis certum est illos qui ea colue-

coluerunt credentes aliquid numinis in eis esse duabus potissimum de causis huic errori subseruijssent. Prima ob peccatum originale, quod ita vulnerauit mentem humanam, vt non solum in infantibus tanta sit ignorantia rerum necessariarum teste Augustino lib. de peccat. merit. & remiss. c. 38. quanta ne in bestijs quidem cernitur: *Multorum enim*, inquit, *pecorum pulli etiam minutissimi matres agnoscunt, nec sugendis vberibus cura & ope admouentur aliena, sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdito posita mirabili facilitate nouerunt: contra homini nato, nisi ope nutrientis admotis labris papillæ vberis ingerantur, nec vbi sint sentiunt, & iuxta se iacentibus mammis magis possunt esurientes flere, quam sugere.* Sed etiam in alijs adolescentibus tanta sit difficultas discendi, vt ne prima quidem discere possint litterarũ elementa, aut etiam tantæ fatuitatis sunt, vt nõ multum à pecoribus differant: & quod caput est, ignorant sæpe vltimum finem, in cuius adeptione tota hominis beatitudo consistit. Nõ enim solũ ignorant omnes homines, nisi diuinitus adiuuentur finẽ supernaturalẽ, sed etiã maxima pars hominũ ab ipso naturali fine intelligendo aberrat. Cuius rei testes esse possunt tã diuersæ Philosophorum sententiæ de summo bono. De quibus vide S. Augustinum lib. 9. de Ciuit. cap. 1. & sequenti.

Aug.

7. Verùm dices, hæc causa videtur aliquid facere, sed per se nõ sufficit, quãdoquidẽ ex lumine naturali cõstet vnũ Deum esse, eumq; colẽdum fide, spe, charitate, vt dixi Discursu 3. Decalogo præuio. Vnde dico alterã causã & præcipuã fuisse quod homines Deũ naturali lumine cognoscentes, eundẽ nõ glorificauerint, neque illi gratias egerint pro mũdi fabrica, suiq; ac rerũ omniũ ad suum vsum creatione & cõseruatione, quod naturalis ratio dictabat post vsũ rationis esse faciendũ. Probatur ex Apostolo ad Rom. 1. vbi illã causã exprimit, in verbis: *Cum cognouissent Deũ, non sicut Deum glorificauerũt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutauerũt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinẽ imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedũ & serpentium.* id est, homines euanuerũt in suis cogitationibus, quia finem & fructũ cognitionis Dei, qui est actio honesta & cultus Dei, non sunt affectati; adeoq; stulti facti sunt, quia veram scientiã, quæ in pietate & praxi cõsistit, & stultissime ex disquisitionibus & discursibus, quos ex creaturis de Deo creatore fecerant, eo derelicto Idola pro Dijs coluerunt; & gloriã vni immortali & incõmutabili Deo propriã, transtulerunt primũ ad hominẽ mortalẽ: deinde ad bestias, vt volucres, quadrupedes, & serpẽtes. De quibus etiam Ezechiel. ca. 8. Ezech. 8.

Denique horum simulacris diuinũ honorẽ attribuêre; hinc à Deo derelicti in enormia peccata inciderunt, permissi suæ concupiscentiæ, dæmoni, & occasionibus peccati. Vnde sequitur, *sicut nõ probauerunt Deũ habere in notitia*, seu nõ curarũt verum Deum verè nosse, vt rectè de eo sentirẽt, debiteq; eum colerẽt, ideo pariter *tradidit illos Deus in reprobum sensum: vt faciant ea quæ non conueniunt.* nempe eos deserendo.

8. Dices iterũ facile est cõprehendere, quomodo quis desertus à Deo incidat in peccatum luxuriæ, homicidij, cõtensionis & similium: sed quomodo incidat in peccatum idololatriæ, difficile est cõprehẽdere. Hinc velim scire, quâ viâ, quóue modo tãtum crimen homines incurrerint.

Respõdeo Salomonẽ hoc nobis apertè prodere. Scribit enim Sap. 14. initiũ idolorũ primò fuisse ambitionẽ, in verbis: *Superuacuitas hominũ hæc*, (supple idola) *adinuenit in orbẽ terrarũ: & ideo breuis illorũ finis est inuẽtus. Acerbo enim luctu dolens pater citò sibi rapti filij fecit imaginẽ: & illũ qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquã Deum colere cœpit, & cõstituit inter seruos suos sacra & sacrificia* id est, Tãto amore pater in filium defũctum ferebatur, vt subito imaginem eius fabricatam idolum sibi constituerit, eique diuinos ho- Sap. 14.

nores impenderit, tradens subditis, quibus die mortis & natiuitatis eius illud colerent; &, vt ait Fulgentius, *in domini adulationem, aut coronas plecterent, aut flores inferrent, aut odoramenta simulacro succenderent. Deinde interueniente tempore,* ait Sapiens, *& conualescente iniquâ consuetudine hic error tanquam lex custoditus est, & tyrãnorum imperio colebantur figmenta.* Ita vt affectui aut Regibus deseruiẽtes idololatræ fierent, quod clarius exprimit, v. 21. dicens: *Et hac fuit vita humana deceptio: quoniam aut affectui aut Regibus deseruientes homines incommunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt.* Affectui, vt dixi, exemplo patris dolẽtis mortem filij; Regibus verò, quãdo statuas eorum iussu adorarunt, aut ab illis erectas in viuis (vt Daniel. 3. Nabuchodonosoris) adorare coacti fuerunt vt Deum. Et talis fuit cultus Iouis, Saturni, Martis, & Imperatorum vitâ functorum, quos Deos ad libitumq; faciebant, Deo vero repudiato. Scribit de Romanis Imperatoribus in Deos acceptis sic Herodianus lib. 4. vt sequitur: *Mos est,* inquit, *Romanis consecrare Imperatores, qui superstitibus filijs vel successoribus moriuntur. Quique eo sunt honore affecti, relati dicuntur inter diuos. Est autem totâ vrbe quasi luctus quidam festa celebritati promiscuus. Quippe functum vitâ corpus, ritu hominum, sumptuoso funere sepeliũt. Sed certam imaginem defuncto quam simillimam fingunt, eamque in regio vestibulo proponunt supra eburneum lectũ maximum atque sublimem vestibus instratũ aureis. Et quidem imago illa ad ægroti speciem pallida recumbit. Circa lectum vero vtrimque magnam partem diei sedent; à læua quidem Senatus omnis vestibus atris amictus; à dextra vero matronæ, quas virorum aut parentum dignitas honestat: harumque nulla vel aurum gestans, vel ornata monilibus conspicitur; sed vestibus albis exilibus indutæ, mærentium speciem prabent.* Is vero cultus ita propagatus fuit, vt quæuis regio suos particulares haberet Deos, Accharon, Beelsebub, Babylonia Bel, Palæstina Dagon; & sic de cœteris.

Fulgẽtius.

Daniel. 3.

Idem Sapiens alium modum nobis scripto reliquit, nempe quòd homines capti pulcritudine, & admiranda virtute corporum cœlestiũ & elementorum, nec considerantes vnde eam haberent, etiam his cultũ diuinum cœperint exhibere, & eorũ imagines dedicare. Vnde Sap. 13. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, nõ potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnouerũt quis esset artifex: sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, & lunã, rectores orbis terrarum Deos putauerunt. Quorum si specie delectati Deos putauerũt: sciant quanto ijs Dominator eorum speciosior est.* Id est Vulcanum, Iouem, Iunonem, orbem astriferum, violẽtam aquam aut luminaria cæli Deos existimarunt, licet ex huiusmodi creaturis Deum magis dignoscere debuissent ijs esse superiorem.

Sap 13.

Tandem eò insaniæ venerunt, vt prauâ consuetudine crescẽte si aliquid esset, quod aliquam vtilitatem, vel noxam attulisset hominibus, mox pro Deo coleretur, vt commoda sui generis conferret, incommoda auerteret. Sic bouem, ouem, capram, canem, serpentem, crocodilum, murem Ægyptium coluerunt ex falsa imaginatione, quòd putarẽt omnibus huiusmodi rebus vim aliquam inuisibilem præsidere, & connexam esse, à quâ regerentur; quam proinde precibus & sacrificijs conciliandam & placandam censuerunt. Sic Exod. 32. Hebræi absente Moyse vitulum conflatum ex auro tãquam Deum coluerunt, dicẽtes: *Hi sunt Dij tui Israël, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti,* eique *obtulerunt holocausta & hostias pacificas;* adeòque mutauerunt gloriã suam in similitudinem vituli comedentis fœnum, vt ait Dauid Ps. 106. Et hoc est quod Apostolus ad Rom. 1. alijs verbis dicit: *Mutauerunt gloriã incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.*

Exod. 32.

Psal. 106.

Rom. 1.

Hinc ortũ est, quòd omnibus fere rebus, & operibus, quæ ad vsum humanum pertinent, Deos vel Deas diuer-

diuersas præficerent, videlicet rei bellicæ, mercaturę, agriculturæ, venationi, nuptijs & alijs: vt videlicet melius succederent. De quâ re Augustinus lib. 4. de Ciuit. cap. 8. his verbis: *Quando autem possunt vno loco libri huius commemorari omnia nomina Deorum, aut Dearum, quæ illi grandibus voluminibus vix comprehendere potuerũt, singulis rebus dispertientes propria officia numinum. Nec agrorum munus vni alicui* Deo *committendum arbitrati sunt; sed rura* Deæ *Rusinæ, iuga montium Deo Iugatino, collibus Deam Colliniam, vallibus Valloniam præfecerunt. Nec saltem potuerunt vnam Segetiam talem inuenire, cui simul segetes commendarent; sed sata frumenta, quamdiu sub terra essent, præpositam voluerunt habere Seiam, cum vero iam essent super terram, & segetem facerent,* Deam *Segetiam habuerunt, frumentis vero collectis, atque reconditis, vt tuto seruarentur,* Deam *Tutilinam præposuerunt: cui non sufficere videtur illa Segetia, quamdiu seges ab initijs herbidis, vsque ad aristas aridas perueniret.* Et paulò pòst: *Præfecerunt ergo Proserpinam germinantibus geniculis, nodisque culmorum Deum Nodotinum, inuolumentis folliculorum* Deam *Volutinam, cum folliculi patescunt, vt spica exeat,* Deam *Patelenam, cum segetes nouis aristis æquantur, quia veteres æquare hostire dixerunt, Deam Hostilenam, florẽtibus frumentis Floram, lactescẽtibus* Deũ *Lacturninum, maturescentibus* Deam *Maturam, cum runcantur, id est à terra auferuntur, Deam Runcinam.* Similia multa refert idem Augustinus alijs locis.

9. Dices denique, adhuc non capio, quomodo persuadere sibi potuerint, quandoquidem facilè considerare poterant has imagines aut idola facta & fabricata esse manibus hominum, ac vitam nullam ijs inesse.

Respondeo illos credidisse vitam illis inesse, quia dœmon se immiscebat huiusmodi simulacris, & per ea loquebatur, sicut per serpentem, quo decepit Euam; & consultus per ea responsa dabat, vt patet Ezech. 21. vbi sic dicitur: *Stetit Rex Babylonis in biuio, in capite duarum viarum, diuinationem quærens, commiscens sagittas: interrogauit idola, exta consuluit. Ad dexteram eius facta est diuinatio super Hierusalem, vt ponat arietes contra portas, vt comportet aggerem, vt ædificet munitiones.* Et Zachar. cap. 10. vbi mandatur petere à Domino pluuiam in tempore serotino. Et ratio additur: *Quia simulacra locuta sunt inutile, & diuini viderunt mendacium.* Quæ causa est, quare Scriptura eiusmodi simulacra iã vocet ligna, & lapides; iã verò dœmonia, vt Ps. 113. *Omnes Dij Gentium dæmonia.* Sic enim persuadere sibi videbantur aliquid numinis inesse simulacris: quia dœmon hoc modo, æmulabatur morem Dei loquẽtis de medio Cherubim Moysi, Exod. 25. Deinde instruebantur Gentiles à Pontificibus suis, his fidem adhibere; & diabolus in illorũ idolorum mysterijs cæremonias Iudaicas imitabatur: ita vt quædam religio videretur pietatem redolens. Sic enim ait Tertul. lib. de Præscrip. *Ipsas quoque res sacramentorum diuinorum* (supple Diabolus) *in idolorum mysterijs æmulatur. Tinguit & ipse quosdam vtique credentes, & fideles suos: expiationem delictorum de lauacro repromittit, & si adhuc, initiat mithræ: signat illic in frontibus milites suos, celebrat & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit, & sub gladio redimit coronam: Quid? quod & summum Pontificem in vnis nuptijs statuit: habet & virgines, habet & continentes? Cæterum si Numæ Põpilij superstitiones reuoluamus, si sacerdotalia officia, insignia & priuilegia, si sacrificalia ministeria, & instrumenta, & vasa ipsorum sacrificiorum, ac piaculorum, & votorũ curiositatem consideremus, nonne manifestè* Diabolus *morositatem illã Iudaicæ legis imitatus est?* Nec est ambigendum, quin etiam modos, quos Deus instituerat ad se colendum de pręteritis & futuris, ad amussim imitatus fuerit.

10. Dices demum, hæc satisfacere posse quoad Gentiles; sed quoad Iudæos nonnullam difficultatem habere, quòd à Deo electi, multis honoribus ab ipso cumulati fuerint, quibus omnino dignoscere debebant Idola nihil esse, & Deum esse colendum. Nam D. Paulus vt illorum animos sibi conciliaret eos ad

Marginalia: August. — Ezech. 21. — Zach. 10. — Ps. 113. — Exod. 25. — Tertull.

sanam mentem reducere volens, his verbis vsus est: *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israëlitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen*, id est, Optabam si Deus vellet, aut fieri posset, vt ego à beatitudine & gloria futura separarer ob vestram salutem, qui estis cognati mei, (vtpote posteri Israëlis) secundum carnẽ, adoptati in filios à Deo, cum vos sibi, suoque cultui addixit, quibusque Deus solis seipsum per tot tamque gloriosa miracula, prophetias, singularem prouidentiam, admirandaque beneficia, Deum gloriosum, potentissimum ostendit, pacta sępius inijt, præcepta dedit moralia, verum sui cultum, veramque religionem, & promissionem Christi, qui ex patribus vestris ortus est.

Respondeo hos propter peccata actualia seu in pœnam peccatorum, permissos esse in hoc barathrum incidere. Secundò excæcatos fuisse falsâ persuasione; quòd prosperè omnia illis succederent, dum Idola colerẽt. Prodit hoc Hieremias cap. 44. v. 15. vbi viri & mulieres moniti à Hieremia ne colerẽt idola & Deos Aegyptiorum, cum in Aegyptum confugerant spreto Deo, responderunt quòd offerrent quidquid liberet reginę cœli, id est lunæ: quia omnia Iudæis ad animi sententiam successissent, & patribus eorum quando idolis sacrificabant, in verbis: *Sermonem quem locutus es ad nos in nomine Domini non audiemus ex te, sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, vt sacrificemus Reginæ cæli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos, & patres nostri, Reges nostri, & principes nostri, in vrbibus Iuda, & in plateis Hierusalem, & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus. Ex eo autem tempore, quo cessauimus sacrificare Reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame consũpti sumus. Quod si nos sacrificamus Reginæ cæli, & libamus ei libamina: nunquid sine viris nostris fecimus ei placentas ad colendum eam, & libamina ad libandum.* Hieremiæ.

Discursus LVIII.

An quid supersit ad cultum imaginum impugnandum?



LAtâ sententiâ definitiuâ alicuius causæ, sæpe videmus succumbẽtes grauamina comminisci, & absurda quædam in medium proferre, vt locus detur reformationi, seu appellationi de sententia. Tale quid videntur Nouantes imitari, qui instant adhuc nos esse idololatras, ex falso præsupposito; nẽpe, quòd facilius laturi simus, vt loquitur Caluinus lib. 1. Instit. cap. 11. §. 11. vnicum Deum nobis eripi, quàm idola; & quòd altero simulacro prętererito, aut vulgariter honorato, alterum omni solenni honore prosequamur, & inuisendis simulacris, quorum similia domi habemus, votiuis peregrinationibus nos fatigemus. Proinde quæram quod in argumento positum est.

1. Cyrillus Alexandrin. lib. 2. in Ioannem cap. 57. dicit: *Nulla est blasphemia tam magna, quæ non dicatur aduersus sacratissima Ecclesia dogmata ab ijs, qui libenter, quæ recta sunt peruertunt.* Hoc Nouãtibus cõmune: vt cõstat ex dictis: vnde per se responsionem non merẽtur. Verũ quia dixit Sapiẽs, respõdendũ stulto iuxta stultitiã suam, ne sibi

ne sibi sapiens videatur, hinc ad cõfusionem eorum dico, Catholicos edoctos esse, Deum diligere super omnia, & quando necessitas requirit, relinquere debere potius omnia, quàm Deum, immo etiam patrem, & matrem, si velint Christo esse digni, iuxta illud Luc. 14. *Qui amat patrẽ & matrem plusquam me, non est me dignus.* Addo amplius etiam res sibi licitas, quia indifferentes debere omittere, quando non possunt facere sine scandalo infirmorum: vti Apostoli docuerunt suo præcepto de abstinentia à sanguine & suffocato, Act. 15. & Paulus, 1. ad Cor. 8. docuit de idolothytis dicẽs. *Si esca scãdalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.*

Luc. 14.

Act. 15. 1. Cor. 8.

2. Dico secundò, Tantum abesse à Catholicis, quòd imagines plus tueantur quam Deum, vt potius asserant, vsum imaginum, non ita esse necessarium, quin possit ob certas causas interdici: non quòd ex se malus sit; sed quia ex hominum nequitia posset oriri periculum idololatriæ: quemadmodum olim factum est tempore Ezechiæ, quando serpens Numer. 21. erectus, confractus fuit; eò quod ille, qui per se aliquando colebatur, & diu in memoriam beneficiorum ex eius aspectu receptorum conseruatus fuit, adorari cœpit vt Deus. Quin etiam, si hoc tempore tale periculum cõtingere posset per impossibile, nec aliud medium suppeteret illud auertendi, haud dubio tollendas esse imagines diceremus: Verum nunc suppositâ Ecclesiæ consuetudine omnino seruandas esse, vt latius constat ex epist. D. Gregorij ad Serenum Episcopum Massiliensem lib. 9. epist. 9. cit. in discursu de colendis imaginibus.

Num. 21.

Gregor. ad Seren.

3. At dices, Si ita se res habet, cur ergo vnâ imagine relictâ aliam magis frequentant, etsi longè dissita sit, ad eam peregrinationem instituunt; vt ad imaginem beatæ Virginis Hallensis in Hannonia, Asperi-collis iuxta Sichemium in Brabantia?

Respondeo, ex eo nullatenus inferri posse, quod aliquid numinis credamus inesse dictis imaginibus. Nam nunquam precaturi ad imagines accedimus, vt eas inuocemus, verum illos quõs repræsentãt. Nihilominus libet addere causas, quare Christiani ad eas peregrinentur, aut precaturi accedant.

Prima sit, Quia Deus ad præsentiam vnius imaginis operatur miracula, & non per aliam, quemadmodum experientia testatur. Quis enim ignorat plurima miracula nouissime facta ad imaginem B. Virginis Asperi-collis, cuius cultus mirabiliter cœpit abhinc annis 22. plus minus. Cur Deus hoc faciat, ratio est penes ipsum. Nam nemo consiliarius eius fuit. Vt vt est, ipse hoc beneficij genere, veluti voce quadam ad certa loca, vbi dona sua distribuit, mortales euocat.

4. Sed dices, hęc paradoxa sunt, & humanum captum transcendunt, admitto. Verum an ideo minus credibilia. Certè si ita foret, iam in dubium verti possent singula per Moysem, Eliam, Eliseum facta miracula. Sed ad rem, da mihi rationem cur Deus in piscina probatica paralyticos magis sanari voluerit, quàm alibi, Ioannis, 5. cap. idque certis temporibus singulos tantum, & non plures? Cur Naaman Syrum in Iordane magis, quàm in alio flumine curari voluerit, 4. Regum 5? Cur magis ad vmbram Petri accurrentes Deus ab infirmitatibus sanauerit, & à dæmonijs, quibus obsidebantur, liberauerit, quam ad aliorum Sanctorum vmbram? Si potes, dabis etiam facilè, cur ad vnam imaginem, & non ad aliam Deus operetur miracula, & non eris amplius indagator secretorum Dei.

Ioan. 5.

4. Reg. 5.

Sane vir magnus Germanus Episcop. Constantinop. epist. ad Thõmam Episcopũ Claudiopoleos hac ratione cõtentus fuit, vt patet ex his verbis, *Quòd igitur non omnis corporis vmbra, neque qualibet sudaria id possint,*

Germ. Episcop.

facile videt is, qui, quæ fides fuerit vtriusque erga Deum, animaduerterit, vt qui eiusmodi gratiam per inanimata illa indicauerit. Quamobrem credẽdum est, & per imagines quoque talia à Deo designari: non per quaslibet tamen picturas, aut imaginũ species eiusmodi fiunt, sed sãctorum effigies repræsentantium tantum, aut Iesu Christi. Neque etiam ob huiusmodi curationes, spontaneas esse credendum est, sed tantummodo ex Dei gratia. Addo, etsi homines ad exteras regiones concedunt, vt ferrum, aurum, argentum, gemmas, & alia, quę Deus illis locis concessit; quid mirum, si Christiani ad memorias Sanctorum peregrinentur, vt ea adipiscantur, quæ omnibus thesauris pretiosiora, salutem nempe animę, & corporis, quam Deo placet ibi impertiri, non alibi?

5. Secunda causa est, Quia quædam imagines magis amantur, quòd pictę sint à viris sanctis. Illę autẽ peculiarem deuotionẽ merẽtur, quod non solum sint sanctæ propter significationem, sed etiam propter artificem. Hinc magis excellit imago Edessena, quæ ab ipso Christo facta esse credebatur: Et imago Christi, ac B. Virginis à D. Luca depicta; de quibus hæc scribit Canisius lib. 5. Marialis, cap. 22. cum dixisset quod plurimi ad suum solatium imaginem Beatæ Virginis retinerent, alijsque communicarent, addit: *Cui rei magnũ præbet testimonium Lucas Euangelista, idẽque præterea medicus & pictor, Mariæ admodum familiaris, cui laus est, eritque semper in Ecclesia Dei. Is primus omnium, vt Simon etiam Metaphrastes affirmat, cerâ, & lineamentis Christi figuram expressit, atque vt Theodorus lector exponit, imaginem quoque genitricis Dei ad viuũ depinxit, quam porro ad Pulcheriam Augustam ex Ierosolymis Eudoxia miserit. Quâ de re plurimis tractat Nicephorus Callistus, & eandem deiparæ imaginem à Luca depictam his verbis illustrat: Pulcheria Augusta Templum in vrbe Constantinopolitana extraxit τῶν ὁδηγῶν, hoc est, via ducum appellatum: vbi ex Antiochia transmissam Matris Dei imaginem dedicauit; quam D. Apostolus Lucas suis ipse manibus depinxit, illa adhuc viuente, & tabulam ipsam* Canisius.

viuente, gratiamque adeo illi forma sua immittente. Hæc imago primum in eo loco, qui tribunal dicitur, fuit; vbi ea, quæ nunc quoque sunt, miracula peracta sunt. Et his quidem Nicephorus non solum Mariam adhuc viuentem, Lucæ manibus depictam, sed etiam solemniter à Græcis asseruatam, & miraculis frequentibus illustratã fuisse demonstrat. Idem dici potest de imagine S. Stephani, quæ ab Angelo formata, & allata fuisse putatur: de qua Euodius lib. 2. de Miraculis. Euodius.

6. Tertia causa est, Quòd aliquæ imagines magis excitant ad pietatẽ, quàm aliæ, eo quod historias magis pias & religiosas contineant. Ex quo D. Gregorius Nyssenus legitur, non potuisse præterire imaginẽ Abrahæ filium immolare parati, sine lacrymis. Quanto magis id causam dabit, potius precari ante imaginem Christi pro nobis voluntariè passi, & B. Virginis filio ad crucem assistentis, quid ni magis de resurrectione exultantis, si ita decenter, & piè aliæ non tales. Neque mirum est homines magis ex pulchra imagine moueri, quam minus pulchrâ, cum etiam ex aspectu Sanctorum viuentium magnopere moueamur. Et ex veteri traditione habeamus Dionysiũ Areopagitam aspicientem Dei Matrem tanta admiratione perculsum dixisse, nisi de filio Dei ipsi esset reuelatũ non crediturum alium esse Deum præter B. Virginem; idque propter splendorem, quem in ea radiantem intuebatur. Quis ambiget eius imaginem sic in tabella depictã ad beatitudinem homines incensuram, quandoquidem visa scintilla gloriæ Christi in transfiguratione ita Petrũ perculerit, vt omnium rerum humanarum oblitus illic voluerit sistere. Deinde si Iudęi in Cõcilio viderunt faciẽ eius (supple Stephani) tanquã faciẽ angeli Act. 6. quis dubitat quin in tabella depicta magis mouebit quam alterius?

Confirmat hanc rem quòd mirabiles partus corporales inde ortos probati Auctores prodant D. Hieronymus in Quæstionibus Hæbraicis in Genes. *Scriptũ reperitur*, inquit, *in li-*

in libris Hippocratis quod quadam suspicione adulterij fuerat punienda cum pulcherrimum peperißet, vtrique parenti generique dissimilem, nisi memoratus medicus soluißet quæstionem, monens quærere, ne forte talis pictura esset in cubiculo: qua inuenta, mulier à suspicione liberata est. Petrus Messias in suis lectionibus par. 2. cap. 7. de quadam muliere refert, quæ, quod, cum rei coniugali daret operam, intentissimè oculos & animum in imaginem S. Ioannis Baptistæ camelorum pilis induti defixum haberet, filiam pepererit, quæ cute camelum præ se ferret. Plura de hac re scribit Francis. Valesius de sacra Philosophia cap. 11. Verum hæc sufficiant ad nostrum intentum, cum satis reuincant rationes suppetere etiam morales, quare maior sit deuotio ad vnam imaginem, quàm ad aliam, imaginumque visitationem peculiarem ab idololatriæ vitio liberam esse.

Pet. Messias.

7. Sed dices Deus vetat tamen Baruch 6. Iudæis, ne cum in Babylonem venerint Deos aureos & argēteos suspiciant, quos illic videbunt ostentantes metum Gentibus, seu splendentes ad incutiendam hominibus religionem, & sacrum quemdam metum ac reuerentiam: ergo etiam pulcritudinem imaginum.

Baruch 6.

Respondeo id nullatenus sequi: non enim ideo reprehenduntur illæ statuæ quòd aureæ essent aut argenteæ (hoc enim iussum à Deo legimus de Cherubinis, Exod. 25.) sed quòd illas Deos æstimarent, illasque circumferrent, vt homines tanquam Deos eas venerarentur, vt patet ex toto discursu dicti capitis, vbi Hieremias faciēs officium boni Prophetę, & zelo cultus veri Dei incitatus, præsciens periculum certum idola Chaldæorum adorandi, & colendi, voluit eos præmunire hoc tā salutari antidoto, ne, Deo relicto, se vilibus simulacris prosternerent, & in exilio, quod medicinæ loco datum fuerat ad idololatriam curandam, in eundem morbum grauius reciderent; idque fecit cum fructu (Nam vt auctor est Tertullianus in Scorpiaco) Tres pueri Daniel. 3. noluerunt adorare statuam Regis, eo quod Hieremias hac de re eos sua epistola præmonuisset, &, ne id facerēt, corroborasset. Simile quid dehortatus est Isaias suos capite 46. cit. Quod Prophetæ egerunt, hoc idem docemus, quia idola detestamur: absit quòd coleremus.

Exod. 25.

Tertull.

Isa. 46.

Ex quibus constat, quod perperā Nouantes hunc locum & similes in Catholicos retorqueant, qui certas imagines aut pretiosas in processionibus peculiariter circūferunt, cum in illis Deum honoremus, nec aliud faciamus, quam Iudæi, qui ex Dei instituto arcam cum Cherubinis quàm plurimis annis circumferebāt ad Dei honorem; neque limites excedamus, vti dixi Discursu 56.

Confirmatur illos iniustè orthodoxos calūnijs incessere, cum Deus huiusmodi vsum etiam miraculis comprobarit. Adscribam vnum atque alterum. Notum est quod Gregorius Magnus, cum sæuissima pestis Romæ sæuiret, ac multæ simul aliæ calamitates accederent religiosam in die Resurrectionis supplicationē instituerit, & imaginem Dei Genitricis per D. Lucam depictā in publicū efferri curauerit, & piam circumgestationem Deus miraculo comprobauit. Etenim quacumque ferretur imago pestilentis cœli grauitas depulsa, & optata salubritas in vrbe consecuta est. Vbi gratulantibus omnibus Deo, ecce tibi Angelus, qui sanctam Virginem his vocibus è cœlo alloqueretur: *Regina cœli lætare, alleluia: Quia quem meruisti portare, alleluia: Resurrexit sicut dixit, alleluia.* Quam orationem simulatque Gregorius coram audiuit, diuino spiritu statim excitatus, eam in hunc modum expleuit: *Ora pro nobis Deum alleluia.* Quod canticum deinde solemne mansit in Ecclesia, & Paschalis lætitiæ vel argumentum vel confirmatio quotannis esse consueuit. Eandem historiam à veteribus acceptam Sigonius quoque cōfirmat. Refert etiam Nicolaus Serarius lib. 1. de processionibus cap. 5. in Chio

Gregor. Mag.

Lib. 1. hist. de regno Italiæ.

Serarius.

 insula,

insula, vbi fames iam erat, & adhuc multò grauior impendebat propter maximã illis in locis siccitatem, obstrepentibus Turcis, à Catholicis ex vrbe Chio in collem quemdam processionem institutam, ac magno cũ honore B. Virginis imaginem gestatam, post eius & Sanctorũ omnium suffragia postulata, cum recepissent se è colle Catholici in suum templum, abundantissimam pluuiam concessisse Deum, adeò sanè mirabiliter, vt Turcarum plerique cauis labentem pluuiam exciperẽt manibus, exceptamque, velut certissimũ Dei donum, oscularentur: nonnulli etiam in Catholicorum ædem venirent, & vbi magnæ Matris imago esset, requirerent, ad eamque genibus nixi venerabundi adreperent, prout, qui præsens interfuit, & in Creta, vt opinor, modo est, retulit homo minimè vanus *Gregorius Iustinianus*. Vnde rectè congruit, quod Ioannes Damasc. orat. de imaginib. dicit: *Videtis, quantum robur, diuinaque agendi vis illis præbeatur, qui cum fide puraque conscientia ad Sanctorum imagines accedunt?* Damasc.

Apage igitur Nouantibus. Vigeat semper cum Christo, nonobstantibus circumlatrantibus hæreticis; vigeat, inquam, Catholicæ Ecclesiæ traditio, & firmiter teneatur, insistendo Patrum monitis: vt piè hortatur Ioannes Damascenus in hæc verba: *Quamobrem, fratres, in fidei petra, & institutis Ecclesiæ consistamus, terminos à Sanctis Patribus nostris positos minimè transferentes, nec locum dantes ijs, qui rerum nouarum cupidi, sãctæ Dei Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ conantur ædificium euertere, ac demoliri. Nam si eiusmodi licentia cuiuis impunè cõcedatur, paulatim totum Ecclesiæ corpus destruetur. Animaduertite quid de ipsa loquatur* Deus: *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te.* Damasc.

Discursus LVIX.

An Processiones licitæ?



Cant. 4. SApiens Cãt. 4. de Ecclesia dicit: *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te.* Sed Nouantes nihilominus ritus Ecclesiæ notant, tanquam non solum maculas habentes, sed vt idololatricos; quẽadmodum de processionibus dixerunt Protestãtes in Apologia confess. August. Alij verò Ethnicas & Paganas esse. Hinc operę pretium erit, hoc latius examinare.

Deos in cœlis reprehendere fingebatur olim *Momus*. At nunc Deũ, diuinaque pœnè omnia in terris nostri reprehendunt hæretici. Et pepercerunt quidem Hierosolymitano quondam templo, eiusque numerosissimis hostijs muscæ; hi verò in sacra & religiosa omnia inuolant, mosicant, exsugunt, & attaminant, quęcumque summi numinis cælitũque honori fiunt. In his processiones sunt. De his visum fuit post tractatus de imaginibus discutere, quòd imagines, quòd reliquiæ, & Venerabile Sacramentum in ijs circumferantur.

1. Vt autẽ à nomine exordiar, eius significatio est varia; & primò significat processiones, quas è suis ædibus, religionis, ac pietatis causa faciunt soli, vel cum alijs Christiani. Huiusmodi est primò ipsa ad templum itio. S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ: *Die tantum Dominico ad Ecclesiam procedebat.* S. Ambrosius serm. 17. qui est de Kalendis Ianuarijs: *Obseruauit diem & mensem, qui his diebus* (Ianu. Kal.) *aut non ieiunauit, aut ad Ecclesiam non processit.* Rursus: *Obseruauit diem, qui hesternâ die non processit ad Ecclesiam, processit ad campum.* Ambros.

2. Secundò significat sacrorum locorum,

locorum, & rerum venerationem. Sic ad reliquias & Martyria procedendi consuetudinem fuisse ostendit Hieronymus, licet crebras istiusmodi processiones in virginibus ob varia virginitatis pericula non probet epist. ad Eustoch. de custod. virg. *Rarus*, inquit, *sit egressus in publicum, Martyres tibi quarantur in cubiculo tuo, Nunquam deerit causa procedendi, si semper, quando necesse est, processura sis.* Ad vigilias sanctasque in precibus pernoctationes processionis meminit ad vxorem lib. 2. cap. 4. Tertullianus. Est enim ibi obseruandum, cum processionis generatim, ab eo tacta fuisset mentio, speciatim postea illius exépla quædam subdere, cum ait: *Quis enim sinat coniugem suã visitandorum fratrum gratia vicatim aliena, & quidem pauperiora quaque tuguria circuire? Quis nocturnis conuocationibus si ita oportuerit, à latere suo eximi libenter feret? Quis denique solemnibus Paschæ obnoctantem securus sustinebit? Quid ad conuiuium Dominicum illud, quod infamant, sine sua suspicione dimittet? Quis in carcerem ad osculanda vincula Martyris reptare patietur?*

Hieron.

Tertullian.

3. Tertiò significet religiosam precabundi agminis certo cum ritu ac ceremonia obãbulationem, quæ varijs de causis instituitur, & de hac quæritur, vtrum sit licita. Credo, reijcient, & negabunt audacter hęretici, quòd nomen processionis in Scripturis non reperiatur. Sed dico, Primò nos non altercari de nomine, quando res ipsa in Scripturis comprobetur; & de eo altercari hæreticorum esse, vt alicubi ait Tertullianus de vocabulorum occasionibus, & verborum communionibus quæstiones subornare. Hoc exemplis comprobatur Sabellij, qui Trinitatem personarũ non admisit, eò quòd in Scripturis vocabulum Trinitatis non haberetur. Constat exemplo Arrianorum qui non credunt filium consubstantialem Patri; & triplicẽ volunt facere Deitatis gradum quia nomen ὁμοούσιος in scripturis non cõtinetur. Constat item exemplo Nestorianorum, qui negant B. Virginem Dei Matrem, quòd vocabulum Deipara in sacra scriptura non legatur. Hæretici nostri temporis non credunt Christum verè & substantialiter esse in Eucharistia, eò quòd verbum transsubstantiatio ibidem non occurrat: Iidem Purgatorium, quòd hoc nomen illic non sit inuenire. Catholici, autem cõtenti sunt quod res, quæ vocabulis designantur aliunde comprobentur ex Scripturis, nec volunt canibus lanionum esse similes, qui ossa rodunt, non carnem masticant.

Tertullian.

4. Dico igitur secundò, illas esse licitas, eo quod Deus easdem legatur præcepisse, vt Iosue 6. vbi ad expugnandam vrbem Ierichontinam, mandauit circuiri vrbem sex diebus quotidie semel, & septima die voluit circuiri septies cum arca subsequente, & sacerdotibus clangentibus buccinis, sic habetur d. cap. in verbis v. 3. *Circuite vrbem cũcti bellatores semel per diem, sic facietis sex diebus. Septimo autem die sacerdotes tollent septem buccinas, quarum vsus est in Iubilæo, & præcedent arcam fœderis, septiesque circuibitis, & sacerdotes clangent buccinis.* Et reipsa obedierunt Israëlitæ. Nam v. 11. dicitur *Circuiuit enim arca Domini ciuitatem semel per diem, & reuersa in castra mansit ibi. Circuieruntque,* v. 14. *ciuitatem secundò die semel, & reuersi sunt in castra. Sic fecerunt sex diebus. Die autem septimo diluculo surgentes circuierunt vrbem, sicut dispositum erat, septies.* Hæ profectò circuitiones, religiosæ totæ sunt. Nam ex se ad vrbis expugnationem quid valebant? Quorsum tantus earum numerus? Quorsum arcæ circumlatio? Sacerdotum, Leuitarum, populique totius præsentia? Quorsum tubarum, & quidem Iubilearum clangor? Quorsum in ijsdem circuitionibus alia tam multa? Sunt omnia sanè cęremoniarum, quæ ad Dei cultum, & honorem spectarent, plena, ideoque & merissimę sacrę processiones, cuiusmodi & hodie nostræ sunt, si, vt dixi, res ipsaque, vt ita dicã, processionum essentia spectetur.

Ios. 6.

Deinde terni illi singulis annis ad Ierosa-

Ierosolymitanum templum itus & reditus, qui ab omnibus in terra sancta suscipiebantur, à Deo præcepti, de quibus Exod. 23. & 24. & Deut. 16. haud dubiè inter sacras processiones numerari possunt. Nam licet poterant à singulis singulatim solitarieque suscipi, vt à Tobia factum videtur, Tob. cap. 1. v. 6. cum tamen à pluribus & pijs simul euntibus fiebant, sacræ quædam processiones erant. Nam & religiosa quædam ceremonia erāt, & varios in ipso itinere hymnos ac preces dubio procul habebant, vt cum ad diem festum cum puero Iesu ascenderunt Ioseph & Maria Luc. 2. Refert enim Dauid de pomarijs in suo *Tsameach* p. 165. triplicis huius ad templum ascensus causas primarias fuisse tres. Prima, vt ab Israëlitis agerētur Deo gratiæ, in Paschate quidem pro liberatione ex Egypto; in Pentecoste verò pro data cœlitus lege; in scenopegijs, pro dato promissæ terræ dominatu. Secunda, vt sua quædam vota & sacrificia offerrent omnes. Tertia; vt benedictionis, quæ per expressum *Iehoua* nomē à Pontifice in templo tum tantummodo fiebat, forent participes. Quis ergo piè religioseque Israëlitas sanctis huiuscemodi cogitationibus completos, multiplicibus Deum ob tanta beneficia laudibus in via extulisse, varijsque celebrasse canticis dubitet? Sicque rectè apud Paraphrasten Chaldęum exclamat Salomō Cant. 7. v. 1. *Quàm pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis*? Itaque primus auctor Deus est.

Dauid.

Cant. 7.

5. Deinde si quæ fuerunt aliæ, in veteri Testamento, eas indixerunt vel homines sanctissimi, vt Prophetæ Dauid, Nehemias, vel certè Israëlitarum Primores. Prius patet 1. Reg. 10. vbi Propheta Samuel dixit Saüli, quem in regem vnxerat, quòd populum ex eo die suæ creditum fidei ab hoste vicino liberaret; & ne de præfectura, & rerum euētu sollicitus ambigeret, signis illum firmissimis in illa prædictione confirmat. Quorum vnum fuit, occursurum ipsi prophetarum cuneum, & diuino insiliente spiritu vaticinaturum cum ipsis, de quibus vers. 5. hæc accipe: *Post hæc venies in collem Dei, vbi est statio Philistinorum: & cum ingressus fueris ibi vrbem, obuiam habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes, & insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.* Vbi nota quòd processerit prophetans: id est varios in Dei laudem hymnos, diuinaque fundens oracula, prægredientibus ac personātibus nablijs, tympanis, tibijs, & citharis. Secundò singulare auxilium Dei illi choro fauentis, quia in Gabaa illa Philisthęorum hostium erat militaris statio, quorum manum ab omni vi, ac iniuriâ inferendâ procedentibus coërcebat Dominus, notabile signum easdem illi placere.

1. Reg 10.

Deinde Dauid cum vniuersum Israëlitarum regnum vno omniū cōsensu in Hebron accepisset, 2. Reg. 5. Hierosolymam totam occupasset, Philisthæos deuicisset, duplicem vno eodemque anno instituit processionem. Vnam quâ Domini arcam è Cariathiarim, vbi annos hæserat aliquot, in domum Hobededom Gethæi traduxit, 2. Reg. 6. 1. Paral. 13. Alteram, quâ sacram eandem thecam ex Hobededom illius domo in ipsam suam ciuitatem, & in locum tabernaculumque, quod illi honorificentissimum apparārat, transtulit, vt habetur eod. cap. 6. lib. 2. Reg. v. 12. & seq. 1. Paral. 15. In quibus duabus arcæ translationibus multæ adhibitę sunt cęremoniæ religione plenæ, vt psalmorum cantus, musicorum instrumētorum adiuncta varietas, Sacerdotum, Leuitarum, symphoniacorum certus ordo, ad singulos senorum passuum progressus, arietum, boumque oblata sacrificia, 2. Reg. 9. v. 15. his verbis: *Cumque transcendissent, qui portabant arcam Domini, sex passus, immolabat bouem & arietem.* Nehemias, etiam solutâ Babylonicâ per Cyrum capti-

2. Reg 5.
2. Reg 6.
1. Paral. 15.
2. Reg. 6.

captiuitate, Ierosolymisque instauratis, murorum dedicationem egit, lib. 2. Esdræ cap. 12. v. 27. Et quidē sic, vt ab interiore vrbis parte, super muros ipsos duæ, quæ sibi mutuo tandem occurrerent, precantium diuinumque numen laudantium classes progrederētur, illos totos circuirent & lustrarēt. Sacerdotes hic erant, & musici, & hymni, & odæ, organaque varia, Quid, quæso, ille modus continet, quam sacram processionem, licet nomine non exprimatur?

2. Esd. 12. cap.

Quoad Primores patet, 1. Reg. 4. vbi maiores natu Israëlitarum à Philistæis cœsi & fugati, credentes cladem illam non tam illatam à Philistæis, quàm à Deo, ad diuinum etiam auxilium confugerunt, & arcā petierunt de Sylo, memores quòd, arca præsente in castris, vel in trāsmissione longa per desertum, vel in subiuganda Chanaanitide Regione copiosissimas sępe inimicorum acies concidissent, dixeruntque: *Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthiim? Afferamus ad nos de Sylo arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum. Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituū sedentis super Cherubim.* Vides expressam speciem processionis. Nam arca, quæ ex rebus sanctissimis apud Iudæos, delata, & sacerdotes præsētes fuerunt.

1. Reg. 4.

6. Hoc ipsum tempore gratiæ Christiani imitati sunt, & ex ijs viri quidem summi & sapiētissimi, quorum exempla recensere ab Apostolorum temporibus haud dubie liceret, nisi impietas Idololatrarum id impediuisset, & Tyrannorum nimium sæua immanitas: vnde ab illo tempore tantum licet exordiri, quo Christianorum sacris publica certa, & constans diuinitus concessa tranquillitas, hoc est post trecentos annos: tum enim colligitur morem illū fuisse publicū in Ecclesia, quando Constantinus magnus vrbis Constantinopolitanæ ædificatione absoluta eandem Deo in Beatissimæ Virginis honorem dedicauit, de qua scribit Nicephorus lib. 8. cap. 26. *Supplicis more rogauit Imperator Episcoporum conuentum, vt precationibus suis munitiones & muros nouæ vrbis firmarēt.* Et illico post: *Constātinopolim veniunt, Encænia & consecrationis festum diem celebrant, incruento sacrificio operantur, precibus votisque vrbem abunde prosequuntur, & firmant.* Et Imperatoris eiusdem tempore Litanijs vacasse Monachos, testis est Sozomenus lib. 1. Trip. hist. cap. 11.

Niceph.

Postea verò Iuliani Apostatæ tēporibus è Daphne Antiochiam referebantur S. Babylæ Martyris reliquiæ, & Tyranno illo inuitissimo cantabantur publice per plateas psalmi, & magnus non solum virorum, sed & fœminarum, & puerorum numerus cū illis processit. Refert hoc Sozomenus lib. 5. hist. cap. 18. & 19. His adde quę Discursu 51. n. 5. dixi de translatione reliquiarū, ex S. Hieronymo lib. contra Vigilantium.

Sozomen.

7. Sed dices, hic processionum vsus ab Ethnicis prodijt, nam 2. Reg. 5. deprehenditur Gentilibus familiare fuisse secum & pugnæ duces & auxiliatores habuisse tutelares Deos, seu idola, quæ Dauid ex castris Philistinorum abstulit; de quibus dicitur vers. 21. *Et reliquerunt ibi sculptilia sua quæ Dauid tulit & viri eius.* Et clarius 1. Paral. 14. vbi dicitur: *Dereliquerunt ibi Deos suos, quos Dauid iussit exuri, quod erat conforme præcepto Domini*, Deutron. 7. v. 25. *Sculptilia eorum igne cōbures.* Et Baruch cap. 6. dicit Hieremias Chaldæorum esse morem Deos aureos, argēteos, ligneos & lapideos in humeris portare, & populum ante & retro eos adorare, quod signum videtur à Gentilibus processiones ortas.

1. Paral. 14.

Deut. 7

Respōdeo id falsum esse, sed dæmonem, (& ex eius instinctu Gentiles) processiones sub Mosaicâ lege vsitatas, imitatum esse; & impia cum cacozelia in sceleratos idolorum cultus inuexisse. Hinc idolorum circumgestatio, 2. Reg. 5. sicuti enim viderant Hebræos, arcâ præsente, victoriâ

2. Reg. 5.

victoriâ potiri, sic idola secum duxerunt in castris, quorum tutelæ & fidei & vitam suam ac victoriam crediderunt. Hinc, inquam, deportatio idolorum in humeris sacerdotũ apud Babylonios. Quemadmodum enim sequitur diem nox, vitã mors, hominem verum & viuum pictus & mortuus: ita cęremonias, quibus verus Deus rectè & piè colitur, superstitio & impietas. Est enim Dei simia diabolus, quod ei videt venerationis ergo fieri, sibi quoque factum vult; hinc & aras & sacrificia, & iuges ignes, & lucernas, & omnem fere Iudaicam, & à Deo traditam sacrorum disciplinam, supellectilem, splendorem, ad inanima, mutaque idola transferre sategit. Testis est Tertullianus lib. de Præscrip. cap. 40. cuius verba citaui, Disc. 57. num. 9. *Tertullian.*

8. Porrò tantùm abest, quòd Ecclesia Dei hac ratione Paganismum instrueret, quin potius vsu hoc antiquo idololatriam voluerit extirpare, vti & hæresim. Nam in translatione reliquiarum Babylæ Martyris, ex quarum præsentia idolum in Daphne obmutuerat, vt responsa dare non posset: sicut 1. Reg. 5. inducta arca in templum Dagon ipsũ ab ara deturbauit, & ad aram vnde ceciderat iterum relatum denuo cum maioribus sui detrimentis excussit sine capite ac manibus defractum relinquens. Nam ex hoc Iulianus subiratus voluit trasferri, instinctu dœmonis, reliquias sancti martyris Antiochiam, quod factum fuit magnâ populi frequentiâ, & cantu Psalmorum, & ex ijs canebatur illud Ps. 96. *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis*, de qua Processione sic Sozomenus lib. 5. cap 18. *Itaque Christiani in vnum congregati, loculum circiter quadraginta stadia in vrbem trahunt: vbi iam martyr in loco, qui ab eo nomen accepit, repositus iacet. Ferunt eo tempore, viros & mulieres, iuuenes & virgines, senes & pueros mutua ipsorum cohortatione incitatos, per totum iter Psalmos cantasse. Qui quamuis simularent se, quo labores itineris leuarent, cecinisse: tamen canebãt reuera ardenti studio, & propensâ erga pietatem voluntate incensi, propterea quòd Imperator aliter omnino, atque ipsi, de Deo sentiebat. Psalmos autem praeibant hi qui eos canere accurate norunt: multitudo autẽ simul voces fudit cum concentu, huncque versum addidit: Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis.* Et addit: *Ob hanc causam Imperator, perinde quasi contumeliâ affectus fuisset, i. à exardescere cœpit, & propterea cõstituit supplicia Christianis irrogare. Verum Salustius eius Præfectus, licet professione Gentilis, illud quidem consilium non probauit: sed tamẽ cum resistere non posset, mandatum Imperatoris reipsâ exequitur: & postridie multos comprehendit Christianos, & in vincula conijcit.* Et postea subiungit, quod frustra hæc tentauerit, quod Deus Adolescentem nomine Theodorum primum omnium equuleo tortum ita solatus fuerit in hisce pœnis: vt ita se gesserit quasi nihil sentiret doloris, & prædictum versum caneret, quẽ pridie cum alijs cecinerat. *Confundantur omnes* &c. D. verò Chrysostomus ad Arianorum hæresim debilitandam & insolentiam eorum compescẽdam curauit insignes, admodum splendidas, & pias per Constantinopolitanæ vrbis vicos processiones fieri, etiam nocturno tempore, quæ sanctissimæ Trinitati laudes dicerent, cui ipsi obstinatò derogabant. *1. Reg. 5.* *Sozomen.*

9. Deinde insulsum est consuetudinem Ecclesiæ quæ origenem habet à Deo Prophetis & sanctissimis viris vellè in dubium reuocare; tanto magis, quia Deus supplicationes & processiones ritè factas miraculis confirmauit & illustrauit. Iosue enim 6. tempore processionis mirabiliter vrbs Ierichōtina deuicta est, muri corruerunt: ex quo semper Hebræi in grauissimis periculis secũ arcam tulerunt, vt diuinum ipsis adesset auxilium. Tẽpore verò Christianorum plurima suppetunt miracula: sed vnum atque alterum recensuisse, hic satis erit. Primum sit liberationis à clade bellicâ Isauri Leonis *Iosue 6.*

Leonis tempore, cum numerosissimæ Agarenorum copiæ multas Gẽtes procellæ ac tempestatis instar, maximis cum cœdibus, & damnis percurrerunt, ac diuexarunt: tandemque illi victorijs elati, spolijs incitati, audaciâ ebrij, mille & octingentarum nauium classem Constãtinopolim appellunt, eam vndique circumdant, oppugnant, assiliunt: ita vt ciues quidem miserrimam vrbis direptionem, omniumque tristissimam cladẽ animo iam perhorrescerent: hostes vero vrbẽ spe certissimâ caperent, in opulentas omnium domos irruerent, ferro & flãma vastarent omnia. Quid igitur factum? Triodium Gregorius hoc refert his verbis: *Sacer vrbis populus venerabilis, honorandâ & viuifica crucis ligno, simulque venerãda. Dei matris, quæ hodegetria* (seu viæ dux & monstratrix) *est, imagine assumptâ, forasque adductâ, circuibat vrbis mœnia, Deum cum lacrymis propitians.* Tum verò Barbari tantâ sæuientium in freto, ventorũ vi exagitati, tantâ famis rabie diuexati sunt, vt eorum plurima perierint millia, humanasque vorare carnes cœperint: residui verò in fugam sese coniecerint, neque tamen sic euaserint. *Grando violenta è cœlo delapsa* feruoremque maris concitans, picẽ nauigiorum dissoluit: sicque infinitæ multitudinis classis illa disperijt, tribus dumtaxat ad cladis nuncium residuis.

Triodium. Ex eodem Triodio habes, quòd Constantinopolitanã vrbem à Chagano Scytha nouo Rapsace blasphematore Christi maximis obsessam copijs, & destinatam exitio, Heraclij Imperatoris tempore, conseruarit sacra processio, his verbis: *Patriarcha* (Sergius) *acceptis* DEI *parentis imaginibus cum omni multitudine mœnia supernè circuibat, eâ ex re præsidium, seu securitatem ipsis comparans.*

Niceph. Theodosius Iunior apud Nicephorum lib. 14. cap. 3. legitur supplicationem pro serenitate & clementiâ aëris impetrandâ instituisse, & obtinuisse, his verbis: *Litania instituta est, supplicantes processere, laudibus* DEUM *vexêre, atque vna concors Ecclesia ciuitas tota facta, & ipse Theodosius hymnis cantãdis præijt, habitu priuato incedens, minimè verò eum fefellit opinio: statim enim cœlum aërem turbidum cum serenitate cõmutauit; & frumenti non mediocrem inopiam ingens quædam frugum copia & vbertas est consecuta.*

Greg. Turonen. De peste inguinariâ sublatâ scribit Gregorius Turonensis lib. de gloria confessor. cap. 79. in hæc verba: *Non illud*, inquit, *sileri placuit, quod illo gestum est tempore, cum lues inguinaria populum primæ Germaniæ deuastaret. Cum autem omnes terrerentur huius cladis auditu, concurrit Rhemensium populus ad Sancti sepulcrum, congruam huius causæ flagitare remedium. Accensis cereis lychnisque nõ paucis, hymnis, Psalmisque cœlestibus per totam excubat noctem. Mane autẽ facto, quid adhuc precatui desit in tractatu rimatur, reperiunt etenim reuelãte* DEO, *qualiter oratione præmissâ adhuc maiori propugnaculo vrbis propugnacula munirentur. Assumpta igitur palla de Beati sepulcro componunt in modum feretri. Accensisque super cruces cereis, atque ceroferalibus dant voces in canticis, circumeũnt vrbem cum viris. Nec prætereunt vllum hospitium, quod non hâc circuitione concludant. Quid plura non post multos dies fines huius ciuitatis lues aggreditur memorata. Veruntamen vsque ad eum locum accendens, quo beati pignus accessit, ac sic cõstitutum cerneret terminum, intro ingreditur non modo nõ est clausa, sed etiam quâ in principio peruaserat, huius virtutis repulsu reliquit.* Et hinc anno Domini 1414. Constantiæ cœlestes B. Rocho à coactæ illic synodi Patribus decreti honores, ipsiusque imago ad ingruentẽ propulsandã luẽ, sollẽni põpa, omni comitãte populo, vrbe tota circũlata, & quidẽ euẽtu adeo fœlici, vt per sãcti apud Deũ preces omnis illa subito pestis euanuerit, prout die 16. Augusti à Baronio notatum.

Quibus omnibus ita consideratis, concludo processiones, non solùm esse licitas, sed etiam vtiles, nec à Paganismo processisse, sed ex vero Dei cultu, quem Diabolus in idolorum cultu imitatus est, denique hæreticos edoceri, sibi cauendũ

esse à calumnijs, & cachinnis, ne pœnam Michol 2. Reg. 6. aut grauiorem incurrant.

2. Reg. 6.

10. Sed dices quamuis hæc abundè satisfaciunt, tamen vrget aliqualis adhuc scrupulus, nempe quid Christus velit illis verbis, Matth. 6. dicens: Cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum stantes orare. Illum enim locum hæretici, in Catholicos retorquent.

Matth. 6.

Respondeo Christum non culpare orationem, quę fit in plateis aut publicè. Nam certum est orationem quouis loco ritè fusam ad Deum, illi gratam esse, vt patet exemplo Moysis, qui Exod. 15. Deũ in medio mari exorauit, Iob. 1. & 2. cap. sedens in sterquilinio, Ezechias Rex iacens In lectulo, Isaiæ 38. Hieremias in luto cap. 38. Ionas in ventre ceti, cap. 2. Daniel in lacu leonum, cap. 6. Tres pueri in fornace ignis, Daniel. 3. Latro in cruce, Luc. 23. Petrus & Paulus in carcere Act. 12. Et multo magis publico loco & à pluribus fusas preces ostẽdi, Disc. 43. n. 4. 5. & 6. Dico itaque Christum illam orationem non culpare, sed prauam intẽtionem redarguere eorum, qui ex hypocrisi stantes orabant, quasi animo fixi in cœlum, & vt vanam gloriã aucuparentur: hoc expresse reuincunt verba sequentia: *vt videantur ab hominibus; &c, Amen dico vobis receperũt mercedem suã.* Vnde quod immediatè post sequitur, idipsum confirmat: *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi*, id est, Ita te habe publicè orans, tanquam si in cubiculo clausus esses, vbi homines nesciũt quid facias, non quòd ibi vana gloria esse non possit; sed quòd vbique cauẽdam dicat. Nam qui in publico orat, nolẽs ab alio quam à Deo audiri, aut videri, aut si ab hominibus audiri, & videri vult, non propter suam, sed propter Dei laudem vult, is in cubiculo clauso ostio orat; quia non magis laudem suam quærit, quam si in cubiculo solus oraret: volens tamen, vt homines id sciant, is in plateis orat, & tubâ ante se canit, & quô se magis abdit, magis prodit. Auctor imperfecti.

Exod. 15. Iob. 1. & 2. Isa. 38. Hierem. 38. Ion. 2. Daniel. 6. Daniel. 3. Luc. 23. Act. 12.

Discursus LX.

An luminum aut cereorum vsus in Ecclesia vsitatus huic Præcepto repugnet?

Cant. 4.

SApiens Cant. 4. de Ecclesia dicit: *Pulcra es amica mea, & macula non est in te.* Id credũt omnes Orthodoxi; sed Nouãtes vel in cereorum, aut luminum vsu idololatriæ crimen audacter effutiũt. Meũ erit inquirere, quod in argumento quæritur.

1. Notissimum est omnibus, in Ecclesia Catholica adhiberi lumen venerabili Sacramento, altaris Sacrificio; quin etiam in honorem Sanctorum coram eorum reliquijs aut imaginibus cereos accẽdi. An rectè? iam quæritur: Quamuis id non sit necesse, nisi vt demus rationem de eâ, quæ in nobis est, fide ad confortationem infirmorum, & confusionem Nouantium, dico, euidẽter cõstare huiusmodi vsum semper fuisse licitum. Primò, Quia Deus præcepit in veteri Testamẽto fieri candelabrũ in Tabernaculo ex auro purissimo, ex cuius hastili procedebãt sex calami seu rami, qui omnes æqualiter cũ hastili in altum assurgebant: superius

superius erant septem lucernæ, vna in hastili, reliquæ in sex ramis, vt habetur Exod. 25. Vt verò ille vsus cõtinuaretur, dixit Deus Leuit. 24. Moysi. *Præcipe filijs Israel vt afferant tibi oleum de oliuis purissimum ac lucidum, ad concinnandas lucernas iugiter, extra velum testimonij in tabernaculo fœderis. Ponetque eas Aarõ à vespere vsque in mane coram Domino.*

Exod. 25.

Leuit. 24.

2. Ad huius candelabri imitationem fecit Salomon in templo decem candelabra aurea, vt patet, 3. Reg. 7. v. 49. Et posuit ea contra oraculũ, & ex oraculi regione, quæ medium complectebantur altare thymiamatis; & luminaria in ijs debebant ardere à vespere vsque mane, ex præcepto Domini Exod. 27. & Leuit. 24. Idque non tantum vt nocturnas depellerent tenebras, sed etiam in honorem arcæ & propitiatorij. Et quamuis præceptum non fuerit de die, tamen extra controuersiam videtur, quod etiam tum licuerit: eo quod lumina adhiberi soleant etiam quouis tempore ad maiestatem Principum rite conciliandam, vt patet Iudith. 3. cap. Vbi Nabuchodonosori legũtur vniuersarũ Vrbium habitatores, Principes, & honorati simul cum populis exijsse obuiam venienti, *Excipientes eum cum coronis, & lampadibus ducentes choros in tympanis & tibijs.* Et quod teste Herodiano lib. 1. Imperatoribus Romanis, & Imperatricibus vbique ignis præferebatur, in signum videlicet gloriæ.

3. Reg. 7.

Exod. 27.

Iudith 3.

3. Dico secundò, vsum luminum in Ecclesia tam de die, quàm nocte à tempore Apostolorum fuisse vsitatum. Probatur ex Canone tertio Apostolorum, vbi vetatur, aliquid offerri ad altare, quàm oleum in lampadẽ, seu ad luminare, & thymiama tempore sanctæ oblationis. Et Can. 71. Vbi segregandus dicitur à Christi fidelibus, qui ab Ecclesia surripuerit oleum vel ceram. Vtrumque vsum continuatum esse constat ex Gratiano capitulo, *Nemo* de consec. dist. 1. vbi præceptum fuit, vt is, qui vult ædificare Ecclesiam, ante præfiniat, quæ ad luminaria &c. sufficiunt. Et longè ante Constantinus decreto donationis factæ Pontifici Syluestro cõmemorat se Sancto Petro, & Paulo Apostolis Ecclesias ædificasse, & addit: *Quibus Ecclesijs, vt habeãt lumina semper accensa, possessiones, & agros adiecimus.* Iustinianus etiam Imperator hoc ipsum, quod dicto cap. *Nemo* statutum est, constituit Nouel. 67. §. Deinde. Hæc autem luminaria seruijsse tum altaris sacrificio, patet. Quia ab initio nascẽtis Ecclesiæ ordo institutus deprehenditur ceroferariorum, quo ordinantur, qui religionis causa cereos deferant, & præferant ad Sacrificium: ac inde Acolythi vocantur. Cuius meminerunt Cornelius Pontifex, Rom. Concilium sub Syluestro, Cõcil. 48. Carthaginense, Cyprianus, & alij: & in Pontificali describitur eorum officium, hoc modo: *Acolythũ enim oportet ceroferariũ ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, vinum, & aquam ad Eucharistiam ministrare.* Id autem nõ nisi de die fieri solet. Itaque religionis causâ, & ad sacri cultus celebritatem illustrandam.

4. Tum etiam in honorem martyrum, vt constat ex Vigilantio, qui ridet Ecclesiam, quod moles cereorum fulgente Sole ante reliquias Martyrum accendantur. Quin etiã ex eo, quod Hieron. roget epist. ad Riparium, *Num accensi ante tumulos Martyrum cerei idololatriæ insignia sint?* Quodque Germanus Patriarcha Constantinopolitanus lib. 7. cap. 14. epist. 2. salutariter moneat, quod sequitur: *Non offendat quemquam, quod ante Sanctorum imagines luminaria, & suaue olentia thymiamata accẽdantur: symbolicum enim est ista fieri non lignis, aut lapidibus ipsis, sed in honorem Sanctorum, quorum honor ad Christum recurrit.* Hũc autem vsum magni æstimatum fuisse tum apud Catholicos, tum apud Hæreticos euidens est, ex eo, quod Hieronymus contra Vigilantium dicat: *Quicumque accendunt cereos, secundũ fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo: Vnusquisque in sensu suo abundat.* Alterum patet ex Athanasio, qui

Hieron.

German. Constant.

epist. ad Orthodoxos deplorat cereos à fidelibus oblatos, ab Arianis sublatos, & idolis incēsos. Quod sane nō fecisset, nisi existimasset magnā iniuriam hoc ipso inuri Ecclesiæ.

5. Sed dices, hic vsus processit à Gentilibus, ac proinde est idololatricus. Respondeo, hoc nullatenus sequi. Nam multa sunt, quæ apud Hebræos æquè ac Gentiles, ac demum Christianos aliquādo seruata esse reperiūtur. Vnde Baronius plurima congerit in verbis: *commune cū his fuit Gentilibus, vt in sacris veste candidá vterentur. Cadauera aspicere, sicut antiquæ legis sacerdotibus, ita & Pontifici Maximo superstitionis Gentilitiæ, id testāte Dione, vetitum erat. Baculi, annuli, mitra vsus communis fuit Christianis Episcopis, & Orientalibus aliquibus sacerdotibus, quorum meminis Philostratus. Primitias etiam à Gentilibus solitas dijs offerri, sicut à Iudæis Deo vero, auctor est censorinus. Nefas fuisse Diali Flamini fermentum farinæ admixtum attingere, sicut Paschali tempore Iudæis, & mortuum tangere tradit Gellius. Insuper sicut flamen quotidie feriatus erat; ita & quòd Clerici quotidie Deo vacare debeant, feriati sunt dies singuli, ob idque idem feriæ nomine dies singulos nominare consueuerunt. Offerre & vouere decimas apud Gentiles etiam, sicut Iudæos obseruatum inuenies apud Dionysium. Ieiunia ab ijsdem Gentilibus adhiberi solita ad diuinum numen placandum, idem auctor affirmat; vtque ipsi quoque haberēt regale sacerdotium, constituebant Regem, qui etiam sacerdotio fungeretur, & eâ de re Rex sacrificus diceretur. Non licuisse Pontifici aliquem occidere, sicut nec sacerdotibus veri cultus, apud Suetonium testatum reperies. Ne in creandis sacerdotibus sors adhiberetur, vel pretium, vtque ijdem essent ab vrbanis negotijs liberi, æquè à Gentibus ac ipsis Christianis obseruari solitum Dionysius tradit. Auspicari diem à mediâ nocte, ijsdem commune fuit. Bigamiam in sacerdotio pudicitiæ fuisse vetitā, auctor est Liuius: laudatam ab ijsdem Monogamiam, toleratam bigamiam Valerius tradit. In dedicatione templorum multa fuisse Gentilibus cum pietatis cultoribus similia ex Suetonio intelliges. Vigilias insuper anniuersarias habes apud Suetonium. Lustralem aquam, aspersionem sepulcrorū, lumina in ijsdem parare, sabbato lucernam accendere, cereos in populum distribuere, & vt ad sacram mensā accedentes omnes ex animo odia dimitterent, & inimicis reconciliarētur, habetur expressum apud Valeriū.* Quę ex annalibus Baronij anno Christi 44. n. 88. Lectori nolui deesse: & tamen illa piè, & sanctè à Christianis absque vllâ superstitione seruantur: quāuis etiā vel Iudęi vel Gētiles hæc eadē suo more vsurparint.

Baronius. Valer. l. 1. c. 1. Philost. l. 2. Dio hist. l. 54. Philostrat. lib. 3. Censor de die nat. c. 1. Gell. l. 10. c. 15. Gell. ibid. Dionys. Halic. l. 1. Dionys. lib. 1. Liu decad. 1. l. 2. Sueton in Tit c. 9. Dionys. lib. 2. Censor de die nat. cap. 19. Liu decad. 1. l. 10. Val l. 2. c. 1. Suet. in Vesp c. 7. Ibidem. Iuuen. Satyr. 6. & alij. Suet in Octau. c. 98. Sen. l 14. epist. 11. Macrob. Saturn. Val max. l 4 c. 2. 3.

6. Verùm penitius ad rē dico primò Christianos hunc vsum desumpsisse ex veteri Testamento, vbi luminaribus religiosè arca honorabatur. Deinde ex naturali ratione, quòd maiestas alicuius lumine recognoscatur, vt suprà ostendimus.

7. Secundò, etiam processit ex vsu Gentiū, quę solēt Deos suos lucernis colere, vt patet ex Tertul. lib. de idololat. Vbi cap 15. refert Christianos hunc morē ita imitatos, vt ante eorū ædes plures lucernæ existerēt, quàm ante fores Ethnicorum, his verbis illis hoc ipsū exprobrās: *Sed luceant, inquit, opera vestra, at nunc luceāt taberna, & ianuæ nostræ; plures iā inuenies Ethnicorū fores sine lucernis, & laureis, quàm christianorum*; quasi diceret: In Euāgelio edocti estis: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est*: at nunc opera vestra talia sūt vt non Deum, sed potius diabolum glorificent, eo quòd cum scandalo fidelium ostiorum Deos luminaribus colatis, plus, quàm ipsi Ethnici.

Inde necessitas coēgit venerandā antiquitatē Ecclesiasticū sacrū vsū cereorum, ac luminū à superstitione Gētilium vindicatū veri Dei cultui cōsecrare: quo pietatis officio fideles nō amplius superstitionē Gentilitiā, sed diuinū numen excolerent, quia aliàs à superstitioso cultu idolorū diuelli vix poterant. Inde ortū est, vt certis diebus, quibus deuotio congrua responderet, cereorum vsus in Dei honorem in die baptismi Christi, Purificationis Beatæ Virginis, Ascensionis Christi, ac Natalitijs Martyrum conuersus fuerit.

De

Nicetas. De baptiſmo ſcribit Nicetas Scholaſtes Nazianzeni orat. in ſancta lumina, quod faces eo tempore idcirco in lætitię ſignum accédamus. De Innocent. Purificatione Innocentius, in ſerm. de Purific. Virg. *Quid eſt, quòd in hoc feſto cereos portamus accenſos?* Reſpondet autem duplicem huius inſtituti rationem eſſe: Primùm quidem, vt mos Ethnicus cum Chriſtiano ritu commutetur, & quod à ſtultis idolorũ cultoribus ad honorem Cereris, ac Proſerpinæ agebatur, id prudenter à pijs ad honorem laudemque Mariæ Virginis conuertatur: De die Aſcenſionis ſcribit Baronius anno Chriſt. 58. effectum, vt quod impendebatur idolis, proinde in Dei cultum conuerteretur, nimirum vt in ipſa Aſcenſionis Dominicę nocte, in honorem Domini eadem adhiberentur pietatis officia: ſicque non tantum in Aegypto, ſed in Palęſtina, alijſque Chriſtiani orbis Eccleſijs, vt ea nocte plures lucernę accenderentur, fuit olim piâ conſuetudine introductum, quod alicubi hactenus perſeuerat. Teſtatur & Beda de Beda. locis ſanctis agens nocte Aſcenſionis Domini ſic montem Oliueti lãpadum lumine illuſtrati, vt mons ardere & cætera ſuppoſita loca viderentur.

Baronius.

6. Sic etiam contigit, quod in Natalitijs Principum conſueuerant factitare, ipſos tanquam Deos honorando, hîc piè in Natalitijs Martyrũ commutaretur. Quod ſanè D. Hieronym. oſtendit Chriſtianos piè feciſſe, dum ſic inuehitur in Vigilantium: *Idololatras appellas huiuſmodi homines? Nõ diffiteor omnes nos, qui in Christo credimus, de errore idololatriæ veniſſe: non enim naſcimur ſed renaſcimur Chriſtiani. Et quia quondam colebamus Idola, nunc colere Deum non debemus, ne ſimili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, & idcirco deteſtandum eſt: hoc fit Martyribus & idcirco recipiendũ eſt.* Et Baronius anno Chriſti 58. num. 77. *Quis prohibet,* inquit, *profana per verbum Dei ſanctificata, in ſacrum transferri vſum? Nonne conſtat ex Aegyptiorum auro & argento Dei iuſſu*

Hieron.

Baronius.

ſacra vaſa ad diuinum vſum eſſe conflata? Et paulò pòſt. *Quis iure calumnietur, ſi quæ olim idolis (vt ait Hieronymus) eadem modo Martyribus offerantur? Si quæ etiam diebus ſabbatis lucernæ accenderentur in templis, non quod (vt inquit Seneca) dij egerent lumine, ſed pietatis ergo, eadem in Dei genitricis honorem ſint tranſlatæ? Si inſuper, qui in Saturnalibus cerei erogabantur, in ſolemnitate Occurſus Domini & ſanctiſſimæ eius genitricis fuerint permutati?* Certè hoc modo Deum imitamur, qui vſum Gentilium animalia offerendi idolis cõmutauit, & præcepit in vſum ſuum fieri, vt ex ſacrificijs veteris Teſtamenti conſtat. Hieron. in vigilant.

Greg. Mag. Sanè Gregorius Magnus lib. . . Regiſt. epiſt 71. Noluit fana idolorum deſtrui, ſed in honorem Dei benedictione commutari, vt melius patebit ex contento epiſtolæ, quam ſcribit ad Gregorium Mellitum Abbatem in Francijs, cuius hæc ſunt verba: *cũ vero vos Deus omnipotens ad Reuerendiſſimum virum fratrem noſtrum Auguſtinũ Epiſcopum perduxerit: dicite quod diu mecum de cauſa Anglorum cogitans tractaui, videlicet, quia fana idolorum deſtrui in eadem gente minime debeant, ſed ipſa, quæ in eis ſunt, idola deſtruantur. Aqua benedicta fiat, in eiſdem fanis aſpergatur, altaria conſtruantur, reliquiæ ponantur: quia ſi fana eadem bene conſtructa ſunt, neceſſe eſt, vt à dæmonum cultu in obſequium veri Dei debeant commutari: vt dũ gens ipſa eadem fana ſua non videt deſtrui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoſcens, ac adorans, ad loca quæ conſueuit, familiarius concurrat. Et quia boues ſolent in ſacrificio dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua ſollemnitas immutari: vt die dedicationis vel Natalitiõ ſanctorum Martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula ſibi circa eaſdẽ Eccleſias, quæ ex fanis commutatæ ſunt, de ramis arborum faciant; & religioſis cõuiuijs ſollemnitatem celebrent. Nec diabolo iam animalia immolent, ſed ad laudem Dei in eſu ſuo animalia occidant, & Donatori omnium de ſatietate ſua gratias referant: vt dum eis aliqua exterius gaudia reſeruantur, ad interiora gaudia conſentire facilius valeant. Nam duris mentibus ſimul omnia abſcindere,*

Ee iij impoſ-

impossibile esse, non dubium est: quia is qui locum summum ascendere nititur, gradibus, vel passibus, non autem saltibus eleuatur. Sic Israëlitico populo in Aegypto Dominus se quidem innotuit. sed tamen eis sacrificiorum vsus, quos Diabolo solebat exhibere, in cultu proprio reseruauit, vt eis in sacrificio suo animalia immolare praciperet: quatenus commutantes, aliud de sacrificio amitterent, aliud retinerent: vt etsi ipsa essent animalia, qua offerre consueuerant, veruntamen Deo hac & non idolis immolarent, iam sacrificia ipsa non essent.

7. Eadē de causa Gregor. Thaumaturgus Gentilium ferias superstitionibus cumulatas in festa ac celebritates sanctorum Martyrum cōmutauit, vt his verbis Gregor. Nyssenus significat, dicens: *Descendit rursus ad vrbem, & omni circa regione vndique peragratâ, & perlustratâ, additamentum, & quasi corollarium studij erga numen diuinum instituebat; apud omnes vbique populos sanciēs, vt nomine eorū, qui pro fide decertassent, dies festi atque sollemnes conuentus celebrarentur: cumque alij in alium locum corpora Martyrum deduxissent, per anniuersarium circuli ambitum congregati lætabantur in honorem Martyrum ferias agentes.* Et paulò pòst: *cum animaduertisset, quòd propter corporis voluptates simplex, & imperitum vulgus in errore simulacrorum permaneret; quo maximè id quod præcipuum est, interim in ijs assequeretur, nempè vt vanis superstitionibus relictis, ad Deum conuerterentur, permisit eis, vt in memoriam sanctorum martyrum sese exhilararent, & oblectarent, atque in lætitiam effunderentur.* In eodem sensu Theodoretus de Gentilium ferijs in honorem Martyrum piè sanctèque translatis hæc addit: *Dirutorum templorum materia, templis arisque Martyrum excitatis, expiata est: suos enim mortuos Dominus noster in templa pro dijs vestris induxit: ac illos quidem cassos gloria, vanosque reddidit; suis autem Martyribus honorem illum dedit. Pro Pandijs & Diasijs, & Dionysijs hoc est Iouis, liberique patris sollemnitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, alijsque sanctis Martyribus sollemnitates populari epulo peraguntur.*

Orat. de vita S. Gregor. Thaumaturgi.

Lib. 8. de Martyrib.

8. Baronius autem anno Christi 44. Num. 17. dicit, Eâ licentiâ, quâ Deorum delubra in Ecclesias Christianorum sūt laudabiliter commutata, alios quoque ritus Gentilium à Catholicis, benedictionibus expiatos, diuino cultui esse cōsecratos; *Annon*, inquit, *id Apostolorum exemplo? Nonne Paulus Athenis cum esset, superstitionis aram Ignoto Deo dicatam, super quam impietatis victimæ cædebantur, in veri Dei cultum (quantum licuit eo tempore) mirâ quâdam prudentiâ visus est transtulisse? Rursum, si quæ idolo immolata essent, non vetuit idem Apostolus fidelibus manducare, nisi cum ex ea re frater infirmus scandalum pateretur: Omnia quidem, inquit, sunt munda, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. extincto autem penitus iamdiu superstitioso idolorū cultu, cum omnis simul cessasse videtur occasio offendiculi; cur aliquibus ex illis vti non liceret; cum præsertim non priuato vsu, sed communi totius Ecclesiæ consuetudine aliquid commune cum Ethnicis vsurpatur?* 1. Cor. 8. Rom. 14.

9. Porrò vt omnia sarta tecta essent, & populus Christianus intelligeret, ad Dei, & Sanctorum honorē hunc vsum tantùm licitum esse, prohibuerunt Apostoli, vt patet ex Canone ipsorum 70. ne quis Christianus ad sacra Gentilium, vel Synagogam Iudæorum festis ipsorū diebus, aut oleum ferret, aut lucernas accenderet, alioquin de societate pelleretur: Et ratio erat, Quia Gentiles honoris ergo oleum ac lumina in æde sacra ponebant, vt habetur *l. si sponsus. §. Proinde, ff. de donat.* nempe vt Idola diuino honore colerent.

10. Tertiò introductus est vsus luminarium, vt sub typo luminis corporalis designetur, vel seruandum lumen gratiæ, quod concessum est; vel vt hoc modo iam defunctis lumen indeficiens precemur. Sic à baptismate datur renatis cereus in manu, vt gratiam baptismatis conseruent, & cum lætitia Domino venienti ad nuptias valeāt occurrere. Itidem post extremam vnctionem fit: ac iterum dū corpora Christianorum cum sacrificio humo traduntur,

tur, vt lux æterna perpetuum eis luceat. Quem vsum eleemosynæ instar existimat Athanasius, orat. pro defunctis apud Damasc. ita vt ne quidem supplicio publicè affecto oleū aut ceram denegandam velit: sic enim ait: *Etiamsi in aëre collocatus sit ille, qui cum pietate diem vitæ extremum egit, tamen implorata Christi Dei ope, oleum ac ceram ad ipsius sepulcrum accēdere ne recuses. Grata enim, & accepta hæc Deo sunt: incruentum autem sacrificium, Deum placat. Beneficentia denique erga pauperes bonæ omnis remunerationis incrementum est. Quamobrem ei, qui pro defuncto oblationem facit, idem sit propositum, quod illi, qui paruulum filium, ac prorsus infirmum & imbecillem habet: ac deinde eo morbo laboranti cereos & suffitum cum oleo cōiunctum ad diuinum templum affert, eaque filij nomine adolet atque absumit. Non enim hæc puer ipse tenet atque offert, quemadmodum nec renuntiationes, atque coniunctiones ipse obit, cum diuinitus regeneratur. Consimilem in modum existimet eum, qui extremo vitæ die Domino perfunctus sit, cereos & oleum, eaque omnia quæ pro ipsius redemptione offeruntur, & manibus tenere, & offerre.* Quem vsum nescio quare quis culparet, cum Christus monuerit sub typo corporali spiritualibus operibus esse insignes, cum dixit Matth. 25. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*: Et de Ioanne Baptista; *Ille erat lucerna ardēs & lucens.* Matt. 25.

11. Ex quibus omnibus concludo, friuola esse quæ Nouantes Catholicis objiciunt, & vsum Ecclesiæ omnino seruādum esse tanquam pium, & ab omni notâ idololatriæ immunem, eo magis quòd Deus, miraculo eundē confirmauerit: de quibus hic pauca adscribo ex Eusebio lib. 6. cap. 7. Nicephoro lib. 5. cap. 9. Quod cum in die sollemni vigiliarū Paschæ in Ecclesiâ Ierosolymitana oleum deesset luminaribus, Narcissus Ierosolymitanus Episcopus aquam deferri imperauit, eamque benedixit, & infundi lampadibus præcepit; tum, ait Eusebius, repente miro, & sæculis inaudito genere virtutis, natura aquæ in olei pinguedinem versa, splendorem luminum etiam solito reddit clariorem. Simile miraculum commemorat S. Gregorius lib. 1. Dialog. capite 5. idem Gregor. lib. 3. cap. 30. refert lampades immisso diuinitus lumine accēsas fuisse. Alibi etiam cereos cælesti lampade accensos testatur Gregor. Turonensis cap. 17. de gloria Martyr. ex quo libet adscribere, quæ ipse ex Paulino scripsit de rebus S. Martini: *Factum est autem, vt inuidiâ tentatoris immissum incendium domum voraci flāma cōbureret, & sparsū per aridas tabulas cūcta vastaret. Interea clamor ad cælum tollitur, & S. Martini auxiliū imploratur. Meminit ille etiam ceræ particulæ à sancti templo delata: qua reperta, & igni iniecta protinus cūctum restinxit incendium: nouoque miraculo cera, quæ ignem alere est solita, violentias ignis vi sanctitatis oppressit.* Hæc Paulinus in sexto operis sui libro versu conscripsit, accepto à sācto Perpetuo Episcopo Turonensi de his indiculo. Et hæc satis cuiuis esse debēt, nisi velit ipse his non credens existere miraculum.

Eusebius. S. Gregor. Gregor. Turon.

Discursus LXI.

An Traditiones Ecclesiæ seruare, ex eo quòd à Deo non sint præceptæ, sit idololatricum?

ELias Propheta, cùm multi claudicarent in vtramque partem, id est, Deo, & idolis deseruirent rem totam definiendam existimauit miraculo: videlicet, vt pro parte cultus veri Dei, & pro parte cultus idolorum sacrificium adhiberetur, & cuius sacrificium igne consumeretur, per inuocationem Dei alterutrius partis, eius vera esset religio. Itaque Deo consumente per ignem sacrificium Eliæ, veritas ab eius parte confessa est. Verum Nouantes quāuis cæremonias, & ritus Ecclesiæ, veluti Sanctorum reliquias, & imagines colendas, aliosque ritus seruādos miraculo probauerimus, nihilominus pertinaciter vrgent idololatricum esse, quòd scripto à Deo non præcipiantur; hinc quærā quod in argumento positum est.

1. Itaque dico resolutè in hoc nihil esse impietatis, nam multa obseruanda sunt, aut piè obseruantur, etiamsi à Deo scripto non præcipiantur, vt luce clarius constat ex eo, quòd ante legem Moysis homines bis mille annis fide, spe, charitate Deum coluerint, ac ritibus externis sine vllo scripto, quod tamen palam est ad salutem fuisse necessarium.

2. Deinde clarum est ex eo, quod post legem per Moysen datam Iudęi multa crediderint, & seruauerint, scripto non mandata: videlicet omnes & singulos libros in Canone Iudæorū cōsignatos, esse vere diuinos, & à Deo inspiratos. Fœminas habere aliquod remediū, quo à peccato originali purgarentur, licet illa lex istius non faceret mentionem; Masculis ante octauum diem morientibus etiam fuisse aliquod remedium; sacrificia Iudæorum cruenta significasse mortem Christi, quod necessario credere debebant explicitè Sacerdotes & Doctores, quia spectabat ad illos scire, quod eadem sacrificia non propriâ, sed virtute mortis & passionis Christi expiarent peccata; alioquin in grauissimo puncto fuissent sine fide etiam illi, quibus incumbebat cura docendi & instruendi alios: illud autem in ista lege non habebatur expressum.

3. Adhæc Iudæi, licet Scriptura pro illis esset, magis vtebantur Traditione, quàm Scriptura, vt patet ex illo, Exod. 14. *Narrabis filio tuo in illa die dicens, hoc est, quod fecit Dominus*, &c. Deuter. 32. *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Iob. 8. *Interroga generationem pristinam & diligenter inuestiga patrum memoriam.* Iudic. 6. *Vbi sunt mirabilia, quæ narrauerunt nobis patres nostri?* Ps. 43. *Deus auribus nostris audiuimus, patres nostri annunciauerunt nobis opus quod operatus*, &c. Ps. 47. *Quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filijs suis, vt cognoscat generatio altera, filij qui nascentur, & exurgent, & narrabūt ea filijs suis.* Ecclesi. 8. *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à patribus suis.* Quod signum est illum morem diu durasse, quia Ecclesiasticus fuit ex vltimis Scriptoribus veteris Testamenti.

Exod. 14. Deuter. 32. Iob. 8. Iudic. 6. Ps. 43. Ps. 47. Ecclesi. 8.

4. Si verò quæris causam cur Hebræi magis vterentur traditione, quàm Scripturâ, ea erat duplex. Prior, quia eo tempore Scriptura nondum erat redacta in formam integri voluminis, sed dispersa in varijs chartis, & annalibus, vt commodè ab vnoquoque legi nō posset. Primus qui eam redegit in formam voluminis, fuit Esdras post captiuitatem Babylonicam. Altera quia liber

liber Deuteronomij, qui erat præcipuus inter libros veteris Testamenti, non habebatur passim à populo; sed vnum exemplar à Rege, alterum à Sacerdotibus custodiebatur in arcâ Domini, qui septimô quoque anno (nẽpe anno remissionis) iubebantur illud populo prælegere, Deuteron. 31. v. 9. Et hi ipsi Sacerdotes fuerunt tam negligentes in eo custodiendo, vt longo tempore amissum fuerit, & tandem ab Helsiâ Pontifice tempore Iosiæ Regis inuentum, ac populo prælectum, 4. Reg. 22. v. 8. vnde necesse est, populum in plerisque vsum fuisse traditione. His addo quòd eo tempore præter Iudęos multi alij ad Ecclesiam pertinerent, vt patet ex Iob, & amicis eius, in quibus erat vera Religio, & fides; & tamen solâ traditione non scriptâ vtebantur.

Deut. 31. 4. Reg. 22.

5. Tertiò, constat ex eo, quòd tempore Apostolorum multa seruata fuerint, & seruanda, quæ solo sermone erant tradita; vt clarum est ex 2. ad Thessal. 2. vbi Apostolus sic mandat: *Itaque fratres tenete traditiones, quas accepistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Ex quibus verbis certum est, quòd voluerit Thessalonicenses seruare non solùm, quæ epistola illa complectabatur, sed etiam totum Euangelium, quod illis prædicauerat, & alia multa, quæ Ioannes cap. vlt. dicit Iesum fecisse, & si scripta essent, mũdum non posse capere libros, qui de ijs scribendi forent; denique quæ Christus per dies quadraginta apparẽs Apostolis post resurrectionem locutus est de regno Dei, de Sacramentorũ institutione, & alijs. Insuper verosimile est, quòd de cultu imaginum, Sanctorũ, reliquiarũ, vsu luminum, & alijs plenè illis disseruerit; nam illa & similia tradita fuisse à tempore Apostolorũ, patet ex multis auctoritatibus veterum, præsertim Tertulliani lib. de Corona milit. Basilij de Spiritu sancto cap. 27. August. epist. 118. & aliorum; deinde ex vsu, & obseruantiâ temporis immemorabilis, de quâ sic August. loc. cit. *Illa autẽ quæ non scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesiâ saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri; sicut quòd Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cælum, anniuersariâ celebratione celebrantur. Et si quid aliud tale occurrerit, quod seruatur ab vniuersâ, quàcumq. se diffundit, Ecclesiâ.* Quo loco notanda sunt verba, quæ ibidem habentur: *Insolentissimæ insaniæ est, disputare an faciendum sit, quod tota per orbem frequentat Ecclesia.*

2. Thess. 2. Ioan. vlt. cap. Tertull. Basil. August.

6. Hæc & plurima alia, non solum mandata, sed etiam seruata fuisse liquet, quia Apostolus 1. ad Cor. 11. in laudem Corinthiorum hęc dicit, *Laudo vos, quòd per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis.* Agit verò ibi de modo orãdi in Ecclesiâ, & de modo sumendæ Eucharistiæ. Et vt ostendat multũ tribuendum esse traditioni, & consuetudini Ecclesiæ etiam sine scripto, vult idcircò reprimi cõtẽtiosos, cùm dicit: *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Et ratio est à simili, quod mandatum Principis viuâ voce prolatum parem vim habeat, ac scripto consignatum.

1. Cor. 11.

7. Certè antiqui Patres non dubitarũt se Traditionibus Ecclesię cõformare, & nominatim D. Augustinus, quẽ vnicè mirari se ac suspicere fingunt Nouantes, tanti fecit Traditiones, vt ad eas tanquam ad asylum confugerit. Et primò, Euangelium secundum Matthæum, verè ab ipso conscriptum esse, contra Fausti Manichæi inficiationem, credit Traditione nixus, quæ ab Apostolicis sedibus vsque ad præsentes Episcopos certâ successione peruenerat, lib. 28. contra Faustum, cap. 2. Secundò, Patrem ingenitum, filiumque eidem consubstantialem, etsi in sanctis paginis non inueniatur, fidei assertione defendendum dicit, epist. 174. Tertiò, integrâ fide credendum beatam Mariam Dei Christi matrem, & Virginem concepisse, & Virginem genuisse, &

August.

se, & post partum virginem permãsisse, lib. de Eccles. Dogm. cap. 69. Quartò, Baptisma ab hæreticis colcollatum repetendum non esse ex Apostolorum Traditione, etsi in eorum litteris non inueniatur, lib. 2. de Bapt. cap. 7. & lib. 1. cap. 23. & lib. 4. cap. 6. Quintò, consuetudinem matris Ecclesiæ in baptizandis paruulis, vt Traditionem nequaquam spernendam lib. 10. de Genes. cap. 23. Sextò, Domini, passionem, resurrectionem, ascensionem in cœlum, & aduentum Spiritus sancti de cœlo, anniuersariâ sollẽnitate, non scripta, sed traditâ obseruatione celebranda, epist. 118. cap. 1. Septimò, baptizatos esse Apostolos, etsi ne verbum quidem de hoc Scriptura habeat, non ambigendum, epist. 108. Octauò, serie Traditionis, quędam facta esse, & nunc in Baptismi ritibus facienda, quæ in Scripturis gratia breuitatis tacẽtur, lib. de Fide & operibus, cap. 9. Nonò, Eucharistiam corporis & sanguinis Domini Apostolos non accepisse ieiunos; placuisse tamen Spiritui Sancto, in honorem tanti sacramenti à ieiunis semper accipi; moremque hunc per vniuersum orbem obseruari, Epist. 118. cap. 6. Decimò, antiquitus tradito & retento firmo Ecclesiæ ritu in Baptismate paruulos exorcisari, exsufflari, & renuntiare Satanæ, vt à potestate tenebrarum, in regnum Christi transferãtur, lib. 1. de Nuptijs & concup. cap. 20. & lib. 6. contra Iul. cap. 2. Et quamuis denique, nusquam in Scripturis veteribus legeretur oblatum pro mortuis sacrificium, non paruam tamen vniuersę Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritatem esse, vbi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum, lib. de Cura pro mortuis agenda, c. 1. & 4. & Serm. 34. de verbis Apostoli. Alijs locis innumeris, & auctoribus sacris recensendis consulto supersedeo.

8. Sed dices, Deus tamen subinde in Scripturis legitur reprobasse traditiones hominum, veluti Isa. 29. vbi de Iudæis ait: *In vanum colunt me, docentes mandata, & doctrinas hominum.* Et Matth. 15. dicens Pharisæis: *Irritum fecistis mãdatum Dei propter traditiones vestras.* *Isa. 29.* *Matth. 15.*

Respondeo hæc loca non suffragari Nouantibus, quia Deus ibi reprobat traditiones Pharisæorũ peruersas & Dei legi cõtrarias, quales erant, quòd iurans per templum, aut altare, non esset reus criminis, iurans autem per aurum templi, vel per oblationes, quæ fiebãt in altari, esset reus, quia volebant docere, aurum esse præstantius quàm ipsum templum, quod Christus dicebat sanctificare aurum, idque propter suam auaritiam. De qua traditione vide Matth. capite 23. Similis erat quædam alia, quod filij non tenerentur reipsa parentes suos honorare, aut illis benefacere, quando, supple, egerent, sed quòd abunde sufficeret munus aliquod Deo offerre, quemadmodum Scriptura declarat, Matth. 15. quod non solum Iuri diuino positiuo contrarium erat, sed etiam naturali, dictanti vnicuique in necessitate subueniendum esse: ergo magis parentibus. Quas traditiones nos meritò etiam detestamur, vti Paulus paternas traditiones, ex quibus volebat Christum necdum venisse, & ea propter Christianos persequebatur, quod etiam erat contra Scripturas; vnde postea etiam reprehendit Doctores, qui Galatas docuerant, eos non posse saluari per fidem in Christum, nisi simul circumducerentur, & alias Mosaicas cæremonias obseruarent, dicens, cap. 5. ad Galat. *Si quis euangelizauerit vobis, præter id quod accepistis, anathema sit.* id est, accepistis à me hominẽ iustificari per fidẽ in Christum, non autem per obseruantiam legis Mosaicæ, si quis aliter vos instituit, sit vobis execrationi. *Matth. 23.* *Matth. 15.* *Galat. 5.*

5. Hac ratione Catholici reprehendimus Nouantes, quod contra verba Christi sua dogmata & figmẽta pro veris dogmatibus tradant. Nam contra Matth. 26. vbi Christus *Matth. 26.*

dicit panem & vinum conuertendũ in corpus suum, & à fidelibus sumendum, nudum panem nobis obtrudunt, quem volunt tantam efficaciam habere, ac si corpus Christi sumeretur. Contra id Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, nõ intrabit in regnum Dei.* quo necessitas baptismi significatur, docent baptismum non esse necessarium ad salutem, & ita in alijs ludunt, vt totam Christi religionem & doctrinã euertant, & infinitos secum in barathrum præcipitent.

Ioan. 3.

10. Porrò ne gratis hæc dixisse videar, velim scire, vbi in Scripturis deprehendatur Pontificem esse Antichristum. Sic enim scribit Ponellus Caluinista, in præfatione sui libri de Antichristo: *Deum sanctè testor, me tam certe scire, Ponficem Romanum esse magnum illum Antichristũ, quã Deum ipsum esse in cælo, creatorem visibilium & inuisibilium, & Iesum Christum esse verum Messiam.* Secundò, vbi scriptum sit, iudicium controuersiarum spectare ad laicos, sicut in Anglia & Hollandia Status sibi vendicant, contra illud Deuteron. 17. & 2. Paral. 19. vbi sacerdoti id asscribitur, & ab officio sęcularium distinguitur. Et Ioan 21. vbi Petro, non autem Principibus dicitur, *Pasce oues meas.* De quo latius in quarto præcepto. Tertiò vbi in Scripturis habeatur nullum eligi posse ad ministerium verbi, vt Domini Status loquuntur in Synodo Vltraiectina, ante expletũ vigesimum quintum ætatis annum: quin etiam non admittendũ, nisi prius examinatus ab ijsdem Statibus super puncta sequentia. 1. De Deo, essentia diuina, & attributis diuinis. 2. de Scriptura, eiusque perfectione, perspicuitate, auctoritate & cirtitudine. 3. de mũdi creatione & gubernatione. 4 De peccato, eiusque origine, & efficacia. 5. De lege & Euangelio, nec nõ vtriusque discrimine & vsu. 6. De Christi persona, officio, & beneficijs. 7. De fide & pœnitentia. 8. De iustificatione. 9. De obedientia fidei, charitate, & bonis operibus, & eorum meritis. 10. de Ecclesia. 11. De officijs & ministerio à Christo in eadẽ instituto. 12. de administratione Euangelij. 13. De Baptismo & cœna. Omitto, vbi sciẽtiã hãc hausisse possint Domini Status; quos certum est vt plurimũ versatos esse in mercatura, & in re nautica, vel in coquenda cereuisia plus quàm in studijs ætatem triuisse. Quartò vbi in Scripturis exprimatur, quod Ministri verbi in introitu sui officij debeãt promittere se gnauiter seruaturos Ecclesiasticas ordinationes à Dominis Statibus constitutas, quas scimus Traditionibus Ecclesiæ esse contrarias?

Deuteron. 17. & 2 Paral. 19.

10. Verum dices, vtcumque satisfactum obiectioni, sed restat adhuc quidam scrupulus, nempè quod Pharisæi, non solum ob dictas traditiones reprehenderentur, sed etiam ob indifferentes, & etiam bonas, videlicet quod cum peccatoribus nollent sumere cibum, nec permitterent, vt à peccatoribus tangerentur, vt patet Matth. 9. v. 11. & Luc. 7. v. 39. illos obseruasse; hęc enim in bonum vel malum finem poterant admitti. Deinde etiam reprehendebantur, quod rerum minimarum darent decimas.

Respondeo hæc non meruisse reprehensionem per se: sed primò, quia ipsi ex earũ obseruatione, quærebant inanem gloriam; & opinionem sanctitatis apud homines, cum nihil minus quam sãcti essent Matth. 23. v. 25. *Omnia vero opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.* Hinc passim in Euangelio vocantur *hyprocritæ & sepulcra dealbata.* Secũdò, quia ex quarundam obseruatione sectabantur opes ac diuitias, præsertim ex longis orationibus: quas in eum finem recitabant Matth. 23. v. 14. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes.* Et Marc. 12. v. 40. *cauete à Scribis, qui deuorant domos viduarum, sub obtentu prolixæ orationis.* Vbi *comedere*, seu *deuorare domos viduarum* nihil aliud est, quam expoliare, seu exhaurire; nam viduæ veniebant ad Pharisæos, tanquam ad homines sanctos

Matth. 23

Marc. 12.

sanctos (quippe qui sanctitatem simulabant) & eorum orationes pretio emebant. Tertiò, quia superstitiose minutiora quædam seruabant, & alia maiora negligebant, vt hâc ratione in speciem sancti haberentur, licet grauiora negligerent, videlicet iudicium, & misericordiam in iudicandis causis, quæ ad ipsos deferebantur.

11. Ad cuius planiorem intelligentiam, nota primò, tempore veteris Testamenti quosdam ex præcepto dedisse decimas de frugibus, pomis arborum, bobus, ouibus, &
Leuit. 20. capris iuxta cap. 20. Leuit. vbi v. 30. sic habetur: *Omnes decimæ terræ siue de frugibus siue de pomis arborum Domini sunt, & illi sanctificantur.* Et v. 3 . *Omnium decimarum bouis & ouis, & capræ, quæ sub Pastoris virgâ transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino.* Secundò, quosdam dedisse ex voto secundũ suum arbitrium, de quibus
2. Paral. 31. est illud, 2. Paral. 31. *Sed & Filij Israël, & Iuda, qui habitabãt in vrbibus Iuda,*
2 Paral. 31. *obtulerũt decimas boum, & ouiũ; decimasque sanctorũ, quæ vouerant Domino Deo suo.* Tertiò, quosdam soluisse decimas dare ex traditione rerum minimarum, videlicet anethi & cymini, quas alij non dabant, nec ex præcepto legis tenebantur dare, iuxta D.
D.Thomas Thomam 2. 2. q. 77. art. 2. ad 3. & alios. Vnde processisse videtur illa gloriatio Pharisaica, quæ habetur
Luc. 18. Luc. 18. *Non sum sicut cæteri homines,* &c. *decimas do omnium, quæ possideo.* id est, non vt cœteri, qui decimas vini, frumenti, & olei persoluunt, sed vt Pharisæi, qui omnium bonorum etiam minimorum, quorum non est obligatio, decimas do.

Deuter. 4. & 12. 12. Verùm enimuerò dices, Deut. 4. & 12 dicitur: *Non addetis ad verbũ, quod loquor vobis, nec auferetis ex eo.* Et Deuteron. 12. *Quod tibi præcipio, hoc tantum facito, nec addas quidquam, nec minuas.* Respõdeo oportere primùm intelligere sensum vtriusque Scripturæ. In priori enim idem est sensus, atque si dicat: Ego do vobis præcepta cæremonialia, & iudicialia, quæ debetis integrè & perfectè seruare: hoc enim significat illa phrasis, *non addetis, nec auferetis.* Quod quidem alijs verbis, sed tamen eodem sensu explicatur alibi, cum dicitur: *Non declinabitis ab eis, vel ad dexteram, vel ad sinistram*, vt Deuteron. 17. v. 20. *Discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & cæremonias eius. Neque declinet in partem dexteram, vel sinistram.* Deuter. 17. 20.
Et c. 28. v. 14. *Si audieris mãdata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, & non declinaueris ab eis, neque ad dextram, neque ad sinistram* &c. Et Iosue 1. Deuter. 28 Iosue 1.
v. 7. *Confortare & esto robustus valde, vt custodias & facias omnem legem, quã præcepit tibi Moyses seruus meus, ne declines ab eâ ad dextram, vel ad sinistram.* Igitur hæc tria idẽ valent, primò integrè & perfectè seruare præcepta Mosaica. secundò, non declinare ab eis vel ad dextram vel ad sinistram; Tertiò nihil in eorum obseruatione addere, vel detrahere. v. 7.

Itaque idem est ac si dicat, Præcepta cęremonialia & iudicialia, quę viuâ voce vobis tradidi ad amussim seruabitis, videlicet, circumcisionem, esum agni Paschalis, purificationẽ ab externis immũditijs, & his similia. Verbi gratia, Exod. 30. Exod. 30.
præscribitur quis census soluendus sit, quãdo fit mutatio filiorũ Israël, nempè pro singulis dimidius siculus tradẽdus in vsum tabernaculi, hoc ita fiat. Leuit. 12. præscribitur cęremonia purificationis puerpuræ, videlicet: *mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, & die octauo circumcidetur masculus.* Leuit. 12.
Contra hoc pręceptum non licebat, nec ante, nec post diem octauum circumcidere infantulum, nec immũditia matris poterat paucioribus vel pluribus durare quàm septem. Si fœminam pepererat, debebat esse immũda quatuordecim diebus pręcisè. Leuit. 14. Curatus à lepra debebat legaliter expiari hoc modo, vt primò sacerdos expiandum aspergeret sanguine passeris per alium passerem alligatum baculo cedrino cum cocco & hyssopo, & mox passerem vnum auolare sineret; secundò, debebat expiandus lauare vestes,

radere

radere pilos corporis, ac lauare seipsum; tertiò debebat die octauo offerre agnum pro peccato, & ouem anniculam in holocaustum, cum tribus decimis similæ, & sextario olei, & his similia fusius tradita loc. cit. Quoad iudicialia debebāt deligere Regem ex gente suâ. Is non poterat multiplicare equos, vxores, opes &c. Matrimonium nemo poterat contrahere in gradibus consanguinitatis & affinitatis prohibitis, Leuit. 18. sed bene in vlterioribus. Diuersas Deus statuerat pœnas in delinquentes, illas debebant simpliciter seruare, quas Deus statuerat; non verò grauiores vel mitiores pro suo arbitrio in maleficos statuere.

Leuit. 18.

Sensus verò posterioris Scripturę concernit vnicum præceptum cęremoniale de Sacrificio; & idem est ac si diceret: Moyses, quando veneris in terram Palæstinam, ad quam tendis, & obtuleris Domino Deo sacrificium, non imitaberis Gentiles, qui falsis Deis offerunt filios suos, & filias per ignem; sed hoc tantum offeres, quod ego præcipio tibi: nempe ex animalibus oues, capras, hœdos, boues, vitulos, columbas, passeres, turtures. Ex fructibus terræ, panem, similam, salem, thus, manipulum spicarum virentium, & triticum. Ex liquoribus, sanguinem, vinum, oleum, aquam, *hoc tantum facito*, id est, offerto Domino, *nec addas quidquam* ex sacrificijs Gentilium: *nec minuas ex eis*, quæ iam enumerata sunt: adeò vt sicut in præcedenti testimonio agebatur generatim de præceptis Mosaicis integrè obseruandis; ita hic agitur speciatim de vno præcepto cęremoniali, nempe de præcepto sacrificij integrè obseruando, vt clarissimè constat ex verbis textus: *Quando disperdiderit Dominus* Deus *tuus Gentes, ad quas ingredieris possidendas; & posséderis eas, atque habitaueris in terrâ earum, caue ne imiteris eas, & requiras cæremonias earum, dicens: Sicut coluerunt Gentes istæ Deos suos, ita & ego colam: non facies similiter* Domino *Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt dijs suis offerentes filios, & filias, & comburentes igni. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito* Domino*, nec addas quidquam, nec minuas.*

13. Interim quæro an hæ Scripturæ ad Iudęos pertineant, an ad Christianos? Si ad Iudęos, nos non concernit: si ad Christianos, quare Nouantes non curant se circumcidi? cur non comedunt Phase? cur non gestant fimbrias? cur non offerunt sacrificia propriè dicta? Rursum si nihil licuerit Iudæis addere præterquā expressa in Pentateucho; quomodo excusandi veniant Iudæi, qui cœlaturas, variumque ornatum templi addiderunt in lege non expressum? Quomodo excusabūt illos, qui alia festa instituerunt? vt festum Sortium sub Ester: festum dati ignis tempore Machabæorum, festum Encœniorum, quod Christus honorauit Ioann. 10. Nisi fateantur, iuxta explicationem Catholicorum, nihil prohiberi his locis, quàm quod Scripturæ est contrarium. Qui aliter sentiunt, reprehendant necesse est Christum, qui Matth. 5. multa addidit legi Mosaicæ, quantum ad moralia attinet: quia vbi veteribus prohibitum fuit non occidere, Christus addidit adimplendo legem, illicitum esse etiam fratri suo interius irasci, & magis, eiusmodi iram verbo indignationis prodere: vbi antiquis prohibitum fuit adulterium, addidit Dominus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo.* Et sic de cæteris. Reprehendant quoque necesse est Apostolos, qui leges quasdam cęremoniales, Act. 15. post Christi ascensum in cœlū præceperunt seruādas, veluti ad salutē necessarias; cum tamen Christi morte lex cęremonialis erat abolita. Speciatim reprehendant Apostolum Paulum, quòd 1. ad Cor. 11. præcipiat mulieribus velamine vti in Ecclesiâ, cū ex lege naturali nō obligarentur. Reprehēdant, inquam, illū, quòd nunc laudet fideles præcepta ipsius seruantes, vt loc. citat. nunc autem grauissimè reprehendat illa non obseruantes &

Ioan. 10.

Matth. 5.

Act. 15.

1. Cor. 11.

2.Thess.3. negligentes, vt, 2. ad Thessal. 3. vbi non obedientes præceptis suis vult excõmunicari, in verbis: *Quodsi quis non obedit verbo nostro, per epistolam hũc notate.* id est, excommunicate, vti colligitur ex verbis sequentibus. *Et ne commisceamini cum illo, vt confundatur.* Tales enim vt boues cornupetæ signandi erant, vt ab omnibus vitarentur, & pudore affecti redirent ad sanam mentem. Et 1. ad Corint. 14. 1.Cor.14. vbi postquam præscripserat ordinem seruandum in sacro Ecclesię conuẽtu. inquit: *Si quis videtur Propheta esse, aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mãdata.* id est, Si quis eminet inter vos, & habetur tãquam excellens Propheta, aut homo spiritualis, cognoscat ea, quæ præcipio, esse Domini mandata, quia videlicet doctrinæ eius consentanea, & Ecclesiæ eius vtilia: Spiritus enim sanctus assistebat Apostolis, vt nihil pręciperent, nisi quod conduceret ad eundem scopum, quo præcepta & doctrina Christi, hinc vtebantur his vocibus: *Visum est Spiritui sancto & nobis*, Act. 15. Act.15. *Et an experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus*, 2 Cor. 13. 2.Cor.13. Quod etiam ad Consilia, extendit Paulus, 1. Corinth. 7. 1.Cor.7. dicens: *Puto quòd & ego Spiritum Dei habeam.* Quod idem est, ac si diceret, Christus commẽdat virginitatẽ præ matrimonio, ego ex eodem spiritu suadeo innuptis seruare virginitatem, vt conuenientiorem ad seruiendum Deo. Insuper addit idem Apostolus graue iudicium, quod apud Deum subeũt, potestatem eius contemnentes, in verbis: *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* id est, Qui non vult agnoscere has leges & potestatem meam, improbabitur à Deo dicente: *Nescio vos.* Nã *qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Rursum reprehendant magistratum ciuilem, quod nouas leges condant, cum præter ius naturæ habeant ius Cæsareum amplissimum & plenissimum; Condemnent seipsos, quod leges quasuis etiam contra legem Dei in rebus tam Ecclesiasticis quàm ciuilibus condant: suosque subditos, imò ministros verbi iuramento ad earum obseruationem constringant.

14. His omnibus consideratis sole meridiano clarius est, his scripturis, nobis obijci solitis, non reprehendi, neque in veteri lege additionem opus à Deo præceptum, perficiẽtem, sed corrumpentem. Nam cum lex dicit, *non furaberis*, qui non tantum non aufert aliena, sed etiam donat sua, plus facit, quàm lex præcipiat; nec tamen dicitur addere, quia non destruit præceptum, imo melius illud seruat. At cum lex dicit, solum sacrifices oues, & boues, & aues mũdas, si quis velit sacrificare etiam canes, & sues & homines, ille addet & corrumpet præceptum. Et hoc exemplum ponitur Deuteron. 12. Deut.12. cum prohibetur traditio, ne videlicet sacrificarent filios suos, sicut Gentiles faciebant. Similiter nec in lege nouâ. Quod probo exemplo Pauli, qui leges humanas & Ecclesiasticas quamplurimas condidit, vt patet ex dictis. Et confirmatur ex cap. 13. ad Hebræos, Hebr.13. *Obedite*, inquit, *præpositis vestris, & subiacete eis.* Quod idem est, ac si dicat, Quidquid vobis Pastores pręcipiunt, quod sanctum & sanum est, facite: ieiunium, orationes, festa, supplicationes, & similia indicit Episcopus; popinas & symposia vetat, obtemperate. Et Act. 16. Act.16. vbi Paulus & Barnabas pertrãseuntes ciuitates, *tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus, qui erant Hierosolymis.*

15. Dices iterum satis comperio his esse acquiescendum, sed vrgent Nouantes superuacanea esse præcepta humana, quandoquidem teste Apostolo, omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, &c. vt habetur, 2. ad Timoth. 3. 2.Tim.3. Ex hoc enim loco aliqui sic argumentantur: Omnis scriptura vtilis est ad docendum, ergo superuacaneæ sunt traditiones. Alij, omnis scriptura est vtilis, id est sufficiens, ergo &c. Sed vtrauis explicatio nihil concludit: non enim sequitur, ex eo quod cibus

bus sit vtilis ad nutriendum, superuacaneum esse potum: neque ex eo quòd vtilis sit eleemosyna ad salutẽ, superuacaneã esse fidẽ, superuacaneum esse baptisma, & reliqua Sacramenta. Rursum secundum argumentum nihil valet; licet enim pietas (id est syncerus erga Deum affectus ad spem, timorem, & amorem Dei) ad omnia vtilis sit teste Apostolo, 1. ad Timoth. 4. tamen non sequitur superuacaneum esse cibum, potum, superuacaneas esse conciones, Sacramenta, suspiria & alia. Et confirmatur ex altero Pauli exemplo, 2. ad Timoth. 4. vbi ait, *Marcum assume, & adduc tecum; est enim mihi vtilis in ministerium*, id est, iuxta Nouantes, sufficiens. Quis enim sanæ mentis inferet ex hoc, Timotheus, Titus, Onesimus & alij non sunt necessarij.

16. Sed ad rem. Si ita licet argumentari, dicam ego similiter nouum testamentum esse superuacaneum. Ratio est, quòd eo tempore, quo Timotheus infans fuit, nouum testamentum non exstiterit, sed tantum vetus. At Apostolus eo loci hortatur Timotheum ad studium sacræ Scripturę, quam à primâ ætate discere cœpit, id est, vetus testamentum, leges scilicet & Prophetas, quę de Christo, Christique vitâ & ministerijs clarè prophetarunt; Ergo non est necessarium nouum testamentum, quis hoc dixerit?

Porrò vt dignoscas hunc fuisse scopum Apostoli; Attende, illum instruere Timotheum, quomodo vereri non debeat post mortem Pauli, tum suos subditos in fide & bonis operibus formare, tum aduersarios redarguere, qui resistunt veritati corrupti mente, reprobi circa fidem, quòd sacram Scripturam veteris Testamenti ad Christum ducẽtem habeat in subsidium. Et idem est ac si dicat Apostolus, Ego iam morior, & ad martyriũ tendo, non amplius me doctorem audies, ô Timothee, dolebis me sublato, perinde vt doluit Elisæus sublato in cœlũ Eliâ magistro: sed age, animos resume, vice mei sacras Scripturas tibi relinquo, quasi doctorem & consultorem, vt in eis Deum loquentem & docentem audias, vtque ex ijs, neque in tristibus animum cõtrahere, neque in lætis inflari discas. At ex his nullâ ratione sequitur nouum testamẽtum fore superuacaneũ quando id conscriptum nobis traditum erit.

Attendant hęc Nouantes & reuocent errorem suum, nec deinceps Traditionibus tam infesti sint, præsertim cum Apostolus alibi eas commendet. Nam 2. Thessalon. 2. 14. sic scribit; *Itaque fratres state, & tenete Traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram*. Multo magis caueant tam insulsè Catholicos ex hoc capite, idololatriæ insimulare, & populum huiusmodi doctrinâ inficere.

Discursus LXII.

An de rebus futuris liceat quosdam homines consulere?



PErtractatis ijs quæ ad ritus Ecclesię pertinent, restat inquirere de ijs, quę ad diuinationẽ rerum futurarum spectãt; & primò vtrum liceat certos homines de rebus futuris quâcumque viâ consulere. Nam Saül Rex, 1. Reg. 14. conqueritur quòd Deus neque per Sacerdotes neque per Prophetas, neque per somnia responderit de futuro euentu belli, quòd ipsi ineũndum erat cum Philistinis, atqui ex his colligitur Deum vijs varijs solitum futuros euentus prædicere. Vnde speciatim quæro an licuerit aliquando Sacerdotes de his consulere?

 1. Quan-

1. Quantùm ad hanc quæstionem attinet, dico in veteri lege non solùm fuisse licitum consulere de rebus futuris Sacerdotem, sed etiam præceptum fuisse aliquibus, nempe Regi aut Principi, quando dubitabant, quid in rebus magni momenti, quæ bonum commune concernebāt agendum esset, adire Pontificem seu summum Sacerdotem, vt pro ipso Deum consuleret: & ita habetur expressè, Num. 27. *Pro hoc* (supple Iosue) *siquid agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum: ad verbum eius egredietur & ingredietur ipse, & omnes filij Israel cum eo, & cætera multitudo.* id est, Iosue, si quid maioris momenti in rebus ad Principatum & communem potestatem spectantibus agendum erit, consulet Eleazar Pontificem, & iuxta oraculum eius aget. *Num. 27.*

2. Porrò debebat Pontifex cōsulturus Dominum post Moysen (Ille enim ingressus Tabernaculum fœderis cum Deo loquebatur *facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suū*, Exod. 33. 11.) indutus esse Ephod seu superhumerali, quô tegebat humeros, & anteriorem partem vsque ad cingulum, contexto ex auro, Hiacintho, purpurâ, cocco bis tincto, & bysso retortâ. Id autem habebat in latere versus humeros duos lapides onychinos auro inclusos, vnum à dextris, alterum à sinistris, in quibus sculpta erant duodecim nomina filiorum Israël: sex nomina in vno lapide, & sex in altero. In anteriori verò parte superhumeralis, ad pectus Pontificis, ligabatur Rationale iudicij confectum ex eâdem materiâ, quâ Ephod, figurâ quadrangugulum: densitate duplex ad Ephod relatum, longitudine & latitudine, mensura palmi. In quo Rationali erant duodecim lapides pretiosi inclusi auro, & distincti per quatuor ordines; in quibus etiam sculpta erant, duodecim nomina filiorum Israël. Id verò sic confectum & exornatum catenis aureis & fascijs tam firmiter affigebatur superhumerali, vt inde separari non posset. In Rationali autem scripta erāt hęc duo verba *doctrina & veritas*, hebraicè *Vrim & Thumim* sicut Tiaræ inscripta erāt hæc, *Sanctum Domino*. Debebat autem Pontifex indutus esse hoc indumēto Ephod in tribus occasionibus; primò in consecratione, quando mortuo Pontifici alius subrogabatur, id enim fiebat assumptione habitus Pontificalis, & vnctione capitis, vt habetur Exod. 29. Secundò in ingressu Sanctuarij, quando sacrificabat & deprecabatur pro populo, vt habetur: Exod. 28. v. 29. Tertiò, quando consulebat Deum in rebus dubijs. Voluit verò id Deus, vt hâc ratione speciali⁹ agnosceretur. Quia aliud erat Ephod lineum, siue byssinum, & toto candore purissimum, quo vtebantur inferiores Sacerdotes & Leuitæ, quin & laici, qui quoquo modo cultui diuino deseruiebant, vti docet Abulens. in 1. Reg. 22. quæst. 27. Tale fuit Ephod Samuelis 1. Reg. 2: 18. & sacerdotum à Saüle occisorum, 1. Reg. 22. quali etiam vsus est Dauid saltans ante arcam, 2. Reg. 6. 14. Vide S. Hieronymum ad Fabiol. de vest. sacerd. Deinde voluit in Rationali hæc scripta esse verba, *doctrina & veritas*, vt per hoc sacerdotum dignitas commendaretur populo, cùm videlicet Pontificem Rationali indutum edoceri à Deo de futuris euētis, & vice Dei, oracula fundere cernerent; nō quod per has voces Deus responderet; sed per Pontificem Pontificalibus indutum sciscitata reuelaret. Hæc enim verba dumtaxat insinuabant Pontificem rationali indutum accipere à Deo virtutem & doctrinam dubiorum, de quibus eum consulebat. *Exod. 29.* *Exod. 28.* *Abulens.* *1. Reg. 2.* *1. Reg. 22.* *Hieron.*

3. Hoc præceptum non tantum ad Iosue, & Eleazarum spectabat, sed ad omnes etiam futuros Principes & Pontifices. Vnde Dauid Rex, 1. Reg. 23. interpellatus à Ceilaitis (quorum Palæstini diripiebant areas, & maturas segetes atterebant) vt ipse suppetias ferret, nihil cunctatus Deum per Sacerdotem consuluit, qui secum ex tabernaculo attulerat Ephod, num iret, & percuteret *1. Reg. 23.*

Phili-

Philistæos; & responsum accepit: *Vade, & percuties Philistaos, & Ceilam saluabis.* Rursum cùm viri, qui erant cum Dauid, obtenderēt rem minus fore ex suo & suorum vsu, si in vrbem Palęstinæ proximam proficiscerentur, quandoquidem vix se tutò commouere possent, iterum consuluit Dominum, & didicit futurum, quod Palæstinorum agmina subigeret, & deleret. Vti factum est, saluatis habitatoribus Ceilæ. Idem verò Dauid existens in Ceila intellexit sibi insidias parari à Saüle, qui sperabat in obseratâ vrbe facilè comprehensum iri Dauidem: vnde denuò dixit ad Abiathar Sacerdotem, *Applica Ephod.* Et primùm rogat per eūdem Sacerdotem, an, quod incertus disseminarat rumor, venturus esset Saül in vrbem, & an Ceilani parum memores recētis beneficij ipsum essent inimico Regi traditúri: & intellecto responso affirmatiuo, extemplò profectionem adornat, ne se Ceilani incautum per insidias opprimant, aut fugere conantem anteuertat & occupet Saül. Hoc ipsum fecit Dauid, 1. Reg. 30. consulens per Pontificem Deum, an deberet persequi Amalecitas, qui spoliauerant & succenderant vrbem Siceleg, cum populus eum lapidibus voluit obruere, licet ab illo nullâ affectus iniuriâ fuisset. Hoc verò familiare fuisse Dauidi constat ex responso Achimelech
1. Reg. 22. Pontificis, 1. Reg. 22. Cum enim Saül cōiurationis accusaret Achimelech, inter alia, quòd pro illius siue salute, siue secundo rerum euentu oraculum consuluisset, respōdit: *Num hodie cœpi pro eo consulere Deum?* q. d. Quod pro Dauide diuinum interrogarim oraculum, non debet mihi crimini aut perfidiæ verti, cum aliàs sæpe id fecerim, vidente & approbante Rege: Cui quod antea gratum accidit, non video quam modò iustæ offensionis occasionem præbeat.

4. Quæres an tanta fuerit necessitas Principibus sic Deum consulendi, vt, hâc consultatione neglectâ, male illis successisset?

Respondeo affirmatiuè, quia euentus hoc docuit in illis, qui non consulto per Pontificem Deo quid magni tentarunt, vt patet exemplô Iosue, 9. cap. Vbi Iosue & alij Princi- Iosue 9.
pes filiorum Israël decepti sūt à Gabaonitis, eò quòd fœdus cum illis pacti essent, non consulto prius per Pontificem Deo, vt insinuatur illis verbis: *Susceperūt ergo de cibarijs eorum, & os Domini non interrogauerunt.* Saül quoque, 1. Reg. 14. elatus victoriâ, 1. Reg. 14.
suisque fidens viribus, inconsulto Deo Philistæos persequens, non potuit vti victoriâ, sicut animo destinauerat, & postea monitus à Sacerdote (cui iusserat Saül contrahere manum suam, seu desistere à consulendo Deo, v. 19.) vt cōsuleret, nullo responso à Deo dignatus est. Filij etiam Israël pugnaturi cum Bēiamitis cōsuluerunt quidem Deum per Pōtificem; sed quia magis confidebant copijs, quàm Dei oraculo, multi ex ijs cæsi, ac fugati sunt, vt patet Iud. Iud. 20.
20. v. 22. E contra bene cum illis actū est, qui sine mandato & directione Pontificis nihil maioris momenti aggressi sunt, vt videre est vel ex solo exemplo Dauidis, qui loc. cit. toties cum optimo successu oraculo se cōformauit.

5. Quæres, quâ ratione per superhumerale, sine quo Pontifici post Moysen non licuit consulere Dominum, potuerint scire quod Dei esset beneplacitum. Anastasius Nicenus Anast. Nicen.
quæst. 38. in Script. vult Dominum gemmas præter vsitatum & naturalem earum modum illustrasse vel obfuscasse, aliterúe colorasse, indèque à Sacerdotibus, & à spectantibus interrogatoribus cognosci & intelligi potuisse, quidnam ille responderet. *Statim,* inquit, *fulgurabat adamas, & lucem eiaculantes emittebat radios. Si autem Deo non placebat, manebat lapis in suo ordine. Si autem erat populum gladio traditurus, fiebat sanguinolentus. Si autem mortiferum quidpiam erat euenturum, fiebat niger.* Quam sententiam videtur sumpsisse ex Iosepho, qui Ioseph.
3. Antiquit. cap. 9. asserit primò, quoties in Sacrificio litatum fuisset, gemmam illam, quæ in dextero hu-

mero erat, insusitatum splendorem eiibrare solitam, quem eminus etiam adstantes conspicerent. Deinde addit, per duodecim gemmas, quas in pectore Sacerdos habebat, solitũ Deum in bello prænuntiare victoriam: nam, inquit, priusquam exercitus se moueret, tãtus fulgor ex eis emicabat, vt toti populo facile innotesceret adesse Deum, opemque & auxilium suum inuocantibus esse allaturum. Verùm alij Auctores, meo iudicio, melius sustinent simul cũ illà mutatione Deum aliquâ voce internâ vel externâ respondisse. Ratio eorum est, quòd fulgor & obfuscatio lapidum non potuerit sufficere, cùm pluribus efferenda esset responsio, aut modus rei perficiendę explicandus. Quæ sententia confirmatur ex Scripturis, nempe Iud. 20. vbi Israëlitæ Deum consulentes respõsum habuerũt. *Iudas sit Dux vester.* Et 2. Reg. 5. ex claritate gemmarum nõ potuit Dauid percipere, quod illi præscribitur: *Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorũ, & venies ad eos ex aduerso pyrorum. Et cum audieris sonitũ gradientis in cacumine pyrorũ, tunc inibis præliũ: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, vt percutiat castra Philisthiim.* In his ergo responsis opinor opus fuisse voce aliquâ vel sensibili, quæ egrederetur aut de propitiatorio, aut de medio lapidum, vel internâ, quæ Sacerdotem interius illuminaret. Et hæc videtur etiam esse sententia Chrysostomi Orat. 3. aduersus Iudæos: *Si quando cognoscendum erat aliquid, è propitiatorio vox quæpiã è medio Cherubim prodibat prædicẽs futura. Rursus è lapidibus, qui erãt in pectore sũmi Sacerdotis (id vocabãt declarationem) relucebat fulgor quidam futura significans.* Ita ille.

Iud. 20.

2. Reg. 5.

Chrysost.

6. Quæres iterum an summo Pontifici, aut alijs Sacerdotibus talis etiam sit prærogatiua in nouo Testamento: quod inquiro propter Rusticos & simpliciores, qui à Diuinis & Veridicis edocentur Sacerdotes scire occulta aut euentura, quæ & ipsi quoque rusticis consulentibus instinctu dæmonum aperiunt. Respõdeo, neque summum Pontificem, neque Episcopos, aliosue Sacerdotes hanc ordinariè habere à Deo facultatem, neque quidquam scire futurorum contingentium, aut rerum occultarum, nisi specialiter id Deus eis reuelauerit. Et hoc patet ex praxi, vbi in rebus grauibus indicere solent ieiunium, & communi oratione Dei sciscitari volũtatem. Vti factum est apud Sipontinos Incolas ad radices montis Gargani in Apulia, vbi illustris apparitio facta fuit Archangeli Michaëlis. Rem describam ex Breuiario Romano, 8. Maij: *Factum est enim, vt ex gregibus armentorum Gargani cuiusdam taurus lõge discederet: quem diu conquisitum, in aditu speluncæ hærẽtem inuenerunt. Cum verò quidam ex illis, vt taurum configeret, sagittam emisisset, retorta sagitta in ipsum recidit sagittarium. Quæ res cum præsentes, ac deinceps cæteros tanto timore affecisset, vt ad eam speluncã propiùs accedere nemo auderet, Sipontini Episcopum consulunt: qui, indicto trium dierum ieiunio & oratione rem à Deo respondit quæri oportere. Post triduum Michaël Archangelus Episcopum monet, in suâ tutelâ esse eum locum, eoque indicio demõstrasse, velle ibi cultum Deo in sui & Angelorum memoriam adhiberi. Quare Episcopus vnà cum ciuibus ad eam speluncam ire pergit. Quam cùm in templi cuiusdam similitudinem formatam vidissent, locum illum diuinis officijs celebrare cœperunt: qui postea multis miraculis illustratus est.*

7. Hic autem mos inquirendi occulta aut futura desumptus videtur à Prophetis, qui solent hôc modô à Deô postulare scientiam eorum, quæ populo in grauiorum rerum aut spe aut metu erant scitu necessaria, vt Hierem 42. cap. vbi Propheta rogatu Principum quorundã timentium ne Chaldęi vlciscerẽtur necem Godoliæ viri primarij inter Iudæos, de quo dixi, Discursu 24. n. 5. postulat à Deo feruẽti oratione, vt sibi aperiat, quid in eo rerum statu magis futurum sit è re communi, nempè an Iudæis in Ægyptum fugiendum sit, an verò in Iudæâ salui manere possint. Quod etiam Deus illi reuelauit, vt patet ex ipsis Prophetæ verbis, v. 9. vbi sic Principibus illis respondit: *Hæc*

Hierem. 42.

Hæc dicit Dominus Deus *Israel, ad quem misistis me, vt prosternerem preces vestras in conspectu eius. Si quiescentes manseritis in terrâ hâc, ædificabo vos, & non destruã: plantabo, & non euellam: iam enim placatus sum super malo, quod feci vobis. Nolite timere à facie Regis Babylonis, quem vos pauidi formidatis: nolite metuere eum, dicit Dominus: quia vobiscum sum ego, vt saluos vos faciam, & eruam de manu eius, & dabo vobis misericordias, & miserebor vestri, & habitare vos faciam in terrâ vestrâ.* hoc primùm. Tum subiungit quid mali illis euenturum sit, si Dei voluntatem non sequantur, his verbis: *Si autem dixeritis vos, non habitabimus in terrâ istâ, nec audiemus vocem Domini Dei nostri, dicentes, Nequaquam, sed ad terram Aegypti pergemus: vbi non videbimus bellum, & clangorem tubæ non audiemus, & famem non sustinebimus: & ibi habitabimus. Propter hoc nunc audite verbum Domini reliquiæ Iuda, Hæc dicit Dominus exercituum,* Deus *Israel, Si posueritis faciẽ vestram, vt ingrediamini Aegyptum, & intraueritis, vt ibi habitetis: gladius, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos in terrâ Aegypti: & fames, pro quâ estis solliciti, adhærebit vobis in Aegypto, & ibi moriemini. Omnesque viri, qui posuerint faciem suam vt ingrediantur Aegyptum, vt habitent ibi, morientur gladio, & fame, & peste: nullus de eis remanebit, nec effugiet à facie mali, quod afferam super eos.* Daniel etiam ieiunio & oratione multa meruit intelligere, vt patet cap. 10. vbi dicit Propheta: *In diebus illis ego* Daniel *lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum; sed neque vnguento vnctus sum; donec complerentur trium hebdomadarum dies.* id est, Per tres hebdomadas ita seuerè ac parcè abstinui ab escis delicatis & lautis; & luctui ac orationi me dedi, scilicet vt intelligerem liberationẽ populi. Et postea addit visionem Angeli, ex quo intellexit preces suas esse exauditas quoad plenum Hebræorum reditum in patriam, tum etiam quid populo Persico euenturum sit, tertiò quid euenturum sit in fine mundi; quod insinuant illa verba Angeli v. 20. *Numquid scis quarè venerim ad te? & nunc reuertar, vt prælier aduersum principem Persarum. Cùm enim egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens. Veruntamẽ annuntiabo tibi quod expressum est in scripturâ veritatis.* id est, Non videris percipere cur ad te venerim, sed ego tibi paucis aperiam, nempe iam recensita: quę latiùs habentur expressa cap. 11. & 12. Hæc obiter tibi dico tanquam expressa in libro præscientiæ, & prędestinationis Dei, quæ verissima, & certissima est, neque fallere potest. Paucis, inquam, quia reuertendum est mihi ad præliũ cum Angelo Persarum, qui contrarijs rationibus & precibus conatur tragulam inijcere liberationi gentis tuæ, aut eam ob causas diuertere in commodũ gentis suæ, cuius partes agit.

Daniel. 10.

8. Rursum nota ex hoc conuenienter admodum Ecclesiam in rebus dubijs orationem adhibere: quia nec Prophetæ, quorum tamen præcipuum munus erat, futura nomine Dei prædicere, ita semper in promptu responsa habebant, sed mens prius in Deum erigenda erat, adhibito interdum etiam religioso cultu: vt accidit Helizæo 4. Reg. 3. vbi interrogatus à tribus Regibus de siti, quam eorũ exercitus ex penuriâ aquarum patiebatur, paulisper stetit, iussitque ad se duci psalten, de quo v. 15. sic habetur: *Nunc autem adducite mihi psalten,* videlicet, vt inquit Gregor. hom. 1. Ezech. *vt prophetiæ ad hunc spiritus per laudem psalmodiæ descenderet, atque eius animum deuenturus repleret. Vox enim psalmodiæ cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Domino ad cor iter paratur, vt intentæ menti, vel prophetiæ mysteria, vel compunctionis gratiam infundat.* Sequitur: *Cum caneret psaltes, facta est super eum manus Domini.* id est, cum caneret psaltes, ad musicos numeros soporati sunt Helisęi sensus, & animus magis à corporeis impedimentis solutus, vt in somnios euenire solet, seipsum ad cælestium rerum cõtemplationem afflatumque diuinum excitauit. Tunc autem nouâ rerum cogni-

4. Reg. 3.

ore sacerdotis, sed multò leuiora prodeat, his verbis: *Inter sæculares nugæ, nugæ sunt, in ore sacerdotis blasphemiæ. Consecrasti os tuum Euangelio; talibus iam aperire illicitũ, assuefacere sacrilegium est. Labia sacerdotis, ait Malachias, custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, non nugas profectò vel fabulas. Verbum scurrile, quod faceti vrbanitae nomine colorant, non sufficit peregrinari ob ore, procul & ab aure relegandum est. Fœdè ad cachinnos moueris, fœdius moues.* Particulatim verò S. Chrysostomus hom. de eo, qui incidit in latrones: *Meminerit*, ait, *sacerdos se speculatorem esse cunctorum, vt ouibus pascuas salubres tribuat, agnis puri fontis vndas exhibeat; exterminet ab ouibus lupos, ab agnis nociuas bestias excludat, vulneratos curet, errantes reuocet, ignaros instruat, erigat lapsos; generaliter omnes, specialiter singulos doceat, suæ vitæ vniuersos prouocet exemplo: sit eius doctrina duplex, vt eius verbis facta conueniant, atque doctrinæ respondeant: in nullo sit minor, qui cunctis est potior. Charismatibus splendeat, fulgeat officijs. Sit cũ auctoritate humilis, cum humilitate sublimis. Nec ideo sit melior, quia maior; sed ideo maior, quia melior. Multiplicet populos, & eos docendo meliores faciat, quàm accepit. Sic fiet, vt dum hominibus feruenter insistit, Dominum sibi constituat debitorem.*

Chrysost.

Discursus LXIII.

An liceat quosuis Prophetas consulere de futuris occultisue rebus?

1. Reg. 28.



PRrimo Reg. 28. conquestus est Saül, quòd Deus neque per Sacerdotes, neque per Prophetas, neque per somnia illi respondisset de futuro belli euentu contra Philistæos. Hinc eodem ordine post tractatum de consulendis sacerdotibus inquiram quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam prenotandum est multipliciter aliquem dici Prephetã. Primò eum qui ex afflatu Spiritus sancti docet & exhortatur ad pietatem. Sic sumit prophetare S. Paulus 1. ad Corinth. 14. vbi Doctores & hortatores vocat Prophetas, asseritque melius esse prophetare, quàm loqui linguis, id est, proferre verba ædificationis, exhortationis & consolationis, quàm linguâ ignotâ occulta, quæ nec ipsi, nec alij intelligant. Secundò dicitur Propheta, qui ex instinctu Spiritus sancti diuinas laudes insolentius canit. Hoc modò Saül inter Prophetas psallentes correptus spiritu Dei dicitur fuisse Propheta & prophetasse, id est cum psallentibus psalmos, Deique laudes quasi enthusiasmo actus cecinisse, 1. Reg. 19. in verbis: *Et expoliauit etiam ipse se vestimentis suis, & prophetauit cum cæteris coram Samuele, & cecinit nudus totâ die illâ & nocte. Vnde & exiuit prouerbium, Num & Saül inter Prophetas?* Tertiò Propheta dicitur qui simpliciter canit aut psallit: hoc modo Cantores vocantur Prophetæ, 1. Paralip. 25. vbi dicitur. *Igitur Dauid & magistratus exercitus segregauerunt in ministerium filios Asaph & Heman, & Idithun: qui prophetarent in citharis & psalterijs, & cymbalis secundum numerum suum dedicato sibi officio seruientes.* id est, qui psallerent, & pulsarent instrumenta modo sibi competenti. Quartò dicitur propheta per antiphrasin, qui delirat, & ex afflatu maligni spiritus delira & insana proloquitur. Sic rursus Saül correptus à spiritu malo & melancholico dicitur prophetasse, id est aliena à ratione & delira prolocutus, in verbis, 1. Reg. 18. *Post diem autem alteram inuasit spiritus Dei malus Saül, & prophetabat in medio domus suæ.* De huiusmodi Prophetis dicit eo loci Theodoretus: *Pseudopropheta*

1. Cor. 14. 1. Reg. 19. 1. Paral. 25. 1. Reg. 18. Theodoret.

propheta agitati à malo spiritu sunt similes furore percitis Corybantibus, Hoc passus est etiam Saül vexatus à dæmone. Quintò Propheta dicitur, qui miracula facit, iisque sua oracula probat. Sic Eccles. 48. de Helisæi corpore dicitur: *Mortuum prophetauit corpus eius.* id est, suscitauit cadauer mortui in suũ sepulcrum iniecti, vti testatur liber 4. Reg. cap. 13. Sed hi omnes per catacresin dumtaxat Prophetæ dicuntur. Simpliciter autem & absolutè ille propheta dicitur, qui ex diuinâ inspiratione vel reuelatione futurorum contingentium euentus certâ & immutabili veritate præuidet & prenunciat: quod erat munus Prophetarum Isaiæ, Hieremiæ & aliorum proprium, de quo agendum est, an liceat tales consulere; non de alijs, qui tantùm dicebantur Prophetæ: quia Esaias, Hieremias, Ezechiel, & alij non tantùm futura prædicebant, sed etiam docebant, concionabãtur, psallebant, & miracula faciebant.

4 Reg. cap. 13.

2. His positis, dico primò in omni lege licuisse veros Prophetas consulere; ac primum in lege naturæ: tum enim homines fuisse dono prophetiæ præditos cõstat, quia Adam, Genes. 2. in extasi precognouit connubium Christi cum Ecclesiâ, illudque suo cum Euâ coniugio præsignauit. Enoch quoque, qui cum Deo ambulauit, & raptus est in paradisum, vt det Gentibus pœnitentiam, teste Iudâ Apostolo in epistolâ suâ v. 14. prophetasse dicitur, *Prophetauit autem de his septimus ab Adam Enoch: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium.* id est, Spiritu prophetico prædixit seductoribus tempore Iudæ existentibus suum iudicium & exitium, de quo antea fecerat mentionem. Denique Noë, Propheta fuit, qui prædixit diluuium, & ideò arcam fabrificauit ostendens illud vnicum esse medium euadendi communem calamitatem. Demum Abraham multas à Deo prophetias accepit de Isaac, & Christo ex se nascituris; de stirpis suæ multiplicatione, possessione Chananææ; & gentibus per Christum benedicendis, Quem secuti sunt Isaac & Iacob, vt patet ex libro Genesis.

Genes 2.

Iude v. 14.

3. Dico secundò in lege Mosaicâ licuisse illos consulere de rebus futuris, aut occultis obscuris vel ambiguis, quos constabat veros esse Prophetas, seu ex spiritu Dei futura prædicere, & occulta pandere. Non enim Deus illo tempore Prophetas solùm dedit, vt prædicerent, quæ ad publicam vtilitatem istius populi conducerent, quoad plagas & beneficia, ac præcipuè Christi Incarnationem, natiuitatem, vitam, passionem, mortem, crucem, redemptionem, totamque eius œconomiam, ac præsertim Synagogæ Iudæorum reprobationem, Ecclesiæ Christi successionem, & Gentium vocationẽ; verùm etiam vt cõsulti de rebus futuris temporalibus maioris, & minoris etiam momenti responderent. Quantum ad prioris generis, patet Hierem 42. vbi Propheta consultus à populo an in Iudæâ manere salui possent, an verò in Ægyptum fugiendum esset; responsum dedit, in Iudæâ omnino manendum esse. Similiter Helisæus 4. Reg. 3. non fore penuriam aquæ, & victoriam obtentum iri ab inimicis. 3. Reg. 14. Ieroboam per vxorem consuluit Prophetam Ahiam, num Abia filius suus ægrotans de illâ infirmitate moreretur? sed durum accepit responsum, nempe multa mala aduentura domui Ieroboam propter idololatriã, quâ alios etiam à vero Deo abduxerat, & filium moriturum, dum regrediens poneret pedem in vrbem, *Tu igitur surge, & vade in domum tuam, & in ipso introitu pedum tuorum in vrbẽ, morietur puer.* Posterioris generis sunt ea, quæ habentur, 1. Reg. 9. nempe vt indicaret Propheta Samuel (cuius iam pridem fuerat in rebus dubijs, aut etiam occultis explorandis comperta admirabilis scientia, & cœlitus inspirata cognitio) vbinam essent asinæ deperditæ pertinentes ad Cis patrẽ Saül: hoc enim admonuerat socius Saülem à patre missum, vt asinas quæreret, & Samuel

Hiere. 42.

4. Reg. 3.

3 Reg 14.

1. Reg. 9.

muel respondit, v. 19. *Omnia, quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi, & de asinis, quas nudiustertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inuentæ sunt.*

4. Quæres quare Deus specialiter hunc modum consulendi illi genti concesserit? Respondeo ne vicinarum Gentium vitia imitans futurorum cognitionem ex artibus apud Iudæos vetitis peteret. Testatur hoc Origenes lib. contra Celsum. Vbi cum tractasset locum Isaiæ 7. prædicentem Christum nasciturum ex Virgine, inquit: *Et quandoquidem semel in Prophetarum mentionem incidimus, non solis Iudæis, qui credunt Prophetas afflatos fuisse diuinô spiritu, erunt vtilia quæ inde proferemus, verùm gentibus quoque: quibus dicimus admittendum necessariò etiam Iudæos habuisse suos Prophetas, siquidem continendi erant in datis sibi legibus, & in acceptâ fide Creatoris, ne à lege deficerent ad Gentiũ Deos. eam necessitatem sic demonstrabimus. Gentes sicut scriptum est in ipsâ Iudæorum lege oraculis attendent & vaticinijs: populo verò illi dictum est: tibi autem non sic tradidit Dominus Deus tuus, ac mox subijcitur illud: Prophetã ex fratribus tuis suscitabit tibi Dominus Deus tuus.* Et immediatè post subiungit, quod nostro proposito congruit: *Ergò Gentibus cognitionem futurorum petentibus ex oraculis, auspicijs, augurijs, ventriloquijs aruspicibus, Chaldæis genethliacis, quæ artes omnes apud Iudæos sunt vetitæ, si ipsi nullum solatium habuissent è futurorum præscientiâ, certè impulsi humanâ quâdam futura cognoscendi libidine contempsissent res suas, vt nihil diuinum in se habentes, nec alium post Moysen Prophetam recepissent, nec sermones eorum mandaßent litteris, transfugißentque ad oracula Gentium, aut ipsi conati fuissent apud se simile aliquod instituere. Quamobrem nihil absurdi est, etiam de fortuitis quibusdam prophetas eius gentis respondere solitos, quo satisfacerent talium rerum cognoscendarum cupidis; sicut Samuelem de asinis perditis, & de morbo regij pueri illum de quo in libro tertio Regnorum scriptum est: alioquin quomodo potuissent ij, qui legi Iudaicæ patrocinabantur increpare aliquem volentem idolorum oracula consulere, sicut legitur Helias Ochoziam increpans: An eò quod non sit Deus in Israël, vos itis in Baal ad consulendum Myiaum Deum Acaronitarum?* Et tum censuram suam de re propositâ subnectit dicens: *Mihi sanè videtur benè comparatum fuisse, non tantum quod nasciturus è virgine seruator noster, verum etiam quòd Prophetæ Iudæis dati sint, qui prædicerent de futuris non solum illa vniuersalia, de Christo, de regnis mundanis, de futuris Israëlitarum casibus, de credituris seruatori gẽtibus, & alijs multis, quæ ad illum pertinent: sed de priuatis quoque negotijs, sicut de perditis asinis a Cis requisitis, de morbo quo ægrotauit filius regis Israel, aut si quid aliud tale in scripturis habetur.* Idem auctor libro 3. contra Celsum eius rei necessitatem magis amplificat: *Quomodo*, inquit, *ostendent nobis isti, qui stultitiam Iudæis atque Christianis obijciunt, potuisse Iudæorum gentem consistere sine vllâ promissionum præsentiâ? Et cum circumuicinæ gentes singulæ in suorum vt tunc habebãtur Deorum fana, peterent oracula, hos solos qui contemptum externorum numinum didicerant, vt non Deorum, sed dæmonum, nimirum Prophetarum voce moniti omnes Gentium Deos eße dæmonia: neminem habuisse, qui diuinæ mentis interpretem se professus, à vanis illis mẽtes ad se traheret, eos, qui alioquin noscendorum futurorum cupidine desciuißent ad cultos ab alijs dæmonas?* Et enarratis medijs apud Ethnicos existentibus per modum interrogationis subiungit: *Apud solos Iudæos placentes sibi vt peculiarem Dei rerum vniuersarum conditoris populum, nihil erat signorum aut prodigiorum quod confirmaret fidem in eum, coniunctam cum spe melioris vitæ aliæ? Atqui quomodo hoc putaret aliquis? Statim enim desciuissent à Deo suo, cuius ope prius pendebant, ad illos externos fatidicos, & sanitatum largitores Deos, si sui nullam sensissent in rebus dubijs præsentiam.* Et hinc factum videmus quòd Deus prędoceret aliquando Prophetas, cum aliqui malè affecti erga religionem eum consulturi erãt, aut etiam spreto Prophetâ ad Idola, consulendi gratia, iam nuntios parabant, vti factum est, 3. Reg. 14. vbi Ieroboam mittente vxorem, vt consuleret Ahiam super infirmi-

tate

Origenes. 4. Reg. 1. 3. Reg. 14.

Romam ingressurus es mare transiturus, nouem annis regnans, decimo morieris. Quæ omnia completa se vidisse ibidem Gregorius testatur.

De sancto Bernardo scribitur in eius vita lib. 4. cap. 3. cum quatuor hominibus prædixisse cõuersionem, tribus de ea nihil cogitãtibus, quarto etiam ab ea & se alienissimo; quæ omnia, sicut prædixerat, euenerunt. Sed mirabile est prorsus, quod ibidẽ de nobili quodã viro narratur. Nam cum pro eius conuersione, vt S. Bernardus oraret, quidam illius filius peteret, respõdit Sanctus: *Ne timeas, ego illum probatum monachum in hac Claraualle sepeliam.* Multa sunt in hac vna sententia vaticinia: nam & monachum illum aliquando futurum, & in ordine monastico vsque ad mortem perseueraturum; & sanctè & piè diem extremum clausurum, idque ante ipsum Bernardum, & in Claraualle, & ipsius Bernardi manibus sepeliendum; sex sunt vaticinia inter se diuersa, & omnia tamen, nec sine singulari Dei prouidentia impleta. Sic enim auctor pergit: *Et perfectus,* inquit, *Monachus factus est, & à Patre sancto (sicut ipse prædixerat) in Claraualle sepultus: tanquam enim mori illo absente non posset, quinque mensibus infirmatus, & celeberrimum, imo continuum responsum mortis in seipso habens, sustinuit donec Pater sanctus rediret, qui, vt olim promiserat, eum traderet sepulturæ.* S Franciscus (vt scribit in eius vita B. Bonauẽtura) cũ Christianus exercitus certo die cum Saracenis pugnaturus esset, admonuit Duces, ne eo die pugnarent, sibi enim à Deo reuelatum, victoriam hostibus eo die cessuram. Sed cum contemnerent Duces B. Francisci monita, cæsi, fusique sunt Christiani inaudita strage. Hoc verò nostro sęculo prophetiæ spiritu claruisse S. Carolum Borromeum Cardinalem, S. Franciscum de Paula, S. Ludouicum Bertrandũ, S. Ignatium, S. Franciscum Xauerium, Gasparem Belgam, aliosque, ex vita eorum à viris fide dignis conscripta notum est.

Mat. 24. 7. Sed dices Christus Matth. 24. vers. 36. noluit discipulis suis aperire diem iudicij; neque Apostolis, Act. 1. quando restitueret regnum Israël. Act. 1.

Respondeo Christum non aperuisse diem, quia interrogantibus non erat vtile: vnde fusè placuit signa dicere præcessura extremum iudicium, sed addere diem esse occultum, ne homo præscius vel diei mortis, vel iudicij sui procliuius in peccata rueret. Vnde apposite Ambros. Ambros. lib. 5. de fide cap. 7. *Adulter, nisi quotidianam pœnam metuat, non poteſt adulterandi cupiditatem desinere, nec latro obsessorum saltuum secreta deserere, nisi sciat sibi momentis omnibus imminere supplicium*: atque omnino & iustus esset remissior, & peccator securior. Hoc vero est præcinctis lumbis, gestatisque in manibus lucernis vigilando prestolari Domini aduentum, ne improuidos, incautosque reperiens, pœnis acerbè mactet. Eodem modo retudit Dominus curiosam interrogationem de tẽporali restitutione regni Israëlitici, dicens: *Non eſt vestrum nosce tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Quod idem est ac si dicat, Erratis, restitutio Israëlitici regni non temporaliter, sed spiritualiter intelligenda est, quantum ad bona gloriæ in futuro; & velle determinatè prænoscere tempus, non est vestræ paruitatis. Plenariè enim non fiet nisi in die iudicij, quando viri Israëlitę in anima & corpore glorificabuntur, & æternaliter regnabunt cum Christo. Particulariter autem & partim fit in mortibus singulorum, quando ad patriam regni cælestis perueniunt. Vnde vos non angat naturalis amor patriæ, quamuis eius calamitatem magni viri deplorarint, ita vt quasi tædio vitæ affecti fuerint, nempe Hieremias Trenor. Trenor. 1. & 5. 1. & 5. Elias 3. Reg. 19. Daniel cap. 9. 3 Reg. 19. David Psalm. 30. v. 20. & 78. vers. 1. Daniel 9. Machabæi etiam, 1. Machab. 2. Sed Ps. 30 & 78. rescectis illis tanquam inutilibus, 1. Machab. 2. vtiliora cogitate, nempe de accipienda virtute Spiritus sancti, per quam fortes eritis ad regnum spiri-

Gg tuale

tuale hoc restituendum, dum testes mihi eritis in Hierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.

8. Dico quartò nulla ratione licere eos consulere, quos certum est vel probabile non esse Prophetas Dei: quales fuerunt olim pseudoprophetæ, qui veris sese opponebāt, & proprio commodo studentes ac vtilitati, populo placentia dicebant, promittētes pacem, prosperitatem, & rerum omnium abundantiam. De quibus conqueritur Hieremias cap. 14. cum nomine Dei prædixerat sterilitatem & famem peccatoribus aduenturam, dicens: *Dixi, A, a, a, Domine Deus, Prophetæ dicunt eis, non videbitis gladium, & fames non erit in vobis, sed pacem veram dabit vobis in loco isto.* id est, populus à Pseudoprophetis decipitur & contrarium audit: subiungit verò, *Et dixit Dominus ad me, falsò Prophetæ vaticinantur, in nomine meo: nō misi eos, & non præcepi eis, neque locutus sum ad eos: visionem mendacem, & diuinationem fraudulentam, & seductionem cordis sui prophetant vobis.* Deinde addit plagam eiusmodi Prophetis, & credulo populo ea de causa aduenturam his verbis: *Idcirco hæc dicit Dominus de Prophetis qui prophetant in nomine meo, quos ego non misi, dicentes: gladius & fames non erit in terra hac: In gladio & fame consumentur Prophetæ illi. Et populi quibus prophetant, erunt proiecti in vijs Ierusalem præ fame & gladio, & non erit qui sepeliat eos: ipsi & vxores eorum, filij & filiæ eorum, & effundam super eos malum suum.* Huiusmodi multa occurrunt exempla. Sedecias qui erat vnus ex Prophetis Baal, contradicebat Micheę, qui erat Propheta Domini. Ille asserebat Regem Israël fœliciter expugnaturum Ramoth Galaat; quod negabat Micheas, 3. Reg. 22. v. 11. Item Hananias contradicebat Ieremię. Ille asserebat vasa templi, quæ abstulerat Nabuchodonosor, post biennium remittenda esse in Hierusalem; Ieremias negabat id tam cito futurum, Ierem. 28. v. 2. Item Achab, Sedecias, & Semeias contradicebant eidem Ieremiæ. Illi dicebant, populum mox rediturum ex captiuitate Babylonica; hîc septuaginta annis mansurum in captiuitate, Ierem. 29. v. 21.

Hier. 14.

3. Reg. 22.

Ierem. 28

Tales etiā habuimus in nouo Testamēto Prophetas, qui Apostolicis viris sese opposuerunt, & ex spiritu proprio falsa prędixerunt vt vera; qui inuidentes & Prophetię donum ambientes, vt suæ hæresi fidem arrogarent; sicut Magi Pharaonis, Moysis miraculorum æmuli multa tentarunt falsis miraculis: ita hi falsis prædictionibus, vti mox constabit.

9. Sed quæres quomodo discerni valeant veri à falsis? Respondeo per veram prædictionem eorū quæ breui sunt euētura, aut falsum Prophetam per prędictionem eorum quę nō eueniunt condicto tempore. Hoc enim signum constituit Dominus ad illos discernendos, cùm Deuteron. 18. dicit: *Quod si tacita cogitatione respōderis, quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum. Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est locutus; sed per timorem animi sui Propheta confinxit, & idcirco non timebis eum.* Vnde D. Hieronymus in cap. 37. Isaiæ super illud: *Tibi autem hoc erit signum,* sic scribit: *Idcirco vel maximè Prophetæ apud populum habebant fidem, quia non solum de his, quæ multa post sæcula futura erant, sed etiam quæ in continenti, & post non grande temporis spatium essent implenda, memorabant: vt quod intra biennium Rex Assyrius interiret, & vrbi Hierusalem securitas redderetur.* Sic Elias prædixit tribus proximis annis non fore rorem & pluuiam, 3. Reg. 17. v. 1. Sic Micheas Regem Achab infeliciter pugnaturum in Ramoth Galaat, 3. Reg. 22. v. 17. Sic Helisæus post vnum diem fore tantam annonę vilitatem, vt duo modij hordei emantur vno statere, 4. Reg. 7. v. 1. Sic Isaias proximo anno fore abundantiam frugum, sequenti pomorum copiam: tertio plenā messem & vindemiā, c. 37. v. 30. Sic Ieremias breui futurum vt Nabuchodonosor Rex vastaturus sit terrā Aegypti, c. 46. v. 13. Et quia hæc omnia euenerunt,

Deut. 18.

Hieron.

3. Reg. 17.

3. Reg. 22.

4. Reg. 7.

Isa. 37.

Ierem. 46.

runt, eô modô, quô ab illis Prophetis dicta sunt; ideo magnam auctoritatem sibi conciliarunt. Sicut è contrario, quia non eueniebant ea, quæ à falsis Prophetis prędicebantur, nulla illis fides habebatur.

Verùm nota veros Prophetas, cum aliquid prænuntiabant diu post futurum, simul etiam prophetasse aliquid breui futurum; vt vnum per alterum intelligeretur ex spiritu Dei prænuntiatum. Notauit hoc Rupertus in prologo in Oseam : *Cum Propheta*, inquit, *mitterentur ad pronuntiãdum de longinquo Christi aduentum, simul etiam de propinquo datum, velinjunctum est illis, prophetare illud, in quo citius veraces comprobari possent, scilicet imminentem ab Assyrijs Israeli captiuitatem; itemque instantem Iudæ quoque Babylonis transmigrationem, & præterea nonnulla etiam minora, quæ litteris eorum legimus inserta. Cùm igitur citò euenisset captiuitas seu transmigratio illa, sicut per illos veritas Prophetica prædixerat, palàm constitit, quòd veraciter fuissent locuti in nomine Domini, & quòd Dominus misisset eos. Atque ita completa prophetiæ pars, illud quoque, quod reliquum, vel maximum erat de promissione & aduentu Messiæ, verum fore conuincebat.* Rupertus.

Recollige iam prophetias nostrorum Nouantium, & comperies illos esse è numero eorum, quos reprehẽdit Dominus Hierem. 14. & vt ad particularia descendam, nota facta quorundam Hęresiarcharum Montanus sub annum Domini 182. Prophetam, imò Paracletum à Patre missum se esse iactauit; quin & Priscam & Maximillam, nobiles duas meretrices eôdem phanaticô spiritu imbuit, ac prophetare docuit. Prædixit inter alia, sub Commodo Imperatore (quòd ex moribus eius pręsagiebat) fore bella, seditiones & immanem in Christianos persecutionem; sed euentus eum mendacij coarguit: sub Commodo enim pax fuit Imperio, pax Ecclesiæ & Christianis, adeoque Commodus ipse quasi vltor sanguinis Christiani, sæuijt in eos, qui Christianos afflixerant, eò quòd Martia ipsius cõcubina, Christianorum esset studiosissima, inquit Dio in Cõmodo. Sed quis eius cum suis fuit exitus? ipse Mõtanus eôdem vesanô spiritu impulsus laqueo sibi mortem consciuit: idem fecerunt eius Prophetissæ. Testis est Eusebius lib. 5. hist. 15. Hierem. 14. Euseb. hist.

Curbicus, qui se Manichæũ, quasi manna effusorem & datorem, verè autem *manem*, hoc est insanum, appellabat, Paracletum se esse, ac futura scire mentitus est. Prædixit & promisit se precibus suis curaturum filium Regis Persarum ægrotantem; sed cum pro viuô eum mortuum exhiberet; à Rege viuus excoriatus est. Testis est Cyrillus Hierosolym. catechesi 6. Cyrill. Hieros.

Sub annũ Domini 700. Hebręus quidam maleficus Ezidi Arabũ Regi Mahumetano prędixit & promisit triginta annos vitæ & regni, si totô suô imperiô iuberet imagines Christi & Sanctorum ex Christianorum Ecclesijs auferri & cõburi. Sed quid? verane fuit Hebræi prophetia? minimè gentium. Nam rex Ezides anno sequenti mortuus est. eiusque filius & successor Hebræum pseudoprophetam turpissimâ morte mulctauit, vti narratur in Synodo VII. act. 5. atque à Cedreno, Zonara, & Niceta in vitâ Leonis Isauri.

Fredericus II. Imp. Ecclesiæ hostis & flagellum, circa annum Domini 1240. quasi Propheta prædixit & intentauit Ecclesiæ Romanæ, ipsique Gregorio Nono, ac post eum Innocentio Quarto, alijsque Pontificibus, à quibus exauctoratus fuerat, excidium, scribens ei hoc carmine:

Fata volunt, stellaque docent, auiumque volatus
Quòd Fredericus ego malleus orbis ero.

Rescripsit ei totidem antistrophis Pontifex:

Fata volunt, Scriptura docet, peccata loquuntur.
Quòd tibi vita breuis, pœna perennis erit.

Vter fuit Propheta? vtique Pontifex; stetit enim ipse, stat, stabitque

Ecclesia Romana, & orthodoxa: Fredericus verò anno Domini 1250. à proprio filio Manfredo strangulatus fuit: ita ex Alberico refert Cuspinianus, Pontificum licet hostis, atque ex ijs Bozius signo 19. & alij.

Præcedenti sæculo, Germaniæ fax Martinus Lutherus, quintus, si Dijs placet, Propheta, noui Euangelij, hoc est cacangelij, non Dei, sed cacodœmonis Euangelista, Cerbereo fastu prædixit interitum Papæ, seseque Papatum euersurum: sic enim fatidicus ipse cecinit,

Pestis eram viuens, moriens tua mors ero Papa.

At mortuus est pseudopropheta, descenditque ad inferos: viuit, & viuet Papa & papatus, firma consistet Petra, super quam Christus ædificauit Ecclesiam, adeoque nec portæ inferi præualebunt aduersus eam.

Michaël Stifelius Lutheri discipulus, & verbi eius Minister, dignū patellâ operculum, ex suâ credo Algebrâ, suis parochianis ex cathedrâ asseueranter & constanter prædixit, anno 1533. certo die, quem ipse nominabat, fore finem mundi, & sæculi consummationem. Credidêre suo Parocho misellis alij gemere; rustici nolle laborare, nec agros colere; alij potare, & sua (quasi eis deinceps opus non foret) largiter consumere; alij Eucharistia quasi morituri se cōmunire; pauidè expectare omnes. Venit dies, & quid tandem? parturiunt montes, nascetur ridiculus mus phanaticum vatem explosit populus, eumque accusauit apud Lutherum, vrsitque vt eum quasi impostorem puniret; ac ministerio abdicaret: Lutherus cum Stifelio, quasi augur cum augure, colludens, errore dissimulato, populum increpauit, iussitque vt suum reciperet Ministrum, illique parerent, ab eo verbum Dei audirent. Verè poëta: *Plures triobolos, paucos est cernere Vates.* Hìc competit vetus dictum: *Multi qui boues stimulant, sed pauci aratores.*

Anno Domini 1573. Ioannes Leidanus sartor, phanaticâ audaciâ cū suis Anabaptistis, Monasterium, vrbem Westphaliæ inuasit & occupauit; regem se, imò Messiam noui templi in Sion indigitauit: instar Christi duodecim Apostolos & Prophetas ad vicinas vrbes quaquauersum legauit, qui cunctos ad nouum hunc Messiam, quasi Solem à Deo datum, audiendum, colendumque inuitarent, imò Dei nomine citarent, eum recipientibus aurea sæcula promittentes, respuentibus Dei iras & diras omnes intentantes. Ibāt illi Enthusiastæ furore, imò dœmone pleni, fundebant oracula, minas, diras. Ac ne deesset altera Iudith Holofernem obtruncans, Hilla mulier Frisia, auro gemmisque grauis, vrbe ab Episcopo, vrbis Domino, obsessâ, egressa, Episcopum in sui amorem illicere, ac veneno necare destinabat: sed prodita, temeritatis, scelerisque pœnas capite luit.

Sed dices, Deuteron 13. etiam falsi Prophetæ præsupponuntur vera subinde prædicere: & Balaam Numer. 22. prophetauit, qui Gentilis erat: & Sybillę, & Caiphas etiam prophetauerunt. *Deut. 13.* *Num. 22.*

Respōdeo quoad primum locum intelligendum esse de prædictionibus earum rerum, quas dœmones naturaliter cognoscunt, de quibus dicam sequenti discursu. Balaam verò fuit Propheta diaboli, vt ex multis rationibus deprehenditur. Primò ex nomine arioli, qualis dicitur Numer. 22. v. 5. Vnde eum fuisse magum docent Cyrillus lib. 6. de adorat. Theodoretus quæst. 40. Augustinus serm 103. de tempore, Ambros. lib. 6. epist. 37. Secundò quia quæsiuit augurium, vt patet 24: 1. & ad illud captandum septem aras extruxit ipsi Baal, eique victimas immolauit, vt patet cap. 22. vlt. & cap. 23. vers. primo. Tertiò, quia voluit ipse maledicere Israëli, & ad hoc captauit hæc auguria & vaticinia diaboli; sed Deus pro diabolo ei occurrit, eumque inuitum Israëli benedicere coëgit: fuit ergò ipse magus, & dæmonis alloquium quærebat. Porrò Sybillæ, non Dœmonis, sed *Cyrill. Theodor. August.*

sed Dei fuerunt prophetissæ, quæ merito virginitatis, vti asserit S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, donum Prophetiæ adeptæ de futuris, ac præsertim de Christo tantâ prænotionis certitudine ac claritate vaticinantur, vt præterita magis scribere videantur, quàm futura. Fuerunt illæ decem, quarum cognomina patria sunt hæc: Cumæa, Cumana, Persica, Hellespontica, Libya, Samia, Delphica, Phrygia, Tyburtina, Erythræa. Illæ verò prophetabant quamuis nescientes in fauorem nostrę fidei, ex dono prophetiæ, quod à Deo consecutæ erant, vt dixi. Caiphas etiam licet homo iniquus prophetauit nesciens, quòd diceret id, quod populo Dei erat vtile: quia erat Pontifex anni illius, de quo plura dixi Discursu præcedenti.

Sed dices, quid si futura quæ prædicunt, terminum exigerent longioris temporis, & præsenti aliquâ prædictione se Prophetam quis non posset probare, quibus indicijs dignosceretur falsas reuelationes in medium producens?

Respondeo primò considerãdam esse fidem istius Prophetæ, & an Ecclesiæ Catholicæ in omnibus subscribat. Secundò necesse est considerare vitam & morum integritatem huiusmodi Prophetarum. Carnalibus enim, superbis, dissidia serẽtibus, alios diffamantibus, & hypocritis, qui singularia quædam affectatæ deuotionis, & pœnitentiæ signa per superiores Ecclesiasticos non approbata ostentant, non facilè est credendum. Confirmatur hoc ex Apollonij sententiâ vnius ex primis Patribus, qui prophetias Montanistarum falsitatis hinc arguebat, quòd Maximilla & Quintilla maritos suos deseruerant: tum quòd lasciuiæ deditæ, pigmentis, cultui corporis, & luxui sumptuoso vestimentorum. Tertiò, considerandum an ea, quæ prædicunt, pertineant ad salutem hominum & gloriam Dei; Diuinæ namque reuelationis hæc illustria sunt signa: an verò contraria legi, Prophetis, aut Euangelio; hæc enim diabolica commenta sunt. Quartò considerandum est, quo fine moueantur eiusmodi homines, prætensas suas reuelationes alijs indicare. Quamuis enim res per se bonas, & à Deo insinuatas reuelare, & confiteri, honorificum sit, vt Tobiæ 12. habetur: tamen ea non nisi ad maius bonum dicenda sunt, quemadmodũ eo loci Angelus facit. Ob quam caussam Helias, 4. Reg. 2. quantum poterat, conabatur, amans humilitatem, à se amoliri Helisæum, ne videret eum rapi igneo curru in cælum. D. Paulus non nisi necessitate grauissimâ compulsus suas reuelationes, & visiones aperiebat, & cum protestatione quòd eas dicendo insipiens factus erat, quia coactus, idque postquam 14. annis tacuerat, 2. Cor. 12. Et ob bonum aliorum, videlicet ne à pseudoapostolis per ipsum edocti auerterentur à verâ fide. Alijs verò, qui ob vanitatem & sine causâ, sua diuulgant, non oportet aurem præbere. Et hæc sufficiant.

Tob. 12.
4. Reg. 2.
2. Cor. 12.

Discursus LXIV.

An non liceat Diuinos vulgò Veridicos consulere?



Deut. 18. DEuteron. 18. cap. dicit Dominus: *Non inueniatur in te, qui ariolos sciscitetur, nec qui Pythones consulat, nec qui diuinos*. Verùm quia Diuini diuerso modo dicuntur, hinc quæram quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam prænotandum est vocabulum diuinationis diuersa significare, nempe primò, iuxta voluntatem Dei ius dicere. Vnde Sapiens loquitur Prouerb. 16. dicens: *Diuinatio in labijs regis, in iudicio non errabit os eius*: quia enim, vt inquit Iansenius, Reges Dei vicem in terris gerunt, ac dij quidam terrestres sunt, secundum illud Psal. 81. *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes*, in labijs eorum diuinationem esse dicit, hoc est, velut oracula Deorum, quæ diuinationes dicũtur, quia quæ pro officio aut præscribunt, leges promulgando, aut in controuersis decernunt, sententiam proferendo, velut à Deo profecta sunt reputanda, qui per eos officio suo fungẽtes loquitur, ac iustitiam veritatemque tuetur, proinde in iudicando non facilè errabit os Regis, Deo nimirum, cuius vices gerit, sententiam eius moderante. Ad cuius confirmationem adducit idem auctor exemplum Salomonis, 3. Reg. 3. iudicantis duas meretrices de infantuli cuiusdam possessione iudicio contendentes. Cum enim quęlibet suum esse filium constanter affirmaret, neque vllę forent coniecturæ aut testes: ipse tamen rationem inuenit, quæ veram proderet matrem, & simulatam conuinceret mendacij ream, tentãs vtramque, vtra prolem plus diligeret, cum dixit: *Afferte mihi gladium, & diuidite infantem viuũ in duas partes, & date dimidiam partem vni, & dimidiam partem alteri*: Illi mulieri, quæ necem deprecabatur, infantem adiudicauit, quòd illa se matrem sic apertè proderet. Ex quo dignouit populus illum diuinitus illuminatum, teste Scriptura, quæ dicit: *Audiuit itaque omnis Israel iudicium, quod iudicasset rex, & timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium*. De quâ populi admiratione sic Ambros. lib. 2. de Officijs cap. 8. *Non immeritò æstimatus est intellectus Dei esse in eo, in quo occulta sunt Dei. Quid autem occultius quàm internorum viscerum testimonia, in quæ sapientis intellectus, velut quidam pietatis descendit arbiter, & velut quandam genitalis alui vocem eruit, quâ maternus patuit affectus? qui elegerat filium suum apud alienam viuere, quàm in conspectu matris necari?*

Marginalia: Prouerb. 16. — Iansenius. — Psalm. 81. — 3 Reg. 3. — Ambros.

2. Secundò iuxta Ciceronem lib. 1. de diuinatione significat etiam vim quamdam interpretandi diuina oracula, & responsa. Talem gratiam habuerunt Ioseph, Genes. 41. & Daniel cap. 2. quando respectiuè Pharaoni & Nabuchodonosori sua somnia interpretati sunt: atque huiusmodi diuinos consulere extra controuersiam est licere: quia quantum ad litigantes attinet, alia via nõ suppetit litium finem obtinendi: quantum ad interpretes oraculorum diuinorum, Deus ideo eiusmodi sciẽtiam illis reuelauit, vt hâc viâ confunderent Sapientes Chaldęorum, & simul docerent Reges idola contemnere, & Deum verum agnoscere. Vnde Daniel dicebat Regi: *Mysterium, quod Rex interrogat, sapientes, magi, & arioli, & aruspices nequeunt indicare regi: sed est Deus in cœlo reuelans mysteria, qui indicauit tibi Rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in nouissimis temporibus. Somnium tuum, & visiones capitis tui in cubili tuo, huiuscemodi sunt: Tu Rex cogitare cœpisti in stratu tuo, quid esset futurum post*

Marginalia: Cicero. — Genes. 41. Daniel. 2.

post hæc: & qui reuelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt. id est, Cogitasti quem exitum regnum tuum esset habiturum; an, quando, & in quos esset transferendum. quasi dicat, tuas cogitationes, somnia, eorumque mysterium reuelo; sed vt tanto facilius ô Rex in vnius veri Dei illa reuelantis cognitionem, fidem & cultum deuenias, addo: *Mihi quoque non in sapientiâ, quæ est in me plusquam in cunctis viuentibus, sacramentum hoc reuelatum est.* id est, Licet ego sapientior omnibus habear hoc æuo; tamen somnium tuum per nullum habitum vel actum scientiæ aut sapientiæ nuturalis; sed per solam Dei reuelationem scire & cognoscere potui, nec aliter vnquam potuissem.

3. Tertiò significat instinctu Dœmonis ea prædicere, quæ vel ad solũ Deũ spectant, vt sunt futura contingentia libera de conditione vitæ, de matrimonijs, honoribus, nempe an quis matrimonij statum eliget, aut talem maritum, vel vxorem nanciscetur, quem statum, quas opes, assequetur, quot proles acquiret, quæ infortunia incurret, & similia; Vel quæ humanam scientiam superant, vt sunt ea quæ Dœmõ de futuris naturali sagacitate potest conijcere, quia determinatam habet causam, v. g. quòd quis tali morbo laborans cras morietur, quia cognoscit exactè & supra homines omnes causas naturales, earumque vim, ex quibus mortem necesse sit sequi, aut quòd postridie futura sit inundatio, quòd ingruet tempestas, quòd breui corruet domus recens ædificata, cuius ipse cernit secretam caussam; vel etiam quia aliquid facturus est, Deo permittente, quâ ratione potuisset prædicere euersionem familiæ Iob, eiusque calamitates. Tum etiam occulta præterita & futura, quæ facillimè potest scire. Hęc & similia solent certi homines ab alijs consulti instinctu dœmonis prędicere, qui in Scriptura Diuini in populo Veridici dicuntur.

4. Porrò hos Dominus expresè vetat consulere, Leuit. 19. dicens: *Nec ab Ariolis aliquid sciscitemini.* Et expressius Deuteron. 18. cap. in verbis: *Nec inueniatur inter vos &c. qui ariolos suscitetur, &c. nec qui pythones consulat, nec Diuinos, aut quærat à mortuis veritatem: omnia enim hæc abominatur Dominus,* hoc autem sub Moyse prohibet, quia naturaliter malum, & vt iure diuino positiuo pręceptum naturale fortius corroboret, ac vt magis deterreat, addit eô loci, inter alias causas ruinæ & extirpationis Gentis Chananææ, vnam esse quòd Pythones & Diuinos consuluerit, dum hâc prohibitione factâ dicit: *Propter huiusmodi scelera, delebit eos* (supple Dominus Chananæos) *in introitu tuo,* strenuè monens, ne illos imitentur, præsertim aliter instituti à Deo suo, & in tantum voluit Dominus Iudaicam Gentem ab huiusmodi hominibus consulendis abstinere, vt etiamsi grauissima plaga vrgeret, scirent se tale quid faciendo Dei indignationem incursuros, omniaq; mala temporalia sine vllâ spe euasionis. Locus est apud Isaiam cap. 8. vbi Dominus hoc modo procedit. Primò denunciat grauiter esse vexandam Iudæam ab Assyrijs: sed eosdem Assyrios nihilominus perituros. Secundò hortatur Iudæos, vt bono sint animo, neque sibi metuendum aliquid putent à duobus Regibus Syriæ & Samariæ, licet continuò dicant se contra Hierusalem cõiurasse; cum ipse dumtaxat timẽdus sit, his verbis: *Timorem eius ne timeatis, neque paueatis, Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pauor vester, & ipse terror vester.* id est, Illum colite & glorificate, legi & voluntati eius per omnia obediendo: Illum, inquam, timete (*qui potest & animam & corpus perdere in gehennam* Matth. 10. cap.) quia illi militant Angeli, militat æther, militant venti, militant omnes creaturæ, quibus Syros omnesque hostes vestros, facillimè, quasi pulices occidet. Tertiò monet, ne consulant Diuinos, his verbis: *Et cum dixerint ad vos, Quærite à Pythonibus, & à Diuinis, qui stri-*

Leuit. 19.
Deutr. 18.
Isa. cap. 8.

dent in incãtationibus suis. Nunquid non populus à Deo suo requiret visionem? pro viuis à mortuis? Ad legem magis, & ad testimonium, id est, Cùm in his rerum angustijs, quibus ô Iudæi à Rasin & Phacee premimini, suadeant vobis nonnulli Politici, & impij homines, vt à Pythonibus, Diuinis & Magis, futurum huius obsidionis euentum sciscitemini; liberè & audacter eis respondete, quod ego hic doceo & suggero, scilicet: Nunquid non est Deus in Israël, à quo populus exquirat visionem, id est, oraculum de futuro euentu? Nunquid pro viuorum salute consulet mortua idola, vel damnatos Dœmones, ab ijsque petet prophetiam & prænotionem futurorum? Ad legem potius, & ad arcam, ac propitiatorium recurrendum est: ibi audietis verum oraculum. Lex enim docebit nos, quid agendum, quid cauendum sit, tum alias, tum tempore belli, scilicet consulendum esse non dœmonem, sed Deum in propitiatorio residentem, vel per Pontificem respondere solitum iuxta morem illius temporis. Quartò addit, si fortè Iudæi alterius fiant sententiæ, & putent in illa anxietate à Diuinis & Magis, non autem à Deo petendum esse oraculum de futuro belli Syriaci euẽtu, hęc mala illis aduenient: *Non erit eis matutina lux*, id est, veritas, sed in tenebris errorum & falsorum oraculorum degent, nihil habebunt lucidum, felix, iucundum & prosperum, sed omnia infausta, tristia & aduersa: denique nec hoc solum, sed corruet domus Iacob, seu Iudæa ab hoste superata, & famem experietur extremam, quâ instimulante bacchabitur vt demens, & maledicet Deo, & suspiciet cælum, & aspiciet terram, sed siue in cælum sursum, siue in terram deorsum aspiciat, non nisi tribulationem, tenebras, tristitiam, & miseriam, dissolutionem virium corporis & animi, atque vndique angustias se persequentes, quas euadere non poterit, inueniet & intuebitur: sursum enim cœlum clausum, Deumque iratum & sęuiẽtem, deorsum terram vndique ab hostibus infessam aspiciet. Quæ omnia indicantur hisce verbis: *Quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Et transibit per eam, corruet & esuriet: & cũ esurierit, irascetur, & maledicet Regi suo, & Deo suo; & suspiciet sursum. Et ad terram intuebitur, & ecce tribulatio & tenebræ, dissolutio & angustia, & caligo persequens, & non poterit auolare de angustiâ suâ.* Porrò Leuit. 20. Dominus in huiusmodi Consultores pronunciat pœnam mortis per lapidationem, cum ait: *Vir siue mulier, in quibus pythonicus vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur: lapidibus obruent eos, sanguis eorum sit super illos.* Quis non horrescat tam dura fulmina? quæ huius peccati enormitatem proclamant. Leuit. 20.

5. Sed quæres quare Deus tantopere execretur hoc malum? Respondeo, quia per hos Diuinos, eosque consulentes, diuinum honorem sibi captat & conciliat Dœmon. Hi enim Diuini nomine aliorum sciscitantes futura atque occulta, agnoscunt in Dœmone scientiam futurorum contingentium Deo propriam, iuxta illud Isaiæ 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos.* Vel occulta, quæ scientiam humanã superent, & hoc modo etiam cooperãtur Dœmoni vsurpare conãti diuinam excellentiam; & sic expressam cũ Dœmone iurato & perpetuo Dei hoste societatem profitentur; cui frequenter pactum obsequij accedit. Vnde sicut in Republica fœdus iniens cũ hoste Principis crimen læsæ maiestatis incurrit: ita hic. Isa. 41.

6. Quęres iterum quomodo Dœmon inuocatus aut consultus huiusmodi Consultoibus seu Diuinis respondeat; id enim plurimùm conducet ad intelligendum prauitatem huius sceleris? Respondeo varijs modis, & primò per verum hominem intrando in illum, & per eum futura prædicendo, qui Leuit. 20. dicitur pythonicus. Secundò per corpus mortuum in illud intrans, & per illud loquens, ac si esset viuum, soletque Leuit. 20.

soletque hoc fieri adhibitis quibusdam cæremonijs vanis, vel incantationibus ab ipso traditis. Nam vt Eusebius ait lib. 5. de præparatione Euangelicâ cap. 7. *Vnde homines quibus Dæmones cogantur, quam ab ipsis Dæmonibus discere debuissent?* Huc pertinet quòd interdum fingant Dæmones suscitare hominem mortuum, vel spiritum eius adducere, qui loquatur in corpore assumpto, sicut Pythonissa, 1. Reg. 28. conabatur suscitare Samuelem. Dico, fingunt, quia ipsi animas suscitare non valēt, cum vt Sapiens ait: *Iustorum animæ in manu Dei sunt*: adeoque anima Samuelis nō per Pythonissam, sed per Deum suscitata est; vt ex ipso intelligeret Saül tristia, quæ commeruerat, sibi euentura. Tertiò facit id per imagines, seu statuas inanimes humanâ arte confectas, per realem & sensibilem sonum voci similem, sicut olim dabat responsa per idola, quæ oracula dicebantur. Quartò per pelues aquis repletas per rerum imagines ab ipso confictas, quarum vsus solet esse apud Assyrios, Chaldæos & Ægyptios, de quo scribit Iulius Sirenius lib. 9. de Fato. cap. 18. *Assyrios*, inquit, *legimus, & Chaldæos, & Aegyptios, pelues aquis replere solitos, in quibus argenteas laminas, lapidesque pretiosos certis characteribus signatos ponebant, & quibusdam verbis pronuntiatis Dæmon aduocabatur: qui vocem instar sibili ex aquis edebat responsa eorum, de quibus consulebatur, reddens. Ex nitidis etiam tersisque rebus alijs, in quibus quæsitarum rerum imagines à Diabolo conficta videbantur, antiquitus diuinabatur. Iulianum Imperatorem Apostatam hoc potissimum diuinandi genere vsum esse quidam tradiderunt. Consimile est, quod à quibusdam hodie, vel in crystallis, & vitreis vasis aquâ repletis, vel in summis digitorum vnguiculis exercetur: in quibus rerum, quæ inquiruntur, species & imagines à Diabolo conficta, à certis personis videntur.* Quorum verborum hęc est summa: Ægyptios & Assyrios homines superstitioni deditos, pelues, crystalla etiam, & vitrea vasa solere aquâ replere, deinde certis verbis Dæmonem inuocare, eumque instar sibili ex aquis edere responsum ad ea de quibus consulitur; ac subinde etiam in aquâ exprimere speciem vel imaginem hominis rei vel auctoris, de quo quæritur vti etiam in aliâ nitidâ tersâque materiâ. Quem morem Diuini hodierni temporis imitantur, cum auctorem furti suis incantationibus in aquâ repræsentant & exoculant. Et hoc modo agentes dicuntur à Theologis expressè diuinare, seu explicitè Dæmonis inuocatione futura prædicere, vel occulta pandere; quos promiscuū vulgus imitatur, cum plumbum liquefacit in aquâ, vt inde figura resultet, per quam dignoscat, quisnam rem ablatam sustulerit; cum speculum simili de causa inspicit, aut per cribri versionem repræsentat.

Eusebius. 1. Reg. 28. Iul. Siren.

7. Sed dices, inquiet populus, nos hæc non facimus ex pacto cum Dæmone, neque ex intentione hostem Dei colendi. Respondeo non excusari à mortali peccato, licet aliquis expressum cum Dæmone pactum non inierit, aut explicitè nō inuocet; quotiescumque enim homo seriò vtitur illis signis ad inquirendam veritatem occultam per illa significatam: vel vsurpat illa cum animo adhibendi fidem talibus signis, grauissimè peccat: & ratio est: quia nec Deus illa ordinauit, nec à naturâ habent illam vim, sed ex disciplinâ Dæmonis: vnde illa vsurpans fit socius Dæmoniorum cum iniuriâ Dei. Sicut enim ait Paulus 1. ad Corinth. 10. participantem mensæ Dæmoniorum, seu cibis tanquam idolo immolatis, socium fieri Dæmoniorum, sicut fiebant sacrificij Mosaici, & nunc fiunt, qui de Christi altari participant: ita etiam fit socius Dæmoniorum, qui his signis vtitur, vt dixi: Confirmat id D. Augustinus, qui lib. 2. de Doct. Christianâ hæc sic accommodat. *Quod autem*, inquit, *de idolis & de immolationibus, quæ honori eorum exhibentur, dixit Apostolus, hoc de omnibus imaginarijs signis sentiendum est, quæ vel ad cultum idolorum, vel ad crea-*

ad creaturam eiusque partes tanquam Dei colendas trahunt, vel ad remediorum aliarumque obseruationum curam pertinent: quæ non sunt diuinitus ad dilectionem Dei & proximi, tanquam publicè constituta, sed per priuatas appetitiones rerum temporalium, corda dissipant miserorum. In omnibus ergo istis doctrinis societas dæmonum formidanda atque vitanda est, qui nihil cum principe suo diabolo nisi reditum nostrum claudere atque obserare conantur. Nec refert quod quis dicat se non habere intentionem colendi Dœmonem, nam ex parte rei adoratę non est necessaria formalis intentio colendi, vt actio habeat malitiam talis cultus: sed satis est actionem de se pertinere ad cultum & honorem eius, cui exhibetur: eodem modo quo voluntaria effectio homicidij non excusatur, quod non adfuerit formalis intentio occidendi: ac proinde continet tacitam idololatriam, seu inuocationem Dœmonis, qui libenter signis hisce à se institutis se immiscet, vt habeatur sicut Deus. Vnde Origenes hom. 16. in Numer. hoc loco Apostoli ostendit huiusmodi consultationem Deo inuisam esse; *Non vult Deus*, inquit, *auditores nos fieri, & discipulos Dæmonij, neque vult, vt si quid volumus discere, discamus à dæmonibus, melius est enim ignorare, quam ab Dæmonibus discere.* Et quamuis hæc ratio Christiano homini debeat sufficere; addo tamen aliam quæ homines carnales solet magis mouere, quæ est, quòd omnis societas cum Dœmonibus sit noxia, & periculis plena: vt patet exemplo Ochoziæ 4. Reg. 1. qui ob id, quod spreto Deo ad Beelzebub Deum Accaron nuntios misisset consulendi gratiâ, an de infirmitate, quâ laborabat, moreretur, audire meruit per Eliam ab Angelo sic instructum: *Numquid non est Deus in Israel, vt eatis ad consulendum Deum Beelzebub Deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus: De lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Quibus postremis verbis insinuat Dominus infirmitatem non fuisse ad mortem, sed ob missionem prædictam, Deum morte illum puniturum.

Origenes. | 4. Reg. 1.

Audi quid memorabile, quod de Morouco Chilperici Regis Francorum filio refert Gregorius Turonens. hist. Franc. lib. 5. cap. 14. & 18. Is ambiens regnũ de patre & nouerca multa crimina dicebat. quadam verò die inuitauit ad cõuiuium dictum Gregor. Turonens. Episcopum, & petijt ab eo, vt aliquid sibi legeret ad animæ instructionem; forsan quòd tunc temporis id sic moris esset. Vnde aperiens librum Prouerb. incidit in illud capitis 30. v. 17. *Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant illum filij aquilæ.* Quem locum explicatum inuenies, Discursu in quartum Præceptum. Quid inde? Fastidiens illam instructionem consuluit Moroueus Pythonissam, quæ respondit Chilpericum eo anno moriturum, & Moroueum solum, exclusis fratribus, in omne eius regnum successurum. Narrauit hæc præfato Episcopo, qui eum corripuit, dicens à Deo hæc poscenda esse; Dœmonem esse mendacem. Ille verò credens id verum esse, adijt sepulcrum S. Martini, in eoque posuit tres libros, scilicet Psalterij, Regum, & Euangeliorum, & vigilans tota nocte petijt, vt S. Martinus ostenderet, quid sibi circa regnum eueniret: post triduana ieiunia, vigilias & orationes accedit ad tumulum, & reuoluit librum qui erat Regum; versus autem primus paginę quam reserauit, hic erat: *Pro eo quod reliquistis Dominum Deum vestrum, & ambulastis post Deos alienos, nec fecistis rectum ante conspectum eius, ideo tradidit vos Dominus Deus vester in manibus inimicorum vestrorum.* 2. Paral. 7. Psalterij autem versus hic est inuentus: *Veruntamen propter dolos posuisti eis mala, deiecisti eos dum alleuarentur. Quomodo facti sunt in desolationem? subitò defecerunt, perierunt propter iniquitates suas.* Psalm. 72. In euangelijs autem hoc est repertum. *Scitis quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur.* Sed his respon-

Gregor. Turon. | 2. Paral. 7. | Psal. 72.

responsionibus confusus, flens inde decessit; meritò, quia euentus comprobauit hęc verissima esse pręsagia. Nam eodem anno, nempe Christi 580. pressus ab hostibus, ne in eorum manus veniret, spontaneâ nece, ad modū Saulis Regis interijt, dum Fredegundis nouerca artibus suis hoc periculum ei texerat. Vnde rectè Origenes loc. citato. *Si expedit nobis scire futura, dicentur à Deo per Spiritum suum; si vero non dicuntur, neque denunciantur, scito, quia non nobis expedit futura praenoscere. Quod si idcirco non dicuntur nobis, quia ea scire nobis non expetit; qui diuersis artibus, & Daemonum inuocationibus gestiũt futura praenoscere, nihil aliud faciunt, nisi ea cupiunt scire, quae sibi scire non expedit.*

Origenes.

Omitto compertum esse, quod factiones & coniurationes, quas exercent Diuini circa consulentes, tantum horrorem ipsis incutiant, vt mallent potius subire omnium bonorum iacturam, quam denuo illis perplexitatibus angi, quas aliquando experti sunt.

8. Insuper est mortalis curiositas, & quidem alijs detestabilior. Pro quo nota varias esse curiositates homini nociuas, nempe cum quis mysteria fidei scrutatur animo illa perfectè capiendi, aut de illis iudicandi de qua dixit Sapiens: Ecclesi. 3. *Altiora te ne quaesieris & fortiora ne scrutatus fueris.* Et Prouerb. 25. *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* Secundò cum quis curiosè intuetur nudum foeminae corpus, per quod prouocatur ad libidinem: sicut Dauid aspiciens Bethzabee se lauantem. Tertiò cum quis cupit scire occulta alterius acta, vt illum turbet. De quo dicit Sapiens, Prou. 24. *Ne insidieris, & quaeras impietatem in domo iusti, vt vastes requiem eius*, plures alię similes recenseri possunt. Sed pessima haec est ratione modi, quia continet occultum pactum cum Daemone, & propriissime dicitur *Curiosa indagatio*, quia omnino superuacanea, plena superfluis curis, & vanis imaginationibus. De quibus. Act. 19. dicitur: *Multi ex ijs qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt eos coram omnibus.* Adhaec est deterior alijs: quia Daemon mendax est, innocentem saepe accusat, & seminat inter fratres discordias, quod maximè odit Deus, vt habetur Prouerb. 6. Denique si aliquando verum dicat, id facit vt facilius decipiat, vnde Deus Deuteron. 13. vetuit falsos Prophetas audiri etiamsi eueniant, quae praedixerunt, in verbis: *Si surrexerit in medio tui Prophetes, & praedixerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est, &c. Non audies verba Prophetae illius.* Et D. Paulus idcirco Act. 16. Pythonissam praesētem veritatem enuntiantem, nēpe quod Paulus & Timotheus essent serui Dei excelsi, quia nunciarent alijs viam salutis, compescuit dicens Daemoni per eam loquenti: *Praecipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea.*

Ecclesi. 3. Prou. 25. Prou. 24. Act. 19. Prou. 6. Deut. 13.

9. Sed dices Genes. 44 cap. legitur Ioseph vir sanctus in scypho augurari solitus. Sic enim ait Dispensator ipsius ad fratres Ioseph in quorum vnius sacco condiderat scyphū ad explorandum animos eorum, num inuiderent fratri Beniamin, in verbis: *Scyphus quem furati estis, ipse est in quo bibit Dominus meus, in quo augurari solet.*

Genes. 44.

Respondeo Dispensatorem Ioseph haec verba non protulisse, quasi Ioseph augur esset, qui ope Daemonis, scypho vino pleno futura praediceret, occulta panderet. Sciebat enim illum instinctu Spiritus sancti reuelasse Pharaoni somnium (quod Chaldaei instinctu Daemonis non poterant) sed qui naturali sagacitate propinando scyphum plenum hospitibus suis rimari poterat eorundem temperantiam, prudentiã & arcana cordis, *In vino enim est veritas*: & sic quis fratrum in Beniamin esset animus, an videlicet illi inuiderent, nec ne. Nec refert quod ipse fratres alloquens dixerit: *Cur sic agere voluistis, an ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia.* Id enim dixit sciens fratres suos falli, vt putarent ipsum vere & proprie esse augurem, idemque est, ac si dixisset: Cum

Pharao

Pharao totaque Ægyptus me vt augurem seu Prophetam & Diuinum agnoscat & colat, quomodo vos soli in hoc furto scyphi putastis me meamque diuinationem, seu coniectationem posse latere? atque adeo hic non venit disputandum an augur fuerit Dœmoniacus, qui ex spiritu Dei iam publice Propheta agnoscebatur, sed an & qualiter peccauerit hunc scyphum curando recondi in sacco Beniamin, & vtendo hâc strophâ: vt fratrum animos tentaret; quod non est huius loci.

10. Dices iterũ consulere Diuinos nõ videtur sẽper tantopere exaggerandum, quia fieri potest naturaliter illos quædam prædicere; iuxta enim quorundam veterum Philosophorum sententiam, anima creata ad imaginem Dei habet aliquid diuinitatis. Vnde istius particeps potest de futuris naturaliter prophetare, præsertim dum morti vicina est, aut melancholiâ, maniâ, vel furore poëtico exagitatur.

Respondeo huiusmodi Philosophorum sententiam esse erroneam, & repugnantem non tantum sacræ Scripturæ, sed etiam Philosophiæ. De fide enim est, diuinationem, siue prophetiam esse opus diuinum, & prænotionem futurorum contingentium esse dotem propriam Deo, adeoque esse notam & indicem diuinitatis. Nam vt ait Tertull. Apolog. 20. *Testimonium diuinitatis est veritas diuinationis.* S. Petrus Epist. 2. cap. 1. *Omnis*, inquit, *prophetia propriâ interpretatione non fit: non enim voluntate humanâ allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines.*

Tertull.

Ex quo sequitur primò, morti vicinos aut maniacos non posse alia præsagire, quam ea ad quæ ipsa bilis, & humor inclinat, vel quorum causas, & principia videt, vel quæ spiritus animales excitati, & feruidi naturaliter ei suggerunt, vt patet in Poëtis. Quocirca viri prudentes simili praxi vtuntur, cum carmen, orationem, aut concionem vel quid aliud componere volunt: curant enim, vt corpus & caput igne, somno, veste &c. incalescat, itaque calente cerebro sua componunt. Calor enim excitat spiritus animales, qui excitati multos & insignes conceptus suggerunt; sed deinde deferuescente calore ea relegunt, seligunt, iudicant, digerunt. Ingenium enim in calore consistit, iudicium in frigore. Vnde iuuenes ingenio, & inuentione pollent, senes iudicio & censura, vtpote qui habent sedatas passiones frigidosque affectus.

Secundò, certissimum esse Maniacos, quando absque diuina illustratione aliquid prædicunt, quod euenit, id contingere ex suggestione Diaboli, qui sæpe Maniacis sese immiscet, & suggerit ea quæ remota sunt, & hic incognita postmodum innotescunt, vel futura sunt naturaliter, licet hominum scientiam superent. Illa enim præscit ex probabili & subtili coniectura causarum præcedentium; quod hac coniectandi vi & sagacia mens eius acerrima præ homine prædita sit. Quod autem aliqui vicini morti dicantur prophetasse, vt de Iacob, Genes. 49. & Moyse Deuteron. 33. legitur, id factum est Deo inspirante. Et ratio est, quod anima morti vicina, separanda iam à sensibus, sit imago Dei naturalis; non autem supernaturalis.

Genes. 49. Deut. 33.

Ex quibus omnibus manifestum est consulentes Diuinos nulla ratione excusari posse.

Discursus

Discursus LXV.

An somnia liceat obseruare, & ex ijs futura præsagire?

Ioël. 2.



DOminus Deus Ioël. 2. post Prophetas iungit eos, qui somnia sõniabunt ex parte Dei; quod æmulatus videtur dæmon, qui etiam per somnia falsis Prophetis immissa populum solet seducere. Hinc post tractatum de prophetijs inquiram, vnde proueniant somnia, & quęnam obseruare liceat.

1. Ad huius quæsiti intelligẽtiam sciendum est primò, somnium esse iuxta Aristotelem lib. de somnijs visionem imaginariam, siue apprehẽsionem sensus interioris tempore somni, quando exteriores sopiti sunt. Secundò somnia esse triplicia; Naturalia, Diuina, & Dæmoniaca.

2. Porro naturalia, seu quæ à natura oriũtur, duplicia sunt. Quędam enim oriuntur ex diurna cogitatione, vel ardenti erga rem aliquam affectu. Hinc sicuti

Nauita de vẽtis, de bobus narrat arator, ita & de ijsdem somniat. Sunt enim somnia ex diurna cogitatione quasi in fidibus cessantis impulsus extremę quædam motiones, quæ ex impulsu resultant, eoque cessante adhuc aliquamdiu perdurant, vti ait Gregor. Nyssen. tract. de opific. hominis cap. 13. Quædam verò somnia naturalia oriuntur ex temperamento, & humore prædominante.

3. Quibus positis dico ex his licitum esse naturaliter diuinare id est coniectare de hominis temperamẽto, sanitate, effectu, & morbis imminentibus. Ratio est, quia effectus naturaliter indicant suam causam, & somnia hęc sunt effectus certi temperamenti, & certi humoris in corpore prædominantis. Res patet ex vsu Medicorum, qui ex qualitatibus somniorum coniectare solent de humoribus corporis, de prædominio, vel abundantia alicuius, & de qualitate temperamenti, vt constat ex Arist. lib. de diuin. per somnia, Hypocrate lib. 6. Epidemiorum, & lib. de insomnijs, & Galeno lib. de præsagio ex insomnijs, & lib. 3. de locis male affectis cap. 4. Hoc modo, si quis per somnium videat incendia, flaua bile infestari indicatur; si fimũ, caliginem, profundas tenebras, funera & alia id genus tristia, atra bile: si pluuiam, niues, grandines, glaciem; pituita vel frigido phlegmate: si somniet se volare, aut velocissime currere, signum est leuis & temperatæ complexionis. Si grauia onera ferre, aut in angustis locis, vbi vix se mouere queat, versari; signum est vim animalem multitudine humorum grauari. Huc pertinet somnium illud quo aliquod spectrum irruere & opprimere hominẽ videtur, quod Latini *Incubum* vocant, Flandri *de Maer*: hoc enim prouenit è crasso tetroque vapore in cerebrum irruẽte, & vias spirituum animalium intercipiente, vt docet Galenus. Itaque signum est crassi & melancholici sanguinis, & cruditatum, & esse periculum epilepsiæ, si quis crebro patiatur: & hoc genus est, quod vocatur phantasma. Huiusmodi verò temperamentum sæpe tam malignum est, vt vehementer malos effectus causet & acceleret, vt quando quis somniat aliquid sibi accidere, id reuera tunc illi accidat: vnde exemplum profert Plinius de P. Cornelio Ruffino, qui somnians se amittere visum, etiam vere amittebat. Sic qui som-

Arist. Hypoc. Galen. Plinius.

niarat crus sibi effectum lapideum, paulo post, præter opinionẽ omniũ, factus est illo crure paralyticus. Sic etiam Galenus eum, qui somniarat se in cisterna plena constitutũ, coniecit plethora sanguinis laborare.

Quamuis autem hæc coniectare liceat, tamen adeo tenuis est hæc coniectatio, vt vix possit probabilis cognitio causę propriæ ex tali effectu comparari, nisi adiunctis multis alijs circumstantijs, vel naturalibus, vel moralibus, vel supernaturalibus. Et ratio est, quia similia somnia possunt prouenire absque eo, quod quis talia præcogitarit: vel tam vicino tempore, vt verosimile sit, inde fuisse excitata in somnio phantasmata: vel etiam possunt prouenire ex aliqua præcedenti cogitatione, vel affectione, etiamsi corpus illis humoribus non abundet; vt qui flores, rosas, musicam &c. in vigilia desiderat, facile de his somniat, etiamsi non multo sanguine abundet: somniat tristia, si per occasionem tristis in vigilia fuit. Vltra hoc dæmon potest similia somnia procurare, absque similibus materialibus causis intrinsecis, aliunde applicando vapores, & alia corpora, quæ similia phãtasmata faciant vel moueant. Aut fieri id potest ex influentia cœli, quę per modum alterantis humores corporis, & ipsosmet spiritus animales, phantasmata alias generat. Vnde D. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 48. ostendit, difficilius illis esse credendum, ita enim ait: *Sed nimirum cum somnia tot rerum qualitatibus alternent, tanto eis difficilius credi debet, quanto, & ex quo impulsu veniant, facilius non elucet.* B. etiam Isidorus lib. 3. sentent. c. 6. *Facile credi somnijs nõ opus est, quia diuersis imaginationum qualitatibus oriuntur, & vnde veniant, raro considerantur.* Hæc de naturalibus.

Gregor.

Isidorus.

4. Diuina verò esse somnia, quæ ab ipso Deo, aut Angelis bonis causãtur, certum est ex omni lege. Nam ex lege naturæ habes, quod Iob. 33. cap. scriptum reliquit de Deo per somnium instruente, hæc verba; *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina, vt auertat hominem ab his, quæ fecit.* Quæ verba sũt Eliu ad Iob, quibus ei insinuat non debere amplius se excusare, quod ob peccata non puniatur; nec à Deo aliud responsum expectare, qui non dedignatur lectos obire dormientium, & diuina stertentibus inijcere somnia, dum omnia quieta sunt & mens pacata, quibus eos efficacius commonefaciat, & ad pœnitentiam reuocet à prauis operibus, quæ vel mente complexus est, vel de facto perpetrauit vt credo te expertum esse. In lege Moysis ex Numer. 12. vbi Dominus differentiam loquendi ad Moysen, & ordinarios Prophetas distinguens, dicit: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei: & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* In lege vero gratiæ illa etiam futura præscripsit Propheta Ioël cap. 2. quando de tempore Euangelij prędicebat: *Et erit post hæc, effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ. Senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt.* De quo Tertul. lib. de anima c. 47. dicit: *Adeo autem pollicito, scilicet & gratiam spiritus sãcti in omnem carnem, & sicut prophetaturos, ita & somniaturos seruos suos, & ancillas suas. Ea deputabuntur, quæ ipsi gratiæ comparabuntur, si qua honesta, sancta, prophetica, reuelatoria, ædificatoria.* Hæc autem somnia contingere solent, vel per internam locutionẽ, aut illustrationem; vt verosimile est, in somnio primum parentem Adam cognouisse leges matrimonij, de quibus plura videre licet, Genes. 2. De Iosepho constat Matth. 1. vbi illo cogitante de occulta dimissione B. Virginis, quam grauidam deprehendit, Angelus apparuit illi in somnis dicens: *Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium,*

Iob. 33.

Num. 12.

Ioël. 2.

Tertull.

Genes. 2.

Matt. 1.

filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Quin etiam tribus Magis, Matth. 2. vbi leguntur ad vitandam tyrannidem Herodis responsum accepisse *in somnijs ne rediret ad Herodem,* & per aliam viam reuersi in regionem suam.

Matth. 2.

5. Verũ sępius Deus siue Angelus immittere solebat somnia per apprehensiones visionum quarũdam, quæ erant veluti imagines quædam rerum per eas significatarum. Et hæ dupliciter differunt. Priores sunt veluti imagines propriæ, & formales rerum, quas significant. vt Genes. 31. vidit in somnijs Iacob, *ascendentes mares super fœminas varios & maculosos, & diuersorum colorum.* Quæ visio significabat idipsum, quod euenturum erat Iacob, vt oues parerent varios fœtus, quibus ipse ditaretur, sicut Angelus in eodem somno illi aperte declarauit. Simile videtur fuisse sõnium Pauli Act. 16. Quando noctu vidit hominem Macedonem deprecantem illum, vt in Macedoniam transiret. Simile etiam fuisse creditur somnium Theodosij, quando pręuidit coronam imperij sibi imponi à Meletio Antiochiæ Episcopo, vt refert Theod. lib. 5. hist. cap. 6. & 7.

Genes. 31. Act. 16. Theodor.

Posteriores vero sunt imagines in somnio ostensæ, quæ tantum metaphoricè seu per analogiam quãdam, & tropum significant: & hęc somnia sunt frequentissima in Scriptura, vt Genes. 28. de Iacob, qui scalam vidit in somno. & c. 37. de somnijs Ioseph manipulorum, & solis & lunę ac stellarum. & cap. 40. de somnio pincernæ & magistri pistorum Pharaonis, quorum alter somniauit se vuas exprimere, & dare poculum Pharaoni: alter verò vidit in somnio tria canistra, &c. Et c. 41. de somnijs Pharaonis de septem bobus, & de septem spicis. Horum interpretationem ipse Ioseph dedit. loc. cit. Et de statua Nabuchodonosoris, Daniel. 2. & de arbore magnâ, &c. Daniel. 4. & de quatuor ventis, & bestijs quatuor, eiusdem Daniel. 7. Simile quid fuit visio imaginaria de quâ Act. 10. cap. dicitur: *Vidit,* supple Petrus *cælum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initijs submitti de cælo in terram, plenum omnibus quadrupedibus, & serpentibus terræ, & volatilibus cæli: & audiuit vocem: Occide & manduca,* & tandem vas receptum est in cęlũ. quo significabatur Gentiles etiam assumendos in populum Dei, neque amplius vt immundos esse censendos; sicut tempore legis Mosaicæ. Tale etiam videtur fuisse somnium Polycarpi, quem refert Eusebius lib. 4. hist. cap. 14. triduo ante martyrium suum in somnijs vidisse ceruical flammâ accendi atque consumi. Huiusmodi autẽ sic posse fieri per naturalem virtutem Angeli, cõstat ex doctrinâ D. Thomę, 1. p. q. 111. ar. 3. & ex Augustino lib. 12. de Genes. ad lit. cap. 13. & 14.

Genes. 28. Ibid. 37. Ibid. 40. Ibid. 41. Daniel 2. Daniel 4. Ibid 7. Act. 10. Thomas. August.

6. Tertio verò loco sequũtur somnia dæmoniaca; qualia constat interdũ reperiri; quia Leuit. 19. Deus posuit hanc legem: *Non augurabimini nec obseruabitis somnia.* Ibi verò de diuinis non esse sermonem euidenter colligitur, quia augurijs iũgitur dæmoniacis. Deinde quia Ieremias ca. 29. scribit de falsis Prophetis: *Non vos seducant Prophetæ vestri, qui sunt in medio vestri, & Diuini vestri.* Et tum subiungit: *Et ne attendatis ad sõnia vestra, quæ vos somniatis,* quorum ibi videtur mentio fieri; quia dæmon vel sponte solet falsa immittere, sicut Deus vera, vel ex pacto expresse cũ ipso inito per peculiares cęremonias ab ipso quæsita, vel ante somnũ, vel in modo ipso dormiendi, vt sibi per somnia reuelentur occulta. Ad quas cæremonias spectant, quæ Tertull. lib. de anima scribit obseruari à quibusdam tanquam certiora somnia. Sic enim ait c. 48. *Certiora & clariora sõniari affirmãt sub extimis noctibus; quasi iam emergente animarũ vigore prodacto sopore. Ex tẽporibus autem anni, verno magis quieta est, quod dissoluat animas; & hyems quodãmodo obduret, & autũnus tẽtator alias valetudinum succis pomorum vinosissimis diluat. Itẽ ex ipsius quietis situ, si neque resupina, neque dextero latere decumbat, neque cõresupinatis internis, quasi*

Leuit. 19. Ierem. 29.

refusis loculis statio sensuum fluitet, aut cõpressu iecoris angina sit mentis. Sed hæc ingeniosè æstimari, potius quàm constanter probari putem, etsi Plato est qui ea æstimauit, & fortaße an casu procedant. Alioquin ex arbitrio erant somnia, si dirigi poterunt. Nam quod & de cibis distinguendis vel derogandis, nunc præsumptio, nunc superstitio disciplinam somnijs præscribit, examinanda est superstitio, vt cum apud oracula incubaturis ieiunium indicitur, vt castimoniam inducat: præsumptio, vt cùm Pythagorici ob hanc quoque speciem famam respuunt, onerosum & inflatùm pabulum. Hæc verò cum fiunt ab illis, qui pactum ipsum inierunt, dicitur expressum; si verò ab alijs, qui eorum mores & imitantur, vocatur tacitum.

7. His positis, quæritur, an sit vllatenus credendum somnijs, ijsque actiones suas liceat conformare, siue sint à Deo, siue à dæmone. Ratio est, quia ex parte Dei videtur magna difficultas illa discernendi. Primò,
Genes. 37. quia Iacob, Genes. 37. cum Ioseph patri & fratribus retulisset somnia de manipulis in agro, Sole, & Luna, & stellis ipsum adorantibus (quæ repræsentabant ipsum Ioseph, à patre & fratribus colendum, vt Superiorem) increpauit primò filium, & postea rem tacitus considerabat, recogitans scilicet an à Deo possent esse, necne. Secundò Deus apud Ecclesiasticum videtur dicere, expresse debere constare somnia esse à Deo, antequam illis fides adhibeatur, in verbis: *Nisi ab altissimo immissa fuerit visitatio, ne dederis in illis* (supple somnijs) *cor tuum.* Ex parte verò Diaboli magna apparet difficultas, primò quòd solet se transfigurare in Angelum lucis, teste Apost. 2. ad Cor. 11.
2. Cor. 11. & sic bonos & honestos actus immittere vt efficacius decipiat, & quidẽ de futuris (quæ illi ex causis naturalibus ipsi perspectis possunt esse nota) quędam prædicere, atque ita de rebus vtilibus, vel ad humanam vitam, vel ad humanum malum imminens somnia immittere, vt sub hoc prætextu faciliùs falsa immittendo in errorem inducat. Vnde Salomon dicto loco dicit: *Multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.* Vnde constat ex vtraque parte non deesse difficultates.

7. Vt autem his faciam satis, dico primò, somnijs credere licet, quando certò constat illa esse à Deo, vel ab Angelis. Sic crediderunt Ioseph dicto loco, Gedeon Iudic. 7. & alij, Iudic. 7.
Deo videlicet, illos illuminante per specialem gratiam Spiritus sancti. Nam alioquin illa scire non poterãt. quandoquidem cõtinebant res non ita citò futuras; & quæ ex naturali ratione indagari nõ poterant. Et de hâc internâ illustratione mẽtis, quâ certi reddamur illa somnia esse ex Deo, sic scribit Greg. lib. 4. dialog. cap. 48. *Sancti viri, inter illusiones, atque reuelationes ipsas visionum voces, & imagines quodam intimo sapore discernunt, vt sciant quid à bono spiritu percipiãt, & quid ab illusore patiantur. Nam si erga hæc mens hominis cauta non esset, per deceptorem spiritũ multis se vanitatibus immergeret, qui nõnunquam solet multa vera prædicere, vt ad extremum valeat animum ex vna falsitate laqueare.* Atque adeo sequitur hominem licitè illis cooperari. immo sæpe ad hoc teneri.

8. Dico secundò, si alicui contingat somnium sine instructione Spiritus sancti, & probabile iudicium non habeat illud esse à Deo; nõ licet ei credere, multo minus cooperari: Nam temerè credẽs esse à Deo, & iuxta illa operans non excusatur per se loquendo à graui culpâ: quia euidẽti periculo demoniacæ deceptionis se exponit. Et tanto grauius peccabit quis, si aliàs expertus est in similibus casibus se esse deceptum. Vnde non refert quòd tenuiter sibi persuadeat quis somniũ esse à Deo; eò quòd aliquid veritatis supponat; sed necesse est tantum rationis habeat, vt probabilem sibi sententiam formare possit: ait enim auctor operis imperfecti, hom. 19. in Matt. *Concessum est diabolo interdum veritatem dicere, vt mendaciũ suum rarâ veritate commendet. Si autem nũquam diceret verum, nec ad tentationẽ poterat proficere seductio eius.* Vnde immediatè antè dicit Diuinatores sic discerni, quòd diabolus inter-

interdum verum dicat; sāctus Spiritus nunquam mentiatur, insinuans cautè in his ambulandum. Eapropter monet etiam Hieremias cap. 29. Iudæos in Babylonem traductos, vt se tanquam Ciues ibidem gerant, quod diu illic sint commoraturi; nec à Prophetis se seduci patiantur, neque somnijs suis immissis, vt mox dixi, aliquid ponderis inesse putent, in verbis: *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel omni transmigrationi, quam transtulit te Ierusalem in Babylonē. Aedificate domos, & habitate, & plantate hortos, & comedite fructus eorum. Accepite vxores, & generate filios, & filias: & date filijs vestris vxores, & filias vestras date viris, & pariant filios & filias: & multiplicamini ibi, & nolite esse pauci numero. Et quærite pacem ciuitatis, ad quam transmigrare vos feci: & orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit pax vobis: hæc enim dicit Dominus exercituū Deus Israel: Non vos seducant Prophetæ vestri, qui sunt in medio vestrum, & diuini vestri: & ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis, quia falsò ipsi prophetant vobis in nomine meo, & non misi eos, dicit Dominus.* Id est, quia diuturnum habituri estis in Babyloniâ domicilium, ita vt liceat domos in longum habitationis tempus ædificare, hortos plātare, quorum fructibus gaudere possitis, vxores ducere, & ex illis proles suscipere: agetis in eâ non tanquam inquilini, aut hospites, sed ciues futuri, & orate pro ciuitatis commodis, ac pace tanquam ciues, qui de patriæ suæ commodis laborāt. Quia pax illius, atque commoditas ad vos quasi ciues & filios pertinebit. Ita visum est Domino Deo Israël. Quare si quid aliud Prophetæ falsi qui sunt inter vos, aut qui aliâ quâuis ratione diuinant, persuadere volent, cauete ne vos in fraudē & errorem inducant. Quòd si qua species vobis per quietē occurrat, videte ne quam ex illis sumatis coniecturam, aut in somnijs vestris putetis aliquod inesse pondus: quia falsa prophetant vobis, & sua commenta: licet enim diuinum Numen suis sermonibus tanquā propheticis præfigūnt, ego *non misi eos*, sed se in illud munus obtrudunt nō vocati. Ex his itaque liquet sæpe graue peccatum subesse huiusmodi somnijs fidem adhibere, aut se conformare: quia Diabolus illa sæpe solet immittere, vt à Dei beneplacito homines resiliant.

Hier. 29.

9. Nihilominus addo posse fieri, vt aliquando excusetur hoc peccatum à grauitate mortali: nimirum quando homo non omnino credit rem in somnio ostensam esse veram aut futuram, & nihilominus aliquid operatur ratione talis somnij, quod aliàs malum non est, nec contra præcepta Domini, vel Ecclesiæ (& ita non potest obesse, potest autem prodesse) vt euitet aliquod malum, quod somnium minatur, vel quid simile. Tunc enim licet sit aliqua leuitas, vel simplicitas, aut nimia timiditas, non apparet grauis malitia, quia (si quis rectè consideret) ille nō tam credit illud esse à Deo, vel esse verum, quàm posse esse; in quo multo minus erroris est, licet multum sit vanitatis.

10. Quæres quandoquidem Deus per Ioëlem cap. 2. dicat in nouo Testamento fore homines, qui somnia somniabunt, nempe prophetica, seu à Deo immissa, quomodo dignoscam ea à falsorum Prophetarum somnijs. *Ioël. 2.*

Respōdeo duo hic in considerationem venire. Primò, personas ipsas somniantes; secundò rem somniatam. Ac primò ex parte somniantium illos censeri veros Prophetas, per quos Deus tanquam per instrumenta populo prædicit futura, aut de præteritis informat ad publicam vtilitatem: quales fuerunt Ozeas, Ioël, Amos, Isaias, Hieremias, Ezechiel, alij. Non sufficit enim ad propriam instructionē percipere à Deo somniū, vt quis videlicet sit propheta Dei; nā Pharao, Genes. 41. habuit sōnia de futuris; nec tamen fuit propheta: Abimelech, Genes. 20. ne noceret vxori Abrahæ, quā rapuerat Labā, Genes. 31. ne durius ageret cū Iacob, Nabuchodonosor Daniel. 2. vt Deum recognosceret, & vitam *Genes. 41.*

tam in melius commutaret: deinde necesse est veris Prophetis vt valeāt obscura somnia interpretari, teste Augustino lib. 12. de Genesi ad litteram cap. 9. vbi affirmat hoc ipsum exemplo Ioseph & Danielis. Accipe eius verba: *Quibus signa per aliquas rerum corporalium similitudines demonstrabantur in spiritu, nisi accessisset mentis officium, vt etiam intelligerentur, nondum erant Prophetæ; magisque Propheta erat, qui interpretabatur, quod alius vidisset: itaque magis Ioseph Propheta, qui intellexit quid significarent septem spicæ, & septem boues, Genes. 41. quàm Pharao, qui vidit eas in somnis. Illius enim spiritus informatus est vt videret, huius mens illuminata est vt intelligeret. Ac per hoc in illo erat lingua, in isto prophetia: quia in illo rerum imaginatio, in isto imaginationum interpretatio. Minus ergo Propheta, qui rerum quæ significantur sola ipsa signa in spiritu per rerum corporalium imagines videt; & magis Propheta, qui solo earum intellectu præditus est: sed & maximè Propheta, qui vtroque præcellit, vt & videat in spiritu corporalium rerum significatiuas similitudines, & eas viuacitate mentis intelligat; sicut Danielis excellentia tentata & probata, qui Regi & somnium, quod viderat, dixit, & quid significaret, aperuit: & ipsa quippe imagines corporales in spiritu eius expressæ sunt, & earum intellectus reuelatus in mente.* Symbola ergo visa, sunt quasi materia prophetiæ; forma est earundem interpretatio, & per ea futurorum prænotio & prædictio; in hac enim prophetiæ ratio & natura consistit.

Augu∫t.

Ex parte verò rei considerandum est an somnium, quod contingit, sit turpe, inhonestum, vel ad malum inducens, fouens vanitatem aut curiositatem. Hinc enim colligi quòd sit à Dœmone docet Tertull. lib. de anima, cap. 47. his verbis: *Definimus enim à dæmoniis plurimùm incuti somnia, etsi interdum vera & gratiosa, sed de qua industria diximus affectantia, atque captantia; quanto magis vana, & frustratoria, & turbida, & ludibriosa, & immunda. Nec mirum si eorum sunt imagines, quorum & res.* Si verò ad bonum inducat probabile est esse à Deo; dico, probabile, quia subinde vera suggerit Dœmon, vt cautiùs fallat. Vnde in quouis somnio nihil securius est, quàm illud communicare viris discretionem spirituum habentibus, ne temere fides illis adhibeatur.

Tertull.

Discursus LXVI.

An ex vocibus hominum aut etiam animalium futura præsagire liceat?

Cic. lib. 1. de Diuin.

Icero inquit, *nō solum Deorum voces Pythagorei obseruauerunt, sed etiam hominum, quæ vocāt Omina.* Sic etiam solent alij Gentiles ex voce & garritu auium, futurorum prædictionem accipere. Verùm quia in Scripturis sacris Ominum quorundam illustria reperiuntur exempla, Christiani quoque nōnulli ex voce animalium, quid præsagiūt: hinc quæram quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam notandum est voces humanas nō posse esse certa futurarum rerum signa: quia naturaliter neque homo potest futura contingentia, quæ planè sunt indeterminata, vllo sensu percipere; multo minus cætera animalia. Et hinc Prophetæ aliquid supernaturaliter dicentes suis oraculis præfigebant hunc titulum: *Verbum Domini. Hæc dicit Dominus*, aut similē. Porrò Scriptura sacra refert Genes. 24. quòd Eliezer seruus Abrahæ adiuratus ab ipso hero vt quæreret vxorem filio suo Isaac de cognatione suâ, & non ex Chananæis, sibi præscripserit aliqua verba; quæ si intelligeret ex filiâ quâpiam cum cæteris aquatum veniente, illam crederet destinatam vxorem filio Abrahæ, videlicet hæc, quę petenti potum diceret: *Bibe, quin & camelis tuis dabo potum.*

Genes. 24.

Iud. 7. *tum.* Et Iud 7. Gedeon destinatus ad vincendos Madianitas, ex interpretatione quâdam somnij credidit Madianitas à Domino traditos in manus Israëlitarum. Quin etiam Ionathas. 1. Reg. 14. dixit, signum fore victoriæ contra Philistinos, si ex illis intelligeret hæc verba: *Ascendite ad nos.* 3. quoque Reg. 20. Rex Syriæ Benadad, cùm ad summas angustias esset redactus, & iam de vitâ ipsâ desperaret, à suis consilium accepit, vt propter clementiã Regum Israël aliqui seruili indumento Regem Achab adirent, datoque animi pœnitentis indicio, ac restibus capiti impositis, quasi mortem commeriti animum eius tentarent, & explorarent, an ab illo veniam impetrare possent; an vitam Regi penè exanimato condonaret. quod hoc modo aggressi sunt: *Seruus tuus Benadad dicit, viuat, oro te, anima mea*, quasi dicerent, Rex Benadad paulò ante supra modum inflatus, vsque adeò subitâ rerum inclinatione se demittit, vt seruum se offerat, vitę tantùm possessione contentus. Super quæ respondit Achab: *Si adhuc viuit, frater meus est.* quod verbum viri acceperunt pro omine seu certitudine, vitam illi esse concessam. Hinc quęro ex quo capite liceat aliquãdo ex verbis Omen accipere? & quando non liceat?

1. Reg. 14.

3. Reg. 20.

2. Respondeo & dico primò tunc licere ex verbis hominum pręsagire, quando certum est, aut probabile, eiusmodi verba prouenire à Deo, vel ab eius prouidentiâ singulari dirigi ad aliquid præsagiendum de euentibus liberis. Talia fuerunt verba quæ Eliezer sibi proposuit. Dixerat enim illi Abraham, quod Deus mitteret Angelum suum coram ipso, ex quo petijt signum à Deo, quo posset securus esse de hâc Angelicâ directione, vti affirmat Liranus in eum locum his verbis: *Seruus ille non quæsiuit signum per modum augurij aut diuinationis, quod est illicitum: sed præmissâ oratione petiuit à Domino signum, quo cognosceret quòd Angelus Domini direxisset viam suam, sicut ei prædixerat Dominus suus Abraham; & ideò non peccauit petendo signum hoc modo.* Secundò fuit petitio illa conueniens moribus Abrahę, de quâ Theodoretus quęst. 73. in Genes. *Non*, inquit, *seruus ille Abraham dubitanter protulit orationem illam, vt quidam nimium simplices existimant, sed cùm Deum illius coniugij auctorem esse nouisset, signa quædam demonstrari sibi postulabat, per quæ scire posset, an coniugium Deo placeret: signum autem erat, non pulcritudo corporis, nec aliud quippiam eorũ, quæ splendida putantur, sed hospitalitas & affabilitas, atque animi mansuetudo. Cum enim tam insignibus earum virtutum ornamentis cumulatus esset Dominus eius Abraham, volebat & sponsam congruere moribus soceri, ne contentiones & dissidia parerent mores contrarij. Quòd autem quæ locutus est seruus, non fuerint cõiectitia, sed fidei & religionis argumenta, primum demonstrat accurata compositio orationis, deinde expectatio voluntatis diuinæ, id enim docet Scriptura, cum ait: Vir autem obseruabat illam, & tacebat, vt sciret an Deus direxißet viam suam, an non.* Sic Theodoretus. Tertiò Thomas Angelicus addit Eliezer rectè hoc signum à Deo petijsse, *quia* inquit *rationabiliter cogitabat, iudicium suum & experientiam non sufficere, ad probandum & eligendum de terrâ & gente incognitâ puellam plane idoneam & congruentem coniugio Isaac, idcircò aliquam ostensionem diuini præsagij & indicij expetebat à Deo, per quam sua electio dirigeretur.* Et paulò post ex euentu illud confirmat, dum ait: *Præterea, ex euentu patuit, quod coniecturalis illa serui Abrahæ cogitatio, fuerat mota & ordinata à Deo; quia mox Rebecca venit, & descendit ad fontem; & omnia, prout ille seruus præcogitauerat & proposuerat expleuit.* Adhæc certum est, quando pia necessitas ad hoc vrget, licere à Deo signum petere, quẽadmodum fecit Abraham, Genes. 15.

Liranus.

Theodor.

Thom. Angel.

Genes. 15.

Simile est de Gedeone, de quo Iud. 7. cap. habet historia, quòd iussus fuerit à Deo descendere in castra, quòdque dum ibi venisset, aliquis narrauerit somnium proximo suo, his verbis: *Vidi somnium, & videbatur mihi quasi subcinericius panis*

Iudic. 7.

ex hordeo volui, & in castra Madian descēdere: cumque venisset ad tabernaculum, percussit illud atque subuertit, & terræ funditus coæquauit. Respondit is, cui loquebatur, non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis filij Ioas viri Israëlitæ: tradidit enim Dominus in manus eius Madian, & omnia castra eius. Cumque audisset Gedeon somnium, & interpretationem eius, adorauit: & reuersus est ad castra Israël, & ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian. Ex hoc autem rectè illum ominatum esse patet primò, quia Deus illum destinarat ad percutiendum Madianitas, & sic Israëlitas liberandū, misso ad hoc Angelo qui asseueraret Dominum esse cum illo, & varijs signis id confirmaret, cum paucis insuper militibus voluit certamen aggredi, vt sciret victoriam Dei ope obtinendam; tandem mittit eum ad castra, vt audiat voces inimicorum, ex quibus magis confortetur, in verbis: *Cum audieris quid loquātur, tunc confortabuntur manus tuæ, & securior ad hostium castra descendes.* Verba, quæ audiuit, erant quæ superius retuli, & hæc innuebant inopiam, contemptum, & miseriam, qua hactenus à Madianitis Israëlitæ miserrimè vexati fuerant, iam ad illos Madianitas transmigrare, & tabernacula in castris hostium deijcienda disturbanda ac prosternenda, idque mediante gladio Gedeonis.

1. Reg. 14. Tale quid etiam est, quod verba Ionathæ, 1. Reg. 14. Deo dirigente significabant. Is enim diuino afflatus spiritu rem eo tempore tentauit arduam, vno scilicet associatus armigero per præruptos scopulos, & inaccessas semitas tendens in castra Philistinorum, quia non erat Domino *difficile saluare vel in multis vel in paucis.* Sumebat verò primò ex verbis inimicorum auspicium, hoc modo dicens armigero: *Ecce nos transimus ad viros istos. Cumque apparuerimus eis, si taliter locuti fuerint ad nos: Manete donec veniamus ad vos: stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. Si autem dixerint, Ascendite ad nos: ascendamus; quia tradidit eos Dominus in manibus nostris. Hoc erit nobis signum.* Quæ verba etiam exspectauit, tanquam certum signum. Cum enim non omnino haberet exploratum, an motus ille strenuus, & alacer esset à Deo, vel à iuuenili spiritu, qui non semper ratione; sed plerumque temeritate, & laudis studio impotens abripitur; signum statuit, quo & diuinum agnoscat impulsum, & bene de audaci consilio sperare possit. Illud autem siue omen, siue signum ex hostium voce prima petendum esse statuit. Si enim hostes ipsos aduocarent, siue verè, siue simulatè, & ironicè, nihil esse timendum; quia hoc auctore Deo fit: sin autem ab vlteriore progressu prohiberent, dicentes vt maneant, & exspectent, aut quid simile, abstinendum esse â congressu, & via. Idque creditur statuisse signum more Hebræorum, quia videbat similia facta ab illius populi Principibus, & Deum illorum votis & postulatis annuisse, nempe Eliezer nomine Abrahæ, & Gedeonis.

Huiusmodi etiā fuit Omen Clodouæi, qui castra mouens contra Gothos, munera misit Turonā ad S. Martinum, legatis mādans: *Ingressuri templum, obseruate quæ futuri euentus, ex bello quod paramus, coniecturam possint præbere.* Parent illi, & venientes ad templum, audiunt Monachos illud Dauidicum psallentes: *Præcinxisti me virtute ad bellum*, captatoque omine felici ad regem redeunt, omen nuntiant; quod euentus declarauit fuisse non vanum, sed diuinum. Testis est Fulgos. lib. 1. cap. 3. Fulgos.

Similia plura verba in Ecclesiasticis historijs leguntur ab aliquibus prolata, quæ valde probabiliter instinctu Spiritus sancti videntur pronunciata. Duo dumtaxat addam; Vnum, quod contigit D. Ambrosio, qui iussu Probi Præfecti missus Mediolanum, vt populum de Episcopo deligendo dissidētem sedaret; multa in frequenti Ecclesia de quiete & tranquillitate præclare dixit: Vnde vox puerie media turba derepente audita est Ambrosium, Episcopum exclamantis, quam vniuersus populus

pulus vt faustissimum Episcopatus eius omen magno assensu & gaudio accepit, credens quod ille, qui ex ore infantium & lactentium perfecit laudem, vt habet Psalmus, 8. ita voluerit pręsens illic dissidium Deus per vocem innocentis pueri dirimere.

Alterum est D. Augustini, qui mirum quid sibi contigisse scribit, lib. 8. Confess. cap. 8. Ambigebat vtique honestè viuere, quemadmodum Christiana disciplina præscribit. Sed tum antiquis vitijs, tum præsentium ardore cupiditatum, & consuetarum voluptatum tintillatione vehementer retrahebatur. Tali vero ægritudine animi miserè conflictanti inquit accidisse, quod sequitur: *Et ecce audio vocem de vicina domo, cum cantu dicentis, & crebro repetentis quasi pueri, an puellæ, nescio: Tolle, lege: Statimque mutato vultu intentissimus cogitare cœpi, vtrumnam solerent pueri in aliquo genere ludendi, cantare tale aliquid: nec occurrebat omnino, audiuisse me vspiam. Repressoque impetu lachrymarum, surrexi; nihil aliud interpretans diuinitus mihi iuberi, nisi vt aperirem codicem, & legerem quod primum caput inuenissem. Audieram enim de Antonio, quod ex Euangelica lectione, cui forte superuenerat admonitus fuerit; tanquam sibi diceretur, quod legebatur: Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me: tali oraculo ad te esse conuersum. Itaque concitus rediј ad eum locũ, vbi sedebat Alipius: ibi enim posueram codicem Apostoli, cum inde surrexerã: arripui, aperui, & legi in silentio capitulum, quo primum coniecti sunt oculi mei. Erant autem hæc verba: Non in comessationibus, & ebrietatibus; non in cubiculis & impudicitijs, non in cõtentione & æmulatione: sed induite Dominum Iesum Christum, & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentijs. Nec vltra volui legere, nec opus erat: statim quippe cum fine huiusce sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt.* Hæc August.

Aug.

3. Dico secundò, si expresse non constet, vel probabiliter huiusmodi verba ex peculiari Dei prouidentia ad certum euentum liberum præsignandum destinari, superstitionem esse ex talibus diuinationem sumere: qualia fuerunt quę 3. Reg. 20. pro omine acceperunt viri à Benadad Rege Syriæ missi ex responso Achab. *Si adhuc viuit, frater meus est.* Idque ob duas rationes, quarum prima est, quod non potuit ex instinctu Dei hæc dixisse, quandoquidem peccabat grauiter Benadad indulgendo. Hinc enim venit ad illum Propheta deformatus ac sanguinolentus, & indicauit Regi prius parabolicè, postea expresse se dignum morte esse, quod virum dignum morte dimisisset de manu sua, seu molliter & ineptè Regi Benadad pepercisset. Altera ratio est, quod verba, *Si adhuc viuit, frater meus est*, nihil concludant, quandoquidem Regibus vsitatum sit alios Reges cognatos appellare; quales cognati subinde vocantur fratres, vt cognati Christi. Deinde non solum qui amici sunt, aut sociali fœdere iuncti, fratres dicuntur, vt Hyram appellans Salomonem fratrem, 3. Reg. 9. v. 13. Et Romani appellantes Iudæos fratres Machab. 14. v. 41. Sed & inimici, vt patet Matth. 18. ex verbis Christi. *Si peccauerit in te frater tuus.*

3. Reg. 20.

3. Reg. 9.

Machab. 14.

Matt. 18.

4. Similiter iudicandum est de exemplis Gentilium qui è verbis nullam connexionem habentibus cum re, quam ominantur, futura conijciunt: quale est illud quod L. Paulo bellum cum Rege Perse gesturo obtigit. Domum è Curiâ regresso, & filiam suam tristiculam animaduertenti, & quid tristis esset, roganti, illa respondit perijsse Persem. Erat autem mortua catella, quam illa habuerat in delitijs eo nomine. Tum ille arctius puellam cõplexus: Accipio, inquit, omen, mea filia. Qua voce ad gerendum bellum vehementer animatus est, non dubiam spem futuræ victoriæ ac triumphi animo præsumens. Quid, quæso, insulsius, cum nulla connexio sit naturalis, nec verba à Deo ad eiusmodi pro signo fuerint ordinata?

Examinat

Ioan. Pic. Mirand.

Examinat hoc omen Ioan. Picus Mirand. lib. 6. de prænotione rerum, cap 5. dicens: *Illud dissoluas, quo pacto ita mors catellæ signum potuit esse pugnæ felicis vt ex mortua scilicet Persa deuincendus Persa portenderetur? quid catella cum homine? quid Rex cum bestia? quid mors cum vita, cum victoria conueniunt?* Deinde formans sibi obiectionem, subiungit: *At forte non illud, inquies, te intelligere, sed in diuinam pariter prouidentiam vtrumque te referre quibuscumque id secundis & intermedijs causis perpetretur.* Et respondet: *Si hoc sentis, non perperam sentis: nulla tamen ob id accessio facta est, quibus tua confirmentur: infirmantur autem magis, cùm diuina prouidentia non illorum solum, sed omnium quæ fuêre, quæ sunt, quæ erunt, causa pariter est: peculiaris autem & proprij nil dicis. Namque hoc ipsum ad illud significandum ordinasse Deum, probari à te necessarium esset, ni secundam aliquam causam inueheres, cui hoc esset muneris delegatum: tantum abest, vt hoc possis, vt etiam si Sacras litteras perlegeris, vbique vanas istiusmodi superstitiones damnatas intelligas: nec mihi opponas Gedeona, nec seruum Abrahæ, quorum alter audito inimici somnio, se ad bellum accinxit, alter Abrahæ nurum futuram intellexit: hic enim orauerat potiri, atque sibi futuram Isaci vxorem verbis indicari: quam vt quæreret, domini eius Abrahami mandata & tradita iuramenta perurgebant, eaque verba veluti ad sui instructionem à diuina prouidentia præordinata præsumpsit. Ille vero iam de ineundo prælio instructus ab Angelo, qui & victoriam amplissimam spoponderat inimicis, aduersa quæ sibi videbantur somnia recitantibus ad eos aggrediendos animatus est, ad quod prius fuerat diuinitus edoctus, vt in castra pergeret ad eorum obseruanda mandata, quo securior ad inuadendos hostes descenderet: potuere enim huiusmodi verba à Deo, cui omnia subsunt, & iustissimè quidem ordinari, vt per ea instruerentur, qui sibi non iniustum exibent famulatum, quem Dæmon iniquus conatur peruertere: cū enim portenduntur vlterius verba, quam exigat, aut naturæ aut diuinæ prouidentiæ ordo: superstitiosa prodeunt omnia, cum alias, tum nomine diuinationis & augurij nobis interdicta: quæ cum alijs etiam à natura exploduntur, cū nec effectus (vti diximus) nec causa esse possint futurorum, nec simul ab eadem naturali causa cum futuris produci, quorum nullo pacto signa, indiciaue sunt; aut iure meritoque haberi possunt.* Adeoque certum est, quod his fidem adhibentes, ijsque se conformātes, mortalis peccati reos se constituant. Primò quia ex talibus diuinans, se subijcit disciplinæ Diaboli, vtens regulis ab ipso traditis, tacitumque cum illo commercium habet. Deinde attribuit illi futurorum liberorum prænotionem, quæ Deo soli est propria. Tertio, tacitè illum inuocat, vt procuret quod prædictum est.

5. Verum quæres, an ex animalium vocibus non liceat præsagire futura contingentia. Frequens enim est inter populares credere aliquem moriturum ex morbo quo infirmatur, supra cuius domum coruus crocitat, aut circa cuius ędes canes multum vlulant: Inter rusticos vero credere milites aduenturos, quando picæ garriunt.

Respondeo istis signis fidem adhibere, & iuxta ea operari, omnino esse superstitiosum. Ratio est, quod ex vocibus animalium non liceat aliud præsagire, quam ea quæ naturaliter inde sequuntur vt mutationem auræ, tempestatis, pluuias, serenitatem: quia corpuscula auium facilius afficiuntur, & exterius vlulatu vel voce, vel alio sono id significant: vti rectè animaduertit Picus Mirand. lib. 6. de rerum pręnotione cap. 4. dicens: *Signa hæc & gestus volatusque auium, causas earum rerum esse non posse, quas præsentire augures auspicesque contendunt, manifestum opinor: sed nec effectus dicturos eos puto, quod si non causas, sed earum causarum effectus esse dicant; à quibus & futuri etiam euentus deriuantur, nihil magis ipsi colligerent, vt suam hinc superstitionem fulcire possent: Nam etsi quoquo modo afficerentur, impellerenturque ab eisdem causis, quæ etiamnum futura prædicerent; affici tamen inde alio nequirent modo, quam qui suæ naturæ conueniat: cuius est proprium ad vnum* Picus Mirand.

phantasia

phantasia impellente duci, liberoque in alterutram partem iudicio carere: eo enim naturæ impelluntur instinctu, vnde sibi vita commoda & necessaria procurent: has autem causas, quæ & futura pariant, & illa etiam afficiant, quas rogo alias quam naturales assignabunt, cælum, scilicet, & ambientem aëra: Vnde & frigus, & calor, & venti, & tempestates, & serenitas proueniunt. Mitto diuinam causam, quæ omnibus imperat: qua factum vt coruus Heliam pauerit, vt cate Ionam vomuerit. Et immediatè post sic infert: *Quapropter cum à cælo, ambiente aëre, istiusmodi animalia afficiuntur, signa esse possunt earum rerum quæ ab aëre & cælo dependent, imbrium, scilicet, ventorum frigoris, calorisque futuri, à quibus cum affecta fuerint, garritus edunt, tutaque ob id loca prætervolantes petunt, nobisque ea (quasi dixerim) aduentantia incommoda prænuntiant.* Sic videmus anates circa mutationem aëris maiores voces edere, Galinas instante pluuia sub tectum se recipere: sic aues quædam tempus vernum nobis prænuntiant suo aduentu, vt hirundines, luciniç, ciconiæ, turtures, & si quæ huiusmodi; cum eiusmodi auium peregrinatio natura duce fiat, quę terminatur ad vnum certumque tempus ob id obseruant. Ex quo Hieremias capite 8. vtitur quarundem auium exemplis, quæ stato tempore nouerũt redire ad loca quæ deseruerant, ad efficacius commonendum Iudæos reuerti à sceleribus & præsertim ab Idololatria ad Deum verum, his verbis: *Miluus in cælo cognouit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui, populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* id est, Hæc animalia ex cæli temperatione & qualitate nouerũt tempus vernum blandum, & commodum ad redeundum, nidificandum, oua & pullos generandum; sed vos ô Iudæi non cognoscitis tempus, id est opportunitatem, pœnitendi, Deum conciliandi, serendi bona opera, quibus æternam gloriam meratis. Rursum, non cognoscitis, puta hyemem asperam iræ & vindictæ Dei vobis imminentis, vt eam instar milui & ciconiæ fugiatis. Adeoque imprudentiores estis auibus, quæ hyemem effugere solent, & verno tempore, dum calor redit deserta loca repetere: nec nouistis ad misericordiam Dei refugere, & medicinam quærere medendis peccatorum vulneribus; quod aues optime norunt. Hinc Tertull. lib. de Pœnitent. circa finem sic Philosophatur: *Cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi? muta quidem animæ & irrationales medicinas sibi diuinitus attributas in tempore agnoscunt. Ceruus sagitta transfixus, vt ferrum & irreuocabiles moras eius de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo si excæcauerit pullos, nouit illos rursus oculare de sua chelidonia. Peccator restituendo sibi institutam à Domino exhomologesin sciens, illam præteribit?*

Hierem. 8.

Tertull.

Altera ratio est, quod nemo sanæ mentis ex auium gestibus quid aliud crediderit quam ex Dei institutione significatum constitit: quale fuit, quod Genes. 8. columba tulerit ramum oliuæ ad significandum, quod ex misericordia Dei diluuium cessaret. Confirmat id August. lib. 2. de Doct. Christiana, cap 16. vbi dicit: *Nec aliam ob causam facile est intelligere pacem perpetuam significari oleæ ramusculo, quem rediens ad arcam columba pertulit, nisi quia nouimus & olei lenem cõtactum non facile alieno humore corrumpi, & arborem ipsam frondere perenniter.*

August.

6. Sed dices Sophon. 2. cap. quãdo prædicitur interitus earum gentium quę Iudæis infestæ fuerunt, ait Dominus: *Et accubabunt in medio eius greges, omnes bestiæ gentiũ, & onocrotalus, & ericius in liminibus eius morabuntur: vox cantantis in fenestra, coruus in superliminari, quoniã attenuabo robur eius.* Quæ verba videntur innuere voces animalium, quodammodo prædicere, quid homini sit futurum.

Sophon. 2.

Respondeo hunc locum nullatenus suffragari errori sustinentium ex vocibus animalium præsagiri futura contingentia. Nã ibi Dominus dumtaxat insinuat, quam misera erit Niniue prima Assyriorum vrbs, quodque ea, quæ delicijs & ciuibus fuerat frequens tam erit desolata, vt in illa

illa pascentur greges. q. d. Eo in loco prius ædificijs, ciuibusque frequenti, pascentur greges, & omnia vicinarum gentium armenta suam ibi stabulationem habebunt. In liminibus, locisque illustribus vbi prçclara notabantur insignia, erunt obscænarum volucrum impura cubilia, onocrotali, scilicet, inauspicatæ volucres, & ericij, sordidæ atque aculeatæ bestiæ. In fenestris, vbi dominorum lasciua curiositas, & ambitiosa ornamentorum ostentatio, erunt feralium volucrum inauspicatæ voces: & in superliminari crocitabit coruus. Hæc porro ideo euenient ciuitati, quia ego, dicit Dominus, illius vires & potentiam infringam, ne possit antiquam dignitatem, & vrbis amplitudinem tueri. Itaque nihil aliud dicit, quam quòd corui crocitatio factam stragem probabit, eo quod coruus ex natura sua ad loca deserta recipere se solet, & cadaueribus inhiare.

Huic simile est quod Horus Apollo lib. 2. Hierogl. 88. scribit, vpupam canẽtem ante tempus vitium, magnam vini bonitatem & copiam prænũtiare; quia enim ex euentu obseruatum id est; forte ex eo, quod alterationem naturæ sentiat, dum succus vitis exurgit, aut simili de causa. Hinc solent Ægyptij prçsagium copiæ vini significãtes, pingere vpupã.

7. Dices iterum Ioannem Franc. Picum Mirand. referre, cornicem quandam cuidam Principi & affini, cui adequitabat, vocibus indicasse mortem fratris, his verbis: *Memini dum magno cuidam Principi & affini adequitarem, quo perquam familiariter vtebar, & venatum pergeremus, cornicem qua transibat palo quopiam insedisse, propinquo adeo principi illi, vt eius penè crure pertingeretur: ea horrendas voces diu edidit, videbaturque & rostro, & colli flexu, & crebris garritibus minari. At ille conuersus, vide, inquit, frater decessit è vita: nuntium enim acceperat eundem ægrum esse, & magnopere ambigi ne moreretur, quod equidem paucas post horas euenit: cum domum reuerso illi fratris mors per epistolas significata est.* Verùm audi quomodo vesanam hanc credulitatem idem auctor superstitionis reuincat. Cum enim ostendisset sine fundamento huiusmodi vocibus fidem adhiberi, inquit; *Callidus itaque Dæmon malè sanam Principis illius mentem, simulque vitam fratris morte abrumpendam prænoscens, cornicem impulit, quæ infausta putatur superstitiosis, vt fratris quasi obitum suo illo garritu, Principi malè sano præcineret: ita exigente diuina iustitia, vt qui auium magis voci, quam Dei oraculis concredunt, sese ludificationibus Dæmonum exponant, & decipiantur, & abeant in præceps.*

Discursus LXVII.

An liceat astra obseruare, & ex ijs futura contingentia prædicere?



IVre Canonico 26. quæst. 1. dicitur: *Non licet Christianis &c. obseruare lunæ aut stellarum cursus, aut inanem signorum fallaciam pro domo facienda, vel propter segetes, vel propter arbores plantandas, vel coniugia socianda: scriptum est enim, Omnia quæ facietis, aut in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Domino.* Quibus verbis alicui videri posset ad nullum pænè vsum licere Astrorum obseruationem: hinc quæram, quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam prænotandum est, duplicem esse Astrologiam; vnam naturalem, alteram iudiciariam: naturalẽ verò obti-

obtinuisse nomen Astronomię;iudiciariam Astrologiæ. Rursum notandum est, prioris munus esse inuestigare numerum cœlorum,stellarum, seu astrorum magnitudinem,velocitatem,vel tarditatem, motus,stationem, & retrogradationē, aspectus, ac similia, quantum videlicet ex ipsorum astrorum conspectu assequi quis possit. Vnde aiunt Astronomi cœlos esse vndecim, stellas mille viginti duas,magnitudinē orbium cælestium & stellarum esse tantam, vt terra,quæ est centrū mundi, eorum aspectu sit instar puncti,& sicuti gutta ad totum mare. Nullam stellam esse in Firmamento,quæ non decies octies maior sit toto globo terræ, & inter sex magnitudines, quas constituunt stellarum,summam magnitudinem superare globum terræ cēties & septies. Solem in se continere totam quantitatem terræ centies & sexagesies, eumque à terra distare quatuor millionibus milliarium,siue leucarum & amplius: (millio enim facit decies centena millia) indeque sequi tantam esse peripheriam, & vastitatem orbis solaris, vt Sol 24 horis suum circulum peragens, vnâ hora percurrat 1140000 milliariū, hoc est vnum millionem & centum quadraginta millia milliariū: quod tantundem est, atque terræ ambitum & gyrum circumcurrere quinquagesies. Quodlibet punctum æquinoctialis, & quamuis stellam in æquinoctiali positam singulis horis conficere 42 milliones milliarium, & insuper tertiam partem millionis, hoc est tantum, quantum eques 40 milliaria quotidie conficiens posset 2904 annis conficere: rursum tantum, si quis vna hora bis millies ambitum terrę obiret, & circumcurreret; longè plus spatij conficere: ideoque longè velocius esse nouum cęlum,ac magis decimum,quod putant esse primum mobile.

2. Ad hanc Astronomiam pertinet etiam cognoscere naturam & proprietates Astrorum ex effectibus diu obseruatis. Vnde ortum est aliud eius munus, videlicet ex situ, cursu, motuque astrorum prædicere nonnullos effectus, qui ex ijs tanquam ex causis naturalibus contingunt.

3. Quod ad Astrologiam attinet iudiciariam, illa sibi vendicat ex astris prædicere futura contingentia libera, videlicet, quem statum an matrimonialem, an cælibem quis suscipiet; quot proles, honores, opes, in hoc mundo assequetur; quibus infortunijs, prælijs, exilio, carceri, morti quis subiacebit.

4. His positis, quæritur,quidnam iuxta disciplinam Christianam in hac re liceat. Respondeo, & dico primò, non esse per se malum nec prohibitum coniectare ex astris effectus naturales, qui per se proueniunt ex influentijs cælestibus, & ex ortu & occasu & concursu Planetarum, vel aliorum astrorum, adeoq; in eo non committi diuinationis culpam, videlicet cùm quis prędicit Eclypses, aspectus, coniunctiones,& oppositiones varias futuras in ipsis astris post plurium etiam annorum reuolutiones. Secundò, cum prædicit serenitatem,pluuiam,tempestatem niuem grandinem, æstū, frigus, & similia, quæ à cælo pendent. Quod cōforme est sacræ Scripturæ, Matt. 16. Vbi Dominus Pharisæis & Saducęis petentibus, vt signum de cælo ostenderet, quo dignoscerent ipsum esse filium Dei, respondit: *Facto vespere dicitis, Serenum erit, rubicundum est enim cælum. Et mane: Hodie tempestas, rutilat enim triste cælum.* Et ex hoc illos redarguit, dicens: *Faciem ergò cæli diiudicare nostis, signa autem temporum non potestis scire?* id est, Ex signis quibusdā sensibilibus probatis & examinatis, quale sit futurū tempus, & dignoscitis tempus, an sit pluuiosum, an siccùm & calidum, quod difficilius est & incertius: quomodo signa temporum aduentus mei, quę tot prophetijs consignata, tot à me miraculis cōprobata sunt, non cognoscitis? Adeoque illis verbis indicat Dominus licitè ex astris prædici, quòd naturaliter ex signis illis aliquatenus prædici valeant &

Matt. 16.

euenianṫ. Hinc apud Lucam cap. 12. turbis hoc idem obijciēs, quod Pharisæis Matt. 16. increpans obiecerat, aic: *Cum videritis nubem oriētem ab Occasu, statim dicitis, nimbus venit, & ita fit: Et cum austrum flantem, dicitis, quia æstus erit, & fit.* Hinc etiā Elias 3. Reg. 18. tempore siccitatis, quæ per tres annos cum dimidio durauerat, cum à puero suo intellexisset nubeculam ortam ab Occasu, prædixit pluuiam, quæ etiam secuta fuit. Veruntamen in hoc cauendum est, ne maiori certitudine illi effectus prædicantur, quàm sciri possint ab Astrologis, idque propter incertam cognitionem hominis per astra. Cuius rei ratio est, quia cognitio certa pendet ex concursu, & aspectu omnium astrorum simul, hic autem cùm quolibet momento varietur, incertissimus est. Tum etiam, quia hi effectus non solum pendent à causis cælestibus, sed etiam ab inferioribus, nec solum ab efficientibus, sed etiam à materialibus. Vnde liquidò cōstat, quàm sint incertę prædictiones, ex diarijs, cum persępè contrariæ inter se sint. Ideoq; certius prædicere, erit peccatum veniale temeritatis: si verò alteri timeatur exinde damnū graue, erit peccatum mortale, quia mendacium perniciosum. Hinc etiam reprehenduntur medici, qui grauitatem, aut periculum morbi, aut vulneris ex solis astris, vel signis zodiaci metiuntur, spectando sub quo aspectu ęgritudo inceperit, &c. De qua re videri potest Martin. Del-Rio lib. 4. c. 3. q. 1 ad finem: vbi rectè ostendit, nec esse tantam vim in stellis, vt ex illis sumi possit iudicium de his particularibus effectibus, & conditionibus eorum, nec sine aliarum causarum cognitione & consideratione, præsertim cōplexionis, & dispositionis talis corporis, aëris ac terrę, posse probabile iudiciū ferri.

Matt. 16.

5. Dico secundò, nullâ ratione licere ex astris, Sole, Luna, & stellis futura cōtingētia libera prædicere: id enim prohibuit Dominus Deut. 18. cùm dixit populo Iudaico, cui terram Chanaan promiserat: *Gentes istæ, quarum possidebis terram, Augures & Diuinos audiunt: Tu autem à Domino Deo tuo aliter instructus es.* vbi per *Augures*, intelligit Astrologos. Deinde cū Isaiæ 44. dicit: *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum. Irrita faciens signa diuinorum, & Ariolos in furorem vertēs.* id est, Ego sum creator cæli & terræ, qui Diuinorum & Augurum artes, qui ex astris futura prædicūt, diuersis rerum euentibus eludo, ostendēs furiosos esse Ariolos seu lymphaticā quadā insaniā correptos; absit quod afflati à Deo. Et cap. 47. vbi inducit Propheta Babylonem quasi Reginā plenā delitijs, & luxu, & fastu, lateq; dominātem: sed prædicit eam solio deijciēdam, atque ancillę vilis, pauperis, & captiuę sortem subituram, idque ob tres rationes. Prima, quia inclementer accepit populum apud se captiuum. Secunda, quia superbè de se cogitabat, æternūque sibi promittebat imperium, & pacem nulla aduersitate turbandam. Tertia, quia Augures apud se aluit, quorum cōsilijs obsecuta est: eamque calamitatem talem fore dicit, quam expiando non poterit auertere, in verbis; *Irruet super te calamitas, quam non poteris expiare.* Alludit ad veterē morē, quo per catharmata seu victimas piaculares solent propitiare numē, & impēdentes clades anteuertere; & idem est ac si dicat, Calamitas tua erit inexpiabilis & ineuitabilis; Deus enim inexorabilis erit, & faciet, vt Persę hostes tui sint inexorabiles, ne tibi prece nec pretio parcāt. Quod clarius indicāt verba c. 13. v. 12. *Pretiosior erit vir auro & homo mundo obrizo* seu hostis vindex Dei nutu & instinctu nulli Babylonio parcet, etiāsi lytrum aut pretium auri offerat, quia gloriosus & ferus miles malet gloriā & vitas, quàm opes. Deinde dicit dictos Augures nihil opis allaturos patriæ laboranti, sed simul cum illis perituros, dum hoc sarcasmo, siue hostili irrisione vtitur: *Sta cum incātatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si fortè quid prosit tibi, aut si possit*

Deut. 18.

Isa. 44.

Idem cap. 47.

Ibid. c. 13.

posis fieri fortior. Defecisti in multitudine cõsiliorum tuorum; stent, saluent te augures cœli, qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, vt ex eis annuntiarent ventura tibi. id est, Nũc vide, an quidquam tibi præsidij contra Persicas acies, quas in tuum ego exitium armaui, comparatum sit. Occurre igitur iam cum incãtatoribus, ac maleficis, quibus te totam, ô Babylon, ab incunabilis instituendam, & gubernãdam tradidisti, & experire an aliquid tibi opis afferre possint illæ Diuinorum artes, & maleficorum præstigiæ; profectò corrues etiamsi te ex illorum consilijs, ac modis cõtra omnes naturę, atque fortunę casus communieris. Rursum adsint tibi in illo articulo Augures, qui cęli metiebantur sidera, mensiumque spatia: & multiplices lunæ motus, atque aspectus cõtemplabantur, vt ex eorum facie tibi futuratum rerum exitus prædicerent, & si præstare possunt, quod promittũt, arceant, quod tibi ab hostili acie impendit exitium. Idẽ est, ac si diceret, Illi diuinarũt tibi quid prosperum, quid aduersum foret, & multa promiserũt. Sed quid? comperies vanam esse & falsam eorum promissionem: Immò quod seipsos saluare non poterunt; vnde subiungit eorum horribile exitium, dicens: *Ecce facti sunt, quasi stipula; ignis combussit eos, non liberabunt animam suam de manu flammæ; non sunt prunæ, quibus calefaciant, nec focus vt sedeant ad eum. Sic facta sunt tibi in quibuscumq; laboraueras: Negotiatores tui ab adolescentia tua, vnusquisque in via sua errauerũt, nõ est qui saluet te.* Quasi dicat. Quod amplius est, loco quòd vos defenderent aut eueniret quod prædixerũt; ipsi incantatores & diuini igne Persico peribunt, seu tantùm armis inimicorum resistere poterunt, atq; vehemẽti igni arida stipula. Idemq; ignis sic comburet præstigiatores illos, atque maleficos, vt nihil ex illis relinquat humanis vsibus opportunum; non prunas, quibus homines focum instruant, & rigentia mẽbra confoueant: sicut à combusta stipula nihil est reliquũ, quod vsui esse possit. Tales erunt tibi incantatores tui, & Diuini, atq; Augures quos apud te à primo fũdationis tuæ tẽpore cõplexa es, secutaq; in deliberando consiliatores; qui in sua qualibet arte omnes errauerũt. Nõ erit ex illis vn⁹, qui saluet aut reficiat te. Hinc Socrates l. 14. de præpar. Euang. c. 4. apud Eusebiũ, triplicem dixit Astronomiam; quãdam vtilẽ, quę ad rectè cognoscẽda tẽpora deseruit; aliam nimiũ curiosam, & parum vtilẽ, non tamen perniciosam, nẽpe illam, quæ nimiâ sollicitudine distantias astrorum, magnitudines, & similia speculatur; aliam verò esse perniciosam Astrologiam, quæ videlicet futura prædiceret: vnde de illa hanc monitionem reliquit: *Omnino autem non esse curandum homini dicebat, vt per calestia corpora futurorum, quæ in potestate diuina sunt, cognitionẽ perquirat. Nec enim posse homines illa cognoscere, nec dijs gratũ esse, si quæ illi occultarint, ea tu diligenter inquiras.* Deinde addit, *tã inuisam esse Deo eiusmodi astrol giã, vt illam sibi vendicans mereatur in amentiam cadere, cum ait diligenter futura inquirentẽ facilè posse irã Deorũ in insaniam Anaxagoræ cadere: qui cum calestiũ scientiam profiteretur, in id amentia incidit, vt Solem ignem penitus putaret, nec prospicere poterat facilè nos ad ignem oculos erigere, cum Solem respicere nequeamus, nec corpora hominum atriora fieri ab igne, quemadmodum à Sole, nec cernebat omnia, quæ à terra germinantur, absque solaribus radijs atque calore calesti crescere non posse: quæ omnia igneo calore languescunt ac pereunt.* Socrat.

6. Verùm quæres, quare Deus tantopere execretur hoc malum? Respondeo ob tres causas. Primò, quòd Astrologia scientiam Deo soli propriã astris inanimatis tribuat, videlicet earũ rerũ quæ ab arbitrio voluntatis pendent, quod Deus nec Angelis nec beatis mentibus concessit; multo minus dæmoni, per quem hæc ars introducta est in orbem terrarum. Vnde Isa. 44. dicit Deus sibi illam cõpetere, & se esse, qui de Christo loquitur, & complet omnia, quę per Prophetas & nũtios de illo prædixit, & quæuis alia præ- Isa. 44.

nũciat in verbis v.26. *Suscitans verbum serui sui, & consilium nunciorũ suorum cõplens: Qui dico Ierusalem, habitaberis; & ciuitatibus Iuda: ædificabimini, & deserta eius suscitabo. Qui dico profundo: desolare, & flumina tua arefaciam. Qui dico Cyro, Pastor meus es, & omnẽ voluntatẽ meam cõplebis; Qui dico Ierusalem: ædificaberis; & templo, fundaberis.* q. d. Ego sũ, qui aio, Ierusalẽ à Chaldæis euersã, omnesq; ciuitates Iudæ excitãdas, atq; habitandas fore. Et quidquid inimicorũ armis subuersũ est, atque in solitudinẽ redactũ, in priorẽ statũ fore restituendũ. Qui dico in apertũ profundũ maris; & flumen arenti alueo sicco vestigio esse transmittendũ: sicut in rubri maris olim, & Iordanis traiectu. Ego sũ, qui Cyrũ bello ducẽ, atq; Imperatorẽ præfeci: per quẽ cõsilia mea, atq; cogitata præstabo: Qui dico Hierusalẽ instaurãdam, & templũ rursus ædificandũ esse. Idipsũ c.41. affirmat cũ expostulãs cõtra Gentiũ simulacra, ea nõ esse Deos, duobus argumẽtis id conuincit. Primũ est quod ipsius sit certa futurorũ prædictio, nõ Deorũ Gentiũ, in verbis: *Accedant, & nũtient nobis quæcumq; vẽtura sunt: priora quæ fuerunt, nuntiate: & ponemus cor nostrum, & sciemus nouissima eorum, & quæ ventura sunt, indicate nobis.* id est, O Gentiũ dij, dicite originẽ & initiũ vestri, quomodo, quãdo, & à quibus fabricati estis; prædicite & nouissima vestra, scilicet quid euenturum sit vobis, an & quando deuoluendi sitis. Rursum, *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos,* indicans per sarcasmum hoc esse impossibile, sed solius Dei esse hominum & Angelorum mẽtes penetrare, ac voluntates cognoscere, comprehendere, præuidere, & prædicere, quid quæq; volũtas positis quibuslibet circũstantijs liberè sit volitura, electura vel factura. Isai. 41.

7. Porrò, nota tãto grauius esse, cũ præsumit ea, quæ ex sola Dei voluntate pẽdent, ex astris prædicere. Ratio est, quod liberior sit Dei volũtas, multoq; superior cælis, quàm volũtas humana; immò est longè impossibilius, quia de homine aliqua saltem cõiectura sumi potest propter actionem cæli in corpus, cuius inclinationem solet sequi anima: & Dei volũtas vsque adeo altior est, vt ipsa regat & gubernet cælum, prout placet: vnde fit, vt nec ipsi naturales effectus futuri ex necessaria influentiã cæli, possint ex astris cum tanta certitudine prædici, vt non sint subiecti mutationi & defectui, si Deus effectus impedire voluerit. Ex hoc deprehenditur, quàm grauiter errant, qui Diluuiũ, Christi natiuitatem, & similes effectus corporales factos in vniuerso, ex peculiari Dei prouidẽtia, somniarunt præcognosci potuisse in astris. Hæc quoad primam.

8. Secũda causa est, quòd hæc Astrologia prædictionibus suis ineuitabilẽ necessitatẽ adscribendo, cęlo magnã faciat iniuriã. Ratio est, quod ista dicẽtes, velint vel in cœlo scelera faciẽda depingi, vel Deum cõstituant auctorẽ mali, quorũ auctores perstringit D. August. lib.5. de Ciuit. c.1. dicẽs: *Illi qui positionẽ stellarum quodãmodo decernentiũ qualis quisque sit, & quid ei proueniat boni, quidue mali accidat, ex Dei volũtate suspendũt, si easdem stellas putãt habere hãc potestatem traditam sibi à summa illius potestate vt volẽtes ista decernant, magnã cælo faciunt iniuriam: in cuius velut clarissimo senatu, ac splendidissima curiã opinãtur scelera faciẽda decerni: qualia si aliqua terrena ciuitas decreuisset, genere humano decernente, fuerat euertenda.* Aut, si nõ cœlo, ipsi Deo inferũt; cũ ex eo sequatur, aut stellas acceptã potestate à sũmo Deo, arbitrio suo ista decernere, aut in talibus necessitatibus ingerendis, illius omnino iussa compleri: quod est Deũ facere auctorẽ peccati, cõtra illud Prophetæ: *Quoniã Deus nolẽs iniquitatẽ, tu es.* Et Eccl. 15. *Non dicas, ille me implanauit: non enim necessarij sunt ei homines impij.* August. Ecclesi. 15.

9. Tertia causa est, quod tribuat astris vim in animæ facultates, intellectum, & volũtatem, quod hæreticum est, & tollit liberum arbitrium, hominibus à Deo concessum. Vt patet Ecclesi. 15. vbi Sapiens dicit: *Deus reliquit hominem in manu consilij sui. Adiecit mandata & præcepta sua: si volueris* Ibidem.

lueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi ignem & aquam: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Ac proinde fouet vulgi imperitiam & insaniam, qui astris adscribit suam nequitiam, cum in aliquod peccatum, sæpius etiam monitus recidiuat, dicens quid faciam, quandoquidem sub tali Planeta natus sum; quasi verò astra necessitatem imponerent, ipse excusationem prætendere posset in peccatis, quem Deus Dominum constituit suæ voluntatis. Agnouit quam hoc esset

Ps. 140. impium Dauid Ps. 140. rogans Deũ, ne in talia verba prorumpat. *Non declines*, inquit, *cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* id est, Non permittas me prætexere excusationes, quando peccaui: sciebat enim frustrà Adamum, frustrà

Genes. 3. Euam se excusasse, Genes. 3. Sciuerũt etiam vetusti sanctiue Patres hoc

Hier. paradoxum esse. Vnde Hieronymus epistola 147. rogatus, an vxor Sodomitam maritum relinquere, alterũque eo demisso accipere, & an mulier, quæ id fecit, absque pœnitentia Eucharistiam sumere possit, dicit: *Reperi iunctam epistolæ & commentariolo tuo breuem chartulam, in qua hæc indita ferebantur. Quærendum ab eo, id est, à me; vtrum mulier, relicto viro adultero, & sodomita, & alio per vim accepto possit absque pœnitentia communicare Ecclesiæ, viuente adhuc eo, quem prius reliquerat. Quod legẽs, illius versiculi recordatus sum: Ad excusandas excusationes in peccatis.* Et postquam soluerat quæstionem verbis Apostoli, 1. ad Cor. 7. hoc nullatenus licuisse, subijcit: *Nolo mihi proferas raptoris violentiam; matris persuasionem, patris auctoritatem, propinquorum cateruam, seruorum insidias atque cõtemptum, damna rei familiaris. Quamdiu viuit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitijs omnibus coopertus, & ab vxore propter hæc derelictus, maritus eius reputatur, cui alterum virum accipere non*

Tertull. *licet.* Tertullianus verò lib. de Corona Militis, ostendens Christianum coronari non debere, quãdoquidem tũc temporis erat professio quædam idololatriæ, dicit enim nulla necessitate à peccato excusari posse his verbis: *Non admittit status fidei allegationem necessitatis. Nulla est necessitas delinquendi, quibus vna est necessitas non delinquendi. Nam & ad sacrificandum & directò negandum, necessitate quis premitur tormentorum siue pœnarum: tamen nec illi necessitati disciplina conniuet: quia potior est necessitas timendæ negationis, & obeundi martyrij, quàm euadendæ passionis & implendi officij.* Deinde addit: *Cæterum subuertit totam substantiam sacramenti causatio eiusmodi, vt etiam voluntarijs delictis fibulam laxet Nam & voluntas poterit necessitas contendi, habens scilicet vnde cogatur. Vel ipsa hæc præstruxerim, & ceteras officialium coronarum causas, quibus familiarissima ista ducatio necessitatis: cum idcirco aut officia fugienda sint, ne in delictis incidamus, aut & martyria toleranda sint, vt officia rumpamus.* Denique ex variarum Gentium legibus deprehenditur voluntatis esse, benè aut malè facere. Scribit de hac re Bardesanes Syrus apud Bardesanes

Eusebium lib. 6. de Præpar. Euang. cap. 8. *Apud Seras lex est, nec occidere, nec fornicari, nec adorare simulacra: vnde in illa regione nullum templum conspicitur, nulla mulier meretrix, nulla adultera, nemo fur, nemo homicida: nec voluntatem alicuius illorum ardentissima stella Martis, in medio cæli constituta, ad cædem hominis coëgit: nec Venus Marti coniuncta, vt alienam quispiam sollicitaret vxorem, potuit efficere.* Et paulò pòst: *Apud Indos autem & Bactros, multa millia hominum sunt, qui Brachmanes appellantur: hi tàm traditione patrum quàm legibus, nec simulacra colũt, nec animatum aliquid comedunt, vinũ aut cereuisiam nunquam bibunt, ob omni demùm malignitate absunt, soli Deo attendentes. At verò cæteri omnes Indi in eadem ipsa regione adulterijs, cœde, temulẽtiâ, simulacrorum cultu inuoluuntur: inueniunturque ibi nonnulli, immo verò gens quedã Indorum est, in eodem climate habitãs, qui homines venantes atque sacrificantes deuorãt: nec vlli planetarum, quos felices ac bonos appellant, à cœde ac sceleribus istis eos prohibent: nec maligni, Brachmanas pel-*

 lere

lere ad malefaciendum potuerunt. Hinc Cyrillus Hierof. catech. 4. instruens Christiana fide imbutum, hortatur non attendere Astrologis: *Nosce,* inquit, *teipsum, quisnam es? quod duplex homo sis constitutus, ex anima & corpore compositus, quòd etiam sicut paulo antè dictum est, idem Deus, & animæ & corporis est opifex. Cognosce autem animam esse sui iuris, seu voluntatis liberæ, opus Dei pulcherrimum, secundum factoris imaginem, immortale per eum, qui gratiam illi contulit, potestatem habēs facere, quæ velit. Neque enim ex generationis natura peccas: neque propter animam fornicaris, neque, vt nonnulli fingunt, astrorum inclinationes ad amplectendam impietatem te cogunt. Cur tua ipsius mala confiteri detrectas? Cur innocuis astris culpam adscribis? non ergo deinceps attendas Astrologis, de his enim sacra dicit Scriptura: Stent & saluent te Astrologi cæli & terræ. Ecce omnes sicut stipula igne comburentur, & non liberabunt animam ipsorum de flamma.* Et paulò pòst: *Liberum arbitrium habet anima, & potest quidem diabolus incitare, cogere autem præter voluntatem omnino non potest. Subijcit tibi scortationis cogitationes, si vis, probas; si nolis, improbas. Si enim ex necessitate scortareris, cuius gratia gehennam Deus parasset? & si natura, & non voluntate iustè ageres, cur Deus coronam pararet? Mansuetum est animal ouis, neque tamen illa propter mansuetudinem coronatur: quoniam illa mansuetudo, non ex voluntate, sed à natura illi inest.* Et D. August. serm. 6. de Epiphan. dicit tam absurdum esse, confingere necessitatem, qua peccata defendantur, vt seruum peccantem herus verberare non posset, nisi prius Deus suos in cælo radiantes blasphemare cogatur in verbis: *Sed de genituris vani homines loquantur, quod insipienter opinātur; negent voluntatem, quā peccant: confingant necessitatem, quā peccata defendant; perditos mores, per quos in terrā ab hominibus detestantur, in cælo etiam figere conentur; & à syderibus manare mentiantur. Videat tamen vnusquisque eorum, quemadmodum non vitam, sed familiam suam qualicumque potestate regendam putet, quandoquidem ista sentiendo, seruos suos in domo peccantes verberare non sinitur, nisi prius Deus suos in cælo radiantes blasphemauerit.*

Cyrill. Hierof. | August.

Omitto quòd hac ratione Christo suum tribunal auferatur, ante quod, dicit Paulus, quemque esse recepturum, prout fecit; in verbis: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum.* Quod inter alia vrget D. Augustinus d. cap. 1. dicens: *Quale deinde iudicium de hominum factis Deo relinquitur, quibus cælestis necessitas adhibetur? cum Dominus ille sit syderum & hominum.* 2. Cor. 5. | August.

10. His discussis quæres iterum, quousque peccatum hoc se extendat? Respondeo, non solùm se extendere ad futura contingentia, sed etiam ad res præteritas vel præsentes, si ita sint occultæ, vt humano modo sciri non possint. Probatur Iure Canon. cap. *Ex tuarum. De sortilegijs.* Vbi grauis pœna intentatur cuidam Sacerdoti infligenda, qui ex simplicitate cum quodam infami ad priuatum locum secesserat, vt per inspectionem astrolabij furtum Ecclesiæ posset recuperare. Sic enim scribit Alexander Tertius Grandensi Patriarchæ: *Ex tuarum tenore literarum accepimus, quod V. Presbyter cum quodam infami ad priuatum locum accessit: non eā intentione, vt vocaret dæmonium; sed vt inspectione astrolabij furtum cuiusdam Ecclesiæ posset recuperari. Verùm licet hoc ex bono zelo & simplicitate se fecisse proponat: id tamen grauissimum fuit, & non modicam inde maculam peccati cōtraxit:* & infra. *Mandamus quatenus talem ei pro expiatione illius delicti pœnitentiam imponas: quod per annum & amplius, si tibi visum fuerit, eum ab altaris ministerio præcipias abstinere: & ex tunc liberum sit ei exercere officium Sacerdotis.* Et cap. eodem generaliter dicitur esse prohibitum de furtis inquirere per diuinationem: vnum autem genus diuinandi est per astra. Ratio autem est, quia ex astris non possunt cognosci ab homine hæc occulta, & ideo illa inquisitio pactum implicitum inuoluit, quia vel supponit artem aliquam à Dæmone traditam, vel eo

tendit,

tendit, vt dæmon se immisceat, & quod desideratur, ostendat.

Secundò extenditur etiam ad effectus casuales, qui licet à causa libera non eueniant, ex accidentario concursu, & impedimẽto causarum naturalium rarò contingunt. Ista enim, vt talia sunt, non habẽt certam causam in astris; & ideo ex illis ea inuestigare, idem vitium est superstitiosæ Diuinationis, vt expresè docuit D. Thomas, q. 95. ar. 5.

D.Thom.

Ex quibus omnibus sequitur cauẽdum esse homini Christiano, si à lethali macula animam immunem seruare velit, ne futura contingentia quærat, vel habeat vt certa ex cælestibus causis. In hoc enim grauissime quamplurimi peccant. Secundò, ne vitam & actiones suas regulet aut disponat secundum astra. Tertiò, ne præterita aut præsentia ex ijs inuestiget: quia nihil eorum à mortali potest excusare. Tantò magis ab hisce cauere debet, quod Ecclesia etiam animaduertat in Astrologos, qui probabiliter aliquid euenturum asserunt, vt patet ex Bulla Sixti V. vbi sic habetur: *Statuimus, vt contra facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus, successibus, fortuitisque casibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiamsi id se non certò affirmare asserant, aut protestentur, &c. Inquirant, & procedant; & in eos seuerius canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant.*

Discursus LXVIII.

Alijs rationibus & argumentis probatur, non solùm nefarium, sed etiam impossibile, futura contingentia ex astris prædicere; quin etiam peius esse astra eorum signa declarare, quàm causas.

1. Pet. 3.



D. Petrus 1. Pet. 3. voluit Christianos semper paratos esse, omni poscenti rationem dare de ea, quæ in ipsis est spe. Sic enim ait: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe.* Quod idem est ac si diceret, Quoniam infideles spem vestram, quam in Christo habetis de gloria & vita futura, iactitant inanem esse; propterea moneo vos, vt semper habeatis in promptu, velut ex meditato responsionem, quâ spem vestram seu gloriam vitæ speratæ, rationabilem ostendatis: siue sit aduersarius, siue quispiam discendi ac sciendi cupidus, qui rationẽ à vobis exigat, cur in præsenti vita tam dura patiamini contemnentes bona vitæ huius; vel rursum, moneo vos etiamsi populares sitis, & ad vos non spectet contradicentes in omnibus arguere, vt ab Episcopis requirit Paulus ad Titum 1. generales tamen quasdam rationes paratas habeatis, veluti quod religio prænuntiata sit à Prophetis, quod innumeris miraculis à Christo & Apostolis confirmata, quòd doceat iustitiam, & innocentiam, ac beneficentiã vsque ad dilectionem inimicorum, Deum præ omnibus diligere, & vsque ad sanguinem resistere. Si hanc petijt Apostolus Petrus à Christianis, quorum mysteria superant humanum intellectum: quanto magis nos rationem habemus vrgendi Astrologos iudiciarios, vt rationẽ dent scientiæ, qua fidem Christi destruunt. Verum quia tergiuersantur, defectus eorum supplendo, ostendã id esse impossibile.

1. Quæcumque sacra Scriptura Spiritu sancto reuelante nobis tradidit, necesse est omnino credere, siue sint affirmatiua, siue negatiua.

Sic credimus, quæ supernaturaliter possibilia asserit, vt hominem renasci Ioan 3. panem in corpus Christi conuerti, Matth. 26. hominē in eadem carne resurrecturum Iob. 19. 1. Cor. 15. Sic etiam credimus, quæ dicit impossibilia, veluti, per aquas subterraneas templi post quatuor millium cubitorum longitudinis mensuram pedibus transuadari non posse, vti Angelus deducendo docuit Ezechielem cap. 47. Sic credimus impossibile esse, camelum transire per foramen acus, Matth. 19. Sic impossibile quoque credimus Astrologis, futura prædicere ex astris. Et rectè. Nam Scriptura expresse dicit, quæ ad cælum spectant esse incomprehensibilia. Sic enim loquitur Sapiens Sap. 9. *Quis hominum poterit scire consilium Dei: aut quis poterit cogitare quid velit? Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prudentiæ nostræ. Corpus enim, quod corrūpitur, aggrauat animam: & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et difficile æstimamus quæ in terra sunt: & quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore. Quæ autem in cælis sunt, quis inuestigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis.* Certè si quis benè hæc masticet, non video quâ ratione possit vel aurem præbere Astrologis, qui ex naturali sciētia sibi vēdicant diuinare omnia humana euenta, quorum multa ex secretissimo Dei consilio & voluntate pendent.

Ezech. 47.

Sap. 9.

2. Confirmatur doctrina Sapientis, quia inter viros doctos non parua est disceptatio, an cælum sit natura quædam simplex, an composita ex materia & forma: vtrum talis sit materia cæli, qualis est rerum omnium sublunarium, an omnino diuersa; sitne cælum animatum, an inanimatum, num sua vi & à se moueatur, an extrinsecus ab Angelo: vnde potissimùm in cælis æstimari & iudicari debeat dignitatis eorum præstantia; quid causæ sit, cur non omnes orbes vno motu circumagantur, sed alij vno tātum, alij pluribus, alij verò paucioribus, tum quam habeant propriam vim & potentiam singulæ stellæ in elementa, metalla, stirpes, atque animantes. Deinde quantum ad numerum cœlorum, Scriptura triū dumtaxat facit mentionem, videlicet cœli aërij, siderij, & empyrei: Daniel. enim 3. dicunt tres pueri in fornace: *Benedicite omnes volucres cæli Domino* quia circa aërem volitant; de sydereo, *Benedicite stellæ cæli Domino.* De empyreo infinitis locis fit mentio. Sufficit, quod ait Paulus, 2. ad Corinth. 12. Apostolatum suum magnificans propter Pseudoapostolos, *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (siue in corpore, siue extra corpus, nescio: Deus scit) raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum.* Philosophi verò volunt alij octo esse cælos, alij vndecim, alij duodecim.

Daniel. 3

2. Cor. 12.

3. Rursum confirmatur id esse impossibile, quia diuina Scriptura multis locis apertè indicat, stellas cæli ab homine non posse numerari; Etenim cap. 15. lib. Genes. promisit Deus Abrahæ multiplicaturum se posteritatem eius, tanquam stellas cæli, & arenam maris, *Eduxit enim Deus,* inquit Scriptura, *foras Abraham,* videlicet nocte serenoque cælo, *& dixit ei, Suspice cælum, & numera stellas, si potes, sic erit semen tuum.* Erat autem Abrahā, vt Iosephus & Eusebius tradunt, iam tum peritissimus Astrologiæ, vt quam didicerat à Chaldæis, apud quos natus, educatus, multosque annos versatus fuerat, homines sanè, concessu omnium, eius scientiæ facilè principes: eamque doctrinam Abraham, auctore Iosepho, docuit Ægyptios. Præterea Hierem. cap. 33. sic habetur: *Sicut enumerari non possunt stellæ cæli, & metiri arena maris: sic multiplicabo semen Dauid serui mei.* Demum Propheta Dauid, tāquam eximium & singulare quiddam, & incomprehensibile homini, prædicat omnes stellas Deo esse numeratas: nempe Ps. 146. in verbis: *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Ex quibus D. Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 23. affirmat sententiam Astrologorum de scien-

Hier. 33.

Ps. 146.

August.

de scientia stellarum esse reijciendam. Sic enim scribit: *Stellæ dinumerari non possunt, quia nec omnes eas videri posse credendum est. Nam quanto quisque acutius intuetur, tanto plures videt. Vnde & acerrimè cernentibus aliquas occultas esse meritò existimatur: exceptis his sideribus, quæ in aliqua parte orbis à nobis remotissima oriri, & occidere perhibentur. Postremò, quicũque vniuersum stellarum numerum comprehendisse, & conscripsisse iactatur, sicut Aratus, vel Eudoxus, vel si qui alij sunt, eos libri huius condemnat auctoritas.* Hæc Augustinus.

4. Adhæc certum est, quod cœli facies, & omniũ signorũ cœlestium positura, quæ semel fuit, eadem omninò vel nunquam, vel non nisi post immensa annorum spatia redire potest: quippe octauus orbis, in quo sũt inerrãtes stellæ, non ante 6. & 30. annorum millia circuitum suum absoluit: quin imo doctissimi quidam Mathematici optimis rationibus probarũt, motus cœli esse inter se cõmensurabiles, ob idque eandem cœli faciem, eundemq; stellarum positum sępius euenire nõ posse. Vnde omnino est improbabile, ex huiusmodi obseruationibus potuisse scientiã Astrologorum comparari. Quã rationem Phauorinus Philosophus apud Aulum Gell. lib. 14. enucleatiùs tractat, his verbis: *Si Chaldæorũ isto modo cœpta fieri obseruatio est, vt animaduerteretur, quo habitu, qua formâ, quaq; positurâ stellarum aliquis nasceretur: tum deinceps ab ineunte vitâ, fortuna eius, & mores, & ingenium, & circumstantia rerum negotiorumque, & ad postremum finis etiam vitæ spectaretur, eaque omnia, vt vsu venerant, litteris mandarentur: ac postea longis tẽporibus, cum ipsæ illæ eodem in illo, eodemque habitu forent, eadem cæteris quoque euentura existimarentur, qui eodẽ illo tempore nati fuissent. Si isto, inquit, modo obseruari cœptum est; ex eaque obseruatione cõposita quadã disciplina est, nullo pacto potest procedere. dicant enim quot tandẽ annis, vel potiùs quot seculis orbis hic obseruationis perfici quiuerit: Constare quippe inter Astrologos dicebat, stellas illas, quas erraticas dicerent, quæ esse omniũ rerum fatales dicerentur, infinito propè, & innumerabili numero annorum ad eundem locum cum eodem habitu simul omnes, vnde profectæ sunt, regredi, vt neq; vllus obseruationis tenor, neque memoria vlla, neque effigies litterarum tanto æuo potuerint educare.* Sic Phauorinus. Phauor.

5. Insuper acutè notauit Origenes, Astrologos etiamsi cognoscere possent, singulares vires, & defluxus cuiuslibet astri separatim; tamen quam vim habeãt sydera, cum defluxus diuersorum astrorũ vnà coeũt & permiscentur, vel in cœlo, vel in aëre, vel in terra, vel etiã cum causis sublunaribus, eorumque actionibus, ab ipsis nequaquam sciri posse. Audiat Lector ipsum Origenẽ, cuius ex Cõment. super Genes. hanc Euseb. extremo. lib. 6. de Præpar. Euang. cit. sentẽtiam: *Quæ autem, inquit, commistione, compositione, ac tẽperie diuersorum aspectuum fieri asserunt, profectò concedent nullo modo sciri posse. Quomodo enim quantum diminuatur de læsione maligni aspectus, propter aspectum benigni syderis percipies: & vtrum auferat malignus, quod à benigno conceditur, quoniam locum eius aspexerit; aut mutet, aut mistura quædam inde fiat, quis percipiet? quæ omnia si quis altius inspiciat, facilè credet nõ posse ista humano ingenio penitus percipi. Vnde si quis harum rerum periculum fecerit, videbit in pluribus errare, quam veritatem consequi Genethliacos. Quamobrem Isaias etiam quasi hæc omnibus impossibilia sint, ad filiam Chaldæorum, qui maximè ista profitentur, ait: Adsint, & saluam te faciant Astrologi, cæli Augures annuncient tibi quid euenturum sit. His enim verbis docemur, vel diligentissimos in hac re Chaldæos non posse prædicere, quæ velit vnicuique genti Deus attribuere.* Hactenus Origenes. Hinc videmus, sciri non posse dispositionẽ cœli, eo momento quo quis nascitur; quod Astrologi necessarium dicunt ad diuinandũ de pueri recens nati fortuna & euentu. Omitto quod punctum conceptionis potiùs attendere deberent. Origenes.

6. Ex quo D. Basilius & Astrologos & ipsos consulentes deridendos pronunciat: ait enim hom. 6. super Genes. Astrologos ad subitaneum articulum mẽsuras suas contraxisse, quod Basilius.

quod in amplo temporis spatio complures figuras cōprehendere nō possint. Audi eius verba: *Genethliacæ artis inuentores, cùm in temporis amplo spatio complures figuras suam ipsorum scientiam fugere percepissent, in angustum admodum temporis contraxere mensuras, vt minutissimo quoque & subitaneo articulo, quale est quod ait Apostolus, in momento temporis, in ictu oculi, plurimum differentiæ sit inter natiuitatem & natiuitatē. Vt is quidem, qui hoc in momento genitus est, futurus sit Rex ciuitatum, populorumque princeps, locupletissimus, præpotēs: Is autem, qui natus est temporis sequentis momento, pauper quidam sit futurus, aut medicus circulator, vel præstigiator, ex ostijs ostia permutans quotidiani consequendi causā victus. quamobrē eo orbe, qui signifer apppellatur, duodecim in partes diuiso, cum in triginta dierum spatio partem sol eius globi transeat duodecimam, quem inerrantem appellant, triginta in portiones singulas illas duodecim partes secuerunt. tum singulis portionibus illis in sexaginta minuta diuisis, minuta hæc singula rursum in alia sexaginta modo simili diuisere.* Tum venit ad rem, & enucleatius discutit, an hoc momentum notari possit, his verbis: *Posito igitur enixu eorum, qui in lucem eduntur, videamus obsecro, si hanc exactissimā temporis diuisionem Auctores hi sibi valeāt conseruare. Nam simul atque editus pusio est, mas, an femella sit obstetrix explorat, tum vagitum exspectat infantis nimirum indicium vitæ eius, qui natus recens est. Quot hoc tempore vis sexagesima præteriisse minuta? Dicit obstetrix deinde Chaldæo partum qui editus est: quot minutissima momenta vis interea dum obstetrix loquitur præteriisse? Præsertim si fortè fortuna fuerit non in cōclaui mulierum Chaldæus ille præsens, sed in ædium atrio, aut vestibulo, tempus horamq; reponens. Et cum eum, qui definiturus est diligenter tempus ac horam, exploratiora nimirum horarum percipere oporteat instrumenta, siue diurna sint, siue nocturna: quot minutorum hoc quoque tempore quæso præteruolat, præteritque examen: Compertam enim eam stellam esse, qua tempus horaque sit exploranda, non solum quanta in parte sit duodecima, sed etiam quàm iuxta duodecimæ portionem partis, in quotoque minuto sexagesima eorum, in quæ subdiuisa sunt singula sexagesima illa prima, necesse est. Atque hanc adeò tenuem subtilemque temporis inuentionem, quamquam attingere nequeunt, singulis in stellis errantibus faciendam esse necessario dicunt; vt qualem ad cælo adfixas stellas ipsa dispositionem habitudinemue haberent, qualisque ipsarum inter sese esset figura, cum in lucem ederetur fœtus, compertum sit tandem ac exploratum.* Ex quibus denique sic concludit: *Quæ cum ita sint, si fieri non potest, vt tempus illud exactissimè quisquam attingat, variationeque vel breuissimi temporis fit, vt tota via penitus aberretur: deridendi profectò non mediocriter esse videntur, tam ij, qui studio huius indulserunt artis, quam in ratione rerum nusquam esse constat; quam illi qui hiantes ab illorum ore pendent intenti: perinde quasi omnia illi scire possint, quæ ipsis sunt euentura.*

7. Rursum hinc nemo Astrologorum rationem vnquam dare potuit, quare Iacob & Esau, non tanquā gemini, sed quasi infans duplo lōgior, tā diuersis fuerit moribus, vt Scriptura, Genes. 25. & deinceps declarat; quod vrgent B. August. lib. 2. ad Genes. c. 17. Et D. Gregorius hom. 10. super Euangelia. Multò minùs, cur eodem siderum aspectu, & positura, eodem tempore, & in eadem regione, diuersis tamen parentibus progenerati, dissimiles sint ingenio, studio, moribus, religione, vitæ ac mortis euentu? Denuò cur in varijs regionibus, diuerso siderum aspectu, & positura, similem habeant exitum? Quâ ratione impugnat Astrologos Phauorinus, apud Aulum Gellium, lib. 14. cap. 1. vbi sic ratiocinatur: *Quàm multi homines vtriusque sexus, omnium ætatum, diuersis stellarum motibus, in vitam editi regionibus sub quibus geniti sunt, longè distantibus, omnes tamen isti, aut hiantibus terris, aut labentibus tectis, aut oppidorum expugnationibus, aut eadem in naui fluctu obruti, eodemque ictu temporis interierunt? Quod scilicet nunquam eueniret, si momenta nascendi singulis attributa, suas vnumquodque leges haberent. Quod si quædam in hominum morte atque vita, etiam diuersis temporibus editorum, per stellarum pares*

Gen. 25. August. Gregor.

Phauorin.

pares quosdam postea conuentus paria nonnulla, & consimilia posse dicuntur obtingere; cur non aliquando possint omnia quoq; paria vsu venire, vt existant per huiuscemodi stellarum concursiones & similitudines, Socrates simul & Antisthenes, & Platones multi genere, forma, ingenio, moribus, vita omni & morte pari? quod nequaquã, inquit, *prorsus fieri potest. Non igitur hac causa Chaldæi probè vti queunt aduersus hominum impares ortus, interitus pares.* Hęc Phauorinus. D. Gregorius Nyssenus disceptans cum quodam, qui fatũ inducebat, & asserebat stellas prædicere totam vitam eius qui natus est, tempus, studia, & instituta, morum proprietates, casus & pericula, matrimonia, & filiorũ procreationes, & quos assequetur honores, aut contra, liberorum orbitates, & morbos, & ignominias, & vitæ breuitatem, & mala, quę accidunt ex paupertate; hoc argumento etiam vsus est, dicens: *Quid verò, quæ in bello accidunt, calamitates, & terræ motus, & ruinæ vrbium, & quæ simul cum viris fiunt onerariarum nauium naufragia, inundationes & conflagrationes, & terræ hiatus, & quæcumque sunt huiusmodi genera interitus? Quomodo conseruabunt rationem prædictionis? Quàm multas, quæ acciderunt calamitates, & prioribus sæculis, & nostris ostendit vita! Quod temporibus Noë fuit Diluuium, & Sodomorum cõflagrationem, aut Aegyptium exercitum, qui submersus fuit in mari rubro; aut quæ postea facta sũt cædes alienigenarum, & illas innumerabiliũ virorũ occisiones, aut Israëlitici populi in breui tempore spontaneam mortem, quæ in multis millibus fuit diuinitus, aut centum, & octoginta quinque millia, quæ vno temporis momento cæsa sunt, & eorum quæ deinceps secuta sunt malorum, historias, quæ acciderunt in Medicis & Græcis calamitatibus, in naualibus & pedestribus prælijs, & omnia, quorum memoria posteris est magistra.* Tum verò istius temporis recensens calamitates, addit: *Et si hæc omnia prætermittamus, ad eorum, quæ dicuntur, suffecerint testimonium, quæ nostra vidit & recensuit vita. Quis nõ nouit magnam Bithyniam? Quis nescit latam & amplam Thraciæ regionẽ; quomodo alteram quidem bellum, alteram verò terræmotus cum igne momento temporis, euertit funditus? Quã multi illic pueri, quot infãtes, quot iuuenes, & quot grandæui, liberiq; & serui, domini & subiecti, diuites & pauperes, valentes & ægroti, omnes vno temporis momẽto perierunt; vniuersum, ignis æquè est depopulatus; & omnibus, domus fuere sepulchra.* Post hæc sic argumentatur: *Vbi sunt astrorum illorũ connexiones, quæ vitæ differentiam definiunt hominibus? Nam omnibus illis vna astrorum coniunctio effecit mœstos & calamitosos ortus; & cancer, qui erat horoscopus, omnibus fati sortẽ iniecit? Atqui ætatum & dignitatum innumerabiles differentiæ testantur omnes non simul in ortu conuenisse. Si ergò ortus tempus est vnicuique diuersum, eadem autem calamitas ex causa ortus nullam accepit mutationem; an non per hoc arguitur prædictionem esse infirmam & instabilem, & minimè consistere?*

Greg. Nyssen.

Gen. 7.

Gen. 19.

Exodi 14.

4. Reg. 19.

8. Sed quid miramur hæc transcẽdere captum Astrologorum, cùm quæ in ijs spectant ad cœli temperiem, serenitatem, pluuiam &c. etiam pastoritia obseruatio plurimum illorum sciẽtiam superet? Lepidum est exemplum cuiusdam Astrologi, qui à Principe ituro ad venationem, de aura rogatus, serenam fore asseruit: egredienti verò occurrens rusticus pluuiam imminere affirmat. qua oborta princeps rusticum suum fecit Astrologum, Astrologum verò rusticum fieri iussit. Audi hac de re epigramma:

Dixerat astrologus cælum sine nube futurum,
Principe syluarum lustra petente suo:
Dixerat è contra ruiturum nubibus imbrem
Vertere consuetus bobus arator humum.
Vix ingressus erat princeps nemus ilice densum,
Cum subitò pluuiæ præcipitãtur aquæ.
Laudat aratorem princeps, illumque docere
Astra; sed Astrologum sumere rastra iubet.

Sanè & hoc tempore expediret nonnullos astrologos fieri rastrologos. Alphonsus Rex Aragon. liberalis in omnes doctos, solos astrologos

gos præterijt. Rogatum est cur? vnus qui magis scire videbatur: *Sidera*, inquit, *stultos regunt impelluntque, sapientes astris imperant. Stultos ergò principes honorare astrologos consequens est; non sapientes, inter quos nomen suum Alphonsus obtinet.* ita Æneas Silu. lib. 4. de eius gestis.

9. Sed dices, his non obstantibus, mirum esse, quod Christiana disciplina vsque adeò respuat Astrologorum scientiam; quandoquidē Deus,
Genes. 1. Genes. 1. cap. legatur astra posuisse in firmamento cœli, vt *sint in signa, & tempora, & dies, & annos.*

Respondeo, hunc locum nullatenus suffragari erroribus Astrologorum: non enim illa posita sunt à Deo tanquam significantia humanos euentus; sed in signa prognostica pluuiæ, serenitatis, ventorum, &c aut vt signa serendi, plantandi, metendi, nauigandi, vindemiandi, &c. aut magis genuinè, vt signa dierum, mensium, & annorum; vt sensus sit: Sint in signa temporanea, vel in signa temporum: *in signa & dies*, id est, in signa dierum; *in signa & annos*, id est, in signa annorum: annus enim describitur vno solis cursu, & vnâ gyratione per zodiacum, duodecim verò lunationibus, dum videlicet luna duodecies percurrit zodiacum; & hoc Scriptura satis indicat. Nec
Genes. 9. refert quod Genes. 9. iris significet mundum amplius non periturum per diluuium: neque etiam, quod re-
4. Reg. 20. trogressio Solis, 4 Reg. 20. significet Ezechiam Regem quindecim annis amplius victurum, quam vixisset, si Deum lacrymis non fuisset deprecatus: quia eiusmodi significationem non habuerunt à natura sua, sed ex Dei arbitraria institutione, vti illis locis apertissimè Scriptura sacra tradit. Vnde incumbit Astrologis idipsum probare ex Dei reuelatione: quia iuxta locum Sapiēt. 9. citatum nemo potest inuestigare, quæ in cœlis sunt, nec sensum Dei scire, nisi ipse dederit sapientiam, & miserit Spiritum sanctum de altissimis. Aut meritò iudicabuntur ab omnibus profligandi, tanquam ex arte Dæmonis diuinantes.

10. Quod confirmatur; quia Deus Hierem. 10. cap. grauissimè Hier. 10.
dehortatur Iudæos à signis cœli metuere, quod ex Gentilium ritu hæc proueniant, dum ait: *Iuxta vias Gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes: quia leges populorum vanæ sunt.* id est, Deponite ô Iudæi, dicit Dominus, cum carnis præputio Gentiles mores, & animos prorsus ab illis auertite, quæ Gentilibus honori, ac religioni sunt. Nolite ergò tanquam Deos obseruare, ac colere signa cœlestia, Lunam, Solem & Astra, quæ obseruant Gentes, & reuerentur. Quia leges à populis inductæ, cæremoniæ, ac ritus, quibus in idolorum honorem sacra fiunt, vana sunt, & hominum ludicra figmenta. Pro quo nota quòd Gentiles metuebant signa cœlestia, vel quia ab illis existimabant humana omnia pendere, & otiosam esse quamcumque aliam aut diuinam prouidentiam, & exinde illa timebant, illis supplicabant, ijsque placatis nihil sibi ab humana potentia timendum esse arbitrabantur. Sic Ægyptus Solem & Lunam colebat, sub nomine Osiridis, atque Isidis, & ciuitas apud illos præcipui nominis erat Sacerdotalis, vt censet Strabo lib. 17. cui tanquam Antistes Strabo.
maximus præerat Putiphar, Genes. Genes. 41.
41. quæ dicebatur Heliopolis, id est, ciuitas Solis. Erat alia etiam ciuitas in regione Chanaanitide, quæ dicebatur Bethsames, id est domus Solis. Adorari autem inter Arabes, vbi regnabat Iob, Solem ipse indicat, Iob. 31.
cap 31. v. 26. *Si vidi solem, cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè.* Facit ad hæc nomen Melchon, seu Moloch, quod simulacrum erat Solis. Iuxta harum ergò similitudinem Gētium, Iudæi Solem venerabantur, & Lunam, vt constat ex Ezechiele cap. Ezech. 8.
8. v. 16. *Adorabunt ad ortum Solis*, & supra cap. 7. *Vt faciant placentas Reginæ cœli*, id est Lunę. Vnde dicit Iudęis, qui fines istarum regionum attingebant, nihil esse timendum à cœlestibus signis, seu illa non esse metuenda,

da, quasi ab illis aliquid mali aut boni esset exspectandum quoad euentus humanos: quia ritus qui hinc sunt, à Gentilibus prodierunt, qui astra colunt vt Deos, à quibus iussit vos Moyses nomine meo cauere, videlicet Deuteron. 4. v. 19. dicens: *Custodite sollicitè animas vestras, ne fortè eleuatis oculis ad cælum videas Solem, Lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea.*

Deut. 4.

Nota iterùm, sicut Gentiles reuerebantur astra, quasi regerent orbem sublunarem, omniumque rerum & actionum etiam liberarum essent causa. Sic alij fuerunt, qui dixerunt astra non quidem causas, sed signa certa & fatalia futurorum cõtingentium, quasi cęlum esset liber, in quo Deus actus & euentus nostros, & omnia quæ de cursu totius mundi futura sunt ad vnum descripsit; veluti Origenes apud Euseb. 6. Præparat. 9. qui sic inducit Iacob Patriarcham filijs loquentem: *Legi in tabulis cœli, quæcumque contingent vobis ex filijs vestris.* Sic quoque Plotinus Origenis condiscipulus lib. 6. de Fato. Quod etiam probabile censet Iulius Sirenius lib. 9. de Fato, cap. 35. *Aegyptij quoque fatum indicantes, pingebant sidus, eò quod fatum è siderum cursu, ac dispensatione constituatur,* inquit Horus Apollo Hierogl. cap. 13. Hos sequuntur Astrologi Iudiciarij, qui in suum fauorem retorquent locum Isaiæ 34. *Complicabuntur sicut liber cæli.* Sed quàm perperàm, verba antecedentia & sequentia conuincunt, nempè illic non agi de signis fatidicis dœmoniacæ disciplinæ, sed de excidio orbis in fine sæculi: Quia, inquit, *& tabescet omnis militia cælorum.* Et tum sequitur: *Complicabuntur sicut liber cæli.* post illa verò: *Et omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vineâ, & de ficu quoniam inebriatus est in cælo gladius meus.*

Origenes.

Isa. 34.

Ad clariorem loci huius intelligentiam considera quod Propheta antea egerat de clade Sennacherib siue Assyriorum; cuius excidium, sicut & aliarum etiam Gentium Prophetę ita solent describere, vt dicerent Solem, Lunam & Stellas tunc obscurandas esse, aut casuras de cœlo, vt patet Isa. 13. Ioël. 3. Ezech. 32. Non quòd verè caderent, sed per hyperbolen ita loquerentur, ac si dicerent, Tanta erit calamitas, vt videatur quasi cœlum perire: tanta erit afflictio eorum temporum, vt sibi videantur homines videre cœlos, qui extensi sunt, complicari, contrahere & conuoluere sese, atque stellas ipsas de cœlo decidere. Deinde Prophetæ pro more habebant ab huiusmodi excidijs auolare ad excidium orbis, in quo verè Sol, & Luna obscurabuntur, ac Stellæ de cœlo cadent, vt habetur Matt. 24. Quod facit hoc loco Isaias cap. 34. quando omnes gentes interibunt, vt ex Assyriorum clade discant omnes impij, quanta eis strages obuentura sit in die Iudicij, si eorum scelera imitentur nec resipiscant; dicit ergò: *Et tabescet omnis militia cælorum, & complicabuntur sicut liber cæli: & omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vineâ & ficu.* Vt sensus sit, In die Iudicij obscurabitur illustris cœlorum ornatus atque militia, ipsis ornatibus ad libri similitudinem ita complicatis, vt nullus in eis splendor, nullum lumen appareat, defluentibus è cœlo sideribus, non secus atque sub Autumno, & ficu, & vite perflante vento decidunt frondes. Quæ certum est, nihil Astrologis suffragari, cùm non significent librum, in quo futura libera contingentia describantur, sed constitutionem cœli ita opacam, vt liber clausus, in quo nihil videtur.

Isa. 13. Ioël. 3. Ezech. 32.

Matt. 24. Isa. 34.

11. Dices iterum, Cometæ tamen multa è cælo portendunt hominibus in futurum euentura. Admitto, quia euentus hoc sæpè docuit, vti ex historijs constat. Sic per cometem habentem formam gladij per annum integrum Hierosolymæ incubantem, eidem intentauit excidium per Titum, teste Iosepho lib. 6. Belli cap. 12. Sic anno Christi 337. quo mortuus est Constantinus Magnus Imperator, ante

Iosephus.

mortem eius cometem inusitatæ magnitudinis diu refulsisse, prænuntium mortis eius, & cladium, quas sub Constantio eius filio Ecclesiæ intulerunt Arriani, testis est Eutropius lib. 10.

Sic anno Christi 444. qui fuit Leonis primi Pontificis S. Theodosij iunioris Imp. 37. cometes maiori anni parte ardere visus, minitans & portendens Hunnorum irruptiones in Romanum Imperium, quas hoc anno facere cœperunt in Illyricum, ait Marcellinus in Chronico. Sic anno Christi 632. qui fuit Heraclij Imperat. cometes in meridie gladij formâ apparuit, minitans Christianis, præsertim Palæstinis ob eorum peccata, irruptiones Saracenorum, puta Eububezer successoris Mahometis, quæ eodem anno contigit: ita Theophanes, & ex eo Baronius. Sic anno Christi 679. cometes per tres menses apparuit, intentans grauem famem & pestem, quæ post tres annos secuta est, præsertim in Anglia, vti refert Beda lib. 4. histor. cap. 13.

Baron. Sic Baronius, anno Christi 729. scribit præcessisse signa cœlestia de imminenti clade Saracenorum in Gallias, ex venerabili Beda, his verbis: *Anno Dominicæ incarnationis septingentesimo vigesimo nono, apparuerunt cometæ duo circa Solem, multum intuentibus terrorem incutientes. Vnus quippe Solem præcedebat manè orientem, alter vespere sequebatur Solem occidentem, quasi Orienti simul & Occidenti diræ cladis præsagi: vel certè vnus diei, alter noctis præcurrebat exortum, vt vtroque tempore mala mortalibus imminere signaret. Portabat autem facem ignis contra Aquilonem, quasi ad accendendum accliuem, apparebantque mense Ianuario, & duabus fermè septimanis permanebant. Quo tempore grauissima Saracenorum lues Gallias miserâ cæde vastabat; & ipsi non multò post in eâdem prouinciâ dignas suæ perfidiæ pœnas luebant.* Hucusque Beda. Verùm quid hęc ad intentum Astrologorum, quandoquidem cometæ hæc non portendant à naturâ suâ, vt certa & communis tenet Philosophorum sententia: sed ex Dei arbitrario beneplacito, volentis sic homines admonere, quemadmodum indicauit per tenebras, quas fecit triduo tempore Moysis, peccata Aegyptiorum; tempore Passionis, peccata Iudęorum, & ante extremum iudicium signa horrēda monstrabit propter peccata totius mundi, de quibus in Euangelio Matt. 24. & Luc. 21. Omitto, quòd hæc non necessariò eueniant, sed precibus, alijsque pijs operibus, aliquando impediantur. Vnde 2. Machab. 5. capite videntes Machabæi signa extraordinaria, repręsentantia equites discurrentes & congredientes gladijs districtis per dies quadraginta in aëre; *omnes rogabant*, inquit Scriptura, *in bonum monstra conuerti.* Matt. 24. Luc. 21. 2 Machabęor. 5.

Quæres, quid ex his inferam? Respondeo, non solùm illicitum & hæreticum esse, astra declarare causas esse futurorum contingentium: sed superstitiosissimum esse, & magis abominandum, astra pronuntiare signa esse futurorum contingentium. Ratio est duplex; prior quòd hæc sententia magis fati necessitatem inducat, quàm eorum, qui stellas faciunt causas rerum sublunarium. Etenim, vt stellæ causæ sint eorum, quæ fiunt infra Lunam, nòn ideò tamen fati necessitas existet: quod enim illarum afflatu defluxuque in terris esset efficiendum, id posset vel contrarijs materiæ effectionibus, vel obstantibus causis particularibus impediri. At si astra naturaliter futurarum rerum signa sunt, omnino euenire necessarium est, quod ab illis significatur: alioquin essent signa inania & fallacia. Et cùm Deus ea instituisset ad significandum, & in cœlo tanquam in quodam volumine ea descripsisset veluti notas futurarum rerum indices, si euentus rerum cum illarum significationibus non con-

congruerent, vel Deus earum auctor & institutor, ignorãs esset futurorum euentuum, vel fallax. Altera, quòd sic magis peccatum adscribatur Deo, & iudicium erga homines denegetur.

Discursus LXIX.

An certò prædici valeant inclinationes hominum ex astris, & quà de causà contingat aliquando euenire, quæ Astrologi prædicunt.

PLuribus argumentis probaui, astra neque causare, neque significare humanos euentus à libero arbitrio dependentes. Iam restat inquirere quod in argumento ponitur.

Ambros. D. Ambrosius lib. 4. Hexam. cap. 4. comparat sapientiam Chaldæorum telę araneæ, *in quam*, inquit, *si culex aut musca inciderit, exuere se non potest. Si verò validiorum animantium vllum genus incurrisse visum est, pertransiuit, & casses rupit, infirmos atque inanes laqueos dissipauit. Talia sunt retia Chaldæorum, vt in his infirmi hæreant, validiores sensu offensionem habere non possint.* Quod ait Ambrosius liquidò constat ex præcedentibus Discursibus. Restat iam quoad præsens quæsitum breuiter expedire, quàm facilè sit etiam in hoc infirmos & inanes ipsorum laqueos dissipare. Ideò.

1. Dico primò licitum esse ex stellarum constellatione, obseruatâ pueri alicuius natiuitate coniectare temperamẽtum eius, & ex illo inclinationem naturalem futuram, & propensionem ad iram, vel mansuetudinem, vel libidinem, & ad hæc, vel illa studia & similia. Et ratio est, quòd influẽtiæ cœlestes magnam vim habeãt in corpora, quòdquè anima sæpius corporis cõplexionem imitetur, quòdque per se malum non sit, nec vniuersaliter prohibitum. Sixtus V. Vnde Sixtus Quintus motu proprio, qui incipit, *Cæli & terræ creator Deus*, damnans iudiciariam Astrologiam de prænoscendis futuris & fortuitis euentibus, limitationem hãc interponit: *Exceptis dumtaxat futuris euentibus ex causis naturalibus necessariò vel frequenter prouenientibus, qui ad diuinationem non pertinent.*

2. Dico secundò, eiusmodi inclinationes tanquam certas aut nimium probabiles prędicere esse valdè temerarium. Quia punctum conceptionis rarò aut nunquam sciri potest, quod tamen necessarium esse prudentiores Astrologi asseruerunt. Cuius rei ratio est, quòd astra non minus influant illo tempore, quàm natiuitatis; quòdque vehemens apprehensio matris propter coniunctionem animæ cum corpore, siue immediatè, siue mediãte appetitu sensitiuo immutet corpus; atque adeò & generatrici facultati, ac semini qualitates earum rerum, quas apprehendit, virtualiter imprimat, vti experientiâ constat. Hũc enim refert Leuinus Lemnius lib. 4. de occultis naturæ miraculis, cap. 7. quod suo tempore ouicula prodierit, quæ haberet caput Phocæ, seu vituli marini, quòd inter concipiendum, ouis mater, huiusmodi belluam marinam conspexisset. Leonardus Vairus lib. 1. de Fascino cap. 2. scribit prolem albam ex vtroque parente Aethiope natam, quòd maritus alio modo personatus generationi vacasset. Vide alia in hanc rem dicta Disc. 58. n. 6. Secundò quia pauca assequitur, & pauciora potest naturaliter scire de virtutibus ac proprietatibus stellarũ. Tertiò quia qualitates, & conditiones rei generandæ magis pendent ex dispositionibus materiæ, ex quâ producenda est, & ex efficaciâ proximæ virtutis actiuæ, quàm ex influentia cœlorum: vnde ex solo aspectu siderum, qui in puncto conceptionis vel horâ natiuitatis concurrit, non potest satis colligi futu-

futura complexio, tẽperies, aut inclinatio prolis genitæ, vti etiam experiẽtia constat. Videmus enim agricolas eodem tempore, & sub eodem siderum aspectu, multa semina in terram iacere, vnde diuersa nascuntur, propter diuersas species & vires seminum. Ex quo D. Augustinus duo infert, primum, quod sidera hanc varietatem non magis impediant in hominibus, quam in herbis, arboribus, cæterisque animantibus, his verbis: *Quod animæ nostræ non sint natura corporibus, nec quidem cælestibus subditæ, audiant & Philosophos suos: quia vero terrenis corporibus illa corpora superiora, non ad ea quæ ipsi tractãt potentiora sunt, vel hinc aliquando cognoscant, quia cum multa corpora diuersorum generum, vel animantium, vel herbarum & arbustorum, vno simul puncto temporis seminentur, vnoque puncto temporis innumerabiliter multa nascantur, non tamen diuersis, sed etiam iisdem terrarũ locis tantæ sunt varietates in progressibus, in actibus, & passionibus eorum, vt verè isti (sicut dicitur) perdant sidera, si ista considerent.* Hoc ipsum paulo vberius & enucleatius tractat apud A. Gellium lib. 14. c. 1. Phauorinus. *Si vitæ*, inquit, *mortisque hominum, rerumque humanarum omnium tempus, & ratio, & causa in cælo & apud stellas foret; quid de muscis aut vermiculis, aut echinis, multisq; alijs minutissimis terræ marisque animantibus dicerent? an ista quoque ijsdem, quibus homines legibus nascerentur, ijsdem itidem extinguerentur? vt aut ranunculis quoque & culicibus nascendi fata sint de cælestium siderum motibus attributa; aut si id non putarent, nulla ratio videretur, cur ea siderum vis in hominibus valeret, si deficeret in cæteris.* Adeoque certum est plures infantes sub eâdem cõstellatione natos posse diuersæ esse complexionis: vt si mater alterius melioris complexionis sit, melioréque materiam conceptioni filij ministret, multum conferet ad meliorem fœtus complexionem: si vero accedat paterna virtus fortior, calidior &c. sine dubio multum efficiet ad meliorem filij complexionem.

Alterum, quòd D. Augustinus infert, est quod Genethliaci sine ratione fatalem stellarum rationem ad solos homines sibi subijciẽdos pertinere velint, cum exẽplo geminorum Esau & Iacob sub eâdem cõstellatione genitorum conuincantur. Sic enim ait: *Quid autem insulsius & hebetius, quam cum istis rebus conuincuntur, dicere ad solos homines sibi subijciendos fatalem stellarum pertinere rationem, in quibus tamen etiam ipsis de geminis conuincũtur, quorum diuersè viuentium, diuersè fœlicium vel infælicium, diuersèque morientium, easdem plerumque cõstellationes accipiunt? Quia etsi interfuit aliquis cum de vtero funderentur, in nonnullis tamen tantum interest, quantum ab istis comprehendi computatione non possit. Manus sequentis Iacob, dum nascerentur, inuenta est pedem fratris præcedentis tenens, vsque adeo sic nati sunt, vt quasi vnus infans in duplum prolixior nasci videretur. Horum certè constellationes, quas appellãt, nullo modo dispares esse potuerunt. Quid ergo vanius, quam vt illas cõstellationes intuens Mathematicus, ad eundem horoscopum & ad eandem lunam, diceret vnum eorum à matre dilectum, alterum non dilectum?*

Quartò, quia cõplexio multum mutari potest ex sanitate, temperãtia, alimẽtis, alijsque exercitijs matris, dum prolem gestat in vtero, immo certum prolẽ sæpe alterari ex apprehensione, & alteratione matris; videlicet cum matri spectrum aliquod obueniet, vnde aliqui totâ vitâ pallidi deprehenduntur, aliqui signa gliris, muris, aliorumque animãtium in corporibus infixa gestare, quòd mater huiusmodi obuia horruerit, & manum, quæ faciem detersit, illo loco fixerit. Inde est quod quidam nõ solum grauidas mulieres vetent intueri fœdissimos animalium vultus, sed etiam hominum, ne visibus occurrentes similes fœtus parere faciãt. Memorabile est quod Thomas Morus Martyr versu scriptum reliquit, quandam fœminam marito longè absente quatuor filios peperisse ex adultero dissimillimos marito, ideoq; ab eo repudiatos. Sed postea marito iterum absente alium filium ex adulterino concubitu rursum genuisse marito simillimum, quod in singulos dies mariti aduentum expectãs valdè anxia vehemẽter metuerit, ne ex inopinato illius aduentu deprehende-

Aug. — Phauorin.

henderetur in flagitio, indeq; similitudinem & imaginem viri perfectè impressisse fœtui: adeo vt maritus rediens illum pro suo habuerit. Et hac de causa rarò deliciæ, noui fructus, aliaque, quæ nimis appetunt, prægnantibus deneganda sunt, quia ordinariè fœtus patitur. Quinto, quod etiam experientia doceat inclinationes hominum in adolescentia vix dignosci posse. Hinc Salomō Prouerb. 30. *Tria sunt difficilia mihi & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri super terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia.* q.d. Difficile, immo plane impossibile, viam aquilæ aëra tranātis, & colubri per nudam petram labētis, ac nauis per liquidas aquas ruentis dignoscere, ac certò destinare; sed longe difficilius est adolescentis mores, & ingenium assequi, & assignare propter eius ætatis instabilem conditionem. Lactātius diuin. instit. lib. 7. *In adolescentibus*, inquit, *mobilia sunt ingenia*. Et Virgilius ait: *Dum faciles animi iuuenum, dum mobilis ætas.* De hac iuniorum mobilitate plura Aristot. lib. 8. Ethic. c. 3. ex qua colligit nullum satis certum iudicium in ea ætate, de illorum ingenio, ac moribus ferri posse: quo spectat etiā carmen Homericum à Plutarcho citatum ex Iliade. 7. *Sēper autem iuniorum virorum mentes pendent.* idest, in ancipiti quodam æquilibrio sunt, vt in hanc vel illam partem flectant.

Prou. 30.

Lactātius.

Virgilius.

Arist.

3. Sed quæres, esto; perfectè cognosci possint inclinationes hominū ex astris, an aliquid ex ijs concludi possit pro fatali necessitate quam inducunt Astrologi. Respondeo negatiuè, & ratio est quod anima non subsit corporibus cœlestibus, & sic non pendeat à cœlo: quia mens hominum est materiæ expers & incorporea, in quam nullum corpus agere potest; libera etiam est & suarum actionum domina, quæ ad hoc vel illud agēdum suo arbitratu, & voluntate seipsam potest applicare. Vnde licet vel à cœlo, vel ex naturali constitutione & temperatione sui corporis, vel aliunde instigetur ad male agendum, potest tamen reniti, & vi sua omnes instinctus, impulsus, & irritamēta extrinsecus ei obiecta, cōprimere & irrita facere: quin etiam contra quàm incitatur agere. Hoc manifestum fit, vel vnius Socratis exemplo, qui ex naturali corporis affectione & comparatione, & bardus & mulierosus erat: sed eiusmodi vitiosas naturæ propensiones, adeo animi robore & diligentiæ magnitudine emēdauit, vt omnium sui temporis prudentissimus & continentissimus sit habitus. Et inde est quod Scriptura sacra moneat prauas inclinationes in prima ętate compescere, Ecclesi. 30. dicens: *Non des illi*, supple filio, *potestatem in iuuentute, & tunde latera eius, dū infans est: ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.* Hinc Pædagogos illis præficimus, qui defectus naturę ratione debellent. D. Chrysost. homil. 84. in Matth. hanc rem ponderans, comparat eius mores tempestatibus maris, quibus commouemur, & quæ gubernatoris artificio superandæ sunt. Accipe hoc eius verbis: *Pelagus*, inquit, *est longe lateque protensum hæc vita; & quemadmodum in mari vniuerso sinus diuersi alijs, atque alijs tempestatibus commouentur, præcipuè velut Aegeum ventis exasperatur, Tyrrhenum vero fretum propter angustias, Charybdis autem, quæ est Lybiam versus, propter stagna, syrtes, & breuia, Pontus magnitudine fluctuum atque impetu, Hispanicus Oceanus, quia inuius, carentia portuum, & locorum ignorantia difficilis nauigantibus est.* Deinde rem accōmodans, addit: *Sic & in vita nostra fieri videmus. Nam primum in ea pelagus pueritiæ: puerum quippe videre licet in quadam ætatis conditione, quæ multis procellis iactatur, tum quia mens imbecillis est, tum quia nulla firmitate adhuc roboratur, sed huc atque illuc flectitur: quapropter pædagogos illi, & magistros præficimus, vt defectus naturæ diligentia suppleat: sicut in nauigando gubernatoris artificio maris asperitas superatur. Adolescentium fluctus pueritiæ succedunt, qui vehementius, sicut Aegæum mare, concupiscentiæ ventis exagitantur; quæ quidem ætas pōtissimum correctione destituitur*

Eccles. 30.

Chrysost.

non solum, quia maioribus turbationum fluctibus ceditur; verumetiam, quia pædagogus tunc, & magister subtrahitur. Quapropter cum maiori turbine venti spirent, & rationis gubernator sit imbecillior, nullusque alius tutor adsit, considera tempestatis magnitudinem. His adstipulantur, ipsi Astrologi, qui in horoscopis, quos conscribunt, subinde addunt prauas inclinationes, quas prędicunt ratione debellandas esse, vt ipse deprehendi ex lectione cuiusdam Planetæ, qui nuper fortè fortuna in manus meas incidit.

4. Sed dices, lucta tamen paruulorum Iacob & Esau Genes. 25 facta est in signum quòd inter se colluctarentur de primogeniturâ & primatu, nullâque ratione compesci potuit. *Genes. 25.*

Respondeo hanc luctam non ex astris, aut vi naturæ id præsignasse sed Dei nutu factam esse ad illud notãdum, vt patet vers. 23. vbi Deus consultus à Rebecca respondit: *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populusque populum superabit: adeoque ad inclinationes naturales non pertinet.* Quod autem Esau fratrem Iacob continuo odio persequeretur, ex malâ voluntate processit, & in posteris eius continuata est, ob quam causam meruerunt à Deo graui pœnâ affligi, quam exprimit Amos Propheta cap. 1. v. 11. his verbis: *Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Edom, & super quatuor non conuertam eum: eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum, & violauerit misericordiam eius, & tenuerit vltrà furorem suum, & indignationem suam seruauerit vsque in finem.* id est, Non parcam Idumæis tum propter alia scelera quàm plurima, tum vel maximè propter illud scelus, quo ad extremum superiora cumularunt; quia cum Israëlitis habuerunt, & odium implacabile, & immortale bellum, & illis, cum ipsorum indigerent misericordiâ, districtum obtenderunt gladium, & supplices ab omni humanitatis officio repulerunt, & paterni furoris, atque odij tenacissimi fuerunt, illudque ad finem vsque obstinato consilio conseruarunt. Pro quo nota cœpisse hoc dissidium ab ipso Esau, qui ob erepta sibi primogenita à Iacob eum internecino odio persecutus est: vnde factum, vt odium fratrum seruaretur in posteris, ait S. Hieon. nam illud cum semine propagarunt, non tam ipse, quàm nepotes eius in posteros: quòd tam acre & continuum fuit, vt acerbè de eo querantur Prophetæ. *Amos 1.*

5. Quæres ergo, vnde eueniant, quæ Astrologi prædicunt? Respondeo id fieri varijs de causis. Prima est, dæmon sæpius procurat quod per diuinos ex pacto prædicit, vt pestiferam artem commendet: qualia sunt, quæ ipsemet postea facturus est, aut quæ ipse nouit in Regionibus remotissimis facta, & prædicit quasi futura: aut etiam ex præparatione causarum aliarumq; rerum, quæ ad gerendum aliquid debent concurrere, conijcit ob incredibilem subtilitatem, solertiam mentis & millium annorum experientiam. Quapropter maximè cauendi sunt, qui sæpius vera prædicunt, vt monet August lib 2. de Genes. ad litteram cap. 17. in hæc verba. *Quapropter bono Christiano siue Mathematici, siue quilibet impiè diuinantium, maximè dicentes vera cauendi sunt, ne consortio dæmoniorum animam deceptam pacto quodam societatis irretiant.* Et lib. 2. de Doct. Christ. cap. 22. idem monet & confirmat locis Scripturæ Deuteron. 13. *Si dixerint vobis, & ita euenerit, ne credatis eis.* Et Act. 16. vbi Apost. Paulus ventriloquam fœminam verum testimonium de Apostolis Domini perhibentem compescuit, & dæmonij correptione atque exclusione mũdauit. Ex quibus concludit: *Omnes igitur artes huiusmodi vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis ex quâdam pestiferâ societate hominum & dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosa amicitia constituta penitus sunt repudianda, & fugienda Christiano.* *August.* *Deut. 13.* *Act. 16.*

6. Secunda causa est, quòd Astrologi consulti ab aliquibus ignoto sic instinctu agitentur, vt non ex astris, sed nescientes proferant, quæ ex

ex iusto iudicio Dei consulentes meruerunt audire: vt quòd magna infortunia patientur, aut subitò è viuis eripientur. Sicut enim legimus Balam pergentē, vt filijs Israël malediceret, Dei instinctu pręter mētem benedixisse, & posuisse Deum in os asinæ, vt loqueretur contra Balam magistrum suum, dum pergit filijs
Num. 23 Israël maledicere, Numer. 23. Ita etiam mentem Astrologorum sæpe mouet, & linguam moderatur ad id dicendum, quod vult consulentibus significari:

7. Tertia causa est, solertia sagacis ingenij, ex qua perspectis quorundam hominum temperamentis, & affectionibus corporum, studijs item, exercitationibus, institutis, familiaritatibus, denique virtutibus, aut vitijs, multa euentura eis præuident, ipsisque magna asseueratione & auctoritate prænuntiant, ac plerumque adiuuant. Ad hoc genus diuinationum pertinet, si quis Principem tyrannicè tractantem ciues, & crudeli dominatu prementem, à suis eum occisum iri prædixerit; hominemque frequentissimum in rapinis suspendio periturum; religionis contemptorem, falsęque doctrinæ proseminatorem contra veritatem fidei, & Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem ignis supplicio mulctatum iri. Hoc genere diuinationis vsus est Annibal, qui perspectâ imperitiâ, atque temeritate Terentij Varronis & C. Flaminij Romanorum Coss. & Imperatorum Afris victoriam, Romanis cladem insignem valdè fidenter & asseueranter prædixit: eamque prædictionem mox certaminis exitus plurimis Romanis interfectis comprobauit.

8. Quarta est nimia credulitas, quæ solet instillare animis consulentium magnam spem rei bonæ à Diuinis promissæ, vel ingentem metum inijcere tristium & acerborum casuum calamitatisq; ab illis prænūtiatæ. Ex quibus contingit illos vehementer adlaborare, vt prosperitatem prædictam assequantur. Luculenta huius rei exempla reperta sūt in Romano exercitu, cui, vt scribit Liuius, cùm auguria & auspicia secretò inspecta infaustum belli exitum minitarentur, auspices & duces ne militem in arma euntem infausto nuntio consternarent, versis in contrariam partem auspicijs omnia fausta, & triumphalia portendi, & à Dijs promitti mentiti sunt; quo mendacio vtiliter decepti milites alacriter prælium inierunt, fortiter pugnarunt; & hostes, quos auguria victores fore præmonstrabant, feliciter vicerunt. Contrà verò quia Nicias dux classis Atheniensium, cognitâ sibi Lunę defectione portendi putat classis naufragium si ea nocte portum egrederetur, cùm stulto metu occupatus oppressusque discessum differt, à Syracusanis cum totâ classe captus est.

9. Quinta causa est, quòd sæpè casu accidant quæ prædicunt, non quòd illius rei aliquam habeant scientiam. Et hoc verissimum esse facilè credi potest ex horoscopis, quos conscribunt: tam varios enim status solent designare, ad quos recēs natus destinetur, vt vix possibile sit non aliquem ex multis illi contingere, & tam dubiè de ijs loquuntur, vt nihil dicere censendi sint; quod horoscopos examinanti facilè constabit. Omitto, quòd non tam videantur ex inspectione astrorum humanos euentus prædicere, quàm ex regulis, quas ipsi fabricarunt: quod mihi nō solùm probabile, sed certum videtur ex familiari quodam exemplo. Eram ante annos quamplures Olyssipone in Portugallia, ibi deprehendi cōterraneum & familiarissimum amicum meum Antvverpiensem, cuius Planetam conscripserat quidam Astrologus Antvverpię. Cœterum contingit nos simul sermocinari de huiusmodi horoscopis, & inter cœtera illum mihi referre, quòd indicato natiuitatis tempore quemdam Astrologum illius ciuitatis consuluerat, eundemq; eadem omnino respondisse, quæ Antvverpiensis ille pluri-

non solum, quia maioribus turbationum fluctibus ceditur; verumetiam, quia padagogus tunc, & magister subtrahitur. Quapropter cum maiori turbine venti spirent, & rationis gubernator sit imbecillior, nullusque alius tutor adsit, considera tempestatis magnitudinem. His adstipulantur, ipsi Astrologi, qui in horoscopis, quos conscribunt, subinde addunt prauas inclinationes, quas prędicunt ratione debellandas esse, vt ipse deprehendi ex lectione cuiusdam Planetæ, qui nuper fortè fortuna in manus meas incidit.

4. Sed dices, lucta tamen paruulorum Iacob & Esau Genes. 25 facta est in signum quod inter se colluctarentur de primogeniturâ & primatu, nullâque ratione compesci potuit.

Gene. 25.

Respondeo hanc luctam non ex astris, aut vi naturæ id præsignasse sed Dei nutu factam esse ad illud notãdum, vt patet vers. 23. vbi Deus consultus à Rebecca respondit: *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populusque populum superabit: adeoque ad inclinationes naturales non pertinet.* Quod autem Esau fratrem Iacob continuo odio persequeretur, ex malâ voluntate processit, & in posteris eius continuata est, ob quam causam meruerunt à Deo graui pœnâ affligi, quam exprimit Amos Propheta cap. 1. v. 11. his verbis: *Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Edom, & super quatuor non conuertam eum: eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum, & violauerit misericordiam eius, & tenuerit vltrà furorem suum, & indignationem suam seruauerit vsque in finem.* id est, Non parcam Idumæis tum propter alia scelera quàm plurima, tum vel maximè propter illud scelus, quo ad extremum superiora cumularunt; quia cum Israëlitis habuerunt, & odium implacabile, & immortale bellum, & illis, cum ipsorum indigerent misericordiâ, districtum obtenderunt gladium, & supplices ab omni humanitatis officio repulerunt, & paterni furoris, atque odij tenacissimi fuerunt, illudque ad finem vsque obstinato consilio conseruarunt. Pro quo nota cœpisse hoc dissidium ab ipso Esau, qui ob erepta sibi primogenita à Iacob eum internecino odio persecutus est: vnde factum, vt odium fratrum seruaretur in posteris, ait S. Hieon. nam illud cum semine propagarunt, non tam ipse, quàm nepotes eius in posteros: quòd tam acre & continuum fuit, vt acerbè de eo querantur Prophetæ.

Amos 1.

5. Quæres ergo, vnde eueniant, quæ Astrologi prædicunt? Respondeo id fieri varijs de causis. Prima est, dæmon sæpius procurat quod per diuinos ex pacto prædicit, vt pestiferam artem commendet: qualia sunt, quæ ipsemet postea facturus est, aut quæ ipse nouit in Regionibus remotissimis facta, & prædicit quasi futura: aut etiam ex præparatione causarum aliarumq; rerum, quæ ad gerendum aliquid debent concurrere, conijcit ob incredibilem subtilitatem, solertiam mentis & millium annorum experientiam. Quapropter maximè cauendi sunt, qui sæpius vera prædicunt, vt monet August lib 2. de Genes. ad litteram cap. 17. in hæc verba. *Quapropter bono Christiano siue Mathematici, siue quilibet impiè diuinantium, maximè dicentes vera cauendi sunt, ne consortio dæmoniorum animam deceptam pacto quodam societatis irretiant.* Et lib. 2. de Doct. Christ. cap. 22. idem monet & confirmat locis Scripturæ Deuteron. 13. *Si dixerint vobis, & ita euenerit, ne credatis eis.* Et Act. 16. vbi Apost. Paulus ventriloquam fœminam verum testimonium de Apostolis Domini perhibentem compescuit, & dæmonij correptione atque exclusione mũdauit. Ex quibus concludit: *Omnes igitur artes huiusmodi vel nugatoria, vel noxiæ superstitionis ex quâdam pestiferâ societate hominum & dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosa amicitia constituta penitus sunt repudianda, & fugienda Christiano.*

August.

Deut. 13.

Act. 16.

6. Secunda causa est, quòd Astrologi consulti ab aliquibus ignoto sic instinctu agitentur, vt non ex astris, sed nescientes proferant, quæ ex

ex iusto iudicio Dei consulentes meruerunt audire: vt quòd magna infortunia patientur, aut subitò è viuis eripientur. Sicut enim legimus Balam pergentẽ, vt filijs Israël malediceret, Dei instinctu prçter mẽtem benedixisse, & posuisse Deum in os asinæ, vt loqueretur contra Balam magistrum suum, dum pergit filijs Israël maledicere, Numer. 23. Ita etiam mentem Astrologorum sæpe mouet, & linguam moderatur ad id dicendum, quod vult consulentibus significari:

Num. 23

7. Tertia causa est, solertia sagacis ingenij, ex qua perspectis quorundam hominum temperamentis, & affectionibus corporum, studijs item, exercitationibus, institutis, familiaritatibus, denique virtutibus, aut vitijs, multa euentura eis præuident, ipsisque magna asseueratione & auctoritate prænuntiant, ac plerumque adiuuant. Ad hoc genus diuinationum pertinet, si quis Principem tyrannicè tractantem ciues, & crudeli dominatu prementem, à suis eum occisum iri prædixerit; hominemque frequentissimum in rapinis suspendio periturum; religionis contemptorem, falsęque doctrinæ proseminatorem contra veritatem fidei, & Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem ignis supplicio mulctatum iri. Hoc genere diuinationis vsus est Annibal, qui perspectâ imperitiâ, atque temeritate Terentij Varronis & C. Flaminij Romanorum Coss. & Imperatorum Afris victoriam, Romanis cladem insignem valdè fidenter & asseueranter prædixit: eamque prædictionem mox certaminis exitus plurimis Romanis interfectis comprobauit.

8. Quarta est nimia credulitas, quæ solet instillare animis consulentium magnam spem rei bonæ à Diuinis promissæ, vel ingentem metum inijcere tristium & acerborum casuum calamitatisq; ab illis prçnũtiatæ. Ex quibus contingit illos vehementer adlaborare, vt prosperitatem prædictam assequantur. Luculenta huius rei exempla reperta sũt in Romano exercitu, cui, vt scribit Liuius, cùm auguria & auspicia secretò inspecta infaustum belli exitum minitarentur, auspices & duces ne militem in arma eüntem infausto nuntio consternarent, versis in contrariam partem auspicijs omnia fausta, & triumphalia portendi, & à Dijs promitti mentiti sunt; quo mendacio vtiliter decepti milites alacriter prælium inierunt, fortiter pugnarunt; & hostes, quos auguria victores fore præmonstrabant, feliciter vicerunt. Contrà verò quia Nicias dux classis Atheniensium, cognitâ sibi Lunę defectione portendi putat classis naufragium si ea nocte portum egrederetur, cùm stulto metu occupatus oppressusque discessum differt, à Syracusanis cum totâ classe captus est.

9. Quinta causa est, quòd sæpè casu accidant quæ prædicunt, non quòd illius rei aliquam habeant scientiam. Et hoc verissimum esse facilè credi potest ex horoscopis, quos conscribunt: tam varios enim status solent designare, ad quos recẽs natus destinetur, vt vix possibile sit non aliquem ex multis illi contingere, & tam dubiè de ijs loquuntur, vt nihil dicere censendi sint; quod horoscopos examinanti facilè constabit. Omitto, quòd non tam videantur ex inspectione astrorum humanos euentus prædicere, quàm ex regulis, quas ipsi fabricarunt: quod mihi nõ solùm probabile, sed certum videtur ex familiari quodam exemplo. Eram ante annos quamplures Olyssipone in Portugallia, ibi deprehendi cõterraneum & familiarissimum amicum meum Antvverpiensem, cuius Planetam conscripserat quidam Astrologus Antvverpię. Cœterum contingit nos simul sermocinari de huiusmodi horoscopis, & inter cœtera illum mihi referre, quòd indicato natiuitatis tempore quemdam Astrologum illius ciuitatis consuluerat, eundemq; eadem omnino respondisse, quæ Antvverpiensis ille pluri-

bus annis antè scripto illi tradiderat: quod certè paradoxum videtur, cum euidens sit in spatio trecentorum quinquaginta milliarium, atque Antvverpia Olyssipone distat, diuersam esse inspectionem astrorum. Vnde non mirum est, quod vt plurimum falsa deprehendantur, quæ certo prædicũt, quemadmodum ex multis historijs constat: & verissime
Phauorin. dixit Phauorinus apud A. Gellium lib. 14. c. 1. his verbis: *Non enim comprehensa, neque definita, neque percepta dicunt, sed lubrica atque ambagiosa coniectatione nitentes, inter falsa atque vera pedetentim quasi per tenebras ingredientes eunt: & aut multa tentando incidunt repente imprudentes in veritatem, aut ipsorum qui eos consulunt, multa credulitate ducente perueniunt callidè ad ea quæ vera sunt: & idcirco videntur in præteritis rebus, quam futuris, veritatem facilius imitari.* Et tum subnectit, quod meo intento congruit: *Ista tamen omnia quæ aut temere aut astutè vera dicunt, præ ceteris inquit, quæ mentiuntur, pars ea non fit millesima.*

10. Videant ergo, qui hisce hominibus aurem præbent, quantis periculis se subijciant. Et attendant præter peccatum nil nisi angustias ex eorum prędictionibus oriri, quod his verbis dicto loco annotauit Phauorinus, dum ait: *Aut aduersa euentura dicunt, aut prospera. Si dicunt prospera & fallunt, miser fies frustra exspectando. Si aduersa dicunt, & mentiuntur, fies miser frustra timendo. Si vera respondent, eaque sunt non prospera, iam inde ex animo miser fies antequam è Fato fias. Si felicia promittunt, eaque euentura sunt, tum plane duo erunt incommoda: & exspectatio te spe suspensum fatigabit, & futurum gaudij fructum spes tibi iam desflorauerit.* Et hinc concludit: *Nullo igitur pacto vtendum est istiusmodi hominibus res futuras præsagientibus.* Idem.

Discursus LXX.

Vtrum ex habitudine corporis, oculis, motibus membrorum, ac lineamentis manuum futura prædicere liceat?



Eccles. 19. ECclesiast. 19. cap. ait Sapiens: *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus.* Quibus verbis indicare videtur de alicuius probitate, aut stultitia, ex facie aut oculis hominum quid posse coniectari. Vnde inquiram quatenus id liceat.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam prænotandum est, esse Physionomiam duplicem, naturalem & Astrologicam. Et iuxta priorem dico primo, licitum esse, ex corporis dispositione, & membrorum habitudine, & proportione probabiliter coniectare animi affectus, ingenium, corporis temperiem, bonam aut malam valetudinem: quia ex ijs probabiliter dignosci possunt. Probatur ex Scripturis, 1. Paralip. 12. 1. Paral. 12. vbi ex facie asseritur viros quosdam esse robustissimos, in verbis versus 8. *Sed & de Gaddi transfugerunt ad Dauid, cum lateret in deserto, viri robustissimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum & hastam: facies eorum quasi facies leonis, & veloces quasi capreæ in montibus.* Et 1. Reg. 9. vbi Saul introducitur proceræ staturæ ad regnum assumendus, his verbis: *Erat ei*, supple Cis, *Filius vocabulo Saul* &c. *ab humero & sursum eminebat super omnem populum.* Hoc enim videtur Deus respexisse, vt iuxta animi bona, & virtutum ornamenta eligendus in Regem non esset despicabilis forma, quod homines olim soliti fuerint illos existimare imperio dignos, quos exterior forma & augusta persona commendabat. Vnde legitur Nabuchodonosor Daniel. 1. obtenta Hierosoly- 1. Reg. 9. Daniel. 1.

rosolymâ mandasse Præposito Eunuchorum, siue Magistro palatij, vt ex pueris Hebræorum ad atriense ministerium assumeret aliquos, in quibus *nulla esset macula, decoros formâ* &c. quæ nempe occultam indolem proderet & latens ingenium. Accedit testimonium Curtij lib. 6. vbi ait: *Plurimis Gentibus in corporis maiestate venerationem esse; magnorumque operum non alios capaces existimare, quam quos eximia specie donare natura dignata est.* Hoc etiam docuit Aristoteles 4. Politicorum, cap. 4. vbi docet id esse apud Æthiopes pene legitimum, *vt secundum magnitudinem, aut secundum pulchritudinem magistratus honoresque publici distribuerentur.* His suffragatur Sapiens Eccles. 18. dicens: *Sapientia hominis lucet in vultu eius.* Et confirmatur ratione. Cum enim vehementes animi affectiones, & perturbationes cuiusmodi sunt iræ, timores, odia multùm ex corporis temperamento, & crasi pendeant, ita vt illis magis sit obnoxius is, in quo aut bilis, aut sanguis, aut alius humor, aut qualitates illæ primariæ caloris aut frigoris, humoris aut siccitatis vitiosè redundarint, necesse est fateri easdem pulchritudinis corporis, & compositæ sedatæque mentis causas esse, humorum scilicet & qualitatum bene temperatam mixtionem. Propter hanc causam Theologi & Patres nonnulli Christi Domini corpus pulcherrimum fuisse asseuerant, non quidem eâ pulchritudine quæ muliebris est, & venustas dicitur, sed eâ quæ virum decet, & formæ dignitas appellari potest. Nam in Canticis, in quibus prophetice vaticinando Christi Domini cum Ecclesia canitur epithalamiũ, dicitur: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus.* & de eodem dicitur in Psalmis: *Speciosus formâ præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis.* Vnde sicut videmus Equisones generosum equum, & venatores canes venaticos ex conformatione corporis, nouisse, & plerumque veram ex eâ coniecturam assequi: ita probabile est aliquam de hominibus, licet non tam certam, quam in brutis, de naturalibus animi aut corporis viribus noscendis, propensionibus etiam & studijs ex physiognomia capi posse coniecturam.

Curtius.

Aristot.

Eccles. 18.

Cant. 1 5.

Psal. 44. 3.

2. Quod dixi de corporis pulchritudine, hoc etiam ex facie, & oculis coniectari posse ostendit Sapiens, cum Eccles. 13. dicit: *Cor hominis immutat faciem illius, siue in bona, siue in mala.* Cor enim hominis, vt inquit eo loci Iansenius, pro sua diuersâ dispositione immutat faciem illius, siue ad bona, siue ad mala, vt scilicet vel læta sit, vel tristis, & vel benè se habeat, vel malè. Quamquam enim vultus volui possit, varieque fingi, tamen plerumque est index animi affecti, in quo expressa sunt signa iracundiæ, clementiæ, hilaritatis, & tristitiæ; item signa conscientiæ, ac timoris & verecundiæ. *Sicut enim ex abundantiâ cordis os loquitur, & bonus homo de thesauro cordis profert bona, malus mala*; ita pro variâ dispositione cordis, varia est & vultus dispositio, immò & totius corporis. *Spiritus enim tristis*, inquit Sapiens, *exsiccat ossa, animus verò gaudens ætatem floridam facit.* Et immediatè post concludit, duplici ratione cor hominis immutare vultum eius: nempe quia affectio cordis latentis ferè diffunditur in exteriorem vultum, vt talis sit vultus hominis, quale est cor; & quia ex cordis dispositione pendet bona vel mala hominis valetudo, & sanitas, vel ægritudo.

Eccles. 18.

Iansenius.

Matt. 12.

Prou. 17.

3. Simile quid ex oculis conijci posse docet idem Sapiens, cum Prouerb. 17. dicit *Oculos stultorum* esse *in finibus terræ*: hoc est, stultos per oculos instabiles, & vagos, quos in valdè dissita iaciunt, stultitiæ maximum dare argumẽtum. Et Prouerb. 6. vbi sceleratum hominem describens dicit: *Homo apostata vir inutilis graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum.* Id est, homo, qui dereliquit Deum, omnibus suis membris in alterius perniciem abutitur, verbis amicitiam simulat, alijs corporis

Prou. 17.

Prou. 6.

poris

poris partibus contrarium significat suis complicibus, videlicet oculis, pede & manu. Cui benè conuenit quod dicitur Psal. 34. *Oderunt me gratis, & annuunt oculis. Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur; & in iracundiâ terræ loquentes, dolos cogitabant.*

Psal. 34.

Gregor. Nazian.

Iuxta has Scripturas Gregor. Nazianzen. orat. 2. in Iulianum dicit, se longè antè perspexisse ex corporis habitu Iulianum, qualem postea deprehendit, nempè Apostatam, post Iudæos Christi hostem, post Iudam proditorem, post Pilatum Christicidam. Sic enim ait: *Tunc igitur me non malum de hoc viro coniectorem fuisse noui, quamquam alioqui non ex eorum numero sum, qui in huiusmodi rebus sciti atque ingeniosi sunt. Sed me morum ac gestus ipsius inæquabilitas, atque ingens quædam mentis emotio, vatem efficiebat: siquidem vates optimus ille est, qui rectè conijcere potest. Neque enim mihi boni quidquam significare videbantur ceruix minimè firma, humeri, quos subinde agitabat, & attollebat, oculus vagus, & oberrans, ac furiosum quoddam intuens; pedes instabiles & titubantes, nasus contumeliam spirans, vultus lineamenta ridicula idem significantia, risus proterui, & exæstuantes, nutus & renutus omni ratione carentes, sermo hærens, spiritusque intercisus, interrogationes præcipites, & imperita, responsiones his nihilo meliores, aliæ in alias insultantes, non autem graues & constantes, nec eruditionis ordine progredientes. Quid singula describere necesse est? Talem ante opera conspicatus sum, qualem in operibus postea cognoui.*

Cassiod.

Hoc sensu dixit Cassiodorus lib. 4. vocem quandam esse animi, corporis motum. Ex quâ causâ Iuris interpretes censent, quando plures de aliquo crimine sunt accusati, eâque de causâ capti, primùm quæstioni subijciendum facie deformiorem, quòd credendus sit animo quoque prauior esse, Baldus in L. 2. n. 5. Codice, *Quorum appellat. non recip.* Et alij. Vt vt est, id constat ex Scripturis, quod Polemon lib. de Natiui. & signor. interpret. ait, vel capillos crispos stolidum, ac ferinos mores subindè denotare; exemplo Esau 27. cap. Genes. qui manibus erat hispidis & villosis, & talibus etiam moribus; ita vt fratrem etiam quæreret ad mortem.

Baldus.

Polemon.

Genes. 27.

4. Verùm enimuerò addo, nihil certò ex his prædici posse: quia hæc signa sæpè non conueniunt rebus; vel quia inclinationes malæ, etiam sæpè à voluntate & ratione compescuntur vultu manente deformi; vel etiam quòd nouerint aliter homines apparere, quàm reuera interius se experiuntur. Docet enim Aristoteles staturâ paruos acutioris esse ingenij, quam eos, qui longioris sunt staturæ. Sic enim ait in Physiognom. *Parui valdè acuti sunt; motu enim sanguinis paruum locum continentis motiones quoque valdè velociter accedunt ad sapere: qui autem sunt valdè magni, tardi; motu enim sanguinis magnum locum continentis motus tardè accedunt ad sapere.* Et patet exemplo Pauli, quem rem acu tangentem, & grauia scribentem Pseudoprophetæ deprimere volebant, quòd exiguo esset corpore, 2. Corinth. 10. dicentes: *Quoniam quidem epistolæ graues sunt & fortes, præsentia autem corporis infirma.* Non aduertentes id naturaliter sagacioris ingenij esse signum. Vnde Sapiens Eccles. 11. dicit: *Non laudes virum in specie suâ, neque spernas hominem in visu suo, breuis in volatilibus apis est, & initiū dulcoris habet fructus eius.* Quo loco Iansenius ait: *Hoc exemplo apis exigui animalculi, sed inter animalia commendatissimi propter suam singularem industriam & vtilitatem, quam inde percipiunt homines; docet homines non solâ dignitate vel proceritate corporum æstimandos, sed magis ex industriâ suâ & vtilitate quã mundo afferunt, atque hæc, vt plurimum magis inueniri in paruis corporibus, naturâ sic compensante corporis defectum, & in admirationem homines rapiente, quemadmodum apis hominibus insigne est naturæ miraculum. Nam, vt ait Cicero, valentissimo quisque corpore longissimè abest à sapientiâ. Verum enim in multis est illud Poëtæ: Nulla in tam magno corpore mica salis.* Et contra: *Maior in exiguo regnauit corpore virtus.*

Arist.

2. Cor. 10.

Eccles. 11.

Iansenius.

Cicero.

5. Deinde videmus pulchros sæpè à recto

à recto tramite deflectere: licet enim Ioseph & Dauid cum pulchritudine corporis animi etiam excellentes virtutes copulauerint, tamen Absalonis & Adoniæ eius fratris (de quibus Scriptura respectiuè dicit, 2. Reg. 14. *Sicut Absalon, vir non erat pulcher in omni Israël.* Et 3. Reg. 1. *Erat autem & ipse*, supple Adonias, *pulcher valdè secundus natu post Absalon*) non minus fuit sceleratorum studiorum infamis memoria, quam inclyta pulchritudo; vterque enim regnum Dauidicum sibi vsurpauit. Et passim videmus multos corporis formâ ad vitia abuti, & maximè puellas, aut nimium superbire, aut libidini pulchram faciem prostituere; deformes verò, quia mundo displicent, Deum & pietatem sectari. Præterea, sunt qui etsi videantur bonam habere faciem, quæ cordis boni sit testimonium, reuera tamen non habent talem, vt quæ per fictionem siue fraudulentam, siue necessariam & vtilem, non respondeat cordi. Nam & Ioab subdolè exhibuit lętam faciem Abner & Amasæ; & Hester roseo vultu colore perfusa, gratis ac nitentibus oculis, tristem celabat animum, & nimio terrore contractum.

2. Reg. 14. 3. Reg. 1. 2. Reg. 20. Esther. 2.

6. Medici etiam sæpè falluntur, vt experientia docet. Et econtrà notabile est, quod Gregorius Nyssenus lib. contra Fatum, cuidam sustinenti Astrologos vitæ breuitatem posse prædicere, respondit, nempe artem medicam vitam eius prorogare posse quem signa corporis prænuntiant iam iam moriturum. Cum enim is inter alia diceret ratione niti, quæ Astrologi prenuntiarent, quodque diutiùs viueret, cuius firmior esset constitutio, minùs, cuius infirmior, cœpit Gregorius ridere, & probare artem medicam etiam signis præualere. Quod verbis eius accipe: *His dictis*, inquit, *arrisi, & Nesciebam, inquam, fata tibi Galeni & Hippocratis ac similium parentum pignora videri: quoniam illi quoque missi siderum motione quantum factâ ex proposito corpore coniecturâ consequi poterant, futura prænuntiabant: vt cum sunt oculi caui, tempora contracta, frons indurata & vix pelli adhærescens, mortem prædicunt. At multis tamen ægris ac mortem iam iam imminentem præstolantibus ars medica huiusce fati fila quasi retexuit ac retractauit: quemadmodum Plato de Pædotriba Herodico scriptum reliquit, nunquam illum quidem gymnastico exercitio integram sanitatem recuperare potuisse, quòd morbus esset lethalis, semper tamen præsentem mortem solertia sua protraxisse, neque perfecisse vt securè viueret, sed vt tardius moreretur, ac lentâ morte ad senectutem perduraret illo remedio sapienter inuento. Quod argumento est non indissolubile esse fati vinculum, si quidem arte quâdam dissoluitur.*

Gregor. Nyssen.

7. His positis dico secundò; ex ijsdem partibus prædicere prosperos & aduersos hominis euentus, videlicet, qualis quis futurus sit, an naturalem obiturus mortem, an violentam; an honorificum statum assequetur, an plures habebit vxores, an victoriam miles reportabit ex bello, vel debellabitur; si quis aleis ludat, an lucrabitur, an damnum patietur; si nauigationem aliquò instituat, an iter ei futurum ad vota, an contrà, omnino superstitiosum esse: quia procedit hæc prædictio ex Physiognomiâ Astrologicâ iure Pōtificio damnatâ, quæ humani corporis partibus, nempe pedibus, naso, auribus, oculis, supercilijs, fronti, faciei, capiti, respondere confingit certos Planetas, hoc est, errantes stellas, quarum omnium signis inspectis & scrutatis prosperos, & aduersos hominis euentus, ac casus intelligere se putat, & prædicit audacter: atquè adeò omnibus argumentis detestabilis est, quibus probauimus Astrologiam iudiciariam Deo inuisam. Ex quo peccatum mortale incurrit, qui his signis fidē adhibet; quin etiam, qui suas actiones iuxta prædictiones huiusmodi dirigit.

8. Sed quæres (quod frequens est inter populares) an liceat Ægyptiacos, qui ex lineis manuum bonam vel malam fortunam audacter, & promiscuè prædicūt, consulere aut interrogare? Ratio quæstionis est, quòd Exod. 13. dicatur: *Erit igitur* Exod. 13.

quasi

Iob. 37. *quasi signum in manu tuâ.* Et. Iob. 37. *Qui in manu omnium hominum signat, vt nouerint singuli opera sua.*

Franciscus Valles. Respondet ad hanc rem Franciscus Vallesius lib. de sacrâ Philosophiâ cap. 32. Primò ex Chiromantiâ aliquid prædici posse, quod referri valeat in naturales aliquas causas, quodque habeat principia aut per se nota, aut alibi demonstrata, aut procedat ex certis experimentis. Secundò, si nihil horum habeat, vanum esse, ex his quippiam prædicere. Addo ego, peccatum esse & quidem mortale, eiusmodi Ægyptiacos de bonâ aut malâ fortunâ consulere, si firmiter ijs credatur; aut licet non firmiter credatur, sed ex curiositate & animo ridendi id fiat; tamen hoc aspicientibus detur scandalum. Et ratio est, quòd eiusmodi prędictio sit superstitiosa & tam abominabilis coram Deo, atque est Astrologia iudiciaria, quam audistis Isa. 47. tot plagis extirpatam, quia Isa. 47. fundamenta habet æquè stolida. Nam palmam manus, primò in certos colliculos, areolas, & lineas diuidit, areolis planetas singulos, lineis astra quædam pręficit. Horum denique astrorum atque planetarum creditos effectus ipsis areolis, ac lineis manus adscribit, idque ex suo delirio, & prætextâ experientiâ.

Res sanè paradoxa, quod in vnica vola manus sit sua regio Iouis, sua Mercurij, sua veneris; & suis lineis tãquam limitibus ita cõtineatur vis & potestas cuiusque, vt & tanta astra, tam paruo spatio viuãt cõtenta, & tam iusta sint, vt nunquam terminos trãsiliant alienos. Mira quoque hominis manus, quæ continere valeat omnes septem planetarum regiones, & terminos. Vt cum Dei filius tantùm in sua manu dextrâ habere visus sit à Ioanne septem stellas apocalyps. 1. isti videre se profiteantur in vtraque cuiuslibet etiam vilissimi & sordidissimi manu septenas stellas, & bis septem planetas.

Deinde quid stolidius, quam dicere mulierem aliquam ter nupturam, cum non sit explorata manus primi mariti cui nubet: quæ fortè iuxta eorum regulas lineam vitæ multo longiorem habebit, quàm ipsius fœminæ.

9. Sed dices possunt diuinitus illustratæ quædam prædicere vt Sibyllæ prænuntiarunt de Christo. Respondeo si tales forent, vera deberent prædicere, & quidem talia, quæ solus Deus præscire potest. At econtra falsa quotidie comperiuntur & ridicula quæ effutiunt; idque ex disciplinâ Dæmonis, & euacuandæ Consulentium crumenæ gratiâ. Sanè si ex fructibus cognoscendi sint, quemadmodum falsos Prophetas dixit Christus Matth. 7. nihil reperies in ijs, nisi punitione dignum. Matth. 7. Nam Auentinus in annal. Boior. lib. Auentin. 7. eiusmodi homines sic describit: *Eidem tempestate furacissimum illud genus hominum, colluuies, atque sentina variarum Gentium: quæ in confinio imperij Turcarum atque Hungariæ habitant (Zigenos appellamus) rege Linkelone, nostras peragrare cœpere regiones furto, rapinâ, diuinationibus impunè prorsus victum quaritant. Ex Aegypto se esse mentiuntur ex torresque domo à Superis cogi se Maiorum delicta, qui Deiparam Virginem cũ puero Iesu hospitio excipere recusarint, septem annorum exilio expiare impudentissimè confingunt. Experimentis cognoui eos vti venedica lingua, & proditores atque exploratores esse. Cum alij, tum in primis Imp. Cæs. Augus. & Albertus parens Principum nostrorum publicis edictis testantur.* Similia habent alij Auctores. Breuiter notum est pluribus locis, quòd ex furto victitent. Ego vidi quendam ante annos ferè triginta publicè flagris excipi: eo quòd homini rustico prædixerat magnum infortunium illi imminere, nec voluerit declarare quod aut quale illud esset, donec optimum illi nummum donaret, obtulit illi rusticus quem habuit summi valoris, porro illum non admisit esse optimum, ita vt rusticus cogeretur omnes pecunias suas proferre, vt inde quem optimum putaret, acciperet; sed astutior omnes pecunias rapuit, & aufugit: quod erat infortunium prædi-

prædictũ rustico imminere. Adhæc palam est, quod vtantur maleficio. Nam si quis illis ex sacco, vel capsa vnicum minimum largiatur, omnes nummi, qui in eâdem capsâ vel sacco inerant, migrasse, quò vnicus ille, non rarò deprehenduntur.

10. Vndè incumbit Principibus & Magistratibus tales omnibus medijs è suis limitibus arcere, ne eiusmodi tolerãtes scelerum impunitatem permittant, & communicent *operibus infructuosis tenebrarum*, & gladium sine causâ portent Ephes. 5. & Rom. 13. tales enim non sunt vindices in iram his, qui scelerarè agunt, sed approbatores propter conniuentiam; ob quam reiectus est à Deo Saül, 1. Reg. 15. & Achab seueram comminationem audiuit Prophetæ: *Quia dimisisti virũ dignum morte de manu tuâ, erit anima tua pro animâ eius:* id est quia Benadad Regem Syriæ in gratiã recepisti, quẽ interficere debebas, ipse morieris. Hi enim fouent nequitiam in Republicâ, ob quam causam Apostolus grauiter increpauit Corinthios, quòd tollerarent hominem incæstuosum, rationem addens: *Nescitis quia modicum fermẽtum totam massam corrumpit.* Imò illis incumbit tanto magis, quia otiantur; & de nihilo, seu de vento nemo presumitur viuere; Et quòd Respublicę benè institutæ otiosos & vagabundos omninò arceant, quòd credantur foueri in earum perniciem.

1. Reg. 15.

3. Reg. 20.

11. Sed dices, quid ad Scripturas allegatas? Respondeo easdem nullâ ratione suffragari Chiromantiæ astrologicæ. Nam prior Exod. 13. loquitur de lege comedendi phase & azymis comedẽdis in memoriam liberationis ex Ægypto. Cuius legis præcipit Deus Hebræis, vt iugẽ seruent memoriam: vt illa tanquam res pẽdula inter oculos ijs perpetuò obuersetur; idque ad hoc, vt eius intuitu & consideratione ad Dei reuerẽtiam, amorem, & gratitudinem accedantur: hoc enim important illa verba, v. 9. *Erit quasi signũ in manu tuâ, & quasi monimentum ante oculos tuos.* Vnde S. Hieron. in Matth. 23. cap. sic explicat: *Præcepta erunt in manu tuâ, vt compleantur; erunt ante oculos tuos, vt die ac nocte mediteris in eis.*

Exod. 13.

Matt. 23.

Posterior verò locus Iob. 37. nihil facit ad huiusmodi commenta, sed vel significat ex dispositione manuũ aliquatenus licere conijcere, quibus operibus exercẽdis singuli apti sint, calamo nimirum, aratro, hastæ, aut similibus. In cuius rei argumentum Dauid dictus est *manu fortis*, qui postea apparuit admodum bellicosus: aut vt interpretatur D. Thomas, hoc signum ponit Deus in mutationibus temporum & aëris, ex quibus homo discit, quid sibi præsertim in agriculturâ agendum sit. Quod confirmatur, quia vers. præcedenti dicit Iob, Deum niui præcipere, vt descendat in terram, & hyemis pluuijs, & imbri fortitudinis suæ. Atqui istis Deus claudit, & obsignat homines ipsos, cùm eorum manus adstringit cœlum tempestuosum, & iratum, & quasi sigillo appresso complicat.

Iob 37.

D. Thom.

Discursus LXXI.

An & quis vsus Sortium sit licitus?

Eccl. 8.



E Eclesi. cap. 8. dicitur: *Multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuntio.* Quæ verba licet aliò dirigantur à Sapiente, nempe ad ignorantiam operum nostrorum, quæ egimus, an Deo grata sint, an simus perseueraturi in pietate, & sic ad fœlicitatem peruenturi; nihilominus rectè cõueniunt homini ignoranti

noranti occulta præterita & magis futura, adeoque in eis se affligenti, & media quæuis adhibenti ad eorum cognitionem. Quod quia per sortes sępè contingit, hinc inquiram quod in argumento quæritur,

1. Ad huius quæsiti intelligentiam prænotanda est distinctio, quam D. Thomas 2. 2. q. 95. art. 8. constituit, videlicet, triplicem esse sortem, diuisoriam, consultoriam & diuinatoriam. Diuisoria dicitur, quando in iudicio sortium quæritur, quid cui tribuendum, siue illud sit res possessa, siue honor, siue pœna, siue functio aliqua. Consultoria dicitur, qua diuinum consilium inquiritur, vt sciatur quid in casu aliquo agēdum. Diuinatoria propriè dicitur, qua consulitur dæmon de rebus occultis, aut futuris. Quibus positis, D.Thom.

2. Dico primò, diuisoriam sortem tunc esse licitam, quando fit ad contradictiones humanas sedandas, quæ aliter terminari non possunt; in tali namque casu, licitum est cum debita reuerentia sortibus eas dirimere, iuxta illud Prouerb. 18. *Contradictiones comprimit sors.* vt verbi gratia, cùm tempore pestis, aut persecutionis necesse sit aliquos curatos manere ad salutem ouium, duo tamen sufficeront; & cum multi sint non potest Episcopus eos concordare, nesciatq; quos duorum istorum constituat, posset in hoc casu per sortem expetere designandum. Vnde S. Augustinus epist. 108. ad Honoratum ait: *Si inter Dei ministros sit disceptatio, qui eorum persecutionis tempore maneat, ne fuga fiat omnium; & qui eorū fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia, si hac disceptatio aliter non potuerit terminari, quantum mihi videtur, qui maneant, & qui fugiāt, sorte eligendi sunt.* Secundò, licet cùm plures simul sunt rei mortis, & princeps, vt clementiam in sanciēda lege adhibeat, vult aliquos ad exemplum è medio tollere, alijs ignoscere. Tertiò, Iure ciuili permittitur etiam sors pro dirimēdis dubijs rerum eiusdem priuilegij & fauoris cōcurrentibus. Veluti in communi diuidendo, familiæ herciscundæ, finium regundorum, in quibus vtriusque litigatoris par causa est, & is qui prius egerit, actor vel petitor dicitur. Si tamen ambo litigātium ad iudicem simul prouocauerint, sorte iudicium dirimendum est, quis eorum partes actoris sustinebit; & in his similibus. Quibus suffragatur mandatum Dei, quo iussit Israëlitis terram promissam sortibus diuidere. Numer. 26. & 34. quod & Iosue perfecit vnicuique tribui partem suam assignans in funiculo distributionis. Prou. 18. August. Num. 26. & 34.

3. Quæres an liceat vti sortibus in electione ad officia sæcularia & Ecclesiastica. Respondeo in temporalibus officijs ordinariè non licere, quando videlicet aliter electio fieri potest. Illa enim conferenda sunt maximè idoneis, quos diligens inquisitio & examen rationis, non casus aut cœca sors ostendit. Cum autem id sine magna dissensione fieri non potest, vt cum plures sunt pares, melius est ad sortem recurrere, quam populum dissensionibus laborare. Quod verò ad statum Ecclesiasticum pertinet, nulla ratione electio fieri potest per sortem: quia prohibitum est cap. finali de Sortilegijs, vbi Honorius Tertius scribit Capitulo Lucensi de quadam electione facta per sortem: *Electionem celebratam de ipso ad gratiam confirmationis admittimus.* id est, eam quæ de iure debuisset cassari, gratiosè confirmamus. Tum pręcauens in futurum dicit: *Sortis vsum in electionibus perpetua prohibitione damnantes.* Cuius Canonis ratio est, quod electio ad dignitates Ecclesiasticas fieri debeat inspiratione S. Spiritus, & concordiâ eligentium, non iudicio humano, vti fit in tali sorte.

4. Sed dices, Saul 1. Reg. 10. & Matthias Act. 1. sorte electi sunt: ille ad Regnum, hic ad Apostolatum. Respondeo id verum esse, sed factum esse ex inspiratione diuinâ, mediante Samuele, qui à Domino didicerat certâ horâ venturum destinatum ad Regnū: ideoque populum 1. Reg. 10. Act. 1.

lum conuocauit in Maspha, vt staret coram Domino seu coram tabernaculo & arca, ibique Deo inuocato sors missa indicaret, quem Dominus elegisset: hoc enim indicant verba Prophetæ: *Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras & familias. Et applicuit Saül omnes tribus Israël, & cecidit sors super tribus Beniamin,* &c. Idque sic cōueniebat, ne populus, qui Samuelem abiecerat, facile etiam contemneret Regem, humana sorte electum. Similis ferè fuit electio Matthiæ: cum enim duo cōstituerentur, Ioseph qui vocabatur Barsabas, & Matthias, vt vnus sufficeretur in locum præuaricatoris Iudæ, Deum consulendum duxerunt Apostoli, vt hac ratione ostenderet, quem liberet ex duobus. Sic enim rogarunt Act. 1. *Tu Domine qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis: & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.* Quo autem signo id innotuerit, an sorte fuerit, vel fortè radius cælestis, qui lustrarit bacillum aut virgam Matthiæ, an quod virga Matthiæ floruerit (sicut Num. 17. legitur de Aron) & non Iosephi, Scriptura non tradit. Verum hæc nō sunt trahenda in consequētiam, prę-sertim vbi lex positiua accessit sortes prohibens. Num. 17

5. His discussis quæritur, an consultoria sors sit licita? Distinguo; aut consulis Deum, aut consulis dæmonem. Illa dicitur propriè consultoria, quâ per sortem inquiris diuinum consilium, quid in obscuro negotio sit faciendum, aut etiam cognitionem rei occultæ, quæ licita sit. Hæc vero diuinatoria dicitur, quâ quæritur vel præscientia rei futurę à dæmone, vel detectio rei occultæ. Prior licita est, primò si fiat ex inspiratione Dei, exēplo Samuelis & Apostolorum, aut ex mandato Dei, quale habuit Iosue, cap. 7. quærendi per sortem Achan (qui ex bonis, quæ Deus sibi per anathema cōsecrauerat, rapuerat palliū coccineum valde bonum, ducentos siclos argenti, regulam quoque auream quinquaginta siclorum) eumque de medio tollendi, si vellent victoriâ potiri; vti etiam fecit Iosue per supplicium lapidationis igne consumendo prędicta furto sublata, omnemque eius supellectilem, quia dixerat Deus: *Non ero vltra vobiscum, donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est.* Iosu. 7.

6. Secundò licita est, quando fit ex necessitate rationabili; verbi gratia, quando quid occurrit, quod faciet ad gloriam Dei, Ecclesiæ publicam vtilitatem, ac proximorū ædificationem, quod humana prudentia dispicere non valeat; aut si possit, inuidiam tamē declinare non valeat: tūc enim adhiberi potest, cum bona spe fore à Deo singulari prouidentia sortes moderandas, iuxta illud Prouerb. 16. *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur:* atqui tūc etiam, vt veniale peccatū euitetur, requiritur vt Dei inuocatio intercedat. Hinc Venerab. Beda in c. 1. Act. *Si qui,* inquit, *necessitate aliqua compulsi, Deum putant sortibus, exemplo Apostolorum, esse consulendum, videant hoc ipsos Apostolos non nisi collecto fratrum cœtu & precibus ad Deum fusis egisse.* Quod magnopere attendēdum est, nam si fiat sine necessitate, & prætermissis ordinarijs medijs diuinæ prouidentiæ, pertinebit ad tentationem Dei, & graue peccatum erit: quale fuit missio sortis, 1. Reg. 14. quam iussit Saül ad deprehendendum quis manducasset contra suum præceptum; vbi casus erat talis: Saül statuens fugiētes inimicos persequi, de quibus victoriam iam videbāt ad manum, adiurauit populum capitali proposito supplicio, ne quis quidquā ciborum assumeret, donec sumpta foret de Philistinorum populo vindicta. Quā patris adiurationem cùm absens nō audisset Ionathas, de melle gustauit, quod aliorū nemo ausus est facere, cū mellis riui famelicis occurrerent. Contigit autē postea, quod Saül vellet vlterius hostes insequi, & consuleret desuper hostem, num traderet Philistinos in manus Israël, nullumque Prou. 16. Beda. 1. Reg. 14.

 acci-

acciperet responsum. Hinc temerariè suspicatus fuit, aliquod peccatũ fuisse admissum, quod respõsum impediret, fortè exemplo Achan, Iosue cap. 7. & proprij criminis nullam habuit considerationem, videlicet, quod Deus ideò non responderet, quia iusserat Saül Sacerdoti, vt contraheret manum, & ne Deum, vt cœperat, pergeret cõsulere, quod magni momenti erat, incõsulto Deo, rem tam arduam aggredi. Stultum vero erat, ieiunium indicere, quo laqueos toti populo obijceret, vnde oriri poterant plurima incommoda, non solùm vt lassus, & exanimatus populus hostem fugientem persequi non posset; sed etiam vt contra legem, carnem cum sanguine comederet. Stultius autem erat, Ionatham ignorantem dictum præceptum, & ex necessitate paululum quid mellis gustantem, missâ sorte, morti velle tradere. Quod innuit Chrysost. homil. 14. ad populum, vbi diabolum in hoc taxat tanquam impellentem, dicens: *Nisi filij morte, inquit, Regis dextram pollueret, fecisse se nihil magnũ arbitraretur. Et quid dico filij cædem? Excogitauit enim sceleratus ille, & hic rursus profaniorem moliri cædem: Si enim sciens peccasset Ionathas, & iugulatus fuisset, filij cædes tãtum id erat; nunc enim ex ignorantiâ præuaricatus (nec enim audiuit iuramenta) deinde interfectus duplicem patri dolorem effecisset: Filium enim, & filium, qui nihil peccauerat, immolaturus erat.*

Chrysost.

7. Sed dices, si stultè & sceleratè fecit Saül, cur Deus per sortes Ionatham manifestauit? Respondeo, id nõ factum ob trãsgressionẽ Ionathæ, quæ tum ob ignorantiam, tum etiãsi sciuisset, ob necessitatẽ excusabilis erat: Verùm ob alias tres rationes, quarum prima est, vt in principio regiæ administrationis disceret populus subditus parendum esse Regi, etiamsi durum videatur, & minus rerum articulo opportunum imperiũ. Itẽ vt hinc discerent homines, quãta sit vis anathematis, aut maledictionis, quæ est à superiore potestate, quę licet sit iniusta, timenda tamen est. Videmus enim aliquando, & legimus sæpè parentum execrationes innocẽtibus filijs fuisse valdè noxias. Et excommunicatio, quæ anathema quoddam est, & execratio, his etiam rebus, quæ culpæ sunt expertes & incapaces, graue inferunt vulnus. Notum est propter eiusmodi Ecclesiæ minas, & execrationes cõsenuisse arbores, aruisse segetes; extinctas esse, aut fugatas locustas. Secunda est, vt ostenderet Deus regnum fore durum & tyrannidi proximum, quòd filij Israël reiectis Iudicibus elegerãt (vt per Samuelem antè prædixerat) Regem, dum audiunt seuerum & stultum edictum, quod laborare iubet, & interim à cibo abstinere, quale ad illud tempus ne vel tyrannus excogitarat; multo minus dederat. Tertia causa est, quòd Deus permiserit Ionathã (qui populũ nuper à periculo & metu liberauerat) post gustationem mellis, per sortes reum prodi capitis, vt eo modo stultitiam, & peccatũ patris acerbo dolore & inopinato interitu puniret. Facilè enim quisque ex seipso coniectare potest, quo futurus esset animo Saül, cùm suo decreto daturus esset neci filiũ, & multis nominibus antea dilectum, & recẽte iam victoriâ gloriosum; quique magno & populo vsui, & suo regno imposterũ incremento futurus videbatur. Quod cõfirmari videtur ex eo, quòd Deus permiserit omnia ad extremum venire, & tãdem populi studio ac iustâ defensione Ionatham à paterno gladio eripi; vt interea Saülẽ exspectatione domesticæ cædis voluisset solum punire. Hæc de consultoriâ.

8. Tertia est diuinatoria: quæ fit duobus modis, videlicet Primò per expressam societatem cum dæmone, vel petendo eius directionẽ, vel pactum faciendo, & accipiendo signum sortium ab illo. Secundò, per implicitum pactum, quod censetur interuenire, cum prædictio futurorũ & manifestatio veritatis nõ expectatur à Deo: tunc enim sortes sunt veluti signum vanũ & inutile, vtpote, quæ neque ex natura suâ, cùm non sint causa, neque effectus illius rei, cuius

cuius cognitio quæritur, neque ex legitimâ impositione habeant talem significationem, quia neque data est à Deo, neque ab hominibus cum fundamento aliquo. Priori modo egit Nabuchodonosor Rex Babylonis, de quo dicitur Ezech. 21. quòd *stetit in biuio in capite duarum viarum diuinationem quærens, commiscens sagittas: interrogauit idola, exta consuluit*, seu diuinauit per virgas & sagittas. Pro quo nota varium earum fuisse vsum, vel enim accipiebant duas sagittas, & inscribebant illis nomina vrbiũ, quas expugnare deliberabant, easq; commiscebant, & quam primò educebant, expugnandam coniecerunt, nempè ciuitatem illi baculo inscriptam. Rursus sagittas iaciebant in altum, & aspiciebant quò illæ caderent, an antrorsum an retrorsum; an ad dexteram, an ad sinistram, eòque sibi pergendum esse coniectabant. Tertiò decorticabant baculum ligneum vno tantum ex latere, tum in aërem proijciebant; si primo iactu apparuisset superior pars decorticata, at secundò iactu superior pars adhuc vestita, prosperum successum augurabantur: sin è contrà primùm pars vestita, infelicem: si vtroque iactu vestitum vel nudatum latus superius fuisset, mixtum euentum sibi pollicebantur. Quòd autem ille per dæmonem consuluerit, exprimunt illa verba, *Interrogauit idola, exta consuluit*. triplici videlicet modo diuinationem captando. Primò ex sorte, & omine sagittarum, de quo iam dixi. Secundò petendo oraculum à Bel, Nebo, alijsque suis idolis. Tertiò consulendo exta; per quæ diuinabãt Gentiles, cõsiderando victimæ cor, hepar, stomachum &c. eorumque situm & seriem: vnde tales diuinationes vocantur extispicia, ab extis inspiciendis: ac diuinator vocatur extispex. ita Cicero lib. 2. de diuinat.

Ezech. 21.

Cicero. Ozea 4. Esther. 3.

Tales fuerũt illi, quos taxat Ozeas cap. 4. Aman fatalis Iudæorum hostis, Estheris c. 3. qui decreuerat omnem Iudæorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem, eo quòd Mardochæus noluerat illum adorare (qui, vt aït Aben Esra, & alij, de collo appensam gestabat argenteam vel auream cuiusdam falsi Dei effigiem) ne videretur cum abnegatione veri Dei & videntis eum colere. Et in illum finẽ superstitione Ethnicâ inuestigat, quo mense dieque de piorum nece ex animo tractet cum Rege, nec patiatur repulsam: Item quo die mensèque possint omnes Iudæi occidi, & radicitus extirpari, sicque barbari sui voti ipse compos fieri. Verebatur enim si fatale tempus minus diuinasset, Assuerus Rex adeò crudeli lanienę non assentiretur: & ne quid interea accideret, cuius interuentu consilium istud retardaretur aut infringeretur. Nondum sciebat, inquit, Rupertus, vtrum deberet gens Iudæorum interfici, & quærebat quo die & mense deberet interfici. Fortasè tantus erat in oculis suis, vt in manu suâ mors hominum, & vita credi deberet constituta: & idcircò voluntatem suam satis esse iudicans, non de interfectione quærendum censebat à sortibus: sed solummodò de interfectionis tẽpore.

Rupert. l. 8. de vict. ver c. 11.

Tales etiam fuerunt Nautæ Ionæ 1. cap. qui maris periti videntes repentinam in mari quieto tempestatem non esse naturalem, sed subito à Deo immissam sine præuijs signis, præter cursum & ordinem ventorũ, siderum, temporis, aliarumque causarum secundarum & naturalium, ad sortes superstitiosas cõfugerunt. Vt enim aiunt varij Auctores, illo tempore, quo nauis illa periclitabatur, aliæ placidè & tranquillè nauigabãt; quod signũ erat à Deo immitti. Nam sic significauit Gedeoni à se esse datum negotium contra Madianitas, & ab eius conatu nõ abfuturam esse victoriam: quia cum circumiectus locus siccus esset à rore, vellus tamẽ in areâ solùm maduisset. Et Amos cap. 4. v. 7. hoc ipsum probauit, quia vna pars, alijs à cælesti pluuiâ sitientibus, tantùm esset irrigata. Quâ de re aliquam esse putant hoc ipso in loco coniecturam. Nam v. 3. dicitur: *Mare ibat, & intumescebat super eos*, quasi non super alios.

9. Posteriori modo peccant, qui futura inquirentes aut occulta, sortes mittunt, non expectando manifestationem veritatis à Deo, sed ex missione sortium: vti illi, qui taxillis è Planetariorum libris sciscitantur, quid cuique sit futurum more Gentilium, ijsdem fidem adhibent; aut qui alijs similibus modis occultorum quęrunt scientiam; & quidem grauiter hi peccant. Et ratio est, quòd hâc ratione ineatur commercium cum dæmone, qui quasi doctor consulitur, cum mendax sit & pater mẽdacij; tum etiam quia in futuris tribuitur dæmoni prænotio futurorum, quæ soli Deo est propria. Deinde, quia altero modo, tacito quodam pacto & consensu dæmon inuocatur, tum vt sortes regat, & per eas, quid futurum sit præsignificet; tum vt effectum præsignatum reipsa compleri procuret: tum etiam, quia arcana occulta ab illo scire quis postulat, qui est iuratus Dei hostis. Denique quod contra ordinem Iuris sic inquiratur de occulto malefactore, quod iniustum est, tum etiam quia nascitur infamia proximi illegitimo modo; aut etiam innocens accusatur, quò plurimùm collimat generis humani hostis. Vnde graues pœnas eiusmodi minatur Deus, vt patet Ozeæ 4. cap. vbi dicit Dominus: *Audite verbum Domini filij Israël, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum & mendacium & homicidium & furtum & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Tum subdit: *Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in eâ, in bestiâ agri, & in volucre cæli: sed & pisces maris congregabuntur.* Et paulo pòst horrenda explicans, quę verbis *Sanguis sanguinem tetigit*, comprehenduntur, inter alia inquit, *Populus meus in ligno suo interrogauit, & baculus eius annuntiauit ei*. id est, acceperunt baculum diuinatoriũ, in quo diuinabant, quique interrogatus modis supradictis illis respondit. Iure Canonico sub anathemate etiam prohibentur, nempe 26. q. 1. cap. *Sortes*. vbi habetur: *Sortes, quibus cuncta vos vestris discriminatis Prouincijs, quas Patres damnauerunt, nihil aliud quam diuinationes, & maleficia esse decernimus: quamobrem volumus illas omnino damnari, & inter Christianos vltra nolumus nominari, & ne exerceantur, anathematis interdicto prohibemus.*

Osea. 4.

9. Verùm enimuerò dices, Deus nihilominus per sortes Aman, Nabuchodonosor, & nautarum aperuit veritatẽ, quomodo sortes ergo possunt esse vsque adeò perniciosæ, & Deo inuisæ? Respondeo nihil referre, neque hoc excusare à superstitione: quamuis enim tales fuerint, Deus illas licet malas temperauit secundum suam voluntatem; vel vt suos eriperet, vel vt malos puniret. Sic ordinauit sortem, quam misit Aman mẽse primo, vt quam citissimè posset Iudæos penitus delere, in mẽsem duodecimum, vt sic spatium daret populo suo sibi conciliandi diuinum auxilium. Vnde Rupertus lib. 8. de vict. verb. cap. 12. *Dum suscepta mora tanta dilationis, interim pendet sententia mortis, opportunum facit vniuersæ genti spatium, quod sufficere possit ad legationes mittendas in longinquum, id est, in altitudinem cæli, vnde auxiliares copiæ debebant cõduci, scilicet ieiunia, lachrymæ & preces, quæ nimirum idoneæ legationes erant, & sunt, ad inuitandum seu inuocandum de cælo auxilium Domini.* Et pręueniens obiectioni, quòd tantum spatium non esset necessarium ad rogandum Deum, subiungit: *Profectò etsi propè erat (vt est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate) nihilominus tamen erat necessarium tam longum à sortibus datum dilationis spatium, vt sufficeret tempus currentibus epistolis, & recurrentibus ad Principes & populos tot prouinciarum, vt nouis epistolis veteres Aman insidiatoris, & hostis Iudæorum, quibus eos in cunctis regis prouincijs perire præceperat, corrigi possent, priusquam termino temporis concluderentur.* Secundò vt impio tyranno suppeditaret inducias, ad meliorem mentem redeundi, duodecim mensium interualla. Sortes enim temperans Deus, fecit vt mensis duodecimus illis designaretur,

Rupertus.

quo

quo posset iracũdiæ flammas restinguere; & de concepto in populum Dei odio, interituque pœnitentiam agere. *Non enim vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Dissimulat peccata hominum propter pœnitẽtiam. Sustinet in multa patientia vasa iræ aptata in interitum.* Ezech. 18. Sap. 11. Rom. 9.

Sic temperauit sortes Nabuchodonosor versus Hierusalem, vt Hierosolymitas, quos Deus cupiebat punitos, primò inuaderet: quia Nabuchodonosor alias veritus fuisset eò pergere, quia sciebat vrbem esse munitissimam; &, vt ait Hieronymus, quia memor erat ibi ab Angelo cæsa esse Assyriorum 185. millia vnâ nocte. Et nautarum Deus ita direxit, vt Ionas reus deprehenderetur, & culpam agnosceret, ac ad Deum rediret, qui nominis sui maiorem rationem habuerat, quàm præcepti diuini. Testatur hoc S. Hieronymus dicens: *Fugitiuus (*Ionas*) forte deprehẽditur non viribus sortium, & maximè sortibus Ethnicorum, sed voluntate eius, qui sortes regebat incertas.* Quod ex alijs Scripturæ locis Deum sæpius fecisse constat, nempe 1. Reg. 6. vbi simili modo direxit sortes, vel potius omen superstitiosum, quod captabãt Philistæi, dicentes. Si vaccę arcam Domini vehentes ascendant contra Bethsames, Deus Hebręorum hanc morborum plagam nobis inflixit; sin autem minime, sciemus quia casu accidit. Fecit enim Deus vt vaccæ tenderent versus Bethsames, quo facto crediderunt Philistæi non casu, sed à Deo sibi plagam immissam. Simili modo cap 28. 15. cum Saül consuleret Pythonissam, fecit Deus vt in eius præstigijs cõpareret Samuel, & Saüli interitum instantem prædiceret. Causam dat S. Chrysostomus homil. 3. in ep. ad Titum, quòd Deus sortilegos & sacrilegos voluerit suis sortibus & ominibus reuincere, eaque in ipsorum caput retorquere, immò ipsorum accusatores constituere. *Deus,* inquit, *eos* (Philistæos) *suo ore corripuit atque redarguit. Hoc ipsum & in Pythonissa muliere dicendum est, quia enim ei fidem adhibebat, idcirco per hanc Saül audire fecit, quòd se deprehensura essent mala.*

4. Reg. 20. Hieron. 1. Reg. 6. Ibid. c. 28. Chrysost.

Discursus LXXII.

De Magia: an beneficio Magorum vti liceat?

DEus Leuit 19. præcepit non declinare ad Magos, neque ariolos sciscitari in verbis: *Non declinetis ad Magos, neque ariolos quis sciscitetur.* Cum tamen sæpè homines per eorum opem beneficium sentiant, hinc tractabo, an quorumuis Magorum beneficio vti, huic præcepto repugnet? Leuit. 19.

1. Ad huius quæstionis intelligentiam prænotandum est, Magiam esse triplicem Naturalem, artificialem, & præstigiatoriam. Naturalis autem est exacta quædam arcanorum naturæ cognitio, quâ cœlorum ac siderum cursu, & influxu, & sympathijs atque antipathijs rerum singulariter obseruatis suo loco, tempore, ac modo res rebus applicantur: & mirifica quædam hoc modo perficiuntur, quæ causarum ignaris præstigiosa vel miraculosa videntur: veluti cum Tobias paternam cœcitatem felle piscis discussit Tob. 11. Quam vim Callionymo pisci tribuunt plerique. Quòd herbis per se efficacibus, sed inusitatis subitò curentur morbi: item quòd tympani ex lupina pelle sonus aliud tympanum ex agninâ tensum disrumpat. Quòd aliquis manus suas immittat in plumbum liquefactum quas ante liquore tali imbuit, qui calori plumbi liquefacti resistat. Quòd quis similiter ligna ab igne conseruet, succum aliquem viscosum & frigidissimum Tob. 11.

mum illis adhibēs, quo impedit, ne ignis agat in ligna, quo modo existimant aliqui angelum procurasse ne rubus Exod. 3. combureretur per succum viscosum efficiens ne ignis contiguus in illum ageret, hoc enim naturaliter fieri potest, quamuis verius sit Deum ibidem conseruasse ignis substantiā, sed actionem & vstionem eius impediuisse subducendo concursum suum, ne ageret in rubū, vel virentia eius folia minimùm afflaret; sicut tres pueros Dan. 3. in fornace Babylonicâ illęsos seruauit, at hoc est miraculum & vt Basilius loquitur in Ps. 28. quod ait psalmista *Vox Domini intercidentis flammam ignis* quod huc non pertinet, sed benè illustria illa, quæ scribit D. Augustinus lib. 22. de Ciuit. Dei c. 4. dum volens docere non esse incredibile, vt hominum corpora sempiterno supplicio puniantur, & in igne animam non amittant, & sine detrimento ardeant, & sine interitu doleant; naturalibus quibusdam exemplis dubium propellit, nempe ex eo, quòd caro pauonis cocta, & ad annum seruata, non fuerit putrefacta, neque offenderit olfactum: & quòd carbonibus tanta sit infirmitas, *vt ictu*, inquit, *leuissimo frangantur, & tanta firmitas, vt nullo humore corrumpantur, nullâ ætate vincantur, vsque adeò, vt eos substernere soleant, qui limites figunt ad conuincendum litigatorem, quisquis post quantalibet tempora extiterit, fixumque lapidem, limitem non esse contenderit.* Et inter alia addunt quædam, quæ etiam huic rei illustrandæ seruiunt, veluti quòd palea applicata niuibus tam frigidam vim habeat, vt eas iam obrutas seruet, & pomis immaturis substrata, aliàs tam feruidam vim habeat, vt illa maturet: quòd calx istius naturæ sit, vt adhibito oleo ignis fomite, nullâ eius perfusione ferueſcat, aquâ vero perfusâ, quæ extinguere solet, accendatur; quod instar miraculi censet, quia paradoxum; nam addit: *Hoc miraculum si de aliquo Indico lapide legeremus, siue audiremus, & in nostrum experimentum venire non posset, profectò aut mendacium putaremus, aut granditer miraremur.* Hanc autem naturalem legitimā Magiam Deum Adamo cum cæteris scientijs largitum esse, firma est sententia: Salomonem quoque huius fuisse peritum, & tres Magos, de quibus Matth. 2. eam exercuisse, non est dubium.

2. Artificialis verò est, quæ mira perficit per humanam industriam; & nititur principijs Geometricis, Arithmeticis, vel Astronomicis. Cuius exempla sunt sphæra Archimedis vitrea, de quâ M. Tullius, & in Syracusarum obsidione nauium per specula combustiones, Architæ columba lignea volans, Leonis Imperatoris auiculæ aureæ cantillantes, Serpentes ex eodem metallo sibilantes, & similia. Hùc pertinet globus ille artificiosus, seu æneа statua sic confecta, vt ex occulto loco, funiculo, qui intensus erat, remisso, sagittas in spectantem eiacularetur. Quo pacto Kanutum III. Scotorum Regem à Foenellâ interemptum in Maioris, & Boëtij Scotiæ Annalibus legitur.

3. Quæres an hęc Magia naturalis & artificialis sit licita? Respondeo primò, licitam esse, si maneat intra limites naturæ, quia per se vtraque bona est: si verò ex ijs effectus proponatur causarum naturaliū efficacitatē superans, illicitam esse, etiā si humana industria ad instrumenti confectionem motumue concurrat.

4. Dico secundò, vtramque fieri per accidens illicitam, primò quando eius scientiæ periti in malum finem illam exercent: sic enim res bonæ & indifferentes malitiā induunt. Ita mutatio habitus facta per Saülem, 1. Reg. 28. ne Pythonissa horreret ad eum venire postquam profligauerat Magos & Ariolos, vt arte Magicâ euocaret Samuelis animam, peccatum fuit mortale. Sic osculum Ioab, quo iuxta morem illius temporis salutabat Amasam, vt eum pacis amicitiæque simulatione incautum interficeret à culpâ lethali non excusatur 2. Reg. 20. hinc enim Dauid, 3. Reg. 2. præmonuit Salomonē filium,

Marginalia: August. — M. Tull. — Maior. & Boet. — 1. Reg. 28. — 2. Reg. 20. — 3. Reg. 2.

filium, vt in illius vitam capitali supplicio decerneret, in verbis: *Tu quoque nosti, quæ fecerit mihi Ioab filius Sarniæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israël, Abner filio Ner, & Amasæ filio Iether: quos occidit, & effudit sanguinem belli in pace, & posuit cruorem prælij in balteo suo, qui erat circa lumbos eius, & in calceamẽto suo quod erat in pedibus eius. Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacificè ad inferos.* Et simile est in hoc casu. Secundò, quando scandalum oritur, eo quòd putentur hæc fieri operâ dæmonum. A licitis enim cauendum est propter infirmorum scãdalum, quò spectant verba Christi Matth. 18. *videte ne contemnatis vnum ex his pusillis.* Ideoque D. Paulus, *Si esca*, inquit, *scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem*, 1. ad Corint. 8. Nota: licitum erat Paulo carnem illam manducare, suo iure vtebatur in illo esu carnium, quibus vesci non erat peccatum ex ipsa comestionis natura; attamen ab illis abstinebat, ne pusillos, & infirmos, ignorantes an legis cæremonialia adhuc obligarent, quibus idolothytis vesci prohibebantur, scandalizaret. Cuius de salute proximorũ, licet infirmorum, curam ex se summè laudabilem maximoperè extollit eius Encomiastes Ioan. Chrysost. dicens: *Paulus non disputat more nostro; non enim dicit: quare sunt tam infirmi? quare tam stupidi? quare affectiones illas admittunt? sed eâ de causâ ipsis potissimùm parcit, quia ob rationis penuriam ita se habent, & ita infirmi sunt. Dic enim qualem excusationem ille habet, qui scandalizatur in comedente carnem & vinum bibente? an non hanc legem nobis Deus ipse permittit? veruntamen si in his aliquis scandalizetur, abstinet Paulus. nunquam enim carnem comedam, inquit, ne scandalizem fratrem. Et non dixit, sicut nos; subyciendúsne ego sum alienæ insipientiæ? num quia alicui simpliciori videtur esse scandalum, egone dignus supplicium luam? Quamuis si etiã dixisset, multò tamen iustius dixisset, quàm nos; & potuisset alias iustas causas dicere, si voluisset. At non dixit, sed ad vnum solum spectauit; proximi scilicet salutem, Non enim dixit, semel aut bis, vel tanto ac tanto tempore, sed in æternum, ait, non tamẽdam, si scandalizatur alius.* Vnde non deberent huiusmodi permitti siue naturales siue artificiales Magi in Republicâ ad aliquod eius exercitium à Magistratibus, nisi clarè ostendant ea, quæ applicant, habere virtutem naturalem, fulti prius testimonio Ordinarij, quo liqueat adhibita & artificia carere superstitione: hoc enim ad Ecclesiasticos pertinet. Et eo magis necessariũ, quòd illi, qui diabolicâ arte vtuntur sub prætextu Magiæ naturalis, homines plerumque decipiant; immò nullam esse magiam diabolicam audacter asserant. Tertiò, si quod inde spirituale vel corporale damnum corporis vel animę ipsi circulatori aut spectatori immineat: quia sine necessitate vel causâ iustâ se mortis periculo per lusum exponere, peccatũ est mortale.

Matt. 18.

1. Cor. 8.

Chrysost.

5. Restat iam de tertiâ seu præstigiatoriâ dicere, quæ docet mira aliqua facere, quæ virtute humanâ & per causas naturales, prout ab homine cognosci & applicari possunt, fieri non valent. Hæc si referatur ad aliquam noxam inferendam, aliter dicitur Maleficium, de quo postea. Si verò referatur ad ostentationem, aliudue commodum suum vel alienum, retinet nomen Magiæ, de quâ nunc agimus.

Huius autem Magiæ inuentorem tradunt Plinius, Iustinus, S. Augustinus, & alij, fuisse Zoroastrem, qui eodem die, quo natus est, risit, vixitque tempore Nini & Abrahæ ferè sexcentis annis ante Moysen: qui discipulos quamplurimos habuit & posteros; qui tempore Moysis dicti sunt Sapientes, vt patet Exod. 7. vbi Pharao contra miracula, quæ Moyses faciebat nomine Dei, vocat Magos (eosque Sapientes nominat) vt faciant similiter, & sic illudant diuinæ potestati per ostentationem; vt patet ex verbis: *Vocauit autem Pharao Sapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incãtationes Aegyptiacas, & arcana quædam*

Exod. 7.

quadam similiter: proiecerunt que singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones. id est, volendo imitari Moysen, qui verè virgas vertebat in dracones virtute diuina, ipsi id non valentes, ope dæmonis aliunde dracones adduxerunt, eosque, virgis subitò & imperceptibiliter seductis, earum loco substituerunt: ita vt quicumque hæc videret, magiæ & fraudis ignarus, putaret Magos æquè ac Araonem, virgas suas in serpentes conuertisse: & hac ratione Scriptura, quæ more vulgi loquitur, dicit magos fecisse similiter ac fecerat Aaron. simili enim modo dicit, cap. 3. Exodi v. 2. rubũ arsisse, quia intuentibus videbatur ardere, cùm reuera non arderet: sic angelos ait comedisse, quia videbantur comedere, cum reuera non comederent. vt exprimit Tobiæ 12. angelus, qui Tobiæ comes fuerat dicens: *Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere: sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.* Eorum verò principes nominat Apostolus 2. ad Timoth. 3. Ioannem & Iambrem. Tales fuerunt tempore Saülis, quos inde profligauit 1. Reg. 28. Eiusdem studij fuit Simon Magus seducens Gentem Samariæ, quem plurimi audiebant, *quod multo tempore magijs suis dementasset eos*, vt dicit Scriptura Actor. 8. idque vt Apostolis sic se opponeret, quemadmodum prædicti Moysi. Atqui tales homines sæculum etiam habebit tempore Antichristi, iuxta illud Matth. 24. *Surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia: ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Talia enim facient, quæ hominibus videbuntur miracula, sed reuera erunt tantum præstigia. Probatur, quia ipse Antichristus non poterit vlla miracula facere, teste Apostolo, qui 2. ad Thessal. 2. dicit aduentum eius fore, *secundum operationem Satanæ in omni virtute & signis, & prodigijs mendacibus.* id est, Antichristum venturum, vt instrumentum diaboli, ac per eum facturum, omne genus miraculorum mendacium, idque eo fine, vt homines in mendacium & errorem inducat, seu vt per talia miracula probet se esse Messiã & Deum, sicut fecit Christus. Vnde secundum exteriorem apparentiam, videbitur leprosos mundare, paralyticos excitare, claudos erigere, surdis auditum præbere; quę vocat Methodius Tomo 2. Biblioth. SS. Patrũ, *signa & prodigia sophistica*: quia nempe fascinabit oculos, vt videatur facere id quod reuera non facit. Nam Antichristus, vt inquit Cyrillus Hierosolym. catech. 15. *erit magiâ instructissimus.* Speciatim vnum recenseo, quod Scriptura Apocal. 13. per ipsum scribit faciendum, videlicet quod vnum è Regibus sibi subiectis mortiferâ plagâ saucium sanabit, in verbis: *Et vidi vnum de capitibus suis quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est, & admirata est vniuersa terra post bestiam.* Sed nota plagam illam reuera non fore mortiferam, sed talem quæ reipsa non erit, & hominibus tãtum videbitur mortifera; vel si reuera erit incurabilis, id tantum respectu artis & opis humanæ: Dæmoni enim totum corpus nostrum prænoscenti & peruadenti naturaliter curabilis erit, ac proinde nec vim creati agentis curatio trãscendet nec miraculum erit. Ratio est, quod nec Antichristus, nec dæmon, nec alij, possunt facere verum miraculum, sed solus Deus: miraculum enim est, quod fit super omnem naturæ vim, quodque omnium naturalium causarum & creaturarum vires excedit & transcendit. Hoc modo etiam Magi huius temporis conantur morbos curare hominum & animalium, vt dæmoni honorem diuinum concilient, nec aliter possunt quã naturaliter potest dæmon.

6. Quæres, quale sit peccatum horum opera vel beneficio vti. Respondeo esse grauissimum peccatum mortale. Primò, quia est contra præceptum naturale, *Non habebis Deos alienos coram me.* Secundò, quia vlterius lege positiuâ vetuit Dominus tales accedere, Leuit. 19. dicens: *Non declinetis ad Magos*, &c. *vt polluamini*

Margin notes: Tobiæ 12. — 2. Tim. 3. — 1. Reg. 28. — Act. 8. — Matt. 24. — 2. Thess. 2. — Leuit. 19.

mini per eos, ego Dominus Deus vester. Tertiò, quia Leuit 20. pœnam mortis in declinantes ad eos, constituit, dum ait: *Anima quæ declinauerit ad Magos & Ariolos, & fornicata fuerit cum eis* (id est eis adhæserit derelicto Deo) *ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi sui.* Et ratio est, quod illa ars contineat societatem cum dæmone, quodque paciscentes cum illo, abnegent fidem & Christianismum. *Sic enim venit Diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne salui fiant credentes,* Luc. 8. Et ad hæc renuntiant Baptismo, qui vero Deo fuerunt initiati, vt notat Hippolitus Martyr lib. de consummat. sęculi, vbi addit hæc berba: *Hac de causa dæmon vnguem illis in frontem inijcit, fingens se Chrisma abradere, & Baptismi characterem delere.* Deinde patiuntur de nouo se baptizari, & nomen mutari, vt testatur Tertull. lib. de Baptismo: *Hic*, inquiens, *quoque studium diaboli cognoscimus res Dei æmulantis, cum & ipse in suis Baptismum exerceat, ideoque illis priore negato nouum nomen inditur. Hinc mutatio nominum apud Barbaros introducta, vt eo designentur alteri Domino mancipati.* Simile quid testatur Gregorius Nazianzenus, orat. 3 de Iuliano Apostata, qui Imperium adeptus statim impietatem profitebatur, dicens: *Atque hinc quidem facinora sua auspicatur, quemadmodum narrant, qui ipsius arcanis gloriantur: (proh in quos sermones incurrere cogor) impuro & nefario sanguine lauacrum extergit, initiationi nostræ execrabilem initiationem opponens, sus videlicet in cœno proboluta, sicut est in prouerbio: manusque suas profanat, vt nimirum eas ab incruento sacrificio, per quod nos Christo ipsiusque passionibus & diuinitati communicamus, elueret, ac repurgaret.* Porrò ex pacto expresso operantur, qui prædicta faciunt; ex tacito, qui eorum disciplinam imitantur.

Leuit. 20. | Luc. 8. | Hippolit. | Tertull. | Nazianz.

Secunda ratio est, quia docet grauissimos errores, nempe vniuersum hoc, & singulas eius partes animatas esse animâ intelligente. Nomina Deorum, & Dearum, vt Iouis, Iunonis, & similium esse nomina animarum, quę tribuunt vim sentiendi & intelligendi ipsis partibus vniuersi: quæ duo futilia sunt, quia falsum est elementa & cœlos esse animatos. Et certum est S. Scripturam, & Christianam religionem, nullas agnoscere creaturas rationales, prę ter homines & Angelos: atque adeò adinuenta esse, vt quando Magi inuocant expresse dæmones, non appareat ipsos inuocare, sed animas stellarum vel elementorum. Præter Angelos, & dæmones malos, multa esse genera bonorum dæmonum, quorum aliqui dicuntur cœlestes & præsident stellis, & animabus illarũ; alij elementares, ex quibus alij sunt ignei, alij aërij, alij aquatici, alij terreni, quod est contra Scripturam, quæ nullos dæmones admittit, nisi malos. Docet imagines siderum, & signorum cœlestium, fabricatas sub congrua sibi constellatione, concipere vim siderum, & habere vim ad effectus ipsorum. Et sic aiunt Magi imaginem leonis insculptam auro, sole existente in prima facie leonis, & mane exoriente, habere vim contra phantasmata melancholica, hydropem, pestem, & febres, eandem sole existente in corde leonis, & medium cœli obtinente, accipere vim contra calculum, & nephriticos dolores, & similia. Quod similiter vanum est, quia vel astra talem vim non habent, vel si habent, nescitur quænam sint ea, quæ talem virtutẽ habent: id enim nullo experimento constat; tum quia figura arte impressa, non est congrua dispositio ad recipiendam virtutem physicam. Non enim potest intelligi, quid figura solis in metallo, lapide, aut ligno descripta, ad hanc vel illam cœli influentiam recipiendam conducat. Neminem enim latet lignum ideo non melius ardere, quòd huius vel illius figuræ sit, nisi illa deseruiat, vt melius applicetur, & superstitiosum esse imaginem ignis in lapide depingere, vt actionem ignis melius recipiat: quæ omnia diabolus commentus est vt sub illo prætextu subtiliùs & faciliùs homines irretiat.

Tertia,

Tertia, quia Magorum finis non est alius, quàm vt suis actionibus ostendant potentiam suam, & sic persuadeant hominibus se esse Deos, quatenus honor Deo competens ex pacto expresso vel tacito tribuitur per ipsos tanquam instrumenta dæmonibus ob superbiam in æternum condemnatis.

7. Sed quæres: quandoquidem subtiliter hæc agant Magi, & mira potissimùm efficiant applicãdo actiua passiuis, eaque commiscendo per causas naturales; quomodo dignoscam operationem huiusmodi hominum esse magicam?

Respondeo primò, cognosci posse ex causis adhibitis in eiusmodi operatione: verbi gratia, si expressè inuocetur Dæmon: si adhibeantur preces, quibus miscentur falsa, vt solet fieri in quibusdam schedulis, quales vidi aliquando Scripturæ sacræ contraria continentes. Si verba obscura sint vel incognita, qualia deprehendi aliquando in schedulis ceruicali periculosè laborantium suppositis, & instar thesauri à gnaris habitis: noui quemdam etiam, qui bolum panis sumpserat obtinendæ sanitatis gratia à febri, cui inscriptum dicebatur verbum aliquod exoticum, *Habebruus*. Si adhibeantur characteres, imagines, sigilla; si ligaturæ, vnctiones, & similia prçter Ecclesiæ consuetudinẽ. Quorum omnium hæc est ratio, quòd cùm non possit exspectari effectus, in quem referuntur, à vi talium causarum, propterea quòd eam non habeant, nec etiam à Deo, qui eorum institutor non est, sequitur exspectandum esse à Dæmone, qui tacitè ijs inuocatur. Secundò cognoscitur esse Magia superstitiosa ex conditione operantis, vt si repẽte sanetur equus, aut homo, etiãsi adhibeantur media naturalia, vt herbç, lapides, sed alioquin insufficientia; aut etiam signum crucis, sed ex disciplinâ dæmoniacâ; quia dæmon eo monetur cooperari: tum etiãsi breuissimo tẽpore multa milliaria conficiãtur; si actio fiat in rem distantem. Tertiò ex cõditione effectus; si superet humanas vires, & industriam, quod signum est, prouenire â dæmone. His omnibus congruit, vt imitemur aspidem surdam, de qua Dauid Ps. 57. obturemus aures nostras; ne exaudiamus *vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* id est: Sicut illa vel verè, vel ex opinione vulgi, dũ prçsentisset eos adesse, qui incantando efficere velint, vt ponat venenum & mitescat, aures claudit naturali quâdam solertiâ, vnam terræ affigendo, alteram caudâ obturando: ita ad eius morem non admittamus operationes magicas, ne perdamus salutem.

8. Verùm enimuerò obijcies, difficile adhuc manere ex his dignoscere Magos. Primò, quia Prophetç, & Apostoli vt plurimùm rebus noxijs naturâ suâ, aut certè non salutaribus vtebãtur ad curationem morborum: Sic Moyses serpentem æneum erexit, vt eius aspectu curarentur læsi à serpentibus. *Num. 21.* Sic Helisæus aquâ Iordanis curauit lepram Naaman Syri. *4. Reg. 5.* Sic Isaias massâ ex ficis curauit vlcus Ezechiæ, quæ medicina contraria erat curationi illius *Isa. 38.* morbi, vt Hieronymus notat ex sententiâ Hebræorum ad cap. 38. Isaiç. *Hier.* Sic Dominus luto & sputo cæcum *Ioan. 9.* natum. Sic Petrus corporis sui vmbrâ. *Act. 5. & 19.* Sic Paulus sudarijs & semicinctijs. Secundò, quia scribit Plinius *Plinius.* lib. 28. cap. 3. in Africâ fuisse Psyllos, & in Italia Marsos, ex quorum familijs qui ducebant originem, tales fuisse, quorum corpora tactu ipso, suctuue modico leuabant percussos à serpentibus, & manu impositâ corpori venena extrahebant. Alios verò fuisse, quorum corpora solo aspectu erant terrori serpentibus. Tertiò reperiri in Hispaniâ genus hominum, quos *Saluadores* vocant, vel *Ensalmadores*, eo discrimine, quod isti dicant se sanare vi orationum, quas conceptis verbis dicunt, hi vi saliuæ, & halitus, quem ægro inspirant. In Belgio etiam reperiuntur Filij septimo loco nati, nullo fœmineo partu intercedente, sanare

morbum

morbum sancti Marconis dictum, & filij feria sextâ Parasceues nati sanare febres. Quartò, quia alicubi reperiuntur mulieres *Carminatrices* dictę, quæ signis, vel adiurationibus etiam morbos sanare conantur.

Ad hæc respondeo. Primo, si constet esse gratiam gratis datam, seu donum supernaturale concessum à Deo ad aliorum salutem procurandam; licitum esse tales acccedere, curationis causâ. Tale habebât Prophetæ, & Apostoli; vt nimirum omnes intelligerent Dei miraculo illa fieri non naturæ. Sic Moyses ex instituto Dei ostendit dicto remedio saucios ex serpentum morsibus esse curandos. Sic Isaias massâ ficuum sanauit subitò vlcus Ezechiæ Regis 4. Reg. 20. sic euocauit suis precibus angelum qui cecîdit in exercitu Sennacherib vnâ nocte 185. millia Assyriorum, 4. Reg. 19. sic reduxit Solem, eiusque vmbram in horologio Achaz, eoque signo Ezechiæ Regi sanitatem assecurauit, & quindecim annos vitæ, Isa. 38. Tales erant Apostoli, quibus Deus tanquam litteras credentiæ dedit facultatem miracula faciendi: vnde Matth. 10. dicitur: *Euntes prædicate, dicentes: Quia appropinquauit regnum cælorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite.* Et hinc remedia adhibuerunt inefficacia, vt intelligeretur sanitas dari à Deo per miraculum.

9. Dico secundò, quantū ad alios attinet superius recensitos, licitum esse tales curationis gratiâ accedere: si probabile sit tales hoc dono à Deo dignatos: quale fuisse creditur donum cōcessum Psyllis, quia eorum regio serpentibus abundabat. Quin etiam filijs septimo loco natis, & feriâ sextâ Parasceues, vel ob mysterium septenarium, vel ob sanctitatē diei, in quâ Christus passus est pro nobis, & vulnera peccatorum deleuit. Tum quia virtus personalis est, & non habuit malum initium, de quo, constet, sed personæ illæ ex fide bonâ, & simpliciter inceperunt operari, & postea expertæ sunt effectum, quem à Deo sperarunt, & non ab alio. Et hoc in quibusuis personis locum habere potest subitò morbos sanantibus. Verùm quantum ad *Saludadores* prædictos, aut alios quoscumque habitu, statu, aliterue subitò sanātes graues morbos, & vulnera, attinet, dico rem non carere difficultate, sed ad securitatem conscientiæ tria notanda esse antequam quis tales admittat. Primum, an huiusmodi curationem exercentes vtantur verbis aut signis ex aliorum disciplinâ, & an existiment illis inesse virtutem, vt à quâcumque personâ fiant, eundem habeant effectum. Alterutro enim horum comperto signum apertum est non esse gratiam gratis datam, seu donum supernaturale curationis ad aliorum vtilitatem. Quale Deus solet aliquibus hominibus pro suâ voluntate impertiri, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 12. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem: alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ*, seu facultas explicandi altissima mysteria Trinitatis, Incarnationis, Prædestinationis; *alij gratia sanitatum in vno spiritu*, hoc est, per eundem spiritum, &c. *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult.* Illud enim non adhæret verbis, sed personę cui communicatum est, quæ etiam non valet illud alteri communicare: quia illam facultatem Deus, non solet per alios dare, sed ipsum donum conferre, cui vult per se. Adeò vt certum sit nō esse etiam virtutem naturalem, quādo quis ex alterius cōmunicatione habitu suo morbum alterius sanat: quia nemo potest complexionem & temperamentum suū transfundere in alium. 1. Cor. 12.

Secundum quod in consideratione venire debet, est an persona, quæ donum curationis sibi vendicat, sit malæ vitę. Tunc enim res est suspecta, maiori indagine, immo aperto testimonio Ordinarij opus est. Cuius assertionis hanc do rationem, quòd quantumuis pessimi homines

supernaturaliter subinde curent, iuxta illud impiorum Matth. 7. à Christo petentiũ: *Nonnè in nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo dæmonia eiecimus? & multas virtutes fecimus?* Attamen Deum non concedite illud donum impijs permanenter, sed obiter & per transennam dare, vt Caiphæ donum prophetiæ, Ioann. 11. cum dixit: *Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Balam Num. 22. Saül, 1. Reg. 19. Continuum autem & quasi habituale dumtaxat dare sanctis, quod omnino conueniens est. Rarò enim videmus aliquem conuerti ob solam curationem, aut prophetiam, nisi adsit sanctitas vitę.

Math. 7.

Ioan. 11.

Tertium, quòd, quandocumque superstitiosa miscent, aut formulis vtuntur consuetudini Ecclesiæ contrarijs, velut aliquando deprehensum est, nulla ratione admittendi sint. Sic Reuerendissimus Iprensis Petrus Simonius cum suis Consiliarijs ante annos aliquot prohibuit vsurpari quandam formulam, qua vti dicebantur *Saludadores*, quòd superstitionem contineret. Eam videre licet apud Delrium lib. 3. Disquisit. q. 4. sect. 7. vbi eandem quoque improbat.

Ex horum consideratione facile erit discernere Carminatrices fœminas, & vetulas quasdam anus magicis vti superstitionibus, quibus dæmonem aduocãt ad morborum curationem.

10. Sed dices, hæc illæ non ita apprehendunt, ne credunt, eo quòd sanitas sequatur. Respondeo id falsum esse; quia nemo in pręsentiâ alicuius viri cordati, aut ipso sciente tales curationes audet exercere: sed clanculùm hoc facit, & admittens contra conscientiam remedium talium excusat: nec refert quòd dicãt tales se cum Deo procedere; vt rectè docet Chrysostomus hom. 8. ad Colossens. vbi sic ait: *Superstitiosa illa, quæ ægrotis applicantur, etiamsi mille modis philosophentur, qui quæstum ex ipsis faciunt, dicentes: Deũ inuocamus, & præterea nihil facimus, & quidquid eiusmodi prætendunt: & Christiana est hæc anus, & fidelis; idololatriam tamen sapiunt. fidelis es? Crucis signaculo vtere. Dic, hoc dumtaxat habeo scutum, hoc solum pharmacũ, aliud ignoro.* Et posteà ad hominem sermonem conuertens, *Dic mihi*, inquit, *si medicus ad ægrotum accedens relictis medicinæ pharmacis incantatione vteretur, an hunc medicum diceremus? nequaquam. Non enim videremus medicinæ pharmaca: ita neque hic quæ sunt Christianismi.* Et paulo post obiectioni occurrens, quam solet mulierculaṛum genus prætexere, quòd infirmus alioquin obiret, docet potius moriendum, quàm superstitionibus iuuari. *Quid igitur? morieturne puer, inquis? Si hoc pacto viuet, tum mortuus est; si verò sine istis mortuus fuerit, tum viuit. Iam si filium videris scortis deditum, mox velles defossum, & sepultum, ac dicis: quid enim profuerit illum viuere? Cum verò videas salutis illum subire periculum, vis ita viuentem videre? Non audisti Christum dicentem? Qui perdiderit animam suam, inueniet eam; Qui verò inuenerit eam, perdet. Credis istis Christi verbis? Aut fabulæ tibi videntur? Dic mihi, si quis diceret, Duc ægrotum tuum in templum simulacrorum, & viuet, ferres istum? Non, inquis: Quare? Quia ad simulacrorum cultum adigeret, inquis. Hic verò non est simulacrorum cultus, sed simpliciter incantatio. Hæc sathanica cogitatio est, ista sunt insidiæ diabolicæ, ad occulendam seductionem; & ad porrigendum sub melle venenosum pharmacum. Sciens enim te ad simulacorum templum persuaderi non posse, hâc viâ ingreditur ad amuleta, & aniles fabulas abducens. Et crux quidem Christi dehonestatur, elementorum verò superstitiosi characteres præferuntur; Christus eijcitur, & inducitur temulenta, & nugatrix anus, mysterium nostrum inculcatur, & seductio diaboli tripudiat.* Breuiter, seruandum est, quod Augustinus, tract. 51. in Ioan. pro alio casu docet: *Cùm*, inquit, *causa articulus venerit, vt hæc proponatur conditio: aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut ex hâc vitâ migrandum, quorum duorum homo si cogatur alterum eligere,*

Chrysost.

August.

eligere, comminante mortem persecutore, ibi eligat Deo dilecto emori, quam Deo offenso viuere: ibi oderit in hoc mundo animam suam, vt in vitam æternam custodiat eam.

11. Porrò si quem hæc non moueant, compescat illum peruersitas dæmonis, qui non solet benefacere, nisi vt magis noceat, vt scitè admodum dixit D. Leo serm. 19. de Passione Domini, *beneficia dæmonum omnibus*, esse *nocentiora vulneribus.* Horribile narrat exemplum D. Gregorius lib. 1. Dialogor. cap. 10. de quâdam puellâ à dæmone obsessâ, & à Magis liberatâ, in quam vno dæmonum expulso plurimi intrarint, his verbis: *Cum hanc* (supple puellam) *antiquus hostis vexatione continua vehementer attereret, propinqui sui eam carnaliter amãtes & amando persequentes, ad obtinendum salutis remedium maleficis tradiderant: vt eius animam funditus extinguerent, cuius carni magicis artibus ad tempus prodesse conarentur. Ducta est itaque ad fluuium, atque in aquam mersa, ibique diutius incantationibus agere malefici moliebantur, vt is, qui eam inuaserat diabolus exiret. Sed miro omnipotentis Dei iudicio, dum arte peruersâ vnus ab eâ repellitur, in eam subitò legio intrauit. Cœpit ex horâ illâ tot motibus agitari, tot vocibus clamoribusque perstrepere, quot spiritibus tenebatur.* Legio autem continet numerum 6666. dæmonum. Et reuera ita ex hoc capite medelam contingere conuincit argumentum Christi, quòd diabolus sibi esset contrarius, idque cum obijceretur ipsum in Beelzebub principe dæmoniorum eijcere dæmonia, ex eo quòd aliquis ordo, licet turbatus inter dæmones existat, quo superior in inferiorem potestatem exercet.

Leo. Greg.

Discursus LXXIII.

An vana obseruantia ad Magiam spectet, & quale sit in eâ peccatum?



Dixi quædam ad Magiam spectantia superiori Discursu. Sed quia Propheta Ps. 30. dicit: *Odisti obseruantes vanitates superuacuè*, hinc vlterius tractabo quod in argumento ponitur.

Psal. 30.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam notandum vanam obseruationem dici, & esse Magiam superstitiosam, quâ medijs inutilibus, & à diuinâ prouidentiâ minimè constitutis cõmodum aliquod speratur. Tres verò species numerãtur huius obseruantiæ, nempè sanitatum, futurorum euentuum, & ars notoria. Prima, quę dicitur sanitatũ, consistit in eo, quòd quis vel ad sanitatem obtinendam, vel seruandam varias preces verbo vel scripto, ac ritus adhibeat, ponens efficaciam precum ac rituum in aliquâ conditione inutili; quòd videlicet tali horâ, tot vicibus, in tali chartâ, vel pergameno, vel talibus characteribus dici vel scribi debeant; vel etiam certo numero proferantur. Quo spectãt quædam ligaturæ, & alia collo appẽsa pro immunitate ab ictibus percutientium, & similia ad animalium securitatem. Altera consistit in eo, vt quis ad bonum aliquod assequendum, aut malum fugiendum obseruet, quem in egressu è domo obuium habeat, an Christianũ, an Monachũ; an in mercatu meretricẽ, aut nebulonem primò ementem; an salinar euertatur: an simul ambulãtibus occurrat lapis, aut canis, aut puer medius, & eiusmodi. Tertia, scilicet ars notoria

consistit in eo, quòd quis per quasdam obseruantias, & per quædam ieiunia, & figurarum inspectiones, ac prolationes ignotorum verborum subitam, seu extraordinariam scientiam acquirit.

2. His positis dico quoad primam obseruantiam, siue sanitatum, esse peccatum mortale, quando quis ad sanitatem obtinendam vel conseruandam similia adhibet cum intentione dandi operam eiusmodi vanitatibus tanquam efficacibus: quia implicitè referuntur ad dæmonem, cùm ex naturâ suâ, neque ex Dei institutione habeant illam efficaciam, teste Augustino, qui lib. 2. de Doctr. Christianâ docet eas spectare ad Magiam, dicens: *Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ, atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina commendat, siue in præcantationibus, siue in quibusdam notis, quas characteres vocant: siue in quibusdam rebus suspendendis atque ligandis, vel etiam saltandis quodam modo, non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes, aut occultas, aut etiam manifestas: quæ mitiori nomine Physicam vocant, vt non quasi superstitiosè implicare, sed naturâ prodesse videantur: sicut sunt inaures in summo aurium singularum, aut de struthionum ossibus ansulæ in digitis, aut cum tibi dicitur singultienti, vt dextrâ manu sinistrum pollicem teneas.* Testatur expressè Propheta Dauid similia adhibentes indignationem Dei incurrere cum ait Psalm. 30. *Odisti obseruantes vanitates superuacuè. Ego autem in Domino speraui, exultabo & lætabor in misericordiâ tuâ.* id est, Domine in manibus tuis vitam meam commendaui, sicut dixerat versu præcedenti: quia scio quòd odio habere soleas, seu mortalis peccati reos, qui non sperant in adiutorio tuo, sed in rebus vanis, quæ nullum auxilium adferre possunt, vt sunt somnia, auguria, responsa dæmonum, & vanę obseruationes, quæ ex eius disciplinâ prodierunt. Per odium enim intelligitur peccatum mortale. Hinc Chrysostomus hom. 8. ad Coloss. vehementer inuehitur in eos, qui eiusmodi amuleta excusant, quasi in illis nihil esset impietatis, & minatur se in illos animaduersurum, in verbis: *Alia verò fluuiorum nomina collo appendunt, & mille talia audent. Ecce dico & prædico vobis omnibus, si quis deprehendetur postea non parcam, siue superstitiosa collo alliget, siue incantet, siue aliud quidquam huiusmodi artis faciat.* Et hom. 12. in 1. ad Corinth. ridet illos, qui ad incolumitatem puerorum seruandam, & fascinium auertendum & quæuis discrimina, coccineum stamen collo appendunt, & luto ex balneis accepto frontes vngentes signant. Cum enim multa diaboli inuenta redarguisset, præsertim quòd omissâ Sanctorum appellatione filijs recens natis nomina antiqua imponunt, hinc diuturnius victuros coniectantes, addit: *Quod si quis dixerit, quæ circumponuntur ornamenta & bractea manibus pendentia, & coccineum stamen, & alia omnis stultitiæ plena?* supple quam horrendum erit; quia videlicet, *subtegmen & stamen, & alia huiusmodi, quæ puero alligantur, pueri incolumitatem seruare creduntur.* Tum subiungit: *Dicam & aliud magis ridiculum, sed nemo importunitatem nostram accuset, si hactenus procedit oratio. Qui enim saniem purgare vult, prius manus suas maculare non recusabit. Quod tandem est hoc ridiculum? Quod quidem multis nihil mali videtur. Verum est infidelitatis principium & maximæ dementiæ: luto mulieres in balneis accepto, & nutrices item & ancillæ digito pueri frontem vngentes signant. Quod si quis eas interrogaret, quid sibi lutum illud velit, quid cœnum? malum oculum auertit, inquiunt, & fascinium, & inuidiam* Et paulo post: *Quod si lutum hoc facit, quamobrem tu quoque non idem in fronte tua facis, cum vir sis, & in ætate perfectâ magis quam puer inuidos habeas? Quamobrem non vniuersum corpus luto illinis? nam si in fronte tantam habet vim, quâ causâ non totum te luto vngis? Risus hæc, & satanæ ignominia, non in derisum dumtaxat, sed in gehennam conuertēs, quos decepit. Et quòd apud Gentiles hæc fiant, nihil mirum: Verum quod apud*

Aug. | Psal. 30. | Chrysost.

apud eos, qui crucem adorant, & arcana mysteria communicant, & huiusmodi philosophantur, hac ignominia praualet: hoc sane maximè est deplorandum. Deus te vnguento honorauit spirituali, & tu luto coinquinas filium: Deus te honorauit, tu teipsum dehonestas. Oportet vt fronti crucem inscriberes, quæ tibi certissimam praeberet cautionem. Tu autem ijs omissis, in satanæ amentiam procidis.

3. Quid non diceret Chrysostomus, si Christianorum hodiernam insaniam intueretur, quâ post tot sęcula, tot miracula, tot sacras monitiones, Ethnicorum superstitiones audacter propugnant? Hi enim amuleta quędam ad corpus immune seruandum à læsionibus secum portant; alij sordes, quibus in vtero matris inuoluti fuerunt, argento inclusas velut thesaurum collo appendunt; alij vt animalia à feris in pascuis illęsa pernoctent, baculum terræ infigunt, certasque coniurationes faciunt; alij pinsunt libum sancti Lupi triangulare prætexto sacratissimæ Trinitatis honore, ei quinque foramina imprimunt, in memoriam vulnerum Christi, vti & colorant. Postea in B. Lupi honorem libum dant in eleemosynam mendico, non ex proposito, sed ignaro & fortuitò primùm occurrenti. Sic arbitrantur armenta & greges solos in pascuis à lupis inuadi non posse. Alij arbores certo anni tempore stramine ligant, credentes inde magis frugiferas fore. Quis hæc non horrebit in Christianis? præsertim, cum Ethnici sapientiores ea vt blasphema rideant, veluti Plinius quædam facit, lib. 28. cap. 1. *Nempe dente hominis vi interempti gingiuas in dolore scarnificari, & oculorum suffusiones felle hominis sanari, & caluariâ interfecti neque cremati propinatam aquam è fonte noctu comitialibus morbis prodesse; & hominis interfecti catapotia contra canis rabiosos morsus valere.* Quę ipsemet immediatè subiungit esse piacula, inquiens: *Sed piacula sunt ista*, non auxilia & remedia: vti sunt ossa mortuorum adhibita sanandis excrementis manuum, Belgicè *VVratten*: dolori etiam dentium tollendo & similia, quæ ex anilibus fabulis proueniunt.

Plinius.

4. Si placet, examina stultitiam hanc, & vnde amuleta eam vim possint habere discute. Quid sordes illæ, quas vulgus solet galeam vocare, virium habeant ad prætensum effectum? Ex scholâ obstetricum prodit hæc superstitio. Quæ duo ex tribus membranis, quibus fœtus in vtero materno inoluitur, & aliquando in lucem ita prodit, vt facies ac caput infantis quasi galeatum appareat, fortunam infantis præsagire dicunt, pro vt color rubicundus est vel liuidus. Quod ortum videtur, quia Imperator Diadumenus his membranis nascens, galeatus dictus est, vt scribit Lampridius in eius vitâ. Et quòd causidici tempore Gentilismi multâ pecuniâ eiusmodi aliquod inuolucrum emebant rati se illo ad causæ victoriam multùm iuuandos. Quæ species, aut fundamentum? cui rei fidis? Stamen autem coccineum à Gentilibus processit, qui credebant, quòd coccinea vestis tutos præstaret homines in prælijs & periculis, vt testatur Martinus de Roa lib. 1. Singular. cap. 2. Inde videtur natum, vt Romani conflicturi cum hoste tunicam russam siue coccineam pro signo prælij exponerent in Prætorio, quodque milites eâdem induerentur, indeque russati dicerentur, vti ex Plutarcho in Fabio & in Bruto, item ex Isidoro docet Lipsius, lib. 4. de militia Romana, cap. 12. Hinc etiam Scriptura cap. 2. prophetiæ Nahum volens repræsentare Chaldæorum feritatem, quòd videlicet sanguinolenti essent futuri, multumque in Niniue sanguinem effusuri, dicit de militibus eorum, *Viri exercitus in coccineis*. Cæterum infixionem baculi, coniurationem, libi prætactam formationem, anile esse figmentum nihil efficiens ad effectum designatum, sed inuocationem tacitam esse dęmonis, quis non videt?

Lampridius. Mart. à Roa. Lipsius.

5. Sed dices, qui huiusmodi rebus vtuntur, bonâ fide procedunt, & sathanicis pompis renuntiarunt; absit, quòd illum inuocent: nec apprehẽdunt tam graue malum his subesse.

Respondeo hæc aliquatenus excusabilia esse in ijs, qui bonâ fide ignorant: sed quàm plures & ferè omnes inolitæ consuetudini inhærẽtes, ex crassâ ignorantiâ, & quòd Parocho, alijque viro docto, moniti non credant, grauius peccare deprehenduntur propter contemptum, neque eos excusat quòd expressè cum dæmone pactum non inierint, nec quòd dæmonem non inuocent, sed satis est, quòd signa adhibeant, quibus dæmon tacitè inuocatur, & inuocatus cooperatur, vt facere solet, licet applicans id ignoret. Sicut enim nocturno tempore per excubias tutus transit, qui scit verbum transeuntibus, in amici signum, necessarium; siue id sciat ex ipso Principe, Consule ciuitatis, aut aliundè, eo quòd excubias agens tantùm istius verbi habeat rationem, Sic dæmon operatur ad signum à se institutum à quocumque applicetur: & inde applicans tacitè eum inuocat. Et certè non puto aliquem rationis compotem tantæ esse dementiæ, vt credat aliquem ob amuletorum gestationem, & prædictorum appensionem immunem posse esse à læsione & vulneribus, etiamsi gladio appetatur, nisi vel Deus, vel dęmon inuisibiliter aliquid interponat quod resistat, vel ensis motum continere aut impedire valeat, ne vltra progrediatur; vel lapidem proiectum aliò moueat: at Deus hoc non facit; neque prædicta ex naturâ suâ hanc habent virtutẽ: sequitur ergo fieri ex operatione dæmonis; nisi quis probet se corpus habere impassibile, vt habebunt resurgentes in alio sæculo. Vix etiam credibile est eos, qui remedijs prædictis ad animaliũ immunitatem vtuntur, à quâdam dæmonis inuocatione excusari; quandoquidem lupos non audeant proprio vocabulo nuncupare, sed generali, animalia, vulgò *Pryen*. quod meâ coniecturâ non videtur aliud esse, quàm colendo lupos diabolum venerari, & cum illo pacem velle. Res stupenda, & homini plurimùm nociua. Audi de his præclaram D. Leonis sententiam serm. 18. de Passione Domini, vbi sic habetur: *Cùm eis*, scilicet malignis spiritibus, *nihil in quemquam amplius liceat, quàm iustitia diuina permiserit, qua dignatur suos aut corrigere disciplinâ, aut exercere patientiâ, agunt tamen versutissimâ arte fallaciæ, vt ex arbitrio propriæ potestatis, aut lædere videantur, aut parcere: & multis, quod dolẽdum est, ita per nequitiam simulationis illudunt, vt quidem illos, & timeant pati infensos, & velint habere placatos, cum beneficia dæmonum omnibus sint nocentiora vulneribus, quia tutius est homini, inimicitiam diaboli meruisse, quàm pacem.*

6. Dices, esto in his non excusentur; tamen condemnandi non veniunt, qui ex præscripto mulierum piarum ad quædam loca peregrinatum vadunt; ibique offerunt nummum argenteum, tres candelas, aliaque faciunt, vulgò de *Boete*? Respondeo, nec hos omninò excusandos, primò quia causa, quæ peregrinantem te mouet, est futilis; nempè quia cingulum ægrotantis metiuntur ad cognoscendum à quo Sancto sit sanitas impetranda adhibitis certis ritibus, illique dicenti sine vllo fundamẽto credis: vnde enim talis muliercula ex cõmensurato cingulo alioue fasce diuinare potest quẽpiam ad huius vel illius Sancti reliquias aut memoriam esse sanandum? Vnde scit necessariò ibidem offerẽdum nummum argenteum, certum numerum candelarum, & paucis diebus continuandum, an Domini fuit Consiliaria? an Deo leges præscribere potest? Secundò numerus ille definitus & strictè seruandus redolet Dæmoniacam disciplinam. Nec refert quòd in rebus pijs constituatur, Non enim respicit Dæmon res pias; sed numerum in rebus pijs pro signo habet ad operandum, atque adeò res cũ illo se habet, vt Viatori est manus aliqua, quæ in biuio designat viam maximè frequentari soli-

solitam; & vt Viatori perinde est an illa manus sit cõfecta ex ligno, an ex auro, aliâue materiâ, modo index sit: ita Diabolo an in pijs, aut in alijs te decipiat, nisi quòd sciat versutiam & vafritiem suam sic melius celari.

7. Sed quæres quid sit de secunda, nempe obseruantia futurorum euentuum? Respondeo hanc similiter condemnari; si quis certò credat ex his prospera vel aduersa euentura, quia nullam habent naturalem vim, aut supernaturalem ad illa significanda. Vnde obseruantur tanquam vana signa dęmoniacæ diuinationis, qui se immiscet in operationibus hominum, illosque implicare conatur. Hinc D. Augustinus lib. 2. de doctr. Christianâ cap. 20. ad Magiam hæc dicit spectare, quãdoquidem condemnatis superstitiosis obseruationibus sanitatum, addit: *His adiunguntur millia inanissimarum obseruationum; si membrum aliquod salierit, si iunctim ambulantibus amicis lapis, aut canis, aut puer medius interuenerit: atque illud quod lapidem calcant, tanquam dirẽptorem amicitiæ minus molestum est, quàm quod innocentem puerum colapho percutiunt, si pariter ambulantibus intercurrerit.* Et paulò post. *Hinc sunt etiam illa: limẽ calcare, cùm ante domum suam transit: redire ad lectum, si quis, dum se calceat, sternutauerit: redire domum, si procedens offenderit: cùm vestis à soricibus roditur, plus timere suspicionem futuri mali, quàm præsens damnum dolere. Vnde illud eleganter dictum est Catonis, qui cum esset consultus qui sibi à soricibus erosas caligas diceret: respondit non esse illud monstrum, sed verè monstrum habendum fuisse, si sorices à caligis roderentur.* Et certè ipsa ratio dictat hæc à dęmone prouenire. Primò, quia insinuat Christianum esse causam mali, & magis religiosum, quod Sacerdotes Idolorum in primâ Ecclesiâ persuaserunt suis cultoribus, scilicet omnes clades post Christi aduentum ipsis illatas esse à Dijs eorum, propter religionẽ Christianam, vt testatur Tertull. Apolog. cap. 4. Et D. August. lib. 4. Ciuit. cap. 2. Et Origenes tract. 28. in Matthæum dicens: *Gentiles famis, pestium,* terræmotuum, & aliorũ communiũ malorum causas in Christianos retulisse, eaque de causâ Ecclesiæ Christi passas esse persecutiones.

Secundò, quia hoc modo erga pios odium generatur; imo causa datur inimicitiæ, quod Sapiens dicit Prouerb. 6. Deum odisse. Hinc Chrysostomus hom. 21. ad populum audacter pronuntiat esse pompam satanicam, his verbis: *Hæc est pompa satanica: non enim hominis occursus malum facit esse diem, sed in peccatis viuere. Cùm igitur exieris, vnum solum custodi, ne occurrat tibi peccatum. Hoc enim est quod supplantat; præter hoc verò nec ipse diabolus, nec quispiam lædere poterit. Quid dicis? hominem cernis, & ominaris, nec cernis foueam diabolicam? quomodo te illi, qui te multa affecit iniuriâ reddit inimicum? quomodo te fratri constituit aduersarium ex nullâ iustâ occasione? Et Deus quidem vel inimicos amare nos iussit: tu autem nihil lædentem auersaris, nihil accusandum habens. Nec cogitas quantus risus, quantũ dedecus, imo vero quantum periculum?*

Tertiò colit malitiam, & peccatores, vt insinuat Chrysostom. hom. citatâ in hæc verba: *Dicamne, & aliud ridiculosius? Confundor nempè & erubesco, sed cogor propter salutem vestrã dicere. Si virgini, inquit, occurreris, sterilis dies erit. Si verò meretrici, dextera & bona, & multâ mercatione plena. Occultamini, & frontem percutitis, & ad terram inclinatis. Sed nunc nondum dicuntur verba, sed cum fiunt opera erubescendum est.* Ac tum causam reddit cur Diabolus eam adinuenerit: *Vide*, inquit, *quomodo, & hic diabolus dolum abscondit, vt modestam quidem auersemur, impudicam verò gratam habeamus, & amemus. Quoniam enim audiuit Christum dicentem, quòd aspiciens mulierem ad concupiscendum, iam mœchatus est eam; & vidit multos lasciuiâ vinci, volens rursus per aliam viam ipsos in peccatum impellere per hanc obseruationem, meretricijs mulieribus libenter oculos intendere persuasit.* Certè Scriptura etiam alibi hoc innuit esse damnosum, cùm felicitatem prouenire testatur per cohabitationem piorum hominum, vt facit exemplo Iacob Genes. 31. & Ioseph. Genes. 39. ob quos

Margin notes: August. — Tertull. — August. — Origen. — Chrysost. — Matth. 5 — Genes. 31. — Genes. 39.

quos Deus benedixit temporaliter Laban & Pharaoni. Sic enim fatetur Laban, dicens Iacob voléti eum deserere: *Inueniam gratiam in conspectu tuo, experimento didici, quia benedixit mihi Deus propter te.* Et Genes. 41. vbi inter encomia Iosephi dicitur: *Benedixitque Dominus domui Aegyptij propter Ioseph, & multiplicauit tam in ædibus, quàm in agris cunctam eius substantiam.*

Genes. 41.

Quartò, quia promouet Gentilismum, Gentiles enim, quia Deus iussit, Leuit. cap. 2. sacrificia sale condiri in signum perpetui fœderis, & quia hospitibus olim ante alios cibos sal apponi soleret in signum amicitiæ perpetuò duraturæ, ominosum habuerût, si salem in mensã profundi contingeret, quasi illa euersio hoc portenderet, quod nemo sanæ mentis dixerit: non enim Deus hoc indicauit, sed præcepit illud adhiberi. Ex quo tantùm sequitur in lege Moysis peccatum fuisse, si ei contrauenirent illud non adhibẽdo. Quorsum etiam tendunt obseruationes lapidis occurrentis, aut canis, aut pueri inter medium; quin etiam obseruationes dierum faustorum, & infaustorum: adeò vt grauiter peccẽt, qui certis diebus in mense, aut septimana omittunt iter aggredi, aut nuptias, seruitium, aliudue opus; id enim prohibet Apostolus ad Galat. 14. per verba: *Dies obseruatis, & menses, & tempora & annos*, iuxta D. Augustinum epist. 119. & Anselmum, qui per dies hos intelligunt dies faustos & infaustos secundum Astrologiam iudiciariam vel Gentilium superstitionem.

Leuit. 2.

Galat. 14.

August. Anselm.

Porrò hæc ad mortale peccatum ascendere, dubium non est, quotiescumque quis de horum veritate sufficienter instructus nihilominùs ijs signis fidem adhibet, aut actiones suas secundum illa conformat.

8. Sequitur de arte notoriâ, cùm per precationes quasdam exspectatur scientia infusa aliquarum rerum, quod peccatũ mortale esse certum est, quia tacitè inuocatur diabolus, eique attribuitur potestas infundendi animæ subitò habitus scientiarum, quod solius Dei esse docet Augustinus lib. 10. Ciuit. cap. 9. Cùm enim hæ cæremoniæ non habeant illam vim à Deo, nec à natura rerum quæ adhibentur, nec ab astris, sequitur effectum exspectari à diabolo: quod experientia etiam docet in Anabaptistis. Hi enim cùm à Catholicâ fide ad illam hæresim deflectũt, videntur consecuti omnem scientiam Scripturarum, sumpto nempè bolo detestabilis illorum cœnæ, quo diabolus illos occupat, & per os illorum legit, Scripturas profert, disputat, eosque ita dementat, vt se hæc omnia nosse putent: redeuntes ad fidem Catholicam, & recedente tum spiritu nequam rudes fiunt, vt ante hæresim.

Ampliat hãc superstitionem Suarez in eo, qui quocumque modo intendit quamcumque scientiam acquirere ope dæmonis. Exempli gratia, vt siquis studẽdo laboret secundum vires ad scientiam acquirendã, simulq; vteretur vanis obseruantijs, quibus speraret, vel vim memoriæ acquirere, vel facilitatem & acumen ingenij, vel organa sensuum melius disposita, vel similia, quæ virtute naturali talium obseruationum fieri non possunt; fieri autem aliquo modo possunt virtute dæmonis. Item ille, qui vellet à dæmone edoceri eo modo, quo docetur ab homine loquente; siue intendat, vt dæmon sibi loquatur ad aures corporis in corpore visibili assũpto, siue solùm in imaginatione formando eadem verba. Quâcumque enim ratione initur societas cum dæmone, quia quantumuis nihil petatur expressè, vel tacitè, quod virtutem eius naturalem superet, superstitiosum est, & ad hanc partem artis Magicæ pertinet.

Discursus LXXIV.

De Maleficio.



Istinximus Magiam in eã, quæ est benefica, & retinet nomen Magię (de qua, & vanis obseruantijs illi vicinis iam egimus) & in alteram, quę est nociua, & proinde maleficij nomen obtinuit. De qua iam restat tractare, quid sit, & de alijs ab ea dependentibus.

Iob 41. 1. Iob. 41. cap. sub nomine immanis belluæ describitur potestas diaboli, his verbis: *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* scilicet ad inflictionem tormentorum, immissionem tentationum, & immutationem creaturarum. Hanc autem potestatem sæpè exercet per se, vt patet Iob. 1. vbi ignem acciuit de cœlo, qui tactas oues, puerosque consumpsit, vehementem etiam ventum, qui liberos eius oppressit. Et hinc Apostolus ad Ephes. 6. vocat dæmones, *Mūdi rectores tenebrarum harum, spiritualia nequitiæ in cælestibus.* id est caliginosi huius aëris, qui malis spiritibus plenus est, teste Hieronymo, qui sic ait: *Communis omnium Doctorum est opinio, quòd aër iste plenus sit contrarijs fortitudinibus*, puta dæmonibus: qui scilicet in aëre hoc sæpè procellas, turbines, fulmina, tonitrua, aliaque meteora miscent & efficiunt, vt frugibus, bestijs & hominibus noceant, quique in terrâ hâc æstus, sterilitates, morbos, pestes, inundationes, bella, aliasque clades concitant: qui denique homines assiduè ad gulam, libidinem, iram, fastum, omniaque vitia sollicitant & impellunt. Adhæc idem Hieronymus non improbabiliter existimat certos dęmones præfectos quibusque vitijs, his verbis: *Sunt enim quidam dæmones amoribus & amatorijs canticis seruientes, vt Propheta quoque commemorat dicens: Spiritu fornicationis seducti sunt. Nam & barbara quædam nomina eorum esse dicuntur; vt sæpè confessi sunt hi, quos verè vulgus maleficos vocat: & incantationes, & preces, & colores varij, & diuersa vel metallorum genera, vel ciborum, ad quæ inuocati assistere dæmones, & infelices animas capere memorantur. Alij verò iracundias & furores, & bella committere: alij præesse inimicitijs, & inter homines odia concitare.* Vt vt est, constat ex Scripturis dæmonium nomine Asmodęum interfecisse septem viros Saræ filiæ Raguelis. Luc. 8. dæmones egressos ex homine permissione Dei ingressos esse gregem porcorum, eumque per præceps impulisse in stagnum, vbi suffocatus est. 1. Pet. 5. tanquam leonem rugientem circuire, & quærere quem deuoret. Iob virum simplicem & rectum omni genere morborũ afflixisse. 2. ad Corinth. 12. permittente Deo stimulasse ad libidinem continuò Paulum.

Iob. 1. · Ephes. 6. · Hieron. · Tob 3. · Luc. 8. · 1. Pet. 5. · 2. Cor. 12.

2. Secundò exercet illam potestatem mediantibus hominibus, qui vocantur Malefici. De quibus Exod. 7. dicitur: *Vocauit autem Pharao Sapiētes* & Maleficos, qui per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam similiter in speciē fecerunt, ac Moyses verè fecerat nomine Dei: nempè aliunde sanguinem adducendo & latenter pro aquis supponendo, & cap. 8. per incantationes ranas aliundè transferendo, vel ex aquis naturaliter producendo, applicando actiua passiuis, &c. Hi sequentibus sęculis plures habuerunt imitatores, qui ope dæmonis solent hominibus plurimùm nocere per veneficia, morbosque immittere tam hominibus, quàm animalibus per excrementa, ossa, aliaque sub limine domus disposita, quibus dæmonem prouocant ad nocendum ijs, quibus

Exod. 7. · Ibid. cap. 8.

quibus intendunt. Vnde Maleficiũ definitur esse magiæ species, quâ quis ope dæmonis alteri malum parat, qualecunque illud sit, siue nociuum corpori, vt prædicta; siue animæ, vt odia, inimicitiæ, libidines & eiusmodi.

3. Quæres, quale illud sit peccatum? Respondeo grauissimum peccatum esse mortale, vt patet ex dictis præcedenti Discursu n. 5. Et ex D. Paulo, qui ad Galat 5. illud constituit inter ea, quæ excludunt à regno cœlorum, dicens: *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia* &c. *idolorum seruitus, veneficia* (quæ vox licet propriè veneni procurationem significet, tamen extenditur ad omnia opera Magica, quæ maleficia vocamus, per quæ scilicet ex pacto cum dęmonibus inito nocumenta inferuntur hominibus, aut eorũ possessionibus) *inimicitiæ* &c. *Quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei nõ consequentur*. Secundò, quia est maximè perniciosum Reipublicæ. Vnde Exod. 22. Dominus tales è medio vult tolli, dicens per Moysen: *Maleficos non patieris viuere*, & apud Prophetam Nahum cap. 3. vrbi Niniue excidium minatur, quia maleficia exercuit, & alios idololatriam & maleficium docuit, in verbis: *Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis, & equitis ascendentis: & micantis gladij, & fulgurantis hastæ, & multitudinis interfectæ, & grauis ruinæ: nec est finis cadauerum, & corruent in corporibus suis*. id est video terribilem interitum Niniue imminẽtem, & quasi viuam belli à Chaldæis Niniue inferendi imaginem & repræsentationem; seu videor videre cominùs, & audire flagella aurigarum in curribus Chaldæorum hostilibus, rotarum cursus & impetus, equites equosque frementes; item micantes eorum gladios, & fulgurantes hastas, quibus ipsi ingentem multitudinem Niniuitarum interficient, ipsisque grauem ruinam, id est, multitudinem cadauerum afferent: quod important maximè verba *grauis ruinæ*. Sic enim Antiochus dicitur intrasse in Ægyptum in multitudine graui, id est, numerosâ & copiosâ, 1. Machab. 1. 18. Sic Deus in Ægyptũ per Moysem misit muscam grauissimam, id est, plurimam, Exod. 8. 24. Causam addit tantæ stragis, quòd Magiæ, superstitioni & idololatriæ fuerit dedita, & ad eam pellexerit, imò coëgerit omnes Gentes, in verbis; *Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, & gratæ & habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, & familias in maleficijs suis*. Deinde apud Malach. cap. 3. illis qui putabant Deum non habere prouidentiam super vniuersum, & maleficia non punire, inquit: *Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. Ego enim Dominus, & non mutor: & vos filij Iacob non estis consumpti*. id est, Citissimè puniam grauissima illa vitia, comminatio mea firma est, impleo quod prædixi, minor his maleficis & alijs vindictam, pręstabo illam; & quòd vos licet peruersos non consumpserim, misericordia mea est, quam partibus vestris promisi, qui constans sum & immutabilis. *Ego Dominus & non mutor*, iuxta illud Threnor. 3. *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius*. Hinc etiam Saül, vt religiosi animi aliquod ederet publicum & illustre testimonium, edicto cauit, ne vllus deinceps in suo regno permitteretur viuere, qui magicis artibus, & fallacibus respõsis nimis credulum & stultum populum deluderet. Et hoc est quod Pythonissa, 1. Reg. 28. dicebat Saüli mutato habitu cum illâ agenti. *Ecce tu nosti quanta fecerit Saül, & quomodo eraserit magos & ariolos de terrâ*. Et Respublica Romana statim ab euangelio illucescẽte, (etsi persisteret in infidelitate & cultu Idolorum) proscripsit Magiam, quam cœperat cognoscere esse perniciosam: vti patet L. *Multi* in C. de Maleficis & Mathema-

Galat 5. — Exod. 22. — Nahũ. 3. — 1. Mach. 1. — Malach. 3. — Threnor. 3. — 1. Reg. 28.

thematicis. Vbi decretum est, magicis artibus deditos, quia elementa turbare, vitam insontium labefactare, & Manibus hoc est dæmonibus euocatis, audent multa perpetrare, ferali sententiâ esse puniendos. Id est, vt exponit Accursius, tanquam bestias. Simile quid statuitur L. *Eorum* C. *Eodem* contra eosdem, & animos pudicos ad libinem deflectentes. Iure quoque Canonico multis pœnis afficiendi decernuntur 26. q. 5. & 7. & extrau. de Sortilegijs.

4. Quod amplius est, non solùm grauiter peccant malefici, sed etiam ad restitutionem tenentur læsionis, quam fecerunt in rebus externis, vt in damnis, quæ homines per infirmitates incurrerunt, ac per occisionem boum, ouium, aliorumque animalium, combustionem segetum, destructionem arborum, & similium detrimentorum.

5. Sed quæres, Vnde diabolus habeat hanc potestatem in hominem, ipsiusque bona?

Respondeo, ex naturâ suâ: quia dæmones sunt angeli mali propter superbiam suam perpetuò damnati. Illi autem naturaliter, seu cum ipsâ naturâ acceperunt potestatem, sicut Angeli qui boni manserunt, à Deo, hominibus nocendi, quę mansit postea in naturâ per peccatum lapsâ, quia Deus noluit propter peccatum naturalia auferre, sed gratuita. Ex quâ possunt varia facere, vt corpora loco mouere, & ita facere, vt distent, quæ propinqua erant, vt incipiant esse propinqua, quæ erant distantia. Quod etiam euidenter
Matth. 17. probatur ex Matth. 4. vbi dicitur: *Tunc assumpsit eum Diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum Templi. Et iterum assumpsit eum in montem excelsum, & ostendit ei omnia regna* &c. Transformare etiam corpora extrinsecè, mutando figuram, & circumponendo aliam ex vaporibus, ac similibus modis; Morbos quoque occultos inferre instillando venena ignota, eaque ita temperando, vt lentè operentur, impediendo vim medicamentorum, & alijs modis nocendo, vt inserendo in stomachum villos pilorum, clauos, aciculas, fragmenta vitrorum, & alia huiusmodi, quæ sæpè eijnuntur ab affectis maleficio: Tempestates etiam excitare, tonitrua, fulmina, inundationes efficere, terremotus, ruinas ædificiorum, incendia, & similia, sed non nisi Deo permittente; quod patuit Exod. 8. Exod. 8.
vbi Malefici volentes excitare Cyniphes, sicut fecerat Moyses ad punitionem Pharaonis, id non valuerunt, addentes causam, *Digitus Dei hic est*: id est, potentia Dei, quæ Moysi assistit, eumque iuuat, sed nos inuadit, & compescit, ac cogit illi credere. Iob etiam cap. 1. vbi diabolus Iob. 1.
nihil valuit in eum, amplius quàm Deus illi permisit. Et Luc. 8. vbi non Luc. 8.
potuerunt dæmones sine peculiari Dei facultate gregem porcorum in mare præcipitem agere.

6. Verùm petes, Cur Deus permittat hæc per dæmonem, ipsiusque Maleficos fieri? quia legitur permisisse quædā ad ostentationem facta, & æmulationem Dei quædam circa bonos permisisse, quędam circa malos.

Respondeo, varias dari causas huius permissionis circa ostentationem prædictam. Prima est, quòd voluerit Deus palam facere semper veritatem, ac pietatem fuisse multis obnoxiam contradictionibus, speciem veritatis, & pietatis præ se ferentibus: quod innuit Paulus 2. ad Tim. 3. Cùm de quibusdam dicit: 2. Tim. 3.
Quemadmodum Iannes, & Mambres restiterunt Moysi, ita etiam hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Et diuersis exemplis planum ostenditur in Scripturis, tam in cœlo contigisse, quàm in terrâ. In cœlis enim Lucifer, eiusque affectatores talem contradictionem excitarunt aduersus Deum, repugnantibus Michaële, & sanctis Angelis. Apoc. 12.
In terris statim post creatum hominem improbitas Caini contradixit Gen. 4.
innocentiæ Abel: & postea Ismaël Gen. 21.
Isaaco, Esau Iacobo; Iosepho Fra- Gen. 27. & 37.
tres eius; Datan & Abiron Moysi,

&

& Aaron, Pseudoprophetæ veris Prophetis. In nouo Testamento Apostolis Simon Magus; & Christianæ disciplinæ prædicatoribus Philosophi, & Magi, & Hæretici obnixè restiterunt.

Secunda causa: vt hoc exemplo, alijsque similibus innotesceret, quã sit verum, quod dici solet, Dæmonem esse veluti simiam Dei. Is enim quam initio affectauit Dei similitudinem, neque in cœlo assequi potuerat, eam postea in terris omni tempore per insipientiam hominum adipisci conatus est. Deus habet veros Prophetas, & dæmon Pseudoprophetas habet. Deus varios ordines religiosorum hominum instituit, vt præcipuâ quadâm eximiâque sanctitate coleretur: Et dæmon plures sectas hominum instituit, vt ab insipientibus hominibus superstitiosè coleretur. Deus vera miracula facit ad contestandam & comprobandam veritatem; dæmon ad persuadendam falsitatem, similia in speciem veris miraculis operatur. cuius diabolicæ ambitionis luculentũ reddidit testimonium concertatio Magorum Pharaonis cum Moyse Exodi 7. c. & sequentib.

Tertia causa est, vt fideles admoneantur, non turbari, aut scandalizari signis, & prodigijs impiorum hominum, quasi illa essent miracula, & diuinæ virtutis testimonia; apertèque cognoscant multa videri miracula, quæ non sunt; propriumque esse diaboli transfigurare se in Angelum lucis ad circumueniendos Mortales, & simulare Prophetam, & miracula. De quibus dixit Christus Matt. 24. quod *surgent Pseudochristi, & Pseudopropheta, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* *Matt. 24.* Et Paulus de aduentu Antichristi 2. ad Thess. 2. in verbis: *Cuius est aduentus secundum operationem satana in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus.* vt mox dixi. *2. Thess. 2.*

Quoad bonos, permittit Deus ad tentandam, exercendam, probandamque pietatem fidelium, vt patet Deuter. 13. vbi insinuatur venturos Pseudoprophetas signa, & portenta facientes, & prædicentes quæ euenient; & additur: *Non audies verba Propheta illius:* & subiungitur ratio: *Quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in totâ animâ vestrâ.* *Deut. 13.* Exemplum est illustre in Iob; cuius constantiam Deus voluit per tentationẽ, & maleficia diaboli toti mundo esse palam, seruire instructioni aliorum, eique cedere in augmentum temporalium, & cœlestium.

Quoad malos, permittit illa Deus in pœnam peccatorum siue originalis, siue actualis. Hinc striges sæpe infantes interficiunt, Iudæi & Gentiles dæmonibus filios, & filias offerebant igne consumendos. *Leuit. 18.* & hæc tolerat subinde Deus etiam in Baptizatis ne propter actualia peccata, quæ præuidet, longius victuri grauiorem sibi damnationem acquirant. Sic Ægyptij in pœnam actualium peccatorum puniti per malorum Angelorum immissionem: De quâ Psal. 77. v. 49. mentionem facit Propheta. *Psal. 77.* Sic in primitiuâ Ecclesiâ Christianâ propter grauiora peccata homines traditi satanæ in interitum carnis; & blasphemantes à Paulo, vt habetur 1. Cor. 5. & 1. Timoth. 1. *1. Cor. 5.*

7. Verùm his ita positis restat scrupulus non inutilis discutiendus; an illi homines excusentur à peccato, qui ad libidinem, & odium hisce maleficijs incẽduntur? Solent enim homines facilè prætendere excusationes in peccatis, & dicere, opus esse diabolicum, quòd in hæc aut illa vitia ruant, quasi per hoc ipsi euadant immunes.

Respondeo, nullatenus. Licet enim possit inducere homines ad peccandum, vt fecit Genes. 3. cum primis parentibus. *Genes. 3.* & Ioan. 13. vbi legitur, quòd diabolus miserit in cor Iudæ, vt traderet eum scilicet Christum. Et ad Ephes. 6. vbi dicitur, nobis non esse colluctationem *aduersus carnem, & sanguinem*, scilicet principaliter, *sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum:* *Ephes. 6.*

horum: tamen non potest cogere vllius voluntatem ad amandum vel odio habendum, quam Deus homini liberam reliquit;& insuper auxilium sufficiens dedit ad vincendas omnes tentationes, & peccata; neque permittit Diabolo amplius hominem affligere, quàm valeat sustinere, vt nobis scriptum reliquit divus
1. Cor. 10. Paulus, 1. Cor. 10. in hæc verba: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Quod pulcris similitudinibus ad populi capacitatem illustrat Beatus Ephrem
B. Ephrem. serm. de patientiâ; nempe Mulionis, & figuli; sic enim ait: *Non quantùm vult malignus tentat affligitque animam, sed quantùm ipsi à Deo permittitur. Solùm anima viriliter perferendo spem teneat, quæ est in fide, auxilium atque præsidium ab ipso expectans, & fieri non poterit vt derelinquatur. Sed quantùm illa contendit ad Deum, spe ac fide confugiens, & ab illo opem, ac præsidium, liberationemque sine hæsitatione expectans, tanto eam celerius Dominus ab omni circumstante molestiâ liberat. Nouit quippè ipse, quantam subire possit probationem atque tentationem anima, & tantam quoque permittit.* Et paulò pòst: *Quis sperauit in Domino, & confusus est? aut quis permansit in mandatis eius, & derelictus est? aut quis inuocauit eum, & despexit illum? Si enim homines exiguo intellectu ac mente præditi probare & discernere norunt, quantum pondus atque onus singula ferre queunt animalia, veluti mulus, aut camelus, tantumque addunt oneris, quantum vires animalis tolerant. Et figulus vasa formans, nisi in fornacem ea immiserit, vt igne probata solida ac dura reddantur, humanis vsibus seruire nequeunt: Nouit autem quanto ea tempore oporteat in igne relinquere, donec vtilia efficiantur: Neque contrà, vltra quàm sit opus, ea in fornace relinquit, ne adusta corrumpantur. Neque vicissim ea minùs in fornace relinquit, quàm necesse sit, ne dissoluantur, neminique sint vsui. Si, inquam, in rebus corruptibilibus & apparentibus tantâ consideratione atque cognitione præditi sunt homines; quanto magis Deus, qui incomprehensibilis est, & ineffabilis scientiâ & intellectu, totusque sapientiâ plenus nouit quantis probationibus, atque tribulationibus, tentationibusque indigeant animæ ipsi placere volentes, vitamq́ æternam consequi desiderantes.*

Atque ex hoc capite D. Augustinus serm. 197. de tempore, vocat diabolum canem ligatum, qui mordere potest illos, qui per voluptates, & cupiditates sæculi illi se coniungunt. Libet addere ipsius verba, vt maiori auctoritate res percipiatur. Dixerat August. Christum alligasse Diabolum, & deinde obiectionem facit, cur tantùm præualeat? *Sed dicet*, inquit, *aliquis: Si alligatus quare adhuc tantùm præualet? verum est, fratres charissimi, quia multùm præualet; sed tepidis & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est enim tanquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum qui se illi mortiferâ securitate coniunxerit. Iam videte, fratres, quàm stultus est homo ille, quem canis in catenâ positus mordet? Tu te illi per voluptates, & cupiditates sæculi noli coniungere, & ille ad te non præsumet accedere. Latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet à nobis consensum, sed petit.* D. August.

Et certè Prosper, in responsionibus ad Vincentij & Gallorum obiectiones, quibus Deum peccati auctorem volebat, hoc miratur tanquam paradoxum, ex eo quòd diabolo peccatum tribui non valeat, qui tamen rugit, vt Leo quærens quem deuoret. 1. Petr. 5. Prosper.

Discursus LXXV.

An quibusuis medijs maleficia soluere liceat?

1. Ioan 3. DIvus Ioannes ep. suæ primæ cap. 3. ait, Christum in hoc apparuisse, vt dissoluat opera diaboli. Ex quo sequitur generaliter Christianos licitè eadem dissoluere; sed quæstio est, an quibusuis medijs id liceat?

Ad intelligentiam huius quæstionis prænotandum est, quadruplicia esse remedia morbis curandis, videlicet naturalia, moralia, superstitiosa, & supernaturalia. Naturalia verò sunt cithara, melodia, fumus, herbæ medicinales, & similia. Moralia sunt ablationes signorum & eò spectantia. Superstitiosa sunt, quæ ope dæmonis malefici adhibent, dum altero maleficio maleficium soluunt. Supernaturalia verò sunt eximia fides in Deum cum feruenti oratione, peccatorum confessio, digna Eucharistiæ perceptio, eiusque præsentia, & similia.

2. His positis dico primò licere naturalibus remedijs tollere morbos à dæmone immissos: quales fuerunt, quibus Iob c. 2. & mulier illa Luc. 13. cruciati fuere. Ratio est, quòd medicinam ad hoc ordinauerit Deus, iuxta illud Ecclesiastici cap. 38. *Altissimus creauit de terrâ medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam.* id est, Cum gratiarum actione beneficium Dei amplectetur infirmus, & vtetur medicinâ; non abhorrebit ab eâ sicut paruuli & insipientes; quandoquidem Deus de terrâ creauerit herbas medicinales, vt morbis hominum essent remedio. Item ad eas rectè applicandas dedit earum virtutum scientiam hominibus, iuxta eundem subiungentem ibidem: *Et dedit hominibus scientiam altissimus honorari in mirabilibus suis.* id est, Deus dedit quibusdam scientiam rerum medicarum: siue per specialem inspirationem & reuelationem, vti Adamo dedit vt omnium rerum naturas cognosceret; & Salomonem 3. Reg. 4. eâ donauit Sapientiâ, vt disputaret super lignis à cedro, quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete: siue quia per variam experientiam dedit, vt ad scientiam rerum medicarum peruenirent, idque ad hoc, vt ab hominibus honoraretur in mirabilibus suis operationibus, quæ inueniuntur in creaturis ipsius, & per eas in hominum corporibus. Sequitur, *In his curans*, nempe Deus, *mitigabit dolorem.* Confirmatur ex sententiâ Medicorum asserentium morbos procuratos à dæmone per internas causas curari posse naturalibus remedijs. Audi desuper Auicennam, qui, cap. 18. sent. 1. tract. 4. vbi de Melancholia agitur sic scribit: *Et quibusdam Medicorum visum est, quòd melancholia contingat à dæmone, sed nos non curamus, cùm physicam docemus, si illud contingat à dæmonio, aut non contingat, postquam dicimus, quòd si contingat à dæmonio, tunc contingit ita vt conuertat complexionem ad choleram nigram, & sit causa eius propinqua cholera nigra, deinde sit causa illius dæmonium aut non dæmonium.* Hæc sententia vera est, quotiescumque dæmon non impedit ne medicinæ vim suam exerant: potest enim adhibere contraria resistentia, vel corrumpere ipsa medicamenta, vel etiam vias obstruere, aliterue impedire ne applicentur.

Margin notes: Iob. 2. Luc. 13. — Eccles. 38. — 3. Reg. 4. — Auicenna.

3. Dico secundò, morbos, quos dæmon causat simul hominem obsidens, non posse naturalibus remedijs curari: ratio est quòd res naturales per se nullam vim habeant in Spiritus incorporeos, qualis est dæmon. Vndè Pater quidam cuiusdam

sic affecti Matth. 17. legitur in genua prouolutus rogasse Christum, his verbis: *Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur: nam sæpè cadit in ignem, & crebrò in aquam*. Hic enim à dæmone obsessus plenilunij temporibus per eum comitiali morbo grauissimè affligebatur, eo quòd tunc cerebrum humoribus plenum aptius erat exagitari.

Matt. 17.

4. Sed dices, hoc mirum esse, cum Dauid 1. Reg. 16. legatur Saülem à dæmone obsessum liberasse pulsu citharæ, in verbis: *Quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saül, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu suâ, & refocillabatur Saül, & leuius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus*. Et Tob. 6. dixerit Angelus Tobiæ iuniori, quòd particula cordis certi piscis posita super carbones, seu fumus inde procedens extricet omne genus dæmoniorum, in verbis: *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, siue à viro, siue à muliere, ita vt vltra non accedat ad eos*.

1. Reg. 16.

Tob. 6.

Respondeo, illa loca non esse intelligenda, quasi cithara per se potuerit dæmonem compescere; sed vel quòd Saülis animum nonnihil refecerit, ex eo quòd mærorem detserit melodia, aut cithara, aut musica. Nam iuxta Sapientem Eccles. 40. *Vinum & musica lætificant cor*. Explicat hoc latius ad nostrum intentum Cassiodorus lib. 2. Variarum 40. vbi sic ait: *Musica tristitiam noxiam iucundat, tumidos furores attenuat, cruentam sæuitiam efficit blandam, excitat ignauiam, soporantemque languorem vigilantibus reddit saluberrimam quietem. Sanat mentis tædium bonis cogitationibus semper aduersum*. Et sic contigit Saülem refocillari, vti exprimunt illa verba: *Quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saül, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu suâ, & refocillabatur Saül, & leuius habebat*. Rursum, vel si ex integro dæmon eum deserebat, iuxta verba posteriora, *Recedebat enim ab eo spiritus malus*, id fieri non poterat solâ musicâ, aut citharâ, vti nec fumo iecoris? Quid ergo? cùm Scriptura dicat eum recessisse à Saüle: & apud Tobiam fumum extricare omne genus dæmoniorum siue à viro, siue à muliere; imò cum addat: *Ita vt vltra non accedat ad eos*. Respondeo dicendum esse dæmonis potestatem diuinitus restrictam fuisse, & rebus naturalibus subiectam; quemadmodum de fide certum est dæmones igni infernali subiectos esse, eoque torqueri. Et confirmatur exemplis Apostolorum Petri & Pauli, Act. 5. & 19. vbi vmbra Petri, & Pauli sudaria & semicinctia leguntur dæmones expulisse, Deo vtique illos eiusmodi supernaturaliter subijciente.

Eccles. 40.

Cassiodor.

Act. 5. & 19.

5. Quæres, quandoquidem certis signis positis sub limine domus, aut alibi, soleat dæmon nocere domum ingredientibus & egredientibus, an liceat morali modo qualiacumq; illa signa fuerint tollere & destruere?

Respondeo affirmatiuè, & ratio est, quòd in hoc nulla sit malitia, sed potius virtus: quia Deus vult opera Diaboli in totum euerti, quandocumque fieri potest. Hinc mandabat olim Iudæis, vt quando peruenirent ad terram Chanaan, omnia, quæ ad idololatriam spectabant, destruerent, in verbis: *Caue ne vnquã cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ sunt tibi in ruinam: sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succide*. Et id exequentes apprimè laudati sunt plurimi Reges, nempe Aza 3. Reg. 15. vbi sic habetur: *Et fecit Aza rectũ ante conspectum Domini, sicut Dauid pater eius, & abstulit effæminatos de terrâ, purgauitque vniuersas sordes idolorum, quæ fecerant Patres eius*, id est, abstulit non solùm cubilia destinata libidini fœminarum & masculorum è templo, sed etiam quasuis sordes idololatriæ inductas per Salomonem, Roboamum & Abiam. Et cap. 22. ibidem laudatur Iosaphat, quòd purgationem ab Asâ inchoatam perfecerit, vti & Ezechias 4. Reg. 18. in verbis: *Fecitque quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius: ipse dissipauit excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos*. Et quia simile est in hoc casu, hinc Scotus in

Exod. 34.

3. Reg. 15.

Ibid. c. 22.

4. Reg. 18.

Scotus. 4. distinct. 34. insinuat ridiculum esse, quærere, an hoc liceat. Sic enim ait de eo, qui spe cessationis signum remouet: *Si per orationes Sanctorum impediatur virtus dæmonis, benè fit: si tamen Deus illas non exaudiat, tunc si sciretur maleficium & destrueretur, dæmon non fatigaret eum amplius, quia ex pacto non assistit: nisi dum durat aliquod signum.* Et immediatè pòst sic infert. *Et ex hoc patet quòd trufatica est illa quæstio, an liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatum: non enim solùm licet, sed est meritorium, destruere opera diaboli, nec in hoc est aliqua infidelitas: quia destruens non acquiescit operibus malignis: sed credit dæmonem posse & velle fatigare, dum tale signum durat, & destructio talis signi imponit finem tali vexationi.* Henricus verò à Gandauo hoc ipsum confirmat similitudine Idolothyti, quod licitè abijcitur, quodlib. 5. q. 33. his verbis: *Dico, quòd licitum est maleficium deponere simpliciter, quemadmodum licitum est idolothytum in cloacam proijcere: & etiam vt curetur infirmus maleficiatus (ecce, quod sub hac spe) non credendo quòd virtute illius maleficij morbus illi contingat (hoc enim credere infidelitatis esset) &c sed credendo contrarium, & quòd fiat solâ dæmonum actione, ex diuinâ permissione: qui non consueuerunt secundum pactionem suā maleficiatum vexare, nisi stante illo maleficio.* Addo, quòd liceat maleficam, (positis certis signis assiduè per dæmonem nocentem) quando aliud remedium non suppetit, cogere verberibus, vt ab iniuriâ cesset; modo certum sit illam esse auctorem istius mali: suspectos enim verberare, aut aliâ afficere contumeliâ, nec fas est, nec iura sinunt. Secundò, vt nihil superstitiosum putetur adhibitura. Tertiò, vt non existimetur morbum in alium translatura, quod ferè semper facere consueuerunt, vt exemplo declarat Greg. Turonen. lib. 6. Histor. Franc. c. 35. videlicet ista diaboli liberalitas est, vt boni nihil vllis hominibus præstet, nisi cum æquali vel maiori hominum damno.

Henricus à Gandauo.

Greg. Turon.

6. Sed dices, id contrarium videtur exemplis Sanctorum. Nam Hieron. refert in vitâ Hilarionis, cum noluisse quandam virginem à dæmone obsessam liberare iubendo inquiri signa. Sic enim ibidem habetur dixisse dæmonem: *Exire me cogis, & ligatus subter limen teneor; non exeo, nisi me adolescens, qui tenet, dimiserit.* (vtique ablatis signis maleficij) Atqui ibidem subiungit Hieronymus: *Noluit autem Sāctus antequam purgaret virginem, vel adolescentem, signa iubere perquiri, ne aut solitis incantationibus recessisse dæmon videretur, aut ipse sermoni eius accommodasse fidem.* Vbi Hieronymus duo mala significat esse in auferendis istis signis, vnum, quia pertinet ad vsum incantationum; aliud, quia datur fides dæmoni.

Hieron.

Respondeo hoc nihil referre, nec Hieronymus ibi dicit, Hilarionem noluisse inuestigare signa, quia id malum esset, sed simpliciter noluisse. Vnde potius in tali absolutâ locutione indicat, non ex necessitate, sed ex perfectiori virtute ita se gessisse, ac proinde id non omisisse, quia esset malum, sed quia plùs de Deo confidebat. Erat enim dignum tali viro, vt altiori virtute, & modo dæmonis opera destrueret, & ideò de quærendis signis non curauit. Deinde fortassè timuit Hilarion aliquod scandalum, vt significant illa verba: *Ne solitis incantationibus recessisse videretur*, id est, ne adstantes id putarēt, & aliquod scandalum sumerent: facilè enim crederent, non potuisse dæmonem expelli à viro sancto inuitum, & non ablatis signis. Tunc ergò sine dubio non expediebat tali viro, & in tali occasione vti illo medio; esto, illud per se, & naturâ suâ malum non sit.

7. Immò dicunt aliqui licere per se loquendo ponere alia signa, quibus positis exspiret, vel destruatur pactum prius, & diabolus desinat nocere, vel certè priora signa vim suam amittant. Sic volunt illi reddi inefficacem infectionem sagæ, si infectus det illi panem & salem, vel ab illo panem accipiat: licet hoc non facilè admiserim propter amicitiam, quæ hîc cum dæmone iniri videtur. Item aliquem infici si à vene-

veneficâ tangatur; sed si illam repercutiat impedire noxam, cuius in aliquibus partibus frequens est vsus. Ratio huius assertionis est, quòd hæ res adhibitæ sint indifferentes, & quòd erga dæmonem absque vllâ specie beneuolentiæ possint exerceri, quòdque diabolus statuerit his positis non nocere.

8. Quantum autem ad remedia superstitiosa attinet, dico illa adhibere diuinâ & positiuâ Ecclesiæ lege sub peccato mortali esse prohibitum: patet Leuit. 19. v. 31. & cap. 20. v. 6. alijsque citatis Discursu 72. Et Iure Canonico 26. q. 5. idem prohibetur: *Non liceat Christianis tenere traditiones Gentilium, non in collectionibus herbarum, quæ medicinales sunt, aliquas obseruationes, aut incantationes attendere, nisi tantum cum symbolo diuino, aut dominicâ oratione, vt tantùm creator, & Deus omnium adoretur, & honoretur.* Vnde videmus Deum seuerissimè puniuisse Ochosiam Regem, quòd cùm cecidérat per cancellos cœnaculi, indeque morbum contraxerat, misisset nũcios ad Beelzebub Deum Accaron, vt peterent ab eo, vtrùm viuere posset de infirmitate illa? per Eliam prius Regem increpando, & consequenter ei prædicendo mortem idcircò illi aduenturam, in verbis: *Hæc dicit Dominus, nunquid quia non erat Deus in Israël, mittis vt consulatur Beelzebub Deus Accaron? Idcircò de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* id est, Quia Gentilitio more idola, & ab omni veritate vacua commenta, Deo vero contempto, misisti cõsulere ô Rex, ideo morieris, licet naturaliter ex illo morbo nullum tibi imminebat periculum, & alioquin incolumis euasisses. Pariformiter Deum tecũ acturum scias, quando maleficum adis, quem scis aut dubitas maleficiũ maleficio soluturum. His suffragatur ratio, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona. Vnde ęgerrimè tulit Apostolus ad Roman. 3. & tanquam blasphemiam accepit, quosdam illi hoc impingere, in verbis: *Et non (sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, vt veniant bona? quorum damnatio iusta est,* (quod ortum videtur ex eo quòd Apostolus diceret *vbi abundauit delictum superabundauit gratia.* Rom. 5.)

Leuit. 19. 31.
Ibid cap. 20. 6.
Rom. 3.

Ex quibus liquet nihil tale quid attentari posse sine grauissimo detrimento salutis; neque etiam superstitiosa adhiberi posse, vt malefica dignoscatur, vel accurrat, qualia sunt scopis in ostio positis maleficam impedire ne domo exeat, vel coniectis in bullientem ollam soleis aut crinibus eius, vel acubus cogere, vt accurrat.

9. Sed dices iuxta sententiam plurimorum Doctorum licet, necessitate cogente, petere mutuum ab vsurario parato ad vsuras dandas, & iuramentũ ab infideli parato ad iurandum per falsos Deos: ergo à simili licebit etiam petere à malefico parato maleficium, vt per illud maleficium prius dissoluat.

Respondeo id nullâ ratione licere. Et ratio diuersitatis est, quòd petere mutuum & iuramentum per se licitum sit, & sine peccato præstari possit, & solâ culpâ mutuantis, & iurantis fiat malum: maleficium autem per se & intrinsecè malum est, societatem cum dæmone inuoluit, & idololatriam exercet. Vnde illud petere nunquam licet à malefico quantumuis paratus sit. Probatur, quia non licet vti alterius malo intrinseco ad suum bonum. Exemplo res fiet clarior, parato vtrique aliquo occidere inimicum meum non licet mihi vti ad homicidium, quamuis cedat in bonum meum: quia scilicet ipse vsus seu actus, idest consensus in homicidium ex se res mala est; & consequenter nec licet paratum inducere ad homicidium tale, vel maleficium faciendum: *digni enim sunt morte, non solùm qui faciunt mala, sed etiam qui consentiunt facientibus,* vt inquit Paulus ad Rom. 1. Nec refert, quod liceat à Mago petere, vt licito modo soluat, & ad hoc cogere: quia in hoc nihil mali est, imo potius meritorium est, quia sic diaboli opera ipse etiam destruit.

Rom. 1.

10. Dices, durum est huiusmodi malis affligi, & hominum ac animalium iacturā subitò incurrere, quidnam ergo aget maleficiatus, aut qui se & sua maleficio affligi existimat?

Respondeo primò inquiret num verè maleficium sit, ex quo miserias patitur: id enim planè scitu necessarium est, quia possunt calamitates, quæ ex maleficio inferuntur, euenire ex causâ aliquâ naturali sine maleficio, & sic frustrà adhiberi remedia supernaturalia & Ecclesiastica; idque partim iudicio Medicorum discernendum, aut etiam per se ex varijs indicijs; quorum primum sit, Si in corpus afflicti immissa inueniātur talia, quæ naturaliter eò inferri, aut in eo generari non solent, vt sunt in stomacho crines, ossa, fragmenta, acus, ligna, &c. Secundò, si quis subitò corripiatur malo, aliàs sanus, maximè si id fiat ad leuem cōtactum ipsius sagæ aut alterius rei, de qua nō sit verisimile, quòd naturalem talem habeat effectum. Tertiò, si malum eueniat ex ligaturis, imaginibus, characteribus, & similibus. Quartò, si quis subitò fiat mutus, & iterum ei restituatur loquela: quin etiā si valdè diu angustias magnas patiatur, & magnâ violentiâ torqueatur, & nihilominus per interualla recreatis viribus quasi in eodem statu permanet, & contra vim morbi diu perdurat: signum enim est, eiusmodi morbum instar torturæ ab externo agēte per interualla causari, & non esse ab internâ aliquâ naturali partium aut humorum indispositione.

11. Hoc discusso, ad supernaturalia remedia confugiat, seu eximia fide, & feruenti oratione ad Deum recurrat: sic enim incantationem superari patet ex cap. 15. Matthæi, vbi mulier Chananæa filiam à dæmone obsessam, hoc remedio liberauit. De qua sic Chrysostomus hom. 17. ex varijs in Matthæum locis: *Egressa est aduocatrix filiæ, non affert infirmam puellam, sed defert fidem deuotam. Hæc intra semetipsam conferens, & dicens, Deus, ad quem vado, absentia videt, occulta inspicit, omnia nouit. Miserere mei, filia mea malè à dæmonio vexatur.* Et paulò post: *Considera mulieris philosophiam, inspice animam generosam. Non perrexit ad Diuinos, non vocauit Magos, non alligaturas quæsiuit, non impostatrices mulieres adduxit illas, quæ solent dæmones prouocare, & incantationibus suis vulnus augere. Reliquit illa omnia, diuisit diaboli falsitates, omnia purgamenta contempsit, & venit ad salutarem nostrarum animarum portum.* Et licet multis illam medelam retardaret Deus, feruens perstitit in oratione, tamen tandem illi dixit: *Mulier magna est fides tua*, adeò vt ad aliorum instructionem voluerit illius fidem magis elucescere, & alios erudire, opus esse feruore & constantia in oratione iuxta fidem. Sic Matt. 17. dixit Christus Apostolis suis. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis mōti huic, transi hinc illùc: & transibit.* Quapropter Apostolus postquam docuisset nobis luctam esse aduersus dæmones, qui in tenebricoso hoc aëre dominantur, monuit fidem assumere tanquam scutum dicens: *Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo* (id est tentationis) *& in omnibus perfecti stare.* Hoc enim scuto armati fideles multa superarunt, vt patet ex eodem Apostolo ad Hebræos 11. Sed (proh dolor!) indubitata ad Deum fides, vt loquitur Hieron. aduersus Luciferianos, arduè reperitur. v. g. *Dictum sit*, inquit, *vt, quod volumus, perspicuum fiat* (nēpe rogare, vt cuique fiat secūdum suam fidem) *ad orationem assisto; non orarem si non crederem: sed si verè crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lachrymis rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, iacerem ad Domini mei pedes, eosque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certè trunco crucis, nec prius amitterem, quàm misericordiam impetrarem. Nunc verò creberrimè in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fænore computo aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescenda sunt, gero; vbi est fides? Siccine putamus orasse Ionam? Sic tres pueros? Sic Danielem inter Leones? Sic certè latronem in cruce? Et hæc ego exempli causâ ad intelligētiam sensus protuli. Cæterum* conue-

Matt. 15.
Chrysost.
Matt. 17.
Ephes. 6.
Hebr. 11.
Hieron.

conueniat vnusquisque cor suum, & in omni vitâ inueniet, quàm rarum sit fidelem animam inueniri, vt nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob rumusculos hominum faciat. Neque enim statim, qui ieiunat, Deo ieiunat; aut extēdens pauperi manum Deo fœnerat. Vicina sunt vitia virtutibus: difficile est Deo tantum iudice esse contentum.

Confirmatur quia etiam incantationes nihil valere aduersus eos, qui Christum rectè colunt, ipse dæmon fateri coactus est. Vti patet expressè ex Breuiario Romano, 26. Septembris ex Gregor. Nazianzeno, & alijs orat. in laudem Cypriani, vbi sic habetur: *Cyprianus primum magus, postea Martyr, cùm Iustinam Christianam Virginem, quam iuuenis quidam ardenter amabat, cantationibus ac veneficijs ad eius libidinis assensum allicere conaretur, dæmonem consuluit, quânam id re consequi posset; Cui dæmon respondit, nullam illi artem processuram aduersus eos, qui verè Christum colerent. Quo responso commotus Cyprianus vehementer dolore cæpit vitæ superioris institutum. Itaque relictis Magicis artibus, se totum ad Christi Domini fidem conuertit.* Gregor. Nazian.

Tertiò confugiat ad peccatorum confessionem faciendam sacerdoti. Nam ob peccata sæpè permittitur Diabolo potestas in hominem, quibus deletis illa quoque euanescit, ijsdem permanentibus frustra alia media adhibentur. Illa igitur adhibenda est, quia contra insidias diaboli de eâ nobis prouidit Deus, vt à peccatis liberaremur, vt rectè Tertull. lib. de Pœnitent. cap. 7. Diaboli insidias referēs: *Hæc igitur venena eius prouidens Deus: clausâ licet innocentiæ ianuâ, & intinctionis serâ obstructâ aliquid adhuc permisit patere. Collocauit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat.* Et cap. 12. *Igitur cum scias aduersus gehennam post prima illa intinctionis Dominicæ monumenta esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? Cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi? Multa quidem animæ & irrationales medicinas sibi diuinitus attributas in tempore agnoscunt. Ceruus sagitta transfossus, vt ferrum & irreuocabiles moras eius de vulnere expellat, scit sibi dictamno medēdum. Hirundo si excæcauerit pullos, nouit illos oculare rursus de suâ chelidoniâ. Peccator restituendo sibi institutam à Domino exomologesim sciens præteribit illam, quæ Babylonium Regem in regna restituit?* Martinus Delrius plura refert exempla eorum, qui hâc ratione â vexatione dæmonum liberati sunt. Tertull.

Tertiò adhibenda digna Eucharistiæ perceptio, vel eius saltem præsentia; nulla enim conuentio *lucis ad tenebras; Christi ad Belial*, vt ait Paulus 2. Corinth. 6. Atque hoc modo maleficia fuisse curata testis est Auctor vitæ S. Bernardi lib. 1. cap. 10. vbi scribit maleficio cruciatum, vsque adeò vt consumptis carnibus nec posset mori, nec viuere sineretur, ac sępè vocis vsum, & sensum omnem corporis amitteret, adductum ad virum Dei; *qui vehementer*, inquit, *indignans antiqui hostis malitiam, tantum sibi in Christianum hominem vsurpasse, vocans duos è fratribus, ante sanctum altare hominem deportari, ibique superposito capiti eius vasculo Eucharistiam continēte, in ipsius Sacramenti virtute, à læsione Christiani iubet dæmonem prohiberi. Factum est vt præcepit, & miserum hominē post tantos cruciatus fides perfecta perfectæ reddidit sanitati* D. etiam Augustinus lib. 22. de Ciuit. cap. 8. scribit domum cuiusdam viri Tribunitij Hesperij spirituum malignorum vim noxiam perpetientem in afflictione animalium, & seruorum suorum sacrificio Missę ibidem oblato, esse liberatam his verbis: *Rogauit nostros me absente Presbyteros, vt aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent* (supple maligni spiritus) *Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante cessauit.* Suppetunt alia plura, de quibus Disc. seq. 2. Cor. 6. August.

12. Verùm dices, multi his remedijs vsi sunt, sed parū solatij inuenerunt. Respōdeo id non prouenire ex eo, quòd hæc remedia sunt inefficacia tollendis huiusmodi malis, sed ob alias tres causas: quarum prima est, quòd Deus interdum pro pœnis quibusdam temporalibus huius vitæ

post commissam culpam remanentibus nolit vllam redemptionem accipere, sed hominem satispati. Sic pœnã mortis, quam incurrit Adam, & nos per ipsum, omnes quantumuis iustos vult subire, nec vllo pretio siue pio opere patitur redimi. Sic 2. Reg. 12. Dauidem quantumuis ieiunantem & humi prostratum orantem voluit punire morte filij ex adulterio nati: Vnde sunt illa verba Prophetæ: *Quia blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.* Sic in grauibus & communibus populi peccatis Prophetæ quidem hortabantur eum ad pœnitentiam, & firmiter credebant Deum remittere verè pœnitentibus offensam seu culpam, & pœnam æternam; sed quia non semper remittebat pœnam temporalem, solent addere verba Dubium importantia. Sic Ioël cap. 2. hortatur suos: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra: & conuertimini ad Dominum Deum vestrum; quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitiã.* Et tunc addit: *Quis scit, an conuertatur, & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem, sacrificium, & libamen Domino Deo nostro?* id est, in hoc hæreo an ita reconciliabitur Deus, vt munera, & dona seu frugum & bonorum omnium copiã vobis relinquat, vt illi in gratiarum actionem sacrificium & libamen crebrò & largè offerre possitis. Simile est illud Ionę c. 3. *Quis scit an conuertatur & ignoscat Deus:* Sic etiam aliquando contingere cum alijs, non est dubium; quibus rectè competit illud Iob cap. 9. *Deus cuius iræ nemo potest resistere, sub quo curuantur, qui portant orbem.* id est, Cuius indignationem nulli possunt comprimere, quando illi ita placet; licet Angelorum habeant opem, qui res interiores administrant & procurant; licet etiam Sanctorum hominum, qui precibus suis alios solent sublevare; licet etiam Regum aut Principum, qui certissimam opem alijs miseris laborantibus pollicentur; licet denique dæmones, qui tenebrarum sunt potestates, in hâc re, quantumuis ob malum finem quid vellent, nihil poterunt efficere. Vnde Gregor. lib. 8. Moral. cap. 9. hęc verba ponderans, inquit. *Cum superna indignatio sese, vt ita dixerim, medullitus mouet, hanc opposito humana non retinet: nec se vtiliter cuiuslibet deprecatio obijcit, cum semel Deus aliquid ab intimis irascẽdo disponit, Hinc est enim quod Moyses qui reatum totius plebis apud Deum suis precibus texit, dumque se obicem obtulit, diuinæ iracundiæ vim placauit: ad petram Oreb veniens, & pro aqua exhibitione diffidens, repromissionis terram ingredi, Domino irascente, non potuit. Et sæpè hâc de re affligitur, sæpè desiderio se excitante turbatur, & dispositæ vltionis iracundiam repellere à semetipso non valuit, qui hanc, volente Domino, & à populo dimouit. Hinc Dauid, qui, prostratâ plebe, postmodum Angeli gladium prece cõpescuit, prius plorans & eiulans, nudis pedibus filium fugit: & quousque perpetrati facinoris vltionem ad plenum reciperet, iram Dei pro semetipso temperare nequaquam valuit. Hinc Elias, vt sicut homo parum aliquid quasi de diuinâ animaduersione sentiret: qui verbo cælos aperuit, ante indignationem mulieris territus per desertum fugit: & pro semetipso infirmatur in fortitudine, qui furorem Dei placat alijs per interuentionem. Iræ Dei igitur & resisti valet, quando ipse, qui irascitur, opitulatur: & resisti omnino non valet, quando se & ad vlciscendum excitat, & ipse precem, quæ ei funditur, non aspirat.*

Secunda ratio est, quòd aliquando Deus non ad satispassionem huiusmodi hominem velit affligi, sed ob maius meritum grauissimis malis probari. Sic B. Iob, quem Deus testatus est innocentem, simplicem, rectum ac timentem Deum, dæmonis sęuitiæ exposuit, vt corpus eius extremis malis afficeret, Iob. 1. & 2.

Tertia verò ratio est, quòd expediat homini temporalibus afflictionibus cruciari, vt contineat se in viâ salutis. Sic permisit D. Paulum, 2. ad Corinth. 11. ab Angelo Sathanæ colaphizari, ne in superbiam laberetur.

Margin notes: Ioël. — Ion. 3. — Iob 9. — Gregor. — Num. 20. — 2. Reg. 24. — 3. Reg. 19. — Iob. 1. & 2. — 2. Cor. 12.

tur. Vndè ipse ait, post narratas visiones & reuelationes, quibus Dominus illum dignatus fuerat, *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet.* Et post multam deprecationem, vt ab eo liberaretur, nihil obtinuit, nisi hoc responsum, *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Quod animaduertens D. Hieronymus epist. 25. ad Paulam, & simul quòd impij securi essent de suâ sanitate; pueri varijs modis affligerentur, quos nulla peccati originalis pœna remaneret, recurrit ad incomprehẽsibilia iudicia Dei, dicens: *Cum hæc cogitarem, statim didici cum Prophetâ: Et suscepi, vt cognoscerem hoc: Labor est in conspectu meo, donec ingrediar Sanctuarium Dei, & intelligam in nouissima eorum. Iudicia enim Domini abyssus multa. Et ô profundum diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Bonus est Deus; & omnia, quæ bonus facit, bona sint necesse est.* Plures deinde calamitates recensens consolatur se, quòd hoc sit pro breui tempore, quòd finis melior sequetur, & Deus iustus sit, *Mariti orbitas*, inquit, *irrogatur: plango quod accidit: sed quia sic placet Deo, sustinebo. Vnicus raptus est filius, durum quidem, sed tolerabile, quia sustulit ille, qui dederat.* Et paulò post. *Imminebit super hæc & dura pauperies, frigus, languor, & nuditas: extremam exspectabo mortem, & breue putabo malum, quòd finis melior subsequetur. Consideremus quid ethicus ille Psalmus sonet: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Hoc non potest dicere, nisi ille, qui ad vniuersa, quæ patitur, magnificat Dominum, & suo merito imputans, in aduersis de eius clementiâ glorietur.* Et nonnihil inferiùs omnes Christianos in miserijs ad gratiarum actionẽ hortatur, & exemplo Pauli confirmat, dum ait: *Necesse est, vt qui se credere dicit in Christo, in omnibus Christi iudicijs gaudeat. Sanus sum, gratias refero Creatori. Langueo, & in hoc laudo Domini voluntatem: Quando enim infirmor, tunc fortior sum; & virtus spiritus in carnis infirmitate perficitur. Patitur etiam Apostolus aliquid, quod non vult, pro quo ter Dominum deprecatur. Sed dicitur ei; sufficit tibi gratia mea; quia virtus in infirmitate perficitur; & ad reuelationum humiliandam superbiam monitor quidam humanæ imbecillitatis apponitur: in similitudinem triumphantium, quibus in curru retrò comes adhærebat per singulas acclamationes ciuium dicens: Hominem te esse memento.*

Hier. | Psal. 72. | Rom. 11. | 2. Cor. 12.

Discursus LXXVI.

An Magicum sit exorcismis, signo crucis, vel aquâ benedictâ Dæmones, eorumque nocumenta pellere?



LVcæ c. 11. Christus dæmonium expulerat, & Pharisæi hoc ægrè ferentes illud dicebant à Christo factum in Beelzebub principe dæmoniorum: quos Nouantes imitati Catholicis imponunt, quòd ope dæmonis dæmones expellunt è corporibus obsessis, & incantamenta signo crucis, aquâue lustrali dissoluant. Hinc quæram quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti planiorem intelligentiam notandum est, inter dæmones certum ordinem seruari, ita vt superioris habeant & inferioris ordinis; & superiorem Dæmonem potestatem habere in inferiorem, quam post peccatum retinuit: adeò vt si minoris perfectionis quis aliquem obsederit, mandato superioris cogatur ab illo exire. Verùm Christiani non virtute dæmonis, sed diuinâ dæmones expellunt, & Magica soluunt. Nam quantum ad Exorcismos attinet, tale donum Christianis

ſtianis Deus conceſſit, & peculiare munus ordinis ad hoc opus inſtitutum fuit in Eccleſia à Chriſto, vel Apoſtolis.

2. Primum probatur, nempè Chriſtianis tale donum fuiſſe conceſſum ex cap. 16. Marci: vbi Chriſtus, data Apoſtolis poteſtate prædicandi Euāgelium omni creaturæ, & credentibus baptizatis ſalutem, non credentibus damnationem denuntians: addit: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur, in nomine meo dæmonia eÿcient*, &c. Quam poteſtatem certum eſt aliquos baptizatos initio exercuiſſe, quando ad fidei propagationem & confirmationem id fuit neceſſarium. Nam *manifeſtatio ſpiritus*, vt inquit Paulus 1. Corinth. 12. *datur ad vtilitatem*. Et confirmatur ex Tertulliano lib. de coronâ militis, vbi cap. 11. inſinuat milites exorcizare ſolitos, in verbis: *Et excubabit pro templis, quibus renunciauit? & cenabit illic, vbi Apoſtolo non placet? Et quos interdiu exorciſmis fugauit, noctibus defenſabit, incumbens & quieſcens ſuper luncho, quo perfoſſum eſt latus Chriſti? Vexillum quoque portabit æmulum Chriſti? & ſignum poſtulabit à principe, qui iam à Deo accepit?* id eſt, Num ipſe qui in baptiſmo renunciauit diabolo, in templo vel menſâ idolis conſecratâ accumbet comeſturus idolothyta profitendo idololatriam, & committendo ſcandalum, quod Paulus vetat 1. ad Corinth. 8. & lauream geſtabit ſignum apud vos idololatriæ? Et qui interdiu dæmones expellit exorciſmo, noctu excubando pro templis Idolorum dæmones defenſabit? quaſi diceret, hoc paradoxum eſt, & dono Sanctorum planè contrarium. Et in lib. de Idololatria idem auctor non ſolùm vult Chriſtianos ab idolorum cultu abſtinere, ſed etiam ab omnibus, quæ Idololatriam ſapiunt: quales ſunt prædictiones Aſtrologorum, Mathematicorum, Magorum, quas Idololatriæ obnoxias eſſe tradit, hoc argumento vtens: *Ipſius fidei conſcientiam perrogemus, quo ore Chriſtianus thurarius, ſi per templa tranſibit, quo ore fumantes aras deſpuet, & exſufflabit, quibus ipſe proſpexit? Quâ conſtantiâ exorcizabit alumnos ſuos, quibus domum ſuam cellariam præſtat?* id eſt, Quomodo ſe excuſabit parens, qui filios exorcizauit, cùm aliquid facit ex prædictis Idololatriam redolens? ſic inſinuans moris tum fuiſſe, vt & parentes exorciſmo dæmonis vim comprimerent. Dictus auctor ſcribens Scapulæ Præſidi Prouinciæ Africæ Carthagine cœteris crudelius in Chriſtianos graſſanti paucis inculcat eorum innocentiam, quòdque nullius ſint hoſtes, nedum Imperatoris, pro cuius ſalute etiam ſacrificant; idem repetit à Chriſtianis fieri ſic aiens: *Itaque & ſacrificamus pro ſalute Imperatoris, ſed Deo noſtro & ipſius. Sed quomodo præcepit Deus, purâ prece. Non enim eget Deus, conditor vniuerſitatis, odoris, aut ſanguinis alicuius*, nempè vt Gentiles circa Idola pro more habent. Propterea ſubdit: *Hæc enim dæmoniorum pabula ſunt*. Et immediatè poſt addit: *Dæmones autem non tantùm reſpuimus, verùm & reuincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus, ſicut plurimis notum eſt.* Quibus verbis clarè inſinuat exorcizationē dæmonum initio Eccleſiæ valdè frequentem fuiſſe apud Chriſtianos.

3. Secundum probatur, videlicet ordinarium officium ſeu munus ordinis peculiare in Eccleſia fuiſſe inſtitutum à Chriſto vel ab Apoſtolis ad conuenientius exercitium. Nam primò, Luc. 10 legitur Chriſtus dediſſe ſuis Apoſtolis & diſcipulis *poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici*: ita vt gauderent quòd dæmonia ijs ſubijcerentur. Secundò, quia ex antiquiſſimis teſtimonijs conſtat in Eccleſiâ fuiſſe Exorciſtas. S. enim Ignatius diſcipulus Apoſtolorum epiſt. 12. inter cæteros Eccleſiaſticos & officia recenſet Exorciſtas. Cornelius etiam Papa, qui ſcribens ad Fabium Antiochenum, dicit in Romanâ Eccleſiâ tales inſtitutos, vti teſtatur Euſeb. lib. 6. Hiſtoriæ, cap. 33. Concilia præterea, Romanum ſub Syluestro cap. 3. & 7. Laodicenum

Marc. 16. 1. Cor. 12. 1. Cor. 8. Luc. 10. Ignat. Martyr. Corn. Papa. Conc. Rom.

Laodic. Carthag. Hieron. num cap. 24. Concilium Carthaginense 4. cap. 7. inter ordines Ecclesiasticos annumerat Exorcistas. Sicuti etiam facit Hieronymus in epist. ad Titum cap. 3. Adhæc in preced. Concilio Laodiceno cap. 26. statutum est, ne, qui non sunt ab Episcopis ordinati, tam in Ecclesijs, quàm in domibus exorcizare presumant. Immò, ne quid superstitionis in exorcismos irreperet, consultum est, vt ordinandus exorcista de manu Episcopi libellum acciperet, in quo scripti essent exorcismi, dicente sibi Episcopo: *Accipe & commenda memoriæ, & habeto potestatẽ imponendi manus super energumenum, siue baptizatum, siue Catechumenum, vt habetur in Concilio Carthaginensi.* Illi autem exorcismi non fiunt ope alicuius dæmonis, sed per certas & præscriptas ab Ecclesiâ preces ad Deum, quæ terminantur, *per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem,* id est, in nomine Iesu. De quo Iustinus Martyr de verit. Christ. Relig. *Eius nominis potentiam Dæmones tremunt & reformidant, & hodie quoque illi per nomen Iesu Crucifixi sub Pontio Pilato (qui Iudææ procurationem egit) adiurati nobis parent.* Plura de hoc extant veterum Testimonia apud Tertull. Apolog. cap. 32. Minutium in Octauio, Lactantium lib. 2. cap. 1. alios. Sed sufficiet vnum D. Cypriani hic ascribere. Is lib. ad Demetrianum Africæ Proconsulem contendentem Christianis imputari debere bella, famem & pestem, quibus tunc orbis vexabatur, quòd ab ijs Dij non colerentur; pulcrè respondet ipsos potius Ethnicos tantarum cladium causam esse; quòd Deum non colerent, & Christianos præterea iniustis exactionibus agitarent. Vndè illi exprobrat tormentorum genera inusitata, quibus Christianos præ alijs reis torquebat non ad confessionem fidei, sed ad negationem: & Deorum impotentiam arguit; tum quòd ipsi se defendere nequeant, sed ipse hoc ageret, vndè à dæmonijs potius coli deberet, quàm ipse illa colere: tum etiam quòd à Christianis de ob-

Iustinus.

Tertull. Minutius. Lactant. Cyprianus.

sessis corporibus eiecti, quàm exiguo robore sint, confiteantur: quapropter sic in illum inuehitur: *Pudeat te eos colere, quos ipse defendis; Pudeat tutelam de ijs sperare, quos tu ipse tueris.* Et immediatè pòst subiungit, quæ huic intento congruunt: *O si audire eos velles, & videre, quandò à nobis adiurantur & torquentur spiritalibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus eijciuntur, quando eiulantes & gementes voce humanâ, & potestate diuinâ flagella & verbera sentientes venturum iudicium confitentur.* Ac tum demum prouocat eum ad eiusmodi eiectionis inspectionem, & simul instruit eâ ratione ad saniorem mentem his verbis: *Veni & cognosce vera esse quæ dicimus. Et quia sic Deos colere te dicis, vel ipsis, quos colis, crede: aut si volueris & tibi credere, de te ipso loquetur, audiente te, qui nunc tuum pectus obsedit, qui nunc mentem tuam ignorantiæ nocte excæcauit, videbis nos rogari ab eis, quos tu rogas; timeri ab eis, quos tu adoras. Videbis sub manu nostrâ stare vinctos, & tremere captiuos, quos tu suspicis, & veneraris vt dominos. Certè vel sic confundi in istis erroribus tuis poteris; quando conspexeris & audieris Deos tuos, quid sint, interrogatione nostrâ statim prodere, & præsentibus licet vobis præstigias illas, & fallacias suas non posse celare.*

4. Porrò meritò Cyprianum hoc argumento reuincere, & Christianam fidem à dæmonum ope vindicare, palàm est, vel ex eo, quòd non in deterius homines liberentur; vt faciunt qui in Beelzebub principe dæmoniorum eijciunt, & tunc verum fit, quod Luc. 11. dicitur: *Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus:* quia, vt alibi dixi, in maius nocumentum inferior dæmon egreditur. A Christianis autem exorcizati integrè sanantur, & dæmones sæpè adiurantur non amplius obsessos attingere. Hâc formâ enim aliqui Sancti leguntur vsi, vt de S. Bernardo patet lib. 2. c. 4. vbi Auctor eius vitæ scribit, eum, sumptâ patenâ sacrum Domini corpus continente, & cuiusdam mulieris obsessę capiti superpositâ, his verbis dęmonem compellasse,

lasse, *Adest, inique spiritus, iudex tuus; adest summa potestas; resiste, si potes; adest ille qui pro nostrâ salute passurus, nunc inquit princeps huius mundi eÿcietur foras &c. In huius ergo maiestatis terribili potestate tibi spiritus maligne præcipio, vt ab hâc ancillâ eius egrediens contingere eam deinceps non præsumas.* Exorcismus effectum sortitus est, nec legitur amplius dæmonem quid tentasse. Illud autem signum esse diuinitus adiuuari colligitur ex verbis Tobiæ 6. *Ita vt vltrà non accedat ad eos.* quam vim dixit angelus ibidem Tobiæ suum remedium habere.

5. Sed dices, hæc dilucidè probant Catholicos magica non exercere, seu ope dæmonum dæmones non pellere: sed per inuocationem nominis Iesu, comminationem diuinæ vindictæ, & similia dæmoni odiosa, quæ tanquam sibi contraria fugit: at velim scire, an, & quâ ratione signo Crucis, aquâue benedictâ dæmon eiusque incantamenta soluantur?

Respondeo nihil clarius esse, quàm signo Crucis dæmonem eiusque incantamenta profligari & dissolui; vti ex veteribus historijs perspicuum est. Vndè scribit D. Athasius Sanctum Antonium, cùm dæmonum turba in ipsum sese effunderet, bestiarum & serpentium formis induta, dixisse: *Si quid valetis, si vobis in me potestatem Dominus dedit, ecce præstò sum, deuorate concessum: si verò non potestis, cur frustrà nitimini: signum enim crucis & fides ad Dominum inexpugnabilis murus est.* De S. Hilarione refert Hieronymus, cùm varijs portentis Dæmonum tentaretur, prouolutum genibus Christi crucem signasse in fronte, talique armatum casside, & loricâ fidei circumdatum fortius prçliatum. Sanctus quoque Gregor. Thaumaturg. signo crucis fugauit dæmones ex templo quodam idolorum, in quo pernoctauerat; vt de ipso scribit Gregor Nyssenus. Rursum D. Athanasius lib. de Incarnat. & salutari aduentu Domini multa paucis comprehendit, *Signo crucis omnia magica compescuntur, & veneficia inefficacia fiunt.* Et paulò inferiùs prouocat ad eius rei capiendam experientiam, his verbis: *Veniat qui istorum dictorum experimenta capere velit, & in ipsis præstigijs dæmonum, & imposturis Vaticiniorum, & in miraculis Magiæ vtatur signo crucis ab ipsis deriso, nomenque Christi inuocet; & videbit, quomodo eius rei metu dæmones fugiant, vaticinia conquiescant, Magia, & veneficia iaceant.*

Athanas. Hieron. Gregor. Nyssenus.

6. Quæres quibus modis hæc operetur signum Crucis? Respondeo tribus modis. Primus est ex ipsâ apprehensione ipsorum dæmonum, qui hoc signum in tantum horreant, vt fugiant, tanquam signum calamitatis ipsorum; & vti canes baculos aut lapides, quibus concuti timent. Testatur hoc Lactantius Instit cap. 27. vbi sic ait: *Nunc satis est, de huius signi potentiâ, quantum valeat, exponere. Quanto terrori sit dæmonibus hoc signum, sciet, qui viderit, quatenus adiurati per Christum de corporibus, quæ obsederint, fugiant; Nam sicut ipse, cùm inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat, hominumque mentes emotas, & malis incursibus furiatas in sensus pristinos reponebat, ita nunc sectatores eius eosdem spiritus inquinatos de hominibus, & nomine magistri sui, & signo passionis excludunt.* Hinc Chrysostomus hom. 55. in Matth. cùm multis encomijs Christi crucem extulisset, ac insuper monuisset, non simpliciter digito in corpore, sed magnâ fide in mente prius signum Crucis formandum esse, sic ait: *Si hoc modo eam faciei tuæ impresseris, nullus scelestorum dæmonum cum hastam videat, quâ lethale vulnus suscepit, congredi tecum audebit. Nam si cùm solummodò loca, in quibus capite damnati pœnas persoluunt, videmus, ingenti horrore concutimur: quid passurum putas diabolum, si mucronem tenere te viderit, quo vires eius Christus dissoluit, & quo caput draconis magno ictu rotauit?* Conformiter loquitur S. Cyrillus Hierosf. catech. 13. de illo signo ait: *Ostenta illud audacter, quando enim viderint crucem,* supple dæmones, *recordantur Crucifixi. Metuunt eum qui contriuit capita draconis.* Et longè antè. *Accipe arma*

Lactan. Chrysost. Cyril. Hierosf.

arma contra adversarios huius crucis, trophaeum statuas fidem crucis adversus contradicentes. Cum enim de Domino cruceque contra infideles quaestio tibi erit, prius statue manu tua signum, & obmutescet contradicens.

7. Secundus modus, quo operatur signum crucis, est ex deuotione hominis se signantis, eo modo, quo vim habet oratio vocalis. Est enim signum crucis quædam inuocatio meritorum Christi crucifixi, signo expressa; loquimur enim corde, ore, & nutibus. Itaque opponere diabolo, & cuivis malo, signum crucis, est opponere Christi passionem, id est, inuocare Deum per Christi merita. Quocirca tunc effectus magis procedit ex interna fide, & deuotione, quàm ex ipsa figura crucis; sicut cum oramus voce, & impetramus, impetratio non tribuitur sono vocis, sed fidei, & deuotioni.

8. Tertius verò modus est ex Dei institutione & ex opere operato. Quod confirmatur ex eo, quòd Iudæi vel Ethnici, sine vera fide vel deuotione signo crucis adiuti legantur. Cuius rei libet adscribere duo luculenta testimonia: Vnum ex Nazianz. S. Gregorio Nazianzeno orat. 3. quæ est prior invectiua in Iulianum Apostatam, qui de rebus suis dæmones consulens, & spectra horribilia contuens, signo crucis inadvertenter se signans, eos fugauit. Accipe hoc eius verbis: *Quod, inquit, à pluribus commemoratur, nec à fide alienum est, oratione persequar. Descendebat in quoddam adytum plerisque inaccessum & horrendum (quemadmodum vtinam in infernum quoque, priusquam in huiusmodi scelera prorumperet) comitem eum habens, qui multis adytis dignus erat, hoc est hominem in huiusmodi rebus sapientem, vel potius sophistam. Nam hoc quoque apud ipsos divinationis genus est, vt in caliginoso quodam specu cum subterraneis dæmonibus ob res futuras congrediantur: siue quia tenebris magis oblectantur (vt qui ipsi tenebræ quoque sint, ac tenebrarum vitij artifices) siue quia piorum hominum, quia in terra sunt, societatem & congressum fugiunt, ex ijsque infirmiores redduntur. Vt autem egregium virum progredientem, terrores adoriri cœperunt, ac subinde plures & formidabiliores (sonos quosdam insuetos, aiunt, tetrosque odores, atque ignea spectra, & nescio quas nugas & deliramenta) rei novitate perculsus (harum enim rerum studium serò amplexus fuerat) ad crucem vetusque remedium confugit, hocque se adversus terrores consignat, eumque, quem persequebatur, opitulatorem adsciscit. Ac quæ sequuntur, magis tremenda. Valuit signaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores. Quid deinde? Respirat malum: rursus audaciam concipit, rursus aggreditur, rursus ijdem terrores vrgent, rursus signum adhibetur, ac dæmones conquiescunt.* Alterum ex Lactantio est loco cit. vbi ait, dæmonem non posse responsa dare, cùm adest aliquis frontem cruce signans: Lactant. *Cum, ait, Dijs suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant, nec responsa potest consultus reddere vates; & hæc sæpè causa præcipua, Iustitiam persequendi malis Regibus fuit. Cum enim quidam nostrorum sacrificantibus Dominis assisterent, imposito frontibus signo, Deos eorum fugaverunt, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere. Quod cùm intelligerent Aruspices, instigantibus ijsdem dæmonibus, quibus prosecrarant, conquerentes, profanos homines sacris interesse; adegerunt Principes suos in furorem, vt expugnarent Dei templum, seque vero sacrilegio contaminarent, quod gravissimis persequentium pœnis expiaretur.* Plura suppetũt, quæ brevitatis causa omitto, addens tantùm diui Augustini sententiam, quâ infert ex hoc non esse mirum, quod signum crucis Christianis opituletur. Sic enim ait lib. 83. qq. quæst. 79. *Nec mirum, quod hæc signa valent, cum à bonis Christianis adhibentur, quando etiam cum vsurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris valent. Cum autem non cedunt his signis huiusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cum id iustum, atque vtile iudicat.*

Nam nullo modo vlli spiritus audent hæc signa contemnere, contremiscunt hæc, vbicumque illa prospexerint.

9. Porrò vti per signum Crucis suo modo dæmones pelluntur, sic etiam per aquam benedictam, id fieri indubitatum est ex varijs historijs. Scribit imprimis Theodoretus lib. 5. cap. 21. & alij complures commemorant Marcellum Apamiensem Episcopum aquâ benedictâ dæmonem fugasse, qui euersionem delubri Iouis præpediebat. D. etiam Epiphanius hæres. 30. refert de Iosepho quodam Comite Christiano, quòd cùm templum Adriani in honorem Christi restaurare vellet, & caminos seu fornaces pro calce fieri iussisset, & Iudæi præstigijs, & incantationibus ligare, ac dispergere aggressi essent, ipsum Iosephum aqua benedictâ singulas fornaces respersisse, subitòque præter omnium opinionem incantamenta dissoluta, ignemque coram omnibus emersisse. Cuius rei ratio est, quòd ad supernaturales effectus ab Ecclesiâ benedicatur, & sic sanctificetur per verbum Dei & orationem, quæ miram dant efficaciam: iuxta enim Apostolum 1. ad Timoth. 4. tanti momenti illa est, vt res immundas purificet per benedictionem. Sic enim ait: *Omnis creatura Dei bona est* (supple per se) *& nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione recipitur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Quibus postremis verbis indicat, esto, cibus esset aliquâ ratione immundus, puta quia lege veteri vetitus, aut quia diabolo immolatus, vel ab illo afflatus vel vitiatus, purificatur tamen per benedictionem, quæ fit per verbum Dei & orationem. ita eo loci ex Chrysostomo Theophylactus: *Demus*, inquit, *quòd quidpiam sit immundum; sed habes medicum; signa, gratias age; glorifica Deum, ac defecit immunditia.* Quidni ergo hæc aqua tantùm valeat, cum sic oret Ecclesia? *Deus qui ad salutem humani generis maxima quæque sacramenta in aquarum substantiâ condidisti: adesto propitius inuocationibus nostris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ benedictionis infunde: vt creatura tua mysterijs tuis seruiens ad abigendos dæmones, morbosque pellendos diuinæ gratiæ sumat effectum: vt quidquid in domibus, vel in locis fidelium hæc vnda resperserit, careat omni immunditiâ, liberetur à noxâ: non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidiæ latentis inimici: & siquid est, quod aut incolumitati habitantium inuidet, aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat.* Imò Scriptura 4. Reg. 2. testatur Helisæum miraculosè sanasse aquas sale, vt ad potum & cibum vtilis redderetur. Et 4. Reg. 5. solâ aquâ Iordanis, mandante eodem Prophetâ, lepram Naaman esse curatam.

Theodoret. | Epi. hær. | 1. Tim. 4. | Theophyl. | 4. Reg. 2. | 4. Reg. 5.

10. Sed dices, si omnia prædicta tantam vim habent, quî fit vt omnes magicis artibus infecti non liberentur? Respondeo varijs caussis hoc adscribi. Primò indispositioni Exorcistarum: sic enim Matt. 17. legitur Apostolos non potuisse, hominem lunaticum sanare, & Christum postquam ab illo expulit dæmonium, interrogantibus discipulis quare illud non potuissent eijcere? respondisse, *Propter incredulitatem vestram.* id est, quia non habuistis tam eximiam fidem, atque oportebat vos habere, qui tam diu mecum versati estis, & plurima raraque miracula vidistis, vt patet ex sequentibus. *Amen quippè dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illùc, & transibit; & nihil impossibile erit vobis.* Adhæc sæpè requiritur ad liberationem quorundam obsessorum oratio & ieiunium, teste Salvatore, qui de lunatici dæmonio addit: *Hoc autem genus dæmoniorum non eijcitur nisi per orationem & ieiunium.* Deinde Act. 19. cap. filij Scevæ Iudæi leguntur tentasse more aliorum exorcistarum apud Iudæos (cuius mentionem facit Christus Lucæ 11. cum revincens Pharisæos rogat, *Filij vestri in quo eijciunt?*) spiritus nequam inuocato nomine Iesu eijcere, sed suo

Matt. 17. | Act. 19. | Luc. 11.

suo malo: nam dæmon compulsus egredi ob vim & maiestatem nominis Iesu, & verbo & facto illos aggressus est, dicens: *Iesum novi, & Paulum scio, vos autem qui estis?* & insiliens in eos prævaluit, *ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illi*, scilicet duo filij Scevæ. Et ratio putatur, quod eorum consilium fuerit, casu quo invocato Iesu nomine succederet eiectio dæmonum (cum ipsi minimè crederent ipsum esse Salvatorem, & verum Christum) dicerent non esse Iesum auctorem illius doctrinę, quam Paulus prædicabat, eò quòd ab illâ doctrinâ dissidentes nomen id haberent in vsu: si verò non succederet, exclamarent id nomen prorsus inane atque inefficax esse.

Secundò ascribitur defectui fidei pro obsessis intercedentium. Sic Christus Matth. loc. cit. dixit homini genibus provoluto & precanti: *Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur: nam sæpè cadit in ignem & crebrò in aquam* &c. *O generatio incredula & perversa, quousque ero vobiscum? vsquequo patiar vos?* id est, Quousque tu & alij Iudæi ita diffideris de me? qui, vt Marcus refert, profers verba defectum fidei convincentia, videlicet, *Si quid potes adiuva nos.* Quin etiam, & magis, defectui fidei obsessorum hoc imputandum est: vt enim rectè ait Cyprianus lib. de Idolor. vanit. his verbis, *Adiurati per Deum verum à nobis*, &c. *vel exsiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adiuvat, aut gratia curantis aspirat.* Quibus postremis verbis indicat idem Auctor exorcismum non esse efficacem, vt sunt Sacramenta, sed Deum cooperari prout vtile iudicat laborantibus, quos subindè vult diutius torqueri ob causas sibi notas. Hę autem rationes assignatæ signo Crucis & aquæ benedictæ, quando efficaciter non operantur, etiam congruunt. Cyprianus.

Discursus LXXVII.

Cur Deus addiderit primo Præcepto: Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitates patrum in filios &c?

Propheta David Psalm. 24. dicit, Vniversas vias Domini esse misericordiam, & veritatem requirentibus testamentum eius, & testimonia eius, id est, legem eius servantibus. Verùm hoc loco dicit se Deus fortem, & zelotem erga peccantes, eorumque generationes posteras; Iam quæro causam, cur hæc addiderit Deus.

Ratio inquisitionis est, quòd Deus varijs modis ostenderit se colendum, videlicet Genes. 1. vbi Moyses ideò scripsit Deum in principio creasse cœlum, & terram, vt omnibus scripto constaret illum esse glorificandum, non idola Gentium, quę nihil sunt, neque ex nihilo quippiam valent creare. Secundo in initio Decalogi per verba: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Aegypti, de domo servitutis*: quibus ostendit, se providentiam habuisse super vniversum, afflictiones Iudæorum vidisse in Aegypto, & in manu forti ab eâ eduxisse, & tyrannidem Pharaonis perfregisse, vt hâc ratione sci- Genes. 1.

Scotus. 4. distinct. 34. insinuat ridiculum esse, quærere, an hoc liceat: Sic enim ait de eo, qui spe cessationis signum remouet: *Si per orationes Sanctorum impediatur virtus dæmonis, benè fit: si tamen Deus illas non exaudiat, tunc si sciretur maleficium & destrueretur, dæmon non fatigaret eum amplius, quia ex pacto non assistit: nisi dum durat aliquod signum.* Et immediatè pòst sic infert. *Et ex hoc patet quòd trufatica est illa quæstio, an liceat tollere maleficium intentione curandi maleficiatum: non enim solùm licet, sed est meritorium, destruere opera diaboli, nec in hoc est aliqua infidelitas: quia destruens non acquiescit operibus malignis: sed credit dæmonem posse & velle fatigare, dum tale signum durat, & destructio talis signi imponit finem tali vexationi.* Henricus verò à Gandauo hoc ipsum confirmat similitudine Idolothyti, quod licitè abijcitur, quodlib. 5. q. 33. his verbis: *Dico, quòd licitum est maleficium deponere simpliciter, quemadmodum licitum est idolothytum in cloacam proijcere: & etiam vt curetur infirmus maleficiatus* (ecce, *quod sub hac spe*) *non credendo quòd virtute illius maleficij morbus illi contingat* (*hoc enim credere infidelitatis esset*) *&c sed credendo contrarium, & quòd fiat solâ dæmonum actione, ex diuinâ permissione: qui non consueuerunt secundum pactionem suã maleficiatum vexare, nisi stante illo maleficio.* Addo, quòd liceat maleficam, (positis certis signis assiduè per dęmonem nocentem) quando aliud remedium non suppetit, cogere verberibus, vt ab iniuriâ cesset: modo certum sit illam esse auctorem istius mali: suspectos enim verberare, aut aliâ afficere contumeliâ, nec fas est, nec iura sinunt. Secundò, vt nihil superstitiosum putetur adhibitura. Tertiò, vt non existimetur morbum in alium translatura, quod ferè semper facere consueuerunt, vt exemplo declarat Greg. Turonen. lib. 6. Histor. Franc. c. 35. videlicet ista diaboli liberalitas est, vt boni nihil vllis hominibus prętet, nisi cum æquali vel maiori hominum damno.

Henricus à Gandauo.

Greg. Turon.

6. Sed dices, id contrarium videtur exemplis Sanctorum. Nam Hieron. refert in vitâ Hilarionis, cum noluisse quandam virginem à dæmone obsessam liberare iubendo inquiri signa. Sic enim ibidem habetur dixisse dæmonem: *Exire me cogis, & ligatus subter limen teneor: non exeo, nisi me adolescens, qui tenet, dimiserit.* (vtique ablatis signis maleficij) Atqui ibidem subiungit Hieronymus: *Noluit autem Sãctus antequam purgaret virginem, vel adolescentem, signa iubere perquiri, ne aut solitis incantationibus recessisse dæmon videretur, aut ipse sermoni eius accommodasse fidem.* Vbi Hieronymus duo mala significat esse in auferendis istis signis, vnum, quia pertinet ad vsum incantationum; aliud, quia datur fides dæmoni.

Hieron.

Respondeo hoc nihil referre, nec Hieronymus ibi dicit, Hilarionem noluisse inuestigare signa, quia id malum esset, sed simpliciter noluisse. Vnde potius in tali absolutâ locutione indicat, non ex necessitate, sed ex perfectiori virtute ita se gessisse, ac proinde id non omisisse, quia esset malum, sed quia plùs de Deo confidebat. Erat enim dignum tali viro, vt altiori virtute, & modo dæmonis opera destrueret, & ideò de quærendis signis non curauit. Deinde fortasse timuit Hilarion aliquod scandalum, vt significant illa verba: *Ne solitis incantationibus recessisse videretur*, id est, ne adstantes id putarẽt, & aliquod scandalum sumerent: facilè enim crederent, non potuisse dæmonem expelli à viro sancto inuitum, & non ablatis signis. Tunc ergò sine dubio non expediebat tali viro, & in tali occasione vti illo medio; esto, illud per se, & naturâ suâ malum non sit.

7. Immò dicunt aliqui licere per se loquendo ponere alia signa, quibus positis exspiret, vel destruatur pactum prius, & diabolus desinat nocere, vel certè priora signa vim suam amittant. Sic volunt illi reddi inefficacem infectionem sagę, si infectus det illi panem & salem, vel ab illo panem accipiat: licet hoc non facilè admiserim propter amicitiam, quæ hìc cum dęmone iniri videtur. Item aliquem infici si à

venefica tangatur; sed si illam repercutiat impedire noxam, cuius in aliquibus partibus frequens est vsus. Ratio huius assertionis est, quòd hæ res adhibitæ sint indifferentes, & quòd erga dæmonem absque vllâ specie beneuolentiæ possint exerceri, quòdque diabolus statuerit his positis non nocere.

8. Quantum autem ad remedia superstitiosa attinet, dico illa adhibere diuinâ & positiuâ Ecclesiæ lege sub peccato mortali esse prohibitum: patet Leuit. 19. v. 31. & cap. 20. v. 6. alijsque citatis Discursu 72. Et Iure Canonico 26. q. 5. idem prohibetur: *Non liceat Christianis tenere traditiones Gentilium, non in collectionibus herbarum, quæ medicinales sunt, aliquas obseruationes, aut incantationes attendere, nisi tantum cum symbolo diuino, aut dominicâ oratione, vt tantùm creator, & Deus omnium adoretur, & honoretur.* Vnde videmus Deum seuerissimè puniuisse Ochosiam Regem, quòd cùm cecìderat per cancellos cœnaculi, indeque morbum contraxerat, misisset nūcios ad Beelzebub Deum Accaron, vt peterent ab eo, vtrùm viuere posset de infirmitate illa? per Eliam prius Regem increpando, & consequenter ei prædicendo mortem idcircò illi aduenturam, in verbis: *Hæc dicit Dominus, nunquid quia non erat Deus in Israël, mittis vt consulatur Beelzebub Deus Accaron? Idcircò de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* id est, Quia Gentilitio more idola, & ab omni veritate vacua commenta, Deo vero contempto, misisti cōsulere ô Rex, ideo morieris, licet naturaliter ex illo morbo nullum tibi imminebat periculum, & alioquin incolumis euasisses. Pariformiter Deum tecū acturum scias, quando maleficum adis, quem scis aut dubitas maleficiū maleficio soluturum. His suffragatur ratio, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona. Vnde ægerrimè tulit Apostolus ad Roman. 3. & tanquam blasphemiam accepit, quosdam illi hoc impingere, in verbis: *Et non (sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, vt veniant bona? quorum damnatio iusta est,* (quod ortum videtur ex eo quòd Apostolus diceret *vbi abundauit delictum superabundauit gratia.* Rom. 5.)

Leuit. 19. 31.
Ibid cap. 20. 6.
Rom. 3.

Ex quibus liquet nihil tale quid attentari posse sine grauissimo detrimento salutis; neque etiam superstitiosa adhiberi posse, vt malefica dignoscatur, vel accurrat, qualia sunt scopis in ostio positis maleficam impedire ne domo exeat, vel coniectis in bullientem ollam soleis aut crinibus eius, vel acubus cogere, vt accurrat.

9. Sed dices iuxta sententiam plurimorum Doctorum licet, necessitate cogente, petere mutuum ab vsurario parato ad vsuras dandas, & iuramentū ab infideli parato ad iurandum per falsos Deos: ergo à simili licebit etiam petere à malefico parato maleficium, vt per illud maleficium prius dissoluat.

Respondeo id nullâ ratione licere. Et ratio diuersitatis est, quòd petere mutuum & iuramentum per se licitum sit, & sine peccato præstari possit, & solâ culpâ mutuantis, & iurantis fiat malum: maleficium autem per se & intrinsecè malum est, societatem cum dæmone inuoluit, & idololatriam exercet. Vnde illud petere nunquam licet à malefico quantumuis paratus sit. Probatur, quia non licet vti alterius malo intrinseco ad suum bonum. Exemplo res fiet clarior, parato vtique aliquo occidere inimicum meum non licet mihi vti ad homicidium, quamuis cedat in bonum meum: quia scilicet ipse vsus seu actus, idest consensus in homicidium ex se res mala est; & consequenter nec licet paratum inducere ad homicidium tale, vel maleficium faciendum: *digni enim sunt morte, non solùm qui faciunt mala, sed etiam qui consentiunt facientibus,* vt inquit Paulus ad Rom. 1. Nec refert, quod liceat à Mago petere, vt licito modo soluat, & ad hoc cogere: quia in hoc nihil mali est, imo potius meritorium est, quia sic diaboli opera ipse etiam destruit. Rom. 1.

10. Dices, durum est huiusmodi malis affligi, & hominum ac animalium iacturã subitò incurrere, quidnam ergo aget maleficiatus, aut qui se & sua maleficio affligi existimat?

Respondeo primò inquiret num verè maleficium sit, ex quo miserias patitur: id enim planè scitu necessarium est, quia possunt calamitates, quæ ex maleficio inferuntur, euenire ex causâ aliquâ naturali sine maleficio, & sic frustrà adhiberi remedia supernaturalia & Ecclesiastica; idque partim iudicio Medicorum discernendum, aut etiam per se ex varijs indicijs; quorum primum sit, Si in corpus afflicti immissa inueniãtur talia, quæ naturaliter eò inferri, aut in eo generari non solent, vt sunt in stomacho crines, ossa, fragmenta, acus, ligna, &c. Secundò, si quis subitò corripiatur malo, aliàs sanus, maximè si id fiat ad leuem cõtactum ipsius sagæ aut alterius rei, de qua nõ sit verisimile, quòd naturalem talem habeat effectum. Tertiò, si malum eueniat ex ligaturis, imaginibus, characteribus, & similibus. Quartò, si quis subitò fiat mutus, & iterum ei restituatur loquela: quin etiã si valdè diu angustias magnas patiatur, & magnâ violentiâ torqueatur, & nihilominus per interualla recreatis viribus quasi in eodem statu permanet, & contra vim morbi diu perdurat: signum enim est, eiusmodi morbum instar torturæ ab externo agẽte per interualla causari, & non esse ab internâ aliquâ naturali partium aut humorum indispositione.

11. Hoc discusso, ad supernaturalia remedia confugiat, seu eximia fide, & feruenti oratione ad Deum recurrat: sic enim incantationem superari patet ex cap. 15. Matthæi, vbi mulier Chananæa filiam à dæmone obsessam, hoc remedio liberauit. De qua sic Chrysostomus hom. 17. ex varijs in Matthæum locis: *Egressa est aduocatrix filiæ, non affert infirmam puellam, sed defert fidem deuotam. Hæc intra semetipsam conferens, & dicens, DEUS, ad quem vado, absentia videt, occulta inspicit, omnia nouit. Miserere mei, filia mea malè à dæmonio vexatur.* Et paulò post: *Considera mulieris philosophiam, inspice animam generosam. Non perrexit ad Diuinos, non vocauit Magos, non alligaturas quæsiuit, non impostatrices mulieres adduxit illas, quæ solent dæmones prouocare, & incantationibus suis vulnus augere. Reliquit illa omnia, diuisit diaboli falsitates, omnia purgamenta contempsit, & venit ad salutarem nostrarum animarum portum.* Et licet multis illam medelam retardaret Deus, feruens perstitit in oratione, tamen tandem illi dixit: *Mulier magna est fides tua*, adeò vt ad aliorum instructionem voluerit illius fidem magis elucescere, & alios erudire, opus esse feruore & constantia in oratione iuxta fidem. Sic Matt. 17. dixit Christus Apostolis suis. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis mõti huic, transi hinc illuc: & transibit.* Quapropter Apostolus postquam docuisset nobis luctam esse aduersus dæmones, qui in tenebricoso hoc aëre dominantur, monuit fidem assumere tanquam scutum dicens: *Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo* (id est tentationis) *& in omnibus perfecti stare.* Hoc enim scuto armati fideles multa superarunt, vt patet ex eodem Apostolo ad Hebræos 11. Sed (proh dolor!) indubitata ad Deum fides, vt loquitur Hieron. aduersus Luciferianos, arduè reperitur. v.g. *Dictum sit*, inquit, *vt, quod volumus, perspicuum fiat* (nẽpe rogare, vt cuique fiat secũdum suam fidem) *ad orationem assisto; non orarem si non crederem: sed si verè crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lachrymis rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, iacerem ad Domini mei pedes, eosque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certè trunco crucis, nec prius amitterem, quàm misericordiam impetrarem. Nunc verò creberrimè in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescenda sunt, gero; vbi est fides? Siccine putamus orasse Ionam? Sic tres pueros? Sic Danielem inter Leones? Sic certè latronem in cruce? Et hæc ego exempli causâ ad intelligẽtiam sensus protuli. Cæterum* conue-

Matt. 15.
Chrysost.
Matt. 17.
Ephes. 6.
Hebr. 11.
Hieron.

conueniat vnusquisque cor suum, & in omni vitâ inueniet, quàm rarum sit fidelem animam inueniri, vt nihil ob gloria cupiditatem, nihil ob rumusculos hominum faciat. Neque enim statim, qui ieiunat, Deo ieiunat; aut extēdens pauperi manum Deo fœnerat. Vicina sunt vitia virtutibus: difficile est Deo tantum iudice esse contentum.

Confirmatur quia etiam incantationes nihil valere aduersus eos, qui Christum rectè colunt, ipse dæmon fateri coactus est. Vti patet expressè ex Breuiario Romano, 26. Septembris ex Gregor. Nazianzeno, & alijs orat. in laudem Cypriani, vbi sic habetur: *Cyprianus primum magus, postea Martyr, cùm Iustinam Christianam Virginem, quam iuuenis quidam ardenter amabat, cantationibus ac veneficijs ad eius libidinis assensum allicere conaretur, dæmonem consuluit, quânam id re consequi posset; Cui dæmon respondit, nullam illi artem processuram aduersus eos, qui verè Christum colerent. Quo responso commotus Cyprianus vehementer dolore cœpit vitæ superioris institutum. Itaque relictis Magicis artibus, se totum ad Christi Domini fidem conuertit.* Gregor. Nazian.

Tertiò confugiat ad peccatorum confessionem faciendam sacerdoti. Nam ob peccata sæpè permittitur Diabolo potestas in hominem, quibus deletis illa quoque euanescit, ijsdem permanentibus frustra alia media adhibentur. Illa igitur adhibenda est, quia contra insidias diaboli de eâ nobis prouidit Deus, vt à peccatis liberaremur, vt rectè Tertull. lib. de Pœnitent. cap. 7. Diaboli insidias referēs: *Hæc igitur venena eius prouidens Deus: clausâ licet innocentiæ ianuâ, & intinctionis serâ obstructâ aliquid adhuc permisit patere. Collocauit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat.* Et cap. 12. *Igitur cum scias aduersus gehennam post prima illa intinctionis Dominicæ monumenta esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam deseris? Cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi? Multa quidem animæ & irrationales medicinas sibi diuinitus attributas in tempore agnoscunt. Ceruus sagitta transfossus, vt ferrum & irreuocabiles moras eius de vulnere expellat, scit sibi dictamno medēdum. Hirundo si excæcauerit pullos, nouit illos oculare rursus de suâ chelidoniâ. Peccator restituendo sibi institutam à Domino exomologesim sciens præteribit illam, quæ Babylonium Regem in regna restituit?* Martinus Delrius plura refert exempla eorum, qui hâc ratione à vexatione dæmonum liberati sunt. Tertull.

Tertiò adhibenda digna Eucharistiæ perceptio, vel eius saltem præsentia; nulla enim conuentio *lucis ad tenebras; Christi ad Belial*, vt ait Paulus 2. Corinth. 6. Atque hoc modo maleficia fuisse curata testis est Auctor vitæ S. Bernardi lib. 1. cap. 10. vbi scribit maleficio cruciatum, vsque adeò vt consumptis carnibus nec posset mori, nec viuere sineretur, ac sæpè vocis vsum, & sēsum omnem corporis amitteret, adductum ad virum Dei; *qui vehementer*, inquit, *indignans antiqui hostis malitiam, tantum sibi in Christianum hominem vsurpasse, vocans duos è fratribus, ante sanctum altare hominem deportari, ibique superposito capiti eius vasculo Eucharistiam continēte, in ipsius Sacramenti virtute, à læsione Christiani iubet dæmonem prohiberi. Factum est vt præcepit, & miserum hominē post tantos cruciatus fides perfecta perfectæ reddidit sanitati* D. etiam Augustinus lib. 22. de Ciuit. cap. 8. scribit domum cuiusdam viri Tribunitij Hesperij spirituum malignorum vim noxiam perpetientem in afflictione animalium, & seruorum suorum sacrificio Missę ibidem oblato, esse liberatam his verbis: *Rogauit nostros me absente Presbyteros, vt aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent* (supple maligni spiritus) *Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante cessauit*. Suppetunt alia plura, de quibus Disc. seq. 2. Cor. 6. August.

12. Verùm dices, multi his remedijs vsi sunt, sed parū solatij inuenerunt. Respōdeo id non prouenire ex eo, quòd hæc remedia sunt inefficacia tollendis huiusmodi malis, sed ob alias tres causas: quarum prima est, quòd Deus interdum pro pœnis quibusdam temporalibus huius vitæ post

post commissam culpam remanentibus nolit vllam redemptionem accipere, sed hominem satispati. Sic pœnā mortis, quam incurrit Adam, & nos per ipsum, omnes quantumuis iustos vult subire, nec vllo pretio siue pio opere patitur redimi. Sic 2. Reg. 12. Dauidem quantumuis ieiunantem & humi prostratum orantem voluit punire morte filij ex adulterio nati: Vnde sunt illa verba Prophetæ: *Quia blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.* Sic in grauibus & communibus populi peccatis Prophetæ quidem hortabantur eum ad pœnitentiam, & firmiter credebant Deum remittere verè pœnitentibus offensam seu culpam, & pœnam æternam; sed quia non semper remittebat pœnam temporalem, solent addere verba Dubium importantia. Sic Ioël cap. 2. hortatur suos: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra: & conuertimini ad Dominum Deum vestrum; quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitiā.* Et tunc addit: *Quis scit, an conuertatur, & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem, sacrificium, & libamen Domino Deo nostro?* id est, in hoc hæreo an ita reconciliabitur Deus, vt munera, & dona seu frugum & bonorum omnium copiā vobis relinquat, vt illi in gratiarum actionem sacrificium & libamen crebrò & largè offerre possitis. Simile est illud Ionę c. 3. *Quis scit an conuertatur & ignoscat Deus?* Sic etiam aliquando contingere cum alijs, non est dubium; quibus rectè competit illud Iob cap. 9. *Deus cuius iræ nemo potest resistere, sub quo curuantur, qui portant orbem.* id est, Cuius indignationem nulli possunt comprimere, quando illi ita placet; licet Angelorum habeant opem, qui res interiores administrant & procurant; licet etiam Sanctorum hominum, qui precibus suis alios solent subleuare; licet etiam Regum aut Principum, qui certissimam opem alijs miseris laborantibus pollicentur; licet denique dæmones, qui tenebrarum sunt potestates, in hâc re, quantumuis ob malum finem quid vellent, nihil poterunt efficere. Vnde Gregor. lib. 8. Moral. cap. 9. hęc verba ponderans, inquit. *Cum superna indignatio sese, vt ita dixerim, medullitus mouet, hanc opposito humana non retinet: nec se vtiliter cuiuslibet deprecatio objicit, cum semel Deus aliquid ab intimis irascēdo disponit, Hinc est enim quod Moyses, qui reatum totius plebis apud Deum suis precibus tersit, dumque se obicem obtulit, diuinæ iracundiæ vim placauit: ad petram Oreb veniens, & pro aqua exhibitione diffidens, repromissionis terram ingredi, Domino irascente, non potuit. Et sæpè hâc dere affligitur, sæpè desiderio se excitante turbatur, & disposita vltionis iracundiam repellere à semetipso non valuit, qui hanc, volente Domino, & à populo dimouit. Hinc David, qui, prostratâ plebe, postmodum Angeli gladium prece cōpescuit, prius plorans & eiulans, nudis pedibus filium fugit: & quousque perpetrati facinoris vltionem ad plenum reciperet, iram Dei pro semetipso temperare nequaquam valuit. Hinc Elias, vt sicut homo parum aliquid quasi de diuinâ animaduersione sentiret: qui verbo cœlos aperuit, ante indignationem mulieris territus per desertum fugit: & pro semetipso infirmatur in fortitudine, qui furorem Dei placat alijs per interuentionem. Ira Dei igitur & resisti valet, quando ipse, qui irascitur, opitulatur: & resisti omnino non valet, quando se & ad vlciscendum excitat, & ipse precem, quæ ei funditur, non aspirat.*

Ioël. — Ion. 3. — Iob 9. — Gregor. — Num. 20. — 2. Reg. 24. — 3. Reg. 19.

Secunda ratio est, quòd aliquando Deus non ad satispassionem huiusmodi hominem velit affligi, sed ob maius meritum grauissimis malis probari. Sic B. Iob, quem Deus testatus est innocentem, simplicem, rectum ac timentem Deum, dæmonis sęuitiæ exposuit, vt corpus eius extremis malis afficeret, Iob. 1. & 2.

Iob. 1. & 2.

Tertia verò ratio est, quòd expediat homini temporalibus afflictionibus cruciari, vt contineat se in viâ salutis. Sic permisit D. Paulum, 2. ad Corinth. 11. ab Angelo Sathanæ colaphizari, ne in superbiam laberetur.

2. Cor. 12.

tur. Vndè ipse ait, post narratas visiones & reuelationes, quibus Dominus illum dignatus fuerat, *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet.* Et post multam deprecationem, vt ab eo liberaretur, nihil obtinuit, nisi hoc responsum, *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Quod animaduertens D. Hieronymus epist. 25. ad Paulam, & simul quòd impij securi essent de suâ sanitate; pueri varijs modis affligerentur, quos nulla peccati originalis pœna remaneret, recurrit ad incomprehēsibilia iudicia Dei, dicens: *Cum hæc cogitarem, statim didici cum Prophetá: Et suscepi, vt cognoscerem hoc: Labor est in conspectu meo, donec ingrediar Sanctuarium Dei, & intelligam in nouissima eorum. Iudicia enim Domini abyssus multa. Et ô profundum diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Bonus est Deus; & omnia, quæ bonus facit, bona sint necesse est.* Plures deinde calamitates recensens consolatur se, quòd hoc sit pro breui tempore, quòd finis melior sequetur, & Deus iustus sit, *Mariti orbitas*, inquit, *irrogatur: plango quod accidit: sed quia sic placet Deo, sustinebo. Vnicus raptus est filius, durum quidem, sed tolerabile, quia sustulit ille, qui dederat.* Et paulò post. *Imminebit super hæc & dura pauperies, frigus, languor, & nuditas: extremam exspectabo mortem, & breue putabo malum, quòd finis melior subsequetur. Consideremus quid ethicus ille Psalmus sonet: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Hoc non potest dicere, nisi ille, qui ad vniuersa, quæ patitur, magnificat Dominum, & suo merito imputans, in aduersis de eius clementiâ gloriatur.* Et nonnihil inferiùs omnes Christianos in miserijs ad gratiarum actionē hortatur, & exemplo Pauli confirmat, dum ait: *Necesse est, vt qui se credere dicit in Christo, in omnibus Christi iudicijs gaudeat. Sanus sum, gratias refero Creatori. Langueo, & in hoc laudo Domini voluntatem: Quando enim infirmor, tunc fortior sum; & virtus spiritus in carnis infirmitate perficitur. Patitur etiam Apostolus aliquid, quod non vult, pro quo ter Dominum deprecatur. Sed dicitur ei; sufficit tibi gratia mea; quia virtus in infirmitate perficitur; & ad reuelationum humiliandam superbiam monitor quidam humanæ imbecillitatis apponitur: in similitudinem triumphantium, quibus in curru retrò comes adhærebat per singulas acclamationes ciuium dicens: Hominem te esse memento.*

Margin: Hier. — Psal. 72. — Rom. 11. — 2. Cor. 12.

Discursus LXXVI.

An Magicum sit exorcismis, signo crucis, vel aquâ benedictâ Dæmones, eorumque nocumenta pellere?



LVcæ c. 11. Christus dæmonium expulerat, & Pharisæi hoc ægrè ferentes illud dicebant à Christo factum in Beelzebub principe dæmoniorum: quos Nouantes imitati Catholicis imponunt, quòd ope dæmonis dæmones expellunt è corporibus obsessis, & incantamenta signo crucis, aquâue lustrali dissoluant. Hinc quæram quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti planiorem intelligentiam notandum est, inter dæmones certum ordinem seruari, ita vt superioris habeant & inferioris ordinis; & superiorem Dæmonem potestatem habere in inferiorem, quam post peccatum retinuit; adeò vt si minoris perfectionis quis aliquem obsederit, mandato superioris cogatur ab illo exire. Verùm Christiani non virtute dæmonis, sed diuinâ dæmones expellunt, & Magica soluunt. Nam quantum ad Exorcismos attinet, tale donum Christianis

stianis Deus concessit, & peculiare munus ordinis ad hoc opus institutum fuit in Ecclesia à Christo, vel Apostolis.

2. Primum probatur, nempè Christianis tale donum fuisse concessum ex cap. 16. Marci: vbi Christus, data Apostolis potestate prædicandi Euãgelium omni creaturæ, & credentibus baptizatis salutem, non credentibus damnationem denuntians: addit: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eijcient*, &c. Quam potestatem certum est aliquos baptizatos initio exercuisse, quando ad fidei propagationem & confirmationem id fuit necessarium. Nam *manifestatio spiritus*, vt inquit Paulus 1. Corinth. 12. *datur ad vtilitatem*. Et confirmatur ex Tertulliano lib. de coronâ militis, vbi cap. 11. insinuat milites exorcizare solitos, in verbis: *Et excubabit pro templis, quibus renunciauit? & canabit illic, vbi Apostolo non placet? Et quos interdiu exorcismus fugauit, noctibus defensabit, incumbens & quiescens super luncho, quo perfossum est latus Christi? Vexillum quoque portabit æmulum Christi? & signum postulabit à principe, qui iam à Deo accepit?* id est, Num ipse qui in baptismo renunciauit diabolo, in templo vel mensa idolis consecratâ accumbet comesturus idolothyta profitendo idololatriam, & committendo scandalum, quod Paulus vetat 1. ad Corinth. 8. & lauream gestabit signum apud vos idololatriæ? Et qui interdiu dæmones expellit exorcismo, noctu excubando pro templis Idolorum dæmones defensabit? quasi diceret, hoc paradoxum est, & dono Sanctorum planè contrarium. Et in lib. de Idololatria idem auctor non solùm vult Christianos ab idolorum cultu abstinere, sed etiam ab omnibus, quæ Idololatriam sapiunt: quales sunt prædictiones Astrologorum, Mathematicorum, Magorum, quas Idololatriæ obnoxias esse tradit, hoc argumento vtens: *Ipsius fidei conscientiam perrogemus, quo ore Christianus thurarius, si per templa transibit, quo ore fumantes aras despuet, & exsufflabit, quibus ipse prospexit? Quâ constantiâ exorcizabit alumnos suos, quibus domum suam cellariam præstat?* id est, Quomodo se excusabit parens, qui filios exorcizauit, cùm aliquid facit ex prædictis Idololatriam redolens? sic insinuans moris tum fuisse, vt & parentes exorcismo dæmonis vim comprimerent. Dictus auctor scribens Scapulæ Præsidi Prouinciæ Africæ Carthagine cœteris crudelius in Christianos grassanti paucis inculcat eorum innocentiam, quòdque nullius sint hostes, nedum Imperatoris, pro cuius salute etiam sacrificant; idem repetit à Christianis fieri sic aiens: *Itaque & sacrificamus pro salute Imperatoris sed Deo nostro & ipsius. Sed quomodo præcepit Deus, purâ prece. Non enim eget Deus, conditor vniuersitatis, odoris, aut sanguinis alicuius*, nempè vt Gentiles circa Idola pro more habent. Propterea subdit: *Hæc enim dæmoniorum pabula sunt.* Et immediatè pòst addit: *Dæmones autem non tantùm respuimus, verùm & reuincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus, sicut plurimis notum est.* Quibus verbis clarè insinuat exorcizationẽ dæmonum initio Ecclesiæ valdè frequentem fuisse apud Christianos.

3. Secundum probatur, videlicet ordinarium officium seu munus ordinis peculiare in Ecclesia fuisse institutum à Christo vel ab Apostolis ad conuenientius exercitium. Nam primò, Luc. 10 legitur Christus dedisse suis Apostolis & discipulis *potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici:* ita vt gauderent quòd dæmonia ijs subijcerentur. Secundò, quia ex antiquissimis testimonijs constat in Ecclesiâ fuisse Exorcistas. S. enim Ignatius discipulus Apostolorum epist. 12. inter cæteros Ecclesiasticos & officia recenset Exorcistas. Cornelius etiam Papa, qui scribens ad Fabium Antiochenum, dicit in Romanâ Ecclesiâ tales institutos, vti testatur Euseb. lib. 6. Historiæ, cap. 33. Concilia præterea, Romanum sub Syluestro cap. 3. & 7. Laodicenum

Marc. 16.
1. Cor. 12.
1. Cor. 8.
Luc. 10.
Ignat. Martyr.
Corn. Papa.
Conc. Rom.

Laodic. Carthag. num cap. 24. Concilium Carthaginense 4. cap. 7. inter ordines Ecclesiasticos annumerat Exorcistas. Hieron. Sicuti etiam facit Hieronymus in epist. ad Titum cap. 3. Adhæc in præced. Concilio Laodiceno cap. 26. statutum est, ne, qui non sunt ab Episcopis ordinati, tam in Ecclesijs, quàm in domibus exorcizare præsumant. Immò, ne quid superstitionis in exorcismos irreperet, consultum est, vt ordinandus exorcista de manu Episcopi libellum acciperet, in quo scripti essent exorcismi, dicente sibi Episcopo: *Accipe & commenda memoriæ, & habeto potestatē imponendi manus super energumenum, siue baptizatum, siue Catechumenum, vt habetur in Concilio Carthaginensi.* Illi autem exorcismi non fiunt ope alicuius dæmonis, sed per certas & præscriptas ab Ecclesiâ preces ad Deum, quæ terminantur, *per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem*, id est, in Iustin. nomine Iesu. De quo Iustinus Martyr de verit. Christ. Relig. *Eius nominis potentiam Dæmones tremunt & reformidant, & hodie quoque illi per nomen Iesu Crucifixi sub Pontio Pilato (qui Iudaea procurationem egit) adiurati nobis parent.* Plura de hoc extant veterum Testi- Tertull. Minutius. Lactant. Cyprianus. monia apud Tertull. Apolog. cap. 31. Minutium in Octauio, Lactantium lib. 2. cap. 1. alios. Sed sufficiet vnum D. Cypriani hic ascribere. Is lib. ad Demetrianum Africæ Proconsulem contendentem Christianis imputari debere bella, famem & pestem, quibus tunc orbis vexabatur, quòd ab ijs Dij non colerentur; pulcrè respondet ipsos potius Ethnicos tantarum cladium causam esse; quòd Deum non colerent, & Christianos præterea iniustis exactionibus agitarent. Vndè illi exprobrat tormentorum genera inusitata, quibus Christianos præ alijs reis torquebat non ad confessionem fidei, sed ad negationem: & Deorum impotentiam arguit; tum quòd ipsi se defendere nequeant, sed ipse hoc ageret, vndè à dæmonijs potius coli deberet, quàm ipse illa colere: tum etiam quòd à Christianis de obsessis corporibus eiecti, quàm exiguo robore sint, confiteantur: quapropter sic in illum inuehitur: *Pudeat te eos colere, quos ipse defendis; Pudeat tutelam de ijs sperare, quos tu ipse tueris.* Et immediatè pòst subiungit, quæ huic intento congruunt: *O si audire eos velles, & videre, quandò à nobis adiurantur & torquentur spiritalibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus eijciuntur, quando eiulantes & gementes voce humanâ, & potestate diuinâ flagella & verbera sentientes venturum iudicium confitentur.* Ac tum demum prouocat eum ad eiusmodi eiectionis inspectionem, & simul instruit eâ ratione ad saniorem mentem his verbis: *Veni & cognosce vera esse quæ dicimus. Et quia sic Deos colere te dicis, vel ipsis, quos colis, crede: aut si volueris & tibi credere, de te ipso loquetur, audiente te, qui nunc tuum pectus obsedit, qui nunc mentem tuam ignorantiæ nocte excæcauit, videbis nos rogari ab eis, quos tu rogas; timeri ab eis, quos tu adoras. Videbis sub manu nostrâ stare vinctos, & tremere captiuos, quos tu suspicis, & veneraris vt dominos. Certè vel sic confundi in istis erroribus tuis poteris; quando conspexeris & audieris Deos tuos, quid sint, interrogatione nostrâ statim prodere, & præsentibus licet vobis præstigias illas, & fallacias suas non posse celare.*

4. Porrò meritò Cyprianum hoc argumento reuincere, & Christianam fidem à dæmonum ope vindicare, palàm est, vel ex eo, quòd non in deterius homines liberentur; vt faciunt qui in Beelzebub principe dæmoniorum eijciunt, & tunc verum fit, quod Luc. 11. dicitur: *Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus*: Lc quia, vt alibi dixi, in maius nocumentum inferior dæmon egreditur. A Christianis autem exorcizati integrè sanantur, & dæmones sæpè adiurantur non amplius obsessos attingere. Hâc formâ enim aliqui Sancti leguntur vsi, vt de S. Bernardo patet lib. 2. c. 4. vbi Auctor eius vitæ scribit, eum, sumptâ patenâ sacrum Domini corpus continente, & cuiusdam mulieris obsessę capiti superpositâ, his verbis dęmonem compellasse,

lasse, *Adest, inique spiritus, iudex tuus; adest summa potestas: resiste, si potes; adest ille qui pro nostrâ salute passurus, nunc inquit princeps huius mundi eijcietur foras &c. In huius ergo maiestatis terribili potestate tibi spiritus maligne præcipio, vt ab hâc ancillâ eius egrediens contingere eam deinceps non præsumas.* Exorcismus effectum sortitus est, nec legitur amplius dæmonem quid tentasse. Illud autem signum esse diuinitus adiuuari colligitur ex verbis Tobiæ 6. *Ita vt vltrà non accedat ad eos.* quam vim dixit angelus ibidem Tobiæ suum remedium habere.

5. Sed dices, hæc dilucidè probant Catholicos magica non exercere, seu ope dæmonum dæmones non pellere: sed per inuocationem nominis Iesu, comminationem diuinæ vindictæ, & similia dæmoni odiosa, quæ tanquam sibi contraria fugit: at velim scire, an, & quâ ratione signo Crucis, aquâue benedictâ dæmon eiusque incantamenta soluantur?

Respondeo nihil clarius esse, quàm signo Crucis dæmonem eiusque incantamenta profligari & dissolui; vti ex veteribus historijs perspicuum est. Vndè scribit D. Athanasius Sanctum Antonium, cùm dæmonum turba in ipsum sese effunderet, bestiarum & serpentium formis induta, dixisse: *Si quid valetis, si vobis in me potestatem Dominus dedit, ecce præstò sum, deuorate concessum: si verò non potestis, cur frustrà nitimini: signum enim crucis & fides ad Dominum inexpugnabilis murus est.* De S. Hilarione refert Hieronymus, cùm varijs portentis Dæmonum tentaretur, prouolutum genibus Christi crucem signasse in fronte, talique armatum casside, & loricâ fidei circumdatum fortius præliatum. Sanctus quoque Gregor. Thaumaturg. signo crucis fugauit dæmones ex templo quodam idolorum, in quo pernoctauerat; vt de ipso scribit Gregor Nyssenus. Rursum D. Athanasius lib. de Incarnat. & salutari aduentu Domini multa paucis comprehendit, *Signo crucis omnia magica compescuntur, & veneficia inefficacia fiunt.* Et paulò inferiùs prouocat ad eius rei capiendam experientiam, his verbis: *Veniat qui istorum dictorum experimenta capere velit, & in ipsis præstigijs dæmonum, & imposturis Vaticiniorum, & in miraculis Magiæ vtatur signo crucis ab ipsis deriso, nomenque Christi inuocet; & videbit, quomodo eius rei metu dæmones fugiant, vaticinia conquiescant, Magia, & veneficia iaceant.*

Athanas.

Hieron.

Gregor. Nyssenus.

6. Quæres quibus modis hæc operetur signum Crucis? Respondeo tribus modis. Primus est ex ipsâ apprehensione ipsorum dæmonum, qui hoc signum in tantum horreant, vt fugiant, tanquam signum calamitatis ipsorum; & vti canes baculos aut lapides, quibus concuti timent. Testatur hoc Lactantius Instit cap. 27. vbi sic ait: *Nunc satis est, de huius signi potentiâ, quantum valeat, exponere. Quanto terrori sit dæmonibus hoc signum, sciet, qui viderit, quatenus adiurati per Christum de corporibus, quæ obsederint, fugiant; Nam sicut ipse, cùm inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat, hominumque mentes emotas, & malis incursibus furiatas in sensus pristinos reponebat, ita nunc sectatores eius eosdem spiritus inquinatos de hominibus, & nomine magistri sui, & signo passionis excludunt.* Hinc Chrysostomus hom. 55. in Matth. cùm multis encomijs Christi crucem extulisset, ac insuper monuisset, non simpliciter digito in corpore, sed magnâ fide in mente prius signum Crucis formandum esse, sic ait: *Si hoc modo eam faciei tuæ impresseris, nullus scelestorum dæmonum cum hastam videat, quâ lethale vulnus suscepit, congredi tecum audebit. Nam si cùm solummodò loca, in quibus capite damnati pænas persoluunt, videmus, ingenti horrore concutimur: quid passurum putas diabolum, si mucronem tenere te viderit, quo vires eius Christus dissoluit, & quo caput draconis magno ictu rotauit?* Conformiter loquitur S. Cyrillus Hierosol. catech. 13. de illo signo ait: *Ostenta illud audacter, quando enim viderint crucem,* supple dæmones, *recordantur Crucifixi. Metuunt eum qui contriuit capita draconis.* Et longè antè. *Accipe arma*

Lactan.

Chrysost.

Cyril. Hierosol.

arma contra adversarios huius crucis, trophaeum statuas fidem crucis adversus contradicentes. Cum enim de Domino cruceque contra infideles quaestio tibi erit, prius statue manu tua signum, & obmutescet contradicens.

7. Secundus modus, quo operatur signum crucis, est ex deuotione hominis se signantis, eo modo, quo vim habet oratio vocalis. Est enim signum crucis quaedam inuocatio meritorum Christi crucifixi, signo expressa; loquimur enim corde, ore, & nutibus. Itaque opponere diabolo, & cuivis malo, signum crucis, est opponere Christi passionem, id est, inuocare Deum per Christi merita. Quocirca tunc effectus magis procedit ex interna fide, & deuotione, quàm ex ipsa figura crucis; sicut cum oramus voce, & impetramus, impetratio non tribuitur sono vocis, sed fidei, & devotioni.

8. Tertius verò modus est ex Dei institutione & ex opere operato. Quod confirmatur ex eo, quòd Iudaei vel Ethnici, sine vera fide vel devotione signo crucis adiuti legantur. Cuius rei libet adscribere duo luculenta testimonia: Vnum ex Nazianz. S. Gregorio Nazianzeno orat. 3. quae est prior invectiua in Iulianum Apostatam, qui de rebus suis daemones consulens, & spectra horribilia contuens, signo crucis inadvertenter se signans, eos fugauit. Accipe hoc eius verbis: *Quod*, inquit, *à pluribus commemoratur, nec à fide alienum est, oratione persequar. Descendebat in quoddam adytum plerisque inaccessum & horrendum (quemadmodum vtinam in infernum quoque, priusquam in huiusmodi scelera prorumperet) comitem eum habens, qui multis adytis dignus erat, hoc est hominem in huiusmodi rebus sapientem, vel potius sophistam. Nam hoc quoque apud ipsos divinationis genus est, vt in caliginoso quodam specu cum subterraneis daemonibus ob res futuras congrediantur: siue quia tenebris magis oblectantur (vt qui ipsi tenebrae quoque sint, ac tenebrarum vitij artifices) siue quia piorum hominum, quia in terra sunt, societatem & congressum fugiunt, ex ijsque infirmiores redduntur. Vt autem egregium virum progredientem, terrores adoriri coeperunt, ac subinde plures & formidabiliores (sonos quosdam insuetos, aiunt, tetrosque odores, atque ignea spectra, & nescio quas nugas & deliramenta) rei novitate perculsus (harum enim rerum studium serò amplexus fuerat) ad crucem vetusque remedium confugit, hocque se adversus terrores consignat, eumque, quem persequebatur, opitulatorem adsciscit. Ac quae sequuntur, magis tremenda. Valuit signaculum, cedunt daemones, pelluntur timores. Quid deinde? Respirat malum: rursus audaciam concipit, rursus aggreditur, rursus ijdem terrores vrgent, rursus signum adhibetur, ac daemones conquiescunt.* Alterum ex Lactantio est loco cit. vbi ait, daemonem non posse responsa dare, cùm adest aliquis frontem cruce signans: Lactant. *Cum*, ait, *Dijs suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant, nec responsa potest consultus reddere vates; & haec saepè causa praecipua, Iustitiam persequendi malis Regibus fuit. Cum enim quidam nostrorum sacrificantibus Dominis assisterent, imposito frontibus signo, Deos eorum fugaverunt, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere. Quod cùm intelligerent Aruspices, instigantibus ijsdem daemonibus, quibus prosecrarant, conquerentes, profanos homines sacris interesse; adegerunt Principes suos in furorem, vt expugnarent Dei templum, seque vero sacrilegio contaminarent, quod gravissimis persequentium poenis expiaretur.* Plura suppetũt, quae brevitatis causa omitto, addens tantùm diui Augustini sententiam, quâ infert ex hoc non esse mirum, quod signum crucis Christianis opituletur. Sic enim ait lib. 83. qq. quaest. 79. *Nec mirum, quod haec signa valent, cum à bonis Christianis adhibentur, quando etiam cum vsurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris valent. Cum autem non cedunt his signis huiusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cum id iustum, atque vtile iudicat.*

suo malo: nam dæmon compulsus egredi ob vim & maiestatem nominis Iesu, & verbo & facto illos aggressus est, dicens: *Iesum novi, & Paulum scio, vos autem qui estis?* & insiliens in eos prævaluit, *ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illi*, scilicet duo filij Scevæ. Et ratio putatur, quod eorum consilium fuerit, casu quo invocato Iesu nomine succederet eiectio dæmonum (cum ipsi minimè crederent ipsum esse Salvatorem, & verum Christum) dicerent non esse Iesum auctorem illius doctrinę, quam Paulus prædicabat, eò quòd ab illâ doctrinâ dissidentes nomen id haberent in vsu: si verò non succederet, exclamarent id nomen prorsus inane atque inefficax esse.

Secundò ascribitur defectui fidei pro obsessis intercedentium. Sic Christus Matth. loc. cit. dixit homini genibus provoluto & precanti: *Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur: nam sæpè cadit in ignem & crebrò in aquam* &c. *O generatio incredula & perversa, quousque ero vobiscum? vsquequo patiar vos?* id est, Quousque tu & alij Iudæi ita diffiditis de me? qui, vt Marcus refert, profers verba defectum fidei convincentia, videlicet, *Si quid potes adiuva nos.* Quin etiam, & magis, defectui fidei obsessorum hoc imputandum est: vt enim rectè ait Cyprianus lib. de Idolor. vanit. his verbis, *Adiurati per Deum verum à nobis*, &c. *vel exsiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adiuvat, aut gratia curantis aspirat.* Quibus postremis verbis indicat idem Auctor exorcismum non esse efficacem, vt sunt Sacramenta, sed Deum cooperari prout vtile iudicat laborantibus, quos subindè vult diutius torqueri ob causas sibi notas. Hę autem rationes assignatæ signo Crucis & aquæ benedictæ, quando efficaciter non operantur, etiam congruunt. *Cyprianus.*

Discursus LXXVII.

Cur Deus addiderit primo Præcepto: Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitates patrum in filios &c?

Propheta David Psalm. 24. dicit, Vniversas vias Domini esse misericordiam, & veritatem requirentibus testamentum eius, & testimonia eius, id est, legem eius servantibus. Verùm hoc loco dicit se Deus fortem, & zelotem erga peccantes, eorumque generationes posteras; Iam quæro causam, cur hæc addiderit Deus.

Ratio inquisitionis est, quòd Deus varijs modis ostenderit se colendum, videlicet Genes. 1. vbi Moyses ideò scripsit Deum in principio creasse cœlum, & terram, vt omnibus scripto constaret illum esse glorificandum, non idola Gentium, quę nihil sunt, neque ex nihilo quippiam valent creare. Secundo in initio Decalogi per verba: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Aegypti, de domo servitutis*: quibus ostendit, se providentiam habuisse super vniversum, afflictiones Iudæorum vidisse in Aegypto, & in manu forti ab eâ eduxisse, & tyrannidem Pharaonis perfregisse, vt hâc ratione sci- *Genes. 1.*

Ezech. 18. pheta Ezechiel ait 18. cap. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij.*

Respondeo rem esse valdè difficilem intellectu, & quæ multorum animos fatigat, præsertim cum in Scripturâ sacrâ multi ob peccata superiorum puniti videantur. Nam 2.
2. Reg. 24. Reg. 24. leguntur ob peccatum Dauid septuaginta millia populi, ob peccata Datan & Abyron tota familia, & gens cum parvulis innocentibus deleta esse. In Madian iussit Deus etiam paruulos occidi, Nu-
Num. 31. mer. 31. v. 17. In Iericho leguntur etiam omnes infantes occisi Iosue 6. his verbis. *Interfecerunt omnia quæ erant in eâ à viro vsque ad mulierem, ab in-*
Ierem. 15. *fante vsque ad senem.* Ierem. cap. 15. v. 3. dicitur quòd Deus propter peccata Manassis posteros ipsius grauissimè puniet, his verbis: *Et visitabo super eos quatuor species, dicit Dominus: gladium ad occisionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cœli, & bestias terræ ad deuorandum, & dissipandum. Et dabo eos in feruorem vniuersis regnis terræ: propter Manassem filium Ezechiæ Regis Iuda, super omnibus, quæ fecit in Hierusalem.*

Quâ de causâ olim vsurpabant illud Prouerbium: *Patres nostri comederunt vvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt.* id est, parentes nostri peccarunt, & filij pœnam luunt, sumpta similitudine ex naturâ vvæ nondum maturæ, cuius vsquè adeò inamenus est succus; vt non solùm ille qui gustauerit, sed etiam, qui gustantem aspexerit, aliquid in dentibus sentiat austerum & graue.

Hieron. 3. D. Hieronymus suo tempore ad consolationem Paulæ tristantis super morte Blæsillæ filiæ suæ vigesimo anno ætatis è vitâ sublatæ, disceptat, quomodo parvuli præmoriantur, impij securi de suâ sanitate viuant; idque ob verba Prophetæ iam dicta, & tandem seipsum comprimit referens rem ad incóprehensibilia iudicia Dei, sic enim ait: *Nunquid & in meam mentem non hic sæpius fluctus illiditur? Quare senes impij sæculi diuitijs perfruuntur? quare adolescentia rudis, & sine peccato pueritia immaturo flore metitur? Quid causæ est, vt sæpè bimuli, trimulique, & vbera materna lactentes à dæmonio corripiantur? repleantur leprâ, morbo regio deuorentur? & è contrario impij, adulteri, homicidæ, sacrilegi, vegeti, atque securi de suâ sanitate, in Deum blasphement? præsertim cum iniustitia patris non redundet ad filium, & anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Et tum alludens ad vetus prouerbium modo recitatum, inquit: *Aut si manet vetus illa sententia, peccata patrum in filios oportere restitui, iniquum sit longæui patris innumera delicta in innocentem infantiam repensare? Et dixi: Ergo sine causâ iustificaui cor* Psalm. 72. *meum; & laui inter innocentes manus meas: & factus sum flagellatus totâ die. Sed cum hæc cogitarem, statim didici cum Propheta: Et suscepi, vt cognoscerem hoc: Labor* Psalm. 72. *est in conspectu meo, donec ingrediar sanctuarium Dei, & intelligam in nouissima eorum. Iudicia enim Domini abyssus multa. Et, ô profundum diuitiarum sapien-* Rom. 11. *tiæ Dei! quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Bonus est Deus, & omnia, quæ bonus facit, bona sint necesse est.*

Alij etiam olim & hoc tempore iustè viventes deplorarunt filiorum sæpè immaturam mortem, aut graues temporales pœnas, quasi ob parentum peccata hæc mala luerent, non autem ob propria paterentur, eò quòd non satis perpenderent verba, quæ Deus post illam sententiam, *Visitans iniquitatem patrum in filios,* addit, nempè, *his qui oderunt me.*

4. Ad planiorem igitur intelligentiam huius quæsiti, constituo duos ordines parvulorum, & duos adultorum. Sunt enim parvuli peccato originali adhuc infecti; sunt parvuli ab eo purgati, sed necdum ratione vtentes. Sunt adulti boni, sunt adulti mali; inter quos comprehendo omnes, qui ad vsum rationis peruenerunt. His verò sic positis dico primò certum & exploratum esse parvulos peccato originali adhuc infectos, spirituali pœnâ iustè puniri: quia hoc peccatum est ipsorum proprium, quod in primo parente Adamo omnes subierunt, quotquot in

hanc lucem prodeunt: recte enim Apostolo ad Rom. 3. *Omnes peccauerunt & egent gloriâ Dei.* id est, gratiâ Dei gloriosâ & munificâ, quâ iustificentur, quam paruulis Deus confert per Baptismum: atque adeò sine baptismo, aut circumcisione olim ex hâc vitâ discedentes puniuntur pœnâ damni, seu carentiâ beatificæ visionis propter peccatum ipsorum proprium, quod vocamus originale. Cœterum manifestum est neminem ob alterius peccatum actuale spirituali pœnâ puniri: hoc reuincunt illa verba Ezechielis: *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.*

Rom. 3.

5. Dico secundò Deum parvulos ab originali mundatos, neque adultos bonos ordinariè & in particulari pœnâ corporali afficere, nisi parentum peccata imitentur, vt expressè indicant verba Moysis Exod. 20. & Deuteron. 5. *Visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Et Ezechiel 18. vbi ait, Iudæos non propter peccata Manassis, sed ob propria peccata puniri, in verbis: *Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij, iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum.*

Exod. 20. Deuter. 5. Ezech. 18.

6. Sed dices, leguntur tamen multi parvuli etiam ab originali peccato mundati corporali pœnâ puniti; quales credendum est plures fuisse in lege naturę tempore Diluvij, Genes. 7. & in Sodomâ & Gomorrâ, Genes. 19. ac in lege Mosaicâ, quando Datan, & Abyron terrâ dehiscente cum omni familiâ interierunt, Numer. 16. Quin etiam quando Madianitę, Numer. 31. consumpti sunt: Iosue quoque 7. cap. vbi Achan cum filijs & filiabus omnibusque ad eum spectantibus è medio sublatus legitur.

Genes. 7. Genes. 19. Num. 16. Num. 31. Ios. 7.

Respondeo hoc rarum esse & quasi extraordinarium: sed tamen subinde contingere in pœnam parentum, quos Deus sceleris sui conscios parvulorum insontium morte grauius cruciat, qui *Dominus est vitæ & necis.* Vnde Gregor. lib. 15. Moral. cap. 31. *Percutitur plerumque pater in filijs, vt acrius vratur, & dolor patris carni filiorum redditur, quatenus per filiorum pœnam mors patris iniqua patiatur.* Et Tertull. lib. 2. aduersus Marcionem vult ad instructionem parentum viuentium hâc punitione paruulos nonnunquam afficere, in verbis: *Nolite reprehendere iudicem, sed reuincite malum iudicem. Nam etsi patrum delicta ex filijs exigebat, duritia populi talia remedia compulerat, vt vel posteritatibus suis prospicientes legi diuinæ obedirent. Quis enim non magis filiorum salutem, quam suam curet?* Verùm Deus illam filiorum mortem aliter repensat: nam infantibus iam expiatis hoc cedit in medicinam, eisque fit gratia: quia salvantur & periculis damnationis eripiuntur. Sicut quidam Sap. 4. raptus dicitur, ne malitia mutaret intellectum, aut ne fictio deciperet illum. Quam sententiam tenet D. Augustinus q. 9. in Iosue loquens de filijs Achanis cum patre interemptis, vbi ait: *Credendum non est, Achanis filios pro peccato patris, à quo innocentes erant; etiam post mortem supplicio inferni ignis incensos, mors quippè ista, quæ omnes manet, quanquam de primo peccato veniant, tamen quia ita nati sumus, vt necessariò moriendum sit, accelerata quibusdam est vtilis. Vndè legitur de quodam, Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Et hoc est quod D. Thomas docet 1. 2. q. 87. art. 8. vbi disputans, vtrum aliquis puniatur pro peccato alterius, respondet neminem pœnâ pro peccato inflictâ, in quantum habet rationem pœnæ, pro alterius peccato puniri: quia actus peccati aliquid personale est. *Si autem*, inquit, *loquamur de pœnâ, quæ habet rationem medicinæ, sic contingit, quòd vnus punitur pro peccato alterius.* Et posteà subdit, habere rationem pœnæ quãtùm ad eum pro quo punitur, si non sit particeps culpæ; quantùm verò ad eum qui punitur, rationem medicinæ tantum. Hæc quoad parvulos.

Gregor. Tertull. Sap. 4. August. D. Thom.

7. Dices iterum Deus Hierem. 15. cap. minatur gladium, canes, volucres cœli, bestias terræ ad lacerandum,

Hier. 15.

dum, devorandum, dissipandum, certumque Hierosolymæ excidium inhabitatoribus eius, propter Manassem filium Ezechiæ Regis Iuda *super omnibus, quæ fecit in Hierusalem*; In quo haud dubio aliqui boni adulti fuerunt.

Respondeo iterum distinguendum esse: Vel enim sermo est de communi aliquâ clade; vel particulari aliquâ punitione. Priori modo solet Deus punire bonos cum malis, eo quòd pars sint reipublicæ: vti enim videmus propter morbum vnius membri, vulnus, & vlcus alia languere membra, omniaque cruciari: ita vno peccante censentur quodammodo peccare alij, qui eiusdem cum eo sunt corporis, illiusque causâ in mala & ærumnas quasdam incidunt. Consociatio enim plurium facit vt hominum multitudo instar vnius corporis sit, prout explicat Apostolus 1. ad Corinth. 12. & Ephes. 4. Sic videmus in ciuitatibus obsessis innocentes corporaliter pati cum nocentibus. Rursum in Republicâ vbi peccatorum tantus est numerus, vt vix aliqui boni inter eos existant, pijssimos cum iniquissimis pari inuolui plagâ. De quâ re Chryso. hom. 6. ad Ephes. *Nouit Deus etiam iustos cum impijs punire, cuiusmodi accidit in Daniele, in tribus pueris, cuiusmodi in alijs innumerabilibus, cuiusmodi in bellis, quæ etiam hoc tempore accidunt.* Sic contigit tempore Iosue exercitum 3000. hominũ ob vnius facinus turbari, de quâ re sic Salvianus lib. 7. de prouidẽtiâ, vbi cum Carthaginis mollitiem, libidinem, cœteramque comitem impuritatem, & ex eâ profectas clades, ac miserias enarrasset, subiungit: *Sed paucorum hoc inquis, dedecus fuit; & quod non à pluribus perpetratum est, cunctis nocere non potuit. Iam quidem suprà dixi sæpissimè in Dei populo etiam vnius facinus pestem fuisse multorum: sicut ex furto Achan fugit populus: sicut ex zelo Saülis exorta est pestilentia: sicut ex Dauid numeratione mortalitas: ita est enim Dei Ecclesia quasi oculus. Nam vt in oculum, etiamsi parua sordes incidat, totum lumen obcæcat: sic in Ecclesiastico corpore, etiamsi pauci sordida faciant, propè totum Ecclesiastici splendoris lumen obfuscatur. Et ideò Salvator ipse principalem Ecclesia partem, oculum nominauit, dicens: Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Vndè & Apostolus: Nescitis, inquit, quia modicum fermentum totam massam corrumpit.* Et huc spectant, quæ Dominus dixit Ezech. 21. se facturum in communi clade & excidio Hierosolymæ, in verbis: *Ecce ego à te & eijciam gladium meum de vaginâ, & occidam in te iustum & impium.* Nam in huiusmodi inuolvi permittit sontes & insontes. Nec refert, quòd in communi clade Deus servauerit Noë à Diluvio, Lot ab incendio Sodomorum, & Raab cum cœteris Chananæis non sit interfecta, sed cum integrâ familiâ suâ servata; id enim extraordinarium fuit; Et quantum ad Noë & Lot attinet, servati sunt ad seminarium & exemplum. Confirmatur ex illo Isa. 1. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorra similes essemus.* id est, nisi Deus ex illâ communi & vniversali vastitate hostili (de quâ immediatè antè egerat) paucos aliquos quasi reliquias & semen Gentis (vti Noë fuit semen generis humani) conservasset, & superstites fecisset, nos omnes Iudæi fuissemus omninò, vt Sodoma deleti; deinde caruissent exemplo tum vniuersus orbis, tum ciuitatum aliquot numerus, quo ad pietatem instruerentur. Raab verò servata fuit ex pacto propter servatos exploratores à Iosue missos, cap. 2. licet tota gens neci destinata esset. Vndè verba illa Iosue cap. 6. ad omnem Israël, cum septimo die clangerent buccinis Sacerdotes: *Vociferamini, tradidit enim Dominus vobis ciuitatem, sitque ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in eâ sunt, Domino: sola Raab meretrix viuat, cum vniuersis, qui cum eâ in domo sunt: abscondit enim nuntios, quos direximus.* Hæc de communi clade.

8. Si verò sermo sit de particulari clade; Dominus expressè dicit Ezech.

[Margin notes: 1. Cor. 12. Ephes. 4. — Chrysost. — Salvianus. — Iosue 7. — 1 Reg. 21. — 2. Reg. 24. — Ezech. 21. — Genes. 7. Ibid. 19. Iosue 6. — Isa. 1. — Iosu. 2. — Iosue. 6.]

Ezech. 18. zech. 18. quòd æquam pro meritis cuique temporalis vitæ vel mortis dabit sententiam, in verbis: *Ecce omnes animæ meæ sunt, vt anima patris, ita anima filij mea est; anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* q. d. Ne quis putet me grassari in filios, quòd parentes punire non possim; vt homines subinde debiles & infirmi faciunt; ecce edico quod omnes sciunt, *Omnes animæ meæ sunt,* seu ego omnium hominum tam parentum quàm filiorum, tam maiorum quàm minorum æquè sum creator, dominus & iudex: ego in omnes vitæ & necis habeo imperiũ: ego sum, qui, quos lubet, mortifico & viuifico: ideoquè æquam pro meritis (sum enim æquissimus iuxta ac potentissimus) cuique dabo sententiam & sortem temporalis vitæ, vel mortis. De temporali enim pœna ille locus agit propter Iudæos, qui falsò querebantur se plecti, & morte alijsque cladibus puniri ob peccata non sua, sed parentum. Vndè subdit. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Non autem alterius: & huc

Anastas. referenda videntur, quæ Anastasius Nicenus q. 33. habet ex Constitutionibus Apostolicis lib 2. cap. 14. *In arcâ erant Noë & eius filij; sed inuentus malus solus Cham ex filijs, fuit punitus. Quòd si patres non puniuntur pro filijs, nec filij pro patribus; est perspicuum quòd neque vxores pro maritis, neque serui pro dominis, neque cognati pro cognatis, neque amici, neque iusti pro iniustis; sed ab vnoquoque de suo facto exigetur ratio. Neque enim Noë pro mundo dedit pœnas, neque Lot fuit exustus pro Sodomis, neque Raab fuit occisa pro Ierichuntinis, neque Israël*

Exod. 14. *fuit submersus pro Aegyptijs: neque enim*
Prou. 3. *condemnat simul cohabitatio, sed mentis*
Ezech 7. *consensus. Non ergò morietur alius pro alio, sed suorum peccatorum catenis constringitur vnusquisque. Et; ecce homo & eius opus coram ipso, & iustitia eius super ipsum erit; Secundum viam vestram iudicabo vos, domus Israël; dicit Dominus.* Hæ enim sententiæ indicant illum de pœnâ spirituali hæc intelligere.

5. Sed quæres, quid dicam ad verba Hieremiæ 15. mox citata? Respondeo eo loci Dominum nihil aliud insinuare, quàm se effecturum, vt hostili odio omnes terræ Prouinciæ ferueant, atque ardeant in Iudæorum genus, quòdque illarum furori illud lacerandum permittet; propter peccata, quæ ad Manassis Ezechiæ filij similitudinem & exemplum scelerata posteritas commisit Hierosolymis. Manasses enim Rex Iuda scelestissimus fuit, & vsquè adeò impius; vt, quæ Pater deleuerat nefariæ religionis sacraria, excitaret rursus, idolisque omnium Gentium aras construeret, & quasi idololatriæ publicum vexillum pariter & exemplum erigeret: quin etiam in omnem impietatem proiectus alios complures in eandem idololatriæ impietatem traxit, vt patet 4. Reg. 21. Et quamuis ipse Manasses postea sit conuersus, & suorum scelerum pœnitentiam egerit, tamen publicum illud populi scelus dignâ satisfactione expiatum non fuit. Adhæc posteri Manassis imitati sunt eius impietatem, & idololatriam, Quemadmodum locus citatus 4. Reg. 21. 4. Reg. 21.
de Amone filio eius expressè testatur his verbis: *Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater eius, & ambulauit in omni viâ, per quam ambulauerat pater eius, seruiuitq; immunditijs, quibus seruierat pater eius, & adorauit eas: & reliquit Dominum Deum patrum suorum & non ambulauit in viâ Domini.*

10. Dices denique, verba Hieremiæ non videntur admittere illum sensum. Respondeo resolutè omnino talem sensum admittere ex vsu Scriptorum tam Canonicorum, quã profanorum, qui illi solent adscribere aliquod factum, qui vt illud fieret, auctor fuit, aut eius rei nobile aliquod exemplum præbuit. Quo modo scelus admisisse Simonis, siue Simoniam dicitur, aut propter scelus Simonis esse punitus, quicumque sacrum facit esse venale; quia Simon aut primum, aut maximè notum dedit illius sceleris exemplum. Et scelus Cain, Balaam, & Core patrasse scribuntur aliqui, & in eius contradictione perijsse, quia in simili scelere illum fuerunt imitati. Sic

Epist. Iudæ. ti. Sic autem Iudas: *Væ illis, qui in viâ Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt.* Hoc est, interitum denuncio seductoribus, qui vitam, mores, & exemplum Cain sequuntur, & vti ille invidit fratri, & ex inuidiâ eum interfecit, ita fraternitatem oderunt, ac deserunt, & venenosis ac perniciosis suis doctrinis animas fratrum occidunt. Rursum ijs illum denuntio, qui auaritia decepti exemplo Balaam (qui mercede cõductus, voluit maledicere populo Dei) sese effundunt in omne facinus: *Radix enim malorum omnium est cupiditas*, 1. 1. Tim. 6. Timoth. 6. Iterum prædico ijs exitium, qui ad imitationem contradictionis aduersus Moysen & Aaron à Core excitatæ volente Sacerdotium ad se suosque transferre, murmurantes sunt & querulosi: quia vt ducentos & quinquaginta, quorum Core erat Princeps, consumpsit ignis egressus à Domino, ita illos sustinentes fidem sine operibus salvare, involuet ignis æternus. Quod autem non sit contradictio Core, aut merces Balaam, sed aliquid ad eorum similitudinẽ sceleris admissum, docet apertè Petrus, qui cum hanc eandem sententiam, vt apparet, ex toto capitis textu, persequeretur, 2. Epist. 2. dixit de Balaam, 2. epist. 2. cap. v. 15. *Derelinquentes rectam viam, erraverunt secuti viam Balaam, qui mercedem iniquitatis amauit.* Sic ergò propter Manassem, id est propter eius impietatem, & scelus dicuntur Iudæi pœnas subituri, quia talia suo sæculo admisere flagitia, qualia suo tempore Manasses. Vt enim ille Sanctorum sanguine ad os vsque repleuit Hierosolymam, in eamque induxit idolorum cultum, & Gentium insaniam: sic postea illius secuti vestigia sæuierunt in iustos, & ad impias aras sacrificarunt. Rursum dicuntur Manassis peccata, quia Regis exemplum populus est secutus, quod palam fit ex Hier. 15. ijs, quæ Dominus Hieremiæ 15. post hæc subdit. *Quis enim miserebitur tui Hierusalem? aut quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?* Id est, Quis compatietur tibi, qui talia peccata commisisti vt indignus iudiceris, cuius aliquem commiserescat; aut pro cuius salute & pace se quisquam Deprecatorem interponat, vti Dominus dixerat initio Capitis in verbis. *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.*

Itaque locus ille concordat cum illo Exod. 20. vbi Dominus de ijs loquens, qui post vsum rationis peccata parentum imitantur dicit quòd visitabit iniquitatem patrum in filios vsque ad tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt ipsum. Quòd verò in illos tunc seuerius animaduertat, iuxta verba Hierimiæ, est quòd tales filij & posteri peccata parentum imitantes impleant mensuram patrum, seu in tantum Deum exacerbent, vt ex iustitiâ cogatur illos punire. vndè solet dicere, cum peccata ad summum non peruenerunt, necdum esse adimpletas iniquitates, vt Gen. 15. *Necdũ adimpleta sunt iniquitates Amorrhæorum*, id est, quòd tot sæculis exspectandum sit, antequam terram promissam ingrediemini, est, quòd peccata ob quæ Amorrhæos eijciet, necdum peruenerint ad illam mensuram, quâ Deus statuit excidio Chananæos punire, & ita vobis Iudæis tradere terram promissam. Simile est, quod Christus dixit Matth. 23. *Implete mensuram patrum vestrorum.* Illis enim verbis prædixit Christus Scribis & Pharisæis, quòd adinstar parentum, qui Prophetas occiderant, ipsi pergerent & Christum ipsum ad mortem vsque persequerentur, & compellerent ad punitionem. Aut vt clariùs explicat Hieronymus, *quòd illis defuit vos adimplete. Illi interfecerunt seruos, vos Dominum crucifigite: illi prophetas, vos eum qui à Prophetis prædicatus est.* Quę intellige prędicendo dici, vt modo attigi. Cum verò illa adimpleta est, tunc Deus iram suam vno quasi gurgite effundit, non puniens grauius, quàm mereantur, sed quàm fecisset, si soli peccassent, vt patet in posteris Salomonis,

Margin notes (right column): Genes. 15. — Matth. 23.

lomonis, Ieroboam, Manassis quorum prav. posteri eiusmodi pœnis graviùs puniti sint. Hinc ad evitandas eiusmodi plagas debebant olim confiteri iniquitates suas, & Maiorum, Levit. 26. vbi Deus dicit, Iudæos transgressuros suas leges perituros inter gentes, & quòd hostilis ipsos terra consumet. & v. 39. *Quod si & de ijs aliqui remanserint, tabescent in iniquitatibus suis, & in terra inimicorum suorum, & propter peccata patrum suorum, & sua affligentur; donec confiteantur iniquitates suas, & maiorum suorum, quibus prævaricati sunt in me, & ambulaverunt ex adverso mihi.* Adeò vt etiam sanctissimi viri, velut Tobias & David sic orare soliti sint; Ille cap. 3. suç historiæ in hæc verba: *Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris.* hic Psal. 105. *Peccavimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus.*

Leuit. 26. Tob. 3 cap. Ps. 105.

Horum autem omnium scopus est, videlicet, quòd Deus se fortem dicat, zelotem, & visitantem modo prædicto iniquitatem patrum in filios; vt quis diuinæ legi obediat, si non amore Dei, saltem formidine pœnæ, quę si differatur à parentibus, grauissimè punietur in filijs eorum peccata imitantibus, quos tamen parentes maximè diligere solent, quia amor potiùs descendit quàm ascendit.

Discursus LXXVIII.

Cur Deus addiderit hæc verba, Faciens misericordiam in millia his, qui diligunt &c?

Ps. 24.



Ropheta David Psal. 24. dicit: *Vniversa via Domini misericordia & veritas.* De veritate & iustitiâ cur locutus sit Deus, audistis: restat inquirere, quod in argumento ponitur.

1. Non est remotè petendum, cur Deus hoc addiderit, quia exploratum est, quòd vti deterrere voluit per punitionem filiorum quosvis à prævaricatione Decalogi; ita etiam voluit magis provocare per misericordiam & benignitatem suam ad eiusdem observationem. Hoc enim pro more habet Deus, vt tum plagis, tum beneficijs homines intra limites contineat. Quod innuit Greg. Nazianz. orat. 38. vbi postquàm dixerat Deum Adamum expulisse à paradiso propter peccatum, & pelliceis tunicis induisse, vt sic per præcisionem peccati elucraretur, ne malum immortale esset, addit Deum hominem multis modis probasse, vt malitiam mutaret, in verbis: *Multis autem prius modis ob multa peccata, quæ ex vitij radice pullularunt, secundum diuersas causas, & tempora castigatus, sermone, lege, Prophetis, beneficijs, comminationibus, plagis, aquis, incendijs, bellis, victorijs, cladibus, signis è cælo, signis ex aëre, ex terrâ, ex mari; hominum, vrbium, gentium, insperatis mutationibus, quæ omnia eò tendebant, vt malitia cōtereretur.* Quæ verba sic interpretatur Nicetas: *Correptus est Adam, hoc est, populus ex Adami stirpe ortus, multis correptionis modis, vnusquisque pro scelerum suorum merito; quorum principium ac velut radix prima transgressio fuit, hanc enim vitij radicem vocat, secundum diversas causas & tempora.* Explicans verò modos, inquit: *Sermone atque colloquio. Complures enim Deus est allocutus, vel etiam λόγῳ, id est insitâ nobis & naturali ratione: Lege, per Moysem promulgatâ: Prophetis, hoc est, Prophetarum præceptis & institutionibus: beneficijs, comminationibus, plagis. Nam per contraria instruebantur, & corripiebantur. Aquis, vt diluuij tempore. Incendijs, vt cùm Sodomitæ cælesti igne conflagrarunt. Signis è cælo missis, vt cùm Sol stetit tempore Iosue. Signis ex aëre, vt cynomiya*

Genes. 7. Genes. 19.

nomyiâ illâ, grandine, palpabilibus tenebris, coturnice &c. Signis ex terrâ, vt aquarum ex petrâ effusione. Signis ex mari, vt maris rubri in continentem mutatione. Hominum, vrbium, gentium, insperatis mutationibus. Quibus omnibus rebus malitiam conterere, ac de medio tollere satagebat Deus.

Porrò beneficia hæc fuerunt varia Iudæis concessa in abundantiâ bonorum temporalium, multiplicatione prolium, potentiâ & dominio, ac victoriâ inimicorum; vt videre est in pluribus opitulationibus, in prælijs illustribus victorijs divinitùs obtentis, toties cæsis hostibus nullo, vel certè quàm minimo Israëlitarum damno. Exercitus Amalec ad interneccionem cæsus Moyse ad Deum manus levante. quamdiu eas levabat, vincebat Israël; si paululùm remisisset, vincebat Amalec; magno planè mysterio. Iordanis ad præsentiam Arcæ divisus (superiore parte instar montis intumescente, inferiore prorsus deficiente) vniverso populo transitum præbuit. Muri Iericho validissimi ad sonitum buccinarum, & populi clamorem funditùs in circuitu corruerunt.

Cœterum Dauid generatim dicit Dei misericordiam, quam erga homines exercet tantam esse, vt impleat cœlum, repleat terram, in verbis Ps. 32. & 35. *Domine in cœlo misericordia tua, Et misericordiâ Domini plena est terra.* Et Ps. 144. cùm dicit: *Misericordia eius super omnia opera eius.* Ps. 32. & 35. Ps. 144.

2. Sed dices de huius veritate non est dubitandum, sed quæro in quo eluceat illa Dei misericordia? Respondeo in varijs: Et primò, quòd in terris malos toleret. De quâ idem Propheta Ps. 35. *Homines & iumenta salvabis Domine, quẽadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.* Admirantis more loquitur, ac si dicat. O quomodo multiplicasti misericordiam tuam Deus, quoniam illa maxima est, quòd non solùm salves homines, nutrias, repleas corporalibus bonis, qui ratione vtuntur, sed etiam eos, qui instar iumentorum, solo sensu & appetitu ducuntur, quos cùm posses impios, & blasphemos iustissimè perdere, tamen illo ipso tempore, quo blasphemant, & te maledicunt, mandata tua prævaricantur, illos quasi proprijs manibus sustētas, & alis; delectationibus reples, solẽ tuum oriri faciens super bonos & malos. Finis verò, cur id facis, quòd ex benignitate tuâ illos exspectes ad pœnitentiam, ita vt verè exclamandum sit cum Ieremiâ Prophetâ Thren. 3. *Misericordia Dei, quòd consumpti non sumus.* id est, Immensæ Dei misericordiæ & miserationibus tribuendum est, quòd eius clementia tot peccatis nostris irritata tamen non deficiat, nec cesset nos exspectare, nobis benefacere, & nostri misereri. Amplificat hanc misericordiam S. Petrus Chrysologus serm. 42. dicens: *Magna sunt opera Domini, sed magnitudinem præcellit misericordiæ magnitudo. Nam cum dixisset Propheta: Magna opera Domini, adiecit alibi, misericordiæ eius super omnia opera eius. Misericordia, Fratres, implet cœlum, replet terram, Domine, inquit, in cœlo misericordia tua. Et idem ipse: Misericordiâ Domini plena est terra. Et re verâ, Fratres, perijsset totum, quod Deus fecerat, nisi misericordia subvenisset. Culpa & vltio quidquid in hunc mundum venerat, auferebant: quia & fragilitas semper tendebat ad lapsum, & cogebatur ad vindictam semper censura iudicantis. Sic Angelus deijcitur è cœlo, sic de paradiso exulat homo, sic mundus diluvio deletur, sic gentes confunduntur linguis, dantur gladio, sic exuruntur vrbes incendio divino, sic ex Aegypto plebs educta in eremo occulebatur, sic terra hians vorat populum: Et ne multis, sic Iudæam vltor Christi sanguinis Romanus delevit exercitus. Hæc est Christi magna, larga, sola misericordia, quæ iudicium omne in diem servavit vnum, & homini totum tempus ad pœnitentiæ deputavit inducias, vt quod de vitijs infantia suscipit, rapit adolescentia, invadit iuventus, corrigat vel senectus? Et de peccato vel tunc pœniteat, quando sentit iam se nõ posse peccare, & tunc saltẽ reatum deserat, quando illum reliquerit iam reatus: faciat de necessitate virtutem, moriatur innocens, qui totus vixit in crimine. Hinc est quòd Propheta ad mi-*

Margin notes: Thren. 3. — Chrysolog. — Ps. 144. — Ps 35. — Ps. 32. — Isa. 14. — Genes 7. 14 & 19. — Exod. 19. — Num. 16. — Matt. 24. — Ps 35.

Psal. 50. *ad misericordiam currit totus, quia fiduciam de sua iustitia non habebat, Miserere, inquit mei Deus secundam magnam misericordiam tuam.*

3. Res sanè stupenda, & eo magis, quòd licet Deus prævideat, ipsos in malo perseveraturos, tamen propter fructus, quos ex tertia aut quarta generatione exspectat, illis parcat, vt notat Chrysostomus hom. 80. de pœnitentia sic dicens: *Deo propositum est peccantes longanimiter sustinere. Dupliciter est ad salutem propitius, & eis ex pænitentia salutem exquirens, & ipsorum posteris in virtutis stadio proficere debentibus reservans beneficium. Et vt denuò sermonem resumam: Deus longanimiter cogit, vt & peccans ad pænitentiam veniat, & ne ex eo nascituris salutem excludat. Nam etsi peccator incorrigibiliter peccet, parcit frequenter radici, vt fructus conservet, frequenter tamen, & ipsius exspectans salutem. Et qualiter, audi: Tharan pater Abrahæ fuit idolorum cultor, sed in hoc mundo impietatis pœnas non dedit. Et meritò. Nam si Deus præveniens radicē præcidisset, vnde tantum fidei fructus exortus fuisset? Quid Esau malignius? Quid illâ impudentius nequitiâ? nonne fornicator erat, & immundus? vt ait Paulus. Non matricida & patricida? non fratricida, quantum fuit in ipsius proposito? Nonne Deo fuit odio habitus, vt Scriptura testatur? Iacob dilexi, & Esau odio habui. Si fuit ergo fratricida, fornicator, & immundus, & odio habitus, quare non perditur? quare non exciditur? quare non illico congruā patitur vltionem? Quare? Bonum est verè, dilectissimi, causam dicere. Si succisus fuisset, maximum eleemosyna fructum & iustitia mundus amisisset: Et qualem, audi: Esau genuit Raguel, Raguel Sara, Sara Iob. Vides quantus tolerantiæ fructus fuisset perditus, si præveniens Deus à radice pœnas exegisset? Nullus igitur in vitio positus desperet: potest enim & primos anteire.*

Chrysost. — Genes. 11. — Hebr. 12.

4. Secundò, elucet misericordia Dei in eo, quod propter aliorum virtutem, quàm plurimis parcat malis: Nam virtus aliorum ex condigno non meretur Dei misericordiam, sed tantùm de congruo seu ex Dei benignitate. Sic in Sodomâ, & Gomorrhâ si decem fuissent iusti, plagam impedijssent Sodomorum. Sic Ierem. 5. cap. ob vnius virtutem propitiari paratus fuit Deus vrbi, vt expresse habetur in verbis: *Circuite vias Hierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem: & propitius ero ei.* id est, parcerem vrbi, si in ea reperirem, vel vnum virum, id est insignem, & eminentem in lege complenda, & veritate tuenda iustum, qui populum suum exemplo, & auctoritate in officio contineret, & Deo irato quasi sepem se opponeret, Ezech. 22. v. 30. instar nempè Moysis & Samuelis. Nam sic ob Moysem deprecantem sexcentis millibus mortem meritis pepercit, Exod 32. Sic ob Pauli bonitatem, Actor. 7. animas ducentas septuaginta sex liberavit à naufragio.

Ierem. 5. — Ezech. 22. — Exod. 32. — Act. 7.

Quę perpendens D. Ambros. lib. 2. de Abrahā c. 6. *Admiranda est*, inquit, *Dei clementia propter paucorum iustitiam impunitatem toti populo permittētis. Vnde discimus, quantus murus sit patriæ vir iustus; & quod non debemus invidere Sanctis, nec temere derogare. Illorum enim nos fides servat, illorum iustitia ab excidio defendit. Sodoma quoque si habuisset viros decem iustos, potuisset non perire.* Item Philo Iudæus lib. de sacrificio Abel, & Cain, sic scribit: *Omnis sapiens stulti est redemptio mercesque, ne minime quidem tempore duraturi, nisi ille misericordia sua, & providentia impulsus, eius prospiceret incolumitati: Sicut medicus ægroto morbis eius resistens & aut mitiores reddens, aut omnino tollens, nisi sit tanta morbi vis, & contumacia, vt longè curationem superet. Tunc enim pereundum est illi, quādo in ea bilance immensum prægravantibus malis, nullum ex altera parte bonorum pondus. Vt si inventa fuisset quinquagenaria ratio, iuxta quam anima servitute exempta in totum libera pronuntiatur; aut si exsisteret aliquis sequentium numerorum, quos ille sapiens Abraham enumerat descendens vsque ad denarium eruditioni peculiarem numerum; non perijsset mens tam ignobiliter.* Et quia tantum valet vir iustus apud Deum, paulò

D. Ambros. — Philo Iudæus.

paulo post subdit: *Equidem quando aliquem bonum virum habitãtem in aliquâ domo aut urbe video; & domum & urbem illam beatam prædico, ratus tum præsentem felicitatem ei mansuram perpetuò, tum absentem expectandam cumulatiorem, Deo ultra modum mensuramque divitias suas in gratiam dignorum etiam in indignos profundere solito. quibus quia ne senescant precari mihi non licet, precor vitam longissimam, existimans tam diuturnam felicitatem fore hominibus, quàm longum illis vitæ tempus contigerit.*

5. Sed quamuis hæc magna sint, non hoc est quod Moyses intendit hoc loco; sed potius, quòd ita excedat misericordia Dei eius iustitiam, sicut mille excedit quatuor, id est, quòd in mille posteros ostendat suam misericordiam propter pietatem parentum, qui pluribus sæculis prævijs vixerunt. Exempli gratia, Salomoni Deus mille mortibus digno propter Chananæarum connubia, & idololatriam pepercit propter Davidem pium patrem, vt habetur 3. Reg. 11. in hæc verba. *Dixit itaque Dominus Salomoni: Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandavi tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud servo tuo. Veruntamen in diebus tuis non faciam propter David patrem tuum. De manu filij tui scindam illud, nec totum regnum auferam, sed tribum unam dabo filio tuo propter David servum meum, & Hierusalem, quam elegi.* Deinde 3. Reg. 15. nepoti eius Abiæ scelerato patri Roboamo succedenti, & iniquitatem imitanti pepercit propter merita Davidis: sic enim de illo habetur eo loci: *Tribus annis regnavit in Hierusalem, ambulavitq; in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante Deum, nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris eius. Sed propter David, dedit ei Dominus suus lucernam in Hierusalem, vt suscitaret filium eius post eum, & statueret Hierusalem. Eò quòd fecisset David rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ.*

3. Reg. 11.

3. Reg. 15.

Quibus verbis declaratur, quòd dignus erat Abias propter vitam ad Roboami potius impij, quam ad David pijssimi exemplar institutam, quem Dominus extingueret, neque ex stirpe pessimâ vllum germen pullulare pateretur; sed tam illi fuit Davidis iucunda memoria, & tam fidelis illi facta promissio, vt lucernam, id est præclaram sobolem indulserit scelerato nepoti nempe Asam. Et postea trecentis videlicet duodecim annis, vt hoc palam faceret obsessa Hierusalem cum desperatione liberationis, & orante Ezechia dixit Deus: *Protegam civitatem hanc propter me, & propter David servum meum.* id est, iuxta Chrysostomum homil. 42. in Genes. *Licet ipsi indigni sint & nullam satis habeant occasionem. Verùm quia solitus sum misericorditer agere, & ad misericordiam promptus sum, propter meipsum faciam, & propter puerum meum David: Et qui ante tot annos è vita migravit, hic auctor fit salutis his, qui suâ sese perdiderunt desidiâ.* Atque sic deinceps argumentandum.

Chrysost.

6. Vnde veteres orare solebant in maximis necessitatibus populi propositis piorum meritis, vt egit Moyses, quando populus vitulum conflaverat, & tanquam Deum orabat, dicens: *Recordare Abraham, Isaac, & Israël servorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cæli, & universã terram hanc, de quâ locutus sum, dabo semini vestro, & possidebitis eam semper.* Daniel etiam 3. cap. hunc imitati leguntur tres pueri in fornace Babylonis cõstituti, ibidem sic orantes: *Ne quæsumus tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne dissipes testamentum tuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israël sanctum tuum: quibus locutus es, pollicens, quòd multiplicares semen eorum sicut stellas cæli & sicut arenam, quæ est in littore maris.*

Exod. 32.

Daniel. 3.

Quæ omnia protestantur, quòd Deus mirificè alliciat hominem ad observationem mandatorum Dei. Idque vt non gratis, sed pro merito prœmium concedat. Vnde D. Bernardus hom. 4. super *Missus*; *Pius Dominus, qui omnes homines vult salvos fieri, me-*

Bernard.

ri, merita extorquet à nobis, & dum nos prævenit tribuendo, quod retribuat gratis, agit ne gratis tribuat. Vnde nullam habet excusationem, quia hâc non mouetur, vt enim ait Bernard. serm. 22. in Cant. *In omnem terram exivit odor vitæ, quoniam misericordiâ Domini plena est terra, & miserationes eius super omnia opera eius.* Et concludit: *Qui vitalem hanc sparsim vbique fragrantiam non sentit, & ob hoc non currit, aut mortuus aut putidus est.*

Idem.

Adhæc revocat peccatores à transgressione mandatorum redire ad Deum tam benignum, apud quem, sicut David loquitur, misericordia est, & copiosa redemptio. Ex quo D. Bernardus loc. cit. nomine peccatorum sic loquitur. *Omninò propter mansuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus post te, Domine Iesu, audientes quòd non spernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruisti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Chananaam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non supplicantem Publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos.* Addere potuisset, etiamsi hoc nullatenus mereantur, tamen propter prædecessores olim mortuos, solitus es beneficia præstare, mirificans misericordias tuas.

Luc. 23. Ibid. 7. Matt. 15. Ioan. 8. Matt. 9. Luc. 18. Matt. 26. 1. Tim. 1. Luc. 23.

7. Sed dices Dominus Deus in communi clade, vt dixi præcedenti Discursu, non solùm paruulos originali adhuc infectos, sed etiam ab eo mundatos, & adultos bonos solet involvere communi supplicio. Quæ est hæc misericordia?

Respondeo primum spectare ad incomprehensibile Dei iudicium, qui misericordiam suam in eo ostendit, quòd prævidens melius illis esse, vt in Republicâ turbatâ, vbi cum parentibus parvuli sic intereunt, cum solo originali moriantur, quàm postea cum multis & nefandis actualibus peccatis, in quæ certò incidissent superviventes; & sic superstites liberaliter peccando simul contemnerent beneficium Circumcisionis aut Baptismi à Deo ipsis impertitum. De purgatis ab originali diximus præcedenti Discursu, n. 6. De adultis bonis certum est Deum compensare innocẽtibus mortem, quam cum impijs patiuntur, remittendo per illam sic pœnas temporales, & gloriam cœlestem illicò largiendo, cùm aliàs pœnis purgatorij ob venialia peccata, aut pœnas temporales, post mortalia remissa, manentes, debuissent duriùs expiari; & sic nusquam deesse eius misericordiam exploratum est.

DISCVR-



DISCVRSVS PRIMVS IN SECVNDVM PRÆCEPTVM.

Quidnam illo Præcepto præcipiatur & prohibeatur?



Eccles 23. SAPIENS Ecclesi. 23. cap. dicit: *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis: quoniã nõ eris immunis ab eis.* Quibus verbis videtur solùm aliquem abusum diuini nominis vetare. Vnde tractatis, quæ ad primum Præceptum spectant, iam discutiendum est, quod in argumento ponitur.

1. Ad cuius rei intelligentiam priùs necessarium erit indagare, quod sit illud nomen, quod sine pœnâ vsurpari non potest. Genes. 32. Genes. 32. cùm rogasset Iacob nomen Angeli, quocum luctatus fuerat, quique repræsentabat verbum incarnandum, cuius nomen ante incarnationem fuit tacitum, & absconditum, respondit: *Cur quæris nomen meum*, scilicet quod est admirabile, & adhuc absconditum? Proverb. quoque 30. cap. de Deo dicit Sapiens: *Quod est nomen eius, & quod nomen filij eius, si nosti?* id est, quæ est persona Dei, aut quis filius eius? Edicito mihi, si fortè assequi potuisti. Nomen enim hoc loco pro personâ accipitur. Vnde est illud Psalm. 19 *Protegat te nomen Dei Iacob.* id est, Deus Iacob: & Psal. 71. *Populus insipiens incitauit nomen tuum.* id est, teipsum. Et infra: *Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum*, id est, vt timeat te. Et Moyses Exod. 3. cap. rogauit Dominum, *si dixerit mihi quod est nomen eius*, scilicet qui mittit me ad Pharaonem, vt dimittat filios Israël: Respondit Dominus ad Moysen: *Ego sum, qui sum.* Et Exod. 6. cap. dicit Deus, se esse Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Iacob, *qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai, non adhuc indicaui eis.* id est, Ego Deus incognitus, & cultus fui à patribus tãquam *El Haddai*, id est Deus fortis, & liberalis: Nomen verè proprium meum *Iehoua*, non indicaui eis, sed illud primùm tibi, ô Moses, revelo, simulque cum nomine clariorem rei significatæ, puta essentiæ meæ & diuinitatis, tibi cognitionem communico; idque facio hoc fine, vt te & populum à Pharaone afflictum, in spem erigam auxilij mei iamiam affuturi: vtpotè qui iam me tibi & Hebræis tam familiarem, & ex nomine proprio compellandum noscẽdumque exhibeam, vt sciatis vos mihi iam magis curæ, & cordi esse, quàm antè.

Psalm. 19. Psalm. 71. Exod. 3. Exod. 6.

Porrò etsi varijs nominibus Deus vocari soleat in veteri Testamento,

tamen quomodocumque illum nominemus, siue patrem, siue dominum, aut creatorem, non id agimus, quasi comprehēdentes id quod est, sed propter eius potentiam pulchris vtimur nominibus, vt in alijs non aberrans his inniti possit cogitatio. Nã, vt Nazianzenus ait, *Deus nullo nomine exprimi potest*; idque similitudine illustrat, dicens: *Quemadmodum enim nemo est, qui totum aerē vnquam hauserit, ita Dei naturam nec mens vnquam vlla prorsus concepit, nec vox vlla complexa est. Verum ipsum ex his, quæ circa ipsum sunt, adumbrantes obscuram quandam atque imbecillem, ac aliam ex alio speciem colligimus.* id est, ex creaturis & prouidentiâ, quâ ipsas regit, aut ex vocabulis affirmatiuis vel negatiuis de Deo, verbi gratiâ, quod sit bonus, sapiens, potens, item quod expers corporis, senectæ, mortis, obscuram quandam ac imbecillem, atque aliam ex alio de Deo speciem colligimus.

Naziānz.

2. Quibus sic positis, quæritur, quid hoc præcepto præcipiatur? Respondeo hoc, quod Christus iussit Matth. 6. in verbis: *Sanctificetur nomen tuum.* Pro quo nota, Nomen, quod ad rem præsentem attinet, duobus modis præcipuè solere in Scriptura accipi. Primò, pro fama, seu existimatione, quę de aliquo habetur. sic à multis exponitur illud Psalm. 47. *Secundum nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ.* id est, secundum cognitionem, quam de te habēt, sic est laus tua. Clariùs Proverb. 22. *Melius est nomen bonum,* id est, fama bona, *quam multæ diuitiæ. & curam habe de bono nomine,* Eccles. 41. Aliter nomen vniuscuiusque dicitur, quod ad significandam eius personam impositum est. Priori verò modo nomen Dei sanctificari nihil aliud est, quàm diuinam maiestatem, & sanctitatem ab hominibus cognosci, & pro illius dignitate æstimari, & laudari. Et ita sentit Gregorius Nyssenus, dicens idem esse petere, vt nomen Dei sanctificetur, quod petere, vt glorificetur in nobis. Et August. lib. 2. serm. Domini in monte, cap. 5. *Petimus, vt nomen Dei sanctum habeatur ab hominibus, & ita illis innotescat Deus, vt non existiment aliquid sanctius, quod magis offendere timeant.* Posteriori modo, vbi accipitur nomen pro ipsomet nomine Dei, eodem redit sensus: petimus enim, vt nomen Dei cum debito honore tractetur; nam illi peculiaris reuerentia debetur, quia *nomen Dei magnum est ad timendum, sanctum ad venerandum, dulce ad meditandum, copiosum ad miserendum, efficax ad impetrandum, virtuosum ad saluandum, occultum ad sciendum.* vt ex Scriptura rectè docet D. Thomas Isa. 56. Quod clarius euadet ex sequenti quęsito, quod huic subiungo, nempe,

Matth. 6.
Ps. 47.
Prov. 22.
Eccles. 41
Nyssenu.
August.
D. Thom.

3. Quid hoc præcepto vetetur? Respondeo, Doctores hic variare. Aliqui enim dicunt vetari hic, ne quis adijciat horribile nomen Dei sculptilibus, vt Cyrill. Alexand. lib. 4. in Ioan. 15. Et Clemens, 6. Strom. ante finem. Tertull. quoque lib. de Idolol. cap. 20. *Non assumes,* inquit, *nomen Dei in vano, id est, in idolo.* Verum illud iam vetitum audiuimus primo præcepto, quo inhibetur idololatria, quæ vetatur quoque hoc secundo præcepto, quatenus idipsum prophanatio est nominis diuini; sed hic non est adæquatus huius præcepti sensus, nam multa alia eo vetantur.

Cyrill. Alex.
Clemens.
Tertull.

Secundò, Sanctus Thomas, 2. 2. quæst. 122. art. 3. censet hoc secundo præcepto solum periurium propriè & directè prohiberi. Verùm optimè comprehendit hanc prohibitionem Theodoretus, quam verbis eius hic adscribo: *Quidam, inquit, prohiberi dicunt, ne quis res vanas, hoc est, idola nomine Dei vocet; alij ne quis iurando mentiatur. Ego autem puto diuinam legem statuere, ne quis nomen Dei pronuntiet, siue aliqua ratione, veluti docendi; aut orandi, aut alia quidem necessitate. Solent enim nonnulli etiam ludentes, & ridentes, vt venerit in linguam, reuerēdum nomen Dei proferre. Hoc arbitror diuina lege prohiberi. Si enim permulti consueuerunt pretiosiorem vestem diebus festis reseruare, multo iustius est, diuinum nomen precibus, atque docendi officio consecrare.*

S. Thom.
Theodoret.

4. Quod

4. Quod docuit Theodoretus, hoc practicè ostendit Moyses Deut. 32. quando quædam necessaria docere voluit Hebræos, dicens: *Audite cæli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei. Concrescat vt pluvia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina. Quia nomen Domini invocabo: date magnificentiam Deo nostro*. Vbi Moyses iamiam moriturus ex Dei instinctu prævidens, quòd Hebræi post mortem suam à Deo descifcerent, ideòque graviter ab eo puniendi forent, primò cœlum & terram in testes invocat, Deique maiestatem clementiam, iustitiam, & perfectionem celebrat, quod est invocare nomen Domini ad efficaciorem instructionem. Secundò, v. 6. perversam eorum generationem futuram increpat, refricans eis tot Dei beneficia, quòd post ea delitijs dissoluti à Deo ad idola deflexerint. Tertiò, vers. 28. ob peccata eos à Deo irato, suâque protectione ipsos destituente, varijs malis, & plagis traditos esse canit. Quartò, vers. 35. promittit Dei misericordiam, & in hostes eorum vindictam, vbi plagis suis admoniti resipuerint.

Deut. 32.

Sic etiam Paulus ad Philippenses, 2. cap. vsus est nomine Domini. Nam cùm videret Philippenses laborare ambitione, & schismate, ardenter eos incitauit ad humilitatem, & charitatem fraternam, exemplo Christi Domini, qui se amore nostri humiliauit vsque ad mortem crucis, ideòque exaltatus est, *vt in nomine Iesu omne genu flectatur &c.* Rursum quando tulit nomen istud coram gentibus. Vndè Dominus dixit Ananiæ Act. 9. *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filijs Israël.*

Philipp. 2.

Act. 9.

Secundò orationis causâ id præstiterunt tres pueri in fornace, Daniel. 3. *Stans autem Azarias orauit sic, aperiensque os suum in medio ignis ait: Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile, & gloriosum nomen tuum in sæcula*. Et Daniel apud Darium cap. 6. Daniel. Vbi non obstante decreto Darij, ne quis intra triginta dies quidpiam peteret à quocumque Deo, nisi à Rege, vel mitteretur in lacum leonum, nihilominus *ingressus est domum suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut & antè facere consueverat. Viri ergo illi curiosiùs inquirentes, invenerunt Danielem orantem, & obsecrantem Deum suum.*

Daniel 3. Daniel. 6.

Tertiò necessitatis causâ id egit Iosue cap. 7. quando Deus permisit hostibus victoriam contra Israëlitas propter peccatum Acham, deprecans Deum his verbis: *Quid facies magno nomini tuo?* id est. Quamuis nos deleri ab hostibus, parum sit, varij quippè sunt euentus bellorum, & incerti exitus, quando humanis ducimur consilijs; non est tamen parvipendenda fama nominis tui magni, quæ ex huiusmodi clade multùm lædetur. An ignotum est Chananæis, nos sub vmbrâ nominis tui ad possidendum hanc regionem ex Aegypto per tot rerum discrimina demigrasse? Quomodo propriam famam defendes, qui iam vndique omnipotens, & Deus Deorum es reputatus, nisi nos in promissa patribus sceptra & triumphos reponas? Deiectio nostra in tui nominis, & gloriæ ignominiam redundabit. Dicent aduersarij suos Deos contra te prævaluisse. Et D. Paulus 2. Cor. 12. cum videret Pseudoapostolos, Corinthios velle subvertere, & suum apostolatum cogeretur multis encomijs extollere, & confirmare, dixit: *Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quòd non mentior.*

Iosue 7.

2. Cor. 12.

Vndè vt primo præcepto Moyses docuit cultum Dei affirmativum & negativum; ita hoc præcepto magnâ reuerētiâ docuit vtendum esse nomine Dei, & cavendum esse à vanâ vsurpatione. Et Sapiens mundum depravescentē à nimia eius frequētatione dehortatur, sub pœnâ alicu-

 ius

ius animadversionis, in verbis citatis, Ecclef. 23. *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admisceаris: quoniam non eris immunis ab eis.* Hęc tamen vsurpatio, nisi aliam malitiam induat, non excedit culpam venialem apud Christianos.

Eccles. 23.

5. Quæres verò, An de solis veteris, an etiam novi Testamenti nominibus hoc præceptum intelligendum sit?

Respondeo, non de ijs solùm, quæ veteris, sed de omnibus, & quibuscumque, & cuiuscumque linguæ nominibus Dei, & maximè de nomine Iesu; vt probat Abulensis q. 7. in cap. 20. Exodi; eò quòd nomen *Iesus* venerabilius sit nomine *Deus*: Et rectè. Nam nomen *Iesus* sanctissimum, & augustissimum est, adeòque venerabilius nomine tetragrammato. Primò, quia est proprium nomen verbi incarnati, vt docet S. Augustinus, tract. 3. in 1. epist. S. Ioannis, tom. 9. ideoque alia omnia Christi nomina, quę & plurima, & pręstantissima ei Scriptura tribuit, in se complectitur. Significat enim totam incarnationis Dominicæ ęconomiam (in quâ præ cæteris operibus, omnia attributa Dei relucent) bonaque omnia, quę inde nobis sive in animo, sive in corpore, tum in hâc vitâ, tum in futurâ per omnem æternitatem obvenient.

Abulensis. Augustin.

6 Secundò nomine *Deus* est venerabilius, quia Deus significat Creatorem, *Iesus* verò Deum significat vt Redemptorem, & Salvatorem. Vnde illud nomen prædixerunt, & exultantes vaticinati sunt Patriarchæ, Prophetę, & Sibyllæ: Iacob Genes. 49. *Salutare* (Salvatorem) *tuum expectabo Domine.* Abacuc, cap. 3. v. 18. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* Isaiæ, 45. v. 8. *Rorate cæli desuper ✱ aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Abacuc enim in spiritu prævidens Iosue, qui eduxit Hebræos ex Ægypto, & Cyrum qui eosdem è Babylone liberavit, tam re, quàm nomine fuisse typos Iesu Christi, adeòque hunc liberationem & salutem populo Dei attulisse virtute divinitatis, & meritis humanitatis Iesu Christi, Deumque ipsum longè maiorem, æternamque redemptionem & salutem nascendo generi humano allaturum; exultans in spiritu iubilat, nomenque eius *Iesu* sexcentis annis ante ortum eius prophetat, & nominat, cum eoque dissuaviatur; qui i prævidebat se, & nos per eum liberandos ab hostibus omnibus, puta à dæmone, peccato, concupiscentiâ, carne, mundo, infernoac omni gratiâ, gloriâ, salute, & felicitate cumulandos. Isaias autem illo loci, cum cœpisset vaticinari de Christo, & Iudæorum è Babylone liberatione, quasi de antitypo Christi, qui futurus erat liberator omnium gentium è potestate diaboli & inferni, *Hac dicit*, inquit, *Dominus Christo meo Cyro* &c. mox vers. 8. more prophetico ad antitypum Christum, quem intendebat, avolat, *Rorate*, inquit, *Cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet salvatorem, & iustitia oriatur simul.* quasi dicat, Ego Isaias, oro te, ô Domine, vt è cœlis mittas spiritum sanctum, qui veniens in vterum Virginis eam fœcundet, vtque è terra hâc nostrâ in Beata Virgine accipiat materiam, ex quâ formet Christi corpus, vt sic generetur Christus, iustus, inquam, ille per antonomasiam, qui omnes iustificat.

Genes. 49. Isaias 45. Abacuc 3.

Idem prophetarunt Sibyllæ, vt docet acrostichis illa versuum Sibyllæ Erythrææ, quorum primæ litterę hæc verba reddunt, Ἰησοῦς χριστὸς υἱὸς θεοῦ σωτὴρ σταυρός, Iesus Christus filius Dei salvator, crux: qui versus extant in fine Sibyllinorum oraculorum tom. 2. Biblioth. SS. Patrum, & illos citat Cicero, 2. de divinat. indequè probat poëma Sibyllæ non esse furentis, sed attenti animi, artisque, & cogitationis; item Constantinus Imperator apud Eusebium in fine vitæ eius, & fusè Augustinus, 18 de civit. cap. 23.

Cicero. Eusebius.

Hoc nomen prædictum fuit ab Angelo B. Virgini, & Ioseph, cùm illi

Luc. 1. illi nunciavit Luc. 1. cap. Christi incarnationem, in verbis: *Ecce concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius Iesum*; huic autem Matth. 1. cùm vellet dimittere B. Virginem in vtero habentem de Spiritu sancto, in verbis: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem Filium, & vocabis nomen eius Iesum: Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.*

Matt. 1.

Hoc nomen ideò ex divinâ ordinatione in circumcisione impositum: vndè Sanctus Thomas 3. part. q. 37. artic. 2. in corpore sapienter colligit, quòd *nomina quæ imponuntur aliquibus divinitus semper significant aliquod gratuitum donum eis divinitùs datum. Sicut Genes. 17. dictum est Abrahæ: Apellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te: Et Matth. 16. dictum est Petro, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quia igitur Christo hoc gratia collatum erat, vt per ipsum omnes salvarentur, ideò convenienter vocatum est nomen eius Iesus, id est, salvator, Angelo hoc nomen prænuntiante, non solùm matri, sed etiam Ioseph, qui erat futurus eius nutritius.*

S. Thomas. Genes. 17. Matt. 16.

7. Hoc nomen etiam præstantius est nomine Christi; quia illud ex vi suæ significationis commune est, reges & sacerdotes significans, qui oleo vngebantur, & inde deductum est ad significandos iustos, & sanctos; quia gratiâ Dei vnguntur; & indè tandem derivatum ad Messiam per antonomasiam significandum, quòd Rex futurus esset, & Sacerdos, ac Deus, & homo oleo divinitatis vnctus; & latè Eusebius lib. 4. de demonst. Euangelicâ, cap. 15. & Nicephorus libr. 5. historiar. cap. 4.

Eusebius. Nicephor.

Philipp. Hoc nomen dicitur ad Philipp. 2. *Nomen super omne nomen*, idque Christum meruisse suâ passione. Licet enim nomen Iesu in circumcisione sit illi impositum, non tamen tunc actu proprio, & perfecto fuit salvator; sed tantùm destinatione, illi & inchoatione: tunc enim destinatum, & declaratum fuit illum fore mundi Salvatorem, quando nimirum pretium sanguinis sui pro salute nostrâ in cruce persolverit; ideòque nomen Iesu non à præsenti, sed à futurâ salute Christo in circumcisione inditum est; sic enim nomina multis sunt imposita, quæ portenderent rem futuram; in cruce ergo consummauit Christus salutem, & redemptionem nostram, ac consequenter in cruce factus est actu perfecto salvator & redemptor, indèque nomen & titulum Iesu accepit, vt omnes eum nominent, celebrent, invocent tanquam Iesum, id est Salvatorem, & redemptorem suum, ac consequenter tanquam verum Deum, Deique Filium, ac Messiam patribus promissum; hæc enim omnia includit nomen salvatoris, & redemptoris, hoc est nomen Iesu.

8. Vndè addit D. Paulus, illi datum esse *nomē super omne nomen*, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, id est, nullum statum excipi ab huius cultu, nec Angelorum, nec hominum beatorum in cœlis, nec eorum qui in terris agunt. De quibus S. Bernardin. Senen. tom. 1. serm. 49. cap. 4. *Tam singularis*, ait, *reverentiæ est nomen Iesu, quòd ab eius venerabili laude nullus excipitur status, nullus excluditur locus, nullum præscribitur tempus, nullum removēdum est opus. Primò enim nullus excipitur status: vnde Propheta ait Psal. 148. Reges terræ, & omnes populi, Principes, & omnes Iudices terræ. Iuvenes, & virgines, senes cum iunioribus laudēt nomē Domini, quia exaltatum est nomen eius solius. Confessio eius super cœlum, & terram. Reges terræ se regentes, & voluptatibus corporum imperantes dicuntur. Populi, quicumque sunt in vnum ad honorandum nomen Domini Iesu Christi in vnitate, & veritate fidei congregati. Principes, & Iudices Angelici cives sunt, principantes per potētiam, iudicantes per sapientiam. Iuvenes sunt charitate fervētes, virgines castitate fulgentes, seniores à voluptate deficientes, & libidine refrigescentes, Iuniores sunt balbutientes: laudent nomen Domini,*

S. Bernard. Senen. Psal. 148.

 vt nullus

vt nullus status, non dignitas, non sexus, non ætas ab eius laude intelligatur excludi. Quia exaltatum est nomen eius solius iuxta illud Apostoli ad Philipp. 2. Dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Vt verificetur quod scriptum est Cant. 1. Oleum effusum nomen tuum, & illud Psal. 112. *A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini.*

Philipp. 2. Cant. 1.

Addit etiam *& infernorum*, id est, eorum, qui expiantur in purgatorio, & eorum, qui damnati sunt in inferno; siue homines sint, siue dæmones, ait Anselmus. Hi enim, licet inviti genu flectunt, id est, agnoscunt, tremunt, & reverentur nomen Iesu, id est, Iesum Deum, salvatorem & redemptorem bonorum, impiorum verò, & suum Dominum, iudicem & vindicem. Hinc sanctus Iustinus Apologiâ primâ pro Christianis ante finem narrat Christianos suo tempore solere energumenos curare, eosque à Dæmonibus liberare invocatione nominis Iesu. De his etiam Franciscus Venetus in harmoniâ mundi, ait: *Nec tacebo quod experimento didici, nullum Dæmonem ex his, qui vexant corpora humana, posse resistere; quin, velint, nolint, genua flectant, quando nomen Iesu debitè pronuntiatum ipsis proponitur venerandum, vt fidelis inveniatur, qui dixit: In nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.* Et idem Franciscus Venetus capite 16. affirmat, Hebræos in divinis nominibus peritissimos nihil iam Dei nominibus operari posse in dæmones eijciendos, quia omnis vis ad nomen Iesu transijt; quo quia non vtuntur, vt vim aliquam habeant, vt illi fassi sunt, Dæmonia invocant facti neromantici.

S. Iustinus. Francisc. Venetus.

D. Bern. D. Bernardus, quia veteris Testamenti Dei nomina erant inania, quæ veram salutem non præstiterunt, sed adumbrarunt, omnes conuocat ad eius confessionem serm. 15. in Cant. sic aiens: *Veniant ab oriente, & occidente, & recumbant cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum. Veniant veniant tribus tribus Domini: testimonium Israël ad confitendum nomini Domini. Veniant & recumbant, epulentur & delectentur in lætitia, & vnus vbique resonet in voce exultationis & confessionis sonus epulantis, Oleum effusum nomen tuum.* Quia secundum eundem, *Iesus mel est in ore, melos in aure, iubilus in corde*, nomen eius lucet prædicatum, pascit recogitatum, lenit & vngit invocatum. Ideo Chrys. homil. 27. ad populum, à frequenti vsurpatione indebitâ dehortatur dicens: *Divini nominis cum reverentiâ meminit nemo.* Et ad bonam vsurpationem incitat hoc modo: *Quod si alicuius etiam ad nomen exurgis, Deum verò tam continuè, tanquam nihil vocas? In orationibus voca, voca eum ad inimici beneficium, voca ad animæ tuæ salutem: tunc aderit, tunc eum lætificabis, nunc autem irritas. Voca, sicut eum Stephanus invocauit: quid dicens? Domine ne statuas eis hoc peccatum. Voca, sicut vocauit eum Helcana vxor cum lacrymis. Non prohibeo, sed vehementer exhortor. Illum voca, sicut Moyses vocavit, & clamabat pro eis orans, qui eum expulerant. Et tu quidem, si cuius sine honoris titulo memineris venerabilis viri, contumelia facta est: Deum autem circumfers opportunè importunè in sermonibus tuis. Non prohibeo Deum in mente semper habere, imò magis precor, & volo: non tamen aliter quàm illi placet, sed laudantem, sed honorantem. Magna namque nobis hoc contulit bona, si cùm & apud quos opus est, tantùm eum invocemus.*

Abulensis. Chrysost. Act. 7. 1. Reg. 1. Exod. 32.

9. Non tamen sic abstinendum, vt Iudæi, qui nolunt legere, aut pronuntiare nomen Salvatoris nostri Iesu, etsi fortè cum casu illud legere vel sonare contingat, se ipsos mulctant, colaphumque ori impingunt: aut si sonant, legunt, vel scribunt, dicunt *Iiscu* illudque per litteras initiales ita exponunt: *Iimach schemo vsichro.* id est, deleatur nomen eius & memoria eius. Hoc est odium istorum cæcorum, & miserorum in Iesum Christum, quod proinde meritò luunt perenni exilio & excidio. Et est superstitio, imò blasphemia. Neque sic abstinendum, vt Anabap-

Anabaptistę, qui propinantes alicui potum, loco, *Deus benedicat tibi*, respondent, *Bene sit tibi*. Nam in hac re nulla est irreuerentia, sed scrupulus planè inutilis: quod patet ex pia consuetudine, qua per modum enuntiationis, cum aliquâ propositione, laudamus Deum dicentes: *Deus magnus & sanctus est Dominus*: aut per modum imperatiui, cum dicimus: *Benedictus sit Dominus, & gloria in altissimis Deo*: quin etiam quando per modum admirantis dicimus: *Quam admirabile est nomen tuum Domine*. Sed duntaxat, vt à vana & inutili pronuntiatione abstineamus. Si enim de omni verbo otioso reddenda ratio iuxta Matthęum cap. 12. quantò magis in tali vsurpatione tanti nominis? Quod Abulensis paulò ante q. dictam dicit, maius peccatum esse, quàm nomen Deus accipere in vanum, additque nouam rationem: *Quia Ecclesię communis, & laudabilis consuetudo magis honorat istud nomen Iesus, quam nomen Deus. Vnde audito nomine Iesus deuoti fideles aut caput inclinant, aut genua flectunt, quod non faciunt audito nomine Deus. Qui ergo contra hoc offendit, dehonorando nomen Iesu, magis peccat; quam si dehonoret nomen Deus.* Abulensis.

Discursus II.

In secundum Præceptum.

An hoc Precepto prohibeatur Iuramentum?

Theodoret. Heodoretus dicit, legem diuinam statuere, ne quis nomen Dei pronuntiet sine aliquâ ratione. Christus autem Matth. 5. cap. prohibet Matt. 5. non iurare omnino, neque per cœlum &c. & vult sermonem nostrum esse, *ita* vel *non*. Cùm autem iuramentum fieri non possit sine vsu diuini nominis, videri posset alicui iuramentum nullâ ratione esse licitum. Hinc tractabo, quid sit Iuramentum, & an hoc præcepto prohibeatur.

1. Iuramentum itaque est affirmatio, vel negatio sacræ rei attestatione firmata, seu Deo vocato in testem ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam. Hoc dixerunt antiqui aliquot Hæretici, & etiam aliqui moderni, Christianis esse interdictum. Sed contrà, Dico, nullo iure prohibitum esse iuramentum, quia non est intrinsecè malum. Quod constat primò, quia in Scripturis approbatur Deut. 6 in verbis: *Per nomen illius iurabis*: vbi præceptum datur, per nomen Dei iurandi, ne videlicet per nomen externorum Deorum quis iuraret; quod vetitum est Exod. 23. v. 13. Deinde ait Propheta Psal. 62. quod *laudabuntur omnes qui iurant in eo*, id est in Deo. Hæc autem laus non erat propter legem præcipientem positiuam (vt laudabilis erat circumcisionis, & sacrificiorum legalium vsus) sed quia iuramentum ex naturâ suâ honestum erat, & ex parte obiecti non haberet malitiam, quandoquidem sit inuocatio diuini nominis, & contineat tacitam fidei professionem.

2. Probatur secundò, quod naturâ suâ malum non sit, quia Deus ipse iurauit, vt legitur Genes. 22. vbi habetur: *Per memetipsum iuravi, dicit Dominus*. Psal. 109. *Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum*. Ierem. 51. *Iuravit Dominus exercituum per animam suã*. Imò Angeli etiam iurarunt, colloquentes cum hominibus, vt legitur Apocal. 10. cap. vbi sic habetur: *Et Angelus, quem vidi stantem super mare, & super terram, leuauit manum suam ad cælum*

cælum, & iurauit per viventem in sæcula sæculorum. Quin etiam Sancti viri iurarunt, vt Scriptura refert, videlicet Abraham Genes. 21. percutiens fœdus cum Abimelech. Genes. 26. Isaac cum eodem. Genes. 31. Iacob cum Laban. Moyses Deut. 4. David, & alij Sancti alibi. Adhæc D. Paulus declarat iuramentum esse finem controversiæ, dicens ad Hebræos cap. 6. *Homines per maiorem sui iurant, & omnis controversia eorum finis, ad confirmationem est iuramentum.* id est, homines iurant per Deum, qui ipsis maior est, sed Deus non potuit iurare aliter quàm per semetipsum, quia maiorem se non habet: & legitimum remedium dirimendis litibus apud homines habetur iuramentum, quoties aliæ probationes deficiunt. Vnde Iurisconsultus ff. de Iureiurando: *Maximum remedium expediendarum litium in vsum veniet iurisiurandi religio.* Denique est actus religionis, qui tacitam continet fidei confessionem, vt dixi.

Genes. 21. Genes. 26. Genes. 31. Deut. 4. Hebr. 6.

3. Sed dices, Si ita est, quid insinuant verba Matth. 5. à Christo prolata, & Iacob 5. repetita: priori enim loco sic habetur: *Dictum est antiquis, Non periurabis: reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omninò; neque per cælum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Ierosolymam, quia ciuitas est magni regis; neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est, non, non. Quod autem his abundantius est, à malo est.* Posteriori: *Ante omnia autem, fratres mei, nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. Sit autem sermo vester, Est, est, non, non.*

Matth. 5. Iacob. 5.

Respondeo, hæc loca varios fatigasse: Nam Hieronymus in dicta verba Matthæi, existimauit Iudæis tanquam parvulis permissum fuisse iuramentum, sicut libellum repudij; nobis autem planè interdictum. Iudæis enim putat, tanquam parvulis esse permissum iurare per Deum, vt minus malum, ne iurarent per creaturas, sicut permissus illis fuit libellus repudij: Euangelicam autem veritatem non recipere iuramentum, cum omnis sermo fidelis, pro iureiurando sit. Et in hâc opinione fuit etiam diuus Chrysost. vt constat ex eius verbis homil. 15. in Genes. vbi sic ait: *Iuramenta quoque modis omnibus fugiat: audiens sententiam Christi, quæ dicit, Dictum est antiquis, Non peierabis, Ego autem dico, non iurandum omninò. Ne igitur dicat aliquis, In re iustâ iuro. Neque enim in re iustâ, neque iniustâ iurare licet. Purum igitur à iuramentis servemus os.*

Hieron. D. Chrys.

4. Verùm dico resolutè, Christum his verbis non interdixisse simpliciter iuramentum, sed varios errores sustulisse, quibus Iudæi laborabant circa iuramentum, & ad perfectum morem reduxisse, sicut multa alia in eod. cap. quia non venerat *soluere legem, sed adimplere.*

Errores autem eorum erant tres: Primus, quòd putarent solum periurium sibi prohibitum esse, iuxta illud Levit. 19. *Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui.* existimantes aliàs licuisse promiscuè, & frequentiùs iurare, quòd tacitam contineret fidei professionem. Quâ de causâ, tempore D. Chrysostomi adeò videtur increbuisse iuramentum, vt vix ab eo illos potuerit compescere: quæ colliguntur ex homil. ipsius, 26. ad populum, vbi de iuramenti differens origine, in hunc modum loquitur: *Qui fuerunt Abraha tempore multa fecerunt fœdera, victimasque mactauerunt, & obtulerunt sacrificia, necdum erat iuramentum. Vnde igitur irrepsit iuramentum? Cùm mala creuissent, cùm sursum, & deorsum confusio facta fuisset, cum ad idolorum seruitutem declinassent; tunc, inquam, tunc cum infideles iam apparerent, testem invocabant Deum, tanquam dignum dantes dictorum vadem.* Et homil. 27. *Vultis discere, quare priscis iuramentum concedebatur? Nam nec illis peierare fas erat, quoniam per simulacra iurabant. Non confundimini in his legibus permanere, in quibus indulgebatur illis infirmis? Quoniam nunc quoque, si gentilem accepero, non illi statim hoc*

Leuit. 19. Chrysost.

hoc iniungo, sed interim scire Christum admoneo. Fidelis verò qui credidit & audivit, si debet eandē exigere cum Gentili indulgentiā quid vtilitatis, quid emolumenti? Et credibile est eâ de causâ apud Germanos in omni sermone adhuc vsurpari iuramenta. Atque ille est primus error, quem Dominus improbavit.

5. Secundus eorū error fuit, quòd existimaverint iuramētum per creaturas non esse iuramentum, nec specialem malitiam habere, quia scriptum est Deuteronom. 6. *Iurabis per nomen illius.* & sic dicebant Matt. 23. per templum nō obligare, aut creaturas; nisi essent tales, quæ servirent eorum commodis, vt aurum. Hunc vtrumque morem sustulit Christus, & docuit per creaturas, quatenus scilicet referuntur ad Deum, verum esse iuramentum, quia iurare per cœlum, idem est ac iurare per eum, qui in cœlis habitat; per terram, per eum qui terram suspendit de nihilo, esseque illi instar scabellum pedum; per templum, per eum qui ibi colitur; & sic de reliquis, atque ita per quamcumque formam: ac simul redarguit quòd iurare in auro templi plùs efficaciæ ponāt, quàm per templum illud reprehendens verbis: *Stulti & cæci: quid enim maius est: aurum an templum, quod sanctificat aurum?* & postea. *Quid enim maius: donum, an altare, quod sanctificat donum?* Audi desuper Hieronymum, qui clariùs explicat Pharisæorum nequitiam, & mētem verborum Christi. Sic enim ait: *Si quis in contentione seu in aliquo iurgio, vel in causa ambiguo iurasset in templo, & postea cōvictus esset mendacij, non tenebatur criminis reus. Sin autem iurasset in auro & pecuniâ, quæ in templo sacerdotibus offerebatur, statim id, in quo iuraverat, cogebatur exsolvere. Rursum: si quis iurasset in altari, periurij reum nemo tenebat. Si autem periurasset in dono, vel in oblationibus, hoc est, in hostijs, in victimis, & in similâ, & cæteris quæ offeruntur Deo super altare: hæc studiosissimè repetebantur. Arguit ergò eos Dominus, & stultitiæ & fraudulentiæ: quòd multo maius sit templum, quàm aurum, quod sanctificatur à templo: & altare quàm hostia, quæ sanctificatur ab altari.* Vnde addit Deus illa verba: *Qui ergò iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus quæ super illud sunt. Et qui iurat in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipso. Et qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum.* Subiungit verò Hieronymus: *Totum autem faciebant,* supple Pharisæi, *non ob Dei timorem, sed ob divitiarum cupiditatem.*

Deuter. 6.
Matt. 23.
Matt. 23.

Tertius verò eorum error erat, quòd existimarent, non requiri necessitatem ad licitè iurandum. Vnde facilè etiam in rebus parvi momenti, & sine vllâ necessitate Deum in testem vocabant Iudæi, quod erat contra reverentiam Deo debitam, quia nemo nostrum auderet principem aut regem sine necessitate in testem adducere.

Igitur Christus dominus docet in primis, iuramentum esse verè obligans secundum quamcumque etiam iurandi formam aut cæremoniam in veteri aut novo testamento vsurpatam id fieri possit. Pro quo nota in veteri reperiri has formas videlicet Genes. 31. vers. 42. *Iuravit Iacob per timorem patris sui Isaac* Et Genes. 42. vers. 15. *Per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus.* Et Deut. 4. v. 26. *invoco hodie cælum & terram, citò perituros vos de terrâ.* Et, 1. Reg. 19. v. 6. *Quod cum audisset Saül, iuravit: Vivit Dominus, quia non occidetur.* Et 1. Reg. 25. v. 34. *Vivit Dominus Deus Israel.* Et 28. v. 10. *Iuravit ei Saül in Domino dicens, vivit Dominus, quia non eveniet tibi quidquam mali propter hanc rem.* Et 2. Reg. 3. v. 35. *Iuravit David dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si ante occasum Solis gustavero panem.* Et 19. v. 7. *Iuro tibi per Dominum, quòd si non exieris, ne vnus quidem remansurus sit tecum.* Et Ierem. 4. v. 2. *Et iurabis: vivit Dominus in veritate, & in iudicio, & in iustitiâ.* In novo Testamento leguntur hæ ab Apostolo Paulo formæ vsurpatæ, Rom. 1. v. 9. *Testis est mihi Deus.* Et 2. Corinth. 1. v. 23. *Testem invoco Deum in animam meam.* Et ad Philipp. 1. v. 8. *Testis mihi est Deus, quomodo*

Genes. 31.
Genes. 42.
Deuter. 4.
1. Reg. 19.
1. Reg. 25.
Et 28.
2. Reg. 3.
Et 19.
Rom. 1.
2. Cor. 1.
Philipp. 1.

quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi. Et 1. ad Timoth. 5. v. 21. *Testor coram Deo & Christo Iesu.* Hoc tempore iuramenta fiunt, vel ad contactum crucis, vel Euangeliorum, vel etiam solemniùs erectâ manu, aut aliquot digitis, dicendo: *Sic me Deus adiuvet, & omnes Sancti.* Quæ cæremonia levandi manum sumpta est ab exemplo Abrahami, Genes. 14. vbi dicit: *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum.* id est, iuro, levando manum meam in cœlum, quasi ad Deum, quem testem invoco. Et hanc approbant Novantes; verùm quòd in formâ additur *& omnes Sancti*, hoc suo more, rident: sed quàm ineptè, ipsa Scriptura ostendit: si enim religiosum iuramentum est, quod fit per cœlum & terram: quia illud thronus est Dei, hæc scabellum pedum eius; quanto magis per Petrum & Paulum, perque cœteros Sanctos, & beatos viros, qui templum Dei sunt, religiosum est? Non enim illis religionis honorem impertimur, quòd Deus sint, sed quòd aliquid Dei: sicut intelligendum est Christum ideò dixisse per creaturas prędictas iuramentum verum esse, quòd aliquid sint Dei. Si verò hæc non admittant, condemnent Christum, & multo magis Iosephum, qui Genes. 42. iuravit per salutem Pharaonis hominis Ethnici; quin etiam Sapientem Eccles. 23. qui de iuramento temerario loquens Sanctorum facit mentionem, in verbis: *Nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis.*

1. Tim. 5.

Genes. 14.

Genes. 42.

Eccles. 23.

Fuit alius tempore Abrahæ mos iurandi, ponendo manum subter femur eius & posterorum. Quem modum exegit ipse à famulo Eliezer iurante, Genes. 24. dicens: *Pone manum tuam subter femur meũ, vt adiurem te* (id est, vt iurare te faciam) *per Dominum Deum cæli, & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum.* id est, Pone sub femore meo manum tuam; ac hoc ritu, & cæremonia iura mihi, quòd filio meo non accipies vxorem Chananæam.

Genes. 24.

Duplex verò fuit causa, cur Abraham peteret à iurante, vt poneret manum suam subter femur eius. Vna naturalis, quia femur propter partes genitales est causa generationis & vitæ. Itaque qui iurabant tangendo femur, testabantur Deum auctorem vitæ ac generationis, quasi dicerent: Si verè & sincerè iuro, Deus det mihi longam vitam; sin secus, peream. Altera mystica, quia Abraham per hanc cęremoniam significabat ex suo femore nasciturum Messiam, à Deo sibi promissum. Propterea ille modus post Christum natum exolevit.

Vt vt est, Christus expressissimè docuit, iurare per creaturas relationem habentes ad Deum esse iuramentum verè obligans, sub quâcumque formâ fiat, seu cæremoniâ vt dixi. Quod adeò verùm est, vt iurantes per falsos Deos, quos veros existimant, obligentur; vnde stultum est, quòd Iudæi iurantes per *Iod, He, Vau, Iod*, quatuor litteras nominis tetragrammati, in hoc scrupulosi quod nomen Dei sit ineffabile, sibi persuadeant iuramentum non obligare, nisi iurent manu superpositâ libro legis Mosaicæ. Nam hoc parum confert, cùm quævis cæremoniæ tantùm faciant ad solemnitatem.

8. Deinde docuit Christus non temerè, seu absque necessitate esse iurandum, sed simpliciter loquendum, *Est, est, non, non*, quando necessitas non cogit, vt expresè colligitur ex verbis, Matth. 5. *Reddes autem Domino iuramenta tua.* Si enim reddenda sunt iuramenta sequitur aliquo casu esse licita. Adeoque novum non erat, quod Christus ibidem inhibet, vt patet Eccles. 23. vbi Sapiens de iudicio temerario propter periculũ, quod in illo est, dicit: *Iurationi non assuescas os tuum, multi enim casus in illa.* quod idem est, ac si dicat: *Abstine* à praua consuetudine iurandi, quoniam per iurationem frequentatam multis modis cadere & peccare contingit: vel enim sæpè iurans

Matth. 5.

Eccles. 23.

iurans peierat frequenter, aut eius periculo se exponit. Hinc August. lib. de Mendac. cap. 15. circa med. sic ait: *Apostolus in epistolis suis iurans, ostendit, quomodo accipiendum esset, quod dictum est: Dico vobis non iurare omnino: ne scilicet iurando, ad facilitatem iurandi perveniatur; & ex facilitate iurandi ad consuetudinem; & à consuetudine in periurium decidatur. Et ideo non invenitur iuraße, nisi scribens, vbi consideratio cautior non habet linguam præcipitem*. Vel sine causa iusta iurat, quod sine aliquo peccato fieri non potest. Et hoc est, quod in secundo præcepto Deus etiam cavit, tum Exod. 22. *Non assumes nomen Domini Dei in vanum.* tum Deuter. 5. v. 10. *Non vsurpabis nomen Domini Dei frustrà*. Illæ enim duæ particulæ, *in vanum*, & *frustrà*, idem valent, ac si dicas, *temere*, & *sine necessitate.* Ratio autem quare Christus hoc de nouo inhibuit, est, quia iuramentum non est de genere eorum, quæ per se bona sunt & frequentanda, vt ieiunium, oratio, eleemosyna; sed quæ solùm bona censentur positâ necessitate, vt antidota, & medicamenta; & sicut occidere hominem, & capere bona aliorum. Hinc rectè dicit Innocentius cap. 3. de iureiurando non omnia prohiberi, quòd per se mala sint, sed etiam quia aliquorum vsus præbet fomentum ad malum. *Quædam enim*, inquit, *prohibentur, quia per se mala sunt, vt furtum, adulterium, & homicidium, quæ non sunt aliquatenus facienda. Quædam vero prohibentur ex causa, non quod mala sunt; sed quia si fiant frequenter & multum, ex his mala sequuntur, vt vinum per se malum non est. Et tantum prohibet Apostolus dicens: Nolite inebriari vino, in quo luxuria est, quoniam ex frequenti, & immoderata potatione vini, luxuria generatur. Sic & iuramentum per se quidem malum non est, cùm sit confirmatio veritatis: scilicet tantum prohibet ex causa, quoniam ex frequenti, & incanta iuratione periurium sæpè contingit, sicut in Ecclesiastico loquitur: Vir multum iurãs replebitur iniquitate, & non discedet à domo eius plaga. Quemadmodum ergo Paulus indulsit propter necessitatem discipulo suo Timotheo, vt vtatur modico vino propter stomachum, & frequentes infirmitates: sic profectò, cum necessitas exigit, pro re vera, licita & honesta, potest securè iurari, quia cessante causa, cessat affectus.*

August. | Exod. 22. | Deuter. 5. | Ephes. 5. | Eccles. 23.

Vnde Christus adiunxit, *Quod amplius est, à malo est*, id est morem iurandi extra necessitatem, vbi simplex affirmatio, vel negatio sufficeret, à Diabolo, non à Deo introductum esse: id est, vel ob incredulitatem audientium, vel ob defectum veritatis humanæ in natura corrupta. Et hac de causa Chrysostomus hom. 9. in Acta, omnino invehitur in eos, qui temerè, & ob rem nullius momenti iuramento nomen Dei vsurpant, sic aiens: *Quid dicam de iuramentis illis relictis forensibus? Illic enim nihil tale potes dicere, nam pro decem obolis iuramenta fiunt, & periuria. Quia enim fulmen supernè non descendit, & non omnia subvertuntur, stas obstringens Deum. Quamobrem? vt olera accipias, vt calceos pro paruo argento, in testimonium illum vocas? Nunquid quoniam non punimur, putamus nos neque peccare? Hoc diuinæ misericordiæ est, non nostræ virtutis. Iura per tuum puerum, iura per teipsum: dic, Sic ne lictor assistat lateribus meis? Sed times. Lateribus igitur vilior est Deus? capite tuo contemptior? dic, Sic ne excæcer? At Christus nobis quidem parcit, vt prohibeat etiam per proprium caput iurare. Nos autem sic despicimus gloriam Dei, vt vbique ille trahatur. Nescitis, quid sit Deus, & quali ore invocari debeat. Porrò quoties de viro aliquo virtutibus prædito loquimur, dicimus: Laua os tuum, & sic memor sis: nunc verò honorabile nomen, quod est nomen super omne nomen, quod admirabile in omni terra, quod dæmones audientes contremiscunt, simpliciter distrahimus; ô consuetudinem quæ fecit id contemptissimum! Denique si imposueris alicui necessitatem iurandi in domo sancta, quàm horrendum iuramentum, si sic afficeris, iniungis. Nunquid quod illo simpliciter abutimur, hoc autem minimè? Nonne horrere oportebat, cum nominatur Deus? At inter Iudæos quidem hoc nomen tam reuerendum erat, vt in tiaræ lamina scriberetur, & nulli eas diuini nominis litteras licebat gestare, quam soli summo Sacerdoti: nunc autem*

Chrysost.

temerè ita portamus nomen illius. Si simpliciter nominare Deum non omnibus fas erat, hoc certè quod in testimonium vocatur, quantæ audaciæ? Dic, oro, quantæ insaniæ?

5. Porrò rectè quæres, quænam sit necessitas iuramentum faciens licitum?

Respondeo, id partim eruendum esse ex exemplis Dei & Sanctorum. Deus enim propter duas causas iuravit. Prima fuit, vt per iuramentum intelligeremus promissionem ipsius esse ex decreto absoluto, & non dependentem à conditione aliqua ex parte nostra. Vnde Isidorus de summo bono lib. 2. cap. 31. *Iurare* Dei, inquit, *est illa providentia, quâ statuit non convellere statuta.* Et infrà. *Iuravit Dominus, & non pænitebit eum, id est, quæ iuravit, non mutabit.* Altera causa est, ad augẽdam nostram fidem & spem: Quod insinuat D. Basilius homil. de pœnit. quæ est 29. vbi inculcans post baptismum locum esse pœnitentiæ, rem vrget hoc modo: *Non es persuasus per exemplum, vel iuramento affirmanti Deo crede.* Dicit enim Deus. *Vivo ego dicit* Dominus. *Hoc iusiurandum Deo competit. Quoniam enim maiorem se non habet; iurat autem propter incredulitatem eorum, qui pœnitentiam tollunt, vivo ego dicit Dominus, & nemo absterretur, quoniam nolo mortem peccatoris, sed vt convertatur & vivat. Qui vivit, vivere vult peccatorem.* Sic Angelus iuravit, quia dicturus erat id, quod futuris hominibus vanum videri poterat, nempe consummationem sęculi, quam dicebat futuram *in diebus vocis septimi Angeli,* seu mundum destruendum, & iudicium futurum, ac retributionem bonorum aut malorum, cum septimus Angelus tubâ cecinerit. Hoc enim exprimunt illa verba: *Consummabitur mysterium* Dei, *sicut evãgelizavit per servos suos Prophetas,* id est, omnia quæ Deus per Prophetas suos prędixerat de fine sæculi, de futurâ requie Sanctorum, de suppliciis malorum, & quæ de his rebus figuris & obscuritate verborum contexerat, consummabuntur, & aperta atque revelata videbuntur. Sic iuravit Abraham Genes. 14. quod nihil acciperet ex bonis Sodomorum. Primò, vt omnes viderent; cum non propter lucrum pugnasse, sed ex charitate ad liberandos captivos. quàm paucos hodie sic bellantes invenies! Secundò, quia illa bona pauperibus erepta erant. Maluit ergo ea ipsis restitui, quam illis ditari. Tertiò, quia noluit esse obnoxius Regi ea offerenti. Quartò, vt gloriam victoriæ non sibi, sed Deo attribueret. Quintò, vt insignem animum terrena omnia vilipendentem, impiis ostenderet, seque maius quiddam habere quàm opes, in quibus infideles omnem spem collocant, quasi dicat: habeo Deum, qui plus potest, quam omnia mundi bona. Breviter tunc necessitas intelligitur, quando agitur de gloriâ Dei, aut salute & vtilitate proximorum. quod Ethnici naturali lumine etiam animadverterunt, vt patet ex Isocrate, qui docuit non esse dandum iusiurandum, nisi necessitas cogat, vel nostra, vel amicorum salus in discrimen vocetur.

Isidorus. *Basilius.* *Apoc. 10.* *Genes. 14.*

Discursus

Discursus III.

In secundum Præceptum.

Quale esse debeat iuramentum, vt sit licitum?

Anastas. Nastasius Nicenus quęst. 73. in Scripturam ait: *Sit nomen Domini Dei tibi venerandum in veritate solùm appellatum, & in necessitate, & rebus magnis.* Hinc quæram quod in argumento ponitur.

1. Paucis verbis hoc expedivit Hieremias cap. 4. cum docuit Iudæos colere Deum, iurando per ipsum his verbis: *Iurabis vivit Dominus in veritate, & in iudicio, & in iustitiâ, & benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt.* id est: Nihil præ te feras, quod Gentilitiam insaniam, & studium oleat; per me iurabis, non per fallaces Deos; ita tamen vt vera sint, quæ iuramento confirmas, vt attentè id facias, circumspectè, ac reverenter: vt nihil denique iuramento promittas turpe, vel iniustum. Tunc verò Deus sic ornabit te luculenter, vt etiam Gentes, quæ externis adhæsere sacris, laudent Deum, quando tam fidelem experiuntur in promissis, & tam in largiendo liberalem. Ita vt teste S. Hieronymo hoc loco, iuramentum, vt sit licitum debeat tres habere comites. Primò, veritatem, ne sit mendax, id est, ne iures falsum, dubium, incertum, aut fictè, dolosè, amphibologicè. Secundò, iudicium, ne sit incautum, vt scilicet fiat ex necessariâ causâ, discretè, præmeditatè, proinde reverenter. Vnde Philo lib. de Dialogo post medium: *Iuraturus, ait, se consideret, quam purus sit animâ, corpore, linguâ, illa ab iniquitatibus, hoc à piaculis, hæc à maledicentiâ: nefas est enim per os, quo profertur nomen illud sanctissimum, quidquã turpe progredi. Deinde vt fiat non loco profano & impuro, sed loco & tempore congruo. Qui hæc contemnit, sciat se scelestum, impurum, & diris vltricibus puniendum*, ita Philo. Tertiò, iustitiam, ne sit iniquum, ne cui iniustè noceamus, aut nocere iuremus: alioquin, si quid horum trium desit, non est iuramentum, sed periurium, idest, iniquum & impium iuramentum, ait S. Hieronymus. & habetur 22. q. 2. cap. *Advertendum.*

Ierem. 4. / Hieron. / Ibid. (margin notes)

2. Quod hi Auctores aiunt, hoc præcisiùs exponendum est. Itaque dico primum comitem, nempe veritatem esse necessariam ad honestatem iuramenti, vti de fide certum est, & lumine naturali notum. Primò, quia inter moralia, & naturalia præcepta à Deo constituitur hoc secundo Præcepto. Secundò, quia est actus religionis, quo Deus in testem adducitur, tanquam prima & infallibilis veritas. Tertiò, quia finis iuramenti est conformatio veritatis, vt patet ex Paulo ad Hebr. 6. vbi eâ de causâ insinuat controversias finiri.

His positis dico rem falsam asserentem ob quemcumq; finem quantumvis sanctum ac necessarium, ac quęcumque timorem incurrere indignationem Dei, seu peccare mortaliter. Ratio est, quia prima & infallibilis veritas adducitur in testem falsi, quod graue piaculũ est. Quod Deus idcircò iure positiuo rursum inhibuit, Levit. 19. dicens: *Non periurabis in nomine meo, & non pollues nomen Dei tui, ego Dominus.* Deinde per grauem pœnam, quam infliget peierantibus, hoc testatum voluit; de quâ locus est insignius apud Zachariam cap. 5. vbi Propheta vidit volumen volans longitudinis viginti cubitorum; & latitudinis decem: & edoctus est ab Angelo, in eo libro contineri maledictionem, seu divinæ severitatis supplicia, & fulmina, quæ in vniversam

Leuit. 19. / Zachar. 4. (margin notes)

terram inuehuntur, in eos præsertim, qui aut furaces habent manus, aut linguam periuram, in verbis: *Hac est maledictio, qua egreditur super faciem omnis terra, quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur. Educam illud dicit Dominus exercituum: & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter. & commorabitur in medio domus eius, & consumet eam, & ligna eius, & lapides eius.*

3. Quibus duobus locis sæverissimè prohibetur qualecumque periurium, sive sit de re omnino falsa, sive de re dubia, quam quis iurat vt certam, sive certam iurans vt dubiam, sive quòd falsum putat, & in se tamen verum sit, licet iurans nesciat. Talis enim vel absolutè peierat, vel exponit se periculo periurij, quod est eiusdem speciei cum malitia eventus, sicut fornicari, & exponere se morali periculo peccandi.

His iungendi sunt, qui ex consuetudine advertenter iurant promiscuè verum vel falsum, atque ita magis peccata aggravant, quamdiu talis consuetudo est voluntaria. Et si contingat periurium inferre præiudicium proximo, vt ferè contingit, quando apud iudicem lis est de bonis temporalibus, mercatura, fide chirographorum, & inter ementes cęsum super domos, aut hæreditate, an prius tanquam hypotheca alteri non obligentur, contrarium iurantes peccant contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem, quia in illis intervenit mendacium, & dolus, Quos Propheta Dauid Psal. 14. à contrario sensu declarat excludendos à regno Dei; sic enim rogaverat: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* & inter alios, annumerat illum, *qui iurat proximo suo & non decipit*. Ergo &c. Nec mirum est, tales excludi, quia fures sunt & periuri. Vnde videtur Dominus Zacharię 5. cap. illos duos coniungere, cùm dicit furem, & periurum iudicandum, & temporali gravique pœnâ plectendum. Et nota singula: Dicit librum longitudinis, & latitudinis prædictæ, quia furta, & periuria, & frequentia contingebant, tum etiam varijs modis. Secundò nota fuisse volans, vt significet celerem peccatoribus imminere vindictam, quæ illo libro conscripta est.

Psalm. 14.

Zachar. 5.

Audi, si placet S. Chrysostomum homil. 27. ad populum, vbi increpans iurantes & peierantes, *Falx*, inquit, *volans velocissimum vltionis incursum significat iuramentum sequentem; multorum verò cubitorum longitudo & latitudo vehementiam indicat, & magnitudinem malorum. At, ex cælo volare, significat è superno tribunali iudicium ferri. Falcata verò forma, inevitabilem supplicij sortem: Sicut enim quocumque falx incurrerit, non solùm secum arripit, verum & caput amputat, ita & pæna iurantibus ingruens est difficillima, nec priùs absistit, quam quod suum est, perfecerit*. Huc vsque Chrysost. Atque ad huius sententiæ intelligentiam notandum, ipsum secutum esse versionem Septuaginta, Arabicum Alexandrinum, & alios, qui pro *volumen volans* legunt *falcem volantem*. Et fortè eo allusit S. Ioannes Apocal. 14. vers. 14. vbi vidit in manu Christi falcem acutam, quâ scilicet demetat, & succidat peccatores. Falx enim symbolum est punitionis, stragis, & excidij.

Chrysost.

Apoc. 14.

Quidam auctor illud *volumen volans* interpretatur dici, eò quòd supplicium semper immineat capiti scleratorum, semperque in aëre pendeat, Dei tantùm præstolans annutum, vt sibi peccatores timeant, & caveant flagellum acerrimi vindicis; sicut Ieremias cap. 1. vers. 11. vidit virgam vigilantem seu baculum populo imminentem, quo Deus eum erat percussurus per Chaldæos: adeò vt vindicta Dei volet, & involet in peccatores; perinde ac aquilæ, milui, accipitres, volant per aërem quęrentes prędam, eaque visâ, rapacissimè, & rapidissimè in illam involant: perinde ac scintillæ ignis volant in horrea plena stipulis, & sagittæ cœlestes in turres, domos & arbores, easque subitò afflant, & incinerant. Quæ omnia

Ierem. 1.

omnia satis declarant verba vers. 4. *Educam illud dicit Dominus exercituum: & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter: & commorabitur in medio domus eius, & cōsumet eam, & ligna eius, & lapides eius:* His enim declarat non citò egressuram maledictionem ab eâ domo, quam furta, & periuria contaminaverunt, sed diu bacchaturam, vt nihil in ea reliquum faciat à vastitate, non ligna, non lapides, neque prioris status nuda vestigia.

Et sanè ne quis putaret Deum hæc humana non curare, vt solent, qui periurijs se libenter contaminant, ait alio loco, nempe Malach. 3. cap. in illos invectus, ipsisque prædicens velocem interitum: *Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, viduas, & pupillos, & opprimūt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.* quasi dicat, non diu differet Dominus iudicium, quod in ipso impius hominum stupor requirebat. Quare velocem ait se futurum esse testem eorum, quæ illi divinæ intelligentiæ putabant occulta, neque de illis curare Deum. Dicit verò Deus se futurum esse testem brevi. Non quòd antea non fuerit; nullum est enim temporis momentum, in quo divinos oculos aliquid lateat, quantocumq; hominum artificio celatum: sed iuxta Scripturę consuetudinem, in quâ aliquid tunc fieri dicitur, cùm cognoscitur. Quo sensu dixit Deus ad Abraham Gen. 22. *Nunc cognovi quod timeas Deum*. Nunquam Deus illud ignorat; sed quia timoris, & observantiæ illustre tunc signum apparuit, tum dicit se cognovisse. Cùm ergò tunc homines ex re iudicatâ atque damnatâ cognituri sint nihil occultum esse Deo, futurum dicit se testem; cum numquam non fuerit.

Malac. 3.

Genes. 22.

Vbi nota, Deum se dicere velocem testem, vt significet divinę vindictæ improvisam celeritatem, & inexpectatam plagam, quam subitò impijs irrogabit. Vnde eâdem Deut. 32. comparat fulguri, dicens: *Si acuero vt fulgura gladium meum.* Dei enim vltio fulminea est celeritate tum coruscandi, tum percutiendi, tum perterrefaciendi: sed impij, cùm differtur Dei supplicium, improvida securitate consopiti altum stertunt, dicuntque illud Isaiæ 28. cap. v. 15. *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: flagellum mundans cùm pertransierit, non veniet super nos.* Vt enim illi non timebant Prophetarum minas, & illudentes dicebant, Securi sumus de Assyrijs & Chaldæis, non timemus eorum vastationem nec mortem & infernum, seu locum & statum mortuorum, quæ nobis minantur Prophetæ: Sic hi solent dicere, Diabolus non est tam ater ac pingitur. Dicunt Concionatores nobis multa visu horrenda esse in inferno, nos ea scimus, nec horremus. Verùm ne decipiaris, attende ad verba Christi dicentis, Matth. 22. de non induto vestibus nuptialibus: *Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.*

Deut. 32.

Matt. 22.

4. Cæterum nota non excusare à mortali, licet iuramento leve quid falsum asseras. Ratio est, quia respectu iuramenti assertorij mendacium omne est materia gravis, neque enim suam gravitatem desumit ex detrimento alterius, vel vtilitate, sed præcisè ex eo quòd adducitur Deus in testem falsitatis: ad id autem nihil refert, si materia sit perniciosa, vel officiosa. Confirmatur, quia sicut in Deo levissimum mendacium poneret maximam imperfectionem, ita afferre illum in testem mendacij, etiam minimi, infert maximam iniuriam; vtrumque enim ex se privat Deum suâ infallibili veritate.

5. Sed quæres, an æquale peccatum sit in iuramento cui deest iudicium, id est, in quo iuratur verum, sed sine iudicio discretionis, seu absque necessitate aut vtilitate?

Respondeo, si illud tantùm desit, per se venialiter dumtaxat peccari, modo contemptus absit; quod addo; quia contemptus, vt in-

Bernard. quit Bernard. de Præcept. & dispens. *in omni specie mandatorum pari pondere gravis, & communiter damnabilis est*. Et rursum, *convertit in crimen gravis rebellionis culpam levis transgressionis*. Intellige, quando quis transgreditur legem ex contemptu rei præceptæ, quia existimat quę pręcipiuntur esse inutilia aut infima bona. Sic peccat gravissimè contemnens idcirco consilia Evangelica, quia involvit vel supponit errorem in doctrinâ. Similiter graviter peccat, qui contemnit iuramentum sine iudicio discretionis: quia existimat peccatum veniale non esse dignum pœnâ apud Deũ. Rursum simile est, quando quis transgreditur legem præcipientem cavere ab assumptione nominis Dei in vanum ex contemptu Dei Legislatoris. Cui congruit illud Augustini (August.) in cap. *Vnum orarium*. §. *Nunc autem*. distinct. 15. *Nullum peccatum est adeò veniale, quod non fiat criminale, dum placet*, vtique ex contemptu Dei.

Dico secũdò, in hoc peccari mortaliter, quando modus iurandi est temerarius vel incautus. Et ratio est, quia tunc non adest sola malitia defectus iudicij, sed etiam admiscetur defectus veritatis, propter periculum morale, quod perinde est ad malitiam, atque si esset absque veritate. Omitto quòd huiusmodi consuetudo disponat ad contemptum & illum paulatim generet; iuxta illud Prouerb. 18. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit*.

6. Restat de tertio comite, nempè iustitiâ, aliquid dicere: quæ consistit in eo, vt actus iurandi sit de re iustâ aut honestâ; & quantum ad illum attinet, Dico primò, licere quidem ad servandam iustitiam de alterius crimine, coram iudice legitimè id postulante, veritatem sub iuramento testari. Secũdò, peccatum esse veniale, rem indecentem iuramento asserere, videlicet se homicidium, aut fornicationem commisisse; intellige ratione iuramenti præcisè, vt indicet suam dexteritatem, ingenium, vires, &c. Nam si id affirmet quis, vt iactitet se de opere mortifero, mortaliter peccat ratione approbationis talis operis & delectationis de peccatis præteritis, & consequenter etiam, quia adducit Deum in testem turpis assertionis.

Dico tertiò, peccatum esse mortale, si adsit circumstantia mutans speciem, vt iurans se commisisse adulterium cum tali muliere honestâ: sic enim infamat proximum, sic enim iuramentum assumitur, vt instrumentum peccandi in proximum contra iustitiam, quia narratur veritate occultâ; &, vt credibilior fiat infamia, iuramentum adiungitur. Similiter, idem dico esse, si cum scandalo alterius tale peccatum confirmetur. Dixit enim Christus Matth. (Matt. 18.) 18. *Væ homini, per quem venit scandalum, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum mare*. De quo latius alibi.

Discursus

Discursus IV.

An iuramentum promissorium sit licitum?

D.Thom. D. Thomas, 2.2.q.89. art. 1. duplex describit iuramẽtum, assertorium nempe, & promissorium, his verbis: *Divinum testimonium quãdoque inducitur ad asserendum præsentia, & hoc dicitur iuramentum assertorium: quandoque autem inducitur divinum iuramentum ad confirmandum aliquid futurum, & hoc dicitur iuramentum promissorium.* De assertorio satis dixi; restat de promissorio inquirere an licitum.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam dico resolutè, iuramentum promissorium licitum esse, quandocumque fit cum conditionibus ad id requisitis, iuxta illud Hieremiæ 4. cap. *Et* Hierem.4. *iurabis: Vivit Dominus in veritate, & in* Psalm.62. *iudicio, & in iustitiâ.* & Psalm.62. *Laudabuntur omnes, qui iurant in eo.* Confirmatur exemplo Dei, qui Genes. 15. Genes.15. promissionem Abrahæ factam de terrâ promissâ confirmavit iuramento, quod simul execrationem continebat, videlicet vaccam triennem, capram trimam, & arietem annorum trium sumi mandando, eaque dividi per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecùs poni, & transeundo inter divisiones illas, in verbis: *Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorũ trium, turturem quoque & columbam. Qui tollẽs vniversa hæc, divisit ea per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit.* Et postea: *Cum ergò occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter divisiones illas. In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham.* Quod significabat Deum transire per media animalia, & sic fœdus ferire cum Abraham ad securitatem posterorum, quòd eis daturus esset terram Chanaan. Nam lãpadis vel faculę transitu per media animalia firmabat Deus per Angelum suum fœdus, imprecans sibi similem necem, & divisionem, si fœdus violaret. Deinde Genes.22. medio iuramento promisit Abrahæ benedictionem, aliaque bona veteri testamento propria propter fidem & obedientiam in præceptâ immolatione filij sui Deo exhibitam, his verbis: *Per memetipsum iuravi, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum; & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Quam benedictionem Abraham in suâ posteritate patienter exspectavit. Quo exemplo D. Paulus Hebræos avertens à lapsu & apostasiâ, & ad constantiam, spem, patientiam, longanimitatem animans, corroborat, vt patienter expectent bona à Deo promissa, & respicientes in eadem promissa Dei tam magna & certa, in persecutionibus & tribulationibus animo non frangantur: sed tantorum bonorum spe excitati labores quosvis & pericula pro Deo & pietate fortiter subeant, rapinas, exilia, tormenta, mortemque ipsam generosè sustineant. Genes.22.

Confirmatur secundò exemplo Sanctorum; nam Abraham Genes. 21. legitur iurasse Abimelech, ne Genes.21. ipsi noceret. Et Iacob Genes.31. fœdus iniens cum Laban iuravit illi per Genes.31. timorem patris sui Isaac, id est, non sicut Laban per Deum verum, Deosque falsos, quia nempè cum Deo vero idolâ colebat patris sui in Achor: sed per Deum verum, quem timuit & coluit Isaac & Abraham (hoc modo reijciens & contemnens modum iurandi, quem vsurpabat Laban) quòd intra limites & terminos vtrimque constitutos se contineret. Et Moyses cum Raguel, so-

cero item suo, *iuravit quòd habitaret cum eo*, Exodi 2. Quo loco Scriptura brevitati studens multa intelligenda relinquit, nempè filias Sacerdotis Madian, quas iuverat adaquare oves suas, cùm pastores illud impedirent, iterum ad fontes reversas. Et inde Moysen patris verbis persuasum (quia intellexerat ipso mediante velocius solito rediisse) domum deduxisse, amanter ab eo salutatum esse, exploratâque eius indole post multa vltro citroque verba tandem ad pactum habitandi cum eo descendisse, illudque iuramento firmasse; ac denique eius filiam Zephoram in vxorem duxisse. Iosue & Principes similiter intermedio iureiurando pacti sunt cum Gabaonitis, cap. 9. Sedecias verò Rex cum Nabuchodonosore Rege Babylonis, vt patet 4. Reg. 25.

Iosue 9.

4. Reg. 25.

Confirmatur tertiò exemplo omnium Gentium; nam inprimis, Iudæis, Exod. 24. sese obligantibus ad legem Dei servandam Moyses sanxit fœdus inter Deum & populum asperso sanguine victimarum in populum more execratorio; idque hoc modo. Sacerdotes offerebant in holocausta vitulos duodecim, Moyses inde tulit dimidiam partem sanguinis & misit in crateras, partem autem residuam fudit super altare; priori parte aspersus est populus, alterâ parte tinctum est altare sacrificiorum vice Dei, quòd Deus sit incorporeus, & consequenter sanguine aspergi non possit. Diuisio verò facta fuit, vt significaretur eum, qui pactum violarat, simili modo sanguine suo violatam fœderis fidem luiturum. Hunc morem inceptum Genes. 15. posterioribus sæculis servatum fuisse ex cap. 34. Hieremiæ palam est, vbi simili modo, quemadmodum Genes. 15. fecerat Deus, iuramento promiserunt Iudæi dimittere servos, & ancillas liberas anno septimo, iuxta legem Exod. 21. Hunc morem Gentibus etiam familiarem fuisse scribit Cyrill. Alex. lib. 10. in Iulianum circa finem. Vbi defendens factum Abrahæ à calumniâ Iuliani, qui dicebat eum in sacrificio vsum vaticinandi arte, & observatione cursus astrorum: quia Deus illum educens Genes. 15. dixit, respiceret cœlum, & numeraret stellas, sic fore semen suum; & quia postmodum dictum illi fuit, vt acciperet vitulum triennem &c. Hinc inquam finxit Iulianus eo loci cum sacrificiis vaticinium perfici, & ab avium advolatu promissionem confirmari. Vnde Cyrillus eum à calumniâ defendens, & iuramentum id esse asserens, de hoc more sic ait: *Sed erat mos apud Chaldaeos iuramenta stabilire, transeundo per medias divisiones, & lex regionis eius rem confirmabat. Hoc facere præcipit dicens: Accipe mihi vitulum triennem, & capram trimam, & arietem trimum, id quod & bene intelligens divinus Abraham, quamvis Deus solus imperasset, debet accipere: ipse tamen & catera addidit, & iuxta legem iuramenti occisa in duo divisit, ordine collocans, eò quòd statim per medium transiturus esset Deus.* Deinde similem ferè alium ritum vsitatum apud Barbaros, subiungit: *Videris enim quis apud posteriores talia quadam iuramenta apud Barbaros facta, & apud quosdam antiquiores. Vnde Sophocles in Antigone introducit quemdam nuncium, cui etiam praceptum erat Polynicis corpus servare,*

Exod 24.

Genes. 15.

Exod 21.

Cyrill. Alex.

Thebanorum duci dicentem: Creon hic erat:

Eramus autem parati, & ferrum tollere manibus,

Et ignem dividere, & Deos adiurare.

Nam euntes per medium ignem, & ferrum ferentes manibus, faciebant iuramenta. Hinc etiam videmus sub aliquâ saltem formâ, licet non execratoriâ, ad omnium ferè hominum, officiorum, contractuumque genera promissorium iuramentum se diffundere. Iurant sacratissimi Imperatores, dum coronantur, de Imperio iustè rectèque administrando, c. *Tibi Domino*, dist. 83. Iurant in simili causâ potentissimi Reges, c. *Intellecto*, de iureiurando. Iurant vasalli suis Dominis fidelitatem, c. *De formâ*, 22. q. 5. Iurant publici Notarii ex iustitiâ & veritate se acturos, c. *Ad audientiam*,

tiam, de præscriptionibus. Iurant Emphyteutæ in recognitione possessionis, Hostiensis in cap. *veritatis*, de iureiurando, per c. *Longinquitate*, 12. q. 2. Iurant obsides de observanda conventione, c. *Ex rescripto*, de iureiurando. Iurant fideiussores de indemnitate creditorum, ibid. Denique in similibus occasionibus iurant Pontifices, Cardinales, Episcopi, Abbates, Canonici. Et nullum ferè publicum officium, aut beneficium suscipitur, nullus contractus celebratur, nulla pactio inter Principes initur, vbi promissorium iuramentũ non intervenit. Ita vt illo interveniente, Pontifex, Imperator, Rex securus sit de fidelitate subditorum, de fide militum, mercator de sociorum compromissione, subditi de superiorum religioso regimine.

2. Quæres, an iuramentum promissorium sit seruandum necessariò. Respondeo, distinguendum esse; vel enim est iuramentum, de re præsenti, aut futura licita, absolutè; vel est iuramentum habens tacitam aliquam cõditionem; vel rursum est de re illicita. His positis, Dico primò, si sit de re licita præsenti vel futura gravi absolutè, sub peccato mortali servandum esse, iuxta illud Matt. 5. *Reddes autem Domino iuramẽta tua.* Pacta enim talia servari debere, liquet exẽplo Iosue, qui fœdus cum Gabaonitis initum illo respectu noluit violare, (etiamsi iustè potuisset ob dolum per se loquendo ab eo resilire) vt patet ex verbis Principum: *Iuravimus illis in nomine Domini Dei Israël, & idcirco non possumus eos contingere.* id est, quamuis subdolè nobiscum egerint, tamen ob reverentiam divini nominis, nolumus pactum violare. Sic David 2. Reg. 3. servavit iuramentum suum, quo sibi malum imprecatus fuerat, si in funere Abneris occisi à Ioab ante occasum solis gustaret panem, vel aliud quidpiam: quia necessarium erat, vt ostenderet Abneris sibi cœdem maximo fuisse dolori, & omnium hominum ocurreret suspicioni se immunem esse ab illa cœde. Hinc enim talia exhibuit illius funeri pietatis officia, qualia exhibuisset patris aut fratris inferijs. Et cùm alij aut meridie aut modicè ad vesperum inclinatâ luce epulis feralibus accumberent, ipse gustare nihil voluit, vt amici funus ieiunio prosequeretur. E contrà non servantes eiusmodi iuramentum grauiter puniti sunt, vt patet Hierem. 34. vbi non obstante iuramento, Iudæi liberati à Chaldæo obsidione, servos & ancillas contra fidem datam & fœderis legitimè concepti religionem ad servitutem retrahentes, audiunt à Domino. *Vos non audistis me, vt prædicaretis libertatem vnusquisque fratri suo, & vnusquisque amico suo: ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus ad gladium, pestem, & ad famem: & dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ.* id est, vos liberos dimisistis servos libertati suę, sed eam revocastis & violastis; hinc ego vos manumittam, vt non sitis amplius servi mei, sitisque liberi, non vt eatis quò vultis; sed deserens vos & hostibus exponens, permittam vt abeatis in gladium, pestem & famem, vtque hæc, quasi novi heri, dominique vestri liberè in vos grassentur.

Matt. 5. Iosu. 9. 2. Reg. 3. Hier. 34.

Porrò nota non referre, quod pactum sit cum Hæreticis aut Idololatris, quia talis violationem Dominus non relinquit impunitam, vti manifestum est in Saule 1. Reg. 21. & Sedecia 4. Reg. 24. Vide dicta Discursu 21. in primum Pręceptum, n. 10. Non refert etiam, quòd metu pressus quis iuret, quia illud æquè obligat, vt patet ex c. *Si verò* de iureiurando. Vbi compulsus grauissimo metu renunciare beneficio suo, eamque renunciationem iuramenti religione confirmare, dicitur debere petere absolutionem; & ratio additur: *quia non est tutum quemlibet contra iuramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ.* Simile est in eo, qui pro redimenda vita cum iuramento promisit latroni centum aureos; quamvis enim latro ex hac promissione nihil iuris acquirat, eique nulla iniuria

1. Reg. 21. 4. Reg. 24.

iuria fiat etiamsi non solvas, teneris tamen solvere, quia Deus ius habet, vt verifices illud ad quod ipsum testem adduxisti.

Sanè si in hoc tanta difficultas, liquet gravius peccatum esse, quando quis iuramento promittit, quod non est in sua potestate, vt iam, proch dolor, multi faciunt debitores, qui iurant se soluturos intra determinatum tempus, scientes se non fore solvendo. Et officiales aut mechanici iurantes se tali die reddituros opus perfectum. Ratio est, quòd eiusmodi iurent falsum, cum eo tempore sciant sibi id esse impossibile: nec temeritas excusat.

3. Dico secundò si quis iuret rem aliquam bonam habentem tacitam aliquam conditionem vel restrictionem, sive ex dispositione iuris, vel receptâ consuetudine, sive ex mente loquentis, tunc iuramentum illi appositum non obligare: quia eandem conditionem habet ac naturale: accessorium enim sequitur naturam principalis, vt habet regula Iuris 42. in 6. Hinc in omni iuramento vniversaliter tacitè intelligitur, primò. Si Deo placuerit. Id patet ex capite *Beatus* 22. quæst. 2. quod sic habet: *Beatus Paulus Apostolus, non ideo (quod absit) fefellisse credendus est: aut sibi extitisse contrarius.* Rom. 15. *quoniam cum ad Hispanos se promisisset iturum, dispositione divinâ maioribus occupatus ex causis implere non potuit, quod promisit. quantum enim ipsius voluntatis interfuit hoc prænunciavit, quod revera voluisset efficere. quantum enim ad divini secreta consilij, quæ vt homo omnia non potuit, licet spiritu Dei plenus, agnoscere: supernâ prætermisit dispositione præventus. Nec quæ beatus Petrus Apostolus pro affectu divina reverentia Christi Domino respondit.* Ioan. 13. *Non lavabis mihi pedes in æternum: fefellisse (quod absit) aut in suâ putabitur minimè constitisse sententiâ: quia mox eidem divinæ voluntati cesserit: & quod se dixerat non esse facturum: causis adstrictus humanæ salutis passus est voluntate pronâ faciendum.* Secundò auctoritas Pontificis excepta intelligitur in rebus ad Deum spectantibus, saltem dum causa rationabilis existit, vti & cuiuslibet iudicis auctoritas. Vnde si quis iurasset solvere centum aureos in certo termino, si Iudex per arrestam aut aliàs prohibet legitimè, tenetur obedire Iudici non obstante iuramento, & similiter filius patri, si ipso inscio, illi adhuc subditus iurauit. Pariformiter non teneris servare promissa, quando pars non servat fidem, & sic intelligitur illud, *Frangenti fidem fides frangatur eidem.* Et cap. *Pervenit* 2 & cap. *Sicut* 3. de iureiurando. exempli gratiâ, promisi te non expellere de domo meâ, quam inhabitas, sub iuramento: illud me obligat quamdiu solvis canonem mihi promissum, aliàs possum te expellere: quia non solvis id ratione cuius facta promissio L. *Quæro* §. de Mercatu ff. de locato. Iuravi non alienare bona Ecclesiæ, teneor iuramento stare quamdiu aliud non postulat causa necessitatis, aut vtilitatis, aut non possum contravenire sine requisitâ iuris solemnitate, sicut colligitur ex capite vltimo de Ecclesi. ædific. & docet Innocentius cap. *Cum omnes* de constitit. Abbas in cap. vlt. *Vt super* num. 15. de rebus Ecclesiast. alien. Iuravi servare statuta alicuius Collegij, Vniversitatis, aut civitatis, obligor quoad ea quæ consuetudine non sunt derogata: Et tantùm ad ea, quæ nunc de facto statuta sunt. Hæc quantum ad ius & consuetudinem. Rursum iuravi alicui me non nociturum, intelligitur iuramentum ex intentione iurantis se referre ad causam præteritam, non verò ad causam novam, quam inimicitijs daturus est. Iuravi puellæ me illam ducturum in vxorem intelligitur nisi ipsa fornicetur, vel in morbum incurabilem, paupertatem, infamiam, vel similia mala inciderit; vel nisi ipse religionem ingressus fuero. Iuravi castigaturum filium vel famulum, scilicet nisi inde fortè nasceretur maius incommodum, vel nisi veniam deprecando, im-

do, impetraverit, vel ob aliam caussam aliud expediens visum fuerit; non autem quòd cesset bilis, furor, & voluntas castigandi. Iuravi denique honoris aut amicitiæ causâ non præcedere aliquem in exitu domus vel templi, nec sedere in loco nobiliori, intelligitur quantum est in me, nam cum alteri id ingratum est, non obligat.

4. Dico tertiò servanda nullatenus iuramenta, quæ sine dispendio salutis æternæ servari non possunt: qualia sunt prohibita iure divino naturali & positivo, vt iurare se commissurum furtum, adulterium, homicidium, vti fecit Rex Syriæ, 4. Regum 6. intelligens ex quodam servorum suorum Prophetam Helisæum cuncta aperire Regi Israëlitarum, quæ in conclavi tractaret: his verbis: *Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si steterit caput Helisæi filij Sapher super ipsum hodie.* id est, omnia dira & infausta in caput meum convertat Deus, si non sustulero hodie de medio Helisæum. Id enim omninò erat contra ius naturale, quia Helisæus nihil commiserat, quod maiestatem læserat Regiam, aut aliquâ ratione ad statum illum civitatis pertineret: sed quod, Deo inspirante, necesse erat scire Regem Israëlitarum, hoc illi aperuit. Rursum non licuit quod iurarat David 1. Regum 25. dicens: *Hæc faciat Deus inimicis David & hæc addat, si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent, vsque ad canem mingentem ad parietem*. his enim verbis execratorijs iurabat, quod Nabal (qui ipsius Davidis necessitati per legatos denegaverat subvenire) cum totâ familiâ vsque ad canem de medio tolleret; quod malum erat, quia non decebat Regem, aut illum qui cum potestate erat, privatas persequi inimicitias, aut iniurias vlcisci proprias, vti hoc iuramento meditabatur. Tale etiam iuramentum erat, ex quo Herodes ad petitionem Herodiadis, Matth. 14. iussit caput Ioannis amputari. De quo Ambrosius libro 1. Officior. cap. 50 *Est etiam contra officium nonnunquam solvere promissum, sacramentum custodire: vt Herodes, qui iuravit, quoniam quidquid petitus esset daret filiæ Herodiadis: & necem Ioannis præstitit, ne promissum negaret.* Et hâc de causâ Ioan. Chrysost. sic in illum invehitur, hom. 49. in Matthæum. *Quamobrem quod gravius erat non timuisti? Nam si testes periurij habere formidabas, multò te magis metuere oportuit, tot tantosque iniquissimæ cædis testes habere.* Hinc omninò servandum est Decretum Soteris Papæ, quod habetur 22. quæst. 4. his verbis: *Si aliquid fortè incautius nos iurasse contigerit, quod observatum in peiorem vergat exitum: illud salubriori consilio mutandum noverimus, & magis instante necessitate peierandum nobis, quam pro facto iuramento in aliud crimen maius esse divertendum.* Deinde quod ibidem ex Concilio Toletano hoc modo ascribitur: *Necesse est vt male iurans dignam agat pœnitentiam, eo quod nomen Domini contra præceptum illius sumpsit in vanum, quod in Exodo scriptum est: neque enim insontem habebit Dominus eum, qui sumpsit nomen Domini Dei sui frustrà.* Quod conforme est exemplo Davidis, qui intelligens ex Abigail vxore Nabal cum muneribus illi occurrente hæc verba, *Non erit tibi hoc in singultum, & in scrupulum cordis Domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te vltus fueris*, destitit à conceptâ vindictâ. Quin etiam exemplo Petri, qui postquam iuramento Christum negaverat, *conversus flevit amarè, & salvatus est.* Hęc enim & similia iuramenta; veluti neglectâ fidelitate erga legitimum Principem, rebellibus, aut quod deterius est, Lutheranę vel Calvinianę sectæ perpetuùm adhærere, iuri naturali adversătur. Sicut & illa, quæ sunt contra charitatem, vel est iuramentum promittens non mutuare, neque fide iubere, in casu quo necessitas proximi gravissima id exigat, & possit illi sic subveniri, sine magno dispendio proprio. Rursum iuramentum promittens abstinere à familiaritate alicuius, ad quam aliàs tenetur, nisi fiat ad evitan-

4. Reg. 6. 1. Reg. 25. Ambros. Soter. Papa Concil. Tolet.

evitanda pericula peccatorum, quæ scit illic obvia esse. Pariformiter iure divino positivo prohibita licet iurata, servanda non sunt.

Iosue. 9. 5. Sed dices Iosue legitur cap. 9. pactus cum Gabaonitis, licet Dominus Deuteron. 7. edixisset: *Non inibis cum eis fœdus.* idque servasse, quia iuramentum interposuerat. Deuter. 7.

Respondeo, Iosue in toto illo negotio motum fuisse peculiari inspiratione divinâ, & ex illâ sic legem intellexisse, non per modum peculiaris dispensationis, sed per modum legitimæ interpretationis, concurrentibus simul alijs Principibus, inter quos præcipuè comprehendi Sacerdotes, & maximè Summum, manifestum est. Quod confirmatur ex eo, quod Saul 2. Reg. 21. etiam ex zelo contraveniens huic iuratæ promissioni, grauiter à Deo punitus est, quemadmodum ibidem videre licet. 2. Reg. 21.

Leuit. 5. 6. Dices iterùm, Leuitic. 5. cap. indicat Dominus peccatum esse oblivisci iuramenti de aliquo malo faciendo, seu non implere illud, in verbis: *Anima quæ iuraverit, & protulerit labijs suis, vt vel male quid faceret, vel bene, & idipsum iuramento, & sermone affirmaverit, oblitaque postea intellexerit delictum suum, agat pænitentiam de peccato suo.*

Respondeo, non esse sensum verborum *male facere* peccatum committere, sed aliquem iustè affligere, videlicet cùm parentes iurant se castigaturos filios. loquitur enim Deus ibi non de malo culpæ, sed pœnæ, quale etiam Deus hominibus infligit, iuxta illud Amos capite 3. *Si erit malum in civitate, quod Deus non fecerit?* Amos 3. Quæ verba Dominus subiungit post aliquot parabolas, quibus significabat à se afflictiones prodire. Et idem erat, ac si diceret, Parabolæ, quas iam recensui, significant malum, id est, afflictionem & cladem extremã afferendam Samariæ per Assyrios, non ab alio, quàm à Deo, à quo apostatarunt, quemque irritarunt præponendo ei vitulos aureos. Cum ergo hæc clades vobis, ô Israëlitæ, advenerit, certò scitote à me illam vobis inferri: ideo enim ego solus illam per Prophetas vobis prædico & comminor, quia solus illam vobis infligam, non Baal, non Chamos, non quis alius inanium Deorum. Vnde explicans subdit: *Quia non facit Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad seruos suos Prophetas.* Hoc enim Deo familiare est, non punire nisi priùs per Prophetas præmonuerit, primò vt ostendat se coactum inferre huiusmodi mala, & vt per veram pœnitentiam homines illud euadant; apertissimum signum clementiæ Dei. Secũdò, ne causare possint homines hæc mala ipsis evenire à iudice & vltore Deo absque eo, quod inde reprehensi fuerint, & Dei vindictam possint accusare. Sic ante diluvium præmonuit peccatores per Noë, qui ea de causa centum annis fabricauit, vt per centum annos homines sciscitantes fabricę huius causam, monerentur de instante diluvio, illudque pœnitendo averterent & evaderent, vti excidium evaserunt Ninivitę prę monitì à Iona. Sic per Moysen nullam Ægypto plagam inflixit, nisi per eundem priùs de ea Pharaonem & Ægyptios pręmoneret, vt patet Exod. cap. 7. 8. & Exod. 7. 9. Sic clades per Syros, Ammonitas, Madianitas & Philistæos, quæ narrantur in libris Iudicum, Hebræis non intulit, nisi ijs præmonitis per Iosue cap. 24. perque Deboram Iudic. 4. 4. & alios Prophetas. Sic excidium per Titum & Romanos Iudæis non irrogauit, nisi ijs præmonitis per Christum Luc. 19. & Apostolos. Sic cladem extremam orbi non inferet, nisi præmissis Prophetis & Angelis, qui septem tubis insonantes eandem toto orbe proclamabunt, Apocal. c. 16. v. 1. Hęc libuit, addere, vt clarius intelligeres locum Levitici obiectum. Iosue 24. Iudic. 4. Luc. 19. Apoc. 16.

7. Sed quæres, an æquè grauis sit violatio iuramenti promissorij, ac est violatio assertorij?

Respondeo, non esse: nam in assertorio semper est peccatum mortale, etiamsi assertio sit circa materiam

teriam leviſſimam: in promiſſorio verò dumtaxat peccatum mortale, quando verſatur circa materiam gravem; veniale autem, quando circa levem. Ratio eſt, quia differt iuramentum promiſſorium ab aſſertorio in eo, quòd infidelitas tantùm eſt non implere promiſſorium factum cum rectâ intentione, ideoque non fit Deus teſtis mendacij, ſed tantùm committitur peccatum, quia infideliter agitur in re promiſsâ ſub divinâ auctoritate. At in aſſertorio committitur mendacium, & periurium, ideóque fit Deus teſtis falſitatis, quod ſemper eſt iniuria gravis. Quod autem diximus de iuramento promiſſorio, colligitur ex S. Thomâ 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5. *Qui aliquid promittit*, inquit, *ſi habeat animum faciendi, quod promittit, non mentitur, ſi verò non faciat, quod promiſit, tunc videtur infideliter agere per hoc, quòd animum mutat*. Hinc eſt, vt qui promiſſorium non implet, infideliter tantum agat, & efficiat promiſſionem falſam tantùm materialiter, nam formaliter vera fuit, vtpote prolata animo implendi; Deus autem conſequenter non adducitur tanquam teſtis mendacij, ſed tanquam fide-iuſſor, quòd ſcilicet, qui promittit, non mutabit indebitè propoſitum ſuum.

Diſcurſus V.

In ſecundum Præceptum.

An cuivis liceat aliquem ad iuramentum cogere?

Geneſ. 24. GEneſ. 24. legitur Patriarcha Abraham adiuraſſe ſervum ſuum Eliezer, vt iuraret non accepturum vxorem filio eius de filiabus Chananæorum, id eſt, compulit illum ad hoc iurandum. Hinc tractabo an hoc liceat?

1. Ad huius quæſiti intelligentiam diſtinguendum eſt inter ſubditos & ſuperiores, & inter privatos erga privatos. Poſitâ hâc diſtinctione dico primò ſuperiorem licitè cogere ſubditum ad veritatem dicendam ſub obedientiâ, quando iuſta exiſtit cauſa. Patet exemplo Achan, qui Ioſue 7. cap. reſciens plagam non ceſſaturam inter milites, niſi auferretur de medio, qui de rebus anathemati ſubiectis quid ſurripuerat, deprehenſo Achan per ſortes dixit: *Fili mi da gloriam Deo Iſraël, & confitere, atque indica mihi quid feceris.* id eſt, Propter reverentiam aut amorem, aut timorem Dei, cuius nomen ideò interpono, dic mihi ſinceram veritatem. Sic D. Paulus 2. ad Cor. 10. agebat cum Corinthijs (quando Pſeudo-apoſtoli calumnijs gloriā ipſius obſcurare volebant) vt monita ſua & iuſſa de rectâ & Chriſtianâ vitâ obſervarent, in verbis: *Ipſe autem ego Paulus obſecro vos per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti.* id eſt, eius reverētiâ & amore me obſecrantem amanter audite, excipite, obedite. Idem 1. ad Theſſal. 5. adiurat Præfectos Theſſalonicenſium, vt curent legi epiſtolam illam tractantem Domini diem eſſe incertum, & vnumquemque monentem, vt vigilet & verſetur in operibus legis, dicens: *Adiuro vos, vt legatur epiſtola hac omnibus ſanctis fratribus.* id eſt, omnibus fidelibus tāquam valdè neceſſaria, ſcilicet propter quoſdam fratres inordinatè viventes. Similiter 2. ad Timoth. 4. obteſtatur Timotheum, vt inſtanter prædicet, moneat, arguat ſuos, idque propter inſtantes hæreticos, quòd iam mors ipſi inſtet; & primum ac maximum Epiſcopi officium ſit, ad quod iure divino obligatur, prædicare, ſic aiens: *Teſtificor coram Deo & Ieſu Chriſto, qui iudicaturus eſt vivos & mortuos, per adventum ipſius, & regnum*

[Margin notes: Ioſue 7. — 2. Cor. 10. — 1. ad Theſſal. 5. — 2. ad Timoth. 4.]

& regnum eius: prædica verbum, insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientiâ, & doctrinâ. Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Hoc imitatus est Achab Rex 3. Reg. 22. qui cùm à falsis Prophetis intellexisset sibi omnia fore prospera, & simile quid à Michæâ Prophetâ Domini exspectaret, sic eum aggressus est: *Iterum atque iterum adiuro te, vt non loquaris mihi, nisi quod verum est in nomine Domini.* Sed ab illo sic monitus audivit falsos Prophetas falsa prædixisse, & quòd victoriam non obtineret, imò periret. Hanc etiam auctoritatem in Christum vsurpavit sibi Caiphas, Matth. 26. cùm dixit: *Adiuro te per Deum vivum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei.* Sed hæc, iuramenta non sunt, verùm vrgent magis imperium interpositione divini nominis. Vnde idem sonant, ac verba quibus Pharisæi, Ioan. 9. institerunt apud cœcum à nativitate iam à Christo sanatum, vt diceret veritatem, an operâ Christi visum recepisset, dicentes: *Da gloriam Deo, nos scimus, quia hic homo peccator est.*

3. Reg. 22. Matt. 26. Ioan 9.

2. Dico igitur secundo, non solùm licitè Superiorem existente necessitate, & iustâ causâ cogere posse subditos ad veritatem dicendam, sed etiam ad eandem iuramento confirmandam; patet exemplo Sanctorum. Sic enim Genes. 24. Abraham coëgit servum suum Eliezer non solùm ad promissionem fideliter quærendi vxorem filio suo Isaac; sed etiam præstandi iuramentum sub formâ ibidem expressâ. Eodemque Genesios cap. 47. vers. 29. Iacob adiuravit filium suum Ioseph, vt non sepeliret eum in Aegypto, sed in terrâ sanctâ, in quâ videlicet solâ futurus erat Dei cultus; quod conformiter iuravit. Vtrumque patet in verbis: *Cumque appropinquare cerneret diem mortis suæ vocavit filium suum Ioseph, & dixit ad eum: Si inveni gratiam in conspectu tuo, pone manum sub femore meo: & facies mihi misericordiam & veritatem, vt non sepelias me in Aegypto, sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terrâ hâc, condasque in sepulchro maiorum meorum. Cui respōdit Ioseph: Ego faciam quod iussisti.* Et ille: *Iura ergo*, inquit mihi, *Quo iurante, adoravit Israël Deum, conversus ad lectuli caput.* Quæ postrema verba indicant Iacobum lætum gratias egisse Iosepho filio suo dilectissimo, & curvando se veneratum esse sceptrum, id est, Regiam potestatem à Deo illi datam, ac consequenter Deum datorem huius potestatis. Vel etiam insinuant Propheticè id fecisse Iacobum: seu quia prævidebat ex Ioseph nascituros reges, qui gererent sceptrum Israël, sive decem tribuum in Samariâ: adorasse sceptrum Ioseph sic quodammodo innuens & vaticinans ex Ioseph nascituros Reges, quos subditi quasi Reges colerent & adorarent. Rursum iuxta sensum allegoricum id fecisse dicendus est Iacob fide credēs Christum ex virgâ Iessæâ & Israëliticâ, puta B. Virgine, ac consequenter ex seipso nasciturum, huius ergo virgæ caput, id est, Christum Samaritanum nostrum, cuius typus erat Ioseph, veneratus est Iacob. ita Sedulius & Procopius in c. Genes. 47. atque hęc fuit potissima causa, cur Iacob Iosephum adiurarit, vt se sepeliret in Chanaan; quia nimirum in spiritu prævidebat Iacob Christum in Chanaan nasciturum & resurrecturum; seque cum Christo in die Paschatis cum alijs sanctis Prophetis & Patriarchis ibidem resurrecturum credebat & sperabat, iuxta id quod contigit Matth. 27. v. 52. Vnde Alphons. Abulens. in cap. 47. Genes. *Ab omnibus*, inquit, *Catholicis creditur, quòd inter alios qui cum Christo resurrexerunt, etiam Iacob Patriarcha resurrexerit:* Sic Esdras etiā lib. 1. c. vlt. legitur nō solum adiurasse Principes Sacerdotum & Levitarū, & omnem populum Israël repudiare vxores alienigenas (quas duxerant contra præceptum Domini, Deuter. 7.) & de illis natos, ne amplius scilicet propter ea affligerentur: sed etiam iura-

Genes. 24. Genes. 47. Genes. 47. Abulens. 1. Esd. vlt.

iurarunt, vt patet ex verbis: *Surrexit ergò Esdras, & adiuravit Principes Sacerdotum & Levitarum, & omnem Israël, vt facerent secundum verbum hoc; & iuraverunt.*

3. Sed dices, hoc mirabile est, quòd iurarint vxores abijcere, nonne fides matrimonialis vbique viget? Sic enim solet argumentari populus, quando contra Decretum Concilij Tridentini coram Parocho non suo matrimonium contraxit.

Respondeo rectè iussos esse ab Esdrâ Israëlitas iurare hanc abiectionem: nam tunc temporis erat præceptum iudiciale irritans seu dirimens coniugia Iudæorum cum infidelibus habitantibus in terrâ Chanaan, quos Deus omnino interfici ac deleri volebat. Vnde cum talibus non subsistebat matrimonium, cum alijs verò subsistebat. Hinc Ester legitimè nupsit Assuero Gentili, & David accepit filiam Regis Gessur, 2. Reg. 3. & Salomon accepit in vxorem filiam Pharaonis, sicut in lege naturæ legitimè Iacob vxores duxit filias Laban Idololatræ, Ioseph filiam Putipharis Aegyptiam, & Moyses filiam Ietro Aethiopissam. Quod patet, quia non dirimebantur, nec credibile est, quòd tolerata fuissent, nisi vera matrimonia extitissent. Porrò vti tunc erat impedimentum dirimens cum huiusmodi Gentilibus contrahere; sic apud Christianos multo magis est inter fidelem & infidelem non baptizatum ex more populi Christiani vim legis obtinente. Similiter post Concilium Tridētinum matrimonium nullum est, quod initur coram Parocho neutrius contrahentium. Quod annotare volui, quia frequens est huiusmodi abusus; omitto quòd ferè existat aliud impedimentum, ob quod tales proprium Parochum fugiant, & carni vafrè indulgeant, credentes satis esse, quod coram aliquo saltem Parocho, si non Sacerdote quovis, contraxerint. Hæc obiter.

1. Reg. 3.

Gen. 29. Exod. 2.

Cęterum ille mos ad iuramentum compellendi passim obtinuit, in quibuscumque officijs tam sæcularibus, quàm Ecclesiasticis. Vide dicta Discursu præcedenti n. 1.

4. Quæres an promiscuè liceat Superiori sive in iudicio, sive extra, à subditis petere iuramentum? Respondeo extra iudicium in duobus casibus non licere. Primus est, quando Superior scit subditum peieraturum; quia semper peccatum est, inducere aliquem ad peccādum mortaliter. Vnde Concilium Moguntinum gravibus pœnis tales subijcit; 22. q. 5. cap. *Si quis convictus*, quod sic habet: *Si quis convictus fuerit alios ad falsa testimonia, vel periuria attraxisse: vel quâcumque corruptione sollicitasse, ipse quidem ad extremum vitæ non communicet. Hi verò qui in periurio consensisse probantur: postea ab omni testimonio sunt removendi, & secundum legem infamiâ notabuntur.* Alter est, si subditus exponatur periculo morali iuramentum illud violandi, quod coactus fuit pręstare. Exemplum est in Saüle, qui 1. Reg. 14. vbi adiuravit populum cum maledictione, ne comederet panem vsque ad vesperam, donec vlcisceretur se de inimicis suis, quod iuramentum à subditis ita exactum Chrysostomus dicit esse opus diaboli, qui laqueos toti populo obiecit, & varia causavit incommoda, videlicet vt populus hostem persequi nō posset, lassus & exanimatus, vt carnem cum sanguine cōtra pręceptum Dei comederet famem non valens sustinere, atque vt in caput ignorantis filij decerneret extremum supplicium. Libet verba Chrysostomi addere, quæ in hanc rem scribit homil. 14. ad populum: *Malignus*, inquit, *Dæmon ille bonis nostris semper insidians assistit, quia iuramentorum necessitatem audiens, in torporem obnoxios impellit, vel aliam molitur difficultatem, vt non impleto opere, & plaga, & contumelia, & periuria, & infinita alia mala fiant. Sicut enim pueri funiculum longum & corruptum ex contrario inter se trahētes, cum multo impetu supini omnes cadunt, funiculo per mediū disrupto, & hi quidem capite, hi verò aliâ corporis parte feriuntur: sic & inter se contraria iurantes, iuramento pro rerum necessitate disrupto, in periurij barathrum*

Conc. Moguntinum.

1. Reg. 14.

Chrysost.

rathrum vtrique cadunt, hi quidem peierando, hi verò periurij causam alijs præbendo. Et vt hoc non tantùm ex his quæ quotidie in domibus & plateis fiunt, sed etiam ex ipsis Scripturis fiat manifestum, antiquam quandam vobis narrabo historiam dictis convenientem. Hostes aliquando Iudæorum aggressi Ionathâ (hic erat autem Saülis filius) hos quidem trucidante, illos verò in fugam convertente. Volens Saül huius pater amplius contra reliquos exercitum excitare, & facere ne prius absisteret, quàm omnes opprimeret, contrarium quàm voluit fecit, iuratus neminem vsque ad vesperam panem comedere, vsque ad hostium vltionem suorum. Quid nempè hâc re stultiùs fieri posset? fatigatos enim, & labore multo pressos milites, cùm refocillare debuisset, & recentiores hostibus immittere, hostibus graviùs ipsos habuit, per necessitatem iuramenti fami gravissimæ ipsos tradēs: periculosum quippe de seipso quempiam iurare, sæpiùs enim à rerum circumstantiâ cogimur: aliorum autem sententiam iuramentorum suorum necessitate comprehēdere, multo periculosiùs, & maximè cum non de vno, aut duobus, vel tribus, sed de multitudine quis infinitâ iuret: sicut tunc Saül inconsideratè, neque quod verisimile erat, ex tanto numero vnum saltem iuramentum transgredi cogitavit, neque quod milites, & milites pugnantes, & multum à disciplinâ alieni ventrem vincere nesciant, & maximè cùm labor sit plurimus. Sed hæc omnia ille despiciens, tāquam de solo tantùm servo iurans, quem facilè cohibere posset: sic de omni ratiocinatus est exercitu. Et ideò tantum diabolo aditum aperuit, vt non tantùm duo, & tria, & quatuor, & multo plura hoc ex iuramento periuria texeret. Sicut enim cum nihil omnino iuramus, omnes ipsi aditus obstruimus: ita si vnum dumtaxat iuramentum emiserimus, ipsi magnam infinita componendi periuria potestatem præbemus. Et sicut catenas complicantes, si, caput qui teneat, habeant, facilè & diligenter totam nodorum seriem expediunt: si verò & faciens hoc adsit nemo, nec exordium aggredi possunt; Eodem certè modo Diabolus quoque peccatorum nostrorum catenas nectēs, nisi à linguâ nostrâ principium caperet, nec aggredi quidem posset: si verò nos principium dumtaxat fecerimus, velut manu, linguâ, iuramentum nobis retinentibus, cum multâ iam licentiâ malignam artem suam exercet, ex vno iuramento innumera componens, & texens periuria: quod profectò & nunc in Saüle hic effecit.

Porrò in iudicio maior illi est facultas, vt mox patebit, & vt hanc debitè exerceat tenetur cavere, ne iuramentum petat ab eo, quem existimat peieraturum, quando aliud remedium facilè potest adhiberi. Hinc etiam Iudex Ecclesiasticus non potest exigere iuramentum à Clerico de relinquendâ concubinâ, vt habetur c. *Clericos* de cohabitatione Clericorum & mulierum: quia metuendum est, ne periurium incurrat, sed debet arcere eam, alioue modo prospicere vbi talia contingunt. Si autem sit alia causa, & pars iuramentum postulet, vel aliàs ratio officij exigat (vt cum adducuntur testes, vel proceditur viâ inquisitionis) potest quivis Iudex, iuramentum tali deferre. Ratio est, quia Iudex non debet sequi priuatā scientiam, sed pręscriptum iuris, adhibendo ea, quibus solet elici veritas. Nam alioquin daret iustam occasionem scandali, quod parti faveret, quod illi magis cavendum, quàm peccatum privati: atque ita inter duo mala minus est eligendum. Præsertim cum D. Paulus ad Hebr. 6. dicat, *Omnis controversia eorum* (scilicet hominum) *finis ad confirmationem est iuramentum*, videlicet quando aliter non potest lis definiri. Hebr. 6.

5. Quæres iterum an privatus homo possit extra iudicium superiorem cogere ad veritatem dicendam? Respondeo negativè: quia nullum habet ius imperij subditus in superiorem, vti nec par in parem: potest autem petere per iudicem. In hoc tamen servare debet has conditiones. Primam, vt non petat determinatè ab illo, quem scit accepisse talem pecuniam, vt iuret non accepisse: periurus enim esset ob inductionem ad periurium indifferenter petendum, sed hoc modo iura an hoc feceris nec ne. Secundam,

dam, vt sit aliqua iusta causa id petendi, necessitas videlicet, vel vtilitas, alioquin esset contra caritatem constituere proximum in tali occasione. Addo quemcumque intercedente legitimâ causâ posse petere iuramentum in iudicio ab eo, quem probabiliter timet esse peieraturum. Ratio est, quia non est inducere ad periurium, sed solùm petere iuramentum veritatis: quod autem alter suâ malitiâ iuret falsum, illi tribuitur; permissio autem mali ob bonum finem licita est: nec propterea est contra caritatem, quia hæc non obligat ad vitandum peccatum alterius cum proprio damno, quemadmodum latè deducit Suarez lib. 3. cap. 14. n. 16. Secundò, potest, si alterius causam agat, & ratio officij sui postulet, vt ab adversario iusiurandum petat. Nam ibi iusta intvenerit necessitas, & quod exigitur, per se est licitum. Sic enim licet ab vsurario mutuum exigere, & à iuraturo per falsos Deos iuramentum postulare, quia vteris iure tuo, & ex malitiâ alterius provenit, quòd non aliter det mutuum, aut iuret per falsos Deos. Tertiò, licet, si partis periurio possis vti in tuum commodum, vt ad eius fraudes detegendas, & fidem ei detrahendam, & sic iniuriam evadas, aut ius obtineas. Sic Deus ob bonos fines multa mala permittit. Sic licitum permittere furtum famuli, vel filij, vt explores indolem, vt ipsos corrigas, vt tibi in posterum caveas. Porrò, si hæ causæ desint, non licet, nam sic consentires malè facienti: Est Augustini serm. 1). de Sanctis: *Qui hominem provocat ad iurationem, & scit eum falsum esse iuraturum, vincit homicidam, quia homicida corpus occisurus est, ille animam, imò duas animas, & eius animam, quem iurare provocavit, & suam; scis verum esse quod dicis, & falsum quod ille dicit, & iurare compellis; Ecce iurat, ecce peierat, tu quid invenisti, imò & tu peristi, qui de eius morte satiari voluisti.* Cōformiter ferè Chrysost. hom. 26. ad populum. *Dic mihi, quæso, trahens hominem in iuramentum, quid exspectas? vtrum vt peieret? Sed hoc est extrema dementia, & in caput tuum pœna convertetur. Melius est te pecunias amittere, quàm illum perire. Quid hoc cum iacturâ tuâ, Deique contumeliâ facis?*

Suarez. | August. | Chrysost.

Discursus VI.

Quid sit blasphemia, & quale peccatum?


SApiens Eccles. 23. postquā egisset de iuramento vitando, inquit: *Est & alia loquela contraria morti, non inveniatur in hæreditate Iacob.* id est, aliud peccatum oris blasphemia, vitium morte puniendum; quod peculiariter à populo Israëlitico abesse cupiebat. Hinc post Tractatus de iuramento inquiram quod in argumento ponitur.

1. Blasphemia definitur verbum maledictionis, convitij, vel contumeliæ, tam in hominem, quàm in Deum. Vtrumque patet ex Scripturis. Prius, 1. Corinth. 4. vbi Paulus recensens quid patiatur in suo Apostolatu dicit: *Blasphemamur & obsecramus.* id est, cōvitijs affecti benignum ac molle responsum damus, humiliter loquimur obsecrantium more, quo sic vincamus malitiam adversariorum. Et ad Ephes. 4. candem indicat erga homines locum habere, cum illos sic admonet, *Omnis amaritudo & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis.* id est, maledicētia, vt cùm fratri dicitur, fatue, de quo Matth. 5. Et ad Titum 3. vbi vult Apostolus Christianos Magistratibus etiam Ethnicis debere esse obedientes, *Neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.* hoc est. Vult vt nemini etiam privato, sed maximè ne

Eccles. 23. | 1. Cor. 4. | Ephes. 4. | Matt. 5. Tit. 3.

vlli principum aut magiſtratuum maledicant Chriſtiani; vt multi faciunt cùm ab eis, vectigalibus, aliſque oneribus gravantur ſive iuſtè, ſive iniuſtè; iubetque vt tam imperata, quàm imperantes patienter ferant. ita Paulus fecit, & hoc ſuum dogma ſuo exemplo ſancivit Actor. 23. v. 3. vbi iuſſus ab Ananiâ Pontifice iniquo cœdi: *Percutiet te*, inquit, *Deus paries dealbate*, cùmque aſtantes dicerent, *Sũmum Sacerdotem maledicis?* reſpondit, *Neſciebam fratres; quia princeps eſt ſacerdotum: ſcriptum eſt enim, Principem populi tui non maledices*. Cæterùm ne in lites ac rixas proni ſint adverſus eoſdem ſuperiores, & etiam quoſvis alios. Sed de eâ blaſphemiâ hic non eſt quæſtio.

Act. 23.

2. Poſterius verò, Levit. 24. vbi dicitur; *Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur*. Et Iſaiæ 1. cap. vbi Propheta decretum & ſententiam tum vaſtationis temporalis, tum æternæ damnationis intẽtans Iudæis, dicit: *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis: blaſphemaverunt ſanctum Iſraël*. id eſt, Deum, qui eſt ſanctus ſanctorum, ipſaque ſanctitas adoranda, ſummèque reverenda & glorificanda, præſertim ab Iſraële, vtpote quem ſibi in populum peculiarem & ſanctum elegit, cuique ſuam ſanctam legem, ſanctam fidem, ſanctas victimas & cæremonias tradidit. Hæc porro fit mentali verbo, vel ore pronuntiata, vel etiam ſcripto. De vtroque verbo poſteriori habetur 2. Paral. 32. *Alia multa locuti ſunt ſervi eius* (ſupple Sennacherib) *contra Dominum Deum, epiſtolas quoque ſcripſit plenas blaſphemiæ in Dominum Deum Iſraël, & locutus eſt adverſus eum*.

Levit. 24. *Iſa. 1.* *2. Paral. 32.*

3. Quæres quo modo contingat hominem Deum blaſphemare? Reſpondeo quoad modum tripliciter, enuntiando videlicet, increpando & dehoneſtando. Enuntiando verò rurſum fit tripliciter. Primò cùm quis expreſsè de Deo malè loquitur, aliquid illi attribuens, quod eius excellentiæ non convenit, vt cùm dicitur auctor malorum, crudelis, iniuſtus, & ſimilia: quia nihil magis à Deo alienum eſt, quàm auctorem eſſe peccatorum, iuxta illud Deut. 32. *Deus fidelis, & abſque vllâ iniquitate*. Et Hab. 1. *Mundi ſunt oculi tui, ne videant malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris*. Et Rom. 3. *Nunquid iniquus eſt Deus? abſit, alioqui quomodo iudicabit Deus hunc mundum?* Ac Iacob. 1. vbi expreſsè non vult tentationem ad malum Deo adſcribi, in verbis: *Nemo cum tẽtatur dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tẽtat*. Imò iuxta Apoſtolum, 1. ad Cor. 10. *Fidelis Deus, qui nõ ſinet vos tentari ſupra id quod poteſtis*. Deinde dicit Propheta: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum*. Et quod amplius eſt; *Miſericordia Domini replet terram, implet cœlum, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius*. Hinc graviſſimè peccant Chriſtiani, qui vellent Deo placere peccata luxuriæ & fornicationis, vt appetitui ſuo erga torum alienum, quem violare ſatagunt, aut aliàs facerent ſatis. Ratio eſt, quòd eiuſmodi peccata ſint contra naturalia præcepta, in quibus nec Deus ipſe poteſt diſpenſare.

Deut. 32. *Hab. 1.* *Rom. 3.* *Iacob. 1.* *1. Cor. 10.*

Secundò cum negatur quod Deo competit, vt trinum eſſe in perſonis, negando etiam eius providentiam, iuxta illud Iob. 22. *Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat*. aut negando eius potentiam, vt fecit Sennacherib 4. Reg. 14. per ſuos duces Ezechiæ Regi renuntians fruſtrà ab ipſo ſpem poni in ope divinâ, aliarum gentium Deos non potuiſſe ſuos cultores adverſus Regis Aſſyriorum potentiam tueri, ideoq; nec Deum Iſraël poſſe. Simili modo blaſphemavit Deum Nabuchodonoſor, ſuã potentiam eius potentiæ pręferens, & tribus pueris dicens incenſæ iam fornaci iniiciendis, quòd recuſarent adorare ſtatuam ab ipſo erectam: *Quis eſt Deus, qui vos eripiat de manu meâ?* Daniel. 3. Sic Iudæi blaſphemaverunt Pſ. 77. dubitantes de illo, dicentes: *Nunquid poterit Deus parare mẽſam in deſerto?* ſeu ſuis ibidem providere? Adeóque dubitanter loqui etiam de potentiâ Dei eſt blaſphemia.

Iob 22. *4. Reg. 14.* *Daniel. 3.* *Pſalm. 77.*

Ter-

Tertiò fit, cùm id, quod proprium Dei est, tribuitur creaturæ, v. g. quòd Idola liberent aliquem è manu tyrannidis, vt Exod. 32. fecerunt filij Israël, dicentes vitulo: *Isti sunt Dŷ tui Israël, qui eduxerunt te de terrâ Aegypti.* Et Luc. 11. vbi miracula facere Pharisæi tribuebant operationi Beelzebub, dicentes de Christo: *In Beelzebub principe dæmoniorum eÿcit dæmonia.* In quo peccant etiam molles, & lascivi puellarum amatores, quas ita amant ardenter, vt eas seriò nominibus appellent Deo proprijs, eas vocantes Deum suum, omne bonum; imò suam beatudinem, eoque loco habeant.

Luc. 11.

Imprecando autem fit, quando quis Deo imprecatur malum ex parte suâ (licet non possit malo subijci) vt, pereat Deus, Deus sit maledictus; quod est damnatorum & pessimorum hominum, qui id à Diabolo edocti sunt: & speciatim Antichristi, de quo dicitur Apocal. 13. *Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius.*

Apoc. 13

Dehonestando demum fit, cum per membra Dei, vel Christi Domini obscœnè & turpiter iuratur, iuxta Azorium lib. 9. Moral. cap. 28. q. 3. In quod immane scelus & horrendum solent incidere nebulones, muliones, agasones, aurigæ, & alij rustici, viles & abiecti homines, qui quidem cum patientes, & lenes non sint, mala, quæ sibi eveniunt, Deo tribuunt: & irâ, & indignatione correpti, & incensi, ita Deo, & sanctis cum Christo regnantibus succensent, vt impiè, & nefario ore, atque sacrilego multa inhonestè, & impudenter effutiant: In quibus ideo blasphemia continetur, quia fœdè & inhonestè, & contumeliosè dicuntur.

Azor.

Rursum nota, dividi blasphemiam in simplicem, & hæresi coniunctam. Simplex est quæ nec formaliter, nec virtualiter continet falsitatem contra fidei veritatem. Quales sunt omnes eæ, quæ proferuntur optativo, imperativo, aut imprecativo modo: item illæ, quæ fiunt nominando aliquid, quod reperitur in Deo verè, sed per modum contumeliæ, & irrisionis; est enim in his tantùm falsitas quædam practica, non speculativa, quę non opponitur fidei. Hæresi coniuncta, quæ falsitatem contra fidem formaliter, aut virtualiter continet: qualis est primò omnis blasphemia enuntiativâ, negans aliquid de Deo, quod fides docet; vel etiam tribuendo creaturæ, quod secundum fidem soli Deo convenit, vel ostendendo de his dubitationem. Secundò, omnis ea, quæ continet nomina convitij Deo attributa, vt si quis eum nominet iniustum, ignorantem, &c. Virtute enim, si non expressè affirmatur, quod profertur. Tertiò, eæ blasphemiæ, quæ solent proferri his verbis: *Non credo in Deum, abnego,* & omnes æquivalentes, habent enim formam infidelitatis. Itaque prioris modi sunt vnius speciei, posterioris peccata diversæ speciei continet, videlicet malitiam blasphemiæ, & hæreseos.

4. His positis rectè quæres, quale sit peccatum blasphemia? Respondeo id considerari posse per se, & comparatiuè. Per se est peccatum mortale, adeò vt etiam Scriptura nomine benedictionis, loco blasphemiæ vsa sit, vt patet Iob 1. vbi refert Diabolum petijsse divinâ permissione Iobum affligere, his verbis: *Extende paululùm manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet; nisi in faciem tuam benedixerit tibi.* id est, maledixerit seu blasphemaverit. Et cùm procacis vxoris eiusdem Iobi verba enarrat, cùm patienter ferret calamitates illi immissas, sic illa recenset: *Adhuc tu permanes in simplicitate tuâ, Benedic Deo & morere.* id est, Blasphema in Deum, etiamsi mortem mereatur. Quin etiam dum calumniam refert, quam imposuit impia Iesabel Nabuth viro innocenti, de blasphemiâ dicit, *Benedixit Deo & Regi.* 3. Reg. 21. Eius gravitatem ostenderunt etiam valdè horrendam esse viri pij ac colentes Deum, vt patet 4. Reg. 18. vbi Rapsace nomine Re-

Iob. 1.

3. Reg. 21.

gis Assyriorum effutiente blasphemias, legati Ezechiæ Regis scissis vestibus ad eum redierunt, vt ibidem dicit Scriptura, *Venitque Eliacim filius Helciæ præpositus domus, & Sobna Scriba, & Ioahe filius Asaph à commentarijs ad Ezechiam scissis vestibus, & nuntiaverunt ei verba Rapsacis.* nimirum, vt populo sic ostenderent impium Rapsacem blasphemam in Deum exeruisse linguam, & eâ specie atque habitu quem accepissent dolorem ex legatione infeliciter obitâ significarent. Cùm enim Iudæi blasphemias contra Deum audirent, conceptum ex eis dolorem vestium laceratione indicabant, vt patet ex
Matt. 26. facto Pontificis Caiphæ, Matth. 26. qui cum perperàm crederet Christum blasphemare, dum se diceret filium Dei, scidit vestimenta sua, vt ostenderet se à Christo audijsse blasphemiam. Et non ostendentes luctum, cum viderent res Deo sacras perire, reprehendebantur; vt
Hier. 36. videre est Hierem. cap. 36. vbi graviter notantur non scindentes vestimenta sua, cùm viderent Legis volumen lacerari & comburi. Vnde
Isa 37. etiam Deus Isa. 37. graviter invehitur in Regem Sennacherib, qui tantoperè se extulerat contra Deum, quasi non esset potestas, quæ illum potuisset compescere, dicens: *Cui exprobrasti & quã blasphemasti, & levasti altitudinem oculorum tuorum? ad sanctum Israël.* quod idem est ac si diceret, Quænam est ista vesana blasphemia & superbia tua ô Sennacherib, quòd Deum lacessere, & ad duellum quasi provocare sis ausus? nescis quòd ipse sit sanctus Israëlis custos & protector, qui non patietur sanctam suam vrbem & templum à te pollui & contaminari, sed acer eius vindex contra te insurget?

5. Comparativè verò inter peccata religioni opposita, hoc videtur esse maximum ex suo genere, quia directè opponitur divinitati, & excellentiæ eius secundum se, eique non solùm negat debitum cultum, sed etiam summam irreverentiam & iniuriam infert, quantum potest, & quasi aperto Marte, vt sic dicã, bellum Deo indicit. Cum enim homo non possit Deo in se malum aliquod inferre, exacuit linguam contra Deum per blasphemiam. Vnde Hieronym. Isaiæ 18. *Nihil*, inquit, *horribilius blasphemiâ, quæ ponit in Excelsum os suum, omne quippe peccatum comparatum blasphemiæ levius.* Et cùm aliter Deo nocere non possit homo, linguâ suâ veluti fundâ contumelias, & verborum iacula in eum vibrat. Vnde inquit Theodoretus q. 33. in Levit. *Meritò hisce de blasphemiâ legibus homicidij legem aptavit: quia blasphemator Creatorem cum interficere non possit, linguâ ferit.* Et D. August. in illud Matth. 26. v. 63. *blasphemavit. Non minus* ait, *peccant, qui blasphemant Christum regnantem in cælis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris.* Et quidem si sit directè volita, & dum fit animo convitiandi Deo, sive ex odio in Deum, sive ex furore iracundiæ, sic est gravissimum inter ea, quę religioni opponuntur: quia intenditur malum Dei; vnde est etiam gravius Idololatriâ, periurio, violatione voti, & sacrilegio. Si autem non fiat animo convitiandi Deo, sed ex irâ in hominem, vel impotentiâ, sic non est gravius idololatriâ, & quibusdam alijs: est tamen peccatum mortiferum valdè grave: quia graviter lædit honorem divinum; sicut qui proximo detrahit, vel contumeliam facit advertens quid agat, graviter peccat; etiamsi directè non intendat illum lædere, sed ex quâdam loquacitate, vel nimiâ libertate id fiat. Hanc distinctionem optimè illustrat locus Matth. 12. vbi dicit Evangelista: *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Illis enim verbis distinguit duo genera blasphemantium, prius videlicet opera humanitatis Christi blasphemãtium, posterius opera divinitatis eius. Et idem est ac si dicat, facilè remitti blasphemiam in filium hominis, id est, eorum, qui propter novitatem doctrinę ap-

Hieron. Theodoret. August. Matt. 12.

næ appellabant Christum seductorem; & ob vitam communem cum cœteris hominibus vini potatorem
Matt. 11. & voracem dicebant, Matth. 10. v. 19. & quia pauper erat, per contemptum filium fabri vocabant,
Matt. 13. Matth. 13. v. 55. aliaque similia in ipsum iactabant; illa enim dicuntur verba seu blasphemiæ in filium hominis. Secundò difficilius remitti blasphemiam in Spiritum sanctum, hoc est, eorum qui opera quæ sciebant esse Dei, & à Christo fieri virtute Spiritus S. nolentes credere, dæmonio adscribebant, eumque virtute dæmonij ea facere blasphemabant: qualia erant dæmonia eijcere, morbos curare, suscitare mortuos, & similia: Itaque sensus verborum supradictorum quem Evangelista intendit, hic est. De blasphemantibus in filium hominis, non semper vltionem & vindictam sumet Deus in hoc sęculo; sed de blasphemis in Spiritum sanctum non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro Deus temporalem sumet vltionem: ita vt remissâ culpâ difficilè admodum eluatur hoc crimen, & pœnis huius vitæ, & pœnis purgatorij post hanc vitam.

Eccl. 23. 6. Hinc meritò Sapiens Ecclesi. 23. ab eâ dehortatur, dicens: ***Est & alia loquela contraria morti, non inveniatur in hæreditate Iacob.*** sic enim blasphemiam vocat: non autem, vt aliqui existimant, de iuramento loquitur, de quo prius egerat: quia morte dignam dicit; & in Lege veteri periuria non leguntur morte punienda, sed bene blasphemia, vt Levit. loco citato.

4. Reg. 19. 7. Huiusmodi punitionis exempla habeo, 4. Reg. 19. vbi Deus ob blasphemiam Sennacherib exercitum eiusdem vnâ nocte penè totum ad internecionem delevit, cæsis operâ vnius Angeli armatorum centum octoginta quinque millibus. Et ipse Rex post tantam cladem in suam civitatem Niniven reversus, dum studet placare Idola, quæ illum iuvare non potuerant, à proprijs filijs interficitur.

Syri ab Israëlitis in locis montanis prçlio superati cladem suam Dijs 3. Reg. 20.
montium stolidè adscribebāt, quos aiebant Israëlitis favere. Itaque in vallibus cum illis pugnandum, in quas Deo Israël nihil iuris competeret, ibique se fore victores. Quam ob causam Deus per Prophetam ita locutus est ad Regem Israël: *Quia dixerunt Syri, Deus montium est Dominus, & non est Deus vallium; dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tuâ, & scietis, quia ego sum Dominus.* Itaque directis vtrimque aciebus; Israëlitæ etsi exiguo numero, *percusserunt de Syris centum millia peditum vnâ die*. Remanserant in loco vicino viginti septem millia, qui omnes, cùm in civitatem confugerent, muri ruinâ oppressi perierunt. Manifesta blasphemiæ vindicta.

Ductor exercitus Demetrij Regis Nicanor, cùm Iudæos sabbatho pararet invadere, monitus vt in honorem Dei omnia conspicientis sacro die abstineret, arroganter res- 2. Machab. 15.
pondit: ***Estne potens quispiam in cælo, qui imperavit agi diem sabbatorum?*** Cui cùm diceretur: ***Est Dominus vivus, ipse in cælo potens, qui iussit agi diem septimam***, subiecit: ***Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, & negotia Regis impleri.*** Quam ob causam commisso prælio, etsi maximum, & omni genere armorum instructissimum haberet exercitum, à paucis cæsus est, triginta quinque millibus armatorum amissis, eiusque linguâ blasphemâ excisâ, & avibus particulatim obiectâ, & manu, quam contra templum extenderat, è regione templi suspensâ.

Ex historijs habes Arium in filium Dei blasphemum alvum purgaturum viscera effudisse, & expirasse. Næstorij verò linguam à vermibus erosam, eò quòd dixisset Beatam Virginem esse Christiparam, non Deiparam: iniuriam enim Sanctis irrogatam Deus sibi inflictam existimat, quid ni suæ matri? Erga cuius imaginem nostris temporibus duos blasphemantes, palàm notum est graviter fuisse punitos; nempè quędam

dam (ex Hæreticis Hallas, quod est oppidum prope Bruxellam, statuam habens B. Virginis, capere cogitantibus) dicentem, cùm accederet ad vrbem: Ego meis manibus Hallensi mulierculæ (ita vocabat statuam beatæ Virginis) nasum abscindam. Sed quid? contigit eidem plumbeam glandem ex vrbe missam nasum illi auferre; ex quo vixit miser nomine Ioannes Zuickius ipsismet Hollandis assiduum ludibrium multis annis. Contigit autem illud inter annum septuagesimum nonum, & octuagesimum quintum, quo tempore Bruxella ęgrè tulit Regi suo non posse obedire. Hæc de priori Alter etiam fuit circa annum 1604. quo tempore quædam imago beatæ Virginis, curandæ febris ergo frequentari solita, in aspero colle in Brabantia circa Sichemium: sed iam iniuriâ belli & temporis intermissa, visa cruorem emittere, avidiùs cœpit coli à peregrinantibus vndequaq; veniētibus. Et Hollandi hoc ægrè ferentes sacellum beatæ Virginis ibidem exstructum expilarunt; inter quos dico fuisse equitem habentem equum cœcutientem, & irrisoriè iuxta sacellum dicentem: Si Maria hîc miracula facit, illuminet meum equum, & continuò visus equo restitutus est, sed eques blasphemus excæcatus, vt testatus est Prætor Weertensis scripto viro insigni se id habere ex socio blasphemi, qui ante mortem & in morte id confessus fuit, cùm ob aliud crimen Weerteę extremo supplicio afficeretur, cuius quæstioni & supplicio Prætor iam dictus præerat.

8. Quod amplius est, qui indignè tulerūt à blasphemiâ dehortantes, & potentiam Dei cœli commendantes, miserè interierunt; vt patet exemplo Holofernis, qui indignatus, quòd Achior potentiam Dei cœli commendasset, dixit, Iudith 6. 2. *Quis prophetasti quòd gens Israël defendatur à Deo suo, ostendam tibi quòd non est Deus nisi Nabuchodonosor, cùm percusserimus omnes quasi hominem vnum.* At postea Deo cooperāte per vnius fœminæ manum inglorię ei caput amputatur. Latro improbus cruci affixus blasphemans, his verbis: *Si tu es Christus, salvum fac teipsum, & nos*, Nec emendatus per increpationem & monitionem alterius, *Neque tu times Deum, qui in eâdem damnatione es: & nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit*, mox idcircò perijt. (Iudith. 6.)

In vita S. Ioannis Chrysostomi narratur, quòd cum S. Chrysostomus laudaret S. Trinitatem, quę nobis suppeditat annuos fructus, respōdit ei Anthemius: non Christus, sed elementa mundi suis tēporibus eos producunt Deorum providentiâ. Nondum finem acceperat eius sermo, cùm maligno spiritu possessus, & terræ allisus, miserè iacebat rugiens, lachrymarum & timoris simul causa ijs qui aderant, pervertens quidem oculos, stridens autem dentibus, spumam verò ex ore turpissimè exspuens.

Divus Paulus legitur 1. ad Timoth. 1. Hymenæum & Alexandrum tradidisse Sathanæ, vt *discant non blasphemare.* id est, emendentur & resipiscant à suâ blasphemiâ. Hęc autem traditio gravissima erat pœna, de quâ sic Theodoretus: *Eos autem tradidit Diabolo, non vt bonorum magistro, sed vt servo carnifici; & ideò non dixit, vt eos doceret, sed vt doceantur non blasphemare; ab Ecclesiastico enim corpore separati, & divinâ gratiâ nudati, ab adversario crudeliter flagellabantur, incidentes in morbos, & difficiles affectiones, & alias calamitates; hæc enim consuevit inferre hominibus, quoniam est & inimicus & vltor, vt dicit Propheta Psalmo octavo. Consentaneum autem erat illos castigatos mutare sententiam*, &c. Et Chrysostomus de excommunicato loquens: *Deijciebatur*, inquit, *à communi fidelium cœtu, abscindebatur à grege, fiebat nudus, atque ita destitutus, luporum patebat & prodebatur occursibus, sicut enim nubes dudum Hebræorum castra tegebat, ita & Ecclesiam protegebat Spiritus sancti gratia.* (1. Tim. 1.) (Theodoret.) (Chrysost.)

Iure Canonico 22. q. 1. sic legitur: *Si quis per capillum Dei vel caput iuraverit,*

raverit, vel alio modo blasphemâ contra Deum vsus fuerit; si in ordine Ecclesiastico est, deponatur, si laicus, anathematizetur. Et in Authenticis novell. 77. tit. vt luxurientur contra naturam, sancitur: *Nemo iuret per membra Dei, aut capillos, aut alio modo Deum blasphemet: his enim delictis & fames, & terræmotus, & pestilentia fiunt. Præcipimus igitur tales comprehendi, atque vltimis subdi supplicijs.* Roberto Francorum Regi, filio Hugonis Capeti, aliquando in civitate Aurelianensi pro pace & regni sui tranquillitate oranti Christus apparuit, & responsum dedit, quòd pacem in regno non haberet suo, donec blasphemias, & crimina notoria extirpasset. Nec mirum. hæc enim procedere videntur ex contemptu, vel ex odio in Deum: odium autem Dei peccatorum maximum est. Narrat hoc Nicolaus Boerius decisione 301.

9. Quæres iterum, an blasphemia semper sit peccatum mortale, quòd tam graves pœnæ super eâ deprehendantur?

Respondeo ex suo genere esse, si scilicet ea verba seriò proferantur, & formaliter: si autem materialiter quis ea referat, non est tale peccatum. Cuius exemplum etiam constitui potest in pravâ illâ hominum consuetudine, quâ affirmant tam verum esse quod dicunt, quàm Deum esse, quod licet in rigore verborum videatur magna irreverentia, & contumelia divinæ veritatis, ac proinde ad blasphemiam pertinere. Fateor tamen hoc multùm pendere ex intentione loquentium, qui sæpè loquuntur per exaggerationem, & non intendunt facere omnimodam æquiparationem. Et ita excusari poterunt à malitiâ blasphemiæ, vel quia verba illa capacia sunt alterius significationis, quàm ipsi intendunt.

Porrò si ex levitate animi dixerint, tantùm erit veniale. Dico ex levitate animi, nam si ex levitate materiæ, non potest esse veniale, quia semper gravis est maledictio in Deum, nisi accedat subreptio, & indeliberata voluntas; quod quidem duobus modis accidere potest. Primò, cùm prius verbum ex subitâ passione profertur, quàm eius significatio animadvertatur: tunc enim blasphemia materialiter est tantùm, non autem formaliter, ideò non est peccatum mortale, ex Caiet. v. *Blasphemia.* Caietan. Secundò, ex prava consuetudine in ipso actu tollitur advertentia rationis, quia prius verbum proferatur, quam advertatur quid fiat, & tunc non est nova malitia in actu præsertim mortalis: alioqui consuetudo ex se cùm est voluntaria, non excusat, vt rectè Suarez Suarez. c. 6. n. 2 Hinc in foro externo, vbi non habetur internorum ratio, secundum censuram Iurisperitorum graves pœnæ infligendæ sunt ijs, qui malo more, aut pravo admodum animo verba execrabilia efferunt.

Discursus VII.

Quid sit Votum, & an huic præcepto repugnet?



Psal. 95. PRopheta David Psal. 95. ait: *Vovete & reddite Domino Deo vestro.* Quibus verbis hortari videtur ad votum, quasi Dei cultum: Vnde tractabo quid sit votum, & num huic præcepto conveniat.

1. Ad cuius rei intelligentiam notare oportet, voti nomen interdum significare boni animi propositum, ac desiderium circa res ad divinum cultum pertinentes, etiam citra vllam obligationem, vel promissionem. Quo pacto sumitur Exod. Exod. 36. 36. *Quotidie manè vota populus offerebat.* & in Canone Missæ, cùm dicitur: Tibique

Tibique reddunt vota sua: Nam non semper in missâ fideles promissionem aliquam Deo persolvunt, sed pia sanctaque desideria, fideique, ac devotionis sacrificia. Frequentiùs verò voti nomen sumitur magis propriè pro promissione Deo factâ, & inducente obligationem. vt num. 30. *Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit iuramento* (id est, voto) *non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit, implebit.* Psal. 49. *Redde Altissimo vota tua.* Et Psal. 65. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Licet enim promissio ipsa sponte fiat, non potest tamen impleri sine obligatione, vt docent verba illa Ecclesiast. cap. 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis* &c. *promissio.* Et hoc secundo modo agemus de voto, vt est promissio Deo facta, & quidem de re meliori.

Psal. 49. Psal. 65. Eccles. 5.

2. Itaque iam quæritur, an Christianis liceat sic Deum colere?

Novantes omninò hoc negant, asserentes omne votum conclusum in Baptismo; & Iudaicum esse, atque adeò implicitè aiunt nomen Dei in vanum sumi, quando ipsi vota fiunt. Sed contrà dico resolutè Christianos, dum vovent rectè, Deum colere. Probatur primò, quia in omni lege veri Dei cultores sic eum coluerunt; & in lege naturæ Iacob, qui Genes. 28. fugiens à facie fratris sui Esau, votum vovit eiusmodi: *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in viâ, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reversusque fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum: & lapis iste, quẽ erexi, in titulum, vocabiturque domus Dei: Cunctorũque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Quod emisit postquam per visionem in somno deprehendisset Domini Dei providentiam iacens super lapidem. Et idem est, ac si diceret, Si Deus mihi dederit victum, vestitum, ac felicem reditum in patriam, ego ipsi voveo ac promitto, quòd deinceps eum colam speciali & maiori cultu, quàm antè eum coluerim; nimirum quòd dabo ei decimas, tum ad sacrificia, tum ad alium eius quemlibet cultum; quòdque post meum ex Mesopotania reditum, locum hunc Deo quasi aram & templum, aut sacellum dicabo: ita enim hoc votum suum in sequentibus explicat ipse Iacob, vt rectè advertit Caietanus.

Genes. 28. Caietanus.

Probatur secundò ex lege Moysis, quia Deuteron. 23. dicitur: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus à te: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labijs tuis, observabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo.* Et ex locis citatis Ps. 49. & 65. Deinde illud colligitur ex varijs legibus, quæ de votis, eorumq; valore, & redemptione sparsim habentur in veteri Testamento, vt Numer. 6. & 30. Levit. 27. & alibi. Hoc autem fuisse Deum colere, constat tum ex eo quòd iubeantur Deo reddi vota, tum ex cap. 30. Numer. vbi iuramentum accipitur pro voto, in verbis: *Si mulier habens virum voverit aliquid, & verbum de ore egrediens animam eius obligaverit iuramento, voti rea erit, reddet quod promisit.* Porrò iuramento Deum honorari nemini dubium est, cùm sit actus religionis. Simile ergò erit de voto.

Deuter. 23. Psal. 49. & 65. Numer. 6. Levit. 27. Num. 30.

Probatur tertiò, In lege novâ, non minus à Christianis per vota posse Deum coli, atque licitum fuit Iudæis eisdem Deum honorare. Primò, quia Propheta Isaias c. 19. hoc prædixit futurum, dicens v. 21. *In illâ die colent eum in hostijs, & in muneribus, & vota vovebunt Domino, & solvent.* Vbi sermo est de Christianis, vt notant Hieronymus, Cyrillus, & alij Interpretes. Quò etiam spectat illud Psal. 75. v. 12. *Vovete & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera.* iuxta D. August. qui interpretatur id Christianis dictum esse: *Quisque*, inquit, *quod potest, voveat, & reddat. Non sitis pigri ad vovendum: Non enim viribus vestris implebitis.* Secundò, idem constat ex euen-

Isaiæ 19. Psal. 75. D. August.

ex eventu. Nam quod prædictum est in veteri Testamento de voto, hoc in novo impletum est, & quotidie impletur. Eius rei habemus triplex exemplum in Scripturâ: Primum Beatæ Mariæ Virginis. Secundum Eunuchorum, qui se castraverũt propter regnum cœlorum. Tertium quarundam fœminarum, quæ propter voti continentiæ transgressionem à Paulo reprehensæ sunt.

Luc. 1. 3. De B. Virgine sic legimus Luc. 1. v. 34. *Dixit Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quasi dicat: Quomodo fieri potest, vt ego concipiam, & pariam filium, cum propter votum cõtinentiæ, non liceat mihi virum cognoscere? Sic

August. expligat August. in lib. de sanctâ virginit. cap. 4. vbi ita scribit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? quod profectò nõ diceret, nisi Deo Virginem se antè vovisset.* Similiter alij Patres.

Matt. 19. De Eunuchis sic legimus Matth. 19. *Sunt enim Eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt. Et sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus. Et sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum. Qui potest capere capiat.* Quid est seipsum castrare propter regnum cœlorum? nihil aliud quàm ex desiderio obtinendi regnum cœlorum obstringere se voto continentiæ, & amputare libertatem contrahendi matrimonium. D. August. in lib. de sanctâ virginit. cap. 23. *Quid,* inquit, *veracius, quid lucidius dici potuit? Christus dicit, veritas dicit, eos qui pio proposito ab vxore ducendâ se continuerint, castrare seipsos propter regnum cælorum. Et contra, humana vanitas, impiâ temeritate, contendit.* (notent hoc Lutherani & Calvinistæ) *eos, qui hoc faciunt, præsentem tantummodo necessitatem molestiarum coniugalium devitare: in regno cælorum amplius quidpiam cæteris non habere.*

Porro hâc ratione Deum coli cõvincit etiam promissio facta eisdem

Isa. 56. tempore Isaiæ Prophetæ, cap. 56. vbi sic dicitur: *Et nõ dicat Eunuchus: Ecce ego lignũ aridum. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint sabbatha mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod nõ peribit.* id est, Non dicat Eunuchus tempore Messiæ se lignum esse inutile, atque adeò ad Ecclesiam aditum sibi non patere: sicuti à templi arcetur ingressu, ex lege Mosaicâ Deuteron. 23. Qui enim sanctè coluerint me, qualescumque ipsi fuerint, ad Ecclesiam admittam, accedetque gloria longè maior, quàm quæ parentibus ab ingenuâ & numerosâ sobole contigit: dabo enim illis sempiternum nomen, quod nulla deleat sęculorum diuturnitas, aut obscuret oblivio. Et quamvis hęc ad litteram de Eunuchis naturalibus intelligenda sunt: tamen symbolicè ad Eunuchos spõtaneos & spiritales Propheta assurgit, qui eligunt & amplectuntur consilia Dei; de quo Matth. 19. dicit Christus: *Qui potest capere capiat.* Eisque si sanctè vixerint, si fœdus & vota servàrint, si sabbathum, id est, cultum divinum custodierint, promittit Deus se daturum nomen melius, quàm habere possent à filijs & filiabus, si eos generassent: Virtus enim perennat ęternatque nomen magis quàm soboles, præsertim, cùm sæpè sit degener, quæ facit vt execrabilis & probrosa sit tota progenies, ait S. Basilius, adeóque nulla est familia durans per aliquot sęcula, quæ non plures habeat proles in inferno, quàm in cœlo. Sensit id etiam Gentilis Epaminondas primus & vltimus Thebanorum princeps. Mansit enim ipse cælebs, vt totus Reipub. eiusque propugnationi & propagationi vacaret: cúmque ei multi suaderent matrimonium, vt sobolem & nomen propagaret; respondit: *Pro semine relinquo Leuctriam victoriam,* quæ erit immortalis. Hinc laudat etiam Christus Eunuchos qui se ipsos castraverũt propter regnum cœlorum, Matt. 19 Paulus dicit mulierem innuptam & virginem, cogitare quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu, 1. Cor. 7. Iovinianus ab Ecclesiâ damnatus est, quòd cõiugium æquaret virginitati, & par

Deut. 23. Matt. 19. Basilius. Matt. 19. 1. Cor. 7.

in vtroque meritum poneret, & hinc August. lib. de sanctâ virgin. cap. 13. *Mirabiliter desipiunt*, inquit, *qui putant huius continentiæ bonum non esse necessarium propter regnum cælorum, sed propter præsens sæculum*, &c.

August.

1.Tim. 5.

De fœminis sic legimus, 1. Tim. 5. v. 11. *Adolescentiores autem viduas devita. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Vbi per primam fidem intelligitur votum continentię, vt omnes antiqui Patres interpretantur, D. Augustinus in lib. de sanctâ virginit. (quem adversarij non libenter legunt) cap. 33. *Habentes*, inquit, *damnationem quoniam primam fidem irritam fecerunt, id est, in eo, quod primò voverunt, non steterunt.* Et lib. 1. de adulterinis coniugijs cap. 24. vnde Apostolus de quibusdam, quæ continentiam vovent, & postea nubere volunt: *Habentes*, inquit, *damnationem*, *quoniam primam fidem irritam fecerunt*. Et in Ps. 75. *Quid autem ait de quibusdam, quæ voverunt, & non reddiderunt? Habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: voverunt & non reddiderunt.* Dicit ergo Apostolus viduas has damnationis esse reas, quia irritant votum continētię Deo factum, hoc ipso quo volunt nubere, & sic irritare votum. Sicut enim, qui promissionem suam adimplet, eam ratam facit: ita qui non adimplet, eandem irritam facit; sic Numer. 30. dicitur: *Si quis virorum votum Domino voverit, non faciet irritum verbum suum: sed omne quod promisit, implebit*. Sic Genes. 17. qui non circunciditur octavo die, dicitur irritum facere, id est, violare pactum Domini, sic Psal. 88. dicitur. *Quæ procedūt de labijs meis, non faciam irrita*; quasi dicat. Quæ ore meo promisi, non negabo, aut revocabo, sed reipsa præstabo, & implebo. Adeòque clarum est ad Dei cultum rectè voveri, & prævaricantes graviter peccare ex verbis *habentes damnationem*. &c.

August.

Psal. 75.

Num. 30.

Psal. 88.

4. Quibus ita positis, sequitur valdè frivolum esse quod de Baptismo in mediū proferunt Novantes. Nam ille est præcepti; vota autem emittere est consilij. Vnde de Baptismo dici non potest, quod de voto dicit Scriptura: *Si nolueris polliceri, absque peccato eris*: omnes enim ad susceptionem Baptismi, vel in re, vel in voto quoad adultos, quando minister, aut aqua haberi non potest, diuinâ lege obligantur; iuxta illud Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei*. Neque Baptismus sine illâ promissione renuntiandi Satanæ, & omnibus operibus eius, alijsque ab Ecclesiâ datur. Omitto impertinentiam, quòd sic omnia Christianorum peccata essent duplicia, quia contra legem, & contra votum; omnia essent sacrilegia, quia contra voti religionem; nec minus peccaret sęcularis fornicādo, aut furando, quàm religiosus.

Ioan. 3.

Sequitur secundò, non minus esse absurdum, quòd Iudaicum dicant esse vovere, cùm legi naturali, Mosaicæ, & Evāgelicæ hoc sit commune, paucis exceptis, quæ cęremonias aut iudicia spectant, vt de primogenito bovis, ovis, & capræ, quæ voveri non poterant, de quibus postea.

6. Vndè dico vlterius, non solùm licitum esse vovere, sed etiam melius esse, & Deo gratius ex voto aliquid facere, quàm sine eo. Primùm, quia quicquid fit ex voto, ordinatur ad Dei cultū, iuxta illud Deut. 12. v. 26. *Quæ autem sanctificaveris, & voveris Domino, tolles, & venies ad locum, quem elegerit Dominus, & offeres oblationes tuas* &c. Quibus verbis dicit Moyses illa sanctificari, quæ Deo voventur; & simul pręcipit vota, ad maiorem Dei cultum, sicut sacrificia Hierosolymis in templo solvi.

Deut. 12.

Secundò, quia Scriptura hortatur ad vovendum Psal. 75. in verbis: *Vovete, & reddite Domino Deo vestro*. Vbi prior pars est consilij, posterior præcepti. Atque nisi melius foret cum voto operari, deciperet nos Spiritus sanctus hortando, quod est impossibile.

Psal. 75.

Tertiò, quia opus eo melius est, & ideò gratius, quo ex pluribus, aut ex maiore virtute procedit. Exempli gratia,

gratia, continere se à libidine non solùm ex temperantia, sed etiam ex voto: quia duo actus virtutis in hoc concurrunt, nempe temperantiæ, & religionis. Vnde D. August. in lib. de sancta virginitate cap. 8. *Nulla*, inquit, *fœcunditas sanctæ virginitati etiam carnis comparari potest, neque enim & ipsa, quia virginitas est, sed quia Deo dedicata est, honoratur, quæ licet in carne servetur, spiritu tamen, religione, ac devotione servatur. ac per hoc spiritualis est etiam virginitas corporis, quam vovet ac servat continentia pietatis.* August.

Quartò, quod fit ex voto, maiori caritate, & liberaliùs fit, quàm quod sine voto. Qui enim sine voto aliquid facit, opus dũtaxat offert Deo, qui autem vovet, atque ex voto facit, & opus & facultatẽ offert. Quod explicat S. Anselmus in lib. de Similitudinibus cap. 84. *Plus donat, qui arborem cum fructibus, quàm qui solos fructus donat.* Anselm

Quintò, quia melius est, quod fit ex voluntate confirmatâ in bonum: sicut peius est peccare ex voluntate obfirmatâ ad malum, quàm ex fragilitate, & quemadmodum qui peccant ex voluntate confirmata in malum, similes sunt damnatis: ita qui operantur ex voluntate confirmata in bonum, similes sunt beatis.

Sextò, qui vovet, non solùm id lucratur, quod diximus, quod excellentius opus facit, sed etiam munit seipsum adversus tentationes diaboli, & humanam fragilitatem, ac mutabilitatem. Homines enim in ijs rebus, ad quas non sunt alligati vinculis legum, etiamsi optimæ sint, & vtilissimæ, facilè mutant propositum diabolo instigante, & etiam sine diaboli artibus ex propriâ mutabilitate. Quocirca videmus in rebus humanis sæpè requiri iuramenta, vt alligetur voluntas, ne facilè mutari possit. Ita milites, Magistratus, atque alij iurare coguntur, nõ autem solis verbis, sed facturos se, quod debent, polliceri. Hinc S. August. ep. 45. ad Armentarium: *Non te*, inquit, *voluisse pœniteat, imo gaude iã tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset.* Et infra: *Felix necessitas, quæ ad meliora compellit.* August.

7. His ita constitutis, quæres iterũ, quæ sit materia voti, seu an quævis res sive sit consilij, sive sit præcepti, voveri possit: v. g. an liceat vovere, quod velimus Deum colere, parentes honorare, non occidere, non fornicari, quæ præcepta sunt; an dumtaxat opera supererogationis?

Respondeo, etiam ea, quę præcepti sunt voveri posse: & ratio est, quia, vt dixi, bonum & laudabile est eandem rem præstare ex duplici virtute: nempe ex virtute obedientiæ, ratione præcepti, & ex virtute religionis, ratione voti. Sic fecit Iacob, quando vovit Deo, se non culturum Deos alienos, sed solùm verum Deum, Genes. 28. v. 20. Quod tamen tenebatur facere ex præcepto naturali. Sic Propheta David Psal. 118. dicit: *Iuravi, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Quibus iurat, se legem Dei firmissime servaturum, ad quam nihilominus obligabatur sub gravissimo peccato. Genes. 28. Psal. 118.

Porrò, sive sit de re præceptâ, sive non præceptâ, obligatur quis in cõscientiâ eiusmodi vota observare. quod certissimè cõstat ex dicto cap. 23. Deuteron. in verbis suprà citatis: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus à te: & si remoratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labijs tuis, observabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo.* Et ex illo Psalmo 75. *Reddite Domino Deo vestro.* Ac Isaiæ 19. *Vota vovebunt Domino, & solvent.* Deut. 23. Psal. 75. Isa. 19.

Estque illa obligatio religionis simul, & fidelitatis. Vnde sicut implere promissionem alicui factam, pertinet ad fidelitatem erga ipsum: ita votum Deo factum implere spectat tam ad cultum, & reverentiam Deo debitam, quàm ad fidelitatem illi servandam, idque si materia gravis sit, sub peccato mortali: vti commune est in omni transgressione. Et confirmari potest ex illo Proverb. 20. vbi Sapiens duo iungit valdè enormia, devorare sanctos, & vota re-

tractare, & vtrumque dicit hominis esse ruinam, in verbis: *Ruina est homini devorare sanctos, & post vota retractare.* id est, pios ac probos viros fortunis suis privare, & postquam vota quis emisit, eadem revocare & negligere. quasi dicat: Hæc duo valdè inter se similia sunt, sanctos, aut iustos spoliare suis bonis, & Deum privare votis illi emissis, seu simili modo homini perniciosa, & Deo invisa. Item exemplo Ananiæ, & Saphiræ, Act. 5. quos morte subitaneâ percussit Deus per Petrum, quia fraudaverant de pretio agri Deo promissi. In cuius conformitatem D. Basilius q. 14. ex qq. fusiùs explicatis, dicit quòd ille, qui seipsum semel Deo devoverit, si ad aliud vitę genus se transferat, sacrilegij scelere se obstringat. Et rationem addit, quòd seipsum Deo veluti subterfuratus sit. D. verò Augustinus contra votum castitatis viventes, dicit adulteris esse peiores. Sic enim ait lib. de bono viduitatis c. 11. *Planè non dubitaverim dicere, lapsus, & ruinas à castitate sanctiore quæ vovetur Deo, adulterijs esse peiores. Si enim (quod nullo modo dubitandum est) ad offensionem Christi pertinet, cùm membrum eius fidem non servat marito quanto gravius offenditur, cum illi ipsi non servatur fides in eo, quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum. Cùm enim quisque non reddit, quod non imperio compulsus, sed consilio commonitus vovit, tanto magis fraudati voti auget iniquitatem, quanto minus habuit vovendi necessitatem.*

Act. 5. Basilius. August.

8. Quæres, an quidvis Deo promissum voto, liceat solvere & adimplere? Respondeo, & dico primò illicitum esse vovere peccata intrinsecè mala, seu lege naturali vetita, qualia sunt homicidium, adulterium, furtum, & similia. Stultum enim votum, stolida promissio, fatua devotio est. Et, vt inquit August. *Si ad peccatum committendum fides adhibeatur, fides appellari non debet.* Hinc pessimè fecerunt Iudæi, qui Act. 23. *deVoverunt se dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum;* idque Principibus indicantes. Et talia promittendo, quodammodo blasphemant placere Deo, quæ ei spondent; & peius faciunt reipsâ malum exequendo. Apud Dionysium Halicarnassęum lib. 11. sapienter, & aptissimè instituto dixit quidam: *Pactiones si quas inter vos fecistis arcanas, fidemque dedistis sponsores facientes Deos, servatas eas putatote impias, & adversus cives, & patriam, at solutas, pias Dij enim se ad pulchros, honestosque consensus adhiberi gaudent, non ad turpes, atque iniustos. Generaliter,* ait Vlpianus lib. 2. ff. de pactis. l. Iuris gẽtium, *quoties pactum à iure communi remotum est, servari hoc non oportet, nec ligari: nec iusiurandum de hoc ad actum, ne quis agat, servandum. Marcellus lib. 2. Digestorum scribit. & si stipulatio sit interposita de his, pro quibus pacisci non licet, servanda non est, sed omninò rescindenda.*

Act. 23. Vlpianus.

9. Dico secundò non licuisse olim, propter legem cęremonialem vovere, extrinsecè mala; qualia sunt, quę ideo dumtaxat mala existunt, quòd lege divinâ, aut humanâ positivâ prohibeantur, vt Levit. 27. & Num. 18. fuit, vovere primogenita bovis, ovis, capræ, &c. quę antea erant Deo consecrata, & debita ratione primogenituræ. Vnde non poterãt iterum consecrari, & offerri per votum, ne illud videretur aliquid derogare priori consecrationi, quasi illa non fuisset plena, sed voto potuisset perfici & firmari. Hoc verò tempore non ieiunare, non communicare, diebus ab Ecclesia interdictis, & non dare eleemosynam, aut mutuare pecuniam, quando illud malum esset ex obiecto, v. g. erga eos qui ita indigerẽt, vt necesse esset illis istam gratiam impertiri. De quo Ioannes 1. Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?*

Levit. 27. Num. 18. 1. Ioan. 3.

10. Dico tertio novum esse & deterius peccatum eiusmodi vota adimplere, non enim votum vinculum potest esse iniquitatis, adeòque in illis & similibus servanda est regula Isidori, quæ habetur, 22. quæst. 4. *In malis promissis rescinde fidem. In turpi*

Isidorus.

turpi voto muta decretum, quod incautè vouisti ne facias; impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur. Quod mirum non est, quia etiam inter homines turpis stipulatio non inducit obligationem, l. *Generaliter*, cum sequēti de verb. obligat. l. *Iuris gentium* §. *Si vt maleficium*, ff. de pactis. His annumera votum eleemosynæ ob malum finem, videlicet se eam daturum, si Deus iuverit illum vindicare, & vlcisci inimicum: Votum de operibus indifferentibus, aut impossibilibus, vt non ire ad forum, & proficisci Hierosolymam sine navi. Non enim potest Deo placere, quod est vanum & inutile, iuxta illud Sapientis Eccles. 5. *Displicet enim ei stulta promissio.* Votum quoque de operibus bonis maioris boni impeditiuis, veluti promittere vxorem ducere, quando illi personæ melius est id omittere. Secus si expediat, quod in tribus casibus validè fit. Primò, quando quis ex præcepto teneretur matrimonium contrahere, vt ob commune bonum, vel pacem alicuius regni, cuius respectu foret de meliori bono. Secundò, si censeatur medium necessarium ad vitandum periculum intemperantiæ. *Melius est enim nubere quā vri*, vt ait Apostolus, 1. Cor. 7. quod intellige, quādo nollet ingredi religionem, vel tentare alia media ad seruandam continentiam. Tertiò si fiat intuitu pietatis, vt ad tollendam ex turpi lucro meretricem, vel è periculo pauperem virginem.

Eccles. 5.

1. Cor. 7.

11. Quæres denique an homo satisfaciat, quamvis rem Deo post obligationem reddendo sive vilem, sive abiectam, sive speciosam.

Respondeo per se loquendo necesse esse, si homo velit votum indeterminatè factum Deo gratum, sibi esse vtile, de melioribus illi reddendum esse. Colligitur ex facto Cain & Abelis: quia enim ille de fructibus terræ sive de vilioribus obtulit Domino, hinc Deo displicuit: quia vero hic *obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, respexit Dominus ad Abel & ad munera eius.* Id est quia optima & pinguissima gregis sui offerens Deo, ingenti fide, reverentiâ, & amore ipsum prosequebatur, igne de cœlo misso ostendit Deus sibi illa placere. Confirmatur, quia Malach. 1. cap. reprehendit Dominus Sacerdotes, qui vt sua lucra augerēt, nullam respuebant victimam à populo oblatam, etiamsi cœca esset vel māca, imò pro integrâ à populo oblatâ, ipsi è suo grege substituebant claudam vel mutilam, integram sibi reservantes, in verbis: *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum & languidum, nonne malum est? Offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.* id est, Vilem porro apud vos haberi mensam meam non dubijs ostenditis argumentis. Adducitis enim, quod grave scelus est, victimas, quas lex sacrificalis ab altari removet, Levit. 22. his verbis: *Homo, qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota solvens, vel sponte offerēs tam de bobus, quam de ovibus, immaculatum offeret, vt acceptabile sit: omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino.* Quasque neque homo paulò lautior admitteret, cœcas nimirum, claudas, & elumbes, extrema denique macie, aut morbo confectas. Quas si ad ducem vestrum, & principem adducere volueritis, malè vos accipiet, & in crucem cum vestris victimis facessere iubebit.

Malach. 1.

Levit. 22.

Notent hoc Christiani, qui pro decimis & primitijs dant manipulos, vel animalia deteriora, meliora sibi retinentes. qui filios claudos, luscos, ineptos, stolidos detrudunt in monasteria, vegetos & acres tradunt mundo; qui tempus iuventutis floridę dant carni & sanguini, tempus senectutis effætæ dant pietati & Deo: Dei enim maiestatem contemnunt, quia ei seipsos anteponunt, vt sibi potiora, Deo peiora attribuant.

12. Dico secundò, si quis aliquam rem certam & determinatam Deo voverit, non licere loco illius rem vitiosam aut peiorem sufficere: id

enim execrabile esse coram Deo patet loc. cit. Malachiæ, in verbis: *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino: quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in Gentibus.* id est, Maledictus ille, qui in sacrificijs non syncerè, & castè, sed dolosè, & fraudulenter agit. Qui cum in grege victimam habeat pinguem, & masculam, & quam ex voto debet, vitiosam immolat, & debilem. Neque id secum attentè considerat, quia Rex magnus ego sum, & nomen meum vbique terrarum venerabile. Quocumque enim tempore quis imperfectam Deo, atque vitiosam offerat victimam, rem facit omnium creatore, ac Domino indignam: qui tamen victimam illam offert ex voto, sic Deo opus exhibet ingratum, vt ab illo severam hanc, & diram execrationem audiat.

Discursus VIII.

An quibusvis personis vovere liceat, & quanam?



Num. 30. NVmer. 30. cap. Dominus Deus varias leges condidit, quibus decernit, quãdo vota subditorum, aut hominũ liberorum valida sint. Quâ de causâ tractabo, quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam prænotare oportet, vota esse triplicia, Personalia, Realia, & mixta. Personalia dicuntur, quando quis promittit Deo, peregrinari ad hunc vel illum locum, aut religioni se in posterum subijcere. Realia, cum quis promittit huic aut illi loco, seu Ecclesiæ, vel personæ aliquam eleemosynam. Mixta verò, quando persona vovet ad aliquem locum ire, & ibidem certam facere eleemosynam. Prenotare etiam oportet, quasdam personas esse liberas, quasdam secundum quid ligatas, vt coniugati, & filij familias.

2. His positis, dico primò, personas liberas posse vovere omnia licita & honesta. Ratio est, quia sunt suæ potestatis, &, si voverint, tenentur

Deut. 23. reddere, iuxta illud Deuter. 23. *Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labijs, observabis, & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, & propriâ voluntate, & ore tuo locutus es.* Quod dico, intellige de personâ ex omni parte liberâ. Nam qui oneratus est debitis, licet subditus aliàs non sit, non potest facere vota realia, in præiudicium creditorum; quia illa obligatio est contra iustitiam, & inter Deo displicentes annumerari debet, iuxta illud Eccles. 5. *Displicet ei* (supple Deo) *infidelis & stulta promissio.* Eccles. 5.

3. Quæres, an personale votum, videlicet ingrediendi religionem, cum præiudicium vertitur creditorum, stulta sit promissio.

Respondeo in hac re certum esse, quod vovens malè faciat, neque possit adimplere votum, nisi primo loco restituat rem debitam exstantem videlicet in se. Secundò teneri, si debita sint pecuniaria, differre ingressum, si possit brevi tempore, vt paucis annis, suis consuetis laboribus satisfacere. Tertiò, si opus esset longo tempore, vel deberet perferre insolitos labores, ad satisfaciendum creditoribus, non teneri expectare, sed posse relinquere omnia, quæ habet, creditoribus suis, & sic ingredi. Ratio est, quod talis censeatur impotens. Quartò, Iure novo Six. V. in Bulla *cum de omnibus* ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum gravatis, vel reddendis rationibus ita obnoxijs, vt ex huiusmodi

huiusmodi lis vel molestia eis iam illata sit, vel timendum ne inferatur, ad religionem perpetuò inhabiles declarat, his verbis: *Omnes autem & quoscumque vt dictum est, criminosos, vel suspectos, aut ære alieno, vel rationibus reddendis obligatos, ad religionem perpetuò inhabiles declaramus.* Et prætereà additur: *Si qui eorũ contra præsentem constitutionem temerè admittentur, tam susceptionem habitus, quàm professionem, & inde secuta, esse irrita & nulla.* Quare iuxta hoc novum ius ingressus religionis nullo modo liberat à restitutione, sed recurrendum est ad alias causas.

4. Sed alia quæstio est, vtrùm paterfamilias valeat proprium filium religioni vovere, adeo vt obligetur, aut filiam vovere Deo immolandam; vnum videtur posse fieri exemplo Annæ, quæ 1. Reg. 1. filium suum
1. Reg. 1. Samuelem à triennio Domino consecravit: his enim verbis accessit Heli: *Obsecro mi Domine, vivit anima tua Domine: ego sum illa mulier, quæ steti coram te hîc orans Dominum. Pro puero isto oravi, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum. Idcirco & ego commodavi eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino. Et adoraverunt ibi Dominum.* Alte-
Iud. 11. rum exemplo Iephte, qui Iudic. 11. vnigenitam filiam iuxta votum conditionatum immolavit Domino.

Respondeo quoad primum, licitè posse parentes vovere filios impuberes, religioni, dicto exemplo Annæ, quæ hinc laudatur. Quod confirmatur ex sacris Canonibus, nam in Concilio Tolet. X. cap. vltimo,
Conc. Tol. dicitur: *Parentibus filios religioni tradere non amplius, quàm vsque ad quartumdecimum eorum ætatis annum, licentia poterit esse: postea verò, an cum voluntate parentum, an suæ devotionis sit solitarium votum, erit filijs licitum, religionis cultum assumere.* Et in Concilio Tri-
Conc. Trib. buriensi, can. 24. & refertur in cap. puella, 20. q. 2. *Puella si ante duodecimum ætatis annum sponte suâ velamen sibi sacrum assumpserit, possunt statim parentes, vel tutores id factum irritum facere, si voluerint; si verò in fortiori ætate adolescentula, vel adolescens servire Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi.* Ex quibus etiam evidens est, illos non obligari ad religionem, donec in adultâ ætate consenserint. Ratio est, quod vnus non possit pro altero sic constituto vovere, ita vt obligetur: quia votum est promissio, & propria actio promittentis inducens obligationem fidelitatis & veritatis, ad efficiendum illud verum, quæ non potest cadere nisi in proprium actum: adeo vt parentes quidem teneantur ad hoc niti, vt quamdiu filij non sunt sui iuris sese conforment eorum voto, non tamen in perpetuum obligare. Hoc fecisse Annam colligitur ex ipsius verbis: *Ego commodavi eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus.* id est, dono filium meum in perpetuũ Domino, ita vt, me invitâ, numquam in Templo serviet, si ipsius vita aut voluntas ita tulerit. Neque enim filij vota parentum, quæ personalia dicuntur, implere tenentur. Atque ideo prudens mater offert filium Sacerdoti, ac Templo, ita vt sibi necessitatem imponat, numquam illum à Templo revocandi; non tamen filio, vt si voluerit, cùm plenum habuerit rationis vsum, aliter de se vitæque modo statuere possit. Sic intelligendus est locus D. Basilij q. 15. fusè explicata, vbi D. Basilius
sic ait. *Eos, qui sub parentibus sunt, dum ab illis ipsis adducuntur, coram multis testibus suscipiemus.* Quoad alterum exemplum de immolatione, Dico nullatenus parentibus licere: est enim contra naturale præceptum *Non occides*, Exod. 20. & contra iudiciale præceptum Deut. 12. vbi Deus Exod. 20.
Hebræis hoc speciatim inhibuit, Deut. 12.
quòd gentes id facerent idolis, in verbis: *Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt Dijs suis, offerentes filios, & filias, & comburentes igni. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.*

5. Dices, Quid ergo de Iephte censes, an peccavit filiam immolando, quem Apostolus ad Hebr. 11.

inter Sanctos recenset? Respondeo, eius exemplum non posse trahi in consequentiam, quia quod ille fecit, ex Spiritus sancti instinctu egit, vt docent Chrysostomus, homil. 14. ad populum, Emissenus sermon. de natali Virginum, Ioannes Arboreus lib. 9. cap. 6. Lorin. in cap. 23. Actorum. Et pat. ex illo Iudic. 11. v. 29. *Factus est ergo super Iephte Spiritus Domini.* Et mox sequitur: *Votum vovit Domino.* Sicut ergo Abraham non peccavit offerendo filium suum vnigenitum ad immolandum, quia ex instinctu divino fecit: Ita nec Iephte peccavit, offerendo filiam suam vnigenitam ad immolandum, quia similiter ex instinctu divino fecit.

Chrysost. Emissenus. Ionan. Arbor. Lorinus. Iudic. 11.

Secundò, quia per illud votum impetravit à Deo victoriam contra Ammonitas: Ergo signum est, Deo placuisse ipsius votum. & si votum placuit, etiam voti impletionem placuisse necesse est præsertim cùm a Deo non sit impedita. Et confirmatur, quia Scriptura numquam reprehendit ipsius votum, aut voti impletionem. Ipsum vero sæpè laudat, præsertim Hebr. 11. vers. 32. vbi ait, illum per fidem vicisse regna, & operatum esse iustitiam.

Hebr. 11.

Tertiò, si peccasset vovendo, fuisset monitus ab aliquo Propheta, vel Sacerdote, ne impleret votum. At à nullo monitus est, toto illo spatio duorum mensium, quod inter votum, & voti impletionem intercessit. Ergo verisimile est, non peccasse vovendo: Maximè cùm constet, alios reges ac Principes populi, si quando peccarent, fuisse monitos ac reprehensos. vt David 2. Reg. 12. & 24.

Quartò, populus non fuisset passus filiam Iephte occidi, & immolari, nisi putasset votum fuisse ratum, & Deo acceptum; sed eripuisset illam à morte, sicut eripuit Ionatham filium Saülis, quando Saül, ratione iuramenti, quo se obstrinxerat volebat illum interficere, 1. Reg. 14. v. 45. Est enim par ratio. Nam populus putabat iuramentum Saülis fuisse stultum, ac temerarium; & ideo impedivit impletionem, dicens: *Ergone Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israël? hoc nefas est: vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus est hodie. Liberavit ergo populus Ionatham, vt non moreretur.* Ratio autem huius liberationis indicatur illis verbis: Quia cum Deo operatus est hodie. Coniectabat enim non imprudenter populus Deo duce atque auspice ab vno Ionatha cùm armigero turbatas esse atque fugatas hostiles acies: quia humana facultas id assequi non potest. Si ergo similiter putasset votum Iephte fuisse stultum ac temerarium, etiam illius impletionem impedivisset. At non impedivit. Putavit igitur votum, & voti executionem fuisse bonam.

1. Reg. 14.

Quintò, sicut Abraham offerẽdo filium suum Isaac ad immolandum, expressit typum passionis, & mortis Christi, quoad voluntatem, non quoad executionem: Ita consentaneum fuit, vt aliquis exprimeret typum illius, non solùm quoad voluntatem, sed simul etiam quoad executionem. Hoc fecit Iephte, qui non solum paratus fuit, immolare filiam suam vnigenitam, sed reipsa immolavit. Et sicut prior typus erat in sexu virili, ita posterior in sexu fœmineo, quia pro vtroq; sexu passus & immolatus est Christus. Et sanè filia Iephte videtur optimè expressisse figurã Christi, quoad promptam moriendi voluntatem. Nam sicut Christus, quando ipsi à Deo Patre proponebatur mors, promptum se obtulit dicens: *Ecce venio, vt faciam, Deus, voluntatem tuam.* Hebr. 10. v. 7. Ita filia Iephte, quando intellexit à patre, se ab ipso morti destinatam esse, respondit: *Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumq; pollicitus es.* Iudic. 11. v. 36.

Hebr. 10. Iudic. 11.

6. Quæres an Coniugatis etiam vovere liceat præsertim cùm in vna re sint pares, in alijs valdè disparis potestatis? Respondeo & dico primò, maritum omnia vovere posse per se bona, quæ non tendunt in præiu-

præiudicium vxoris. Sic non poteſt vovere, dare copioſam eleemoſynam ex bonis dotalibus, peregrinari in longinquam regionem, nimium abſtinere, & ſimilia: Et ſi voverit, poterit vxor vota eiuſmodi irritare. Quæ poteſtas etiam extenditur ad vota facta ante matrimonium, quando non poſſunt ſervari ſine præiudicio alterius coniugis, tunc enim vterque habet poteſtatem irritandi: ita autem extinguitur obligatio, vt conſtante matrimonio non reviviſcat; ſoluto vero redeat; quando vota fuerunt abſoluta, & perpetua ex ſe, vel intentione voventis; alioquin in dubio reſtringenda eſt obligatio ad ſtatum præſentem matrimonij. Quæ intellige niſi ſit peregrinatio Hieroſolymitana in ſubſidium terræ ſanctæ: nam canones ob publicam Eccleſiæ neceſſitatem, iuri vxoris in hoc derogarunt, vt eâ etiam invitâ à marito tale votum edi poſſet, c. quod ſuper, & c. ex multa de voto, §. *in tantâ neceſſitate populi Chriſtiani, ne Terræ ſanctæ ſubſidium impediatur.*

7. Dico ſecundò, maritum, neque vxorem poſſe vovere non reddere debitum ſine alterius conſenſu. Ratio eſt, quòd in eo ſint paris poteſtatis, quæ ſumitur ex Apoſtolo 1. Corinth. 7. vbi Corinthianis dedit eiuſmodi præceptum: *Vxori vir debitum reddat: ſimiliter autem & vxor viro: Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Vnde illa regula certa eſt, quantumcumque altera partium habeat devotionem; addit enim ibid. Paulus: *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum revertimini in idipſum, ne tentet vos ſatanas propter incontinentiam veſtram. Hæc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium.*

Et D. Hieronymus epiſt. 14. quandam matronam nomine Celantiam increpat, quod abſque conſenſu & pacto viri ſervare cœperat continentiam: addam eius verba, quæ laudem continent propter virtutem in ſe, & vtilem invectivam quòd datâ alteri ſui corporis poteſtate eius executio ſit impedita. *Reperi*, inquit, *verò te miro fidei ardore ſuccenſam, aliquot iam ante annos continentiam propoſuiſſe, & reliquum vitæ tuæ tempus pudicitiæ conſecraſſe. Magni hoc animi ſignum, & perfectæ virtutis indicium eſt, renuntiare ſubitò expertæ voluptati, fugere notas carnis illecebras, & calentis adhuc ætatis flammas, fidei amore reſtinguere. Sed illud quoque ſimul didici, quod me non mediocriter angit, ac ſtimulat, te videlicet tantum hoc bonum abſque conſenſu & pacto viri ſervare cœpiſſe; cùm hoc Apoſtolica omninò interdicat auctoritas, quæ in hâc dumtaxat causâ non modò vxorem viro, ſed etiam virum vxoris ſubiecit poteſtati. Vxor, inquit, ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: Similiter autem & vir poteſtatem non habet ſui corporis, ſed mulier. Tu verò quaſi oblita fœderis nuptialis, pactique huius ac iuris immemor, inconſulto viro voviſti Domino caſtitatem. Sed periculoſè promittitur, quod adhuc in alterius poteſtate eſt. Et neſcio, quàm ſit grata donatio, ſi vnus offerat rem duorum. Multa iam per huiuſcemodi ignorantiam, & audivimus & vidimus ſciſſa coniugia, quodque recordari piget, occaſione caſtitatis adulterium perpetratum. Nam, dum vna pars ſe etiam à licitis abſtinet, altera ad illicita delapſa eſt. Et neſcio, in tali causâ quis magis accuſari, quis amplius culpari debeat, vtrùm ille, qui repulſus à coniuge fornicatur; an illa quæ repellendo à ſe virum, eum fornicationi quodammodo obijcit.* Vtinam & hoc tempore extravagans, & ſenſualis muliercularum devotio ſimilium malorum non foret occaſio! Subiungit Hieronymus. *Atque vt ſuper hâc causâ, quid veritas habeat, agnoſcas, pauca mihi de divinâ auctoritate ponenda ſunt. Apoſtolica doctrina regula nec cum Ioviniano æquat continentiæ opera nuptiarum, nec cum Manichæo coniugia condemnat. Ita vas electionis, ac magiſter gentium inter vtrumque temperatus incedit, ac medius, vt remedium incontinentiæ indulgeat, & ad præmium provocet continentiam. Totuſque in hac cauſa, eius hic ſenſus eſt, vt ex vtriuſque ſententiâ proponatur caſtitas, aut certè ab vtroque debitum commune ſolvatur.* Deinde

inde verbis Apostoli enucleatiùs explicatis id confirmat, dicens: *Sed ipsa iam Apostoli verba ponamus, totamque hanc causam à sui principio retractemus. loquitur ad Corinthios: De quibus autem scripsistis mihi: Bonum est hominem mulierem non tangere. Et quamquam hîc laudaverit castitatem; tamen, ne aliquibus videatur prohibere coniugia, subiungit: Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquaque suum virum habeat. Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro. Mulier autem sui corporis potestatem non habet, sed vir. Et vir sui corporis potestatem nõ habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem. Ac rursus, ne tanta pro nuptiarum parte dicendo videretur excludere castitatem, sequitur: Nisi fortè ex cõsensu ad tempus, vt vacetis orationi. Et statim quasi recusat hoc, quod dixit, Ad tempus, ne non tam perpetuam, quàm temporalem, ac brevem continentiam docere videar. Ait enim: Propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Vnde hoc, quod dixit, Ad tempus, docet meditationem debere fieri castitatis, vt per certa intervalla temporum, quasi exploratis continentiæ suæ viribus, sine periculo vtrique promittant, quod semper est ab vtroque servandum.* Et paulò pòst adijcit: *Videsne quàm caute, quàm providè, quàm sine vllius occasione scandali magister firmaverit de castitate sententiam, nolẽs tantum bonum in vnius temeritate mutare, quod ligare & confirmare debet consensus amborum.* 1.Cor.7.

8. Dico tertiò, vxorem vovere non posse ea, quæ impediunt gubernationem familiæ, vt sunt nimiæ abstinentiæ, orationes, frequentes peregrinationes, & similia; ea enim maritus irritare potest, non verò moderatas. Excipio tamen casum, quo moderatæ abstinentiæ aut orationes marito omninò displicerent, & pax domus turbaretur: tunc enim, etiamsi votum licitum sit, pro illo tempore non obligat, quia tunc non est de meliori bono.

9. Dico quartò, non licere vxori vota realia promittere, nisi de expresso vel tacito mariti consensu, vel iuxta consuetudinem, & alias prout in quarto præcepto agens de eleemosyna latius tractabo. Addo, quod si vxor vovisset calicem dare alicui Ecclesiæ, & vir approbasset, sed antequam exequeretur revocaret facultatem, neque tunc licere.

10. Sed dices in veteri Testamento videtur maior facultas fuisse vxori in votis. Numer. enim 30. dicitur: *Si maritum habuerit* (supple mulier) *& voverit aliquid, & semel de ore eius verbum egrediens animam eius obligaverit iuramento: quo die audierit vir, & non contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcumque promiserat. Sin autem audiens statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes eius, verbaque quibus obstrinxerat animam suam: propitius erit ei Dominus.* Num. 30.

Respondeo nihil referre: nam illa lex iudicialis erat, & legem naturæ, ac Evangelicam non concernebat. Lex enim naturæ non dictat solo silentio mariti votum vxoris planè confirmari, neque iubet vt maritus statim contradicat, si illud irritare voluerit: potest enim requirere tempus ad deliberandum. Adeóque hęc dumtaxat sancita fuerũt à Deo in lege veteri, ne populus ille crassus suorum pia vota nimis facilè quavis de causa impediret aut retractaret.

11. Dices iterum, si ita est; quid insinuant verba sequentia? *Si voverit, & iuramento se constrinxerit, vt per ieiunium, vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam, in arbitrio viri erit vt faciat, sive non faciat. quòd si audiens vir tacuerit, & in alteram diem sustulerit sententiam: quidquid voverat atque promiserat, reddet, quia statim vt audivit, tacuit: sin autem contradixerit postquam rescivit, portabit ipse inquitatem eius.*

Respondeo nasci potuisse quęstionem ex ijs quæ decreverat Deus de vxore, nempè quid facere deberet, si maritus post taciturnitatem vnius diei & firmatum votum, seriùs repugnaret, & votum adimpleri nollet. Huic difficultati occurrit Deus, & ad solatium vxoris, vtque scrupulos ei eximat (quia solent fœminę in vota

in vota pronæ de ijs anxiæ esse & sollicitæ, vt illa adimpleant, nec sibi satisfaciunt, esto, illa à maritis irritentur) huic, inquam difficultati occurrit Deus, & statuit, vt si firmato iam voto maritus obsistat eius impletioni, & voti materia talis sit, vt aliàs impleri non possit, quin maritus id rescisceat, & succenseat, sibi non obtemperari, vxorem esse sine culpâ; sed maritum reatum & pœnam istius laturum. hoc indicant verba: *Sin autem contradixerit postquam rescivit, portabit ipse inquitatem eius.* Credo autem votorum ieiunij & afflictionis corporalis factam illâ lege potissimùm mentionem, quòd in his contingat maritos frequentiùs vxoribus resistere, eò quòd hæc magis pateant, nec possint marito inscio servari: præterquã quòd horum frequens vsurpatio soleat esse maritis odiosa; vel quia per istiusmodi corporis afflictationes non raro vxorum forma & habitus corporis concidat, vel quia per illas minus sunt potentes sive ad domestica munia, sive ad lactandos pueros, sive ad reddendum debitum. Eadem tamen in reliquis censenda est ratio, quæ marito prohibente sine eius offensione fieri non possent, cuiusmodi essent vota peregrinationum, orationum longiorum & similium.

Discursus IX.

An filij-familias vovere possint, & an vnus aliquando alterius votum adimplere teneatur?



Num. 30. NVmer 30. capite dicitur quòd puella votum faciens & patre non contradicente obligetur; si verò contradixerit, non esse obnoxiam sponsioni. Quam legem extendit Abulensis etiam ad filios. Proinde quæram an hoc tempore indiscriminatim ita sese res habeat respectu filiorum-familias. *Abulensis.*

1. Ad huius quæsiti intelligentiam, dico vt in priori Discursu præmittendum esse, vota esse triplicia: tum etiam filios considerari posse vel vt impuberes, vel vt puberes: de emancipatis enim non est quæstio.

2. His ita positis, dico primò filium-familias impuberem ab vsu rationis licitè vovere posse ea, quæ pertinent ad observantiam præceptorum, & actiones honestas, quæ non impediunt debitam subiectionem parentibus; veruntamen eadem irritari posse à patre. Et ratio est, quia pro aliquo tempore iure positivo definito nempè ad annum decimum quartum in mare, & duodecimum in fœminâ censetur impubes habere vsum rationis nimis imbecillem ac tenuem, ita vt pendeat à voluntate alterius, saltem quoad firmitatem obligationis.

3. Dico secundò posse filium-familias non solùm licitè, sed etiam validè post pubertatem prædicta vovere; nisi talia sint, quæ præiudicium afferant patriæ potestati, id est, quæ regimen liberum, & expeditum familiæ impediunt, vel nimium subtrahunt filium ab obedientiâ & curâ patris, vt sunt extraordinaria ieiunia, longa peregrinatio, & vota realia de bonis paternis, vel quorum vsusfructus, & administratio ad patrem spectat.

4. Ex quibus sequitur, quòd religionem vovere valeant, & etiam adimplere, quandocumque parentes non sunt in tali necessitate, vt sine eorum auxilio vivere valeant; quia ex naturali præcepto tenentur in illo casu honorare parentes, & contrarium docere esse Pharisaicum dogma: hi enim docebant, neglectis.

glectis parentibus munera Deo debere offerri. Quod Christus reprehendit Matt. 15. in verbis: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram: nam Deus dixit: Honora patrem & matrem. &, qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur: vos autem dicitis, Quicumque dixerit patri vel matri, munus quodcumque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* id est, vos alios ita vestrâ traditione instruitis, Quicumque filius dixerit patri aut matri indigenti, quidquid ego obtulero Deo; seu omne munus quod ex meâ devotione Deo offertur vel consecratur, tibi vtilius erit, quàm si illud tibi præstarem: quia proficiet tibi ad spiritualem salutem, quæ melior est quàm corporalis nutritio, quod ex diametro legi divinæ naturali repugnat. Ad huius loci clariorem intelligentiam rectè notat Dionysius Carthusianus, *Sciendum quòd sacerdotes, Scribæ, ac Pharisæi avaritiæ dediti, vt maiores oblationes acquirerent, impietatem suam quâdam religione palliabant, dicentes, quòd melius esset Deo offerre, quæ parentibus danda erant, quàm conferre ea parentibus. Primò, quoniam Deus esset pater summus ac principalis, de quo Isaias dicit, Tu Domine pater noster. Secundò, quia hoc magis prodesset saluti parentum: dixerunt ergo, quòd quando filij dicerent parentibus egenis, Munus quodcumque est ex me, vel à me Deo promissum, oblatum vel consecratum, vobis proderit magis, quàm si illud in vsus vestros expenderitis: tunc filij non tenerentur parentibus victualia ministrare, quamvis indigerent: & hoc etiam idcircò dixerunt scribæ ac pharisæi, vt parentes sic esse putantes, non auderent bona filiorum Deo oblata contingere, ne sacrilegij crimen incurrerent. Sed ista Scribarum assertio falsa est. Non enim vult Deus sibi offerri ea quæ alijs debentur. Parentibus autem tenentur filij ministrare necessaria vitæ in casu prædicto.* Extra hunc casum omninò obstringuntur etiam parentibus renitentibus.

Matt. 15.

Dionys. Carthus.

5 Sed dices hoc durum videtur, & contra obedientiam parentibus debitam.

Respondere possem vnico verbo, in hâc re sequendum esse exemplum Christi, qui Luc. 2. matri suæ conquerenti, quòd in medio Doctorum sedisset illis inscijs, respondit: *Nesciebatis, quòd in ijs, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Tamen propter Hæreticos, qui vrgent invitis parentibus non licere religionem ingredi, rem latiùs probabo; & primò ex Scripturis, quæ insinuant Deo placere neglectum parentum in huiusmodi, veluti quòd Deus iusserit Abrahæ Genes. 12. se elongare à parentibus, quando Deus eum vocavit ex Chaldæâ in Chanaan, in verbis: *Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui; & veni in terram, quam monstrabo tibi.* Et Deuteron 33. vbi Moyses in laudibus Levitarum ponit, quòd in punitione idololatrarum non respexerint parentes, sed occiderint eos æquè atque alios. Sic enim ibidem habetur: *Qui dixerit patri suo, & matri suæ, nescio vos: & fratribus suis, Ignoro illos: & nescierunt filios suos. Hi custodierũt eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt.* id est, Qui miserti non sunt parentum in cœde Idololatrarum, quam mandavit per Moysen, Exod 32. sed sine discrimine omnes noxios, etiam patrem & matrem occiderunt, quasi eos non novissent, aut vidissent; hi sunt qui servaverunt pactum cum Deo initum sollemniter, Exod. 24. v. 8.

Luc. 2.

Genes. 12.

Deut. 33.

Exod. 32.

Exod. 24. 8.

Secundò ex ijs, quę docent Deum præferẽdum parentibus, vt est illud Matth. 10. *Qui amat patrem vel matrem plusquam me, non est me dignus.* Et illud Luc. 9. vbi Dominus cuidam à se vocato & volenti primùm sepelire patrem suum, non permisit, vt iret domum ad salutandum, vel ad sepeliendum parentem, in verbis: *Sine, vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Atque ita Gregor. Mag. hom 37. in Evangelia, docet quomodo odisse debeamus parentes iuxta Evangelium esse, vt *quos adversarios in viâ Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus.* D. Hieronymus rem hanc ita intel-

Matth. 10.

Luc 9.

Gregor.

Hieronym.

intellexit, vt quasvis blanditias spernendas doceat parentum, & amicorum: ita enim loquitur epist. ad Heliodorum, explicans illud Matth. 9. *Demitte mortuos sepelire mortuos suos. Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine, & scissis vestibus vbera, quibus te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater iaceat, percalcato perge patre; siccisque oculis ad vexillum crucis advola: solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem, faciliter rumpit hac vincula amor Christi. Gladium tenet hostis, vt me perimat, & ego de matris lachrymis cogitabo?*

Bernard. Epist. 111. Et D. Bernardus Heliam quendam validis auctoritatibus instruit, ne religionem ingressurus parentes contra hoc murmurantes diligat. *Sola*, inquit, *causa, quâ non licet obedire parentibus, Deus est. Ipse enim dicit, qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Si verè me, vt boni & pij parentes diligitis, quid me patri omnium Deo placere satagentem inquietatis, & ab eius servitio, cui servire, regnare est, retrahere attentatis? Verùm nunc cognosco, quia inimici hominis domestici eius: in hoc vobis obedire non debeo, in hoc non agnosco vos parentes, sed hostes. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem meum atque vestrum, imo vniversorum patrem: alioqui quid mihi & vobis? quid à vobis habeo, nisi peccatum & miseriam? Hoc solum quod gesto corruptibile corpus, de vestro habere fateor & agnosco. Non sufficit, quòd me in hanc saeculi miseriam miseri miserum induxistis: quòd in peccato vestro & peccatores peccatorem genuistis: quòd in peccato natum, de peccato nutristis: nisi etiam invidendo mihi misericordiam, quam consecutus sum ab eo qui non vult mortem peccatoris, filium insuper gehennae faciatis? O durum patrem, ô saevam matrem, ô parentes crudeles, & impios, immo non parentes, sed peremptores, quorum dolor, salus pignoris: quorum consolatio, mors filij est. Qui me malunt perire cum eis, quàm regnare sine eis. Qui me rursus ad naufragium, vnde tandem nudus evasi: rursus ad ignem; vnde vix semiustus exivi: rursus ad latrones, à quibus semivivus relictus sum, sed miserante Samaritano iam aliquantulùm convalui, revocare conantur: & militem Christi propè iam rapto caelo triumphantem (quod non in me glorior, sed in eo qui vicit mundum) ab ipso iam introitu gloriae tanquam canem ad vomitum, tanquam suem ad lutum, ad saeculum reducere moliuntur. Mira abusio. Domus ardet, ignis instat à tergo, & fugienti prohibetur egredi, evadenti suadetur regredi. Et hac ab his qui in incendio positi sunt, & obstinatissimâ dementiâ, ac dementissimâ obstinatione fugere periculum nolunt*. Et immediatè post resumit argumentum ad parentes, dicens. *Proh furor. Si vos contemnitis mortem vestram, cur etiam appetitis meam? Si, inquam, negligitis salutem vestram, quid iuvat etiam persequi meam? Quare vos non potius sequimini me fugientem, vt non ardeatis? An hoc est vestri cruciatus levamen, si me etiam perimatis: & hoc solum timetis, ne soli pereatis? Ardens ardentibus quod solatium praestare poterit? Quae inquam, consolatio damnatis socios habere suae damnationis? Quodve remedium morientibus, alios videre morientes? Non hoc* Luc. 16. *mihi persuadet dives ille, qui in tormentis desperatus de sui liberatione, rogabat nuntiari fratribus suis, ne & ipsi venirent in locum eundem tormentorum, timens procul dubio ex suorum cruciatu augeri suum.* Et tandem nonnihil adhuc disceptans concludit. *Quid ergo? Ibo & consolabor lugentem matrem meam mei ad tempus visitatione, vt in aeternum lugeam, & me & ipsam sine consolatione? Ibo, inquam, & satisfaciam patri meo irascēti pro mei ad tempus absentia: consolandus & ipse ad tempus de eius praesentia, vt postmodum, & quisque pro se, & vtrique pro alterutro inconsolabili desolemur tristitia? En potius exemplo Apostoli non acquiescens carni & sanguini, vocem audiam Domini iubentis: Demitte mortuos sepelire mortuos suos.* Matth. 8. *Et cantabo cum David: Renuit consolari anima mea.* Ps. 76. *Et cum Hieremia: Diem hominis non concupivi: Domine tu scis.* Hier. 17. *Quid enim? Funes ceciderunt mihi in praeclaris, & caelestis haereditas praeclara est mihi: & terrena adulatur promissio, blanditur consolatio carnis? Gustato spiritu necesse est desipere carnem. Affectanti caelestia, terrena non sapiunt. Aeternis inhianti, fastidio sunt transitoria. Desinite igitur parentes*

mei, desinite & vos frustra plorando affligere, & me gratis revocando inquietare, ne si adieceritis nuntios vltra mittere pro me plus me elongare cogatis. Si autem dimittitis, Claramvallem in æternum non dimittam. Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Ibi pro meis atque vestris peccatis iugiter orabo: ibi precibus assiduis (quod & vos cupitis) impetrabo si potero, vt qui eius amore ab modico tempore hoc invicē separamur, in alto sæculo simul felici & inseparabili societate in eius amore vivamus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Ambros. Tertiò ex ipsa ratione, nam sic ait Ambrosius lib. de Virginibus: *Cui licet maritū eligere, cur non licet Deum præferre?* Nazianz. Et Nazianzenus lib. 1. de Virginibus, in fine: *Si hominem amarent filiæ vestræ, per legem possent eligere quem vellēt; quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet?* Valet enim argumentum à matrimonio carnali ad spirituale, Everardus. vt tradit Everardus in loco à matrimonio carnali, & spirituali, pag. 371. cum sequentibus. Si ergo filij, & filiæ possunt invitis parentibus matrimonium carnale contrahere, vt latissimè omnia congerentes tradunt Sanchez P. Thomas Sanchez, tom. 1. de matrim. lib. 4. q. 22. 23. & 24. & Do- Gutierrez ctor Gutierrez. lib. 1. Canon. q. cap. 20. per totum: quanto magis poterunt spirituale religionis, quod prçstantius, & favorabilius est? Rursum licet viro, vxore invitâ, ad religionē transire, quando matrimonium de præsenti quidem contractum erat, sed nondum consummatum, Vt habemus c. *Verum* &c. Ex publico, de conversione coniugatorū, ergo multo magis licebit invito patre. Prçterea quilibet ingenuus post annos pubertatis est iuris sui, quantum ad ea quæ ad personam & statum suum pertinent. In hoc enim differunt servi à liberis. Denique *magis obediendum* Act. 5. *est Deo, quā hominibus*, Act. 5. Deus autem suadet perfectam vitam. Matth. 19. omnibus in genere, & in particulari interna inspiratione vocat quosdam; ergo si parentes resistant, audiendi non sunt. Atque hęc sufficiāt huic veritati adstruendæ, cui quartum Præceptum, *Honora patrem tuum* &c. non obest, quia intelligendum est, nisi impediant pietatem.

6. Porro occurrit, quòd in præcedenti Discursu tractaverim, an filius teneatur se conformare voto parentis, quo ipsum religioni dicavit. Iam restat an aliquando quis teneatur alterius votum adimplere?

Respondeo breviter iuxta differentiam superius positam votorum personalium, realium, & mixtorum, nullum hæredem obligari ad persolvendum votum ipsius personale, etiamsi testator præcepisset. Ratio est, quia personalia non transeunt ad hæredem, etiam volente & præcipiente testatore, nisi hæres, sponte suâ acceptet, & faciat promissionem defuncti suam, iuxta c. *Licet*, de voto. Nam hoc onus personale non est cōiunctum cum hæreditate, sed cum personâ, & ideò non potest testator suo solo arbitrio illud imponere hęredi nolenti acceptare: potest tamē hæres in aliquo casu obligari, si velit hæreditatem obtinere, vel retinere iuxta modum institutionis testatoris, nempe quando institutio hæredis esset omnino voluntaria, & testator sub hac conditione hæreditatem Paulo extraneo relinquit, vt votum suæ peregrinationis, aut pij belli impleat, aliàs illam amittat; tunc enim hęres teneretur votum implere, non absolutè, sed vt dixi.

7. Dico secundò, quantum ad realia, eorum obligationem transire ad hæredē ipso iure, seu facto ex vi hæreditatis receptæ; quod probatur per c. *Ex parte*, de Censibus, vbi clarè supponitur filios teneri, & posse cogi ad solvenda vota parentum. Item facit cap. 1. de solutione, quatenus in eo dicitur teneri filium ad solvenda debita parentum. Expressiùs habetur in L. 2. ff. de Pollicit. vbi dicitur: *Qui decimam partem bonorum vovit, si decesserit ante solutionem, hæredem illius hæreditario nomine decimis obstrictum esse.* Atque eadem est ratio de mixtis quatenus sunt realia.

Discursus

Discursus X.

Quibus modis possit quis ab obligatione votorum solvi?

Deut. 23. Ominus Deus Deuteron. 23. dicit: *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus à te: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Quibus verbis indicat satis strictam obligationem. Quia tamen homines sæpè sentiunt se gravatos post vota emissa quoad executionem; tractabo, an nullo modo possint ab illâ obligatione solvi?

1. In veteri lege fiebant vota tum personalia, tum realia; variæ insuper erant leges de votis eorumque redemptione. Personalia autem vota emittere poterant Sacerdotes & Levitæ, videlicet se semper in suis officijs sacris ministraturos Domino, eaque exequi tenebantur; non enim illis erat constituta redemptio. Talis fuit Samuel, quem mater cunctis diebus Domino commendaverat, vt legitur 1. Reg. 1. Ad alia verò officia Ecclesiæ, vt portare aquas, vel ligna ad Sanctuarium pro sacrificijs, verrere atrium, sarta tecta templi curare, subvenire Levitis, laici se voto obligare poterant; verùm non poterant idipsum exequi, sed debebant seipsos redimere pretio à lege taxato, vt dicitur Levit. 27. his verbis: *Homo qui votum fecerit, & spoponderit Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium. Si fuerit masculus à vicesimo anno vsque ad sexagesimum annum, dabit quinquaginta siclos argenti ad mensuram sanctuarij: si mulier, triginta. A quinto autem anno vsque ad vigesimum, masculus dabit viginti siclos: fœmina decem. Ab vno mense vsque ad annum quintum, pro masculo dabuntur quinque sicli, pro fœmina tres. Sexagenarius & vltrà masculus dabit quindecim siclos, fœmina decem. Si pauper fuerit; & æstimationem reddere non valebit, stabit coram sacerdote: & quantum ille æstimaverit, & viderit eum posse reddere, tantum dabit.* Ratio autem huius redemptionis erat, quòd ad illa tabernaculi ministeria deputandi erant Gabaonitæ, ob fraudem & dolum, quo circumvenerant Israëlitas cum ijs paciscendo, Ios. 9. Ibidem enim sic legitur Iosue cum illis egisse post dolum commissum; *Cur nos decipere fraude voluistis, vt diceretis, Procul valdè habitamus à vobis; cùm in medio nostri sitis? Itaque sub maledictione eritis, & non deficiet de stirpe vestrâ ligna cædens, aquasque comportans in domum Dei mei.* Licet enim ob Dei inspirationem, aliasque causas cum ipsis contraxissent, & ob reverentiam iuramenti contractui starent, tamen pœnam aliquam seu servitutem, servatâ vitâ, merebantur ob fraudem, quæ contractum aliàs redderet nullum; quam rursus decernit Iosue ipsis auditis, & textus exprimit, his verbis: *Fecit ergo Iosue, vt dixerat, & liberavit eos de manu filiorum Israël, vt non occiderentur. Decrevitque in illo die eos esse in ministerio cuncti populi & altaris Domini, cædentes ligna, & aquas comportantes, vsque in præsens tempus, in loco, quem Dominus elegisset.* Hinc enim nolebat Deus suos Hebræos ad illa ministeria servorum deputari: tum etiam quia vota hæc oneri fuissent Sanctuario quod omnes hos voventes debuisset alere. Permisit autem hæc vota sibi fieri, vt commutarentur eo pretio, quod ipse ibidem sanxit (sicuti & pretio iusserat redimi primogenitos sibi debitos) & pretium hoc cederet in ius Sacerdotum & Levitarum: volebat enim sic ministris suis, quorum ingens erat numerus, de vitæ necessarijs prospicere.

Margin notes: 1. Reg. 1. — Levit. 27. — Ios. 9.

2. Quantum autem ad realia vota attinet, illa erant vel rei mobilis vel

immobilis. Si quis igitur vovisset Deo animal, quod immolari non poterat, debebat vendi pretio à Sacerdote taxando: quod pretium si ipse vovens dare voluisset, debebat insuper addere quintam pretij partem, Levit. 27. v. 11. Et omnia animalia, quæ Deo vovebantur, poterant redimi à vovente, exceptis animalibus mundis ad sacrificium. Quando autem redimebantur à vovente, tunc vltra pretium à Sacerdote taxatum debebat addi quinta pars pretij pro ipso Sacerdote, qui sustinebat onus taxandi, & revendendi. Quod si vovens noluisset redimere animal, quod Deo voverat, poterat Sacerdos illud retinere, vel alteri vendere, vel donare, vt colligitur ex illo Numer. 18. v. 14. *Omne quod ex voto reddiderint filij Israël, tuum erit.* Idem erat, si quis vovisset Deo domum suam, ex loco Levit. citato, vers. 14.

Levit. 27.

Num. 18

Si quis vovisset autem Deo agrum suum hæreditarium, debebat æstimari pretium agri iuxta mensuram sementis. Et si vovens voluisset illum redimere, addebat quintam pretij partem: neque hoc erat tunc grave: nam qui vovebant Deo rem aliquam immobilem. vt domum vel agrum, libenter illam redimebant, etiamsi vltra taxatum pretium deberēt addere quintam pretij partem. Ratio est, quia si non redemissent, illa nunquam ad eos fuisset, reversa, ne quidem in Iubilæo; sed absolutè transivisset in Dominium Sacerdotum, qui quidem poterant eam vendere, sed ita, vt in Iubilęo ad eos tanquam ad veros Dominos reverteretur, Levit. 27. v. 21. & 24.

Adhæc erat alia lex, videlicet si vovens agrum non fuisset hæres illius, sed emptor, debebat illum redimere pretio à Sacerdote taxando, & illud pretium dare Sacerdoti: ita vt ager in Iubilæo posset redire ad dominum hæreditarium, Levit. 27. v. 22. Eiusmodi autem leges erant iudiciales, & satis rigorosæ tam quoad obligationem, quàm quoad redemptionem, sicut erant etiam leges de irritatione; sed Christianos non concernunt.

Levit. 27.

3. Quæritur ergo ad solamen conscientiæ, an Christiani votis gravati semper eadem implere teneantur?

Respondeo nullatenus, sed ab ijs varijs modis liberari queunt: *Iugum enim* Domini *suave est* (vt Matth. 11. dicitur) *& onus* eius *leve.* Et primò desitione materiæ solvuntur, si id, quod antè erat legitima materia, desinat esse materia voti, vel absolutè, vel respectu voventis: v. g. si vovisti pauperi te daturū victum quotidianum, ille autem postea dives aut minus indigens factus est, obligatio voti cessabit: quia cessat causa voti finalis & principalis. Item, si vovisti te peregrinaturum pro impetrandâ à Deo valetudine filij: is verò ante restitutionem moritur, liberatus es voto.

Matt. 11.

Similiter extinguitur votum ob mutationem materiæ, si ex possibili fiat impossibilis; vel ex licitâ illicita: vel ex bonâ indifferens, aut maioris boni impediens. Quia *obligatio extinguitur, si in eum casum incidat, à quo incipere nō potest*, l. pluribus, §. etsi placeat ff. de verb. oblig. Idque docet Abb. in cap. 1. num. 4. de voto. His adde, quod votum conceptum de re impossibili, aut illicitâ non obligat, etiamsi postea possibilis, aut licita fiat: *Quod enim initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere*, reg. 29. ff.

Tertiò idem fit, si postea notabilis mutatio accidat, vel specialis & inopinatus casus occurrat, vt præsumi possit voventis intentionem ad eiusmodi eventum, sive casum specialem non se extendisse; sed excepturum fuisse, si in mentem venisset, vel de eo interrogatus fuisset. Sic varij Auctores, Mol. tom. 2. de iust. disp. 272. Azor. tom. 1. lib. 11. c. 20. quæstion. 1. 3. & 4. Suarez. lib. 4. de voto, cap. 19. Exempla sunt; Si vovisti te ieiunaturū omnibus diebus Veneris, nihil cogitans de Christi Nativitate in diem Veneris interdū incidente. Si vovisti peregrinationem longam, vel magnam eleēmosynam; & postea gravem, atque inopi-

Molina
Azorius
Suarez.

opinatam rei familiaris iacturam passus, votum admodum difficile exequi possis. Ratio est, quod lex positiva benignam interpretationem admittit, vt docet Sanctus Thomas 1.2. quæst. 96. artic. 6. & 2. 2.q.120.art.1.Suarez lib. 6. de legibus cap. 6. Atqui votum est privata quędam lex, quam ipse homo sibi ponit. Quare sicuti ęgritudo v.g. sufficit ad excusandum aliquem à præcepto Ecclesiastici ieiunij; ita similiter ab observatione ieiunij voto promissi. Tum quia etiam promissio liberalis homini facta, ob supervenientem mutationem notabilem & non prævisam obligare desinit, & sumitur ex Regul. 28. ff. *Eos, qui ex liberalitate conveniuntur, in id quod facere possunt, condemnandos*. Atqui Deus non est rigidior debitorum exactor, quàm homo.

4. Oportet tamen distinguere, vtrum impedimentum aut mutatio rerum superveniens, adeóque moralis impossibilitas perpetua & simpliciter dicta sit. quo casu omnino tollitur obligatio voti; an verò solùm temporalis, seu ad tempus duratura sit. tunc enim obligatio voti non planè extinguitur, sed suspenditur, sicuti colligitur ex c. *Quod super*, §. Vnde credimus distinguendum, de voto, & c. *non est*, eod. tit. Quare si voveris v.g. templum te ædificaturum, sed postea in paupertatem incidas, cessat pro eo tempore obligatio voti: sin autem ad meliorem fortunam perveneris, voto iterum teneberis. quod etiam in civilibus debitis observari constat ex §. vlt. Instit. de action.

5. Secundò solvi possunt commutatione, idque propriâ auctoritate, quando commutatur in id, quod, omnibus expensis, Deo gratius est nos facere. Nam vt patet c. *Pervenit* 2. de iureiurando, *Propositum seu promissum non infringit, qui illud in melius commutat*. v.g. sic inter homines optimè solvit promissum, qui dat id quod promissario est gratius, vt si loco canis promissi det equum, vel loco ovis bovem, vel loco nummi argentei aurum: sic apud Deum, qui quęvis vota commutat in vota religionis; hoc enim est seipsum offerre in holocaustum. Hæc addidi, vt sciatur certum esse debere, & manifestum, quòd sit melius ac Deo gratius: potest enim contingere, quòd aliquid per se, & ex suo genere sit melius, & tamen Deo non sit gratius; exempli causa, melior est oratio, quàm ieiunium; & eleemosyna, quàm carnis afflictio per cilicium; tamen qui vovit ieiunium vel cilicium, non potest suo arbitrio ista in orationem aliquam vel eleemosynam commutare: quia non semper Deo gratius est nos id facere, quod per se est excellentius, sed quod pro tempore, loco, & dispositione nostrâ magis congruit ad nostram salutem à nobis fieri: itaque opus est hâc consideratione. Quando verò in minus quis commutare desiderat, opus est auctoritate Superioris potestatem habentis dispensandi: si in æquale, fieri id potest cum auctoritate Superioris habentis facultatem commutandi tantùm. Tertiò irritatione, de qua satis dixi præcedenti Discursu. Hoc tantùm addo, quòd maritus & vxor facultatem non habeant irritandi votum quo vterque mutuo consensu & ex pacto vovit castitatem teste D. August. epist. 199. ad Ediciam.

Quartò possunt solvi per dispensationem, hoc est relaxando voti vinculum, & tollendo eius obligationem, condonando nomine Dei debitum, quod quis erga Deum contraxit vovendo.

6. Sed non inutiliter quęres, an in Ecclesia Dei talis sit potestas? Respondeo de fide certum esse, in Ecclesia esse potestatem dispensandi in votis, iuramentis, & similibus obligationibus, & debitis erga Deum contractis, vti patet ex Scripturis Matth. 16. vbi Dominus dicit Petro: *Tibi dabo claves regni calorum, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in calis*. Et Matth. 18. vbi Dominus dixit Discipulis: *Amen dico vobis, quacumque solveritis super terram, erunt* Matt. 18.

runt soluta & in cœlis. Quæ verba sicut generalia sunt, ita intelligi debent de omni vinculo, quod homo erga Deum contrahere potest, & aliquãdo solvi expedit. Deinde Scriptura alibi denotat perpetuum Ecclesiæ vsum hominem relaxares ab obligatione debitâ, v.g. 2 Cor. 2. vbi Apostolus suo facto ostendit Prælatos Ecclesiæ habere illam facultatem, in verbis: *Cui autem aliquid donastis & ego: nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* id est, Si quid remisi pœnarum propter vestram intercessionem, id tanquam Christi vicarius egi. Ad cuius loci clariorem intelligentiam sciendum est, hæc verba versari circa pœnam incestus, quam 1. Cor. 5. Apostolus cuidam inflixerat, eum excommunicando & tradendo Sathanæ in interitum carnis. Pro hoc iam contrito & aliquamdiu confuso rogaverant Corinthij Paulum, vt seriam pœnitentiam agenti ignosceret, & condonaret quod superetat pœnitentiæ. Annuit B. Paulus, & dicit. Cui *autem aliquid donastis*: id est, cui gratiam & remissionem fieri per Titum rogastis, *& ego* condono, seu, sicut *congregatis vobis & meo spiritu*, illum excommunicavi epistolæ 1. c. 5. sic nunc me vobis adiungo, vt quod me hortante ei condonabitis, & ego condonem. Licet enim Paulus propriè per potestatem & iurisdictionem tanquam Christi vicarius condonarit (vt bene notat eo loci Theodoretus dicens: *Ne quis existimaret eum propter gratiam hominum iustitiæ curam gerere, subiunxit, In persona Christi. Hoc, inquit, facio tanquam intuente Christo, & quod fit, gratum habente,*) & proinde publicè in Ecclesia Corinthiorum per Episcopum vel alium Prælatum hanc indulgentiam declarari, & promulgari iusserit; tamen voluit ex quadam humanitate laicos huic absolutioni cooperari, & suo consensu, voto, desiderio, precibus, commiseratione, convictu quodammodo etiam ipsos condonare hoc scandalum sibi & Ecclesiæ suæ datum, illiusque iustam pœnam sive pœnitentiam canonicam. Audi désuper Chrysostomum hom. 4. in hũc locum, vbi sic ait: *Ne redderet illos elatos, quasi huius negotij auctoritas penes ipsos esset, itàque fieret, vt non absolverent hominem; rursus adigit illos ad hoc, dicens se quòque illi condonasse. Nam & ego si quid donavi, propter vos, inquit, feci. Et quemadmodmum cum iuberet hominem resecari, non passus est penes illos esse auctoritatem condonandi, dicens, Decrevi tradere eiusmodi satanæ: sic rursus assumpsit illos in eius sententiæ consortium dicens, Congregatis vobis tradere illum: duas res maximas accurans, vt & proferretur sententia, & ne id fieret absque illis; ne videretur illos hoc facto lædere. Ac neque solus eam pronuntiat, ne videretur Apostolus esse præfractus, ipsosque contemnere: neque illis totum permittit, ne permissâ illis potestate dimitterent eum qui peccârat, intempestiuè illi condonantes:* itidem & hîc facit, dicens: *Ego iam condonavi, qui in priore epistola condemnâram.*

2. Cor. 2.

1. Cor. 5.

Theodoret.

Chrysost.

7. Porrò tum ex verbis Christi tum ex hac potestate Pauli clarum evadit, idem licere Prælatis Ecclesiæ in debitis ortis ex iuramento vel voto, vti perpetuò servatum est in Ecclesia. Et confirmatur, quia si Dominus contulit Ecclesiæ suę potestatem solvendi à vinculo culpæ, & à vinculo pœnæ; sequitur quòd etiam à vinculo votorum, & iuramentorum, præsertim cùm id sæpè ad salutem animarum & suavem Ecclesiæ administrationem sit necessarium. Confirmari potest secundò, quia princeps sęcularis, quando commune bonum postulat, vtiliter relaxat sibi debita: cur non etiam, qui locum Dei tenent in Ecclesia in spiritualibus? His congruit, quod Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, de potestate remittendi in medium profert: *Etenim qui terram incolunt, atque in ea versantur, ijs commissum est, vt ea, quæ in cælis sunt, dispensent: ijs datum est, vt potestatem habeant, quam* Deus *opt. neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit: neque enim ad illos dictum est, quæcumque alligaveris in terrâ, erunt alligata & in cælo: & quæcumque solveris in terrâ, erunt soluta & in cælo. Habent quidem*

Chrysost.

dem & terrestres principes vinculi potestatem, verùm corporum solùm. Id autem, quod dico, sacerdotum vinculum ipsam etiam animam contingit, atque ad cælos vsque pervadit: vsque adeo, vt quacũque infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cælestium potestatem illis à Deo concessam? Hanc autem habet summus Pontifex in omnibus votis; alij inferiores Prælati, habentes tamen iurisdictionem, in cœteris à Pontifice ipsis permissis. Nam quædam sibi reservavit, vt religionis approbatę, castitatis perpetuæ, peregrinationis ad limina Apostolorum Petri & Pauli, Compostellana ad S. Iacobum, & Ierosolymitana; vt habet vniversalis Ecclesiæ consuetudo.

8. Cœterum non est prætermittendum, quòd in his & alijs quibuscumque absolutionibus votorum, vt validè & licitè fiant, subesse debeat iusta causa, videlicet vtilitas Ecclesiæ, honor Dei, vtilitas etiam voventis, & magna fragilitas eiusdem, ob quam timetur sæpè violaturus. Nam facultas Prælatis concessa est ad ędificationem, non ad destructionem, vt patet ex Apostolo, qui 2. ad Corinth. 10. potestatem suam magnificans contra Pseudo-apostolos, qui eum nimię severitatis, audaciæ, & insolentiæ accusabant, dicit: *Si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostrâ, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram, non erubescam.* id est, Si etiam amplius aliquid, sive præ illis, qui mihi detrahunt, sive prę eo, quod est quomodocumque Christi ministrum esse, sive amplius, quàm soleam, gloriatus fuero de potestate nostrâ Apostolicâ, quâ non tantùm prędicare Evangelium, sed etiam corripere & punire delinquentes possum, quam dedit Dominus ad salutem vestram promovendam; non pudefiam tanquam atrogans, quia iure & cum honestate id facere possum. Quod iungo, quia popellus & plebecula putat superiores nullam rationem habere causæ, sed ob pecunias quasvis dispensationes concedi.

2. Cor. 10.

9. Sed quæstio ab aliquibus movetur, an Summus Pontifex valeat dispẽsare in voto sollemni castitatis religiosorum? Quod in gratiam plebis mussitantis super hoc libet attingere: illa enim existimat Religiosum ita voto adstringi, sicut aliquis per matrimonium obligatus est vxori, vt vinculum solvi non queat.

Quapropter dico resolutè Summum Pontificem posse relaxare votum sollemne castitatis Religiosorum, & concedere, vt matrimonium contrahant, si iusta causa subsit: qualis communis totius regni salus, alicuius pagani Principis, vel Regis ad Christi fidem conversio aut similis. Et ratio est, quòd sollemnitas voti solà cõstitutione Ecclesiæ sit introducta, vt habetur c. *Vnico* de voto in Sexto. In legibus autem Ecclesiasticis plenam dispensandi potestatem habet Pontifex.

10. Sed dices Levit. vltimo dicitur: *Omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.* Levit. vlt.

Respondeo hanc legem non concernere votum religionis, quia tunc eiusmodi institutum non extabat, & lex illa cæremonialis erat ad populum illum tantummodò spectans, adeoque Christi morte abolita. Adhæc constat, in sacra Scriptura tempore necessitatis licere etiam rem sacram adhibere in vsus non sacros, vt patet 1. Reg. 21. vbi Achimelech 1. Reg. 21. dedit Davidi panem sanctificatum, de quo Levit. 24. Cuius exemplum Levit. 24. allegat Christus contra Pharisæos accusantes Discipulos eius, quòd esurientes sabbatho vellerent spicas & manducarent, dicens: *Non legistis, quid fecerit David, quando esurijt, & qui cum eo erant, & quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque qui cum eo erant?*

11. Dices iterum, saltem extra-

neum est, Religiosum ita à voto absolvi, & ad statum matrimonialem transire: quia Eccl. 26. dicitur: *Omnis ponderatio non est digna continētis animæ.* Eccles. 26.

Respondeo non præferri eo loci bonum continentiæ omnibus omninò bonis aut privatis animæ, aut communibus Reipublicæ, ob quæ possit dispensari; cùm constet bonum orationis, contemplationis, martyrij, & simile esse maius: sed præfertur bonis externis vxor casta & temperata, vt patet ex verbis precedentibus, *Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata: omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ.* quod idem est, ac si dicat: Nihil est in rebus istis temporalibus, quod vxori verecundæ & fidem servanti æquivaleat, & cum eâ sit conferendum, aut quod præ eius continentiâ vir debeat eligere. hoc autem dicit Sapiens, vt doceat, quanti talem vxorem vir æstimare debeat.

12. Quæres ergò, quare matrimonij vinculum similiter non possit Pontifex dissolvere? Respondeo, vel sermo est de matrimonio rato, vel consummato. Si de priori, illud matrimonium non solùm Pontifex per monasticam professionem potest solvere, sed etiam vnusquisque per se, religionem ingrediendo ante consummationem matrimonij. Prius patet ex c. *Ex publico*, de conversione coniugatorum, vbi Alexander tertius motâ quæstione de simili casu sic decernit: *Cæterum, quia licet à præfato viro desponsata fuit* (id est illi matrimonio per verba de præsenti iuncta fuit) *adhuc tamen (sicut asserit) ab ipso est incognita: mandamus quatenus si prædictus vir ipsam carnaliter non cognoverit, & eadem ad religionem transire voluerit: receptâ ab eâ sufficienti cautione, quòd vel ad religionem transire, vel ad virum suum redire infra duorum mensium spatium debeat, ipsam à sententiâ, quâ tenetur, absolvas: ita quòd si ad religionem transierit, vterque restituat alteri, quod ab eo noscitur recepisse.* Et infrà. *Sanè quidem Dominus in Evangelio dicit, Non licere viro nisi ob causam fornicationis vxorem suam dimittere. Sed id intelligendum est secundum interpretationem sacri eloquij de his, quorum matrimonium carnali copulâ est consummatum, sine qua confirmari non potest.* Posterius constat cap. *Verum* eodem, vbi Pontifex Alexander Tertius scribit Archiepiscopo Salernitano, *Post consensum legitimum de præsenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium, sicut sancti quidam de nuptijs vocati fuerunt: dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos, & alteri remanenti (si commonitus continentiam servare noluerit) licitum est ad secunda vota transire. Quia cùm non fuissent vna caro simul effecti, satis poterit vnus ad Deum transire, & alter in sæculo remanere.*

Hinc D. Paulus legitur S. Theclam ante matrimonij consummationem à nuptijs revocasse, teste Epiphanio heres. 78. & Ambros. lib. 2. de virginibus. Divus etiam Augustinus lib. 8. Confess. c. 6. scribit duos milites lectâ Antonij vitâ mox vota monastica suscepisse, , relictis sponsis, quas habebant; illas verò, cùm id cognovissent, similiter fecisse. Vt vt est, Conc. Trident. sess. 24. Can. 6. contrarium sustinentes anathemate percutit. *Si quis*, inquit, *dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per sollemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit.* Epiphan. Ambros. August. Conc. Trid.

Si verò sermo sit de matrimonio consummato, certum est, Pontificem illud non posse dissolvere quoad vinculum. Ratio est, quòd sit iuris divini, quòdque Deus dispensandi potestatem post consummationem ademerit, iuxta illud Matt. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Et illud Pauli 1. ad Corinth. 7. *Ijs autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere.* Hinc idem Apostolus ad Rom. 7. c. dicit mulierem alligatam esse legi viri quamdiu vivit, nempè quoad vinculum, non autem quoad torum & cohabitationem subexistente causâ. Matth. 19. 1. Cor. 7. Rom. 7.

DISCVR-

DISCVRSVS PRIMVS IN TERTIVM PRÆCEPTVM.

Memento, vt diem Sabbathi sanctifices.

Quid sit sanctificare Sabbathum, & quid nomine Sabbati intelligendum veniat?



Nter Præcepta Decalogi tertio loco ponitur hæc lex: *Memento, vt diem sabbathi sanctifices.* & ordine cõvenienti. In primo enim & secundo tolluntur veræ religionis impedimenta, nimirum Idololatria, & aliæ superstitiones, & irreverentiæ, periuria, blasphemiæ, & sacrilega vota. Quibus sublatis fundamentum ponitur in tertio veri Dei cultus per externa aliqua signa, quale est de Sabbatho sanctificando. Proinde quęro, quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam notandum est, verbum, *sanctificare*, trifariàm vsurpari. Primò enim sanctificatur Deus, quando eum dignis laudibus extollimus, quod ferè fit, quando cum gratiarum actione ob beneficium impetratum mundo corde canimus hymnum, *Te Deum laudamus*, aut aliud quod Canticum, vt tres pueri apud Danielem in fornace salvi & incolumes omnes Daniel. 3. creaturas compellarunt, vt benedicerent Domino. Secundò sumitur *sanctificatio*, pro iustificatione, quando per Baptismum & Christianismum in alios homines vertimur. De quâ locutus est Apostolus Corinthijs 1. Cor. 6. quando dixerat gravissimos peccatores ibidem specificatos regnum Dei non possessuros 1.Cor. 6. aiebat enim tum illis: *Hæc aliquando fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* id est, à morte criminum venistis ad ad vitam virtutum. Tertiò. *sanctificare* vsurpatur pro aliquid servitio cultuique divino applicare. Sic Deus Exod. 20. dicitur sanctificasse Diem Sabbathi in verbis: *Sex diebus fecit Dominus cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requievit in die septimo: idcirco benedixit Dominus diei Sabbathi, & sanctificavit eum.* Exod. 20. Sic vestes & vasa dicuntur sanctificari, quando divino vsui applicantur. Exod. 28. Eodem modo sanctificamus certos dies, quando pietatis operibus sanctisque exercitijs illos transigimus.

2. Secundò notandum est duobus

bus modis, (quantum ad hoc præceptum attinet) in sacris litteris sabbathum sumi. Primò speciatim pro septimo die hebdomadis, in quo Deus quievit ab opere creationis, de quo Levitic. 23. *Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis sanctas. Sex diebus facietis opus: dies septimus, quia sabbathi requies est, vocabitur sanctus: omne opus non facietis in eo, sabbathum Domini est in cunctis habitationibus vestris. Hæ sunt ergò feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis.* Secundò pro quolibet die festo in quo per legem vacabatur à publicis privatisque servilibus operibus. Vnde loco citato de varijs Iudæorum festis dicitur: *A vesperà vsque ad vesperam celebrabitis sabbatha vestra.* Illa autem erant Neomenia, Pascha, Pentecoste, festum tubarum, expiationis, scenopegiæ, collectæ encæniorum.

Levit. 23.

Ibidem.

3. Primum videlicet sabbathum propriè dictum multis de causis Deus à Iudæis observari & sanctificari voluit, quarum aliquot à sacris Doctoribus annotatas adiungo. Vna est Athanas. orat. in illud: *Omnia tradita sunt mihi à patre meo*, vt Iudæi memores essent creationis, quia sex diebus creavit Deus vniversa, & septimo vacavit; & per hanc frequentem memoriam in veri Dei fide, & cognitione conservarentur, & perseverarent; hæc causa deducitur ex Exod. 20. *Memento*, inquit, *vt diem sabbathi sanctifices, sex diebus operaberis, & facies opera tua; septimo autem die sabbathum Domini Dei tui est: sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt; idcirco benedixit Dominus diei sabbathi & sanctificavit eum.* Hâc ergò ratione, illo festo veram Dei sempiternamq; divinitatem, omnia idola damnantes, profitebantur. Quoniam signum exterius præcipuum, quo verus Deus discernitur, & quo eius sempiterna virtus declaratur, est omnium rerum creatio: qui igitur Deum creatorem veneratur, & recolit; eundem, & solum Deum confitetur. Hæc causa est, cur Deum vetus testamentum toties creatorem repetat. Psal. 95. *Dij Gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit.* Ps. 113. *Benedicti vos à Domino, qui fecit cælum & terram.* Psal. 123. *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.* Sunt quàm plurima huiusmodi testimonia. Rectè ergò dixit Philo lib. de victimis, in principio, Sabbathi observantiam fuisse in æternitatis Dei honorem. Qui enim Deum creatorem confitetur omnium, eundem æternum affirmat.

Athanas.

Exod. 20.

Psal. 95.
Psal. 113.
Ps. 123.

Philo.

Secunda causa est Cyrilli lib. 4. in Ioan. cap. 51. & Ambros. Epist. 72. ad Irenæum, vt esset figura æternæ quietis; hæc enim est perfectum Sabbathum ab omni labore liberum: exponuntque hi Doctores omnia illa, à quibus in Sabbatho hoc abstinendum erat, ea significare, figuramque eorum esse quæ in æternâ gloriâ sunt: sequitur autem requies illa huius sæculi labores, sicut sabbathum reliquos dies quibus operatus est Deus. Tertia est August. lib. 4. super Genes. ad litteram cap. 10. vt esset figura quietis illius, quæ aliquando futura erat Christi in sepulchro; nam integro die sabbathi Christi corpus fuit in sepulchro, primus & tertius integri non fuerunt, sed per synecdochen quandam computantur. Quarta est Gregor. Nyssen. lib. contra Iudæos cap. de Sabbatho, quia illi Iudæi erant valdè negotiationibus dediti temporalibus, & lucris, in quibus fiunt innumeræ fraudes; voluit igitur Deus diem eligere, in quo ab omnibus his vacarent, & minorem peccandi occasionem haberent, Deoq; & ipsius legi liberiùs attenderent, & hunc elegit, in quo ipse vacasse dicitur. Quinta causa desumitur ex Deuter. 5. vt illius tam insignis beneficij, quo populus ab Ægyptiacâ liberatus est servitute, memor semper esset: dicitur enim ibi, *Memento quod servieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento; idcirco præcepit tibi, vt observares diem sabbathi.* Sexta causa est, vt esset signum, quod Israëliticus populus esset specialiter cultui Dei applicatus, vt indicatur

Cyrill.
Ambros.

August.

Deutr. 5.

Exod. 31. dicatur Exod. 31. in verbis: *Videte vt sabbathum meum custodiatis: quia signum est inter me & vos in generationibus vestris: vt sciatis, quia ego Dominus, qui sanctifico vos.* q. d. Quia sabbathum signum est, quòd vos mihi sitis populus, & ego sim vobis Deus, vtpote in cuius honorem, & ob cuius obedientiam colitis septimum diem, puta sabbathum, sacro otio, quasi protestantes me creatorem esse omnium, quæ sex diebus facta sunt, meque septimo hoc die ab omni opere meo cessasse; ideoque vobis annitendum est, vt illo die mens per orationem, aliaque pia exercitia in Deo quiescat, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam. *Vt sciatis quia ego Dominus, qui sanctifico vos*, qui scilicet vos ad cultum meum applico, mihique quasi dico & consecro per hanc festivitatem meam sabbathi, vt in eâ me sanctè colatis. Hæc ex Scripturis & auctoribus sacris deducuntur, quę ad pręsens institutum sufficiunt, ex quibus constat præceptum sabbathi ex parte morale, & ex parte cæremoniale esse: qua ratione enim, vt Deo vacarent, ac memores tantorum beneficiorum essent, institutum erat, ad mores pertinebat; qua ratione verò dies septima potiùs, quàm secunda, aut tertia, aut alia instituta est, hoc potius ad figuram & cæremoniam quandam pertinebat.

4. Alia verò festa, quæ Deus instituit, varias habent rationes: nempè, Neomeniæ sive Novilunij celebrari debebat in memoriam perpetuæ divinæ gubernationis, quasi gratias Deo agentes pro continuis beneficijs ab eius manu providâ & omnium gubernatrice procedentibus: simul etiam deprecantes, & effligitantes, ne in futuro eâ distituerentur; idcirco hoc festum celebrabatur in Novilunio, quod vtrumque continet tempus, cum sit præteriti finis, & futuri initium. Quod etiam in figura illis contingebat: vt enim

August. dicit Augustin. lib. cont. Faustum, cap. 10. Novilunij festum indicabat novitatem spiritus, & Evangelij per Christum legi imposito fine, & idololatriâ expulsâ efficiendam, de

Galat. 6. qua dictum est ad Galat. 6. *In Christo neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed nova creatura.* Et Tit. 3. Tit 3.
Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti.

Porrò non absque mysterio festum hoc non in plenilunio, quando lunæ virtus magis viget, sed in eius defectione celebrandum Deus præcepit. Cuius rei ratio ex quadam doctrina Gregor. Nazianz. orat. 2. de Paschate maximè elucidatur: erat quippe populus ille in idololatriam nimiùm proclivis, vtpotè ab idololatriâ abstractus, & idololatris circumdatus; idcirco dedit illi Deus sacrificia, & cæremonias, quæ sic Deo vero populum coniungebant, vt quandam etiam similitudinem, & vicinitatem cum ijs, quæ idololatræ agebant, haberent: hâc enim ratione, suavi & dulci manu ab illis Gentium ritibus ablactabatur; suo pòst tempore ab ijs etiam omnibus ablactandus. concessit igitur multa similia ritibus Gentium, sed in veri Dei cultum perfecta, & commutata. Vnde doctè & acutè dicit Gregorius legem illam velut maceriem quãdam inter Deum, & idola fuisse. Ex ijs causam propositæ difficultatis facile est intelligere: erant Hebræi propensi ad sacrificãdum Lunę cum gentibus, quam cœli reginam appellabant, vt constat Ierem 14. Prophe- Ierem. 14.
tamque audire detrectabant ea Sacrificia prohibentem: concessit igitur Deus, vt lunæ tempore sacrificarent sicut & Gentes; sed non, vt Gentes, ipsi Lunæ sacrificium offerrent, sed vero Deo lunæ, & cœli auctori: vtque hoc significaret, non in plenilunio, quando gentes sacrificare consueverant, sed in lunę defectione, ne lunæ virtuti quasi divinitatem habentis, sed ipsi vero Deo beneficia, quæ acceperant, & quæ sperabant, adscriberent. De hoc festo mentionem facit Moyses Nu- Num. 28.
mer. 28.

Pascha autem festum annuum celebrari voluit in memoriam liberationis

tionis Iudæorum: volens enim Deus de Ægypto Hebræos educere, & de manu Pharaonis eripere; iussit decimâ quartâ mensis Martij, qui apud illos ab eo tempore Domini præcepto primus anni mensis esse cœpit, vt in qualibet domo agnus immolaretur, cuius sanguine postes, & superliminaria ostiorum vngerentur; vt Angelus illâ nocte ad interficienda Ægyptiorum primogenita venturus pertransiret, & illæsas relinqueret domos agni sanguine tinctas: idcirco hoc festum dicebatur phase, id est, transitus, quia Angelus percutiens transibat per domos Hebræorum, primogenitis eorum parcens. In tanti beneficij memoriam præcepit Dominus Iudæis, quotannis festum celebrare, & decimâ quartâ die mensis Martij ad vesperam agnum per singulas familias immolare, eoque non crudo, nec aquâ cocto, sed igne asso vesci, quibusdam adhibitis cæremonijs, quæ
Exod. 20. Exod. 20. præscribuntur. Huic annexa erat sollemnitas Azymorum, quæ postridie paschatis incipiebat in memoriam egressionis ex Ægypto. Cum enim in exitu de Æpypto Iudæi præparassent massam, vt panes coquerent pro viâ; superveniebat primogenitorum occisio, ex qua Ægyptij vrgebant Iudæos ad egrediendum: ita vt fermentandi tempus non concederent; sed secum massam portantes infermentatam igne coquentes comederent: vnde in memoriam illius facti festum celebrandum fuit.

Pentecostes festum institutum fuit duabus de causis. Prima vt singuli suarum frugum primitias in gratiarum actionem Deo dependerēt,
Levit. 23. patet Levit. 23. v. 15. Altera causa fuit, vt Hebræi recordarentur legis datæ in Pentecoste, pro eâque gratias Deo agerent, legemq; illam recolerent, vt exactiùs eam observarent. ita S. Hieron. ad Fabiolam de
Hieron. 42. mansion. in 12. *Dedicatio*, inquit, *legis est Pentecoste.* Idem docet S. Augustinus quæst. 95. in Quæstion. ex novo testamento. Ingens enim Dei beneficium est lex, festoque celebrandum: est enim ipsa radius legis æternæ, manans à rationibus ideisque æternis, quæ vivunt in mente Dei, quibus ipse omnia regit & moderatur.

Festum tubarum, vt communis Hebræorum sententia est, institutū est in memoriam liberationis Isaac, quando aries cornibus suis inter vepres hærens pro Isaac patre Iudæorum communi immolatus est, & idcirco corneæ tubæ clangore in hoc festo Iudæi vtebantur. Non est hæc sententia improbabilis, est tamen alia quædam, cui consentire videntur Basil. & Theod. in illum locum Basilius.
Psal. 80. *Buccinate in neomenia tubâ.* quę Theodor. talis est, institutum esse hoc festum in memoriam divinæ contestationis factæ in monte Sina, quando legem dedit Deus populo per Moysen: tunc enim, Deo loquente populus audire sibi videbatur sonitum buccinæ, seu tubæ corneæ, vt habetur
Exod. 19. hanc sententiam confir- Exod. 19. mat, quod dictum est suprà de Pentecoste, nimirum eam non esse institutam in memoriam legis datæ. Hęc omnia probabilia sunt, nec certi aliquid statui potest.

Festum expiationis celeberrimum & maximæ venerationis apud Iudæos ex Domini præcepto dicimâ die mensis agebatur, vt constat Le- Levit. 16.
vit. 16. & 23. Eoque festo non solùm & 23. ab omni servili opere vacandum erat, sed oportebat vnumquemque animam suam ieiunijs, alijsque pœnitentiæ operibus affligere. Huic festo singulare erat, quod tunc summus Sacerdos ingrediebatur Sancta Sanctorum, nec præter hunc diem licebat illi ingredi, vt habetur Livit. Levit. 16.
16. Hebr. 26. quando ipse orabat, & Hebr. 9. pro se, & pro populo, offerebatque tam pro suis, quàm pro populi peccatis. Multæ cæremoniæ, & mirandæ significationis hoc die fiebant, quas legere facilè quisque potest, Levitic. 16. in hoc enim passio, & mors Christi, per quam expiati, & mundati à peccatis sumus, maximè repræsentabatur. Huius festi institutionis

tutionis causam ipsa Scriptura docet Levit 16. *Erit*, inquit, *vobis legitimum sempiternum, vt oretis pro filijs Israël, & pro cunctis peccatis eorum semel in anno.*

Festum Tabernaculorum in memoriam illius beneficij, quo Deus Iudæos voluit habitare in tabernaculis, cùm egressi ex Ægypto versabantur in solitudine. Festum Cœtus atque Collectæ, in quo colligebantur à populo ea, quæ erant necessaria ad expensas divini cultus, vt notat D. Thomas in 1. 2. q. 102. art. 4. ad. 10. D. Thomas

5. Quæres, an alia non fuerint festa inter Iudæos, præterquam hęc à Deo instituta? Respondeo alia fuisse quinque ab Israëlitarum Pontificibus & sacro Senatu, magnâ populi voluntate instituta, & studiosè quotannis observata. Primum fuit tempore Iudith ad agendum Deo gratias pro liberatione ab hoste Holoferne. Secundum fuit festum Sortium tempore Ester in memoriam liberationis gentis Israëliticæ ab hoste Aman. Vide Dircursu 71. in primum Præceptum, num. 9. Tertium, erat festum encœniorum institutum in memoriam restaurationis altaris; quod cum esset à gentibus profanatum, reædificatum est à Iudâ Machabæo, de quo sic legitur 2. Machab. 10. *Quâ die templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eâdem die purificationem fieri, vigesimâ quintâ mensis, qui fuit Casleu: & cum lætitiâ diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, recordantes quòd ante modicum temporis diem sollemnem tabernaculorum in montibus, & in speluncis more bestiarum egerant. Propter quòd thyrsos, & ramos virides, & palmas præferebant ei qui prosperavit mundare locum suum. Et decreverunt communi præcepto & decreto, vniversæ genti Iudæorum omnibus annis agere dies istos.* Quartum festum recepti è cœlo ignis 2. Machab. 1. Quintum verò fuit ob victoriam insignem institutum, quam Iudas Machabæus contra Nicanorem Regis Syriæ ducem, qui infinito pœnè militum numero civitatem invaserat, ope divinâ obtinuit: hinc enim publico consilio & mandato festum quotannis celebrãdum fuit. Vide 1. Machab. 7. & 2. Machab. 15.

Ester 1.

2 Mach. 10.

2. Mach. 1.

1. Mach. 7.

2. Mach. 15.

6. Quæres iterum an hæc festa à Christianis celebrari licitè possint? Respondeo 1. nullâ ratione licere Christianis sabbathum propriè dictum, quatenus cæremoniale erat, celebrare, idque sub pœnâ peccati mortalis. Ratio est, quòd omnia cæremonialia adveniente Christo sint abolita, quòdque Ecclesia idcircò præcepto suo illud caverit, c. *Pervenit*, de consec. dist. 3. Quod sumptum est ex Gregor. Magno lib. 11. epist. 3. vbi contra quosdam invehitur, qui cum die Dominico simul sabbatum Iudaicum servabant, dicitque eos Antichristum imitari, qui simulans se mori & resurgere, Dominicum diem faciet servari; & vt Iudæos attrahat, simul sabbatum retinebit, his verbis: *Pervenit ad me, quosdam perversi spiritus homines prava inter vos aliqua, & sanctæ fidei adversa seminasse, ita vt die sabbathi aliquid operari prohiberẽt. Quos quid aliud nisi Antichristi prædicatores dixerim? Qui veniens, diem sabbatum atque Dominicum ab omni faciet opere custodiri. Quia enim mori se & resurgere simulat, haberi in veneratione vult diem Dominicum: & quia Iudaizare populũ compellit, vt exteriorem ritum legis revocet, & sibi Iudæorum perfidiam subdat, coli vult sabbathum. Hoc enim quod per Prophetam dicitur: Ne inferatis onera per portas vestras die sabbati: tamdiu teneri potuit, quamdiu legem licuit iuxta litteram custodiri. At postquam gratia omnipotentis Dei Domini nostri Iesu Christi apparuit, præcepta legis, quæ per figuram dicta sunt, iuxta litteram servari non possunt. Nam si si quis dicit hoc de sabbato esse servandum, dicat necesse est etiam carnalia sacrificia persolvenda; dicat præceptum quoque de circumcisione corporis huc vsque retinendum.* Alia etiam ratio suppetit, quia illud sabbatum erat etiam in memoriam ab Ægyptiacâ servitute liberationis, quæ fuit illi populo particularis & totius humanæ redemptionis figura: cũ igitur iam non

fit illius populi distinctio, sed vna Ecclesia, in quâ non est distinctio Iudæi & Græci, non est cur particulare illius populi beneficium celebretur: hoc enim est profiteri adhuc non esse vnam Ecclesiam, in quâ Gentium & Iudæorum non sit distinctio: item non esse lapidem angularem vtraque facientem vnum, & maceriem divisionis dissolventem. Et eâdem est, etiam ratio de Paschate, Pentecoste, & alijs cæremonialibus festis Iudæorum. Secundò, licet quidem Christianis Deo gratias agere pro beneficijs diversis temporibus nationi Israëliticæ concessis: sed nulla est obligatio celebrandi eorum festa, quamvis non sint figurativa; eo quòd ad ad Christianos non pertineant.

7. Verùm tenentur Christiani ad observationem festorum tum ab Apostolis, tum ab Ecclesiâ, tum etiam ab Episcopis in suâ Diœcesi particulariter institutis. Ratio est, quòd summus Pontifex quoad vniversalem Ecclesiam, & Episcopus quoad particularem respectivè potestatem habeant condendi leges obligantes in conscientiâ. Qualia sunt, primò, dies Dominicus: Is enim ab Apostolis ex sabbatho transmutatus est ob varias causas: quarum prima est Christi resurrectio. Secunda ad excludendum errorem Gentilium, qui diem illum in honorem Solis celebrabant. Tertia, ne pari ratione ritus ac cæremonias Iudæorum observare videremur, quia adveniente Christo cessare debuit figura, & sabbathum in diem Dominicum transmutari, in quo animarum, & corporis requies significatur, vt dixi. Quarta, quia multa opera insignia eo die facta suut. De quibus sic D. Leo, vt refertur dist. 75. c. *Quod die Dominico... Dies Dominica tantis divinarum dispensationum mysterijs est consecrata, vt quidquid à Domino est insigniter institutum, in huius diei dignitate sit gestum. In hac die mundus sumpsit exordium, in hâc per resurrectionem & mors interitum, & vita accepit principium,* Proinde eum ab Apostolis servatum esse patet Act. 20. & 1. Corinth. 16. Conveniebant enim tunc fideles specialiter ad missam & communionem, & offerre solebant eleemosynas. Sic enim dicitur priori loco: *Vna autem sabbathi, cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis.* Posteriori: *Per vnam Sabathi vnusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei benè placuerit, vt non cum venero, tunc collecta fiant*

Leo. — Act. 20. 1. Cor. 16

Itaque illum diem sanctificare necesse est, tum etiam alia festa ad Christum spectantia, veluti Incarnationis, Circumcisionis, Epiphaniæ, & alia huiusmodi recensita cap. 1. de Consecr. dist. 3. Hæc enim omnia ad reparationis nostræ beneficium recolendum spectant. Vnde est illud Nazianzeni admirantis orat. 38. *Papè, quot mihi festos dies singula Christi mysteria suppeditant. quorum omnium hoc vnum caput est, atque vnus hic scopus, nimirum mea perfectio & instauratio, & ad illum primum Adamum reditus.* Nazianz.

8. Secundò sanctificanda sunt festa in honorem B. Virginis & Sanctorum constituta, tum à Pontifice, tum ab Episcopis respectu suarum Diœcesium, vt patet ex c. *Conquestus* de ferijs vbi Pontifex Gregorius nonus decernens, quando iudicialis strepitus debeat conquiescere dicit: *Quamvis non prorogari, sed expediri deceat quæstiones; debet tamen iudicialis strepitus diebus conquiescere feriatis, qui ob reverentiam Dei noscuntur esse instituti* (videlicet à summo Pontifice) *scilicet Natalis Domini, sancti Stephani, Ioannis Evangelistæ, Innocentium, S. Silvestri, Circumcisionis, Epiphaniæ, septem diebus Dominicæ passionis, Resurrectionis cum septem sequentibus, Ascensionis, Pentecostes, cum duobus qui sequuntur, Nativitatis Ioannis Baptistæ, Festivitatum omnium Virginis gloriosæ, duodecim Apostolorum, & præcipuè Petri & Pauli, B. Laurentij, Dedicationis beati Michaëlis, Sollemnitatis omnium Sanctorum, ac diebus dominicis.* Et immediatè post addit: *Cæterisq; sollemnitatibus quas singuli Episcopi in suis Diœcesibus cum Clero & populo duxerint sollemniter venerādas.* Et quā-

vis

vis hic habeatur, *cū Clero & populo duxerint sollēniter venerandas*, consuetudo videtur sic interpretata hunc Canonem, vt satis sit Episcopum cum consilio aliquorum de Clero, festa instituere, & populum consentire, quando iustè non contradicit.

9. Sed dices, quòd festa Christi observanda sint, facilè comprehēdo. at velim intelligere, cur Ecclesia festos dies Sanctorum instituerit?

Respondeo varias ob causas. Prima, quia se patronos apud Deum pro nobis exhibent. Hanc attigit. Ioan. Damasc. lib. 4. c. 16. dicens: *An non honorandi sunt, qui totius humani generis patronos se profitentur? honorandi quidem, & ita certè vt in eorum honorem templa Deo exstruamus, dona offeramus, eorum memorias recolamus, atque in eis spiritualiter oblectemur.* Et hinc Chrysost. multis antè sęculis serm. de Sanctis Iuventino & Maximo Martyribus, inquit: *Illos non indignum fuerit, & columnas, & scopulos, & turres, & candelabra, & tauros simul appellare. Nam Ecclesiam sicut columnæ sustinent: sicut turres muniunt: & sicut scopuli omnes vndarū assultus repulerunt, multam interim ipsi servantes tranquillitatem, sicut luminaria tenebras impietatis discusserunt: & sicut tauri, anima promptitudineque eâdem, suave Christi iugum traxere. Idcirco sæpe eos invisamus, tumulos adornemus, magnâque fide reliquias eorum contingamus, vt inde benedictionem aliquam assequamur. Etenim sicut milites vulnera quæ in prælijs sibi inflicta Regi mōstrantes, fidenter loquuntur: ita & illi in manibus abscissa capita gestantes, & in medium afferentes, quæque voluerint apud Regem cælorum impetrare possunt.*

Ioan. Damasc.

Chrysost.

Secunda ratio est ad confusionem Hæreticorum negantium Sanctos videre Deum ante diem iudicij, & vt profiteamur Sanctorum invocationem nobis vtilem Deoque gratam esse, ac eorum honorem in Deum redundare.

Tertia, vt provocemur ad eorum imitationem: vt enim inquit August. serm. 47. de Sanctis, *Sollemnitates martyrum exhortationes martyriorum sunt, vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat.* Quod ipsum etiam scribit lib. 2. de Civit. cap. 21. dicens. *Populus Christianus memorias Martyrum religiosâ sollemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem*, addens *& vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuvetur.* Eadem est ratio de alijs Sanctis. Vide dicta de cultu Sanctorum latiùs in primum Præceptum.

August.

10. His positis, non inutiliter sciscitaberis, an non aliter teneantur Christiani prędicta festa sāctificare, ac Iudæi sabbathum propriè dictum, aliaque festa? Respondeo longè aliter teneri Christianos, quàm ex vi verborum tertij Pręcepti deprehenditur. Nam ex eo tantùm obligabantur Iudæi negativo cultu, videlicet quiescere ab operibus servilibus: Christiani verò illis diebus ad præceptum affirmativum obligātur, videlicet audiendi Missæ sacrificium, quod tam antiquum est præceptum, vt certum videatur à tempore Apostolorum habere originem. Id enim supponitur in Can. *Decem Apostolorū*, & c. *Omnes fideles*, de Consecr. dist. 1. Accessit postmodum Concil. Agathense, quod transgredientes hoc præceptum confusioni publicæ ab Episcopo infligēdæ subijcit, vt habetur cap. *Missas* de Consecrat. dist. 1. in hæc verba: *Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus, ita vt ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat: quod si fecerint ab Episcopo publicè confundantur.* Quę lex ab Ecclesiâ cōmuni vsu recepta est.

Conc. Agathens.

Et iuxta communem Doctorū sententiam obligat pręceptum illud audire missam integrā, id est ab Evangelio inclusivè vsque ad finem sub peccato mortali Dominicis & festivis diebus, non solùm incolas à septennio, sed etiā peregrinos per aliquot dies hærentes eo loci, vbi festum est; non autem præfestinè tantùm transeuntes.

11. Sed dices, mirum est hoc pręceptum tam strictè obligare, cū sit iuris positivi humani, seu Ecclesiastici.

Respondeò, id non esse mirū, quia licet sit Ecclesiasticum, valdè tamen consentaneum est iuri naturali & divino. Primum certum est,

 quia

quia præceptum sacrificandi est de iure naturæ: Discursu 38. in 1. præceptum; vnde apud quasvis gentes servatum est, sicut alibi docui per exempla Cain & Abelis, Iob, Melchisedech, Genes. 4. Iob 1. & Genes. c. 14. ac varia sacrificia instituta in lege Mosaicâ, quę figurarunt sacrificium cruentum in cruce, Et Melchisedech sacrificium incruentum, à Christo ante mortem institutum. Iuri autem Divino etiam est conforme ex eo quòd Christus voluerit Sacerdos secundum ordinem Melchisedech in Ecclesia perpetuum coli hoc genere sacrificij iuxta illud Matt. 26. *Hoc facite in meam commemorationem*, nempè vel offerendo vt Sacerdotes, vel assistendo vt cæteri, sicut ipse Christus tunc sacrificavit, & Apostoli astiterunt. Tertiò non mirum est illic assistendum esse: quia Deus ad recolendum beneficium in cruce pro nobis peractum illud instituit, vt patet ex dictis verbis. Vnde eius transgressionem Deo mirificè displicere, non est dubium.

Genes. 4. Iob. 1. Genes. 14.

12. Porrò si vis ad oculum videre, quanti Deus transgressionem in re parvâ ordinatâ ad eius recognitionem æstimet, recole eiectionem Adæ ex Paradiso contigisse ex eo, quòd vetitum fructum gustaverit. Hoc enim præceptum illi erat positum, vt quasi tributo per illius abstinentiā Deum recognosceret Creatorem cœli & terrę, omniumque eorum in particulari, quibus hominem præfecerat. Examina etiam, quod contigit Davidi & populo, 2. Reg. 24. vbi ob numeratum populum datur optio trium plagarū, vt eligeret ex ijs, quam vellet sibi à Domino infligi, quæ habentur v. 13. *Aut septem annis veniet tibi fames in terrâ tua, aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, & illi te persequentur: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terrâ tuâ.* Quam vltimam elegit, ex qua mortua sunt septuaginta millia virorum.

2. Reg. 24.

Si factum hoc extrinsecùs tantùm consideres, miraberis quid mali in enumeratione populi, quâ David fœlicitatem suam popularibus extulit incrementis, & lucra multiplicati exercitus inter principalia gaudia numeravit, vt loquitur Ambrosius libro de Pœnitent. capite 9. Sed si penitiùs rem inspexeris, invenies Regis & populi aliquod peccati genus, quod non leve. Illud verò sumitur ex lib. Exod. cap. 30. vers. 12. vbi lex præscribitur, quæ in censendo populo servari debeat: *Quando tuleris summam filiorum Israël iuxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino: & non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli iuxta mensuram templi.* Peccatum autem Davidis, erat, quòd bello non instante recenseret populum sine iussu Dei, quia illud Deus sibi soli reservarat. Ita Ambros. epist. 28. dum ait: *Culpa autem erat Davidis, quoniam voluit scire numerum totius plebis, quæ secum erat, quod scire Deo soli debuit reservare.* Ex qua causa Ioab, cui numerandi populi datum erat negotium, sic affatus est Davidem: *Quare hoc quærit Dominus meus, quod in peccatum reputetur Israëli.* 1. Paralip. cap. 21. & quòd à populo censum præscriptum non acceperit.

Ambros. Exod. 30. Ambros. 1. Paral. 21.

Populi verò peccatum fuit, quòd recensitus nō dependerit dimidium siclum, quem deferre ad Tabernaculi sumptus à lege cogebatur. Voluit enim Deus in censu pretium hoc sibi à quolibet Hebræo solvi, Primò, ad hoc, vt scirent, & meminissent Hebræi illam populi sui multiplicationem esse à Deo, & ex promissione patribus factâ, Deumque curam populi sui gerere, Deumque quasi sibi in numerato velle habere. Hoc enim significatur tributo, quod templo pendebatur. Secundò, vt doceret neminem sui capitis, suæque vitæ esse dominum, sed omnes vnum habere dominum, scilicet Deum, inquit Sanctus Cyrillus lib. 2. in Ioannem, capite 92. Tertiò, vt per hoc temporale significaretur spiritale tributum legis novę, quod est adorare Deum in spiritu & veritate, quod quilibet à Deo numeratus,

S. Cyrill.

neratus, id est, Christianus illi pendere debet, ita Sanctus Cyrillus. Et quia David & populus in hac recognitione legi non satisfecerunt, hinc secuta plaga pestilentiæ, quâ septuaginta millia virorum extincta sunt. Ex quibus facile erit colligere, quòd magnam rationem habuerit Ecclesia Dei obligandi ad sacrificium Missæ ritè audiendum sub pœnâ tam gravi, quandoquidem minora ordinata ad recognitionem, & tributum humanæ subiectionis ad Deum, tam graviter mulctaverit.

13. Verùm enimverò notandum, non satis esse Christiano, vt præcepto satisfaciat, audire sacrũ; sed requiri intentionem voluntariam præsentiæ; quin etiam attentionem necessariam ad ea, quæ dicit, vel facit Sacerdos, vt ad res sacras, & in eâ perseverare saltem virtualiter. Vnde confabulãs continuò in parte notabili Missę, aut voluntariè distractus his & illis rebus trutinandis, & respiciendis, præcepto non satisfacit; imò gravissimè in Deum peccat. Exempla sint eorum, qui cõputus suos eo tempore faciũt in Ecclesiâ, negotia alia rimantur, scrutantur; aut aspiciẽdis formis virorum & mulierum respectivè & deliberatè liberaliter vacant. In quos posteriores D. Chrysostomus sic invehitur homil. 74. in Matthæum: *Multi ad formas mulierum adspiciendas, ad adolescentulorum pulchritudinem curiosiùs intuendam, in Ecclesiam veniunt: Deinde non miraris, quomodo vndique fulmina non deferuntur, quo modo cuncta funditùs non evertuntur. Hæc enim non fulminibus solùm, sed etiam gehennæ supplicio dignissima. Verùm Deus cùm longanimus & misericors sit, vt in pœnitentiam te adducat, iram suam interea retinet. Quid facis homo? Mulierem curiosius in Ecclesiâ perscrutaris, nec horrescis tantâ templum Dei afficiens contumeliâ? Prostibulumne tibi videtur Ecclesia, & foro ignobilior? Nam in foro erubescis, etiam times, ne quis te videat mulierem sectari: in Ecclesiâ verò Dei, cùm ipse Deus te alloquatur, & ab istis deterreat: eo ipso tempore maximè fornicatione, ac adulterio vteris, quo tibi magnâ voce intonatur, vt ab his fugias, nec horrescis, nec stupes.* Et homil. 15. ad Hebræos, risum in Ecclesia ob similem causam insectatur, dicens: *Stat Sacerdos Dei orationem offerens cunctorum, tu autem rides, nihil timens: & ille quidem tremens orationem pro te offert, tu autem contemnis. Non advertis Scripturam dicentem: væ contemptoribus: Non contremiscis? non colligis temetipsum? Et in aulâ quidem regiam intraturus, & habitu, & oculis, & incessu, & in cunctis alijs cõponis & ornas temetipsum: huc autem ingressurus, vbi verè est aula regia, & talis, qualis cœlestis est, rides.*

Chrysost.

14. Sed dices, Deus hæc non tam strictè interpretabitur. Respõdeo, id esse valdè futile; cum dixerit Christus: *Qui vos audit, me audit*, Et, *qui vos spernit, me spernit*: ac perinde esse sic coactum adesse, ac nõ adesse; & alijs vacare, esse instar canis adesse. Et ne putes hęc tantùm verba esse, Deumque ista non ponderare, audi, quid incurijs quibusdam in cultu suo minatus sit, Malach. c. 2. vbi dicit: *Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, vt detis gloriã nomini meo, ait Dominus exercituum; mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & & maledicam illis; quoniam non posuistis super cor. Ecce ego projiciam vobis brachiũ, & dispergam super vultum vestrum stercus sollemnitatum vestrarum, & assumet vos secum.* quibus verbis declarat primò gloriam nomini suo detrahi. secundò quòd mittet egestatem & maledictionem, quæ labores diuturnos & graves momento temporis exurit, & perdit. Sic maledixit Dominus terrę, & inducto diluvio cuncta vastavit, vt colligitur Genes. 8. ex verbis, *Nequaquam vltrà maledicã terræ*. Et apertiùs patet Matth. 21. vbi Christus maledixit ficui, & confestim exaruit. tertiò promitit illis reiectionem cum ignominiâ, in verbis, *Ecce ego projiciã &c.* id est, meo brachio, meâque potentiâ vos projiciam & disperdam, & curabo, vt vocemini stercorarij, viles & abiecti; stercus enim symbolum est probri & ignominiæ.

Malach. 2.

Genes. 8.

Discursus II.

In eadem verba.

An praceptum hoc non obliget ad alia, quàm ad audiendum sacrum, & an nunquam in eo cadat excusatio.



DVrum erat olim Domino Deo servire, quia magni sumptus erant supportandi diebus festivis. Quæro an etiam nunc simile quid fieri necesse sit?

Num. 28. 1. Num. 28. præscribit Deus statas victimas in festis offerendas: Primò, vt quotidie agnus vnus manè, & alter vespere immoletur, quod erat iuge sacrificium figura sacrificij Missæ in novo Testamento, primò ratione rei oblatæ. Nam sicut in illo offerebatur agnus immaculatus: ita in hoc offertur Christus qui est agnus sine maculâ, Ioan. 1. v. 29. *Ecce agnus Dei, ecce* qui tollit peccata mundi. Secundò ratione loci. Sicut ille offerebatur in Tabernaculo; ita hîc in Ecclesiâ. Tertiò ratione durationis. Sicut ille offerebatur quotidie; ita Christus offertur quotidie. Vnde etiam apud Danielem cap. 12. v. 11. vocatur, *iuge sacrificium.* Quartò ratione determinationis. Sicut ille offerebatur manè & vespere; ita Christus à principio mundi vsque ad finem Apocal. 13. v. 8. *Agnus qui occisus est ab origine mundi.* non quidem reipsa, sed per energiam. Quintò ratione adiuncti. Sicut ille offerebatur cum similâ & vino; ita Christus quotidie offertur sub specie panis & vini.

Ioan. 1. — Dan. 12. — Apoc. 13.

Secundò, præcipitur loco citato Numerorum, duo agni mane immolentur in Sabbatho.

Tertiò, vt in Neomeniâ seu primâ die mensis in holocaustum immolentur vituli duo, aries vnus, & agni septem, pro peccato verò hircus vnus. Deinde exod. 23 dicitur: *Non apparebis in conspectu meo vacuus.*

2. Quæritur, an pariter in novo Testamento sit obligatio præter auditionem missæ quid offerendi?

Respondeo, fuisse opinionem quorundam id affirmantium, ac probantium ex cap. *Omnis Christianus,* de consecrat. dist. 1. vbi Gregorius Septimus sic ait: *Omnis Christianus procuret ad missarum sollemnia aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam, quod Deus per Moysen dixit: Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Nihilominus ex communi sententia Theologorum, & Canonici iuris Interpretum, Dico resolutè, neminem offerre debere, nisi quatuor de causis, iuxta D. Thomam, 2.2. q. 86. art. 1. Nimirum primò cùm quis ratione census, pensionis, aut conventionis antea factæ aliquid Ecclesiæ dare debet. Deinde, cum quis testamento, vel donatione inter vivos est obligatus. Tertiò, cum Sacerdos indiget: nam minister Ecclesiæ ali, & sustentari debet. Quartò, cum alicubi est consuetudine introductum, vt in diebus Dominicis, & festis aliquid offeratur. Quod autẽ dicitur Exod. 23. *Non apparebis in conspectu meo vacuus,* partim iudiciale erat, & partim naturale, quia præcepit Deus ibidem oblationem, cuique accedenti ad Tabernaculum, vel templum, tanquam religionis actum pertinentem tum ad cultum sibi debitum, tum ad Levitarum sustentationem. Et quatenus Iudiciale est, ad nos non pertinet; quatenus verò naturale est, obligamur illi satisfacere, sic vbi consuetudine est introductus quartus modus ad ministrorum sustentationem.

Gregor. Septim. — D. Thom. — Exod. 23.

3. Quæritur secundò, an obligemur

mur, horis vespertinis, & laudibus interesse, & concioni Parochi?

Respondeo, certum esse, nullam legem Ecclesiasticam de eo extare: sed alicubi consuetudine id ita introductum esse, videlicet in partibus vicinis Gallicanis, vt nemo possit ab ijs abesse, quin censeatur scandalum dare activum, imo instar hæretici habeatur; licet aliàs nullatenus peccatum mortale incurreret. Obligari autē quis potest ad audiendam concionem, quando illi necessaria est instructio, idq; magis in parochiali Ecclesiâ. Primò, quia Conc. Trident. sess. 24. cap. 4. de reformat. sic habet: *Moneat Episcopus populum diligenter, teneri vnumquemque Parochiæ suæ interesse, vbi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* Secundò, quia Parochi ex officio tenentur populum instruere de ijs, quæ sunt necessaria ad salutem. Vnde dicit Paulus, necessitatem sibi incumbere, *& va mihi, si non evangelizavero.* quod idem est ac si dicat, æternam mihi maledictionem accersam, tanquam Dominici præcepti transgressor, si non Evangelizem, seu si munus evangelizandi deseram: adeoque insinuat Apostolus Pastores, Episcopos, Archiepiscopos sub peccato mortali obligari ad prædicationem, cum *va* iram Dei & gehennam talibus intentat (Intellige quando non sunt legitimè impediti, vt expressit Tridentinum sess. 5. cap. 2. & sess. 24. cap. 4.) Ex quo etiam natum est præceptum Conc. Diœcesani Mechliniensis tit. 10. c. 5. quod sic habet: *Quia vnusquisque iuxta Concilium Tridentinum parochiæ suæ interesse tenetur ad audiendum verbum Dei, vbi commodè id fieri potest; quo tempore illud in Ecclesia Parochiali annuntiatur, nemo in capellis, quæ parochiæ finibus continentur, concionari, aut Missam celebrare præsumat sub pœnâ arbitrariâ. Et similiter, nemo in eâdem Ecclesiâ sub concione missam etiam privatam celebret.* quod vtinam præcisiùs servaretur.

Conc. Trident. — 1. Cor. 9. — Trident. — Conc. Mechlin.

4. Sed quæres, vtrum Christiani teneantur diebus festivis ad contritionem, & actum pœnitentiæ, aut sacrificia interna, vt sunt devotio, actus fidei, spei & charitatis, carnis & concupiscentiarum mortificatio, quandoquidem Isa. cap. 1. dicit Dominus sibi propter peccata populi displicere sacrificia, Nœmeniam, sabbathum, & alias festivitates veteris Testamenti, in verbis: *Ne offeratis vltra sacrificium frustrà: incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & sabbathum, & festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri: calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea: factæ sunt mihi molestæ, laboravi sustinens. Et cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Tum etiam quia Apostolus ad Rom. 12. obsecrat eos per misericordiam Dei, vt exhibeant *corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* id est, vt se vivos per viva opera novæ vitæ spiritualis puta charitatis, eleemosynæ, orationis, & quarumvis virtutum Deo offerant, & mortificationi corporis incumbant. Rursum sit cultus vester erga Deum non irrationalis, vt erat Gentium stultè idola colentium, sed sit rationabilis, qui scilicet rationales homines decet: nimirum non pecudibus, sed fide, spe, charitate, sacrificate non Idolis, sed Deo.

Isa. 1. — Rom. 12.

Respondeo & dico primò quemvis satisfacere præcepto & sanctificare sabbathum, quando debitè assistit Sacro, eo modo quo dixi, neque obligari sub peccato diebus festivis ad contritionem & actum pœnitentiæ præcisè ex hoc præcepto: nec refert, quod Isaias dicat peccatorum sacrificia Deo displicere vel odio esse. Nam ratio istius temporis ab hodierno est longè diversa. Sacrificia enim veteris Testamenti non placebant Deo ex opere operato, vt facit sacrificium novæ legis, cui Christiani tenentur interesse diebus festivis; sed tantùm ex opere operantis, seu ex devotione offerentis. Et quia Iudæi quantumvis peccatores summam sanctitatem, pieta-

pietatem, & placationem Dei ponebãt in externis hisce sacrificijs, quasi per se Deo placerent, eumque placarent; hinc reprehendit eorum sacrificia, victimas incensas & crematas, neomeniam, sabbathum & festa, & dicit hæc sibi esse abominabilia, nec orationes eorum exauditurum, quod pleni essent sceleribus. Non refert etiam quòd Apostolus Romanos, & in ipsis omnes moneat purâ, & sanctâ mente, ratione, & spiritu ipsum corpus, omnesque corporis motus & actus Deo offerre: id enim per se faciendum est; sed tamen illo tempore sub novo peccato non obligat.

5. Dico secundò, quamvis non peccet mortaliter quis iocando, ludendo, alijsq; recreationibus, auditâ Missâ, tempus terens; tamen multis se privat fructibus, qui pietati illis diebus non incumbit, vti colligitur ex Isaiæ cap. 58. vbi dicitur: *Si averteris à sabbatho pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaveris sabbathum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, & glorificaveris eum, dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem.* id est. Si in Sabbatho non tantùm quieveris ab opere; sed etiam non sequaris tuam voluntatem & concupiscentias, indulgendo gulæ & genio, sed vacando orationi, concioni, lectioni, meditationi. Si non profanes sabbathum, sequendo voluntatem, id est, libitum passionum tuarum; sed vti ab opere, ita pariter à vitijs sabbathum, id est, otium & quietem agas. Et si delicatè & tenerè observaveris quasi diem sanctum, & gloriæ, ac glorificationi Domini dedicatum, vt totus Deo, Deique voluntati cognoscendæ, amandæ, & adimplendæ vaces: quin etiam non loquaris sermonem qui non prodest, sed abstinueris à confabulationibus vanis, ridiculis, nugosis, detractorijs, irrisorijs, petulantibus, obscœnis, & rixosis, quibus carnales homines solent diebus festis tempus terere, hæc præmia consequeris *Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. os enim Domini locutum est.* quasi dicat Propheta, Si abstraxeris te à delicijs carnis tria præmia consequeris. Primum, magnam habebis spiritus delectationem seu delicias longè maiores, videlicet pro carnalibus spirituales, pro temporalibus æternas, pro humanis divinas. Anima enim nostra delectatione carere nequit, sed si vnam non habet, aliam quærit: quocirca Deus huic eius affectui naturali indulgens, suam ei offert, si terrenam respuat. Id expertus David canebat: *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum.* Et, *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Gustato* enim *spiritu, desipit omnis caro.* Perinde vt filius Regis inter rusticos rusticè educatus, si rediens ad aulam, eius delicias gustet, fastidit omnes delicias rusticanas.

Isa. 58.

6. Secundum erit, quòd efficiet Deus, vt magno animo terrena omnia contemnas, sive prospera sive adversa, sive honores, sive contemptus, in verbis: *Et sustollam te super altitudines terræ.* Altitudo autem terræ magnas delicias continebat, vt colligitur ex illo Deuter. 32. *Constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, & sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo, butyrum*, &c. Atque adeò dicit: sustollam te eousque in Deum, vt inter mundanas varietates ibi fixa sint corda, vbi vera sunt gaudia. Deut. 32.

Tertium, quòd replebit huiusmodi hominem spiritualibus bonis in hæreditate cœlesti, in verbis: *Et cibabo te hæreditate Iacob patris tui: os enim Domini locutum est.* id est, dabo tibi insignia illa bona, quæ promisi Abrahæ Isaac, & Iacob; nimirum delicias & divitias gratiæ cœlestis, & virtutum, ac deinde gloriæ & fœlicitatis æternæ in cœlo. Ecclesia enim militans inchoat, & tendit ad triumphantem. Alludit ad terram Iudæis promissam; ad hanc enim è Babylone ipsos sperantes, & se colentes reduxit Deus, q. d. Non hanc Iudaicam, sed longè altiorem, scilicet

licet terram viventium, tibi dabo: ibique te cibabo: ijs epulis, *quas nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt.* Ita S. Hieronym. Cyrill. & Procopius. Iam vt hęc confirmet, & magis singulorum menti infigat, solitum Prophetarum sigillum subdit, dicens: *Os enim Domini* (quod falli aut fallere nequit (*locutum est.*

7. Dico tertiò, eos qui ex contemptu dierum festorum diebus festis gulæ & genio indulgent, foras ebrietatis, libidinis, ac inhonestarum recreationum causâ concedunt, (velut aliquibus locis in tantâ fit frequentiâ, vt templa vacent, & meriòt illud Hieremiæ lamentum occinendum foret: *Via Sion lugent, & non est, qui veniet ad sollemnitatem*) peccare mortaliter, etiam ratione centemptus, ac specialiter in confessione illud esse explicandum. Omitto, quòd Deo graviter displiceat, maximè diebus festivis media, quæ concessit ad vsus necessarios, in malum finem expendere: hoc est enim iuxta sensum tropologicum, aurum Baal, seu idolo offerre, ob quod dixit Dominus Oseæ. 1. v. 8. & 9. *Quia ego dedi ei frumentum, vinum, & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal Idcirco convertar, & sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius.* id est. Quia populus meus non recognovit: quæ ego illi dederim, sed in idolorum cultum, quidquid bonorum habuit, effusè contulit; vt intelligat in quem vsum hæc conferre debuisset, resumam frumentum meum, & faciam vt parum frumenti in messe, & parum vini in vindemiâ colligat, aut si multum collectum sit, evanidum sit, parumque det panis & vini aut certè incendio, grassatione hostili, aliove modo illud disperdam. Et liberabo bona, quæ dedi, quasi è captivitate, quâ detinētur ab iniquo & iniusto possessore. Est prosopopœia: tāquam enim lana & linum invitè servirēt ingratis & impijs idololatris, quasi iniustis possessoribus; inde ea dicit se liberaturum, insinuans simul creaturas coactè illis servire: Deus enim eas creavit ad hunc finem, vt homini servirent ad cognoscendum & amandum Deum, earum creatorem, & largitorem. Quocirca dum hoc suo fine, ad quem conditę sunt, privantur, imo contra Deum assumuntur ad superbiam & luxum, naturaliter idipsum aversantur, captivantur, & vim patiuntur, ac reipsa dolerent, gemerent, & de iniuriâ potestarentur, si sensum haberent. Hoc est quod ait Apost. Rom. 8. 20. *Vanitati enim creatura subiecta est, non volens; sed propter eum qui subiecit.* Et mox: *Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc.* Has autem creaturas, ita gementes sub hac servitute, liberat, dum impijs eas aufert, & pijs eas tradit, aut facit eas sibi suoque obsequio, ad quod conditæ sunt, & ad quod naturaliter propendent, totóque naturæ pondere feruntur, impendi.

Osea 2. — Rom. 8.

Quod verò secundum litteram de idololatris dictum est, hoc secundum sensum tropologicum convenit peccatoribus, qui servire Deo festivis diebus contemnunt & suas cupiditates faciunt suos Deos. Vnde S. Hieronymus in Psalm. 80. 10. *Non erit in te Deus recens. Cui Deus*, ait, *venter est, Deus ei recens est, quotcumque vitia habemus, quotcumque peccata, tot recentes habemus Deos. Iratus sum, ira mihi Deus; vidi & concupivi mulierem, libido mihi Deus est. Vnusquisque enim quod cupit, & veneratur, hoc illi Deus est.* Ita fornicatores corpus, vires, opesque, quas à Deo acceperunt, mancipant suis Veneribus

Hieron.

8. Demum quæres quandoquidem sub gravi pœnâ teneamur diebus festis audire sacrum, & pijs operibus eos transigendo tot prœmia mereamur; an nulla cadat excusatio ijs, qui sacrum quovis casu dictis diebus audire prætermittunt? Sunt enim homines multùm proclives ad excusationes in peccatis, etiam iure divino & naturali prohibitis: *Omnis enim,*

Idem *enim*, ait sanctus Hieronymus, *vitijs nostris favemus, & quod propria facimus voluntate, ad natura referimus necessitatem. Quomodo si dicit adolescens, vim patior, me ad libidinem ardor impellit, ipsa organa membrorum genitalium, & compositio corporis femineos quarit amplexus. Et rursum homicida, in egestate, inquit, eram, indigebam cibo, tegmen corporis non habebam, ideo alienum sanguinem fudi, ne ipse fame & frigore morerer.* Iam verò certius est plerosque vel non curare auditionem sacri vel ob leviusculam causam; aut etiam dicere, quòd altero die duo sacra audient.

Respondeo, Auditionem Missæ obligare ipso die festo constituto, nec omitti posse; aut excusari nonauditionem nisi ob graves causas. Prima sit, ignorantia invincibilis facti, videlicet quòd dies festus sit; naturalis etiam oblivio, vel inconsideratio.

Secunda sit, simplex impossibilitas, vt si quis in carcere detineatur, aut vi impediatur è domo egredi, aut in Ecclesiam ingredi, aut tam gravi morbo conflictetur, vt è lecto surgere non possit, aut non reperiatur Sacerdos, qui celebret, aut Ecclesia adeò distet, vt adiri non possit.

Tertia sit, moralis impotentia, id est, quando missa audiri nequit sine gravi aliquâ iacturâ, aut sine magnâ difficultate, vel labore. Non enim obligat hoc præceptum cum tanto rigore. Exempla sunt, si quis graves cũ aliquo gerens inimicitias timeat ne sibi fiat obviam; si quis ex morbo convalescens nondum satis sit firmâ valetudine, vereaturque bonâ fide ne sibi gravioris morbi periculum creet; si quis vereatur ne iacturã faciat sui honoris, quòd indecenter vestitus sit, aut sine decenti comitatu in publicum prodeat; si quis iter facturus, cùm sit viæ nescius, impetrare nequeat à socijs, vt expectent donec præcepto audiendi missam satisfecerit; si iter faciendum ad adeundam Ecclesiam plùs quàm leucâ distet; & ratione imbrium, ventorum, similiumque difficultatum plus iusto molestius sit; si graviora negotia vrgeant, quæ differri nequeant sine notabili detrimento boni temporalis cuiuscumque, nec potuit præveniri tempus Missæ audiendæ.

Quarta causa est, cùm proximi charitas aliud requirit, vt cùm præsentia nostra admodum necessaria est ægrotis, nõ tantùm quia alioquin infirmorũ vita periclitaretur, sed etiam quia non possent ijs sua remedia convenienti tempore adhiberi, aut nimis essent anxij, si sui ijs suã subducerent præsentiam. Hoc etiam modo vitandi in proximo scandali causa potest interdum femina domi se continere, ne sit alicui occasio peccandi, à quo intelligit se perditè amari, aut ne ex sua præsentia graves rixæ oriantur, aut ne inde maritus gravi animi perturbatione commoveatur.

Quinta sit, quando quis ratione officij in alijs necessariò occupatur; quâ ratione excusari possunt milites, quibus demandata est arcium custodia, vectores mercium, cursores, matres, nutrices, quarum subsidio egent infantes, quos non expedit ad Ecclesias deferri. Denique famuli, qui si eorum famulatus heris suis ita necessarius sit iuxta communem vivendi modum, vt Missæ interesse non possint, excusantur ab eius auditione; neque ij tantùm, sed sed etiam Domini, modò tamen famuli adhibeant mediocrem diligentiã, vt nanciscantur occasionem aliquam audiendæ Missæ opportunam. Quòd si possit eorum famulatus in aliud tempus differri, & non fiat, peccant eorum Domini, quibus incumbit cura familiæ, cuius sunt aliquando reddituri rationem: at in eo casu tenentur famuli Ecclesiæ obedire, eiusdemque legibus sese subijcere, modo notabile inde detrimentum non capiant, quale esset è Dominorum suorum obsequio recedere, aut sæva pati verbera; tunc enim excusandi sunt dominis suis morem gerendo; nec dicentur eorum iussa præferre mandatis Ecclesiæ, quod nefas est, sed censebitur Ecclesia illos non obligare

re, cum tanto eorum detrimento.

Sed dices; Quomodo hæc excusant, cùm hoc Præceptum licet Ecclesiasticum iuri naturali & divino conforme sit, vt dixisti, nunquid Deus statuta ad recognitionem, quamvis res in se sit parva, grauissimè punivit, exemplis Adami, Davidis ac militum?

Respondeo magnam esse differẽtiam inter Legislatorem Deum & legislatorem hominem: Deus enim nos ad legum suarum observationem cum quovis periculo adstringere potest. Verùm homo legum ferendarum potestatem limitatam habet, adeoq; ordinariè exceptum intelligitur mortis periculum, grauissimum nocumentum gravis infamia, aut magna iactura bonorum. Confirmatur ipsius Dei exemplo, qui licet summa severitate vti possit in suis legibus, & aliquando vsus sit; vt patet in exemplis citatis & homine colligente ligna in sabbato, Numer. 15. tamen ordinariè in simili euentu non solet tam strictè obligare. Exemplum commune est de Davide, qui propter necessitatem manducavit panes propositionis 1. Reg. 21. quos laicis manducare non licebat iuxta legem, & tamẽ factum defendit Christus Matt. 12. vbi eodem modo excusat Discipulos, qui die Sabbati spicas colligebant. Et ita exposuit etiam D. Thomas 3. p. q. 40. ar. 4. ad 3. & eodem modo declarat factum Machabæorum pugnantium die sabbati 2. 2. qu. 100. ar. 8. Multò magis ergo lex humana in ijsdem casibus excusat iuxta c. *Consilium* de observat. ieiunij. vbi Innocẽtius Tertius scribit Bracharensi Episcopo necessitatem in ieiunijs excusare, his verbis: *Præterea de illis qui in quadragesima, vel in alijs ieiunijs sollemnibus infirmantur, & petunt sibi esum carnium indulgeri respondemus quod (cum non subiaceat legi necessitas) desiderium infirmorum, cum vrgens necessitas vrget, supportare potes & debes, vt maius periculum in eis evitetur.* Et Reg. 6. in Sexto dicit, *nemo potest ad impossibile obligare:* quod autem valdè difficile est, moraliter impossibile censetur. Vnde Isidorus lib. 5. Etymol. cap. 3. dicit legem humanam oportere esse possibilem secundum hominum naturam ac consuetudinem in verbis; *Lex erit quod ratione constiterit, religioni conveniat, disciplina congruat.* Et consentit S. Augustinus lib. de verâ religione cap. 31. *Conditor rerum temporalium, si vir bonus est & sapiens, illam ipsam consulit æternam legem &c. vt secundum eius immutabiles leges, quid sit pro tempore vitandum, iubendumque discernat.*

Num. 15. | 1. Reg. 21. | Matt. 12. | D. Thomas | Innocent. | Isidorus | August.

Vnde liquet non excusari eos à gravi peccato, qui ob levissimam causam Missæ auditionem negligunt, aut etiam alterâ die duo sacrâ se audituros proponunt, nam ipsâ indictâ die obligat.

Secundò, certum est famulos & ancillas non excusari à transgressione præcepti, quandocumque à suis Superioribus in contemptum legislatricis potestatis, aut fidei, ac religionis Christianæ detrimentum à sacro abstinere iubentur. Ratio est, quòd lex humana illo casu cum periculo vitæ etiam obliget. Hîc congruit quod ait D. Augustinus lib. de Bono Coniug. c. 16. *Satius est fame mori, quàm idolothytũ vesci*, puta cum scãdalo aut religionis contemptu secundum Apostolum 1. ad Cor. 10. Hinc Petrus & Apostoli iussi à magistratu ne docerent in nomine Christi, id flocci fecerunt & responderunt. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.*

1. Cor. 10. | Act. 5.

Tertiò, nota famulos & ministros extra hunc casum debere certiores facere heros suos de audiendâ missâ, omnemque industriam suam ponere, in eo, vt impetrent ab ijs, vt possint obtemperare mandatis Ecclesiæ. Quod si id non assequantur, excusantur quidem, vt iam dixi, si tamen cogantur tam frequenter à Missâ abesse, vt id abeat in consuetudinem, tenentur ab eorum famulatu datâ occasione recedere, vt possint alibi præceptis Ecclesiæ obtemperare.

Sexta causa sit, si consuetudo aliqua ex rationabili causa intro-

troducta, & ab Ecclesiâ tolerata id postulat, qualis est illa, quâ mulieres post partum ad aliquod tempus domi se continent, etsi sint integrâ valetudine, aut quâ viduæ nobiles post obitum mariti sese omnium privant consuetudine; & conspectu, vt sic animi mœrorem, & affectum erga defunctum testentur: modò tempus illud receptâ consuetudine concessum non nimiùm prorogetur, & ad alia negotia non exeant.

Cœterùm, quòd quidam se excusatos putent à Missâ, quòd concionem audierint, vel interea confessi fuerint tempore sacri, frivolum est, nisi vrgens necessitas id postulaverit; nam auditio Missæ est de præcepto, & concio ordinariè de consilio: Et confessio extra vrgentem necessitatem, si notabili aliquo spatio duret, impedit attentionem necessariam ad auditionem Missæ.

Discursus III.

In eadem verba.

A quibus abstinendum sit diebus Festivis?



Levit. 23. LEvit. 23. cap. de Sabbato sanctificando dicit Dominus: *Sex diebus facietis opus: dies septimus quia Sabbati requies est, vocabitur sanctus: omne opus non facietis in eo, Sabbathum Domini est in cunctis habitationibus vestris.* Quod

Exod. 20. etiam verba illa Exod. 20. continent: *Memento vt diem Sabbathi sanctifices.* Verùm quia illud sabbatum, quatenus morale & naturale præceptum est, ad Christianos etiam pertinet, hîc tractabo quod in argumento quæritur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam considerare oportet aliam fuisse obligationem Iudæis abstinendi ab operibus die Sabbati, & alijs festivis diebus. Nam in Sabbato omne opus alicuius momenti erat prohibitum, in verbis: *Omne opus non facietis in eo.* in alijs verò non ita. Itaque proprium erat Sabbati, quòd in eo non licebat cibum parare, vt

Exod. 16. habetur Exod. 16. vbi collecta fuit mannæ duplex portio die sextâ: eiusque ratio additur, quòd crastinâ die esset Sabbatum, in verbis: *Requies Sabbati sanctificata est Domino cras: quodcumque operandum est, facite: & quæ coquenda sunt, coquite: quicquid autem reliquum fuerit, reponite vsque in mane.* Quæ posteriora verba hunc habent sensum, vnam mensuram servate in sequens manè Sabbati, puta, servate panem vnius gomor, quem die sextâ ex manna tuso, & cocto confecistis; quia in Sabbato manna tundere aut coquere non licet. Et hinc dies sextus dicebatur Parasceues, quasi præparatorius, ad cuius vesperam incipiebat sabbati festum. Ad hæc non licebat quidem in illum finem ignem instruere, vel accendere vt habetur, Exod. cap. 35. v. 3. in Exod. 35. verbis: *Non succēdetis ignem in omnibus habitationibus vestris per diem Sabbati.* Tanta enim erat religio & quies illius festi.

2. Secundò, non licebat iter facere Sabbato, vt præscribitur Exod. Exod. 16. 16. per Moysen dicentem Iudæis: *Videte quòd Dominus dederit vobis Sabbatum, & propter hoc die sextâ tribuit vobis cibos duplices. Maneat vnusquisque apud semetipsum, & nullus egrediatur de loco suo die septimo. Et sabbatizavit populus die septimo.* Ad quod alludens Christus Matth. 24. dicebat He- Matth. 24. bræis. *Orate ne fuga vestra fiat hyeme, aut Sabbato.* Quod teste Origene lib. 2. de princip. cap. 4. Iudæi nonnulli Origen. superstitiosè, & ridiculè observabant, cum tamen non ita strictè esset prohi-

prohibitũ, quin liceret breve quoddam ſpatium extra vrbes peragere; vti ex Act. 1. Colligitur, vbi montem Oliveti à Hieruſalem diſtare habemus iter Sabbati; id eſt, quantum die Sabbathi conficere licebat, hoc autem ſpatium vnius erat milliarij Italici. Hinc eſt, vt conſtat ex Ioſ. 3. Arcam Domini anteceſſiſſe totum populum per duo millia cubitorum, quæ vnius milliarij ſpatium conficiunt, quod factum Origenes dicit, refertque Oecumen. Actor. 1. vt quando Sabbato quieſcendum eſſet, poſſent Iudæi ex ſuis Tabernaculis orandi causâ in Tabernaculum Arcæ venire. Et hæc peculiaria erant illi feſto, adeò vt faciens in eo opus, morte puniretur, vt dicitur Exod. 31. verſ. 14. his verbis: *Cuſtodite ſabbatum meum, ſanctum eſt enim vobis. Qui polluerit illud morte morietur; qui fecerit in eo opus peribit anima illius de medio populi ſui.* quod idem eſt, ac ſi dicat Moyſes, Qui laborando violat quietem ſabbati morte plectetur per ſententiam Iudicis, ſi crimen ſeu ſabbati violatio conſtet; ſi verò non conſtet, tum homo ille alijs modis vindicante Deo ſive per homines, quaſi fortuitò, aut ex occaſione improvisâ, ſed tamen Deo intendente (qui hominum perverſam voluntatem diriget ad iuſtam violantium pœnam, & ſontem faciet in manum aut telum occiſoris incurrere) ſive per alias creaturas Dei adminiſtras, morte punietur; & quod maximum eſt, peribit in æternum in gehennâ tanquam reus maximi criminis. Et quod extraordinarium eſt, qui vel minimum opus ſervile faciebat (excipio opus ad cultum Dei) veluti ligna colligere in ſabbato, à morte non excuſabatur, vt patet Numerorum 15. vbi Moyſes conſuluit Dominum quid faciendum eſſet de eo qui ligna collegiſſet in ſabbato. Et reſponſum accepit, tollendum eſſe de medio, vt clarè textus exprimit his verbis: *Factum eſt autem, cum eſſent filij Iſraël in ſolitudine, & inveniſſent hominem colligentem ligna in die ſabbati, obtulerunt eum Moyſi, & Aaron, & vniverſæ multitudini. Qui recluſerunt eum in carcerem, neſcientes quid ſuper eo facere deberent. Dixitque Dominus ad Moyſen, morte moriatur homo iſte, obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra. Cumque eduxiſſent eum foras, obruerunt eum lapidibus & mortuus eſt, ſicut præceperat Dominus.*

Ioſu. 3. Exod. 31. Num. 15.

Cuius rei erat ratio, quòd Sabbatum inter cætera maximè præſignabat ſtatum beatitudinis æternæ, in quâ completa erit vocis huius ſignificatio: Sabbatum enim quietem ſignificat, quæ in patriâ illâ vera & perfecta eſt. ita docet Auguſtin. lib. 22. civit. cap. 30. Vnde debebat Sabbatum tam ſtrictè ſanctificari quiete & otio ſacro, vt conforme eſſet rei ſignificatæ. August.

3. Porrò in alijs feſtis Iudæorum non erat tanta obligatio, ſed dumtaxat abſtinendi ab operibus ſervilibus, portandi onera, aſinos onerandi, calcandi torcularia, & ſimilibus, vt colligitur ex Ierem. 17. Ezech. 20. & 2. Eſdræ, 13. Quin etiam non licebat terram arare, domos ædificare, veſtes conficere, & quæcumque ſervilia, quibus homo homini miniſtrat. Quod addo quia quædam ſervilia etiam in ſabbato licebant, videlicet, quæ fiebant in ſabbato divinâ virtute: id probat Epiphan. hæreſ. 66. in catalogo dogmatum Manichæi ex Ioſue 6. Præcipit ibi Dominus, vt ſeptem diebus muros Hierico circumambularent, & ſeptimo muri corruerunt. Apertum eſt ſabbatum vnum eſſe dierum, in quo circum muros ambularunt, nec tamen obſervantiam ſabbati ſunt tranſgreſſi. Præterea 4. Regum. 4. Eliſæus mortuum ſuſcitavit ipſum tangendo, ipſi ſepties incumbendo, nec legem eſt tranſgreſſus in tactu mortui. Et Tertul. lib. 4. con. Marc. id in ſabbato factum dicit, nec violavit ſabbatum, quia opus erat divinâ virtute factum. Secundo loco non erant prohibita opera exteriora, quæ in cultum, & religionem Dei

Ierem. 17. Ezech. 20. 2. Eſd. 13. Epiphan. Ioſue. 6. 4. Reg. 4.

fiebant, quod Epiphanius probat Exod. 25. candelabrum enim septem habebat lucernas, & singulis diebus in templo accēdebantur, oportebat ergo in Sabbatho accendi, nec tamen solvebatur; & revera extra templum, nec lucernam licebat accendere in sabbato. Ministri etiam alia opera in templo faciebant, quibus non violabatur sabbatum, quia in cultum Dei erant, quod Matth. 12. dicit Dominus excusans Discipulos ab accusatione Pharisæorum cùm esurientes in sabbatho vellerent spicas & manducarent, dum ait: *Non legistis quia Sacerdotes sabbatum violant, & sine crimine sunt*: id est, excusantur ob Dei cultum victimas mactando, pelles detrahendo, intestina lavando, & pueros circumcidendo. quasi diceret, sicut in eo dispenso, qui Dominus Sabbathi sum, sic magis cum discipulis rationem habeo, qui prædicando, & faciendis miraculis pro animarum salute adeò occupantur, vt tempus nullum sit cibum parandi.

Exod. 25.

4. Sed quæres, An eadem sit obligatio Christianis, atque fuit Iudæis?

Respondeo, Quantùm ad Sabbatum attinet, nihil est dicendum, nam cæremonialia iam sunt abolita: Quantùm verò ad Dominicum attinet, transmutatum ex sabbatho & alia festa Christianorum, non tam strictè obligant; nam quædam servilia licent ex consuetudine, nempè quæ ad hominis sustentationem necessaria, vt parare cibos, coquere, pinsere pastillos, & alios cibos artificiosè: adhæc iter agere, bestias ducere, venari ob recreationem, piscari in fluminibus cum arundine recreationis gratiâ, scribere & similia.

Quædam verò nobis, vt Iudæis sunt illicita, vt exercere alia servilia seu artes Mechanicas, domos ædificare, onera portare, vestes conficere, & similia. Etiam vsque ad picturam iuxta communiorem sententiam.

Adhæc iure prohibentur quædam opera licet non servilia, vt sunt mercatus, placitum, iudicium vel ad mortem, vel ad pænam, iuramentum in iudicio, quemadmodum habetur cap. primo, de ferijs. Ratio est, quia ex ijs oriuntur iurgia, contentiones, discordiæ, vel saltem sæculares distractiones, quibus maximè impeditur vacatio ad res divinas, & quies intenta diebus festivis. Augetur hæc ratio ex mercaturâ, quæ ob hominum avaritiam & cupiditatem vehementer incitat ad peccatum.

5. His positis quæres, Quale peccatum sit in hoc prævaricari? Respondeo, Quantum ad servilia, si quis ea exerceat per notabile spatium, vt est duarum horarum plus minus, peccare mortaliter. Patet ex eo quod Dominus Ieremiæ 17. excidium minetur onus portantibus, & inferentibus per portas Ierusalem in die Sabbathi, in verbis: *Si autem non audieritis me, vt sanctificetis diem Sabbati, & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Ierusalem in die Sabbati, succendam ignem in portis eius, & devorabit domos Ierusalem, & non extinguetur.* quod per Nabuzardan, & Chaldæos ita affliget Iudæos onera portantes, donec sequatur totalis eorum interitus. Et si placeat penitus intueri, quantopere offendant Deum violantes sabbatha, seu dies festos, Attende quid Dominus dicat, Ezech. 20. vbi exprobrans Iudæis beneficia, quæ illis exhibuit, tum in Ægypto, tum in deserto, tum in terra Chanaan, addit: *insuper & sabbata mea dedi eis, vt essent signum inter me & eos, & scirent, quia ego Dominus sanctificans eos.* id est, meas ferias, & consequenter meas delicias, & meam felicitatem, quæ in mei ipsius contemplatione consistit, dedi & communicavi eis, vt in ijs, quasi sabbatis, & ferijs sacris, à laboribus & curis sæculi vacantes divina opera, iudicia, consilia meditarentur; quæ ego ipse die septimo considerabam, inspiciebam, laudabam, & in quorum perfectione conquiescebam; vt hâc consideratione & meditatione ad mei amorem,

Ierem. 17.

Ezech. 20.

morem, laudem, & imitationem accenderentur & sanctificarentur. Huius enim rei sabbatha erant signa & stimuli. *Et irritaverunt me domus Israël in deserto, in praeceptis meis non ambulaverunt, & iudicia mea proiecerunt, quae faciens homo vivet in eis: & sabbata mea violaverunt vehementer: dixi ergo vt effunderem furorem meum super eos in deserto, & consumerem eos. Et feci propter nomen meum ne violaretur coram Gentibus, de quibus eieci eos in conspectu eorum.* Quibus verbis Dominus indicat illos promeruisse ne ad terram promissionis inducerentur, se verò nihilominus promissis stetisse, ne nomen suum infamaretur coram Gentibus, quasi non potuisset aut noluisset populum ipsum colentem liberare & salvare, vti promiserat. Et postea declarat Propheta graviùs Deum Iudaeos punivisse, in verbis: *Ergo & ego dedi eis praecepta non bona, & iudicia, in quibus non vivent.* id est, quia Iudaei suavem meam legem reiecerunt, sabbata violarunt, hinc permisi eos subdi hostibus, & tyrannis, qui praecepta tyrannica, & intoleranda eis darent, sub quibus vix traherent animam. Vel rursum. In meis praeceptis vivere noluernnt, morientur; ergo & occidentur in alienis & tyrannicis. Notat maximè leges & praecepta colendi Moloch per mactationem filiorum & filiarum. Haec enim *praecepta non bona*, sed pessima ac maximè malefica ac letifera fuerunt; *in quibus non vivent*, quia per ea eorum stirps & posteritas occidebatur, eorumque nomen & familia succidebatur & interibat: adeóque significat Deus illo capite se tum in poenam idololatriae violationis sabbati, aliorumque scelerum permisisse Iudaeos labi in tam foeda, infamia & sacrilega sacrificia, imò parricidia, vt scilicet filios proprios mactarent, & immolarent Moloch. Vnde liquet quòd eâ poenâ tales afficiat, ac manifestè gravissimos peccatores. Idem enim facit etiamnum sagis & magis, qui à Deo desciscentes ad Daemonem, eum adorare, eique infantes immolare coguntur, ab eoque verberantur & tractantur quasi mācipia. Similiter Philosophos Deum agnoscentes, sed non colentes permisit labi in infames & portentosas tum libidines, tum religiones & sectas, Rom 1. v. 21. & sequent. Quod autem illic de Sabbato dicitur, hoc locum habet apud Christianos, quoad Dominicam, aliaque festa. Rom. 1.

Notent hoc potentiores, qui suos colonos ad grana inferenda diebus festivis obligant. Notent idipsum, qui alijs diebus otiantur, & sacris Mechanicam artem audacter exercent: & discutiant an gravior sit poena, quàm deseri à Deo, & sic labi in quaevis crimina ad thesaurizandam sibi graviorem iram pro die irae.

6. Quantùm verò ad non servilia iure prohibita, certum est, quòd ea exercentes non minus Dei indignationem incurrent, tum propter Ecclesiasticam prohibitionem in re gravi; tum etiam quòd Deus mercatum sacris diebus in veteri Testamento voluerit, cessare. Nam emptionem & venditionem iungit Esdras lib. 2. cap. 13. cum portantibus onera, & rem malam indicat, profanationem Sabbati, sic enim ait; *In diebus illis vidi in Iudâ calcantes torcularia in Sabbato, portantes acervos, & onerantes super asinos vinum & vvas, & ficus, & omne onus; & inferentes in Ierusalem die Sabbati. Et contestatus sum, vt in die quâ vendere liceret, venderēt. Et Tyrij habitaverunt in eâ* homines videlicet Gentiles, adeóque exleges, ex quorum communione didicerūt passim praevaricari Dei legem alicuius lucri causâ. *inferentes pisces, & omnia venalia: Et vendebant in Sabbatis filijs Iuda in Ierusalem: & obiurgavi optimates Iuda, & dixi eis: Quae est haec res mala, quam vos facitis, & profanatis diem Sabbati? Nunquid non haec fecerunt patres vestri, & adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, & super civitatem hanc? Et vos additis iracundiam super Israël violando Sabbatum.* Esdra 13.

Confirmatur, cùm enim Ecclesia contemnitur, tunc spernitur Christus, qui dixit ad eos, qui avaritiae

causa neglexerunt vocem Dei, seque excusarunt, quòd vel ad villam, vel ad negotiationem, vel ad iuga boum empta visum concederent, Luc. 14. *Amen dico vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabunt cœnam meam.* id est non intrabunt in regnum Dei.

Luc. 14.

7. Verùm enimverò non inutiliter quæres, an quovis casu maneat tam gravis obligatio?

Respondeo negativè; quia multę causæ sunt excusantes, & primò, necessitas imminens propriæ conservationis, vel sustentationis propriæ vitæ aut familiæ. Ratio est, quia Ecclesia non intendit obligare cum tanto gravamine iuxta regulam iuris. *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* & multa exempla afferri possent ex veteri lege de Sabbato, vt 1. Machab. 2. de pugnâ in die Sabbati ob periculum; de itinere ab Eliâ confecto plus quàm liceret, vt fugeret persecutionem, 3. Reg. 19. & alia iam recensita & iuxta, hanc regulam excusantur, 1. pauperes, qui nisi laborent in die festo, nequeunt se suamque familiam sustentare, dummodo id faciant secretè, & in casu dubiæ necessitatis consulant Pastorē aliosve viros doctos, vel in dubio petāt dispensationē. Secundò, agricolæ tempore messis laborantes diebus festis, ne ob pluviam ingruentem, vel nimios calores segetes amittant, vel purgantes triticum ob periculum, ne destituantur vento. Tertiò, coquentes lateres, aut calcem in die festo, & multò magis vitrum. Si enim inchoatum opus intermitti non potest absque notabili damno, potest continuari. quá in re credendum est ipsis artificibus. Quartò, famuli, qui præcepto domini coguntur laborare in die festo, alioquin domo excluderentur, vel alio alimento necessario privarentur. Quintò satores autumni tempore timentes periculum ex dilatione; idem de vindemiatoribus tempore vindemię. Sextò, milites tempore belli aggeres extruentes, muros ædificantes, & similia.

1. Mach. 2.

3. Reg. 19.

8. Secundò, necessitas Reipublicæ, quæ legitimam inducit excusationem, tum quia Ecclesia non obligat cum publico incommodo, tum quia multo magis subveniendum publicæ necessitati, quàm privatę, ex cap. Licet, de Fer. Et iuxta hanc regulam, excusantur primò reficientes pontes & vias, & alia vsui publico inservientia, quæ sine magno incommodo differri non possunt. Secundò, providentes de rebus necessarijs ad victum diei festi, quoad ea, quæ præveniri decenter non possunt. Tertiò, artifices pro causâ publicâ, vt adventu Principis, vel ortu, vel ad communem lætitiam tabulata construentes, theatra ornantes, & similia; sunt enim hęc recepta ex consuetudine. Quartò parantes tormenta bellica, facientes fossam, vallum in die festo pro defensione Reipub. Porrò in his illud observandum, vt petatur licentia ab Episcopo, vel ab eo qui ex eius commissione, aut consuetudine facultatem habet licentiam concedendi; idque magis quando talia opera præveniri potuissent, vel dubium aliquod est de sufficentiâ causæ.

9. Tertiò, est necessitas proximi, quę etiam excusat in die festo, tum quia Oseæ, 6. dicitur Deum plus velle misericordiam, quàm sacrificium. Confirmatur, quia in veteri Testamento etiam illa, quæ ad sanitatem corporis necessaria erant, non erant prohibita. qualia quę medicinæ sunt, & quæ ad vitam necessaria, vt Tertull. lib. 4. contra Marci. & Irenæus lib. 4. cap. 19. docent, non solùm quæ ad ipsos homines, sed etiam quæ ad iumemta eorum pertinebant, quod Dominus Luc. 6. quando manum aridam sanavit, ostendit dicens: *Si licet Sabbatis benefacere, an malè?* & Luc. 13. *Vnusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum, & asinum à præsepio, & ducit adaquare?* per hoc excusavit Dominus discipulos vellentes spicas ad manducandum in sabbatis, quia non habebant, quo vescerentur, vt dixi

Tertull. Irenæus. Luc. 6. Luc. 13.

dixi præcedenti discursu circa finem; cum enim ista pręcepta fuerint divina quidem, sed positiva, non erant servanda contra præcepta naturalia, qua de causa 1. Machab. 2. decreverunt Iudęi contra invasores etiam in sabbato bellare in sui defensionem, quam rationem Tertull. lib. 4. contra Marcio. & Iren. lib. 4. c. 20. annotarunt. Hinc etiam licet laborare ad extinguendum ignem in domo proximi, licet pharmacopolę, & chirurgo quęuis facere servilia ad sublevandum infirmum necessaria. Et vniversaliter nemo tenetur pro tuenda salute, aut vita proximi ab illo opere servili abstinere, nam vt ait Bernardus lib. de dispens. & præcepto. *Quę charitate inducta sunt, non debent contra charitatem militare.*

1 Mach. 2.

10. Quartò, est pietas in Deum, ex qua licet gestare crucem, & statuam in publicis processionibus, quamvis sint onerosa, vt inferunt Theologi, ex loco Matth. 12. superiùs citato, & explicato.

Matth. 12

11. Quinta causa excusans est pietas in proximum, vt sepelire mortuos, visitare infirmos, quę semper licent, aut foveā facere ad sepeliendum, vel consuere vestes pro pauperibus, quod postremum non licet, nisi necessitas simul adsit.

12. Vltima causa est, dispensatio, quæ quando non est ratio sufficiens, excusat dispensante Pontifice in festis Ecclesiæ generalibus, & Episcopo in festis suę diœcesi proprijs. Quibus iunge consuetudinem, quę multa derogavit iure positivo aliàs vetita: Exempli gratia, muliones, agasones, & aurigas, qui bestijs, aut curribus onustis iter faciunt in die festo, & sæpe incipiunt, quia bono publico mercatorum magis conducit, vendentes die festo rusticis venientibus de villis (quia alias non vacat) vestes, calceos, aliaque necessaria, generaliter quicquid consuetudo abolevit, Superiore sciente, & non contradicente.



DISCVRSVS PRIMVS AD PRAECEPTA SECVNDAE TABVLAE PRÆVIVS.

De Dilectione Proximi. An sit necessaria?



Mat. 22. CHristus Mat. 22. cap. vult Deum diligi ex toto corde, & proximũ sicut seipsum. Hinc tractatis & discussis ijs, quæ ad præcepta primæ tabulæ spectãt, visum fuit, antequam de quarto pręcepto ex professo agerem, tractare de charitate erga proximum, quandoquidem ex defectu charitatis eiusdem præceptis secundæ tabulæ maximè contravenitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam, vtile est scire triplicem esse dilectionem ptoximi. Prima est humana naturalis, quâ diligimus proximum quòd consanguineus sit, quòd amicus, eiusdem patrię, aut simili respectu naturali, eique volumus bonum, vt sanitatem, divitias, & alia, causâ nostri emolumenti, & vtilitatis. Vnde aliter nominatur, ***amor concupiscentiæ.***

Secunda est humana moralis, quâ diligimus aliquem propter virtutes in ipso eminentes: sic Iacob dilexit Ioseph. Gen. 37. vt testatur Chrysostomus hom. 61. in Genesim, dicens: *Sed vt sciamus, quòd non hoc solum erat, quod patrem illi conciliabat, & præferri cum alijs faciebat: docet nos scriptura, quòd post illum & alius natus sit: & si iuxta naturalem amorem dilectio fuisset, postremus fuisset magis dilectus, vtpote verè senectutis filius existens, & tunc natus, quando ad postremam senectutem pervenit iustus. Quid igitur est dicendum? superna quædam gratia fuit, quæ iuvenem amabilem reddebat, & propter animæ virtutem cunctis præferri faciebat. Hæc autem in scriptura adiecta est causa, quòd filius senectutis fuerit, & ideo magis eum dilexerit, vt non manifestè augeat odium fratrum.* Sic Christus dilexit Ioannem, quòd castitate cæteris pręemineret. de quo Ioan. cap. 21. dicitur: *Conversus Petrus vidit discipulum, quem diligebat dominus sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius.*

Gen. 37. Chrysost.

Tertia est dilectio supernaturalis, quâ diligimus proximum propter Deum, seu propter bonitatem diuinam ab ipso participatam; atque hæc est necessaria ad salutem, quia sine ea non potest diligi Deus, vt clarè colligitur ex verbis, Ioa. 1. *Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere?* 1. Ioan. 1.

2. Quæres, an debeam, vt satisfaciam

faciam huic Præcepto, ęqualiter diligere proximum sicut meipsum. Respondeo negativè: Ordinata enim charitas incipit à seipsa, & vocula, *sicut*, non indicat æqualitatem, sed similitudinem: v. g. vt in omnibus, quæ nobis desideraremus fieri, ea etiam alijs desideremus, & si facultas adsit, præstemus; & quæ à nobis averti mala vellemus, eadem vel ab alijs cupiamus averti, aut si possumus, reipsa avertamus; adeò vt amor nostri sit quasi norma & mensura amoris proximi. Intellige tamen de amore, quo quisque seipsum secundam rectam rationem prosequitur: non enim inordinatus sui amor potest esse mensura amoris proximi, cùm sit vitiosus, & ad pessima nos inclinet. vt rectè animadvertit Laurentius Iustinianus, dicens cap. 17. de Charitate: *Quomodo volebas tibi committi proximum vt diligeres eum tanquam te, ô homo qui perdis te? Si enim tu ipse te diligis, vt perdas te, sic profectò perditurus es eum quem diligis sicut te. Nolo autem hoc modo quemquam diligas: vel solum peri, aut corrige dilectionem, aut respue tuam charitatem.* Quod conforme est illi Sapientis, *Qui sibi nequam, cui alij bonus erit?* De recto autem amore sic Greg. Magn. lib. 10. Moral. cap. 4. explicans verba, quibus vnus amicorum Iob conueniebat, *Vtinam Deus loqueretur tecum* &c. *vt ostenderet tibi, quòd multiplex sit lex eius*, & ostendens quomodo Deus & proximus sunt diligendi, ait: *Proximi autem dilectio ad duo præcepta deriuatur, cum & per quemdam iustum dicitur: Quod ab alio tibi odis fieri, vide ne tu alteri facias. Et per semetipsam veritas dicit: Quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Quibus duobus scilicet vtriusque testamenti mandatis, per vnum malitia compescitur, per aliud benignitas prærogatur: vt malum, quod pati non vult quisque non faciens, cesset à nocendi opere, & rursum bonum quod sibi fieri appetit, impendens, erga vtilitatem se proximi exerceat ex benignitate.* Ita D. Paulus Agrippam Regem amauit. Cum enim Rex diceret: *In modico suades me Christianum fieri*, subiecit: *Opto apud Deum & in modico, & in magno non tantum te, sed & omnes qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his.* Hinc Chrysostomus hom. 16. ad populum, & hom. 33. in 1. ad Corinth. dicit: *Sanctorum animas, cum in pericula ceciderint, non quomodo periculis liberentur, considerare, sed quo persequentes lucrentur, omnia facere.* Summa, hoc requiritur, vt homo charitate præditus iuxta insignes illius proprietates & officia operetur, quę recenset D. Paulus 1. ad Corinth. 13. de quibus D. Gregor. loco cit. verbis ad Iob dictis inhærens: *Cuius (nimirum legis) multiplicitatem bene Paulus enumerat dicens: Charitas patiens est, benigna est: non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Patiens quippe est charitas: quia illata mala æquanimiter tolerat. Benigna verò est: quia pro malis bona largiter ministrat. Non æmulatur: quia per hoc quod in præsenti mundo nil appetit, invidere terrenis successibus nescit. Non inflatur: quia cum præmium internæ retributionis anxia desiderat, de bonis se exterioribus nō exaltat. Non agit perperā: quo se in solum Dei, ac proximi amorem dilatat, quidquid à rectitudine discrepat, ignorat. Nō est ambitiosa: quia quo ardenter intus ad sua satagit foris nullatenus aliena cōcupiscit. Nō quærit quæ sua sunt: quia cuncta, quæ hîc transitoriè possidet, velut aliena neglegit, cum nihil sibi proprium, nisi quod secum permaneat, agnoscit. Non irritatur: quia & iniurijs lacessita, ad nullos se vltionis suæ motus excitat: cum pro magnis laboribus maiora pòst præmia expectat. Non cogitat malum: quia in amore munditiæ mentem solidans, dum omne odium radicitus eruit, versare in animo quod inquinet, nescit Non gaudet super iniquitate: quia solâ dilectione erga omnes inhiat, nec de perditione adversantium exultat. Congaudet autem veritati: quia vt cæteros diligens, per hoc quod rectum in alijs conspicit, quasi de augmento proprij profectus hilarescit.*

Porro vt melius intelligas vocem, *sicut*, non ęqualitatem sed similitudinem significare, & hominem dum-

Laur. Iustin.

Gregor. Magnus.

Tob. 4. Matth. 7.

Act. 26.

Chrysost.

1. Cor. 13.

dumtaxat similia dilectionis signa exhibere debere proximo, atque sibi ipsi. Libet alijs Scripturæ locis idipsum illustrare, ex quibus planissimè dignosceetis, *sicut*, non semper æquale, sed simile significare secundum aliquam proportionem. Sic Deuteron. 18. dicit Moyses: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies.* Quibus verbis significat Moyses Deum missurum veros Prophetas, qui erudiant Hebræos, & verba Dei ad eos referant: & quia inter eos excellet Christus; hinc ipsum esse præcipuè Prophetam, de quo hæc accipienda sint, iuxta illud turbæ Ioan. 6. *Hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.* q. d. Ego Moyses Propheta, Christi summi Prophetæ sum typus & præcursor: en morior, ad Christum vos transmitto, ipsi lampada trado, ipsum audite, ipsum sequimini. Hinc vocat similem sibi sed inæqualitate excellentiæ. Primò quia Christus fuit similis Moysi quoad ducatum populi & legislationem; ita S. August. l. 16. contra Faustum cap. 15. Secundò, quia sicut Moyses populum ex Ægypti, ita Christus homines ex peccati seruitute in libertatem asseruit. Tertiò, Moyses in Chanaan, Christus in cœlum nos deduxit. Quartò, vti Moyses, ita & Christus multa fecit miracula, plagasque non Pharaoni, sed dæmoni inflixit Quintò, cum Moyse loquebatur Deus ore ad os familiariter: ita & cum Christo, idque longè excellentiùs. erat enim Christus Verbo Dei Deoque intimè vnitus.

Deutr. 18.

Ioan. 6.

August.

Ioan. 17. Alius est locus Ioan. 17. vbi Christus orans pro discipulis suis, vt Deus sua virtute, & potentiâ illos conseruet in gratiâ, charitate, dilectione & vitâ, ne à Iudæis tunc occiderentur, ne in tentationibus & afflictionibus omnino succumberent, sed constantes & fortes permanerent, inquit: *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum sicut & nos.* Similitudo hæc non est æqualitas; Nam Filius & Pater vnum sunt, quia vna est substantia numero, eademque voluntas: at fideles non hanc possunt habere vnitatem, sed similem, vt idem velint, & idem nolint, concordes sint, vno spiritu moti, & gubernati. De qua concordia dicitur Act. 4. *Erat credentium cor vnum, & anima vna.* Act. 4.

Tertius est apud Malachiam Prophetam cap. 3. vbi Malachias copiam bonorum spiritualium in lege noua confert cum vbertate legis veteris & priorum temporum, in verbis: *Et placebit Domino sacrificium Iuda & Hierusalem, sicut dies sæculi & anni antiqui:* cum tamen in lege noua multo sit maior. Vnde idem est ac si dicat: Placebit Deo sacrificium Eucharisticum mirificè, sicut liquet ex eius typis, imagine, & vmbris, puta ex sacrificio Noë & Abrahæ, Melchisedech, aliorumque priscorum & eximiorum Sanctorum. Si enim hæc quæ tantùm fuerunt typi & vmbræ, adeò placuerunt Deo, vt Deus propterea benedixerit toti eius familiæ, imo toti orbi, multo magis placebit sacrificium Christi, quod illorum fuit exemplar, veritas, antitypum, quodque priscis illis omnem vim & dignitatem tribuit, per quam placerent Deo. Hæc adduxi, vt liquidò constaret vocem, *sicut*, æqualitatem non inferre, sed ipsum prius debere diligere, & ad eam normam diligere proximum. Malach. 3.

3. Verùm quæres, qui nomine proximi veniant censendi? Respondeo, Primò, Angeli boni, iuxta D. Augustin. lib. 1. de doct. Christian. cap. 30. vbi Angelos proximos nostros esse confirmat, quòd multa & magna beneficia ab eis accipiamus, sic enim ait: *Iam verò si vel cui præbendum est, vel à quo nobis præbendum est officium misericordiæ, rectè proximus dicitur: Manifestum est hoc præcepto, quo iubemur diligere proximum, etiam sanctos Angelos contineri, à quibus nobis tanta misericordiæ officia impenduntur, quanta multis diuinarum Scripturarum locis animaduertere facile est.* D. August.

Quod D. Augustinus eo loci ait, hoc produnt Scripturæ, quæ de Angelorum

gelorum custodiâ generali & particulari nobis fidem faciunt, vt Heb. 1. cap. vbi Apostolus de Angelis dicit: *Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis.* Et Daniel. 10. vbi Michaël Archangelus dicitur Princeps populi Hebræorum, in verbis: *Nemo est adiutor meus, nisi Michaël princeps noster.* Et ibidem singulis regnis ac prouinciis dignoscuntur singuli Angeli esse præpositi: & alijs multis locis, vbi particularis cuiusque custodiæ fit mentio, videlicet Genes. 48. *Angelus qui eruit me de cunctis malis.* Et Tobiæ 5. cap. *Angelus Dei bonus comitatur ei, & bene disponit omnia.* Et Iud. 13. *Custodiuit me Angelus Dei.* Et Actor. 12. *Angelus eius est.* Et Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.*

Heb. 1. Dan. 10. Genes. 48. Tob. 5. Iud. 13. Act. 12. Matth. 18.

Verùm ex alio capite etiam probantur Angeli esse nostri proximi, nempè quia eandem hæreditabimus cum illis beatitudinem, vt verba Saluatoris nostri testantur quæ Matth. 22. respondit ad futilem quæstionem Sadducæorũ, cuius de septem fratribus vxor futura esset in resurrectione mulier, quæ secundum legem septem successiuè fratrum in hâc vitâ vxor fuisset, videlicet; *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.*

Matt. 22.

Secundò, nomine proximi veniunt omnes homines quatenus æternæ beatitudinis sunt capaces, qualescumque etiam sint siue Iudæi, siue Ethnici, aut cuiuscumque nationis, vel religionis, siue inimici, siue amici.

4. Sed dices Leuitic. 19. videtur tantùm præcipi dilectio amicorum, quia ibidem habetur: *Diliges amicum tuum sicut teipsum.*

Respondeo locum illum non suffragari contrarium sustinentibus, quia amicus non significat ibi eum, qui nobis beneuolus est, sed omnem proximum. id patet ex Septuaginta, qui vertunt τὸν πλησίον, id est *proximum*, & ex Chaldæo, qui vertit *Chabrach*, id est, *socium tuum*; & ex Hebræo, *rea*, quod non tantùm amicum significat, sed & per metaphoram Hebræis vsitatam transfertur ad eum, qui nobiscum quâuis ratione coniunctus est, siue cui nobiscum quippiam intercedit negotij, talis autem est omnis homo: Nam vt minimùm omnis homo alteri amicus, & cum alio coniunctus est communi ex primo parente origine, communi creatione, & similitudine Dei, communi redemptione, communi Ecclesiâ, & Sacramentis, communi gratiâ, charitate, ordinatione & cursu ad vitam æternam. Vt asseruit S. Augustinus, Hieron. & etiam Theophilactus in Matth. cap. 5.

S. August. Hieron. & Theophil.

5. Atqui ita intelligi debere constat, quia ex diuersis scripturis reperitur dilectio inimicorum præcepta esse, & in omni lege. Et primò de lege naturæ patet, quia Christus Luc. 6. cap. vt probet inimicos esse diligendos, affert illud præceptum naturæ. *Prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* Ex quo axiomate, lumine naturæ euidenter cognito clare probat diligendos esse omnes homines etiam inimicos: nam nemo est qui non cuperet amari etiam ab eo, cui ipse nocuit. Huius verò probatio non longè petenda est, quia suppetunt exempla Sanctorum, vt Ioseph & Iob in lege naturæ, quin etiam exempla Gentilium. Nam Plato in Critone expressè docet non licere referre iniuriam. Et Plutarchus in lib. de vtilitate ex inimicis capiendâ, ait, grauissimâ pœnâ dignos, qui beneficentiam inimicis collatam vituperant: Ideóque hanc legem D. Hieronymus epist. ad Demetriadem exemplo prædictorum Ioseph & Iob nititur persuadere: *Ioseph*, inquit, *Patriarcha antéquam audisset Prophetam dicentem, vnusquisque malitiam proximi sui obliuiscatur in corde suo, ille pro odio reddidit charitatem, & fratribus suis dilectionis affectum pro dolore testatus est, osculabatur singulos, & irriguis fletibus parentium colla perfundens, odium fratrum charitatis lacrymis abluebat, & pro malis bonum retribuens in vitâ & in morte patris Apostolicum præceptum sub natura adhuc*

Luc. 6. D. Hier.

huc lege complevit. Iob etiam antequam Dominus præciperet inimicos esse diligendos aiebat: Si lætatus sum ad ruinam eius, qui me oderat, & gavisus sum, quòd invenisset eum malum, si dixi in corde meo, benefactum est, &c.

Exod. 23. Secundò, lege Moysis eandem fuisse præceptam constat Exod. 23. vbi dicitur. *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te, non pertransibis, sed* Prov. 25. *sublevabis cum eo.* Et Proverb. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* quibus locis cùm præcipitur effectus amoris, haud dubiè amor etiam præcipitur, id est, voluntas quâ volumus inimico tale bonum, sine quâ hic effectus esse non potest. Deinde constat exemplo Moysis & Samuelis, qui nullatenus voluerunt omittere orationem pro inimicis, & commemorantur à Ieremiâ Prophetâ cap. 15. tanquam singulares exoratores, qui multùm valeant apud Deum, quando populi indurata perversitas non obstat, in verbis: *Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Quæ verba examinans Gregorius Magnus homil. 27. in Evangelia, inquirit. *Quid est, quòd intermissis relictisque tot patribus solum Moyses & Samuel adducantur?* Et respondet: *Ideò hi in postulatione præferantur: quia illi soli in cunctâ veteris Testamenti serie, etiam pro inimicis suis leguntur exorasse. Vnus à populo lapidibus impetitur, & tamen pro his Dominum deprecatur: alter ex principatu eijcitur, & tamen cùm expostulasset populus, vt ad Deum pro ipsis preces funderet, respondit: Absit à me hoc peccatum, quo minus cessem orare pro vobis.* Denique constat exemplo Samaritani Luc. 10. qui Iudæum vulneratum à latronibus semimortuum suscepit & curavit, quos tamen constat inter se adeò fuisse inimicos, vt Ioan. 4. Mulier quędam Samaritana responderit: *Quomodo tu Iudæus cùm sis bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana, non enim coütuntur Iudæi Samaritanis.*

Tertiò, eam in lege gratiæ præcipi testantur Christi verba Matth. 22. vbi docuit Deum diligendum ex toto corde, & proximum sicut seipsum, vbi nullā fecit discretionem, sed omnes & quoscumque intellexit. Quod confirmatur quia Matth. Matth. 5. 5. veterem legem non solvens, sed complens, & expressiùs explicans, dicit: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos; & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Ex quo capite D. D. August. August. loco citato absurdum existimat, dicere nomen proximi non extendi ad omnes homines, quandoquidem ne inimico quidem denegandum est officium misericordiæ, sic enim ait: *Nullum autem exceptum esse cui misericordiæ denegetur officium, quis non videat? quando vsque ad inimicos etiam porrectum est, eodem Domino dicente, Diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui oderunt vos.* Et addit: *Ita quoque Apostolus Paulus docet, cùm dicit, Nam non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur, Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Quisquis ergo arbitratur non de omni homine Apostolum præcepisse, cogetur fateri quod absurdissimum & sceleratissimum est, visum fuisse Apostolo non esse peccatum, si quis aut non Christiani, aut inimici adulteraverit vxorem, aut eum occiderit, aut eius rem cupierit. Quod si dementis est dicere, manifestum est omnem hominem proximum esse deputandum, quia erga neminem operandum est malum.*

Verùm enimverò, quis non absurdum hoc dixerit, aliquem excipere, cum ipse Christus Ioan. 15. Ioan. 15. cap. præceptum de amicis & inimicis diligendis dixerit esse præceptum suum, & omnia mandata de solâ dilectione sint: vt rectè animadvertit Gregor. Magnus homil. super Greg. Mag. Evangelia dicens: *Cùm cuncta sacra eloquia plena sint Dominicis præceptis, quid est quod de sola dilectione quasi singulari mandato Dominus dicit? Hoc est præceptum meum vt diligatis invicem. Nisi quia*

quia omne mandatum de solâ dilectione est, & omnia vnum praeceptum sunt: quia quicquid praecipitur, in solâ charitate solidatur. Vt enim multi arboris rami ex vnâ radice prodeunt, sic multae virtutes ex vnâ charitate generantur. Quis, inquam, hoc dixerit cum Christus testetur, in duobus illis mandatis Matth. 22. vniversam legem pendere & Prophetas? Et Paulus plenitudinem legis esse dilectionem. Et alibi ad Coloss. 3. vinculũ esse perfectionis. Super quae verba commentans Chrysostomus: *Quodcumque eorum dixeris, nisi adsit charitas, nihil est, sed planè difflait. Et Quemadmodum in navi etiamsi magna sint instrumenta, nisi fuerint subligacula, nihil proderunt. Et in domo nisi sint obligationes, & contignationes. Et in corpore etiamsi magna sint ossa, si non fuerint compagines, & vincula, nihil proderunt. Ita quaecumque quis habuerit rectè facta, inania erunt omnia, nisi sit Charitas: Non dixit quòd fastigium est, sed magis quòd vinculum est. Necessarium magis est hoc, quàm illud. Nam fastigium quidem perfectionis est auctio, & intensio; vinculum verò conservatio eorum est, quae perfectionem efficiunt, tanquam radix quadam.*

Matt. 22.

Chrysost.

Ex quibus omnibus colligitur, obligationem proximũ diligendi esse sub mortali, quandocumque illi tenemur benefacere corporaliter, aut spiritualiter: hoc enim innuunt illa verba: *Vt sitis Filij Patris vestri, qui in caelis est* Et illa: *Nisi abundaverit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisaeorum non intrabitis in Regnum caelorum.*

Matth. 5.

6. Verùm nunc quaero, quomodo erga inimicum, qui proximus est, gerere se debeat?

Respondeo Primò, quemque teneri illi benefacere, vt proximo amico, quotiescumque ipsius necessitas id exegerit. Secundò, non licere alicui inimicum excludere à generali dilectione proximorum, seu quando orat pro omnibus, non licere illum excipere. Similiter si eleemosynam distribuat quis communiter in pauperes certi loci, non licebit excludere inimicum pauperem inter alios degentem, nec omittere de industriâ inter multos nominatim salutatos, eos, qui inimici sunt; Christus enim Dominus Matth. 5. neminem excludit à communibus beneficijs, quae praestat generi humano, sed solem facit oriri & pluviam descendere super iustos, & iniustos. Et D. Paulus pro Regibus inimicis, idcircò etiam vult Deum obsecrari, 1. ad Timot. 2. vbi ait: *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt; vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.* Et addit rationem: *Hoc enim bonum est & acceptum coram salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*

1. Tim. 2.

7. Quaeres an nullo casu liceat illum à communibus beneficijs excludere?

Respondeo, licere in his casibus, Primò, quando plures essent captivi, inter quos inimici & amici essent pares, & petendo pro omnibus redemptionem, timeres nulli concedendam, tunc posses idcirco pro amicis solis rogare, salvo quòd non ex odio eosdem excluderes. Secundò, quando non posses toti communitati dare eleemosynam, tunc licet cum eâdem conditione amicis solis eam impertiri. Tertiò, & si omnibus sufficeret eleemosyna, & sperares per exclusionem inimicos emendandos, licitè eos excluderes; nam illa exclusio est ijs bona. Porrò in omnibus his cavendum est evidens signum odij, & scandalum aliorum: eoque casu res potiùs sorte esset decidenda Atque inde etiam magis est decidendum an exclusio sit peccatum mortale, an veniale: videlicet, an ex magnâ aversione fiat, aut cum scandalo quodam ex eo quòd bonum à quo excludêtur sit magni aut aut parvi momenti. Hęc de communibus beneficijs.

8. Restat inquirere, an teneamur commu-

communiter inimicis singularia signa benevolentiæ ostendere?

Respondeo, Primò, communiter nos non teneri. Ratio est, quia non tenemur semper amicis talia exhibere, & quòd Christus tantùm pręcipiat non subtrahere illis generalia beneficia, quódque præceptum dilectionis sit affirmativum pro occasione datâ tantùm obligans. Adeóque quando signum non esset odij, aut scandali, non tenemur occurrentes inimicos absolutè salutare, eos alloqui, aut in familiaritatem admittere, quia hæc sunt signa particularia, quæ non omnibus communiter solemus exhibere. Secundò, nos semper ad id debere esse paratos, & de facto facere, quando necessitas, & ratio id postulabunt. Dicit enim Apostolus Ioannes, 1. Ioan. 3. *Fratres non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate.*

1. Ioan. 3.

9. Quæres speciatim in quibus casibus teneamur ostendere signa peculiaria?

Respondeo, Primò, quando inimicus petit veniam, tenemur ei non tantùm ex corde omnem offensam remittere, sed id etiam externo aliquo signo ostendere; quia id tunc omittere esset moraliter evidens signum odij, & alterum ad odium incitaret. A quo tamen aliquando excipiendi sunt Superiores, quando scilicet ostensio illa perseverantis offensi animi iudicatur necessaria, vt subditus petens veniam magis apprehendat gravitatem culpæ, eamque postea fugiat. Ita David diu noluit Absalonem admittere in conspectum suum. Cum hâc tamen restrictione, vt cavere debeat, ne subditus nimis exasperetur, & vt ostendat se id non agere ex odio, sed magis ex amore subditi, vt eum perfectè corrigat. de quo præcisiùs discursu 5. in verba quarti præcepti.

2. Reg. 14.

Secundò, quando parvo meo incommodo possum notabile ipsius malum animæ, corporis vel fortunarum avertere. Ita iubemur Exod. 23. levare asinum inimici iacentem sub onere. Et Prov. 25. esurientem inimicum cibare.

Exod. 23. Prov. 25.

Tertiò, quando per illa signa multùm promovendum est bonum spirituale proximi, vt si eum comiter compellando, vel ad amicitiam, mensamve invitando, crederem me posse eum abstrahere à gravibus peccatis, v. c. ab odio in me perpetuo, pessimorum hominum consortio, infidelitate, &c. in quibus fortè aliàs totâ vitâ maneret. Ratio est, quia Deus vnicuique mandavit de proximo suo: & si tenemur cùm possumus promovere bonum proximi temporale, multo magis tenemur promovere spirituale.

Quartò, quando omissio horum signorum pareret scandalum, vt si ob circumstantias putaretur esse signum odij, de quo suprà satis dixi.

10. Sed dices, populares hoc non capiunt, imò existimant impossibile esse hoc præceptum exequi, & quod amplius est, aliqui volunt se excusari à præcepto communionis in Paschate, eò quòd cum fratre habeant dissidium vel litem.

Respondeo nihil esse ineptius. Primò, quia in hâc re nullus excusationem prætendere potest, vt benè notat August. serm. 61. de tempore dicens: *In reliquis operibus bonis interdum potest aliquis qualemcumque excusationem prætendere. in habendâ verò dilectione nullus se poterit excusare: Potest mihi dicere aliquis, non possum ieiunare: nunquid potest dicere, non possum amare? Potest dicere, propter infirmitatem corporis mei non possum à vino vel à carnibus abstinere, nunquid potest dicere, non possum diligere? Potest quisquam dicere, se virginitatem non posse servare: Potest dicere non posse res totas vendere ac pauperibus erogare, nunquid potest dicere, non possum inimicos meos diligere, & eis, qui in me peccaverunt, indulgere? Nemo se circumveniat Fratres Charissimi, quia Deus neminem fallit. Cùm enim multa sint, quæ propter fragilitatem humanam corporaliter implere non possumus, charitatem tamen in corde nostro Deo inspirante, si in veritate voluerimus, sine aliqua dubitatione habere poterimus. Multa enim sunt quæ de horreo, canabo vel cellario*

August.

cellario aliquoties proferre, non possimus, de thesauro vero cordis minus fœdum & turpe est si aliquam excusationem prætendere videmur. Secundo quia Christus nihil mandavit impossibile: vnde idem Author loc. cit. sic huiusmodi homines aggreditur: In omnibus, inquit, Scripturis Deus tibi dicit, quia potes. Tu ei è contrario respondes, non posse. Considera nunc vtrum tibi, an Deo debeat credi. Et ideo quia veritas mentiri nō potest, iam vanas excusationes suas relinquat humana fragilitas; quia nec impossibile aliquid potuit imperare, qui iustus est: nec damnaturus est hominem pro eo, quod non potuit vitare, qui pius est. Iunge his exempla Ioseph, Moysis, Samuelis, aliorumque veteris testamenti, Stephani, & Pauli Act. 9. & Rom. 11. quorum vnus pro lapidantibus oravit, ne statueretur hoc illis in peccatum; alter pro ipsum persequentibus petijt esse anathema. Quin etiam imbecillioris sexus exempla adde, de quibus dictâ hom. 41. de tempore Augustinus. Quid tergiversamur in causam? nemo enim quantum possumus melius novit, quam qui nobis ipsum posse donavit. Tot viri, tot mulieres, clerici, pueri, tanta & tam delicata puellæ flammas, & ignes, & bestias æquanimiter pertulerunt, & nos stultorum hominum convicia dicimus tolerare non posse, quæ nobis malorum hominum nequitiâ inferuntur, si possumus etiam vsque ad mortem illa cum nostras iniurias vindicamus: Vnde nescio quâ fronte, vel quâ conscientiâ cum omnibus Sanctis in æterna beatitudine partem habere desideramus, quorum exempla sequi in rebus minimis non acquiescimus. Et nonnihil post discutiens verba Matt. 5. Diligite inimicos vestros &c. vt sitis filij patris vestri. Advertite, inquit, quia si inimicos non diligimus, filij Dei esse non possumus. Et quâ fronte dicimus in oratione: Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum? Aut quâ conscientiâ dicere poterimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus? Et obiectionem sibi formans ex ijs quæ vulgus in medium proferre solet, inquit: Sed dicit aliquis, ego audiam Scripturam dicentem: Amat anima mea amantem se. Amat amantes se filios & parentes, amat & latro, amat & draco, amant & lupi, amant & vrsi. Si enim amantes non diligamus, si filios vel parentes despicimus, peiores leonibus & supradictis bestiis existere videmur. Sic & ipse Dominus dicit: Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Qui ergo solos amicos diligunt, sicut & ipsi videtis, adhuc in hac parte publicanis & Gentibus, & bestiis similes sunt. Vt ergo superiores simus & Gentibus & bestiis, etiam inimicos & adversarios diligamus. Et timeamus illud, quod in Euangelio dicit Dominus, Serve male, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me, nonne oportuit & te misereri conservo tuo, sicut & ego tui misertus sum? Et quid postea? Tradidit eum tortoribus donec redderet vniversum debitum. Sic, inquit Dominus: Pater cælestis faciet vobis, si non dimiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Et iterum ipse Dominus ait: In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si vos invicem diligatis. Et iterum: Qui vniversam legem complevit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Quid est hoc vnum, nisi, quod supra diximus, Mandatum novum do vobis, vt vos invicem diligatis? Quid, inquam, est hoc vnum, nisi illud quod Apostolus dicit: Omnis lex in vno sermone completur: Diliges proximum tuum sicut teipsum? Sed ne forte aliquis dicat, locum hunc non sic debere intelligi; audiat de hoc mandato iterum Apostolum sublimi voce clamantem: Et si tradidero corpus meum vt ardeat, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Ipsa est vera & germana charitas, quæ non solum vsque ad amicos, sed etiam vsque ad ipsos pervenit inimicos. Sicut Dominus noster tantam circa genus humanum cognoscitur habere charitatem vt non solum supra bonos, sed etiam supra malos pluviam dare, & solem suum quotidie oriri concedat.

Act. 9. Rom. 11. | Matt. 18. | Ioan. 13. | Iacob. 2. | Ioan. 15. | Galat. 5. | 1. Cor. 13.

11. Sed dices, vt hominum plurimi, nostra inimicitia longè maior est, quam vt benevo-

lum animum valeam erga talem ostendere, quin potius mallem millies eum perire.

Respondeo frustraneam esse excusationem, quia nihil impossibile est charitati. Vnde videmus S. Stephanum in lege gratiæ pro lapidantibus intercessisse; Davidem in veteri Testamento perpessum Sauli signa dilectionis ostendisse. Audi quibus armis Stephanus contra adversarios dimicabat: refert hoc S. Fulgentius serm. de Stephano, dicens: *Stephanus vt nominis sui coronam meruisset accipere, charitatem pro armis habebat, & per ipsam vbique vincebat. Per charitatem Dei sævientibus Iudæis non cessit: per charitatem proximi pro lapidantibus intercessit. Per charitatem arguebat errantes, vt corrigerentur: per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. Charitatis virtute subnixus, vicit Saulum crudeliter sævientem, & quem habuit in terra persequutorem, in cælo meruit habere consortem. Ipsa sancta & indefessa charitas desideravit orando acquirere, quos nequivit monendo convertere. Neque enim, fratres, existimandus est Stephanus tunc inimicos dilexisse, cum pro eis oraret, & non dilexisse, cum eorum incredulitatem arguendo corriperet. Absit hoc ab anima martyris, ad cæli palatium festinantis. Ipsa enim sancta charitas firmam servavit in oratione patientiam, quæ rigidam tenuit in correctione censuram. Et ideò in oratione audiri meruit lenitas, quia sine charitate non fuit in correctione severitas. Ac per hoc sive orando, sive corripiendo, charitatem beatus Stephanus reservavit, quia vtrobique salutem errantium cogitavit: & indicio sancta orationis ostendit, increpationem illam non fuisse odij sed amoris.* Et immediatè post subiungit: *Hoc autem faciens, & præsentibus charitatem beatus Martyr exhibuit, & vtile nimis exemplum reliquit. Demonstravit enim geminam Ecclesiastici Dispensatoris industriam, vt ad corrigendum cuiuslibet peccantis errorem, & non desit in ore correptio, & ad Deum pro eo supplex effundatur oratio, vt qui malum fecit, per increpationem de malis operibus confundatur, & per orationem apud Deum adiuvetur.*

Fulgent.

Confundit magis huiusmodi homines Davidis charitas ostensa erga Saulem in veteri Testamento, de quo Chrysostomus hom. 3. de Davide & Saule: *Nequis mihi dicat, inimicum habeo scelestum, corruptum, incorrigibilem: quidquid dixeris, non est tamen Saul deterior, qui semel & iterũ, & sæpius servatus à Davide, cùm ipse mille modis illi struxisset insidias, tamen pro tot beneficijs acceptis perseveravit in malitia: quid ergo tu habes quod incuses inimicum, quòd terræ partem ademit, quod in agris fecit iniuriam, quod mancipia tua rapuit, quod vim attulit, quod tua præter ius occupavit, quod ad paupertatem redegit? At nondum eripuit vitam, quod molitus est Saul: quod si & vitam eripere conatus est, fortasse semel id ausus est, non sæpius, quemadmadmodum fecit Saul; quod si sæpius hoc tentavit, at non tot affectus abs te beneficijs, at non cum semel, atque iterum incidisset in manus tuas, servatus est. Etsi hoc quoque factum est, adhuc superat ipse David: neque enim parva sunt, sub veteri lege degentem, sed maiora quàm nunc post illustratam Euangelij gratiam, talia condonare gratis. Non audierat David parabolam de decem millibus talentorum, neque de centum denarijs. Non audierat precationem dicentem, Remittere hominibus debita ipsorum, quemadmodum & pater vester cælestis. Non viderat Christum crucifixum, nec innumerabiles illius sermones de frænandis animi cupiditatibus: non contigit illi gustare talem hostiam, neque particeps fuerat sanguinis Domini, sed legibus imperfectioribus educatus.*

Chrysost.

Discursus

Discursus II.

PRÆVIVS.

De Ordine charitatis, seu an quis seipsum magis diligere debeat quàm proximum quoad spiritualia?

D. Paulus inter virtutes Theologicas magis extollit charitatem, eamque monet seriò amplectendam, dicens: *Aemulamini charismata meliora.* Illis enim verbis charitatem erga proximum insinuat maximum esse donum: vnde, vt vtiliter charitatem quis exerceat, inquiram quod in argumento ponitur.

Cantic. 2. 1. Canticorum 2. cap. dicit Sponsa ad suos, quod sponsus introduxerit eam in cellam vinariam, & ordinaverit in ea charitatem, quod idem est, ac si diceret aspectu ipsius sponsi, & affatu ita refecta, atque accensa sum amore dilectionis sponsi, vt quasi ebria appaream; sicut videlicet in die Pentecostes repleti Spiritu sancto discipuli vino ebrij, sive musto pleni à populo putabantur. Sed ne mireris, ideo permisi me introduci in cellam vinariam, quia sic placuit dilecto meo ordinare, id est, attemperare, vel moderari in me charitatem, ac dilectionem meam probare vel exercere: q. d. Nihil ago, nisi charitate moderante, & me dirigente, ac præeünte, sicut vexillum militare, seu labarum, quod præfertur in exercitu militibus, est instar ductoris, & præceptoris in omnibus rebus agendis.

2. Hunc locum propterea DD. Scholastici adducunt ad probandum debere servari ordinem in dilectione proximi. Et rectè: Vt enim Theophil. ait Theophilactus ad Coloss. 2. Sicut in acie militari bona ordinis collocatio phalangem firmam efficit, sic & in Ecclesia, quando bonus ordo charitatis fuerit omnia constituentis. Hinc voluit Deus omnia disponere in mensurâ, numero, & pōdere, vt refertur Sap. c. 11. hinc etiam Paul⁹ monet Corinthios 1. Cor. 14. vt dono prophetiæ, & linguarum in sacro Ecclesiæ conventu honestè & secundum ordinem vtantur, Sap. 11. 1. Cor. 14. Illudque esse magnū bonum & commodum patet in omni Repub. Nam necesse est ordinem consistere, & sic cives Magistratui subordinari & obedire, & quemcumq; servare suum gradum & ordinem. Quod etiam confirmatur ex summo ordine, qui Rempub. Angelorum consociat, stabilit, conservat, & mirà pulchritudine exornat. Tum etiam ex ordinato motu, & situ cœlorum, stellarum, elementorum, omniumque creaturarum, ac totius vniversi: & quod ordinis perturbatio totum vniversum turbet: teste enim Nazianzen. orat. Nazianz. de moderat. in disputat. servandâ: *Ordinis perturbatio in aëre fulmina, in terra succensiones, in mari exundationes, in vrbibus & familijs bella, in corporibus morbos, in animis peccata, quasi, novas res moliendo introduxit.*

3. Vnde ad rem dico, ordinem charitatis requirere, vt quis seipsum plus amet in spiritualibus, quàm proximùm. Probatur, quia gratia gratum faciens spectat ad charitatem, & datur propter propriam salutem, non aliorum, vt gratia gratis data. Ex quo sequitur, non licere neglectâ propriâ salute vel venialiter peccare ob salutem alterius: Et confirmatur ex illo Sapientis, *Qui sibi nequam, cui alij bonus erit?* Et ex illo Davidis, *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Nec excusatur quod alteri bonum sit, quia vt ait Apostolus ad Roman. 3. *Non sunt facienda mala, vt eveniant bona:* quod asserere Rom. 3. dicit blasphemū esse, vnde alibi dicit

Scriptura: *Quid prodest homini, se totum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur; quam commutationem dabit homo pro animâ suâ?* Atque adeò non licet etiam velle privari in perpetuum propter salutem plurimorum.

4. Sed dices, venialiter peccasse optavit Michæas propter alios, & mortaliter videntur Moyses & Paulus optando carentiam perpetuæ beatitudinis, vt apparet, idque propter aliorum salutem. Micheas enim cap. 2. dixit hæc verba: *Vtinam non essem vir habens spiritum, & mendacium potius loquerer.* Moyses Exod. 32. dixit Deo: *Peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi Deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Paulus autem de Rom. 9. inquit: *Optabā ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem* id est, exitium æternum, & extremum.

Mich. 2.

Exod. 32.

Rom. 9.

Respondeo, Michæam hoc non optasse formaliter, sed tantùm materialiter. Et vt rem intelligas, recensuerat propheta oppressiones pauperum, aliásque iniurias proximis illatas ab Israëlitis, & ideò captivitatem illis minatus fuerat, & vt intelligerent hæc non ex odio, sed ex amore & compassione proferri, dicit, vtinam, quæ prophetizo de clade & exitio Israëlis, non sint prophetiæ à Deo revelatæ; sed mendacia mihi à vano timoris & pusillanimitatis spispiritu metuque suggesta! Sic vulgò dicimus, vtinam decipiar, vtinam sim falsus vates. Atque adeò non optat formaliter mentiri, sed materialiter tantùm, hoc est, vt re ipsâ non eveniat, aut vt non dicat ex spiritu Dei, sed ex spiritu suo vel humano vani timoris: idque vt ostendat se velle suos cives perdurare, & nō exscindi aut perdi ab Assyrijs, quod ex Deo eis comminabatur. Addo, etiamsi Michæas formaliter optasset, non ideo excusatum fuisse à peccato, quia & ipse homo erat, & omnis homo potest esse mendax.

Quoad verba Moysis & Pauli, respondeo, neutrum simpliciter optasse excidere à beatitudine, sed primò Moysen visum quâdam erga Deum confidentiâ, immiscuisse se quodammodo causæ populi, quem Deus volebat delere; vt Deus aut ipsum cum populo perderet, quod sciebat non futurum, aut vtrumque salvaret. Sicut si filius Regis videns patrem iratum alicui multitudini rebellanti paratum immittere in eos milites, qui eos occiderent, se eidem multitudini immisceret, & ad patrem clamaret, vt aut illis parceret, aut se cum illis occideret, sciens patrem hoc nullo modo facturum. Ita D. August. q. 147. super Exodum, cuius verba sunt hæc: *Securus quidem hoc dixit, vt in consequentibus ratiocinatio concludatur, id est, vt, quia Deus Moysen non deleret de libro suo, populo peccatum illud remitteret.* q. d. Sicut non timebat se delendum esse de libro vitæ, ita etiam sine hæsitatione confidebat, se impetraturum à Deo, quod petebat. D. Aug.

Secundo, Paulū illud desiderium habuisse tantum conditionatū, vt si posset fieri sine vllo suo peccato, qui heroicus quidem fuit, & excessivus fervor: quali etiam cap. 8. legitur vsus, cum dicit: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Quid enim cùm firmum suum propositum, firmamque resolutionem declarat, non excidendi à charitate adducere Angelos, quasi illi hominem avertere vellent à pietate; nisi vt excessivum suum zelum ostendat? Rom 8.

Vnde Chrysostomus homil. 15. ad Rom. sic commentatur: *Nam si vel Angelos mihi allegaveris, si vel cælestes omnes potestates, si vel ea omnia, quæ in rerum naturâ prodita, prodendave sunt: profectò mihi omnia perparva, tum quæ in terrâ, tum quæ in cœlis, tum quæ sub terrâ, tum quæ supra cælos, præ eo, quem dico, amore.* Et Paulò post: *Hæc autem dicebat* Chrysost.

Paulus,

Paulus non quòd vel angeli ipsi, vel reliquæ potestates id tentare aggredique vellent, absit hoc, sed quòd quem amorem erga Christum præferret, eum omni cum excellentiâ ostentare vellet. Neque enim Christum propter Christi opera, sed propter illum illius opera amabat, atque ad illud vnum respiciebat, vnum tantùm veritus ne ab eo amore excideret. Hoc enim vel gehennâ illi terribilius erat, quemadmodum & in eo amore persistere, vel cælorum regno desiderabilius.

Rupertus Itaque de vtroque hoc dici potest, quod Rupertus de Moyse notavit, in hæc verba: *Non debemus nos seriò, & gravissimè à Moyse dicta in sensum exilem coarctare, eò quòd inopes, & frigidi nos divitias animi Moysis charitate flagrantis ignoremus; nec oportet excessum hunc charitatis Moysis ad nostras ordinarias charitatis, & prudentiæ leges exigere.* Quod etiam quoad Paulum probat Chrysostom. ex caussâ, quâ hæc verba proferebat, sic enim ait Homil. 16. ad Rom. *Neque enim simpliciter hæc dixit, quæ dixit; sed quoniam omnes dicebant, Deumque incusabant, quòd qui digni habiti essent Dei filij vocari, legem accipere, ante omnes illum novisse, tali tantâque gloriâ frui, illum eundem ante vniversum orbem colere, tum autem promissiones accipere, patresque earundem tribuum, quodque omnium maximum, ipsius Christi maiôres esse (hoc enim est, ex quibus est Christus, quantum attinet ad carnem) eiecti, atque inhonorati essent; pro illis autem introducti, qui nunquam illum agnovissent homines, ij videlicet, qui à gentibus ortum duxissent: hac igitur qui dicebant, quoniam Deum convitijs afficerent, audiens hæc Paulus, ægrè ferens, ac pro Dei gloriâ dolens, precatus est anathema esse (si modò fieri posset) vt illi salvi forent, & convitium eiusmodi cessaret, nec videretur Deus illorum maiores decepisse, quibus dona pollicitus est.*

Chrysost.

Philipp. 1. Verùm dices, ipse Paulus ad Philipenses cap. 1. non dubitanter, neque conditionatè dicit quòd pro aliquo tempore velit carere beatitudine ob salutem aliorum, cùm eâ possit perfrui, sed exoptans & anhelans id ita futurum in verbis: *Coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos. Et hoc confidens, scio quia manebo & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, & gaudium fidei.*

Respondeo, Apostolum ibi non dicere, quod velit permanere in carne propter alios, sed se ob necessitatem aliorum, positâ libertate eligendi, nescire quid eligeret, vitam scilicet an mortem. Vt res melius intelligatur, necesse est scire scopum epistolæ ipsius Apostoli ad Philippenses. Illos itaque ipse edocuerat, & postea Romam concedens, ibidem vinctus erat; quod Philippenses ad Christum conversi intelligentes, ad eius consolationem miserunt Romam cum muneribus Epaphroditum ipsorum Episcopum (vt ait Theodoretus, Baronius, & alij) quem post convalescentiam ex morbo, in quem inciderat Romæ, remisit Paulus ad Philippenses cum dictâ epistolâ, quâ hortatur eos, vt in fide Christi perstent & pergant, nec vinculis suis turbentur, aut animis cadant, & maximè ne cedant, & credant Iudaizantibus docêtibus legalia Moysis servanda esse cum Euangelio: nec Cherintho, Simoni Mago, eorumque asseclis negantibus Christum verè esse crucifixum. Quia, inquit, perplexus sum, an martyrium mihi paratum velim eligere, & sic esse cum Christo, quod multo melius est. Nam sic tempestates evado, & portum ingredior, tamen persuadens vitam meam vobis esse necessariam, qui video omnes Asiæ Ecclesias à me vno pendere. Scio quòd Deus me vobis ad id concedet, facietque in vitâ permanere. q. d. Nolite timere, & lugere orbitatem vestram, quasi me Patre vestro sitis orbandi; ego manebo, & cum vobis permanebo; quasi pater vobis filijs meis superstes adero, præsens vos visam, absens per literas & nuntios vos solabor, & confirmabo, in vt fide & gratiâ proficiatis, deque fidei

Theodor. & Baronius.

incremento tam vestro, quam alieno gaudeatis.

Atque hoc non est contra charitatem, sed ad maius eius incrementum, & ad accumulandum maiora semper merita, & præmia, quæ non ita per brevem, atque per longam vitam acquiruntur. Et sic prædicat Ecclesia B. Martinum quòd morte instante dixerit: *Nec vivere recuso, nec mori timeo, sed si populo tuo adhuc sum necessarius, non recuso laborem.* Hinc etiam Chrysost. miratur Apostolicum eius animum, & mentem homil. 4. ad Philipp. sic eum compellans: *Cum Christo futurus es, & dicis, quid eligam ignoro? Et non solùm istud, sed & quod huius est vitæ eligis? Nempè vt in carne maneas. Quamobrem? Num acerbam vitam ducebas in vigilijs, in naufragijs, in fame ac siti, in nuditate, in curis, ac sollicitudinibus? cum infirmis infirmus eras, propter eos qui offendebantur vrebaris? In multâ patientiâ, inquit, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in ieiunijs, in puritate. Quinquies quadragenas plagas, vnâ minus accepisti, ter virgis es cæsus, semel lapidatus, noctem ac diem in profundo egisti, in periculis fluminum, periculis latronum periculis in civitate, periculis in in solitudine periculis in falsis fratribus. Nunquid quando universa Galatarum gens ad legis esset observantiam reversa, clamabas dicens: Quicunque in lege iustificamini, à gratia excidistis: Quantùm, quæso, tum lugebas? Et adhuc infelicem hanc vitam desideras? Si namque nihil horum tibi obtigisset, sed quicquid agebas, liberè & cum voluptate etiam patrasses: nunquid oportebat incertitudinem futuri eventus metuentem, ad portum quendam confugere?* Et immediatè pòst, diversis exemplis suam comparationem prosequitur, in hæc verba, *Quis mercator, navem habens multis rerum copijs plenam, cùm liceat ad portum iam appellere, tutoque requiescere; adhuc tamen in mari navigare mallet? Quis athleta cupiet amplius certare, cùm iam liceat coronari? Quis pugilum eliget denuo certamen ingressus de suo ipsius capite periclitari: cùm iam si vellet, coronam posset accipere? Quis est ille miles, qui cùm liceat iam cum celebritate & trophæis à bello liberari, cumque rege in ipsis quiescere ac refocillari regijs: sustineat adhuc in bello & sudare, & in aciem collocari?* Et resumens addit: *Quomodo ergo cupis adhuc in hac vitâ consistere, quam adeo amaram vivis? an non dicebas: Timeo ne quo pacto, cum alijs prædicaverim, ipse reprobus efficiar? Etsi ob nullam aliam causam, ob hanc certè liberationem desiderare oportebat. Et si innumeris bonis referta fuissent præsentia, propter Christum tamen dilectum ac desideratum, ab illis liberatum iri concupiscendum fuerat.* Denique admirando concludit: *Papè, quis est hic Apostoli animus? Nihil illi par vnquam vel fuit, vel erit. futura metuis, innumeris malis obnoxius es: & apud Christum tamen esse non vis? Non, inquit; atque id propter ipsum Christum, vt quos illi lucrifeci servos, expeditiores constituam, & solidiores; & vt agricolationem illam, quam plantavi frugiferam reddam. Non audisti me, non quod mihi est vtile, sed quæ sunt proximorum quærentem?* Quæ sanè revincunt maximam eius dilectionem erga Deum & homines, & salutem proximi præferendam esse Martyrio.

Sed quæres, quandoquidem tantum bonum est velle differri à fruitione beatitudinis ob rationes prætactas, an etiam meritorium sit, pro salute proximi spirituali, vitam corporalem periculo exponere?

Respondeo, Non solùm esse meritorium, sed etiam in quibusdam casibus obligatorium. Ait enim August. lib. de mendacio, cap. 6. *Temporalem vitam suam pro æternâ vitâ proximi non dubitabit Christianus amittere.* Et probatur ex verbis Christi Ioan. 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis invicem, sicut dilexi vos. Maiorem hâc dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Loquitur enim ibi de morte suâ, quam subiturus erat pro humani generis salute. Et 1. Ioan. 3. vbi dicit: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quia ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Vbi illud *debemus* nõ est congruitatis, sed necessitatis; videlicet quando aliter proximi saluti spirituali consuli nõ potest. Si

B. Mart.
Chrysost.
August.
Ioan. 15.
1. Ioan. 3.

Si autem quæras, qui sint casus huius necessitatis spiritualis extremæ: Primus est quando quis constitutus est in mortali peccato, & dormiens aut phrenesi laborans, ab inimicis subitò, aut à seipso animadvertitur occidendus, nisi à me impediatur. Tunc enim teneor cum periculo vitæ meæ id impedire, modo sit valdè probabilis spes, quod eâ ratione poterit evadere damnationem, videlicet ad se postea redeundo, confitendo. &c.

Secundus est, quando quis ducitur ad mortem ratione professionis fidei, & in eâ vacillat. Hâc de causâ B. Vitalis Vrsicinum medicum valde nutantem in fidei professione confirmavit, eâque de causâ martyrium subijt: De quibus sic habetur in Breviario Ramano 28. Aprilis: *Vitalis miles, sanctorum Gervasij & Protasij pater, vnà cum Paulino iudice Ravennam ingressus, cùm vidisset Vrsicinum medicum, ob Christianæ fidei confessionem ductum ad supplicium paululùm in tormentis titubare, exclamavit: Vrsicine medice, qui alios curare solitus es, cave ne te mortis æternæ iaculo conficias. Quâ voce confirmatus vrsicinus, martyrium fortiter subivit. Quare Paulinus incensus, Vitalem comprehendi iubet, & equuleo tortum, atque in profundam foveam demersum lapidibus obrui.* Breviar. Rom.

Tertius est, quando quis in periculo mortis est, existens in peccato mortali, nec sciens necessariam esse contritionem, aut ignorans, quid sit contritio, & quo modo eam possit in se excitare, veluti laborans peste, aut alibi existens in periculo contagioso, vbi copia non est Parochi obligati ex officio excipere confessionem: tunc enim tenetur quivis Sacerdos eius confessionem excipere, etiam cum periculo vitæ aut sæcularis illo deficiente eum de contritione sufficienter instruere, si ipse peritior sit.

Hi, & similes casus cum periculo vitæ obligant. Sed quamvis non sint casus extremæ necessitatis, tamen laudabiliter ijs quivis Christianus tollendis adlaborat; quando videlicet spes est iuvandi. Sic S. Ioannes, cùm libenter audiretur ab Herode, eum corripuit de adulterio, dicens: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, Marc cap. 6. Idque cum periculo vitæ, vt eventus postea docuit. Hæc de spirituali salute proximi: cætera quę ordinem charitatis concernunt suis locis dicemus. Marc. 6.

Discursus III.

PRAEVIVS

De Eleemosynâ. An sit in Præcepto?

1. Cor. 13. D. Paulus, 1. ad Cor. 13. encomia Charitatis referens dicit: *Charitas benigna est*, Vnde de externis actibus charitatis tractaturus, quæro quod in argumento ponitur.

1. Ioan. 3. 1. D. Ioannes, cap. 3. instanter monet, vt diligamus opere & veritate, hoc est non solùm animo, sed etiam actu, proximo, sive corporaliter sive spiritualiter indigenti succurramus. Est autem eleemosyna, corporalis actus, quo aliquid datur egenti ex compassione miseriæ; qui actus omni iure præcipitur: Iure naturali per illud generale principium: *Quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Iure divino, per Deuter. 15. *Ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi qui tecum versatur in terrâ.* Ac per illud Eccles. 4. *Declina pauperi sine tristitiâ aurem tuam, & redde debitum tuum.* Tum etiam per responsum Domini, quo Deut. 15. Eccles. 4.

præcipit Legisperito tanquam necessarium ad vitam æternam inimicum graviter læsum tum ope, tum pecunia iuvare, in verbis: *Vade & tu fac similiter.* Iure verò Ecclesiastico, per illud quòd D. Paulus in epistolis suis eleemosynas non modò iniunxerit fidelibus, ipseque exegerit; sed etiam Discipulo in 1. ad Timoth. 6. mandarit præcipere divitibus facilè tribuere, vt ibidem habetur v. 17. *Divitibus huius sæculi præcipe bene agere, divites fieri in bonis operibus facilè tribuere, communicare.* Et hoc præceptum vti est affirmativum includitur in illo: Diliges proximum sicut teipsum. Et reducitur ad quartum præceptũ Decalogi: *Honora patrem tuum & matrem tuam:* Quia illud vnicum inter præcepta secundæ tabulæ est affirmativum: neque aliud est inter ea, quod promissionem habeat vitæ, quam illud ipsum: qualem habet etiam eleemosyna, iuxta illud Apostoli 1. ad Timoth. 4. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est futuræ.*

1. Tim 6.

2. Sed quæres, & meritò, quando obliget præceptum de eleemosynâ, cùm sit affirmativum; illudque non obliget quovis tempore, sed solùm in certis circumstantijs?

Respondeo præmittendum esse, eleemosynam dandam esse ex bonis superfluis, & superflua triplici modo considerari, Primò, respectu naturę, quâ ratione dicuntur superflua ea omnia, sine quibus se & suos potest quis sustentare. Illa autem necessaria non tam strictè accipiuntur, vt ea tantùm significent, quibus si careas, brevi sis moriturus; sed etiam ea, sine quibus non nisi cum gravissimis miserijs, aut evidenti earum periculo vitam possis traducere.

Secundò, respectu personæ, sive status dicuntur superflua homini, quę ei non sunt necessaria, vt decenter secundum suum statum vivat. Quæ necessaria statui non consistunt in indivisibili, sed patiuntur quandam latitudinem. Vnde cui, 100. annuè sunt necessaria ad statũ, si ei adduntur, 10. aut, 12. non statim dicuntur superflua statui. Deinde non respiciunt solum statum pręsentem, sed etiam futurum: Vnde reservans aliqua, vel ad dotandas filias, si quis eas habet, aut credit se habiturum, vel ad sustentandam senectutem; vel ad occurrendum necessitati probabiliter obventuræ ex morbis, bellicis casibus, alijsque similibus, aut vt hæredibus relinquat, vnde secundum suum statum vivere possint: aut si quis sit dignus altiore statu, & ad eum probabiliter promovendus, in quo maiores opes ei erunt necessariæ, has coacervando, non dicetur habere superflua.

Tertiò, sunt superflua naturæ & status, id est, quæ neque ad vitam neque ad status decentiam necessaria sunt.

3. Secundò, præmittendum est, necessitatem indigentium etiam esse triplicem, scilicet extremam, gravem, & communem. Extrema est, quando alicui deficiunt necessaria vitæ sustentandæ, ita vt sit in evidenti periculo mortis, aut gravissimæ miseriæ corporalis, quæ morti comparari possit: qualis est, valdè gravis, & perpetuus morbus, & similia.

Gravis necessitas dicitur, cùm quis ex defectu rerum necessariarum in certo periculo est incidendi in gravem miseriam v. g. in gravem morbum, aut diuturnam infirmitatem; in longam incarcerationem: aut etiam is, qui est in periculo probabili incidendi in extremam necessitatem, aut qui est in certo periculo ex honorabili statu decidendi ad infimam fortunam, ita vt debeat mendicando, aut laborando vitam tolerare.

Communis dicitur sive ordinaria, quæ passim occurrit in pauperibus ostiatim mendicantibus & victum quærentibus.

4. Quibus positis, Dico primo, neminem teneri ex bonis prorsus ad vitam necessarijs eleemosynam tribuere. Ratio est, quia ordo charitatis dictat, chariorem nobis debere esse vitam propriam, quàm proximi: adeo-

adeóque neminem pro conservandâ vitâ alterius teneri se in extremam necessitatem conijcere: nisi proximus, qui est in extremâ necessitate, talis sit, vt ab ipsius vitâ notabiliter pendeat salus Reipub. aut Ecclesiæ. Ratio est quia bonum publicum præferendum est privato. Hunc enim casum excipit S. Thomas 2. 2. q. 32. ar. 5. videlicet, Si quis *subtrahendo sibi daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia, vel Resp sustentaretur: quia pro talis personæ liberatione seipsum & suos laudabiliter periculo mortis exponeret: cùm bonum commune sit proprio præferendum.*

Thomas

5. Dico secundò, ex bonis superfluis naturæ iuvandos esse, qui extremam patiuntur naturæ necessitatem. Ordo enim charitatis ordinariè exigit (nō semper, vt mox dicam) vt proximi vitam pluris faciamus, quàm dignitatem propriam: adeóque tenetur quis sub mortali huiusmodi hominem iuvare ex charitate, quādo non est illi moraliter certum, alium laboranti succursurum. Quod probatur primò, quia 1. Ioan. 3. dicitur charitas in tali non esse, his verbis: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* quod idem est, ac si dicat: Qui habet facultates humanas, ex quibus etiam aliorum indigentię queat subvenire, & novit fratrem suum proximum egere; nec tamen opem misericordiæ ei impendat, inopiam eius sublevando; quomodo fieri potest vt charitas Dei communis omnium parentis, propter quem frater diligendus est, in animo eius resideat ac domicilium habeat? ac si dicat Apostolus id fieri non posse. Descendit autem ab opere charitatis excellentissimo (de quo dicit Dominus Ioan. 15. *Maiorem hâc dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* id est, fratribus) ad opus multo inferius, quod est de bonis exterioribus aliquid indigenti fratri impertiri; vt saltem habeat charitatem inchoatam, qui nondum perfectā. Cui

1. Ioan. 3.

Ioan. 15.

Augusti.

dicit Augustinus: *Si nondum es idoneus mori pro fratre; iam idoneus esto dare de tuis facultatibus fratri.* Nam vt ait Gregorius hom. 14. super Euangelia, *Qui non dat pro ovibus substantiam suam; quando pro his daturus est animam suam?* Nominat Apostolus charitatem Dei potius quàm proximi; ne quis existimet salvâ charitate & amicitiâ Dei negligere se posse charitatem ac beneficentiam in fratres. Hinc ait capite sequenti, *Qui non diligit fratrem suum quem videt; Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc*, inquit, *mandatum habemus à Domino, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.*

Gregor.

1. Ioan. 4.

Probatur secundò, quia graves pœnas in hâc vitâ prædicit Dominus obturantibus aurem pauperi, vt Proverb. 21. vbi sic ait: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Id est, vt explicat Iansenius, quod iustè talibus duplex malum eveniet. *Primum*, inquit, *quia etiam talis clamabit, quo significatur ipsum in gravem aliquam calamitatem casurum, quæ ipsum clamare compellet. Secundum, quia etiam cùm clamabit, & summis precibus contendet impetrare liberationem & subsidium, non exaudietur iuxta illud Psal. Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret, ad Dominum, nec exaudivit eos.*

Prov. 21.

Tertiò, quia Deus iudicium sine misericordiâ illi prædicit qui non fecerit misericordiam, vt habetur Iacobi 2. Quod illud autem erit perpetuæ damnationis exprimitur Matth. 25. vbi Dominus eisdem dicturus declaratur: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius*, Et causa additur, *Esurivi enim & non dedistis mihi manducare.* Et exemplum est in divite Epulone, qui tale iudicium subijt, & quoniam surdus fuit ad clamorem Lazari, non est etiam postea exauditus, cùm clamaret pro guttâ aquæ. Dixerat enim Dominus Luc. 6. *Eâdem mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis.*

Iac. 2.

Matth. 25.

Luca 16.

Luc. 6.

Porrò quemlibet obligari ex charitate, communis est Doctorum sententia: verùm mihi non videtur improbabilis altera, quæ hoc casu dicit divi-

divitem obligari ex iustitia. Ratio est, quia in huiusmodi necessitate existentibus bona abundantis debentur, quod bonorum divisio communi consensu facta tunc cesset, ac facta non intelligatur in praeiudicium indigentium. Huc ducit quod ait Sapiens Eccles. 4. v. 1. *Fili eleemosynam pauperis ne defraudes.* & quod v. 8. sequitur: *Declina pauperi sine tristitiâ aurem tuam, & redde debitum tuum.* Hęc enim verba iustitiam videntur praesupponere. Suffragatur D. Ambros. relatus dist. 86. c. *Pasce* vbi tali tanquam causae morali imputat homicidium eius, qui fame mortuus est, dicens: *Pasce fame morientem: quisquis enim pascendo hominem servare poteris, si non paveris, fame occidisti.* Similiter D. Basilius orat. in illud *Destruam horrea mea*, vbi eiusmodi homines spoliatoribus & furibus comparat, in verbis: *At tu nonne spoliator es, qui quae dispensanda accepisti, propria reputas? est panis famelici, quem tu tenes, nudi tunica, quam in conclavi conservas, discalceati calceus, qui apud te marcescit, indigentis argentum, quod possides inhumatum. Quocirca tot pauperibus iniuriam facis, quot dare valeres.* Hâc de causâ Bernardus epist. 42. invehens in quosdam vanitatem huius mundi sequentes, inquit: *Nostrum est, pauperes clamant, quod effunditis; nobis, crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis.*

Eccles. 4.
Ambros.
Basilius
Bernard.

6. Dico tertiò gravi necessitate laborantibus succurrendum esse ex lege charitatis de necessarijs ad decentiam status cum aliquali eius detrimento, ex verbis 1. Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi* &c. Sic enim videtur D. Augustinus hunc locum intellexisse, qui in Commentario suo sic ait: *A creditore angustiatur frater tuus: non habet ille, habes tu: frater est, ambo sanguine Christi redempti estis: vide, si misereris, si habes facultates mundi, fortè dicis: quid ad me pertinet? Ego daturus sum pecuniam meam, ne ille molestiam patiatur? Si hoc responderit cor tuum, dilectio Patris non in te manet. Si dilectio patris non in te manet, non es natus ex Deo. Quomodo ergo gloriaris te esse Christianū?* Quod non est alienum à ratione; quia aliàs vix vllus teneretur vnquam dare eleemosynam graviter indigenti, quia paucissimi sunt, pręsertim saeculares, qui ita superflua habent, vt illis nullo modo pro suo statu indigeant, iuxta positam definitionem, & extensionem necessariorum ad decentiam status. Et sic praeceptum Domini, qui indefinitè egentes voluit sublevari, quodammodo evanesceret.

1. Ioan. 3.
August.

7. Sed dices Apostolus Paulus qui alicubi dixit: *Vultis experimentum eius, qui loquitur in me Christus.* desiderans eleemosynas à Corinthianis pro ijs qui Hierosolymis graviter laborabant, dicit se hoc non imperare, sed ad hoc hortari exemplo Macedonum, qui in eosdem liberales fuerant exemplo Christi, qui egenus factus erat propter nos, vt nos suâ inopiâ ditaret: Deinde ex ipsorum bono proposito, & ex eo quòd per eleemosynam fiat ęqualitas divitum & pauperum, qui pro temporalibus bonis rependunt spiritalia; Denique ex eo quód Titum aliosque Apostolos ad eam colligendam miserit, ne si parci sint, eos pudefaciant, ipsique coram eis pudefiant. Quae omnia non indicant obligationem, sed potius contrarium; & magis quia v. 8. addit haec verba: *Non quasi imperans dico, sed per aliorum sollicitudinem, etiam vestrae charitatis ingenium comprobans.* 1. Cor. 8.

Respondeo, hoc nihil referre: nam Apostolus non ideo non imperavit, quod per se non sit necessarium graviter laboranti ex superfluis, aut etiam necessarijs ad decentem statum eleemosynam impertiri: sed quia respectu Ierosolymitanorum non tenebantur, cum domi haberent sufficientes pauperes, in quos illa erogarent, adeóque non tenerentur ijs neglectis, tam procul à se remotis assistere: quod colligitur ex eo quód idem Apostolus dicat in 1. ad Cor. 1. Cor. 1.
2. v. 26. inter eos non fuisse *multos potentes, aut nobiles*, atqui ita maximam partem fuisse pauperes.

8. Sed quęres, an positâ tali obligatione teneamur semper extremè, aut

etiam

etiam graviter indigentibus succurrere ex bonis ad conservationem status necessarijs?

Respondeo, Non teneri quempiam, nisi viderit fratrem suum necesse habere: Illud enim exprimit Apostolus Ioannes loco citato, in verbis: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere.*

Secundò, Dico, non teneri quempiam aliquem privatum etiam extremè indigentẽ cum eversione sui status iuvare. Ratio est, quia charitas non obligat hominem alteri assistere cum tanto incommodo, vt ad parem, vel ad maiorem veniret necessitatem, eò quòd charitatis præcepta sint suavia: vt vita propria potius diligenda sit quàm proximi; quodque tali gravius sit amisso statu vivere, quàm eo integro mori; nam vita misera, considerato priori statu, est tali iniucunda. Deniq; quòd hoc damnosũ sit Reipublicę, quę eversione status honesti civis longè magis læditur, quàm morte alicuius pauperis. Et tali ratione Respublica facilè tota everteretur, si divites tenerentur, vel omnes, vel magnam partem fortunarum suarum pro conservanda vita cuiusvis pauperis expendere; quia sæpè contingit, præsertim serpente aliquâ contagione, multos pauperes mori, qui valdè probabiliter curarentur, si magnis sumptibus ad eos curandos expertissimi medici vocarentur, & reliqua omnis curatio adhiberetur, qualis valdè opulentis solet adhiberi; aut tempore belli, aut grassantibus latronibus daretur ansa ijs facilè capiendi pauperes, ijsque minitandi mortem, nisi divites ingens lytrum pro ijs solverent; atque etiam quosdam ex illis occidendi, vt his efficacius ad solvendum pro cæteris lytrum compellerent: atque ita exiguo tempore omnes opulentos suis opibus spoliarent, totamque Rempub. everterent.

Hinc contingit Religiosos sæpè relinqui in carcere apud hostem, quia si lytrum grande pro eis expetitum solverent Superiores, quotidie ferè deberent communitati esse onerosi. Nam vt plurimum Religiosi huc & illuc mittuntur.

Nihilominus addo, esse valdè laudabile etiam statui decenter conservando necessaria pauperibus erogare, sed ijs, qui liberi sunt, & sine vxoris ac prolium præiudicio id practicare valent. Probatur ex eo, quòd Christus suadet perfectionem sectãtibus, vendere omnia quæ possident. Et confirmatur exemplo plurimorum Sanctorum, qui id laudabiliter assecuti sunt; inter quos est Apostolus Paulus, qui cum detrimento non solùm personę, sed etiam naturæ populis donabat, quod iure exigere potuisset, & labore manuum se ac suos, vt poterat, sustentabat, vt patet partim Act. 20. vbi sic habetur: *Argentum & aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis: quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse dixit, Beatius est magis dare, quam accipere.* Partim 1. Cor. 9. vbi sex argumentis probat licuisse sibi alijsque ministris verbi Dei & Ecclesiæ, à suis sumptus accipere. 1. exemplis aliorum Apostolorum, v. 5. Secundò similitudinibus militum, pastorum & agricolarum, v. 7. Tertiò ex lege Moysis, vers. 9. Quartò exemplo Sacerdotum & Levitarum veteris Testamenti, qui ex victimis & obligationibus altaris, cui serviebant, vivebant, v. 3. Quintò, ex Dei & Christi ordinatione, v. 14. Sextò v. 11. ex ipsa rei naturâ, sive iure, non tantùm divino positivo, sed etiam naturali, quod dictat, sicut operario debetur merces, ita ministro verbi & Ecclesiæ deberi stipendium, non quasi pretium rei sacræ (hoc enim indignum esset, & simoniacum) sed quasi stipendium sustentationis, quod vocant, quo scilicet sustentetur, vt suas functiones sacras pro populo obire possit. Deinde declarat se illud accipere noluisse, tum maioris meriti, tum ædificationis causâ.

Act. 20. *1. Cor. 9.*

causâ. S. etiam Martinus pauperi occurrenti dimidium chlamydis dedit, indumentum illi planè necessarium.

D. Ambrosius Ecclesię sacra vasa conflari, ac pauperibus dari iussit, De quo sic scribit lib. 2. Offic. c. 28. *Hoc maximum, incentivum misericordiæ, vt compatiamur alienis calamitatibus, necessitates aliorum, quantum possumus, iuvemus, & plus interdum quam possumus. Melius est enim pro misericordia causas præstare, vel invidiam perpeti, quam prætendere inclementiam.* Et longè post: *Opus est vt quis fide sincerâ, & perspicaci providentiâ munus hoc impleat* (videlicet dispensandi thesauros Ecclesiæ) *Sanè si in sua aliquis derivet emolumenta, crimen est: Sin verò pauperibus eroget, captivum redimat, misericordia est. Nemo enim potest dicere, cur pauper vivit? Nemo potest queri, quia captivi redempti sunt: nemo potest accusare, quia templum Dei ædificatum est: nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquijs spacia laxata sunt: nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum requies defunctorum est. In his tribus generibus vasa Ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet.*

D. Ambrosius

Divus Paulinus amplius præstitit, nam non solum omnia sua in captivorum redemptione, & egentium necessitatibus consumpsit, sed ad extremum seipsum dedit in servum, teste Gregor. lib. 3. Dialog. cap. 1. S. Ioannes Eleemosynarius, vt testatur Leontius in eius vita, cum omnia prorsus quæ habere posset, pauperibus erogasset, mirātibus ijs qui fruebantur eius eleemosynis tam effusam liberalitatē, respondere solitus erat: *Frater, nondum pro te sanguinem fudi, sicut mandavit mihi Dominus meus Christus.*

Gregorius

Leontius

Hæc quoad superflua, imò necessaria statui, & quoad necessitatem gravem, & extremam: Restat verbo dicere ex superfluis communium pauperum necessitatibus esse subveniendum. Probatur ex illo Luc. 11. *Veruntamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Vbi Christus præcipit Pharisæis, vt ex superfluis dent eleemosynam, si velint mundari à pœnis peccatorum. Confirmatur ex ratione, quia si habentes superflua non darent eleemosynas ijs, qui solùm communem patiuntur necessitatem, multi ex his brevi inciderēt in gravem, aut etiam extremam necessitatem: quod esset grave malum tam ipsorum pauperum, quam etiam Reipublicæ, quæ postea illorum miserijs sublevandis gravaretur. Itaque obligatio istius erit sub veniali, vel mortali, iuxta rationem miseriæ, quæ communiter tantùm levis est.

Luc. 11.

Discursus IV.

PRÆVIVS.

An quibusvis personis indifferenter eleemosyna dari debeat, & an mutuum aliquibus dare sufficiat?

1. Ioan. 3.



D. Ioannes 1. cap. 3. monet nos, ne *diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate.* Quòd certe fieri debere constat: quia vt ait Apostolus 1. ad Timoth. 1. *Finis præcepti est charitas.* Sed restat aliud inquirere, quod in argumento ponitur, vt salvâ conscientiâ, & cum fructu eleemosyna impendatur.

1. Tim. 1.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam, notandum est quadruplex esse genus pauperum, Primum eorum qui involuntariè pauperes sunt, sed mali.

mali. Sunt alij, qui otium sectantes voluntariè pauperos sunt, quia nolunt laborare: Sunt alij, qui egent non simpliciter, & absolutè; sed quia extra patriam existentes pecuniarum suarum vsu destituuntur. Sunt quartò, qui ex amore virtutis voluntariè pauperes sunt, vt Religiosi.

2. His positis, dico primò, omnibus eleemosynam impertiendam esse egentibus, sive peccatores sint, sive non, modo sint in necessitate constituti. Quod probatur primò, quia Lucæ 6. dicit Dominus: *Omni petenti te tribue.* Et Paulus ad Galat. 6. *Operemur bonum ad omnes.* Inter quos Sapiens etiam constituit inimicum Proverb. 25. dicens *Si esurierit inimicus tuus, ciba illũ.* Cui consonat præceptum Christi. Matt. 5. *Benefacite his qui oderunt vos.* vnde pauperes vt tales nõ sunt curiosè scrutandi. Sic intelligendus est Chrysostomus, qui homil. 21. ad Rom. ab eâ dehortans, dicit: *Qui reprobum recipit, sine culpâ erit, imò mercedem habebit.* Et paulò post, idipsum penitus inculcans: *Ne scruteris, inquit, curiosè pauperum vitam, atque negotia: Nam extremæ illud insolentiæ est, pro vno pane totam hominis miseri vitam curiosè inquirere. Nam etiam si homicida, si latro, aut aliud eiusmodi fuerit: an non videtur tibi vel pane, vel modico argento dignus? Et tamen Dominus tuus Solem suum illi producit: tu verò quotidiano cibo indignum indicas? Ego vero, quod adhuc maius est, pono: nimirum quod etiam, si manifeste cognoveris, illum innumeris esse refertum malis, neque sic tamen excusationem habeas, si quotidiano cibo illum privaveris. Servus enim illius es, qui dicit: Nescitis cuius spiritus sitis: famulus es illius, qui lapidantes se curare laborat, imò qui & crucifixus est pro eis. Non est, quòd mihi dicas, quòd alium interfecerit. Nam etiamsi teipsum interempturus esset, neque sic tamen fame laborantem contemnere deberes. Discipulus enim illius es, qui crucifigentium se salutem cupiebat, quique in ipsâ cruce dicebat: Pater remitte illis, nesciunt enim quid faciunt. Illius es servus, qui percutientem se curavit, qui latronem in ipsâ cruce coronavit.*

Luc. 6. Galat. 6. Prov. 25. Matt. 5. Chrysost. Luce 9.

3. Sed dices, Sapiens Ecclesi. 12. c. dicit: *Da bono, & non receperis peccatorem: Benefac humili, & non dederis impio.*

Eccles. 12.

Respondeo, hoc nihil referre: Peccatores enim dupliciter considerari possunt, primò vt homines in necessitate constituti, & sic locum habet, quod dixi: secundò, vt peccatores tantùm, & sic non licet illis eleemosynam impertiri. Nam vt rectè D. Augustin. in Psal. 122. hoc nihil aliud esset, quàm diligere iniquitatem. Et sicut qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet, id est, vitam æternam; sic etiam qui recipit peccatorem in nomine peccatoris, mercedem peccatoris accipiet, id est, mortem sempiternam. Nam *stipendium peccati mors est.* Et hoc est, quod vult Sapiens dicto loco dicere. Aut fortè non loquitur propriè de eleemosynâ, sed de fovendo peccatore, recipiendo illum ad mensæ communionem, & convictum familiarem, quia subiungit: *Prohibe panes illi dare, ne in ipsis potentior te sit.* Cuius rei periculum rarò continget ex eleemosynâ. Deinde addit quod prohibeat. *Quia duplicia mala invenies in omnibus bonis quæcumque feceris ei: Quoniam & altissimus odio habet peccatores, & impijs reddet vindictam.* In quæ verba Iansenius addit duplicem causam sui præcepti. *Primum: quia si impius te fiat potentior, invenies duplicia mala in omnibus bonis quæ feceris ei; nimirum quia & perdes gratiam tuorum beneficiorum, & per ea nocumentum incurres, recipiens ab eo mala pro bonis, vt significet quantò plus beneficij in eum collocaveris, eò magis is nocebit, quantum ei benefeceris. Altera ratio sumpta est à iudicio Dei, cui impij & scelerati homines sunt odiosi, qui proinde ab hominibus non sunt amicitiæ beneficijs fovendi aut honorandi.* Ex quibus satis colligitur, quòd de peccatore vt tali loquatur, & de eo qui tam perversus sit, vt pro bono malum rependat.

Matt. 10. Rom. 6. Iansenius.

4. Dices iterum, vt hominum plurimi, quando malos vident in egestate constitutos, nebulones sunt, & Deus eorum peccata per inopiam vult puniri, atque adeò non debemus illis eleemosynam impertiri.

Respondeo, nec hoc excusare, & etiamsi certò sciremus aliquem ex iusto Dei iudicio propter sua peccata ad extremam inopiam redactum, & velle Deum, vt fame moreretur, non esse à nobis deserendum, nisi speciali mandato id ipsum Deus imperaret, cum contrà generale mandatum acceperimus operandi bonum ad omnes. Sæpe enim vult Deus aliquem per inediam interficere, & non vult tamen vti nostrâ inhumanitate ad eum interimendum. Quare si quis indigentibus ea de causa non succurreret, quòd existimaret velle Deum in pœnam peccatorum, fame enecaretur; is officium tortoris sibi assumeret, iudice non solùm id non iubente, sed etiam prohibente. Vt pluribus verbis declarat Nazianzenus orat. de curâ pauperum habenda, quorum hîc habes compendium.

Nazian.

Ex quibus iam facile erit colligere, quo modo nos gerere debeamus erga otiantes, quos secundo loco recensui, nempe talibus eleemosynam non esse impertiendam, quia verè non patiuntur necessitatem. Secundò, quia tales homines sunt communiter pleni vitijs, ac ita nocivi reipublicæ, à quibus avocarentur, si nemine ijs dante eleemosynam compellerentur vtili labore victũ quærere: & contra per eleemosynas in otio, desidiâ, vitijsque, quæ ex his nascuntur, foventur. Vnde in eiusmodi etiam bene convenit quod scribit S. August. epist. 48. ad Vincentium Donatistam, aliquanto post initium, vbi ait: *vtilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligebat; quam esurienti panis frangitur, vt iniustitia seductus acquiescat.* De similibus etiam potest intelligi Apostolus 2. ad Thessal. 3. vbi ait: *Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquietos nihil operantes, sed otiosè agẽtes &c.* Propter quos prius dixerat, *Nam & cum essemus apud vos hoc denunciabamus vobis, quandoquidem si quis non vult operari nec manducet.* Et hac de causa pauperes peregrini vtiliter aliquando excluduntur è civitatibus, aut quia inferunt morbos, corruptelas, hæreses, contentiones ac proditiones. Si verò contingat tales repentè in aliquam gravem necessitatem incidere, necesse erit illis per eleemosynam subvenire. Hoc apertè docuit Apostolus 2. ad Thessal. 3. his verbis: *Vos autem nolite deficere benefacientes.* quod idem est, ac si dicat: Otiosos atque inquietos hactenus instruxi: sed iam ad ipsum corpus Ecclesiæ Thessalonicensis sermonem convertens, aio me de vobis, ô Thessalonicenses Christiani, meliora confidere, & scire vos, paucis exceptis nativam indolem & pronitatem ad otium per Christi fidem & gratiam commutasse; iamque non esse otiosos, & inquietos, sed operari & benefacere: hortor ergo vt ita pergatis, nec deficiatis benefaciendo, omnibusque charitatem exhibendo etiam pigris illis & otiosis, à quibus licet versu sequenti & versu 6. iubeam, vt vos subtrahatis, ad eorum confusionem & emendationem: tamen nolo vt eos fame interire aut gravi inopiâ premi sinatis. ita ibidem Theophylactus. Quin etiam quando putantur per eleemosynam ad meliorem frugem reducendi.

S. August.

2. Thess 3.

5. Restat de duobus alijs generibus dicere, nempe de illis, qui in patria divites, alibi egent, quòd remoti sint ab vsu suorum bonorum, & de religiosis. De prioribus dico, quòd non sit necessarium illis eleemosynam impertiri, sed mutuum dare, sub onere restituendi; quia is v g. Romæ existens eget, Antuerpiæ dives est. Probatur, quia tunc mutuum dare, genus eleemosynæ est, iuxta illud Psalmi, 111. *Iucundus homo qui miseretur, & mutuum dat.* Et Ecclesiastici 29. *fænerare proximo tuo in tempore necessitatis illius.* Vbi per vocem *fænerare*, nihil aliud nisi *mutuare* intelligendum est. Confirmatur exemplis Sanctorum, Iosephi in primis, qui fuit vir iustus, & tamen Ægyptijs pecuniâ destitutis & gravi necessitate pressis non liberaliter de pane providet, sed dixit: *Adducite pecora vestra, & dabo vobis pro eis cibos, si pretium*

Psal. 111.

Eccles. 29.

tium non habetis, Genes. 47. & cum postea adhuc vrgeret fames, & nihil haberent præter corpora & agros, emit omnē terram, & subiecit Pharaoni: & cùm tandem omnibus destituti, nihil reliquum haberent, reddidit illis agros, & dedit semina pro tributo quintæ partis fructuum colligendorum ex eorum agris in vsum Pharaonis. De quo sic Theodoretus q. 106. in Gen. *inopiâ frumenti laborantes, neque nutrire pecora valebant, nec agros seminare. Hæc igitur accepta tempore famis, postea reddidit, lege latâ, vt annui reditus quinta pars regi persolveretur: vt tēpore famis reposita haberent vnde viverent.* Itē Tobiæ exemplo, qui multis pauperibus multa largiebatur, cùm vero in captivitate existeret & magnis honorarijs honeratus esset à Rege, Gabelo in Rages civitate medorum egenti, sed alioquin locupleti non donavit, sed pecunias sub chirographo mutuò dedit, vt Textus declarat Tob. 1. in verbis: *Cum autem venisset in Rages civitatem Medorum, & ex his quibus honoratus fuerat à Rege, habuisset decem talenta argenti: & cum in multâ turbâ generis sui Gabelum egentem videret, qui erat ex tribu eius, sub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti.*

De Religiosis autem certum est illos eleemosynis fovendos esse. Primò, quia Christus eiusque discipuli erant simili ratione voluntariè pauperes, & vivebant ex piorum liberalitate, sive eleemosynis, vt colligitur ex illo Ioan. 12. v. 6. Vbi Iudas murmurabat, quare vnguentum Mariæ Magdalenę non venderetur trecentis denarijs & daretur egenis, *quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur portabat.* In quem locum Toletus Cardinalis: *Non*, inquit, *hæc dicebat, quod de egenis pertinebat ad eum, id est, quod aliquâ curâ premeretur, aut affectu aliquo erga pauperes tangeretur: sed quia consuetus erat furari ex his, quæ in eleemosynam Domino offerebantur, cum ipse haberet loculos, & munere accipiendi oblata, simulque conservandi, & ministrandi fungeretur, sperabat ergo bonam partem denariorum sibi rapere, sed spe istâ vnguento effuso frustratus, indignatus obmurmurabat.* Et addit, quod huic rei probandę servit. *Attende Dominum eleemosynas accepisse, & pecunias habuisse, vt necessaria emeret: quandoquidem enim cum discipulis incedebat multis, ne gravis, & onerosus esset hospitibus, hinc inde collata in expensas quotidianas asservabat, hancque curam Iudæ demandarat, quam ille infidelissimè gerebat: sibi enim quæ erogabantur, & dabantur Christo, subripiebat.*

Ioan. 12.

Tol. Card.

Hinc venerabilis Beda in Luc. 12. super verba, *facite vobis sacculos, qui non veterascunt*, eleemosynas videlicet operando, quarum merces in æternum maneat, dicit: *vbi non hoc præceptum esse putandum est, vt nihil pecuniæ reservetur à sanctis, vel suis scilicet, vel pauperum vsibus suggerendæ: (cum & ipse Dominus, cui ministrabant Angeli, tamen ad informandam Ecclesiam suam, loculos habuisse legatur, & à fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, alijsque indigentibus tribuens) sed ne Deo propter ista serviatur, & ob inopiæ timorem iustitia deseratur.* Beda.

Secundò, quia hi patiuntur veram necessitatem eorum, quæ ad corporis necessitatem sunt necessaria, idque ob amorem Christi & verę perfectionis: vnde tanto magis misericordiâ digni sunt, quo causa ob quam illam necessitatem patiuntur est magis digna amore & favore. Et rectè, nam in eleemosynis impertiendis etiam ordo servandus est: ait enim Apostolus: *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei, Galat. 6.* Galat. 6.

Sed quæres, quis sit ille ordo?

Respondeo, triplicem esse coniunctionem inter homines vnam sanguinis, qualis est inter parentes, & filios, inter fratres & sorores, & generatim inter quoscumque consanguineos. Alteram politicam, qualis est inter amicos, contubernales, cives eiusdem loci, socios militię, mercaturæ, studiorum, &c. Tertiam spiritualem, qualis est inter fideles ratione fidei (quos Apostolus domesticos fidei vocat) inter religiosos eiusdem ordinis, inter confessarium & confitentem, inter Parochum, & Parochianos.

Primo igitur consanguinei iuvandi sunt, id enim ratio dictat, & favet Apostolus, dicens. 1. ad Timot. 5. *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Et Chrysostomus hom. 14. in illum locum de propinquis genere id intelligens, cùm dicit: *Idem ferme Isaias quoque Prophetarum eximius admonet dicens: Domesticos seminis tui ne despexeris. Nam si quis propinquos genere, ac affinitate coniunctos aspernetur, quomodo erit in alienis clemens? Nonne vanitati, iudicio hominum, erit obnoxius, si alienos beneficijs fovens, propinquos summâ inhumanitate despiciat? Quid item si illos de fide instruat, hos in errore iacere permittat, quibus benefacere iure suo facilius, & commodius possit, quantæ istud immanitatis erit? Est inquit, infideli deterior, cur id? quia ille etsi alienos despicit, propinquos tamen nequaquam aspernatur. Divinas plane leges violat, & iura naturæ, qui negligit suos.*

1. Tim. 5.
Chrysost.

Secundò, amici contubernales. Tertiò fideles iuvandi sunt, & inter eos præferendi pupilli, & viduæ, eò quòd scriptura illos maximè commendet, vnde David, Psal. 9. dicit ad Dominum: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* Et S. Iacobus scribit *Religio munda apud Deum & Patrem, hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum.* Quin etiam Religiosi, & probi cæteris anteponendi sunt, quia id Deo gratius & nobis vtilius. Quod strenuè defendit D. Hieronymus adversus Vigilantium (qui eleemosynas ad vsus Sanctorum Hierosolymam mitti reprobat) idque exemplo Pauli, qui die Dominico volebat collectas fieri pro Sanctis Hierosolymis existētibus, & vel per alios; vel etiam per se, eò volebat dirigi, non tam habens rationem Ecclesiarum, quas nascentes fide suâ erudiebat, quàm pauperum sanctorum locorum, qui suas pro Christo facultates relinquentes, ad domini servitutem totâ mente conversi erant. Et confirmat verbis Davidis Psal. 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*: Et Christi Luc. 16. *facite vobis amicos &c.* & verbis Apostoli citatis. Sed libet rem eius verbis communicare: *Nec nos*, inquit, *negamus, cunctis pauperibus, & Samaritanis, si tanta sit largitas, stipes porrigendas: sed Apostolus faciendam quidem docet ad omnes eleemosynam, sed maximè ad domesticos fidei. De quibus & Salvator in Euangelio loquebatur: facite vobis amicos de Mammonâ iniquitatis, qui vos recipiant in æterna tabernacula. Nunquid isti pauperes, inter quorum pannos & illuviem corporis flagrans libido dominatur, possunt habere æterna tabernacula, qui nec præsentia possident, nec futura? Non enim simpliciter pauperes, sed pauperes spiritu beati appellantur: De quibus scriptum est: Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem: in die malâ liberabit eum Dominus. In vulgi pauperibus sustentandis nequaquam intellectu, sed eleemosynâ opus est. In sanctis pauperibus beatitudo est intelligentia, vt ei tribuat, qui erubescit accipere, & cùm acceperit dolet; metens carnalia, & seminans spiritalia.* Alludit ad verba Pauli 1. Corinth. 9. *Si nos vobis spiritualia seminavimus: magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Divus verò Ambrosius in eleemosynarum distributione, ætatem, verecundiam, aliaque in quibusdam vult ponderari. Sic enim ait lib. 1. Officior. cap. 30. *Consideranda etiam in largiendo ætas atque debilitas, nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales: vt senibus plus largiaris, qui sibi labore iam non queunt victum quærere. Similiter & debilitas corporis: & hæc iuvanda promptiùs. Tum si quis ex divite cecidit in egestatem, & maximè si non vitio suo, sed aut latrocinijs, aut proscriptione, aut calumnijs quæ habebat, amisit.*

Hieronym.
Psalm. 40.
Luc. 16.
Luce 16.
Psal. 40.
1. Cor. 9.

Discursus

Discursus V.

PRÆVIVS.

De fructu Eleemosynæ.



Heb. 13. Postolus Paulus ad Hebr. 13. cap. monet eos ne beneficentię, & communionis obliviscantur: rationem addit, *quia talibus hostijs promeretur Deus.* Vnde tractabo, quem fructum gignat eleemosyna.

1. Tim. 4. 1. Apostolus, 1. Timoth. 4. paucis verbis multa complectitur, imò omnia quæ huic rei serviunt, nam declarat pietatem ad omnia vtilem esse, & promissionem habere vitæ, quæ nunc est, & futuræ; sed opus est distinctione quoad hominem iustum, & iniustum, seu peccatorem. Vnde dico primò, ad maius excitamentum, & avaritiam repellendam, ob quam eximijs eleemosynæ fructibus vulgus communiter se privat, eam causare sine detrimento vitæ æternæ in homine iusto bonorum temporalium abundantiam: id enim vt plurimum divina providentia ordinare solet, vt qui sunt elemosynæ studiosi, quò magis erogant, eò magis abundent. Quod testatur Sapiēs Proverb. 28. dicens: *Qui dat pauperi* Prov. 28 *non indigebit, qui despicit deprecantem sustinebit penuriam.* Et David Ps. 33. *Tota* Psal 33. *die miseretur, & commodat*, supple iustus, *& semen illius in benedictione erit.* 2. Cor. 9. Et clarissimè Apostolus 2. Corinth. 9. vbi cum monuisset Corinthianos in liberalitate Macedonibus esse similes, occurrens obiectioni, quā dicere potuissent: Si multa dedero fiam pauper, non potero deinceps domesticis alijs magis indigentibus succurrere, inquit: *Potens est Deus omnē gratiam abundare facere in vobis: vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi.* id est, ne id metuatis, credite, sperate in Deo, qui efficiet vt semper sufficientiam bonorum habeatis, ex qua abundetis in omne opus bonum, vt scilicet assiduè, continuo & abundè, facere possitis eleemosynas, alijsque & alijs benefacere. Vel rursum, Deus eleemosynarios ditare potest, & assiduè ditat, cum eis continuò bona sufficentia suggerit, & tribuit vt habeant semper quod erogent, sic in beneficentia abundent vnde subdit: *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum.* quod idem est ac si dicat: Sicut herus qui colono suo semen administrat, vt suum agrum seminet, eidem panem ad manducandum pręstat, & in messe, cum messis eum facit participem, multiplicat ei semen, id est, grana seminata, vt pro vno modio quem seminavit, tres recipiat, quos rursum seminare possit, vt rursus longè plura in messe recipiat, & ita deinceps seminando semper amplius, semper longè plus metat. Ita multò magis Deus, qui eleemosynarijs dat bona, quæ dispergant in pauperes, dabit & panem, cæteraque vitæ necessaria, insuper & multiplicabit semen, id est, bona, quæ rursum seminent, & dispergant in pauperes. Sicut enim agricola dum spargit semen non perdit illud, sed terræ mandat, vt cum fœnore decuplum recipiat; sic fit in eo qui distribuit eleemosynas in pauperes. Non est mea speculatio, sed sententia D. Basilij homil. 13. de eleemosyna, vbi ait: *Sicut semen in terram iactum fructum fert centuplum ita & eleemosyna data pauperi. Si ergo*, inquit, *vnus tantum tibi*

tibi sit panis, & ad fores rogatur, deprome illum, tollens manus in cælo dic: de modico do fratri, & tu domine da mihi periclitanti; nec dubita, quin panis, quem in hâc dabis penuriâ agriculturæ semen ad copiam ministrabit. Idem Basil. in illud Luc. 12. *Destruam horrea mea: Sicut*, ait *putei continuò exhausti, copiosiore & pulchriore fluunt aquâ; dimissi verò & quieti, facilè putent: sic & opes reconditæ inutiles sunt, translatæ in pauperes fructum faciunt.* Idem, eâdem putei similitudine confirmat Clemens Alexandrinus lib. 3. pædag. cap. 7. qui & aliam adhibet vberum similitudinem: sicut, inquit, ad vbera, quę suguntur, vel mulgentur, lac solet confluere; ita & opes confluunt ad eos, qui erogat illas.

Clem. Alexand.

Illustre est istius exemplum 3. Reg. 17. vbi Elias tempore famis petit à muliere Sareptana paululum aquæ, & buccellam panis, licet non haberet amplius, quam pugillus capere posset in hydria, & paululum olei in lecytho, & ligna colligeret, vt pinseret pro se & filio suo, tanquam vltimum solamen, & tum moreretur: & cum illa modestiùs id recusaret, quòd proprię necessitati consulere deberet, responsum accepit à Propheta, vt nihilominus sibi prius pararet, & adferret subcinericium panem parvulum, sibi autem & filio postea, quodque hydria farinę iuxtà verbum Domini non deficeret, nec lecythus olei minueretur, vsque ad diem, in quâ Dominus daturus esset pluviam super faciem terræ. Obtemperavit. Quid factum est? *ex illa die*, inquit Scriptura, *hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ.* Hinc rectè Cyprianus de opere & Eleemosynis: *Metuis ne patrimonium tuum forte deficiat, si operari ex eo largiter cæperis? quando enim factum est vt iusto possent deesse subsidia vitæ, cum scriptum sit: Non occidet fame Dominus animam iustam? Helias in solitudine corvis ministrantibus pascitur: & Danieli in lacu ad leonum prædam iussu regis incluso, prandium divinitus apparatur: & tu metuis ne operanti tibi, & Dominum promerenti desit alimentum? quando ipse in Euangelio ad exprobrationem eorum, quibus mens dubia est, & fides parva, cõtestetur & dicat: Aspicite volatilia cæli, quoniam non seminant, neque metunt neque colligunt in horrea, & pater vester cælestis alit illa: nonne vos pluris illis estis? Volucres Deus pascit, & passeribus alimenta diurna præstantur, & quibus nullus divinæ rei sensus est, eis nec potus, nec cibus deest; tu, Christiano, tu, Dei servo, tu, operibus bonis dedito, tu, domino suo charo aliquid existimas defuturum? Nisi si putas, quia qui Christum pascit, à Christo ipse non pascitur; aut eis terrena deerunt, quibus cælestia & divina tribuuntur. Vnde hac incredula cogitatio? Vnde impia & sacrilega ista meditatio? quid facit in domo fidei perfidum pectus?* Quod ait Cyprianus, hoc expressiùs dixit Sapiens Eccles. 11. his verbis: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas; quia post tempora multa invenies illum.* id est, Da eleemosynam pauperibus, viduis & pupillis, qui flebiles, & tribulationibus immersi in hac vita viventes prætèrfluunt vt aquæ: quemadmodum mulier illa Thecuitis 2. Reg. 14. dicebat: *Omnes morimur & sicut aqua dilabimur in terram*; quia metes illius fructus, & licet pauperes sint, aut videantur fore ingrati, vel impotentes ad reddendum: vt quasi beneficium tuum in eos, quasi in aquas iactum, ac proinde periturum videatur, benefac tamen eis: quia ingens & certa ab ijsdem, vel certè à Deo tibi merces reddetur.

3. Reg. 17.

Cyprian Prov. 10.

3. Reg. 17. Daniel 14

Matth. 6.

2. Reg. 14.

2. Dico secundò, eleemosynam pugnare apud Deum pro eleemosynario, vt Deus ei ferat auxilium, Eccles. 29. v. 15. *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hac pro te exorabit ab omni malo: super scutum potentiæ, & super lanceam adversus inimicum tuum pugnabit.* Et cap. 3. v. 34. *Deus prospector est eius, qui reddit gratiam, meminit eius in posterum: in tempore casus sui inveniet firmamentum.* q. d. Eleemosynarius à Deo in adversis firmabitur & fulcieur. Et cap. 17. v. 8. *Eleemosyna viri, quasi signaculum cum ipso, & gratiam hominis, quasi pupillam conservabit.* q. d. Sicut annulus signatorius fertur in digito, & est ante oculos hominis: sic

Eccles. 29.

Cap. 3. ibid.

& cap. 17

sic eleemosyna obversatur semper oculis Dei, & gratiam hominis, id est beneficium collatum in pauperem conservabit Deus, quasi pupillam oculi, id est, quasi rem charissimam. Vnde idem cap. 11. *Da partem septem nec non & octo, quia ignoras quid mali futurum sit super terram.* id est, Distribue multis, imò pluribus, seu tot pauperibus quot potes: quia nescis quod malum futurum sit, à quo per eleemosynam poteris te liberare.

3. Tertiò, dico, eleemosynam satisfacere pro peccatis, hoc est pro pœnâ temporali peccatis debita. Ita intelligendum est illud Tobiæ 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras.* Et illud Ecclesiastici 3. *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Item illud Proverb. 16. *Misericordiâ & veritate redimitur iniquitas*: Redemptionis enim vox æquivalet satisfactioni: imo plus est, redemptorem esse, quam satisfactorem.
D. Ambros. Vnde D. Ambros. de Eliâ & ieiunio, *Habemus plura subsidia, quibus peccata redimamus nostra. Pecuniam habes, redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus sed tu ipse venalis es, peccatis tuis venundatus es: redime te operibus tuis, redime te*
Iob 31. *pecuniâ tuâ.* Et certe Iob cap. 31. satis innuit defectuosum in eleemosynis largiendis, temporalibus pœnis dignum esse, dum, vt probet se innocentem esse, & ob peccata non flagellari, recenset opera sua pietatis, & mala sibi imprecatur, si pauperes despexerit: ita enim ait: *Si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex eâ? (quia ab infantia mecum crevit miseratio: & de vtero matris meæ egressa est mecum) si despexi prætereuntem, eo quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem? Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ovium mearum calefactus est? Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem? Humerus meus à iunctura sua cadat, & brachium meum cum suis ossibus confringatur. Semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum, & pondus eius ferre non potui.*

Id est, Si pupillis, viduis, alijsque pauperibus non communicavi de substantia mea, aut datum etiam protraxi angustianti: si despexi ex necessitate tendentem ad mortem, & non ita consovi pauperem, vt ipsa eleemosyna per se meam beneficentiam, & misericordiam prædicaret, & propterea felicem pecorum meorum proventum polliceretur, quod pauperes ita sublevassem de ipsis mearum ovium velleribus, quæ non solum integumento sunt, sed calorem afferunt, ventumque ac frigus validè repellũt, disperceam. Rursum, si vnquam potentiâ & robore abusus sum, vel ad inferendam iniuriam, vel ad prædam faciendam imbecilliorum, quibus nemo patronus vel defensor adesset, licet pro mea potestate neminem ipse timerem: summus humerus discedat à iugulo, & tanquam membrũ aridum, languidumque decidat: neque solum brachij superior pars, sed radius ipse & brachiale, à cubito vsque ad manum comminuatur, vt competenti pœnâ reddatur in corpore, quod morali iniquitate pupillis & viduis irrogavero. Et hæc quæ exercui non tantùm ad evadenda mala huius vitæ, quæ variè hactenus commemoravi, sed etiam ad mala vitę futurę: *Semper enim* non dico erumpentes, obruentes, sed *quasi tumentes*, minaces, prout fluctus huiusmodi naufragium magis minari solent quam operari, *super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Videtur enim Prophetæ semper insonuisse, quod tandem per Isaiam dixit Dominus, *Tacui semper, silui semper, patiens fui, quasi parturiens loquar. Dissipabo, & absorbebo simul.* Quarum rerum timor cohibuit me ne agerem vel prætermitterem, quę præmisi. Vnde nihil meæ virtuti aut laudi tribuendum existimo: sed Dei timori, quo meas ille carnes, atque agendi omnes facultates confixit, vt ab officio, & honesto numquam discederem.

Quâ de causâ D. Cyprianus non D. Cyprian.

vult pluralitatem filiorum retardare eleemosynam, cum enim pręclara dixisset de eleemosynæ fructu, tandem obijcit: *Sed enim multi sunt in domo liberi, & retardat te numerositas filiorum, quò minus largiter bonis operibus insistas.* Et respondet: *At quin hoc ipso operari amplius debes, quo multorum pignorum pater es. Plures sunt pro quibus Dominum depreceris: multorum delicta redimenda sunt, multorum purgandæ conscientiæ, multorum animæ liberandæ. Vt in hâc vitâ seculari alendis, sustinendisque pignoribus, quò maior est numerus, hoc maior & sumptus est: ita & in vitâ spiritali, atque cœlesti, quo fuerit amplior pignorum copia, esse & operum debet maior impensa.* Iob 1. *Sic & Iob sacrificia numerosa pro liberis offerebat: quantusque erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur Deo & numerus hostiarum. Et quoniam quotidie deesse non potest, quod peccetur in conspectu Dei, sacrificia quotidiana non deerant, quibus possent peccata tergi.* Hanc autem (Gregorius Nazian.) propterea vocat Gregorius Nazianzenus orat. de pauperum amore, egregiam herbam detergentem, & dealbantem hos vt lanam, illos vt nivem, pro misericordię videlicet proportione.

4. Dico quartò, eleemosynam augere merita, gratiam & gloriam, quando fit ab homine iusto ex charitate. (Tobiæ 12.) Vnde dicitur Tobiæ cap. 12. *Qui faciunt eleemosynam, & iustitiam saturabuntur vitâ.* Et Propheta David ait, Psal. 40. (Psal. 40.) *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mali liberabit eum.* Et Psal. 111. (Psalm. 111.) *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculū.* Et Salomon Proverb. 14. (Prov. 14.) *Qui miseretur pauperis, beatus erit.* Et Proverb. 21. (Ibidem. 21.) *Qui sequitur iustitiam & misericordiam, inveniet vitam, iustitiam, & gloriam.* Et Christus Matth. 19. (Matth. 19.) *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis.* Et: *venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* Et Paulus ad Hebr. 13. (Hebr. 13.) *Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostijs promeretur Deus.* Et 2. ad Cor. 9. (2. Cor. 9.) dicit idem Apostolus quòd eleemosynas faciens non solùm ditabitur bonis præsentibus, sed etiam futuris, in verbis: *Et augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* id est proventus iustitiæ & charitatis augebit eleemosyna, dum recipiet incrementum gratiæ hìc, & gloriæ in cœlo. Triplicem enim eleemosynæ fructum videtur ibidem assignare Apostolus. Primò, cum ait: *panem ad manducandum præstabit.* Secundò, cum subdit: *& multiplicabit semen* (opes) *vestrum.* Tertiò, spiritualem, cùm concludit: *& augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Hoc sensu S. (Anselmus) Anselmus (vt refert Edinerus in eius vitâ) cum Cantuariensem vrbem ingressus, ad visitandum Lanfrancum Archiepiscopum, magno honore, & amore à civibus exciperetur, eis charitatis laudem & meritum explicans & rependens dixit: *Eos, qui charitatem faciunt, aliquid maius habere quam is, cui charitas fit & exhibetur. Hic enim, inquit, recipit aliquid temporale tantùm: illi verò recipiunt, spiritalia, & æternas gratias à Deo expectant.* Hoc significat Christus illo suo apud mundanos divites paradoxo, cùm ait: *Beatius est magis dare, quam accipere,* Act. 20. v. 35. (Act. 20.) Adeo vt D. Chrysost. non immeritò homil. 5. de pœnit. (Chrysost.) eleemosynas vocet nundinas mirabiles: *Nundinæ*, inquit, *nobis profectò sunt mirabiles, horum nulla alia est professio, & negotiatori nulla alia intentio, quam parvò quidem emere, magnò vendere; nam ea cuiuscumque negotiationis industria. Nam negotiationis alia ratio non est, quam quòd minori empta maiori pretio vendat, atque duplicatam sibi summam inveniat? Tales igitur nobis nundinas Deus proposuit, modico iustitias eme, quas multo vendas in sæculo futuro. Hic modico iustitia emitur, pro panis fragmento, pro calice aquæ frigidæ. Amen dico vobis inquit, spiritualis mercaturæ Doctor, non perdet mercedem suam.* Vnde rectè Cyprianus loc. cit. (Cyprianus) *Metuis ne patrimonium tuum deficiat, si operari ex eo largiter cœperis: & nescis miser, quia dum times ne res familiaris deficiat, vita ipsa & salus deficit: & dum ne quid de rebus tuis minuatur attendis, non respicis quòd ipse minuaris*

neris amator, magis mammonæ quã animæ tuæ; vt dum times ne pro te patrimonium tuum perdas, ipse pro patrimonio tuo pereas.

5. Dico quintò, eleemosynam efficacem reddere orationem: Ipse enim testatur Tobias cap. 4. monens filium suum, his verbis; *Noli avertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te avertatur facies Domini.* Et S. August. in Psal. 42. ait: *Vis orationem tuam volare ad Deum, fac illi duas alas ieiunium & eleemosynam.* quod sumpsit ex verbis Angeli ad Tobiam cap. 12. *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna.* Ita vt verè dixerit Chrysostomus homil. 33. ad populum, eleemosynam esse artem omnium quæstuosissimam. Et Petrus Chrysologus, Deum præ alijs publicare opus misericordiæ, sic enim ait sermon. 14. *Nimis est quod sapit Deo pauperis cibus, qui totius creaturæ bona non esurit, saginatũ se in escâ pauperis prophetizat in regno cæli coram omnibus Angelis, in conventu resurgentium. Quòd Abel passus sit, quòd servavit mundum Noë, quòd Abraham fidem suscepit, quòd Moyses legem tulit, quòd Petrus crucem resupinus ascẽdit, Deus tacet, & hoc clamat solum, quod comedit pauper. In cælo prima est esurientis annona. prima stipendia pauperis tractantur in cælo, erogatio pauperis prima divinis scribitur in diurnis. Beatus cuius nomen toties Deo largitur, quoties ratio pauperis recitatur in cælo.*

Quę sanè ratio est, cur Deus Deut. 26. ordinaverit tertio anno decimas in vsus pauperum veluti advenarum, pupillorum & viduarum; & quod ad eam Sancti sint adhortati, vt Tobias cap. 4. *Quomodo potueris, ita esto misericors, præmium enim bonum thesaurizas in die necessitatis.* Et Christus ipse Luc. cap. 12. *vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.* Hæc ratio est, quare tam ferventes in eâ fuerint viri sancti, vt D. Paulinus, Gregorius Magnus, Ioann. Eleemosynarius, & alij. Quòdque alij eam dixerint propriam illustrium Sanctorum virtutem, ac signum prædestinationis Dei. Et patet sic esse ex illo Pauli ad Thessal. 3. *Induite vos sicut electi Dei, sancti, & dilecti viscera misericordiæ.*

6. Sed quæres, an etiam in peccatoribus, aut iniustis hos fructus gignat; fuerũt enim aliqui Hęretici (de quibus August. lib. 21. de civit.) qui censuerunt hominem quantumvis nequiter viventem, si eleemosynas faceret, nullâ ratione perpetuò damnandum, sed iudicium cum misericordiâ consecuturum.

Respondeo, hoc non procedere à spiritu sancto, sed ex Diabolo in fomentum peccatorum. Nam expressè contrarium ex Scripturis constat, quæ pœnitentiam ponunt vt necessariam ad remissionem peccati. Luc. enim. 13. c. dicit Christus Iudæis: *Nisi pœnitentiã egeritis, simul omnes peribitis.* S. Petrus item Act. 2. petentibus Iudæis, quid sibi esset necessarium ad obtinendam remissionem peccatorum, ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum.* Christus Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata* Et Apostolus expressè tradit, sine charitate etiam optimũ modũ eleemosynam impertiendi non prodesse ad salutem, ijs qui hærebant in fastu & schismate, idque 1. ad. Cor. 13, in verbis: *Et si destribuero in cibos pauperum omnes facultates meas &c. charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Omitto, quòd tales sint iniuriosi in Deum, cum æstimant iustitiam Dei esse venalem, & posse impunitatem peccati à Deo emi, quòd certè sæcularis princeps ęgerrimè ferret: videlicet si quis ei offerret nummos, vt sic emeret ab eo licentiam quævis scelera impunè committendi.

Hinc D. Gregor. 3. p. Curæ Pastoralis, admonit. 21. *Admonendi sunt etiã, qui iam sua misericorditer largiuntur, vt sollicitè custodire studeant: ne cum commissa peccata eleemosynis redimunt, adhuc redimenda committant. Ne venalem Dei iustitiã æstiment, si cũ curant pro peccatis nummos tribuere, arbitrentur se posse inultè peccare. Melior quippe est anima quàm esca, melius corpus quam vestimentũ. Qui ergo escam aut vestimentũ pauperibus largitur, sed tamen animæ, vel corporis iniquitate polluitur,*

Margin notes: Tob. 4. D. August. Tobiæ 12. Chrysost. B Pet. Chrysolog. Deut. 26. Tob. 4. Luc. 12. Thessal. 3. D. August. Luc. 13. Act. 2. Matt. 19. D. Gregor.

polluitur, quod minus est iustitiæ obtulit, & quod maius est culpæ commisit: sua enim Deo dedit, & se Diabolo. Adeò vt mirum sit, potuisse in alicuius mentem venire tantam insaniam; præsertim cum Scriptura vbique proclamet fidem, spem, dilectionem (sub quâ comprehenditur contritio, & cum Sacramento etiam attritio) esse necessarias ad salutem, vt in primo pręcepto latius deduximus.

Luc. 11. 7. Sed dices, Luc. 11. Salvator noster dixit Pharisæis: *Quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Pharisęi verò interius pleni erant rapinâ, & iniquitate. Et Tobiæ 12. cap. Angelus declarat eleemosynam purgare peccata, *& facere invenire misericordiam, & vitam æternam.* (Tobiæ 12.)

Respondeo ad priorem locum, Dominum non dicere rapinas purgari per eleemosynam: quia certum est, Deum illis magis offendi; ait enim Sapiens Eccles. 34. *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.* (Eccles. 34.) Quia ad alium pertinent, & obnoxia sunt restitutioni iniustè acquisita. Vnde furto, vi, dolo, rapinis, vsuris, &c. conquisita, cum peccato pauperibus erogantur, quando Dominus reperiri potest. Insuper Scriptura non obscurè declarat Deum illis inhonorari, cum Proverb. 3. idcirco. (Prov. 3.) mandet: *Honora Dominum de tuâ substantiâ: & de primitijs frugum tuarum da pauperibus.* Adeò vt etiam illi, qui habent dominium impeditum, vt vxores & filij-familias, sine tacito, vel expresso mariti, aut parentum consensu immoderatas eleemosynas facientes graviter peccent: famuli etiam & ancillæ consuetudinem in hoc excedentes. Sed Supponens Christus de peccato iniustitiæ verè conterendum & rem alienam reddendam Domino (de quo tunc non agebat) suadet eleemosynam quæ satisfactoria est pro pœnâ temporali manente post culpam remissam, vt superius dixi. Adeóque Christus non aliud voluit, quàm vt id præstarent, quod Zachæus Princeps Publicanorum Luc. 19. vocatus (Luc. 19.) à Christo legitur egisse: hoc est, primũ divinę respondere gratię & confestim vocantem sequi, Deinde restituere mala ablata secundum legem, vti ex verbis Zachęi colligitur, dicentis: *Si quem defraudavi reddo quadruplum*; & tum elargiri pauperibus ex iustis bonis manentibus largiter eleemosynam, iuxta hæc verba: *Dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Et hoc satis innuunt verba Salvatoris: *Quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda erunt vobis.* Audi desuper Toletum Cardinalem qui Luc. 11. dubiolũ formans quomodo rapinę cõpensentur eleemosynâ, cũ restituenda sint malè ablata, ijs quibus ablata fuerũt, videlicet quando sciũtur, illud his verbis solvit: *Respondeo Christũ supponere alienã rem reddendam Domino, nec de hoc est sermo, sed de peccato, quod manet, etiam redditâ re alienâ, ab hoc igitur peccato mundat eleemosyna: quod quidem declarare possumus facto Zachæi. Si quem, inquit defraudavi, reddo quadruplum: nempè restituo, quæ abstuli, & quidem multiplicatum ratione iniuriæ, & vt legi satisfaciam, ac pro ipso peccato quod manet, subiunxit: Dimidium bonorum meorum do pauperibus. hoc est, quod nunc dicit Dominus, quod superest, id est, de bonis vestris, rapinis iam restitutis, date eleemosynam, & omnia munda erunt.* Non quod Eleemosyna absolutè purget peccatum cuius contrarium mox docebat, sed quod remissâ culpâ factâque restitutione, liberet à pœnâ temporali.

7. Quoad posteriorem locum, Dico eleemosynam similiter non purgare absolutè etiamsi à peccatore ex fine honesto tribuatur, sed facere invenire misericordiam, & vitam æternam de congruo. Primò, quia excitat recipientem, vt Deum pro ipso oret, ac gratiam quâ convertatur ei impetret, iuxta illud Sapientis Eccles. 29. *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* (Eccles. 29.) Secundò, quia misericordiam gratiæ prævenientis meretur iuxta illud Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* (Matt. 5.) Et probari vtcumque potest

test exemplo Cornelij, quatenus Act. 10. per eleemosynas à Deo impetravit gratiam fidei Christianæ, & iustificationis perfectæ: ob orationem enim, & eleemosynas directus est ab Angelo ad accersendum Petrum, qui eum sufficienter instrueret de necessarijs ad salutem, vt expressè produnt ista verba: *Angeli, orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nunc mitte viros in Ioppen, & accerse Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus* &c. Atque hoc modo facit eleemosyna invenire misericordiam & vitam ęternam, si quis non hęreat in peccatis, aut aliàs obicem non ponat, quia nata est ex se tale quid causare apud Deum directè aut indirectè.

8. Sed quæres, an ad nihil valeat eleemosyna elargita pauperi ab homine hærente in peccatis?

Respondeo vel valere ad augmentum bonorum temporalium, quia Deus non relinquit calicem aquæ frigidæ irremuneratum: vel etiam ad remissionem, aut saltem dilationem pœnarum temporalium, quas ipsi Deus in hâc vitâ aliàs esset ob peccata inflicturus. Probatur exemplo Nabuchodonosoris, cui Dominus minatus est per visionem arboris magnæ ab Angelo succisæ è regno expulsionem & in bestiam commutationem, & septem annorum durationem: Et Daniel consilium dedit, peccata sua eleemosynis redimeret, & iniquitates suas misericordijs pauperum, si forsan ignosceret delictis suis Deus, remittendo plagas temporales, vel eas differendo. Quod etiam ita contigit, teste Hieronymo, qui Daniel. cap. 4. sic *Fecit quidem Nabuchodonosor iuxta Danielis consilium misericordias in pauperes: & idcirco vsque ad mensem duodecimum in eum est dilata sententia: Sed quia postea ambulans in aulâ Babylonis gloriatur & dicit: Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi domum regni, in robore fortudinis meæ, & in gloriâ nominis mei? bonum misericordiæ perdidit malo superbiæ.* Hæc de eleemosynâ sufficiant.

Discursus VI.

PRÆVIVS.

An teneamur proximum delinquentem corripere?



SAlvator noster Matth. 18. cap. dicit: *Si peccavit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* Vnde quæram quod in argumento ponitur.

1. Duplex est eleemosyna, corporalis & spiritualis. Corporalis est, esurientes pascere, nudos vestire &c. Spiritualis peccantes corripere, ignorantes docere: Et definitur esse, *actus misericordiæ, vel charitatis, quo quis verbo nititur proximum à malâ ad bonam frugem revocare*: (Et sic diversus à correptione Iudiciali, qui est actus iustitiæ vindicativæ, & non tam in emendationem eius, qui corripitur, quàm in pœnam, vt est commune bonum) Porro ad illum actum tenemur iure naturali divino, & humano. Primum patet, quia membra vnius corporis tenentur se mutuo iuvare, 1. enim ad Cor. 12. dicitur: *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* Vnde sicut eleemosyna corporalis est in præcepto, ita etiam spiritualis, & sicut ex charitate obligamur ad subveniendum necessitati proximi corporali; ita, & multo magis, ex eadem tenemur sucurrere necessitatibus spiritualibus. Et hinc Eccles. 19. dicitur: *Corripe amicum, ne fortè non intellexerit, & dicat non feci; aut si fecerit,*

Margin notes: Act. 10. — Hieronym. — Matt. 18. — 1. Cor. 12. — Eccles. 19.

fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne forte non dixerit; & si dixerit, ne fortè iteret. Ac si dicat, nisi eum corripueris, periculum est ne itere peccatum.

Secundum manifestum evadit ex Levitic. 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè (*id est apertè*) argue eum)* vbi præceptum morale datum de corripiendo, sicut de non odiendo. Item ex Matth. 18. vbi Christus dicit. *Si peccaverit frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* Et Apostolus ad Thessal. 1. cap. vers. 5. ait, corripiendos esse inquietos.

Levit. 19

Matth. 18.

Thessal. 1.

Tertium de iure humano patet, quia in iure Canonico habetur, eum, qui negligit emendare, quod valet, facientis habere culpam. verba sunt Cap. *Facientis*, dist. 86. quæ hìc adiungũtur: *facientis culpam procul dubio habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. Scriptum quippe est. Non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus participes iudicantur. Et libat Domino prospera, qui ab afflictis pellit adversa. Et negligere, cum possit perturbare perversos, nihil est aliud quàm fovere. Nec caret scrupulo consensionis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. Et probat odisse se vitia, qui condemnat errantes. Neque reliquit sibi locum devianti, qui non pepercit erranti. Et primus innocentiæ gradus est odisse nefanda. Et latum pandit delinquentibus aditum, qui iungit cum pravitate consensum. Et nihil prodest alicui non puniri proprio, qui puniendus est de alieno peccato.* Et hęc obligatio est sub mortali, sicut iuvare proximum in gravi necessitate corporali constitutum?

C. Facientis

2. Sed quæres, an omnes, & quicumque ad eam teneantur?

Respondeo affirmativè, omnes ad fraternam correptionem teneri, qui idonei sunt, & sperant se posse suâ correptione malum emendare: quia vt dicitur Ecclesi. 17. *Mandavit illis vnicuique de proximo suo.* Et Matth. 18. cap. iubemur corripere fratres peccantes. Quo verbo omnes homines comprehenduntur, qui nomine proximi veniunt; quia omnes fratres sumus ratione communis naturæ, & originis ex Adamo. Itaquè tenemur omnes corripere sive inferiores, sive superiores, sive pares, sive etiam peccatores simus, & eam adhibere erga omnes ignorantes, & peccantes, si speretur fructus; idque primò cum lenitate, modestiâ, & humanitate: id enim præsupponit David sic faciendum esse Psal. 140. cùm dicit: *Corripiet me iustus in misericordiâ.* Et expressè pręscribit Apostolus Galat. 6. in verbis: *Et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Quo loco docet Apostolus præoccupatos in delictis, id est, non obstinatos in malo, sed in fide & moribus fragiles, recentes, & imbecilles, falsâ Iudæorum persuasione seductos, & in Iudaismum, aliaque vitia impulsos, antequam lapsum advertere, vel cavere possent, restaurandos in spiritu lenitatis, id est, mansuetè, blandè, & leniter, veluti docuit Timotheum, 2. ad Tim. 2. *mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestiâ corripientem eos qui resistunt veritati.* ita vt verba monitoria & gestus spirent internam quandam suavitatem corripientis. Correptio enim est quasi pilula per se amara, quia correpti vitium detegit & incusat: hinc sacchero, & dulcedine vocis, & commodæ insinuationis, vel etiam extenuationis culpæ oblinenda est, & amarities illius dulcoranda.

Eccles. 17.

Matth. 18.

Psal. 142.

Galat. 6.

2. Tim. 2.

Hinc rectè Nazianzenus orat. de moderat. in disputationibus servandâ: *Hanc rationem tene, vt partim fratrem corrigas, idque leviter, & humanè, non vt hostis, nec vt durus, & rigidus medicus, nec vt sectionibus tantùm & cauterijs adversus morbum sciens grassari; partim te ipsum accuses, infirmitatisque, tibi conscius sis.* Et paulò post: *Habes medicinæ regulam, Christi discipulus es mitis & humani, infirmitatesque nostras portantis. Si primùm obluctetur, leniter expecta. Si secundò, ne animum despondeas: nondum enim curationis tempus effluxit: si tertiò benignum illum, & humanitate præditum agricolam imitare. Dominum*

Nazian.

minum adhuc precare, ne infructuosam ficum excidat, verùm convertat & curet.

Porrò benè notandum est, quòd ad persuadendum misericordiam, seu misericordem ac lenem correptionem addat Apostolus: *Considerans teipsum, ne & tu tenteris.* efficax enim est illa ratio, si cogites te eiusdem tentationis ac miseriæ consortem, & obnoxium, Deumque solere permittere tentari eos, qui in lapsos duri sunt & inclementes. Et in vitis Patrum legitur sæpe seniores, qui duriùs discipulos suos libidine alioque vitio tentatos arguerant, eâdem mox tentatione pulsatos fuisse; vt discerent misereri, & tentatis compati, ac eos consolari & animare. Quocirca prudenter & apposité Sanctus Augustinus 2. de sermon. Dom. in particulari hasce tres regulas corripiendi proximum assignat: *Piè,* inquit, *cautèque vigilandum est, vt cùm aliquem reprehendere, vel obiurgare nos necessitas coëgerit, cogitemus vtrum tale vitium sit, quod nunquam habuimus, vel quo iam caruimus: & si nunquam habuimus, cogitemus & nos homines esse, & habere potuisse: si verò habuimus, & non habemus, tangat memoriam communis fragilitas, vt illam reprehensionem aut obiurgationem non odium, sed misericordia præcedat: vt sive ad correctionem eius, propter quem id facimus, sive ad perversionem valuerit (nam incertus est exitus) nos tamen de simplicitate oculi nostri securi simus. Si autem cogitantes nosmetipsos invenerimus in eo esse vitio, in quo est ille quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque obiurgemus, sed tamen congemiscamus, & illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cavendum invitemus.* S. August.

3. Sed, quòd si lenior correptio non prosit, an durior adhiberi nòn potest?

Dico omninò adhibendam esse erga eos, qui malis assueverunt; hoc clarè innuunt verba Apostoli ad Tit. cap. 1. vbi dicit de inveteratis in malo: *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est. Quam ob caussam increpa illos durè, vt sani sint in fide.* Imò ipse sic compellat Corinthios: *Quid vultis in virgâ veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* sed eos alloquebatur, qui post peccatum non sentientes errorem suum nolebant maioribus suis subdi, & pœnitentiâ corrigi: adeóque insinuat pro diversitate personarum & peccatorum, modò severâ increpatione, vel etiam virgâ vtendum esse, modò cum mansuetudine agendum cum ijs qui peccant. Rectissimè enim Gregorius docet parte 3. curæ pastoralis, peccantes alios atque alios, aliter atque aliter admonendos esse. vbi inter cętera cap. 33. *Aliter,* inquit, *admonendi sunt, qui repentinâ concupiscentiâ superantur, aliter qui in culpâ ex consilio ligantur.* Atqui Cretensium multi erant mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri; & propter hoc durè increpandi. *Corinthios quoque eos alloquitur Apostolus,* inquit Hieron, *qui post peccatum, non sentientes errorem suum, nolebant maioribus suis subdi, & pœnitentiâ corrigi. Vbi verò peccator intelligens vulnus suum, tradit medico se curandum, ibi non est virga necessaria, sed spiritus lenitatis.* Sic ille. Tit. 1. Gregor. Hieronym.

Quam lectionem Divus August. in Psalm. 102. vult patresfamilias observare in tali casu, dicens: *Quid ergo inquis? Dormiet disciplina, auferetur omnis correptio? non auferetur. Quid enim de luxurioso filio facturus es? Non castigabis, non verberabis? Servum & ipsum tuum, si male viventem videris, non pœnâ aliquâ, non verberibus refrenabis? Fiat hoc, fiat: Deus admittit, imò reprehendit, si non fiat, sed animo dilectionis fac, non animo vltionis:* Et paulò post. *qui fortè pertinent ad gubernationem, vindica, coërce cum dilectione, cum charitate, attendis salutem æternam, ne cum parcis carni, anima pereat.* August.

Porrò hoc fuit vitium, quod in Heli tantopere redarguit Dominus; cum enim ille audiens peccata filiorum, quibus populum scandalizabant, eos monuisset his verbis: *Quare facitis res huiuscemodi,* 1. Reg. 2.

quas ego audio, res pessimas ab omni populo? Nolite filij mei: non enim est bona fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populum Domini. Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus, *si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Venit Propheta ad Heli, & tristia ipsi insinuat, quòd honorasset filios plusquam Dominum: illa autem erant primò, quod auferret à domo ipsius sacerdotium, & iudicandi potestatem; secundò, quòd videret æmulum suum summo sacerdotio in templo honorari; tertiò quòd multi ante tempus morerentur ex familia Heli, quamdiu summo fungeretur sacerdotio. Quartò, quòd magna pars domus moreretur antequam perveniret ad virilem ætatem. Quorum omnium, ne de futurorum eventu dubitaret, signum præbet, duorum filiorum vno eodemque die tristem, & inopinatum interitum. Neque hæc satis erant, sed postea Dominus aperuit Samueli hoc ipsum, quod facturus erat, his verbis: *Ecce ego facio verbum in Israel,* (1. Reg. 3.) *quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures eius. In die illâ suscitabo adversum Heli, omnia quæ locutus sum super domum eius, incipiam & complebo. Prædixi enim ei, quòd iudicaturus essem domum eius in æternum, propter iniquitatem, eò quòd noverit indignè agere filios suos, & non corripuerit eos.* Et addit: *Idcirco iuravi domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus victimis & muneribus vsque in æternum.* id est, pœnas gravissimas, mortes, strages, bonorum, honorumque iacturas, aliasque id genus, quas Heli comminatus sum, nullis sacrificijs expiandas esse. Licet enim culpa semper in hâc vitâ expiari possit, pœna tamen aliquando non potest, vt patet in Moyse, Davide, Iozia & pluribuus alijs, qui expiatis culpis, in hâc vitâ pœnas nihilominus subierunt.

4. Quid causæ, cur adeò infensus fuerit Dominus? Certè non alia, quam quòd non fuerit severa admonitio patris erga filios, quia licet verba gravia dixerit, ac severitatis plena, tamen oris gestu & vocis sono quandam lenitudinem ostendit, non contraxit frontem, sed exporrexit, non minas, sed blanditias spiravit; non tonare, sed cantare visus est; non terribilem se exhibuit, sed amabilem: *Quare facitis*, inquit, *res huiuscemodi &c.* hoc enim revincunt verba Domini, *Eò quòd noverit idignè agere filios suos, & non corripuerit eos,* Vnde Chrysostomus lib. 3. adversus vituperatores vitæ monasticæ: (Chrysost.) cùm dixisset plena fuisse gravitatis, reverentiæ, ac ponderis verba monitoria Heli, & quæ ad statum vitæ melioris, non penitus excordem, & amentem revocare possent, addit: *Verum quia non omnia, quæ fuerant agenda, vt ea resecarentur vitia, molitus est, & ipse cum illis vnà perijt. Nam & minas ille addere debuerat, & à suo eos conspectu amovere atque abdicare, etiam & verberibus afficere, multóque illis graviùs & duriùs instare.* Idem vero homil. 59. in Genesim pulchrâ similitudine illustrat, quomodo sic corripere, non sit correptionem adhibere: *Quemadmodum*, inquit, *Medicus, si morbum sectione indigentem, vnctione, aut emplastro curare voluerit, citò morbum incurabilem efficiet, cum congruam non adhibeat medicinam; ita & senex ille, cum deberet filios suos pro peccatorum qualitate emendare, nimiâ vsus lenitate illos arguit.* Beatus Ephræm recogitans (Ephræm, Apolog. de Heli Sacerd.) responsum Heli (postquam audiverat à Samuele plagas illi intentatas) quo dicebat: *Dominus est, quod placitum est in oculis suis faciat,* sic exclamat: *O mentis imbecillitatem ad observationem mandatorum Dei! O iniquam erga iniquos filios indulgentiam! Quomodo non exhorruit caro eius super auditis? quomodo renes eius non contremuerunt? quomodo non adduxit animum ad pœnas de impijs suis filijs sumendas, exemplo zeli Phinees sibi ante oculos posito? quomodo sua non descidit* (Num. 25.) *vestimenta, pernoctavitque in sacco ac cilicio super prolatâ adversus eum condemnationis notâ? Sed ne commotus est quidem. Non ita peccavit Achar filius Charmi,*

dum aliquid de anathemate tulisset, quantum isti. Iosue. 7.

5. Verum enimverò quæres, An inferior etiam Superiorem teneatur corripere? Nam hoc videtur difficultatem habere, primò, quia non sunt nostri fratres, sed Patres: Secundò, quia huiusmodi correptio videtur repugnare reverentiæ, Superiori debitæ.

Respondeo, nihilominus inferiores quandoque teneri suos Superiores peccantes corripere, cum id commodè, & cum fructu fieri potest. Et ratio est, quòd etsi Superiores, quâ tales sunt, nostri patres sint, atque ita magnam reverentiam ac submissionem à nobis exigant; sunt tamen etiam homines peccatis, ac miserijs subiecti; atque ita aliena ope, quâ subleventur sæpe indigent: item quâ homines, ac Dei, ac Ecclesiæ filij, sunt nostri proximi, ac fratres: & consequenter charitas proximis debita exigit, vt ijs peccati malo pressis succurramus, quod fit per fraternam correptionem.

Tum etiam, quia peccatum repugnat honori Dei, cui cedere debet omnis reverentia homini, quantumvis superiori, debita; & magis debemus moveri zelo divino honoris, peccata impediendo, quam terreri superioritate, ne cum peccantem corripiamus: atque ita hæc correptio, quando debito modo fit, nullâ ratione repugnat reverentiæ superioribus debitæ, dum per eam honor Dei, & ipsius Superioris bonum, eius venerationi, præponitur. Vnde Sanctus Gregorius relatus in cap. *Sicut*, 2. quæst. 7: *Sicut*, inquit, *laudabile discretumque est reverentiam & honorem exhibere maioribus, ita rectitudinis, & Dei timoris est, si quæ in eis sunt, quæ indigent correctione, nullâ dissimulatione postponere.* S. Gregor.

Idipsum confirmatur exemplo Prophetarum, qui sæpe publicè Principes reprehenderunt, vt Isaiæ, 1. cap. vbi Propheta, Principes vocat idcirco socios furum & infideles. Ezech. 22. vbi Propheta monetur à Domino arguere, & increpare civitatem sanguinum: id est, omnem iniuriam proximo illatam contra secundam tabulam Decalogi, in verbis: *Tu fili hominis, nonne iudicas civitatem sanguinum?* id est, quid cessas arguere & increpare? eamque fuisse erga Principes patet ex v. 27. vbi dicitur: *Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & avarè sectanda lucra.* Hi enim erant causa, quare Deus docebat per Prophetam Iudæos igne esse conflandos, & expurgandos. Sicut enim lupi rapiunt prædam, vt occidant, & occisam devorent: ita principes Iudæorum plebeos per calumniam, vel falsos testes, aut per vim opprimebant, & occidebant vt eorum bona invaderent. Isai. 1. Ezech. 22.

Et Amos 4. c. vocat Principes Samariç, qui bona pauperum depascebantur, & gulæ ac ventri dediti erant, vaccas pingues, teste Hieronymo in illum locum: *Loquitur*, inquit, *ad principes Israel, & optimates quosque decem tribuum, qui delicijs ac rapinis vacabant, vt audiant sermonē Dei, & nō aratores boves, sed vaccas pingues de armento se esse noverint, sive quæ nutriantur in pascuis Basan, quæ sunt loca herbarum fertilissima, ac per hoc significat eos non agriculturæ, sed immolationi & esui preparatos.* Tum etiā exemplo D. Pauli qui Petrum reprehendit Galat. 2. quando ex inconsideratione Gentes offenderat. Casus autem erat talis. Petrus in civitate, quæ Gentilium erat non Iudæorum, prius cum Gentilibus convescens, posteà verò propter legis observationem ab eorum mensa sese subduxit; quamvis bonâ intentione, ne Iudæi qui supervenerāt offenderentur, id faceret: occasionē tamē Gentilibus præbuit suspicandi quòd oporteret à cibis lege vetitis abstinere; quia Petrū Apostolorum Principem in eâ re factū suum prius corrigere videbant. Certè illa Petri inconstantia in eâdem re, non poterat non Gentiles offendere; & hoc Paulus vrget, quando dicit eum non rectò pede ambulasse, quia nimirum Amos 4. Galat. 2.

claudicabat in vtramque partem. Audi desuper Divum Augustinum, qui epist. 19. ad S. Hieronym. Petrum laudans de benignè acceptâ correptione, simul extollit exemplum Pauli corripientis. Sic enim ait: *Ipse Petrus, quod à Paulo fiebat vtiliter libertate charitatis, sanctâ ac benigna pietate humilitatis accepit; atque ita rarius ac sanctius exemplum posteris præbuit (quo non dedignarentur, sicubi fortè recti tramitem reliquissent, etiam à posteriobus corrigi) quàm Paulus; quò confidenter auderent etiam minores maioribus pro defendendâ Euangelica veritate salvâ fraternâ charitate resistere. Nam cum satius multò sit, in tenendo itinere, in nullo, quam in aliquo declinare; multò est tamen mirabilius & laudabilius libenter accipere corrigentem, quam audacter corrigere deviantem.*

Ex quibus patet etiam in facto adiaphoro, si alijs det causam offensionis, reprehendi debere; quin etiam filios multò minus excusari à parentum correptione, quando vident eos nequiter vivere, & speratur fructus ex correptione.

6. Porrò vt rectè fiat huiusmodi correptio, necesse est primò, adesse humilitatem, & ostensionem submissionis, ac reverentiæ erga superiorem, ita vt absint omnia verba duriora, nec fiat per modum increpantis, sed potius per modum rogantis & obsecrantis. Quod etiam præcipit Apostolus 1. ad Timoth. 5. vbi ait: *Seniorem ne increpaveris: sed obsecra vt patrem.* Et Sanctus Gregorius in Pastorali, p. 3. cap. 1. admonit. 5. *Piæ,* inquit, *subditorum mentes, Præpositorum vitia nullo lingua gladio percutiunt, etiam dum de imperfectione reprehendunt.*

1.Tim. 5.

S.Gregor.

Secundò, oportet eorum vitia inter corripientem & peccantem solum corripere, & non coram alijs, etiamsi illis vitia eiusdem nota essent, quia illud repugnat reverentiæ Superiori debitæ, & auctoritatem minuit, quin etiam communiter mentem potius exasperat, quam vitia corrigit: ita vt principum ac Magistratuum vitia, multò minus Prælatorum pro concione sint reprehendenda', nisi talia sint, quæ alios à vera in Deum fide, aut à reverentiâ, & obedientiâ Ecclesiæ debitâ averterent: tum enim ad impediendum aliorum ruinam, si privata monitio nihil proficiat, etiam publicè arguendi sunt vt latius dicam proximo discursu.

Tertiò, oportet corripientem aliquâ auctoritate apud peccantem valere, veluti ob pietatem morum, opinionem prudentiæ, aliasve rationes.

Quartò expedit captare commoda tempora, quando peccantes creduntur optime dispositi ad correptionem suscipiendam: & hæc quandoque per ambages, quibus eorum animus ad eam disponatur, inchoëtur, prout fecit Nathan reprehensurus Davidem 2. Regum. 12. 2.Reg 12.

7. Cæterum magnopere notandum est magnam habendam esse rationem correptionis à quocumque proveniat. Nam alium instruens *os Domini* vocatur, iuxta illud Ieremiæ 15. cap. Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris. Et Malach. 1. dicitur verbum Malach. 1. Domini correptio in verbis v. 1. *Onus verbi Domini ad Israël in manu malachiæ.* id est in ore Prophetæ. Ad hæc signum est hominis aversi à Deo contemnere correptionem; vnde ait Sapiens: *Qui odit increpationes insipiens est.* Proverb. 15. v. 12. & v. Prov. 15. 10. *Qui increpationes odit, morietur.* & v. 32. *Qui abijcit disciplinam, despicit animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis.* Hoc est quod lugentes Angeli edicunt Ierem. 51. v. 9. *Curavimus Babylonem* Ierem. 51. *& non est sanata: derelinquamus eam. Nam qui non vult corripi, non vult corrigi. & qui odit correptionem, vestigium,* id est certum indicium, *est peccatoris,* id est peccatis affixi, obstinatique instar diaboli Eccles. 21. v. 7. Quocirca S. Basil. in Regul. brevior. S. Basilius regul. 159. *Qui huiusmodi est,* inquit, *huius conversatio inter reliquos fratres perni-*

perniciosa est. Vnde idem alibi iubet eos quasi pestes à congregatione segregari. Idem Reg. 158. *Sicut ait, infirmus anxius de salute corporis, libenter suscipit quidquid ordinat medicus, licet acerba sit & aspera curationis ratio: sic humilis & qui verè salutem animæ desiderat promptè & hilariter suscipit correptionem, quantumvis mordacem & acrem.* Scripsit hâc de re Galenus librum de Cognoscendis curandisque animi morbis, vbi docet, sicut vnica ægroti spes recuperandæ salutis sita est in Medico, ita totam salutis spem consistere in eo, si quis quærat & inveniat virum virtute & prudentiâ præditum, illique se totum instruendum, corrigendum & formandum tradat, illique credat, non sibi, etiamsi defectus, quos ipse notat, in se non videat. Hoc est quod ait Ecclesi. cap. 20. v. 4. *Quàm bonum est correptum manifestare pœnitentiam*: Ita fecit Sanctus Petrus correptus à S. Paulo Galat. 2. v. 11. In cuius laudem pulchra scribit Gregorius Magnus homil. 18. in Ezech. *Ecce*, inquit, *à minore suo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam revocat, quòd primus in Apostolatum vocatus est, non quòd claves regni cœlestis acceperit, non quòd peccata quæcumque in terrâ solverit, essent soluta & in cœlo, non quòd in mari pedibus ambulavit, non quòd paralyticos in Iesu nomine iubendo erexerat, non quòd ægros sui corporis vmbra sanaverat, non quòd mentientes verbo occiderat, non quòd mortuos oratione suscitabat. Ne igitur increpationes dedignaretur audire, omnia dona quæ acceperat, quasi è memoriâ repulit, vt vnum fortiter humilitatis donum teneret. Quis ergo nostrum si vel extremum aliquod signum fecisset, à minori fratre increpatus, increpationis verba patienter audiret? Nihil enim signi fecimus: & si quis nos fortasse de actione nostrâ reprehenderit, statim intumescimus, magnos quosdam nos taciti cogitamus, vitutes nobis ad animum deducimus, etiam quas non habemus. At contra Petrus cum virtutibus humilis in reprehensionibus permansit, sed porta surrexit in altitudinem.*

Galenus. Eccles. 20. Galat. 2. Gregor. Matt. 16.

Theodosius etiam Imperator ob cædem Thessalonicensium correptus à S. Ambrosio, æquo animo tulit, & pœnitentiam egit. Econtrà verò correptionem indignè ferentes Dei indignationem incurrunt. Vnde Deutronom. 21. dicit Moyses: *Si genuerit homo filium contumacem, & protervum, qui non audierit patris ac matris imperium, & coërcitus obedire contempserit: apprehendent eum, & ducent eum ad seniores civitatis illius, & ad portam iudicij illius, dicentque ad eos: Filius noster iste protervus & contumax est, monita nostra audire contemnit, commessationibus vacat, & luxuria atque convivijs: lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur, vt auferatis malum de medio vestri, & vniversus Israël audiens pertimescat.* Et Amos 5. cap. grave exitium prædicitur Samariæ ob peccata sua, videlicet, *in omnibus plateis planctus: & in cunctis, quæ foris sunt, væ, væ: & vocabunt agricolam ad luctum: & ad planctum eos qui sciunt plangere. Et in omnibus vineis erit planctus, quia pertransibo in medio tui, dicit Dominus.* id est, Audietur vox gementis & plangentis stragem Samariæ & advocabuntur planctores, & planctrices sive præficæ qui ad funus mortui vocari solent, vt eum voce, gestu, & tibiæ sonitu plangant, quia ego Deus transibo in medio tui quasi fulgur momento omnia pervadens, percellens & sternens. Porrò inter alias causas, vel præcipua recitatur, v. 10. *Odio habuerunt corripientem in portâ, & loquentem perfectè abominati sunt.* id est Prophetam eos sancto sermone admonentem: Prophetæ enim prædicabant in publicis plateis, & magis in portis, tum ob confluxum hominum, tum quia in portis sedebant Iudices, Procuratores & Advocati iniqui, pervertentes iudicia & caussas pauperum, quos redarguebat Amos alijque prophetæ. Iudæi enim sua tribunalia & iudicialia exercebant in portis, quia ad eos liberè & facilè

Deut. 21. Amos 5.

facilè confluere poterant, tam alienigenæ, quàm indigenæ, tam coloni quàm cives. Et ratio est, quòd nimis barbarum sit corripientes odisse. Hinc notatur Balam num. 22. quòd asinæ dixerit: *Vtinam haberem gladium, ut te percuterem*, cùm sisteret conspe-
Num. 22. cto Angelo, vt à malo cohiberetur Balam. Similiter Herodes qui suum monitorem Ioannem Baptistam occidit. Barbarum est quod scribit Senec. lib. de Ira, factum à Cambyse erga monitoris sui filium: sed iusta pœna, quæ secuta fuit. Rem adscribam verbis Senecæ cap. 14. vbi sic ait: *Cambysem vino deditum Praxaspes amicissimus admonebat, vt parciùs biberet;*
Seneca. *turpem dicens esse ebrietatem in Rege, quem oculi omnium aures[que] sequerentur. Ad hoc Rex: Vt scias, inquit, quòd nunquam excidam mihi, approbabo iam, & oculos post vinum in officio esse, & manus. Bibit deinde liberalius, quàm aliàs: & iam gravis ac vinolentus obiurgatoris sui filium procedere vltra limen iubet, allevatâque super caput sinistrâ stare. Tunc intendit arcum, & ipsum cor amotoru figit, rescissoque pectore, hærens in ipso corde spiculum ostendit: ac respiciens patrem, an an satis certam haberet manum? interrogavit.* ita barbarus iste. Verè dixit Sapiens Proverb. 15: 12. *Non amat pestilens eum, qui se corripit, nec ad sapientes graditur.* & cap. 29. 1. *Viro qui corri-*
Prov. 15. *pientem durâ cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus.* ita Cam-
Et 29 cap. byses paulo post vitâ & regno privatus est: ita & Balaam Paulò post ab Hebræis in pugnâ occisus est, cap. 31. 8.

8. Accedit adhæc, quòd non minima plaga sit divina, quando non corripimur: nam Ozeæ 4. cap. decem tribubus gravissimis peccatis, pollutis dixit Deus: *Non visitabo su-*
Ozea 4. *per filias vestras, cum fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras cùm adulteraverint.* id est, Quod summæ offensionis agumentum est, parentis vigilantis, ac providi, aut zelotypi sponsi partes non agam; nō enim supplicio ac metu à vitæ turpitudine cohibebo, aut filias cū fornicando, & pudorem suum, & parentis nomen violaverint, aut vxores coniugalem thorum adulterando polluerint. Quod verum esse patet ex ipsâ praxi, quia grave supplicium est tam in parentibus, & maritis, si illorum vxores, ac filiæ viris adhæserint alienis, quàm in filiabus, & vxoribus, & in his multò gravius, si illas Deus sine metu, ac liberè libidinari permittat: vrit enim vehementer parentes, si modo in illis aliquid est honoris ingenui, inverecunda filiarum petulantia, atque oppressus pudor; & viros violata coniugis fides, & zelotypiæ dolor. Sed est longè gravius suppliciū, quod subeunt meretricatæ fœminæ, cum illarum insaniam adactis stimulis non cohibet Deus: imò, vt docent frequentes Patres, nullum est offensi animi documentum maius, quàm quòd hominum scelera videantur impunita. Tunc enim derelictus homo existimatur à Deo, sicut æger à medico, quando de illius salute desperatur: vt enim cùm in eo statu fuerit ægrotus, vt neque illi medicus potionem porrigat amaram, aut à ferro, atque cauterio abstineat, & quidvis illi pro suo arbitratu sumere permittat; sic quando Deus suæ quemque voluntati permittit, magnum hostilis animi documentum præbet. Hinc Hieron. hoc loco designans quando id colligitur, dicit: *Quando videris peccatorem divitijs affluere, iactare se potentiâ, sanitate gaudere, delectari coniuge, coronâ circumdari liberorum, & impleri illud, quod scriptum est. in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur; dicito in illo comminationem Prophetæ esse completam. Non visitabo super filias vestras*, &c. Origenes verò homil. 8. in cap. 20. Exod. *Vis audire indignantis Dei terribilem vocem? Audi quod dicit per Prophetam. Cum enumerasset multa nefanda, quæ commiserat populus, addit etiam hæc: Et propter hoc non visitabo super filias vestras, cum fornicantur, neque super nurus vestras, cum mæchantur. Hoc est terribile, hoc extremum, cum iam non corrigimur delinquentes. Hunc enim cum excesserimus peccandi modum, Deus zelans avertit à no-*

nobis zelum suum. Hinc rursum Hieronymus epist. 33. exponens locum Ezechielis 16. *Auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius*, notat, peccatores, de quorum salute desperatur, impunitos relinqui. *Quantos*, inquit, *cernimus Ethnicos, atque Iudaeos, haereticos, atque diversorum dogmatum homines volutari in cœno libidinum, madere sanguine, feritate lupos, rapacitate milvos vincere; & nihilominus flagellum non appropinquare tabernaculis eorum, nec eos cum hominibus verberari, & idcirco superbire contra Deum, & transire vsque ad cœlum os suum?*

Discursus VII.

PRÆVIVS.

Quando & qualititer tum privati, tum superiores ad correptionem tenentur?



D. Paulus monet quærere non quę sua sunt, sed quę proximorum. Hinc quæram quod in argumento ponitur.

Galat. 6. 1. Apostolus Paulus iubet, vt alter alterius onera portemus, asserens sic adimplendam esse legem Christi, quod sanè fit in correptione fraternâ, quæ in Scripturis sæpenumero nobis præcipitur; sed quia præceptum illud est affirmativum, atque adeo non pro quovis tempore obligans; sed positis certis conditionibus, necesse est definire quando, & quomodo privatum & superiorem respectivè obliget. Ad hoc considerandum est privatum teneri ex Charitate; Superiorem verò duplici titulo charitatis, & iustitiæ.

2. Quibus positis, Dico primo, Privato necesse esse certò scire, aut saltem probabiliter proximi peccatum, aut periculum peccandi, ne alioquin illum exasperet, & exasperatus vehementius commoveatur in alterum, ac gravius peccatum committat, quàm sit illud, quod vult corrigere, aut etiam se periculo exponat, ne vt calumniator habeatur aut nimis suspicax. Nam privato vetitum est ex suspicione alium corripere quin, etiam in mores alterius inquirere. Vnde illi congruit, quod ait Sapiens Eccles. 11. cap. *Priusquam* Eccl. 11. *interroges* (id est antequam rem certò exploraveris) *ne vituperes quemquam.* Et Proverb. 24. *Ne insidieris &* Prov. 24. *quæras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius.* Sed certus existens de peccato, aut periculo peccandi tenetur proximum corripere, iuxta illud, quod sequitur Eccles. Eccl. 11. 11. *Et cum interrogaveris corripe iustè,* Verumtamen illa obligatio ordinariè non constringit, nisi quando id facere potest sine periculo mortis, famæ, vel aliorum bonorum. ratio est, quòd charitas non obliget cum tanto incommodo.

3. Dico secundò, privatum quandóque teneri cum periculo mortis proximum corripere, quando certo scit, aut etiam dubius est peccatum existere, quod posset redundare in notabile prę iudicium & detrimentum tertij, quale esset peccatum hęresis, proditionis Principis, civitatis aut simile: aut quando immineret proximi mors, & posset à peccato liberare per correptionem, & à morte æternâ. Ratio est, quòd bonum publicum sit præferendum privato, & quòd maioris sit facienda salus spiritualis proximi, quàm propria temporalis, fundata in eo, quòd

Christus pro nostrâ salute vitam suam exposuerit, & quòd D. Ioannes dicat, quòd *nos debeamus pro fratribus animas ponere*: adeoque debet statim monere datâ opportunitate nec curare corripiendi tristitiam, ægritudinem vel mortem, iuxta illud Pauli: *Gaudeo quòd contristati estis, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam*, 2. ad Cor. 7. vbi loquitur de emendatione Corinthianorum, qui fornicarium non corripuerant tempore debito, & morem boni medici imitatur, qui gaudet amaram medicinam alium curasse, non quatenus illi amara fuit, sed quatenus sanitatem contulit. 2. Cor. 7.

Neque debet allegare excusationes in peccatis, vt hominum plurimi; quare ille non corripit? ille frater est, ille cognatus est, faciant illi. quid ad me? quia ipse tenetur. In quam rem pulchrè Chrysostomus orat. 5. contra Iudæos exemplo Samaritani sic philosophatur: *Neque enim Samaritanus ille hæc dicebat, vbi nunc sacerdotes? vbi nunc Pharisæi? vbi Iudæorum Doctores? sed perinde quasi venatum quempiam maximum nactus esset, ita lucrum arripuit. Et tu igitur cum videris aliquem egentem curatione vel corporis, vel animæ; ne dicito apud te ipsum: quare ille & ille eum non curaverunt? sed à morbo libera. Ne petas ab illis causas negligentiæ Si inveneris aurum iacens, non dicis apud te ipsum: quare ille aut ille hoc non sustulerunt? sed festinas ante alios rapere. Itidem & de fratribus collapsis cogita, putatoque te thesaurum reperisse, nimirum occasionem illis medendi. Etenim si instillaveris illi velut oleum sermonis doctrinam, si obligaveris humanitate temperantiâque vulneratum, si sanaveris, ille te faciet ditiorem quovis thesauro. Qui enim eduxerit pretiosum ex indignitate tanquam os meum erit, inquit ille. Quid huic poterit æquiparari? Quod neque ieiunium, neque humi peractæ cubationes, neque pervigilia, neque aliud quidpiam potest efficere, efficit fratris curata salus.* Addo non excusari privatum, etiamsi superior sciat, & muneri suo desit: Licet enim ille peccet duplici titulo, tamen hic ab obligatione ex charitate non eximitur. Chrysost.

4. Verùm quæres, in quo ergo differat obligatio Superioris ab obligatione privati?

Respondeo in hisce tribus. Primò, quòd duplici titulo, charitatis & iustitiæ teneatur proximum corripere.

Secundò, quòd in dubio, aut suspicans adstringatur inquirere in vitam subditorum, vt Pastor in oves aberrantes, vel scabiosas. Vnde S. Gregorius 2. p. Pastoralis cap. 10. mysticè explicans versum. 8. cap. 8. Ezechielis: *Nonnulla, inquit, subtiliter & occultè sunt perscrutanda, vt quibusdam signis erumpentibus rector in subditorum mente omne, quod clausum latet, inveniat, & interveniente correctionis articulo, ex minimis maiora cognoscat. Vnde rectè ad Ezechielem dicitur: fili hominis, fode tibi parietem. Vbi mox idem Propheta: & cum fodissem parietem, apparuit ostium vnum, & dixit ad me: ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hîc. Et ingressus vidi &c. Notandum itaque est, quia prius foramen in pariete, ac deinde ostium cernitur, & tunc demum occulta abominatio demonstratur, quia nimirum vniuscuiusque peccati prius signa forinsecus, deinde ianua aperta iniquitatis ostenditur, & tunc demum omne malum, quod intus latet aperitur.* S. Greg.

Tertiò, quòd teneatur Superior cum periculo mortis sub peccato mortali subditorum peccata corripere, etiam extra extremam necessitatem. Ratio est, quia ex officio ad hoc obligatur. Patet ex cap. 3. Ezechielis, vbi Dominus dicit Prophetę: *Speculatorem dedi te domui Israël, & annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium: Morte morieris: & non annunciaveris ei, neque locutus fueris, vt avertatur à viâ suâ impiâ, & vivat: ipse impius in iniquitate suâ morietur, sanguinem autem eius de manu tuâ requiram.* Et Ioann. 10. vbi Christus describens officium boni Pastoris dicit: *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Et 1. Ioan. 3. *Christus pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Quæ sententia licet omnes obliget in extremâ necessitate Ezech. 3. Ioan. 10. 1. Ioan. 3.

tate

tate spirituali proximi, tamen magis Superiores: illi enim se non possunt excusare.

Bernardus serm. 1. de adventu Quâ de causâ Bernardus considerans superioritatem, & se graviori & periculosiori debito adstrictũ, lamentabiliter ait: *Quid ego infelix, quò me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod sibi Christus sanguine proprio pretiosius indicavit, contigerit negligentius custodire? Si stillantem in cruce Domini sanguinem collegissem, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod & portari sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? Et certe id servandum accepi, pro quo mercator non insipiens (ipsa vtique sapientia) sanguinem illum dedit. Sed & habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, & quibus multò plura quam vitreis imminere pericula videantur. Accedit sanè ad sollicitudinis cumulum, & pondus timoris, quod cum & meam, & proximi conscientiam conservare necesse sit, neutra mihi satis est nota. Vtraque abyssus est inperscrutabilis, vtraque mihi nox est. Et nihilominus exigitur à me vtriusquè custodia, & clamatur: Custos, qui de nocte. Custos, qui de nocte. Nõ est mihi dicere cum Cain: Nunquid custos fratris mei sum ego?*

2.Reg. 12. Hâc de causâ Propheta Nathan, cum David commisisset adulterium, & homicidium, nec esset qui illum admoneret de peccatis huiuscèmodi, & scandalo, Davidem corripuit inductâ parabolâ hominis, qui vt suis parceret, vnicam pauperculi cuiusdam ovem occidit, vt peregrino cuidam convivium instrueret, Davidi peccatum proprium expressit in alieno, fecitque vt in eo, quem reum capitis esse iudicarat, ignarus artificij se ipsum condemnaret. Eaque de causâ credendum est, alterum Prophetam, 3. Reg. 20. intempestivam clementiam Regis Achab, quâ Regis Syri morte dignissimi vitam servarat, exprobasse quadam simulatione ac artificio, cuius rex ignarus suo se iudicio condemnaret. Artificiũ vero & res describitur loco citato his verbis: *Vir quidam de filiis Prophetarum* &c. *alterum inveniens virum, dixit ad eum: Percute me. Qui percussit eum, & vulneravit. Abijt ergò Propheta, & occurrit regi in viâ & mutavit aspersione pulveris os & oculos suos. Cumquè rex transisset, clamavit ad regem, & ait: Servus tuus egressus est ad præliandum cominus: cumque fugisset vir vnus, adduxit eum quidam ad me, & ait: Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro animâ eius, aut talentum argenti appendes. Dum autem ego turbatus huc illucquè me verterem, subito non comparuit. Et ait rex Israël ad eum: Hoc est indicium tuum, quod ipse decrevisti. At ille statim abstersit pulverem de facie suâ, & cognovit eum rex Israël, quod esset de Prophetis, Qui ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Quia dimisisti virum dignum morte de manu tuâ, erit anima tua pro animâ eius, & populus tuus pro populo eius.* Hæc de primâ conditione. Restat de alterâ dicere, quæ est spes emendationis, de quâ.

5. Dico primò, ordinariè neque privatum, neque superiorem teneri quempiam corripere, nisi sit probabilis spes emendationis. Hinc Proverb. 9. Scriptura dicit: *Noli arguere sapientem & diliget te.* Et Matth. 7. *Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi disrumpant vos.* Tales enim similes forent medico applicanti ægro amaram medicinam nullo modo ei profuturam: Vnde minus debet corripi, qui per correptionem creditur blasphematurus, aut corripientem gravi odio prosecuturus, quia ad charitatem magis pertinet, teste Augustino lib. de civitat. cap. 9. *vt quis corripiendis male agentibus parcat, quia ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur.* Nam talis similis est medico danti ægro medicinam, quam ob certam ipsius dispositionem scit illi mortem allaturam. Res notanda est illis, qui sæpius experti filios, aut domesticos suos à se correptos deteriores & contumaciores fieri, pergunt eos arguere. Addo quando maius scandalum orietur, & res non posset probari, atquè ita ex delatione ad Superiorem confusio potius sequeretur, quam vtilitas.

Prov. 9. Matt. 7. August.

6. Dico

6. Dico secundò, quamvis contingat correctionem peccantibus non proficere, omittendam tamen non esse, quando necessaria est, vt Dei iniuria, pusillorum scandalum, aliorum perversio, aut grave innocentis damnum impediatur. Hinc quando quis audit aliquem coram alijs laudantem hæresim, & enervantem rationes, quibus fides nostra probatur, aut dicentem, aut exercentem turpia cum periculo, ne alij pervertantur, tenetur eum reprehendere, quantumvis credat ideo secundum se peiorem futurum, modo sit spes impediendi aliorum perversionem. Item si audiat aliquem coram alijs viro honesto graviter detrahentem, tenetur eum corripere, modo speret hac ratione impedire, ne alij ipsi credant, quantumvis credat ipsum ideo gravius peccaturum. Item si audiat aliquem coram alijs blasphemantem, si sine notabili incommodo possit, tenetur eum corripere, etsi desperet eius emendationem: quia hâc ratione quodammodo Deo suum honorem restituit. Suppono tamē quòd alter ideo non sit gravius blsphematurus. quia tunc si cesset aliorum scandalū, non obligatur: correptio enim illa non cederet sic in maiorem Dei honorem.

7. Dico tertio, ob similes causas obligari magis Superiores peccantes corripere, etiamsi desperent eorum emendationem. Id colligitur apertè ex capite 3. Ezech. vbi dicit, quod Propheta animam suam liberabit, si impium admonuerit, quantumvis non convertatur, & si non monuerit, impium in iniquitate suâ moriturum; quòdque sanguinem eius de manu eius requireret, & tamen iubebatur illic corripere Iudæos, quos satis sciebat non convertendos: quia multis modis à Ieremia erant correpti, & de captivitate certiores facti, & de interitu in ea per catenā ligneam, quā quindecim annis idcirco gesserat, per confractionem lagunculæ testeæ, confractionem populi & civitatis Ierusalem significantem, per lumbare computrescens interitum populi in captivitate adumbrantem; quę omnia habentur respectivè Ierem. 27. v. 2. Ierem. 19. v. 10. Et apud eundem cap. 13. v. 7. Atque ex eo cap. credendum est Ioannem Baptistam Matth. 14. monuisse Herodem, vt relinqueret vxorem fratris sui, quâ abutebatur, licet crederet illum non emendandum, quia tam maligno animo erga Ioannem erat, quòd illum occidisset, nisi timuisset populum. Similiter Christum credendum est gravissimis verbis idcirco Pharisеos sæpe monuisse, licet sciret correptionem suam non profuturam. Quod Auctor operis imperfecti rectè ponderavit hom. 43. in Matth. *Postquam Dominus*, inquit, *impios Sacerdotes super se irruentes, quasi feroces bestias quodam venabulo accutissimæ responsionis prostravit; & incorrigibilem eorum conditionem ostendit: nam laici delinquentes facilè emendantur; Clerici autem, si mali fuerint inemendabiles sunt: tunc convertit sermonem suum ad Apostolos, vt illorum confusio istorum fieret disciplina. Infructuosum namque est verbum, in quo sic alter confunditur, vt alter non erudiatur. Nam & Deus non propter malos castigationem super terram transmittit; sed propter bonos. Scit enim, quia malos flagella non corrigunt; sed malos castigat, vt bonos corrigat: quia bonus nisi admonitus fuerit, per negligentiam evanescit.* Vnde D. Paulus suum Discipulum ad debitam severitatem exercendam adhortatus: *Peccantes*, inquit, *coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant*, 1. Timoth. 5. n. 20. Quasi optimus punitionis fructus, sit timor aliorum.

Ezech. 3. *Ierem. 27. 19 & 13. capitibus* *Matt. 14.* *Auctor oper. imperf.*

Discursus

Discursus VIII.

PRÆVIVS.

Quis in Correptione ordo necessariò servandus sit, & quando?

Prov. 24. Roverb. 24. dicit Sapiens: *Qui dicunt impio, iustus es, maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus. Qui arguunt eum, laudabuntur, & super ipsos veniet benedictio.* Vbi duo declarat, maledicendum videlicet laudatorem impietatis; & contrà benedictionem temporalium corripientem obtenturum. Vt autem quis capax fiat istius benedictionis; tractabo, quod in argumento ponitur.

1. Ad huius rei intelligentiam præmittendum est, peccatum proximi vel esse occultum, vel publicum, aut etiam si sit occultum, posse esse valde nocivum Reipublicæ. Quibus sic positis Dico primò. Si peccatum sit occultum, servandum esse ordinem, quem Christus præ-

Matt. 18. scripsit Matth. 18. dicens: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Atque adeò primò corripiendum secretò. Et ratio est, quòd non solùm charitas, sed etiam iustitia nos obliget, vt famam proximi quantùm commodè possumus, servemus illæsam, eiusque peccata alijs non prodamus sine notabili necessitate.

D. August. Hinc D. August. serm. 16. de verbis Dom. ait, proditorem esse eum, qui hunc ordinem non observat: *Quid est*, inquit, *in te peccavit? Tu scis quia peccavit. Quia enim secretum fuit, quando in te peccavit, secretum quare cum corrigis, quod in te peccavit. Nam si solus nosti, quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor. Ergo ipsa corripienda sunt coram omnibus, ipsa corrigenda sunt secretiùs, quæ peccantur secretiùs. Distribuite tempora & concordat Scriptura.* Deinde notat idem Auctor ex ordine non observato facile posse contingere, quòd proximum potius perderemus, quam lucraremur. Vnde ibidem dicit: *Corripe inter te & ipsum solum, intendens correctioni, parcens pudori. fortè enim pro verecundiâ incipit defendere peccatum suum, & quem vis correctiorem, facis peiorem.*

Idem monet D. Hieronymus in cap. 18. Matth. alijs verbis, sed eodem sensu; illudque malum esse, similitudine medici illustratur, quem vnusquisque facile dijudicaret peccasse, si infirmum sanaret amputando ei membrum, aut dando ei medicinam periculosam, quando sine huiusmodi incommodis, aut modo magis certo eum sanare posset. Simile est in hoc casu. D. Hieron.

2. Dico secundò, Etiamsi non sit secuta emendatio ex secretâ monitione, non ideo statim indicandum Superiori, sed necesse esse adhibere duos testes. Sufficit enim si spectetur proximi emendatio per totum correctionis ordinem à Christò descriptum. Et quamvis ille, de quo spes erat emēdationis, per inductionem testium non emendetur, serviet tamen illa inductio ad hoc, vt ipsi testes confirment esse peccatum quod proximus facit; & sic postea ad se rediens aliquando ab eo desistat, vel servit etiam ad convincendum illum postea de actu, quando res ad Superiorem erit deferenda.

3. Dico

3. Dico tertiò, his duabus monitionibus nihil proficientibus quemq; teneri ex charitate peccatum proximi Superiori denunciare: hoc enim indicant illa verba: *Quid si non audierit eos* (supple testes) *dic Ecclesiæ*. id est superiori, vt Superior est, & Ecclesiæ vicem gerit. Neque illud proditorium est, vt vulgus æstimat, sed valdè pium. Vnde D. Augustinus vt animet eiusmodi denunciatores in sua Regula sic dicit: *Nec vos iudicetis esse malevolos, quando hoc indicatis: magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittatis. Si enim frater vester vulnus haberet in corpore, quod vellet occultare, cum timeret secari, nonne crudeliter abs te celaretur, & misericorditer indicaretur? Quanto ergò potius debes manifestare, ne deterius putrescat in corde.* Sic Augustinus, & rectè. Nam ille vel vt pater corriget ex charitate delinquentem iuxta ordinem Euangelicum ad finem particularis boni ipsius fratris, aut vt iudex per sententiam excommunicationis, si delinquens manserit contumax, ad bonum commune.

August.

4. Sed dices, D. Paulus, 1. ad Timoth. 5. præcipit illi non secretò, sed coram omnibus peccantes arguere. Imò Ioseph, qui vir sanctus erat, illo ordine non servato, accusavit fratres suos de crimine pessimo, vt habetur Genes. 37. cap. Et Act. 5. D. Petrus publicè arguit, & punivit peccatum Ananiæ & Saphyræ.

1. Tim. 5.

Genes. 37.

Act. 5.

Respondeo cum D. Augustino loco citato, distinctionem esse faciendam: *Discernere*, inquit, *debemus aliquando illud, aliquando illud esse faciendum; aliquando corripiendo fratrem inter te, & ipsum solum, aliquando coram omnibus* &c. Dico itaque primò, non esse servandum ordinem prædictum, quando peccatum est publicum, id est, quod vel in iudicio forensi est traductum vel per facti evidentiam, aut per communem famam. Atqui tales tunc publicè arguendi sunt, non solùm vt ipsi emendentur, sed etiam ne alij intuentes publica peccata manere impunita, liberiùs peccent. Et hoc sensu locutus est Apostolus: *Peccantes coram omnibus argue.* & confirmatur, quia addit: *Vt & cæteri timorem habeant.* Hic defectus fuit in admonitione Heli, qui secretam adhibuit correptionem, cum publica esse debuerat: publica enim peccata, qualia erant filiorum Heli, secretis tantùm admonitionibus nō satis dignè corripiuntur. Educere eos debuerat in publicam concionem, ibique palàm constitutos non solùm arguere, sed etiam totius populi subijcere potestati; vt in iuvenes omnibus iniurios ab omnibus vindicaretur. Sic enim fecisse legitur Samuel: nam congregato vniverso Israëli dixit: *Ego senui, & incanui; porrò filij mei vobiscum sunt.* 1. Reg. 12. Quasi dicat, Ego præ senio non possum iuveniles meorum filiorum animos coërcere; vobis illos trado coërcendos. Vel saltem, vt ibi Caiet. *Liberam*, inquit, *proponit facultatem populo petendi iustitiam adversus filios suos.* Quasi promitteret, se executurum quidquid supplicij à populo in illos decerneretur, aut postularetur. Oportet enim aliquando, vt ad plures pœnæ, quàm culpæ cognitio extendatur, vt manifesto vnius supplicio latentia aliorum peccata retardentur. Vnde Deus olim ad Davidem adulterantem, & occidentem, *Tu*, inquit, *fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu solis*, &c. 2. Regum 12. Dum enim absconditum aliquando Regis adulterium, & homicidium palam puniebatur, alij quoque occulti peccatores formidarunt: ne & ipsi in solem, ac lucem traherentur. Eadem plane causa fuit, cur olim Deus Moysi expressit, publicè peccantes publicè puniendos. *Tolle*, inquit, *cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis.* Numeror. 25. *Suspendi iubentur contra solem*, inquit Lyranus, *vt pœna sit publica, sicut & peccatum, & ad terrorem aliorum.* Idem factum est ob peccatum Saülis, quo iniustè Gabaonitas punivit, vt ex posteris

D. August.

1. Reg. 12.

Caietan.

steris septem viri publicè crucifigerentur, 2. Reg. 12.

5. Dico secundò, non esse servandum ordinem supradictum etiam in peccato occulto, quando cedit in damnum communitatis, & periculum est in mora, nec est spes malum posse impediri privatâ monitione, qualis esset casus proditionis in Principem, vel civitatem: vnde tunc ad superiorem deferri debet, vt efficaciter fratrem corrigat, & malum avertat à communitate. Neque ab hac delatione excusatur Clericus, licet mors rei esset subsecutura, quia iure naturali id facere tenetur. Vnde ex iure Ecclesiastico etiam non incurret irregularitatem, si protestetur, se non intendere sanguinem. His iunge peccatum proximi occultum, quod cedit in alicuius detrimentum maius, quàm sit iactura illa qualiscumque famæ proximi apud superiorem: vt si quis v. g. machinaretur necem alicui alteri: ratio est, quod vita sit præferenda famæ.

6. Dico tertiò, Quotiescumque peccatum naturâ suâ tam est nocivum, vt alios facilè inficiat, prætermittendus est dictus ordo, quod contingit in hęresi. Nam, vt ait Apostolus. 2. ad Timoth. 2. *Hæreticorum sermo serpit vt cancer.* Et in hæresim lapsus proclivus est ad eam, vbicumque possit, disseminandam. Vnde primò studet ad id, vt abducat, discipulos post se, vt indicat Apostolus Act. 20. Et Tertullianus de Præscript. vbi testatur negotium esse hæreticis, *non Ethnicos convertendi, sed nostros evertendi.* Id autem locum habet in formaliter hæretico, qui vt auctoritate Ecclesiæ non movetur, sic minus alicuius privati auctoritate reducetur ad meliorem frugem: non autem in illo, qui ex sola ignorantia versatur in errore contra fidem & veritatem, edoctus, paratus est credere. Nam hic non est verè hæreticus, quia non est pertinax; & tales multi reperiuntur in Hollandia, & Frisia, quia numquam aliud audiverunt, & Prædicantibus perversè Scripturas interpretantibus facilè crediderunt.

2. Tim. 2.

Act. 20. Tertull.

7. Dico quartò, Non esse servandum hunc ordinem quotiescumque prudenter quis colligitur secretâ monitione non emendandus, quod vt plurimum fit, quando quis peccat ex electione, vel malitia, vel consuetudine. Quapropter rectè putatur Ioseph omisisse privatam monitionem fratrum, & rem immediatè detulisse ad patrem, quia prudenter metuebat, quod propter ætatem ipsum essent derisuri, & contempturi, vel etiam maiori odio inflammandi. Quod non est improbandum, sed bene quando ob qualemcumque offensionem, aut minimum damnum correptio prætermittitur, vt insinuat Augustinus lib. 1. de civit. cap. 9. in verbis: *Illud est culpabile, quod hi qui dissimiliter vivunt, & à malorum factis abhorrent, parcunt tamen peccatis alienis, quæ dedocere & obiurgare deberent, dum eorum offensiones cavent, ne sibi noceant in his rebus, quibus licitè boni atque innocẽtes vtuntur: sed cupidinis, quam oportebat eos, qui in hoc mundo peregrinantur, & spem supernæ patriæ præ se gerunt. Non solum quippe inferiores vitam ducentes coniugalem, filios habentes vel habere cupientes, domos ac familias possidentes: quos Apostolus in Ecclesia alloquitur docens, & monens quemadmodum vivere debeant & vxores cum maritis, & mariti cum vxoribus: & filij cum parentibus, & parentes cũ filijs: & servi cum dominis, & domini cum servis: multa temporalia, multa terrena libenter adipiscuntur, & molestè amittunt: propter quæ non audent offendere homines, quorum sibi vita contaminatissima, & consceleratissima displicet: verum etiam hi, qui superiorem vitæ gradum tenent, nec coniugalibus vinculis irretiti sunt, & victu parvo ac tegumento vtuntur, plerumque suæ famæ ac saluti (consulentes) dum insidias atque impetus malorum timent, ab eorum reprehensione sese abstinent. Et quamvis non in tantum eos metuant, vt ad similia perpetranda quibuslibet eorum terroribus atque improbitatibus cedant: ea ipsa tamen, quæ cum eis non perpetrant, nolunt plerumque corripere, cum fortasse possint aliquos corripiendo corrigere: ne si non potuerint, sua salus ac fama in periculum exitium-*

D. Aug.

xitiumque perveniant. Aut forsitan excusatur, quia fratres admonuit, vt existimat D. Thomas, licet non sit scriptum; aut non fuit necessarium, quia peccatum erat publicum; sic enim scribit, 2.2. quæst. 33. art. 7: *De Ioseph credendum est, quòd fratres suos quandoque admonuerit, licet id non sit scriptum. Quamquam non erat necessaria præmonitio fratrum, cum esset crimen eorum publicum, & ob id illi iam essent infames: idcirco enim secundum lectionem Hebraicam huius loci dicitur Ioseph malam fratrum suorum famam detulisse ad patrem.* D. Thom.

8. Sed quid dices de Petro erga Ananiam & Saphyram, de quo certum est, quòd non præmonuerit?

Respondeo aliqui existimant Petrum præviam admonitionem omisisse, quòd sciret ex revelatione divinâ eos esse incorrigibiles; & sic Christum ob similem causam publicasse peccatum Iudæ Ioan. 13. Ioan. 13.

Sed dico S. Petrum auctoritate divinâ, & ex particulari Dei instinctu ad terrorem aliorum, illorum fraudem punivisse, quia hoc tunc Ecclesiæ expediebat: Et Deus cum sit dominus nostræ famæ, & vitæ, potest ea pro suâ voluntate nobis auferre, quoties id iudicat expedire, & ad id alijs dare facultatem. Probatur, quia Deus prima peccata, extraordinariè & severè solet punire, vt in ipso disceret homo, quàm esset è re suâ obedientiam in omnibus præstare Creatori suo. Sic Adamus è paradiso expulsus est. Sic qui violentas manus fraterno sanguine fœdavit, graves dedit, & longas homicidij pœnas. Sic qui primi è sacerdotali genere alienum ignem ad sacrificandum attulerunt, igne cœlitus misso consumpti sunt. Qui è Christianorum cœtu factum Deo votum violarunt primi, repentinâ morte sublati sunt; vt hinc discerent, qui sacerdotium inirent, quàm exactè servari debeant sacrificales ritus, & qui aliquid Deo debeat ex voto, quàm illud fideliter, & plenè præstare debeat. Inter reges primus fuit Saül rex in Israël, qui præceptum, quod acceperat à Domino, vt expectaret septem dies, donec à Samuele immolarentur hostiæ, transgressus; eam prævaricationem regni luit iacturâ, idque quia expediebat maximè vt reges quotquot futuri erant in Israël intelligerent in administranda republicâ à Dei ducis & auspicis præscripto discedendum non esse; quod supplicium Regum nemini ignotum esse poterat, tum quòd grave, tum etiam quòd primum regium nomen afflixit. Gen. 3. Ibidem 4. Levit. 10. Act. 5. 1. Reg. 13.

Confirmat hanc rem Isidorus Pelusiota epist. 181 sic dicens: *Non crudelitatis, atque amentiæ, quòd sapientissimus Petrus eos, qui peccaverant morte affecit, verùm prascientis doctrina multa hominum peccata præsanantis. Nam cum tunc Euangelij sementem facere incepissent, ac statim enata Zizania conspexissent, sapienti consilio ea sapienter evulserunt, ne vnà cum tritico aucta futuro igni ad exustionem servarentur. Ad eundem enim modum divinus quoque Moyses legem ab initio datam, violatam perspiciens, exiguum peccatum, saxis tamen obrui iussit, qui die sabbathi ligna collegerat.* Quamvis aliam rationem de homine lapidibus obruto ob ligna collecta in Sabbatho dixerim in tertio præcepto, quæ genuina est. Isidorus Pelusiota.

Discursus

Discursus IX.

PRAEVIVS.

De Scandalo.

Quid sit, & quale peccatum?

1. Cor. 10.  Ivus Paulus 1. ad Corint. 10. monet Corinthianos omnia in gloriam Dei facere, & cavere à scandalis, dicens: *Sine offensione estote Iudais, & Gentibus, & Ecclesia Dei.* Quia verò scandalum peccatum est contra correptionem fraternam, & ita contra misericordiam & charitatem proximi, vt sit contra bonam ædificationem eius; hinc tractabo quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam, nota scandalum per se esse illud, in quod quis impingit, titubat, turbatur, & tentatur, sed non cadit non corruit, non peccat. Græcis autem σκάνδαλον à σκαμβὸς, id est, obliquus, quod est lignum incurvum sive obliquum, quo muscipula sustinetur cui esca alligatur, vt mus eam corrodens muscipulam in se evertat. Ex quo Divus Thomas 2. 2. quæst. 43. art. 1. Commentar. Sancti Hieronymi super caput Matth. 15. definit *scandalum esse dictum, vel factum minus rectum, alteri prabens occasionem ruina*, quod dicitur activum. D. Thomas

2. Committitur autem scandalum tribus modis. Primò, quando quis alterum inducit ad peccandum: vt factum est quando serpens Evam seduxit, Genes. 3. dicens: *Cur pracepit vobis Deus, vt non comederetis de ligno paradisi &c. & nequaquam morte moriemini*; & credula de fructu vetito comedit. Insuper viro suo eundem porrigens, narrat illi quæcumque diabolus promiserat, Genes. 3.

ac iubet eum securum esse à metu mortis, maximè cùm ipsam, quæ iam comederat, superstitem videret: qui ità pariter deceptus de eodem comedit. Simile est Numer. 25. vbi Moabitæ & Madianitæ vt vitæ suæ consulerent, ne ab Hebræis apprehenderentur & occiderentur; filias pulcherrimas submiserunt ad castra Hebræorum, quę suâ pulchritudine, ornatu, & blanditijs pellicerent Hebræos in suam concupiscentiam. Quod factum est. Inde iam eos devinctos pellexerunt ad comestionem idolothytorum, & sic ad suum Beelphegor adorandum, vt patet ex verbis: *Et fornicatus est populus cum filiabus Moab, qua vocaverunt eos ad sacrificia sua: at illi comederunt, & adoraverunt Deos earum, initiatusque est Israël Beelphegor.* Fecerunt autem illud instinctu & consilio falsi Prophetæ Balaam, vt ita Deus Israëlitis irasceretur, eosque desereret, ac à Moabitis, vinci & trucidari permitteret; vti etiam de facto indignationem Dei incurrerunt, quemadmodum patet ex verbis sequentibus: *Et iratus Dominus &c.* Sic etiam Salamon à complexu mulierum ad idola ab ijsdem deductus est, 3. Reg. 11. Amor enim & libido mentem sapientis dementat; & vt ait Plato, Animus amantis in suo corpore moriens, in alieno est vivens. Et Dei pariter indignationem incurrit: dixit enim illi Dominus post peccatum: *Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & pracepta mea qua mandavi tibi, & disrumpens scindam regnum tuum,* Num. 25. 3. Reg. 11. Plato

& dabo illud servo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciam propter David patrem tuum: de manu filij tui scindam illud, nec totum regnum auferam, sed tribum vnam dabo filio tuo propter David servum meum, & Hierusalem quam elegi.

2.Reg.16. Tale est etiam consilium Achitophelis, 2. Reg. 16. quo suasit Absaloni ingressum ad concubinas patris sui, vt sic populus securiùs partibus ipsius adhereret, credens quòd illius facti vix vnquam veniam obtineret à patre, & sic nullatenus timendum esset periculum capitis, quod alioquin certò futurum erat, si Absalon cum patre reconciliaretur: quod indicant verba, *Vt cum audierit omnis Israël, quòd fœdaveris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum:* quia nempè illa suspicio de conciliandа pace debilitaret animos asseclarum, & arma prorsus è manibus excuteret. Theodor. Vnde Theodoretus q. 33. in lib. Regum. *Scelerasissimi*, inquit, *dæmones celant suam nequitiam conversantes cum bonis: sed si invenerint aliquem, qui eorum delectetur studijs, eam aperiunt; & ea loquuntur, quæ conferunt audientibus. Iste quoq; erat talis. Nam & divino Davidi eas adhibebat suasiones, & consilia, quæ optimo eius scopo convenirent; & ea Absaloni consulebat, quæ eius congruebant moribus. Timens enim ne natura eos rursus coniungeret, deinde, si fieret reconciliatio, pœnas dares proditionis, extremam illam suggerebat iniquitatem, vt reconciliationi nullus pateret aditus.*

Basilius 3. Secundò committitur teste Basilio in regul. breviorib. q. 64. quando vnus alterius exemplo ad simile peccatum committendum inducitur. Sic enim ait: *Sanè scandalizat aliquis, quandocumque dictis factisve legem violat, & exemplo suo alium ad legis violationem inducit.* Quale contingit, quando parentes peccatis enormibus addicti filijs pravo exemplo præeünt, illosque eadem si non verbis saltem factis docent; de quo habes lamentabiles illas minas Ozee. 4. cap. Ozee 4. *Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ.* id est, tam irascor vobis parentibus, vt ne quidem moniturus sim filias vestras, cũ sui obliviscuntur fornicando: sed relinquam eas suis libidinibus, vt hâc ratione magis cruciemini, quandoquidem exemplo vestro peccarunt; quod indicatur his verbis: *Quoniam ipsi cum meretricibus versabantur.* id est, Quia vos relictis filiabus & vxoribus aditis meretrices, cum eisque scortamini, hinc ipsæ exemplo vestro irritatæ, & à vobis derelictæ pari modo & iure, relictis vobis adibunt illæ amasios, hæ adulteros, cum eisque fornicabuntur. Sic olim leguntur Augusti Cæsaris libidines & sordes imitatæ duæ Iuliæ, filia & neptis, quæ proinde probrum illi publicum extiterunt. Vtinam & hodie non esset tanta frequentia scelus hoc parentum imitantium! Simile est, quando ex Superiorum exemplo subditi effrenes in peccata ruunt: *Regis enim ad exemplum totus componitur orbis.* Horum enim exemplum nimiam accendit licentiam, & robur addit etiam in ijs quæ natura horret. Legimus enim 1. Regum 31. armigerum Saülis ad exemplum eius seipsum interemisse, in verbis: *Arripuit Saül gladium suum, & irruit super eum.* Quid inde? *Quod cùm vidisset armiger eius, videlicet quòd mortuus esset Saül, irruit etiam ipse super gladium suum, & mortuus est cum eo.* 1.Reg.31.

4. Verùm nota non semper peccatum scandali committi, cum quis coram alijs peccat, sed tunc solùm, quando probabile periculum est alterum quoque ad peccandum commovendi: sæpè autem evenire solet, peccantem coram alijs tam pravis moribus & malâ famâ laborare; vel aspicientes tam prudentes & in virtute constantes esse, vt nemo eorum, pravo peccantis exemplo moveatur. Item fieri solet, vt præsentes per se ipsos maximè ad peccandum parati & instructi sint, ideoque exemplum alterius ad aliorum peccatum nihil conferat.

5. Tertiò contingit quando aliquis ob alterius peccatũ concipit malam opinio-

opinionem, aut de religione Catholicâ, aut ab eâ recedit; vel etiam idcirco æstimet peccata non esse tam gravia, ac è suggestu audivit ad populum ponderari. Tale fuit peccatum Davidis, 2. Reg. 12. qui blasphemare fecit inimicos Domini, seu minùs affectis in Deum, sive idololatris, sive Hebræis scandalum dedit, & fecit existimari Deum esse iniustum, quòd adulterium & homicidium in ipso probare videretur; eò magis, quòd Saülem Regem ob peccatum inobedientiæ, & quidem, vt videbatur, ob circumstantias in meliorem partem interpretandum, regno privandum declarasset. Tale fuit etiam exemplum filiorum Heli, qui per sua peccata retrahebant populum à sacrificio Domini, 1. Reg. 2.

2. Reg. 12.

1. Reg. 2.

6. Hoc verò peccatum in re gravi Dominus sub mortali prohibuit, Matt. 18. dicens: *Væ mundo à scandalis!* Et, *væ homini per quem venit scandalum.* hoc est, æternam damnationem incurrit. Itidem ex eo quòd adiungat gravem pœnam, quâ docet potiùs quempiam affici debere, quā scādalū committere, in verbis: *Qui scandalizaverit vnum de pusillis istis, qui credunt in me, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Quibus verbis existimat Bernardus Christum significare voluisse, *tam gravia illis in posterum manere tormenta, vt eis comparata mors temporalis, nec pœnalis esse videatur, sed commoda.* Hieron. verò Christum locutum secundum morem Provinciæ: *Quo maiorum, inquit, criminum apud veteres Iudæos pœna fuerit, vt in profundum ligato saxo demergerētur.* Idipsum patet ex punitione Madianitarū quę pellexerāt Hebræos ad libidinē, & idololatriam, quas Nu. loc. cit. cum suis auctoribus sceleris & fraudis bello vlcisci iubet, in verbis: *Hostes vos sentiant Madianitæ; & percutite eos.* Quod factum est per Gedeonem Iud. 7. cap. quem Deus ad hoc deputavit, mirè instruxit, & diversis miraculis confirmavit: ita vt dicat Scriptura de castris Madianitarum, *Omnia castra turbata sunt, & vociferantes, & vlulantes fugerunt: & nihilominus insistebant trecenti viri buccinis personantes. Immisitque Dominus gladium in omnibus castris, & mutuâ se cæde truncabant, fugientes vsque ad Bethsetta, & crepidinem Abelmehula in Tebbath.* Quod ita contigit, vt in castris Israëlitas esse putarent, seque mutuo non agnoscentes, & divinâ quâdam cœcitate ac rabie perculsi in obvios sævirent omnes. Davidi etiam Regi 2. Reg. 12. non pepercit Deus: sed non obstante contritione peccatorum adulterij & homicidij, atque eorumdem absolutione quoad culpam, punivit morte pueri ex adulterio nati; licet ieiunaret & fleret, vt vivere posset vlteriùs; idque iuxta verba Prophetæ loc. citat. *Verumtamen quia blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morietur.* hoc est, quia scandalum commisisti, &c. necesse est vt puniaris pœnâ mortis pueri, vt sic constet scandalum vindicatum, quo fecisti malè de Deo sentire. Sic etiam domum Heli Deus punire voluit pœnâ temporali, eò quòd non compescuisset filios satis magnâ austeritate, quando retrahebant populum à sacrificio Domini. Vnde legitur, 1. Regum 3. dixisse Dominus: *Iuravi domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus vsque in æternū,* id est, certissimo statui decreto, eoq; immutabili, quòd quantūvis Heli pœniteret de peccato neglectæ correptionis, & adhiberet quævis sacrificia, & munera ad pœnalitates tollendas instituta, nihil prorsus ipsum obtenturum, aut me pacandum, sed simpliciter omnia mala temporalia subeūnda esse latiùs deducta 1. Reg. 2. à versu 30. vsque finem. Evidens signum quantùm Deus indignetur de scandalo.

Matt. 18.

Bernard.

Hieronym.

Iudic. 7.

2. Reg. 12.

1. Reg. 3.

1. Reg. 2.

7. Ne quis tamen putaret, quando Deus differt eiusmodi pœnam, ipsum parvi-pendere offensionem alteri datam, Notandum est, quòd Deus ob quasdam rationes aliquando differat in hoc sæculo, & posteà gravius puniat. Hoc enim ostendit Deus in Moabitis, quæ

vt Madianitæ pellexerant & induxerant Hebræos ad eorum concubitum, & idololatriam: quibus aliquamdiu pepercit, partim ob merita Loth. vt dicitur Deutron. 2. in verbis *Tu transibis hodie terminos Moab, vrbem nomine Ar: & accedens in vicina filiorum Ammon, cave ne pugnes contra eos, nec movearis ad prælium: non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon quia filijs Loth dedi eam in possessionem.* id est, non invades terram Moab, quia ob merita Loth volo posteris eius Ammonitidem & Moabitidem cedere: partim ob Ruth ex qua David (fuit enim David pronepos Ruth) & Christus originem erant ducturi. Ruth enim fuit Moabitis, & in Moab nata: vnde antequã nata fuit Ruth, Hebræi non intulerant bella Moabitis, sed postquam nata fuit, & ex Moab migravit ad Iudæos, David Moabitas mirè castigavit & ceci-dit, vt patet 2. Reg. 8: 2. vbi sic dicitur: *Et percussit Moab,* supple David, *& mensus est eos funiculo, coæquans terræ: mensus est autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad vivificandum: factusque est Moab David serviens sub tributo* Id est, Primò stravit David Moabitas, ita vt illorum cadaveribus terram sic constraverit, vt non viderentur extare super terrã, sed illi prorsus coæquata, sicut fruges in area. Vt ergo nos dum terram funiculo metimur, non numeramus glebas: quia longus ille esset, & inutilis labor: sic etiam David quasi pulverem dimensus est Moabitas, aut iam cæsos, & exanimes, aut ita subiectos, vt, quasi mortui essent, mutire non auderent, aut se contra victoris nutum commovere. Vt autem funiculo metimur agros, & varijs illos vsibus destinamus, illos armentorum pabulis, hos serendis frugibus aut vinearum plantationi, & illi quamcumque in sortem dati, neque metatori, neque aratori resistunt: sic etiam strati, & quasi coæquati terræ Moabitæ veluti funiculo subijciebantur mensorio, sive ad mortem essent sive ad servitutem miseram destinati. Deinde divisit David in duas partes, his occisis, eos quos habuit adversarios in Asia: alteram addixit ferro, alteri vivendi facultatem concessit. Hi autem funiculi non erant æquales, vti ex Hebraico textu docent Auctores; & sic maior pars reddita est vectigalis. Rursum quando Deus in hoc mundo non punit, non obliviscetur in extremo iudicio, vt nobis testatum reliquit Propheta Psal. 49. cum ait in Persona Dei: *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum, hæc fecisti, & tacui. Existimasti iniquè, quòd ero tui similis; arguam te, & statuam contra faciem tuam* id est, Quia omnia non statim punio, vt dem locum pœnitentiæ, existimasti quòd iniquus essem, & peccatorum amicus: sed in die iudicij faciam vt videas gravitatem & multitudinem peccatorum, & negare non possis sententiam contra te latam esse iustissimam. Et addit: *Intelligite hæc qui obliviscimini Deum: ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.* q. d. Attendant impij, qui obliviscuntur iudicem esse iustum, & considerent tum nullum fore, qui sontem de manu eius possit eripere.

Deut. 2. | 2. Reg. 8. | Ps. 49.

8. Sed quæres, quandoquidem tantum malum est alteri prædictis modis scandalum præbere; an non liceat saltem alteri parato ad faciendum maius malum consulere minus malum, vt maius malum evitet?

Respondeo difficultatem hîc non esse, quando minus malum non est intrinsecè malum, sed quando res naturâ suâ indifferens est, quam quis benè potest facere, si vult: licet sciatur non nisi malè facturus, v. g. si aliquis me velit occidere, licet mihi illo casu ipsi dicere, Accipe pecunias ne me occidas. ita dixerunt Hierem. 41. decem viri videntes Ismaëlem adversarium Godoliæ, post occisos septuaginta partim Godoliæ adhærentes, superstites, eum paratum & ipsos neci tradere: *Noli occidere nos, quia habemus thesauros in agro frumenti, & hordei, & olei, & mellis,* & sic, *non interfecit eos cum fratribus suis.* Ratio est, quòd non sit intrinsecè malum consulere,

Hier. 41.

sulere, vt accipiendo pecunias quis suæ necessitati subveniat.

Dico secundò illicitum esse parato ad faciendum maius malum, minus naturâ suâ malum consulere, vt abstineat à maiori malo. Ratio est, quòd nemini liceat aliquem inducere vt aliquid faciat, quod ipse non potest benè facere. Et confirmatur. quia ex virtute charitatis nemo potest ad salvandam vitam alterius mentiri: Ergo nec alium inducere vt mentiatur in illum finem.

9. Sed dices in sacra Scriptura obvia sunt exempla; Loth Genes. 19. qui consuluit minus malum, vt maius malum vitaretur, cum dixit Sodomitis, qui volebant cum hospitibus scelus nefandum perpetrare. *Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum: educam eas ad vos, & abutimini eis sicut vobis placuerit, dummodò viris istis nihil mali faciatis.* Et Levit. 19. vbi senex qui hospitio exceperat Levitam cum suâ vxore, volens eam defendere à Gabaonitis, dixit: *Habeo filiam, abutimini eâ.* Quod conforme videtur moribus hominum, qui volentibus committere sodomiam aut stuprum, suadent vt eant potius ad meretrices in lupanari expositas.

Gens. 19.

Levit. 19.

Respondeo nihilominus Loth in eo per se non esse excusabilem. Primò quia filiarum suarum & pudicitiæ, ac consentiendi in actum Venereum periculo, magis consulere & prospicere (vtpote pater) debuit, quam hospitum externorum, esto, ij viri sancti & Prophetæ essent. Secundò, quia non potuit eas maximè non consentientes offerre stupro; quia non erat Dominus corporum, & pudicitiæ earundem. Tertiò quia non licet impedire damnum vnius cum damno alterius, v. g. dicendo alicui latroni volenti spoliare Petrum, spolies Ioannem, de quo non cogitabat: neque suadere volenti adulterium committere cum vxoratâ vt cum certa ac soluta persona fornicetur: Ergo neque Loth Sodomitis de filiabus suis vitiandis: quandoquidem nihil minus erat in votis. Verùm ne interea videamur gravare virum iustum, dico quòd quantumvis hoc per se peccatum sit, multum tamen de peccati gravitate inconsiderationem & turbationem in re tam ancipiti minuisse. anceps enim erat Loth & inops consilij in re tam implexa: volebat enim omni modo hospitum talium, tamq; venerandorum indemnitati, honori, & pudicitiæ consulere, nec alius ei tunc modus occurrit, quàm si pro eis filias suas offerret; quem statim amplexus est, non cogitans, nec advertens se hac ratione iniuriam facere filiabus suis: vt tenent S. August. lib. cont. Mendac. cap. 9. Lyranus, Thomas Anglicus, Tostatus, Lipoman. Perer. eo loci Nec prætermittendum est, quod ait Caietanus, Loth obtulisse filias, animo non redimendi flagitium flagitio, sed placandi hyperbolicâ submissione furentem populum. putabat enim, & rationabiliter (vti rei probavit eventus) quòd populus non acceptaret talem oblationem; sed quòd placatus tantâ submissione ipsius Loth, desisteret à cœpto, & eo rationabilius, quòd filiæ eius iam erant desponsatæ civibus Sodomæ. Sicuti vir aliquis placaturus alium, quem iniuriâ lacessivit, ei pugionem nudum offert, dicendo, Occide me, non animo, vt interficiatur, sed vt tantâ submissione placetur læsus. Adeoque per exaggerationem hæc dicit Loth, perinde ac David dixit 1. Reg. 20. v. 8. *Si est iniquitas in me, tu me interfice, & ad Patrem tuum ne introducas me.* & Iudas Genes. 42. dixit patri suo Iacob: *Duos filios meos interfice, si non reduxero tibi Beniamin.*

August. Lyranus Thomas Anglicus Tostatus Lipoman. Pererius Caietanus

1. Reg. 20

Genes. 42.

Quoad alterum exemplum, dico illud eodem modo excusari posse; aliàs non: cum iuxta Apostolum ad Rom 3. non sint *facienda mala, vt eveniant bona.*

Rom. 3.

10. Dices iterum, Cur ergo locus deputetur publicus in populosis ferè civitatibus ad scortationes? Respondeo id non fieri, quòd minus malum liceat, sed quòd toleretur

impunitum ad maius malum vitandum: adeoque permissivè, non inductivè aut persuasivè.

11. Quæres denique an quid committens, quod speciem mali habeat, eodem peccato teneatur? Respondeo affirmativè. dicit enim Apostolus 1. Thessal. 5. *Ab omni specie mali abstinete vos.* id est, Ne quid agatis, quod mali, id est, peccati speciem præ se ferat, etiamsi per se malum non sit. Quale est, si die prohibito comedas carnes cum dispensatione coram alijs id ignorantibus, vel aliquid aliud facias, quod tibi quidem liceat ex particulari causâ, sed alij nesciant tibi licere. Tale etiam est, cum quis suspectas fœminas frequentat, & temporis prætereundi ac animi gratiâ cum illis dicit se sermones miscere. Rursum si quis cum muliere sive coniugatâ sive solutâ absque arbitris recessus petit; hinc enim domesticis alijsque datur occasio scandali.

1. Thes. 5.

12. At dices: hæc sæculares non ita apprehendunt, imò si de eo moneantur, Deum iudicem suarum actionum declarant hominumque se iudicia flocci pendere. Profectò non ita Christus; sed *væ homini per quem scandalum venit.* Audi quàm pulchrè imò quam verè hâc de re moneat Hieronym. epist. ad Ageruchiam: *Fuge*, inquit, *personas, in quibus potest mala conversationis esse suspicio, nec paratum habeas illud è trivio, sufficit mihi conscientia mea, non curo quid de me loquantur homines. & certè Apostolus providebat bona, non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus; ne per illum nomen Dei blasphemaretur in Gentibus: habebat vtique potestatem sororem mulierem circumducendi, sed nolebat se iudicari ab infideli conscientiâ.* Quod dicit Hieronymus tale est, Imitare Apostolum, qui non solùm docuit alios itâ honestè, amicè, iustè & sanctè vivere, vt vita eorum & conversatio bona & amicabilis non tãtùm Deo, sed & hominibus probaretur, nec à quoquam iure culpari posset: sed cæteris in exemplum virtutis luceret & præfulgeret; quemadmodum videre est Rom. 12. in verbis: *Providentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus: Deo enim debemus*, vt ait Bernardus, *conscientiam, proximo famam.* Verùm etiam ne quis putaret se postulatas pecunias pro pauperibus Hierosolymitanis ad privatos vsus colligere (quia solet magna pecuniarum vis obnoxia esse fraudis suspicioni, quod ex tanta copia facilè clam multa demi possent, vt nemo sciret, vel perséntisceret) dicit se misisse Titum & Lucam ad eleemosynas tam largas colligendas: *Devitantes*, inquit, *ne quis nos vituperet in hâc plenitudine, providemus enim bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus* q. d. Procuro & satago honestè agere non tantùm coram Deo, sed & coram hominibus, ne homines etiam suspicaces occasionem habeant aliquid mali, vel inhonesti de me suspicandi. Quapropter vt iustè & honestè me hanc collectam administrare ostendam, testes mihi adscisco Titum, & Lucam, illis pecuniam bursamque committo, ego eam tractare nolo: Vt enim verè dixit Augustinus serm. 49. de Diversis inter additos à Lovaniensibus: *Qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est in proximum.* ita Paulus aliorum consulere idcirco voluit saluti. Rursùm imitare eundem qui 1. Corinth. 9. inter alia causâ promovendæ salutis aliorum, dicit se abstinuisse à muliere circumducendâ, supple divite, quæ videlicet ipsi vitę necessaria subministraret, vt securiùs & expeditiùs Euangelio vacaret. Quod tamen cœteri Apostoli & fratres Domini, ac Petrus faciebant, imitati exemplum Salvatoris nostri, qui permittebat divites aliquot fœminas comites, quę eũ sequebantur iuxta illud Luc. 8. *Mulieres aliquæ ministrabant ei de facultatibus suis*, ait enim Paulus: *Numquid non habemus potestatẽ mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* q. d. Possem matronam, quę me aleret, circumducere, æquè ac Petrus, sed nolo: quia scilicet hæc

Hieron. Rom. 12. 1. Cor. 9. Rom. 12. Bernardus. 2. Cor. 8. August. 1. Cor. 9. Luc. 8.

res

res Gentiles, quorum sum Apostolus, offendere, eisque malam suspicionem indere posset inopinabile enim erat apud illos mulierem passim circumducere, & non tangere. Libet hoc confirmare testimonio Hieronymi, qui ad illud cap. 27. Matthæi *Erant autem ibi mulieres, quæ secutæ fuerant Iesum à Galilæâ ministrantes ei*, sic ait: *Consuetudinis Iudaicæ fuit: nec ducebatur in culpam, more gentis antiquo, ut mulieres de substantiâ suâ victum atque vestitum præceptoribus ministrarent. Hoc quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulus se abiecisse memorat.* Vtinam hæc magis perpenderent sæculares, non ita indignationem Dei incurrerent! Novi ego quos monui, etiam auctoritatem allegans Archipræsulis mei, & sese excusantes subitò postmodum correptos in alienis ædibus, vbi scandali occasio, & ambiguâ absolutione sacerdotis ob incertam dispositionem peccantium, subitò è medio sublatos.

Hieronym.

Discursus X.

PRÆVIVS.

De Scandalo iterum.

An videlicet aliqua omittenda sint ratione scandali aliorum?

Matt. 18.



CHristus Dominus Matth. 18. cap. *Væ mundo à scandalis!* Quibus verbis gravitatem scandali insinuat, & quia varijs modis in hâc meteriâ peccari potest, inquiram quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam prænotandum est triplex esse scandalum, videlicet activum, de quo iam dixi, secundò passivũ seu ex infirmitate, quod aliàs vocatur pusillorum, iuxta illud Matth. 18. *Ne contemnatis vnum ex pusillis his.* Tertiò ex malitiâ, quod aliàs vocatur Pharisæorum: quia illi ex pravitate & malignitate sæpè offendebantur in operibus Christi.

Matth. 18

2. His positis, dico primò, nunquam licere alicui ob vllam causam quid facere ex intentione, vt proximus inducatur in peccatum.

3. Dico secundò, licet ordinariè opera, quæ sine peccato mortali omitti non possunt, pro vitando scandalo non sint omittenda, vt loquitur Innocentius Tertius cap. 2. de novi operis denuntiatione: tamen quædam præcepta divina iuris naturæ affirmativa, quandoque desinere obligare; cum videlicet nequeunt sine scandalo pusillorum impleri. Sic punitio peccati omittẽda est, quando inde timeretur scandalum scismatis. Et ratio est, quòd præceptum affirmativum charitatis de impediendo scandalo proximi maius sit, quàm præceptum iustitiæ vindicativæ de puniendo. Similiter sæpè non obligat actu docere veritatem, iuxta illud Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus, neque margaritas vestras spargatis ante porcos, ne conversi disrumpant vos.* id est, Nolite mysteria fidei fidelibus aut infidelibus communicare, qui tantùm contemnunt ea vt canes, nihil inter sanctum & profanum discernentes; aut non solùm contemnunt, sed insuper irritantur, & magis nocent vt porci. Adeoque docet Christus subinde, quando nulla spes est vtilitatis, aut timor etiam certus damni prędicandum non esse: ne non solùm operæ pretium, sed etiam ipsa opera perdatur. Quod intelligit de aliquibus particularibus auditoribus: nam Euangelium per se iussit Christus prædi-

Matth 7.

Marc. 16. prædicari omni creaturæ, Marc. 16. quandoquidem enim omnibus ad salutem est necessarium, omnibus est sine personarum exceptione prædicandum. Exemplis quod dixi fiet clarius: Christus Dominus Ioan. 16. Ioan. 16. dixit Apostolis: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.* 1. Cor. 3. Sic Paulus 1. Cor. 33: 1. & 2. queritur se nō potuisse Corinthijs tamquam spiritualibus, sed tanquam carnalibus loqui, & vt parvulis in Christo lac, non solidum dedisse cibum. Hebr. 5. Sic ad Hebræos 5. 12. scribit: *Cùm deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis, vt doceamini, quæ sint elementa sermonum Dei, & facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo.* Sic Act. 16. Paulus, & Timotheus prohibentur à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asiâ, quia non erant auditores recepturi. Act. 16. 6. Sic Antiochenis) quia non modò verbum Dei non recipiebant sed pedibus etiam conculcabant, id est, convitijs afficiebant, & conversi Apostolos discerpere conabantur, id est, mortis illis periculum, concitato populo, creabant) Paulus & Barnabas dicunt, *Vobis quidem primùm oportebat loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ: ecce* Act. 13. *convertimur ad gentes.* Actor. 13. 46. Tertiò sic fraterna correptio omittenda est, licet sit præceptum naturæ, quando ex eâ timetur maior perturbatio & scandalum.

4. Ex his sequitur multò minus obligare hoc casu præcepta divina positiva, & conformiter præcepta positiva humana, veluti audire Missam, ieiunare &c. Verbi g. debet se mulier semel aut iterum, non tamen longo tempore, & magnâ cum difficultate domi continere, si sciat ex suo foras prodeuntis aspectu, adolescentem ob infirmitatem vel ignorantiam scādalum passurum. Quod intellige si alicui particulari personę ob specialem eius dispositionem ruina spiritualis timeatur. Dico alicui particulari personæ, Nam alioquin propter timorem scandali absolutè, fore videlicet, vnum, vel plures è Communitate, qui eâ occasione lapsum patientur, non sunt omittenda opera alioquin vtilia, si nec in se mala sint, neque speciem mali habeant. Simili modo debet coniugata intermittere ieiunium præceptum, si intelligat maritum ægrè laturum, & occasionem gravis dissidij ex ignorantiâ vel infirmitate accepturum. Ratio est, quia concurrente duplici præcepto, vno legis naturalis de impediendâ spirituali ruinâ proximi; altero positivo, de ieiunando; maius & fortius est naturale. Conformiter tenetur quis differre ad tempus opera non necessaria ad salutem, ad vitandum scandalum infirmorum, v.g. ingressum religionis: vt si aliqui in seculo auctoritate & conversatione alicuius gravis & pij viri in officio continerentur, lapsuri alioquin in gravia peccata ob eius discessum.

5. Sed quæres an omittendum etiam sit opus indifferens, seu naturâ suâ ad alterius ruinam non ordinatum: ex quo tamē alter occasionem ruinæ accepit ratione suæ infirmitatis. Respondeo affirmativè: ait enim Apostolus ad Romanos 14. Rom. 14. *Non ergo amplius invicem iudicemus, sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.* Ad cuius rei intelligentiam nota, Iudæos aliquos conversos ad Christum putasse secundum legem veterem adhuc abstinendum esse cibis lege vetitis, & idolothytis, id est, cibis, qui idolis fuerant oblati: idque ex errore, vel quia nondum erant in fide satis instructi; vel certè, quia ab antiqua gentilitiâ persuasione de idolis, & idolothytis quasi sacris, & quid numinis habentibus, aut à Iudaicâ observantiâ, & consuetudine ægrè avocari poterant: vnde & alios contra eam facientes damnabant. Alij verò in fide Christianâ perfecti, & plenè edocti contrarium tenebant, & intrepidè faciebant, maximè Gentiles, qui Iudæis, & Iudaicæ abstinentiæ libertatem Euangelicam opponebant. Sicque, hi contra Iudæos sæpè altercabantur

dę hac

de hac abstinentiâ, déque esu libero; atque liberè comedendo quoslibet cibos, etiam lege Moysaicâ vetitos, Iudæos scandalizabant: Iudæi contrà eos iudicabant, & damnabant, quasi qui iniquè cōtra legem agerent, & cum idolis adhuc communionem haberent Hinc monet vtrosque Apostolus, & vult vt perfectiores infirmos foveant, veritatem & libertatem Christianam edoceant, & neutros esse iudicandos: verùm hoc sedulò agendum, vt ab vtrâque parte caveatur scandalum, licet in se indifferens esset eiusmodi cibis vesci.

6. Sed dices: Quid ad me, quòd aliquis ex tali facto meo scandalizetur? Hoc tribuat ineptiæ suæ. Certè non ita respondet Christus, sed *videte ne contemnatis vnum ex pusillis his.* Et paulò antè: *Qui autem scandalizaverit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Et Apostolus ad Rom. 14. *Si propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, propter quem Christus mortuus est* q. d. Si frater tuus existimat cibum esse communem, & vitandum, & tu tamen eum comedis, indeque fratrem contristas & scandalizas, peccas contra charitatem: Provocas enim illum, vt contra conscientiam eundem cibum comedat; vt vel hoc tuo scandalo offensus, à te & à tuâ fide ac religione resiliat, & redeat ad pristinum suum iudaismum vel gentilismum. Et 1. ad Cor 8. *Peribit infirmus in tuâ scientiâ frater, propter quem Christus mortuus est?* addens: *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* id est, Sic scandalizantes, & per scandalum vulnerantes, Christo iniuriam facitis. Christus enim sibi factum arrogat, quod vni ex minimis suis factum fuerit, Matth. 25. v. 4. Rursum qui scandalizant proximum, in Christum peccant, quia frabricam, puta proximorum probitatem & salutem, quam Christus suo sanguine extruxit, malo suo exemplo destruunt & evertunt. Vnde acutè & notavit Chrysostomus, *Neque*, inquit, *scandalizantes sed percutientes* dixit *vt verbi significantia similitudinem* in margine crudelitatem *ostenderet. Quid enim homine inhumanius excogitari potest qui ægrotum verberat?*

Idem Chrysostomus hom. 20. in 1. ad Corinth. *Vltima*, inquit, *amentia est, quæ Christo pretiosissima sunt, & talia vt eorum gratiâ mortem obire non recusaverit, ita nos despicatissima arbitrari, vt ab escis propter ea non abstineamus. Hæc autem non ad illos tantùm, sed ad nos tempus esset vt dicerentur, qui proximi salutem despicimus, & illa sathanæ verba proferimus. Dicere enim quid mihi curandum est, si ille scandalizatur, & ille perit? crudelitatis illius & inhumanitatis est. Neque mihi dixeris illum calceorum sutorem esse, alterum coriarium, statuarium verò alium, sed considera fidelem illum esse, & fratrem. Illorum namque sumus discipuli piscatorum, publicanorum, tentoriorum, opificum. Christus autem in fabrili domo educatus est, & fabri sponsam matrem habere non est dedignatus.* Animam habet, & sutor, & sartor, quam vel ædificatus salvet, vel scandalizatus perdat. Non est gratis præbendum offendiculum, vt spiritualiter cadat, vel quod moveat ad ruinam. Hac de causâ D. Paulus ibidem dicit: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrē meum scandalizem.* Super quæ verba Chrys. serm. contra Concubinarios: *Non disputat*, supple Paulus, *talia more nostro. Non enim dicit, Quare sunt tam infirmi; quare tam stupidi? quare affectiones illas admittunt? Sed eâ de causâ potissimum ipsis parcit, quia ob rationis penuriam ita se habent, & ita infirmi sunt. Dic enim mihi, qualem ille rationabilem prætextum dicere potest, qui scandalizatur in comedente carnem & bibente vinum? An non hanc nobis legem Deus ipse permittit? Veruntamen in his, si scandalizetur aliquis, Paulus abstinet: Numquam enim comedam, inquit, vt ne scandalizem fratrem: & non dixit, sicut nos: Subijciendusne ego alienæ insipientiæ? num quia alicui simpliciori videtur esse* scan-

Rom. 14. 1. Cor. 8. Matt. 25. Chrysost. Chrysost. 1. Cor. 8. Chrysost.

scandalum, egone dignus, qui supplicium luam? Quamvis si etiam dixisset, multò tamen iustius dixisset quàm nos. Nam qui in illis scandalizatur, insensatus est, & valdè insipiens. Verum in his ipse multas iustas & dignas causas, quas dicere habet. At multò iustiores dixisset Paulus, siquidem dicere voluisset: at non dixit, sed ad vnum solum spectavit, nempe salutem proximi. Et vide eminentiam. Non enim dixit semel aut bis, vel tanto, aut tanto, tempore: sed in aeternum, ait, non comedam, si scandalizetur alius.

Ex his liquet manifestum esse, nemini, quantumvis docto, etiam ob bonum finem, videlicet, vt confutet errores Hæreticorum, licere eorum conciones audire, si alij in eo scandalizantur, quamvis etiam periculum subversionis absit. Similiter non licere vesci carnibus in partibus Hæreticorum, licet ad servandam vitam cum aliorum scandalo, etiamsi per se liceret: quia Ecclesia non indixit certis diebus abstinentiam carnis ad discernendos Catholicos ab Hæreticis, sed ad castigandam carnem eiusque concupiscentiam refrænandam.

6. Quæres iterum, An ob scandalum Pharisaicum, sive ex malitia aliquid omittendum sit. Respondeo, vel est tale, quod sine peccato omitti non possit; vel è contra, quod sine peccato omitti potest; vel etiam quod sine iactura spirituali, sed cum aliquali detrimento temporali, vitari potest. Si prius, nullâ ratione licet: quia necessaria ad salutem non sunt omittenda ob scandalum ex malitia: nec veritas dissimulanda est ob incredulorum scandala. Patet exemplo Christi, qui Ioan. 6. dum multi ex Discipulis audientes scandalizarentur, quòd diceret carnem suam manducatam dare posse vitam æternam, ac superare manna datum patribus, & in cibum sufficientem datum; quin etiam carnem suam manducandam & sanguinem suum bibendum sensibiliter, in verbis: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire*, ideo non destitit: sed *sciens apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem, vbi erat prius.* quod idem est ac si dicat, Scandalizamini, quia dixi me daturum carnem meam in cibum vitæ æternæ, visúsque sum vobis id facere non posse, nec carnem meam id efficere valere; quid igitur dicturi estis, cùm videritis hunc filium hominis, vbi erat priùs? id est, cùm meam divinitatem cógnoveritis, & hanc carnem divinitati vnitam esse intellexeritis; vtique tunc non me aliquid, quod fieri nequeat, dixisse cognoscetis: maius enim est carnem meam vnitam esse divinitati, quàm cibum esse vitæ æternæ: immò, cùm vnita sit divinitati, non mirum est, si cibus esse possit toti mundo, & cibus quidem vitæ æternæ. Itaque ex suo ad cœlos ascensu, vbi priùs erat, suam ostendit divinitatem, carnemque illam vnitam divinitati, vt credant eam effectricem esse æternæ & cœlestis vitæ, quippe quæ vnita est divinitati, & ad cœlos ascensura erat: qui enim potuit carnem efficere suam deiferam, & cœlestem, vt quæ terrena erat ad cœlos ascenderet; potuit etiam efficere, vt cibus esset cœlestis, & vitæ æternæ. Apertè se Deum profitetur & carni vnitum, & in cœlis existentem, vt se omnia facere posse ostendat. Et tum subiungit: *Spiritus est, qui vivificat; caro non prodest quidquam.* id est, Spiritus est, qui hanc vitam tribuit, non caro sola: caro ex se non prodest ad hanc vitam æternam dandam; at spiritus & divinitas, cui caro hæc vnita est, ipsa est, cuius ratione caro est effectrix vitæ. Spiritum appellat divinitatem carni vnitam, seu carnem vnitam divinitati: carnem autem solam per se vocat carnem, qualem isti intelligebant; hæc autem non prodest ad æternam vitam, sed vnita divinitati prodest ad vitam; nam, *Spiritus est, qui vivificat*, per eam. Quibus verbis removet illud secundum, in quo scandalum isti patiebantur; nam carnem Christi puram, vt cæterorum hominum arbitrantes, non solùm

lũm vitam nõ posse dare credebant, sed sensibiliter & carnaliter manducandam putabant.

Si secundum: dico similiter eiusmodi offensionem non esse curandam, vti constat etiam exemplo Christi, qui Matt. 15. docuit non curandos esse Pharisæos, qui scandalizabantur eò quòd Christus dixerat: *Quod intrat per os non coinquinat hominem*, volentes eum docere cibos in lege vetitos à Deo, non officere homini: cùm tamen illud non intenderet, sed enervare traditionem ipsorum de manducãdo illotis manibus, vt patet ex contextu: vbi sic aggrediebantur Christum: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum: non enim lavant manus suas, cùm panem manducant.* Ad quod primò respondit Salvator noster: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? &c.* & ipsis hinc reprehensis dixit ad turbas: *Audite & intelligite, non quod intrat in os coninquinat hominem; sed quod procedit ex ore coinquinat hominem*: quod idem est ac si diceret, Quòd sordidis manibus quis cibum comedat, non coinquinat animam, sed maligna & calumniatoria verba sunt, quę animam commaculant; non enim ciborũ delectum prohibebat, qui in magnâ religione erat apud Iudæos, ita vt etiam post resurrectionẽ Petrus cibis lege vetitis vesci recusaret, Act. 11; sed eorum voluit taxare pravitatem, vt dixi. At discipuli id audientes dixerunt, *Scis, quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt?* quibus respondit Christus: *Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus cælestis, eradicabitur; sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* q. d. Omnis doctrina, quæ à Deo non est profecta, sed vel à dæmone, vel ab inventione humani cordis, destruenda & evellenda est euangelicâ prædicatione, & consequenter Pharisaicæ traditiones sic sunt eradicandæ: nec ob eorum scandalum cessandum est à veritatis prædicatione, quâ eorum traditiones destruantur. Vel rursus hi Pharisæi reijcientur à Deo tanquam inutiles, & desperatæ plantæ in perditionem æternam: adeóque indignum est, magnam rationem habere offensionis, & scandali eorum. Quid enim oportet curare, ne illi scandalizentur & impingant, qui etiam sunt eradicandi? *Sinite eos, cæci sunt & duces cæcorum.* Et ratio est, quòd ex malitia scandalum accipiens non laborat aliquâ necessitate spirituali, cui non possit ipse facilè prospicere mutando suam pravam voluntatem.

Matt. 15.

Act. 11.

Sic Tertullianus suo tempore dixit virgines Dei, seu Deo sacratas non debere deponere velamen, licet quædam virgines sæculares in eo scandalizarentur, illudque detraherent. Sic enim ait lib. de Virginib velandis, cap. 3. *Ambiunt virgines hominum adversus virgines Dei, nudâ planè fronte temerariè audaciam excitatæ. Et virgines videntur quæ aliquid à viris petere possunt, nedum tale factum, vt scilicet æmulæ earum tanto magis liberè, quanto Christi solius ancillæ, dedantur illis. Scandalizamur, inquiunt, quia aliter aliæ incedunt: & malunt scandalizari, quàm provocari. Scandalum, nisi fallor, non bonæ rei, sed malæ exemplum est, ædificans ad delictum. Bonæ res neminem scandalizant, nisi malam mentem. Si bonum est modestia, verecundia, fastidium gloriæ, soli Deo captans placere: agnoscant malum suum, quæ de tali bono scandalizantur. Quid enim si & incontinentes dicant se à continentibus scandalizari, continentia revocanda est?* q. d. Agant illæ ex pravâ consuetudine contra Apostolum, quod lubet & non licet, vos tamen nullâ ratione debetis velamen deserere, etiam ab illis detractum.

Addo neminem etiam teneri vitare illorum scandalum cum gravi detrimento temporali, nisi salus populi inde dependeret, hoc est, nisi propter bona temporalia subditi in hæresi, aut alijs flagitijs detinerentur. *Vnde*, inquit Caietan. *si princeps aliquis potiùs induceret populũ in infidelitatem, aut in eâ retineret, quàm pateretur sibi auferri bona temporalia, quæ Ecclesiæ vel alicui alteri Principi iniustè eripuit (vt Ieroboã fecit in populo Israël, ne perderet regnũ) dimittẽda essent bona eiusmodi temporalia, non pro-* Caietan.

Ccc pter

pter Principem, sed propter populi salutem.

8. Si tertium, nempe si quis possit vitare scandalum ex malitiâ, absque vllo incommodo spirituali, sed cum aliquali detrimento temporali, dico rectè eum facturum, si ob alterius salutem aliquam iacturam temporalem subeat. Probatur idipsum exemplo Christi, qui Matth. 17. cum non teneretur solvere didragma, illud nihilominus solvit, ne scandalizaret Publicanos. Prior pars nempe non fuisse obligatum patet, quia Publicanis petentibus à Petro vt Christus didragma solveret, Christus hâc interrogatione Petrum prævenit: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filijs suis, an ab alienis? & ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Iesus: ergo liberi sunt filij.* Quibus verbis Christus à minori ad maius argumentabatur, iuxta Chrysostomum. q. d. Si filij Regis terreni illi tributum non debent: ego qui Dei Regis Regum filius sum, nulli Regi debeo. Altera pars constat, quia subiungit: *Vt autem eos non scandalizemus, vade ad mare, & mitte hamū; & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle; & aperto ore eius, invenies staterem, illum sumens da eis pro me & te.* Quo loco dicit Maldonatus, quòd *gloria Dei hic postulat, vt cùm facilè posset solvere tributum, Publicanos non offenderet, & malevolis Iudæis criminandi occasionem non daret: nam & cum semper tributum solvisset, tamen accusatus est postea, quòd tributa Cæsari solvere prohiberet,* Luc. 23. Et ratio est, quòd peccans ex malitiâ etiam sit in qualicunque necessitate spirituali, quomodocumque id eveniat.

Maldon.

Luc. 23.

9. His discussis dices, cur scandalum seu ruinam proximi, quam quis non intendit, tantopere exaggeret Scriptura; cùm peccatum debeat esse voluntarium; & scandalum sit necessarium, iuxta dictum Christi loco Matthæi citato, *Necesse est vt eveniant scandala?*

Respondeo ad primum, scandalum esse voluntarium saltem in causâ: quia videlicet ex similibus factis sequitur alios scādalizari. Simili res fiet clarior. Est aliquis qui nullâ ratione vult, neque intendit committere peccatum luxuriæ: si tamen largiter bibat, etiam vsque ad ebrietatem, solet communiter fornicari. hic etiamsi vsu rationis sit privatus, neque antea intenderit fornicationem, nihilominus ei reputatur in culpam. Et ratio est, quòd illa fornicatio fuerit voluntaria in causâ: sic est in hoc facto, ex quo non intendis alterius ruinam; sed tamen ex eo communiter sequitur.

Ad secundum, varias necessitates apud Theologos recenseri; videlicet necessitatem medij, qualis est fides in Christum; necessitatem præcepti, qualis est confessio, & communio; necessitatem probationis ad aliorum bonum & exemplum, de quâ dixit Angelus Tobiæ: *Quia acceptus eras Deo, necesse erat, vt tentatio probaret te*, nempe ad bonum aliorum; necessitatem finis, de quâ dicit Apostolus 1. Corint. 11. *Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant.* hoc est, vtile est, expediens est, vt divinitùs permittantur scandala, vt ex illis, sicut ex omnibus malis meliora eliciat Dominus: denique necessitatem ex presuppositione, id est, spectatâ hominum inconstantiâ, superbiâ, & malitiâ, qui à peccatis cavere sibi nolunt. Quod D. Thomas 2. 2. q. 43. à 2. hâc similitudine illustrat. *Sicut enim si aliquis medicus videns aliquos indebitâ diæta vtentes, dicat: Necesse est tales infirmari: quod intelligengendum est sub hâc conditione, si diætam non mutent: & similiter necesse est evenire scandala, si homines conversationem malam non mutent.*

1. Cor. 11.

D. Thomas

Hinc exploratum est, neminem posse prætendere excusationem, neque ex illa necessitate, neque etiam quòd ab alijs inductus sit, vt patet exemplo Evæ & Adami, quibus nihil profuit respectivè dicere, *Serpens decepit me & comedi, & mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi.* Exemplo etiam Hebræorum, quos Madianitæ pellexerant in suam concupiscentiam. nam propterea ad viginti quatuor millia hominum, partim suspensi

suspensi sunt à Moyse, partim à Deo
Num. 25. occisi, vt patet Numer. 25. Neque
Bernardus. excusat scandala sequentem præceptum superioris, vt quidam apud S. Bernardum epist. 7. dicebat: *Ille viderit cui mihi contradicere fas non erat: non est discipulus supra Magistrum, docendus, non docturus eius lateri adhærebam, sequi debui non præire præceptorem auditor.* Quem D. Bernard. aliter instrués, docensque in rebus purè malis non esse obediendum sic aggreditur: *Videbas dispergentem, & sequebaris? scandala dictantem audiebas, & obsequebaris? vera patientia est, pati vel agere contra quod libeat, sed non præter quod liceat. Mirum verò quòd hominem audiebas furtivè susurrantem, Deum non audiebas apertè clamantem, tali quali cælitus emisso tonitru: Væ homini per quem scandalum venit! Non tantum autem Dominus, sed & sanguis illius clamore nihilominus vehementi (surdus licet) terribiliter irrugiebat. Clamor eius, eius effusio. Effusus quippe pro dispersis filiis Dei, vt eos congregaret in vnum, iustè fremebat in dispersores, qui non novit, nisi colligere.* Et nonnihil post: *Dic quæso, si dato in manu gladio suum te armari iussisset in iugulum, acquievisses? Aut si te tuo voluisset impulsu in ignem, vel in aquam præcipitem dari, obtemperasses? Nonne etiam ab his non prohibere, cùm possis, in crimen tibi reputatur homicidij? Age ergo, vide ne fortè sub prætextu obedientiæ in quippiam eo gravius inservieris.*

10. Quæres vlterius, an quis teneatur ex scandalo lapsum restituere?

Respondeo primò, omnes teneri ex lege charitatis, saltem in necessitate tales retrahere à vitijs, quia, vt ait Sapiens Eccles. 17. *vnicuique Deus mandavit de proximo suo*, vt latiùs patet ex præcepto de correptione fraternâ: ergo magis, qui alij fuit causa ruinæ. Eccles. 17.

Dico secundò superiores qui ex officio tenentur promovere bonum spirituale suorum subditorum, obligari ex lege iustitiæ curare eorum emendationem, quos induxerunt ad peccatum. Et ratio in promptu est, quòd magis teneantur illos promovere ad bonum.

Dico tertiò, illum qui proximum induxit ad peccandum per vim, fraudem, metum, mendacium, obligari ex iustitiâ retrahere illum, quantùm potest, auferendo vim, fraudem, metum, & curando quantùm valet vt emendetur: quia vbi intercedit iniuria debet ex iustitiâ aboleri.

Dico quartò, eum qui retraxit cum dolo & fraude novitium vel volentem ingredi religionem, præter peccatum mortale, obligari ex iustitiâ eum restituere, qui vim passus est, in primam libertatem docendo veritatem, & revocando falsum consilium, si mendacijs vsus est ad inducendum illum ad egressum.

Verùm nota, si fœmina sit, quæ hoc modo retrahitur ab ingressu vltra peccatum incurrere excommunicationem, ex Tridentino sess. 23. cap. 18. Trident.
de Reformatione.

Discursus. I.

In ipsum quartum Præceptum.

De honore & amore parentibus exhibendis.

Eccle. 3.  SApiens Ecclesiast. 3. cap. dicit *Qui timet Dominum honorat parentes.* Honor autem parentibus exhibendus consistit in quatuor, videlicet, reverentiâ, amore, obedientiâ, & sustentatione. Hinc quæram quam reverentiam & amorem filij ex hoc præcepto parentibus debeant.

1. Rectè Sapiens coniunxit timere Deum, & honorare parentes. Nam sic est institutus Decalogus, vt doceantur homines primò quomodò erga Deum, secundò quomodò erga proximum se gerere debeant, de quo posteriori quædam generalia documenta præfixi; iam verò ad particulares proximos descendo, inter quos primum locum habent parentes, qui sunt particulare nostri principium, sicut Deus vniversale omnium, quosque post Deum primò honorare præcipimur. Cyrill. Alexand. Vnde rectè Cyrillus Alexandr. lib. 4. in Genes. *Qui rectam viam sequi voluerint, mirum in modum proficient, si didicerint nullam rem excellentiorem fore, quàm pietatem filiorum; obseruantiamque in suos parentes.* Et paucis interiectis: *Quòd autem parentes res sanctissima inter omnes nationes habeatur, lex quoque divina planè docebit: quæ cùm iussisset Deum vnum, ex toto animo, totoque corde oportere diligere, hoc etiam addidit: Honora patrem tuum & matrem tuam, vt benè tibi sit, sisque longævus super terram. Parentes enim imaginem Dei quodammodò gerunt.*

2. Hoc autem Præceptum est affirmativum includens negativum. Hinc Ambrosius lib. 8. in Lucam tra- Ambros. ctans illa verba, *Honora patrem tuum & matrem*: *Benè*, inquit, *lex, quæ præmiserat, Diliges Dominum Deum tuum, & diliges proximum sicut teipsum, subiecit, honora patrem tuum & matrem tuam. Primus enim gradus iste pietatis est, vt quos auctores tibi voluit esse Deus, honores obsequijs, abstineas à contumelijs, quia ne vultu quidem lædenda est pietas parentum.* Quatenus verò affirmativum est, requirit honorem internum & externum erga parentes, iuxta illud Tobiæ Tob. 4. 4. cap. monitum seriò filio inculcatum, in verbis: *Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo quasi fundamentum construe* &c. *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius.* & illud Ecclesiast. 3. in initio cita- Eccles. 3. tum. *Qui timet Dominum, honorat parentes.* Hoc natura omnes docuit vsquè adeò, vt etiam in dignitate constituti, & supra parentes ad honorem elevati agnoverint hoc sibi incumbere. Patet in Iosepho, qui Genes. 46. patri venienti in Ægyptum curru suo ascendit obviam, Genes. 46. *vidensque eum, irruit super collum eius, & inter amplexus flevit*, licet honore & amplitudine Regi esset proximus, & Genes. 48. *adoravit pronus in* Genes. 48. *terram*, supple, patrem, illi se reverenter incurvando. & 3. Regum 2. 3. Reg. 2. vbi similiter egit Salamon matri advenienti assurgens, eamque adorans, iussit ei poni solium ad dexteram suam, vt indicant hæc verba: *Venit ergo Bethsabee ad Regem Salamonem, vt loqueretur ei pro Adoniâ: & surrexit Rex in occursum eius, adoravitque eam, & sedit super thronum suum: positusque est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram eius.* Sic etiam Thomas Morus Angliæ Cancellarius existens, flexis genibus

genibus à patre suo benedictionem petebat. Alphonsus Arag. Rex patri Ferdinando obviam progressus equo desilijt, ac pedibus comitabatur, monenti autem patri, aliorum procerum more equo conscenso adequitaret, respondit: *Alijs liberum sit agere quod voluerint, ego nunquam adducar quin patrem, quin Regem, & eum ægrotum, pedibus sequar.* testis est Panormit.

3. Id autem obligare certum est, nisi parentes iuri suo renuntient tacitè vel expressè consentiendo, vt filius neutraliter se habeat, quando ex eo damnum notabile in vitâ, vel in honore, vel pecuniâ pateretur: dicit enim Sapiens Proverb. 19. *Qui affligit patrem, & fugit matrem, ignominiosus erit, & infelix.* Illustre est exemplum Benedicti XI. qui ex paupere creatus Pontifex, cùm matrem à matronis Romanis splendidiori cultu ornatam ad se venientem videret, dissimulavit se eam agnoscere, ac monitus adesse matrem: *Egone* ait, *matrem tam specioso amictu esse credam? non agnosco, matrem enim & pauperem scio & ignobilem.* Exuit ergo ipsa vestes sericas, ac suas pannosas induit, tum Pontifex eam amplexatus: *Hoc habitu,* inquit, *matrem reliqui, & talem libenter agnosco, recipioq;.* Si quis verò facto honorem parentũ violaverit, indignationem Dei incurrit, gravibusque pœnis se subijcit, vt patet exemplo Cam filij Noë, qui propter irrisionẽ patris punitus fuit in Chanaan filio, dum eius posteri Chananæi servitute, & vastitate à Iosue & Hebręis, qui fuerũt posteri Sem, mulctati sunt, vt ait S. Ambros. lib. de Arcâ Noë c. 28. quod prophetaverat anteà Noë, vt habetur Gen. 9. in verbis: *Evigilans autẽ Noë ex vino, cùm didicisset, quæ fecerat ei filius suus minor, ait: maledictus Chanaan servus servorum erit fratribus suis.* Item exemplo Ruben filij Iacob, cui prædixit pater cum incestasset vnam de concubinis eius, quòd non cresceret numero prolium & nepotum, nec etiam excellentiâ, opibus, & gloriâ Genes. 49. dum ait: *Effusus es sicut aqua, non crescas; quia ascendisti cubile patris tui & maculasti stratum eius.*

Prov. 19. Ambros. Gens. 9. Genes. 49.

4. Quantum autem ad negativum, dicit Ambrosius loc. cit. necesse esse abstinere à contumelijs, *quia ne vultu quidem lædenda est pietas parentum.* Hinc certum est filios peccare mortaliter, qui parentes verbis contumeliosis animo deliberato afficiunt, aut probris aut vitijs lacerant, & eos ad iracundiam notabilem provocant. Probatur Exod. 21. & Levit. 20. vbi dicitur: *Qui maledixerit patri aut matri morte moriatur. Patri matrique qui maledixerit sanguis sit super eum.* id est, suâ culpâ pereat, & morte moriatur per iudicis sententiam. Adeóque filij iniuriosi in parentes, & nomine furis, nebulonis, meretricis, aut simili eos compellantes, reatum æternæ damnationis incurrunt. Similiter qui accusant parentes alicuius criminis, quamvis veri, nisi in crimine hæresis, & læsæ Maiestatis. Idque aliqui limitant tantùm habere locum, quando pater esset disseminator hæresis, & alios inficeret, quamvis hoc non sit certum. Et in crimine læsæ Maiestatis solummodo ante factum, & non post. Atque aliàs certum est, si horum reus non pereat per sententiam Iudicis, Deum eiusmodi liberos è medio subitò sublaturum, vt exprimit Sapiens Proverb. 20. in verbis: *Qui maledixerit patri suo, & matri suæ, extinguetur lumen eius in medijs tenebris.* Sumpta est similitudo ab eo, qui mediâ nocte Sole & Lunâ destitutus confidit in lucernâ aut tœdâ, quæ inopinato ab aliquo extinguitur, vnde furum & latronum manibus nihil valens interimitur.

Exod. 21. Levit. 20. Prov. 20.

5. Secundò extra controversiam est, non solùm peccare mortaliter, qui verbis id faciunt; sed etiam qui vultu, teste Ambrosio loco citato & Hieronymo, qui epist. de honorandis parentibus tom. 4. dicit: *Oculorum vestrorum timete sententiam, quam Dominus promisit ingratis: meretur enim cæcitatis suæ subire suppliciũ, qui parentum vultus vel torvo visu despexerit, & elatis oculis læserit pietatẽ.* Quod ait Hieron.

Ambros. Hieronym.

Prov.16. hoc expresſè dixit filijs futurũ Sapiẽs Prov.30. *Oculis*, inquiẽs, *qui ſubſannant patrem, & qui deſpicit partum matris ſua, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filij aquila.* Quid gravius? quid horribilius dici poſſet de filijs? qui talibus oculis aſpiciunt parentes, ſicut eos, quos odio habent.

Ianſenius In quem locum ita Ianſenius: *Is qui propter quadam quæ videt in patre vel matre, eos deſpicit & ridet, non ſolùm non eſt dignus, qui ſit longævus ſuper terrã, quemadmodum promiſſum eſt honorantibus parentes; ſed omnino meretur, vt cum ſceleratiſſimis hominibus ignominioſiſſimo ſupplicij genere pereat, atque in patibulum ſuſpendatur, ibique eius oculos aves eruant & comedant, qui cauſam dederunt primum deſpiciendi parentes.* Et ibidem ait earundem volucrum Sapientem meminiſſe inter reliquas aves, tum quod illæ cadaveribus gaudeant. *Maxime ad quæ*, inquit, *a longè advolant. ad quod reſpiciens Dominus dixit: Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquila, tum quòd hæ aves longiſſimæ ſunt vitæ. Vnde ijs bene tribuitur vindicta eorum filiorum, qui non habent in honore parentum ſenectam, quique propter inhonorationem parentum, non ſunt digni, qui ſint longævi ſuper terram iuxta legis præceptum.*

6. Sed dices, Quid ergo erit de eo, qui manum in parentum extendere auſus fuerit?

Reſpondeo, ſolutionem eſſe expeditam, tales adeò mortaliter peccare, vt in veteri lege illis mors ſit indi-
Exod.21. cta, vt patet Exod. 21. vbi dicitur: *Qui percuſſerit patrem ſuum, aut matrem, morte moriatur.* Et per exemplum Abſalonis gravitas apparebit, qui contra patrem Davidem rebellionem movens miſerè interijt. Cuius libet hiſtoriam, & duriſſimum ſupplicium præ oculis ponere. Commiſſum fuit prælium, & variè diſperſum in ſaltu Ephraim: ita vt ex Abſalonis exercitu viginti millia hominum ceciderint. Porrò cum armis ſe quidquam facturum deſperaret, fugæ ſe dedit. In quâ cùm caput arboris denſæ ramis foret impeditum, equuſque ſuſpenſo Abſalone vltrà curſum extenderet ſeſſore vacuus, à Ioab tribus confoſſus ſpiculis interijt. Ratus ſanè interitus & ſingularis, qui divinam oſtendit vindictam, vbi vis humana deficit. Nam capillitio aliquem potuiſſe ſuſpendi, ſicque implexam arboris ramis eſſe cæſariem, vt non extricari potuerit penduli corporis gravi mole, paradoxum eſt, & quidem viri armati. Nam vt hiſtoriæ referunt, aliquando fœminæ ex ſuis crinibus texuerunt reſtes, quibus alligatis illiſis faucibus vitam amiſerunt: ſed liberum hominem nihil tale quid cogitantem capillis ſurſum tendentibus, qui curſu ſolent diffundi, aut vento reijci in tergum, quercui affigi, miraculum potius ſonat, præſertim quadrupedi inſidentem, qui facilè ſuo impetu etiam circumflexos crines abrupiſſet. Vnde nihil concludi poteſt, quàm quercũ divini furoris fuiſſe adminiſtram, & illum è medio ſuſtuliſſe, cui hominum plurimi pepercerant.

In quam rem pulchrè Chryſoſto- Chryſoſt. mus hom. de Abſalone patrem perſequente. *Reſpice iam ſceleſtiſſime hoſtis, ac nefande iam reſpice, inquam, vndequaque in te cuncta converti. Reſpice contra te ab ipsâ naturâ repugnari, & quamvis contra te dimicet cælum, moveatur terra, exercitus pugnet, tamen aliud te ignotum, & inopinatum ſuſtinet bellum, aliud tibi iam paratum prælium eſt, quod fugientem excipiat, properantem interimat, feſtinantem occidat. Adeſt, inquam, arbor in campo ramorum telis ornata, quæ te excipiat fugientem, properantem rapiat, patris iniuriam in parricidam defendat. Adeſt, inquam arbor, quæ nec patrem, vt tibi parcatur audivit, & iuſſa Dei conſtanter complere contendit.*

Et ſanè ſi conſideretur patrem noluiſſe vim afferri Abſaloni, & hoc præcepiſſe, vt rationem haberent animæ ipſius, res tantò apparebit horribilior. Hoc enim illum intendiſſe produnt verba lamentabilia poſt vindictam prolata: *Abſalon fili mi, quis mihi det mori pro te?* Sanè non eſt res parvi pendenda. Nam rebellionem movere contra parentem, comprehendit non ſolùm iniuſtam regni

regni prætensionem, & commotionem Reipublicę, eiusque interitum, sed patris etiam internecionem. Quod postremum crimen vel solum ita exhorruerunt Ethnici, vt lex lata fuerit pro parricidis, quâ primò virgis cædi iubentur, deinde in sacco corei, cum cane, gallo, vipere, & simiâ consutus in mare iactari, vel bestijs proijci, ff. de parricid. L. penultima, & L. prima C. *eodem.* & teste Hieronymo epistol. de honorandis parentibus. *Intolerabile nefas est ex illo ore proteruum audire sermonem, aut illis pulsari manibus, quas amor diligit.*

Hieronym.

7. Dico tertiò filios peccare mortaliter, qui aliquod notabile damnum animæ aut corporis optant parentibus, puta desiderando eorum mortem, sive id fiat, vt liberentur à molestâ eorum custodiâ, vel sustentatione; vel vt citius adeant hæreditatem: hoc enim est contra naturam, & consentire in ipsorum necem; immo contra Scripturam, quæ mandat parentes etiam fovere in senectute, eorumque senio multùm indulgere. Nam Eccles. 3. cap. dicit Sapiens: *Fili suspice senectam patris tui, & non contristes eum in vitâ illius. Et si defecerit sensus, veniam da; & ne spernas eum in virtute tuâ.* id est: Fili parentum inopiæ succurre, eorumque defectus nempè sapientiæ & prudentiæ tolera, qui senibus obtingere solent: cave illos contemnere propter vires tuas; quòd illos iuvenis superas acumine mentis & fortitudine corporis.

Discursus II.

In idem Præceptum.

An honorare parentes etiam comprehendat obedientiam, & quamnam?

Prov. 1.



SApiens Prov. 1. cap. dicit: *audi, fili mi, disciplinam patris tui, & ne omittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.* Quibus verbis videtur per præmia allicere ad servandam legem parentum. Vnde quæram quod in argumento ponitur.

1. Quòd hoc præceptum de honorandis parentibus comprehendat etiam obedientiam, non obstante promissione, & quidem necessariò, verbo expedit Apostolus ad Ephes. 6. dicens: *Filij, obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim est iustum, honora patrem tuum & matrem tuam (quod est mandatum primum in promissione) vt bene sit tibi & sis longævus super terram.*

Ephes. 6.

2. Hæc verò obedientia consistit in eo, vt proles in rebus gravibus disciplinam & directionem parentum sequantur, eorumque imperio se conforment. Quo ducunt verba Proverb. 1. citata: *Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. &c.* Rursum vt ab ijs ablegati addiscendæ arti litterariæ, aut mechanicę, temporis habeant rationem, ne sudorem patris gratis consumant ad nihil tandem vtiles, imò Reipublicæ nocivi. Secundò vt ea caveant filij, quæ bono regimini familiæ adversantur, videlicet nocturno tempore circumcursare per plateas, exponere se periculis furum & latronum, frequentare meretrices, prava consortia, lusus prohibitos & similia, vt plerique invitis parentibus faciunt. Similiter vt filiæ mali nominis procos evitent vt pestem, eosque qui abditos recessus & extra tempus loca solitaria ambiunt; & matris disciplinæ omnino adhæreant, quia in his parentibus non obtemperare est gravissimè Deum offen-

offendere & peccatorum periculis sese exponere. Adeóque tale, quo parentes inhonorantur, Dei quæ indignatio incurritur. Probatur Deuter. 21. vbi filius inobediens & comessationibus vacans, luxuriæ atque convivijs, iubetur lapidari, dicente Domino: *Si genuerit homo filium contumacem ac protervum, qui non audierit patris ac matris imperium, & coërcitus obedire contempserit: apprehendent eum, & ducent eum ad seniores civitatis illius, & ad portam iudicij, dicentque ad eos, filius noster iste protervus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, luxuriæ atque convivijs: lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur, vt auferatis malum de medio vestri, & vniversus Israël audiens pertimescat.*

Rom. 1. Tum ex Apostolo qui ad Rom. 1. expresse tradit hoc eorum esse, qui ob idololatriam traditi in reprobum sensum, seu deserti à Deo faciunt quæ non conveniunt, quale inter cætera est, non obedire parentibus, in verbis: *Sicut non probaverunt Deum habere in notitiâ: tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, plenos invidiâ, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorũ, parentibus non obedientes.* Deinde idem Apostolus ad Tim. 2. cap. 3. gravibus peccatoribus tales annumerat, dicens: *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, &c.* quos vult Timotheum devitare. Denique hæc & similia sunt quæ filiorum vitam abbreviant, Deique promissionem cassam reddunt: Vnde congruit quod ait Sapiens Ecclesiast. cap. 7. *Ne impiè agas multùm, & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Et confirmatur exemplis Ophni & Phinees filiorum Heli, qui 1. Reg. 3. parentibus inobedientes miserè è medio sublati sunt. Absalonis qui 2. Reg. 18. ob rebellionem rarâ Dei vindictâ vitam finivit.

(Margin: 2. Tim. 3. — Eccles. 7. — 1. Reg. 3. — 2. Reg. 18.)

Notabile etiam exemplum refert S. Bernardinus de adolescente cui ob inobedientiam vita abbreviata est: *Nostrâ ætate, ait, in Hispania citerioris oppido, cui nomen Sui, non ita procul Valentiâ adolescens fuit, qui per parentum inobedientiam eò devenerat, vt anno 18. propter latrocinia, & publica facinora in vincula coniectus, & suspendio damnatus sit. Erat etiam tum prorsus imberbis. pendente verò iam atque exanimi subitò prorumpit barba, moxque spectante populo, tum illa, tum coma capitis planè canescunt, vt ætatem referret hominis nonagenarij. Miraculo relacitus cum populo & toto Clero accurrit Episcopus. Omnes in genua prostrati expectant, dum ostendat Deus, quid sibi monstrum hoc velit. Atque ecce tibi, Episcopus capiens tumulum, ad omnes ait, voluisse Deum ostendere, quantum de vitâ ijs detrahat, qui de parentum obedientia detraxerunt. Victurum enim fuisse hunc iuvenem ad eam ætatem, qua iam apparebat in facie, nisi ipsos septuaginta annos parentum inobedientiâ detraxisset.* Ita habet Dominica Quadragesimę ser. 17. art 3. cap. 1. Bernard.

3. Quæres an hæc obedientia ad solos filios non emancipatos spectet, an etiam ad tales, & coniugatos? Multi enim se exemptos autumant per matrimonium, de quo dicit Deus per os Adæ, *Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Respondeo, hanc quæstionẽ optimè solvere D. Thomam, qui lect. 10. Ephes. 5. cap. tractans verba prædicta Moysis, quoad obedientiam & dilectionem vxoris, facit hanc distinctionem, dicens: *Triplex coniunctio viri, & mulieris designatur: prima per affectum dilectionis, quia tantus est affectus vtriusque inter ipsos, vt parentes suos relinquant. Nam licet quoad reverentiam, obedientiam, & subventionem plùs debeat quisque diligere patrem quàm vxorem; attamen quoad domesticam societatem, adhæsionem, & cohabitationem plùs debet diligere vxorem.* Confirmatur exemplo Tobiæ, qui dum existimaret se esse iam moriturũ, hæc monita dedit filio, *Honorem habebis matri omnibus diebus vitæ eius.* Quibus verbis nullum tempus aut statum eximit D.Thomas

eximit. Tum etiam exemplo Heli, qui graviter punitus fuit à Deo, quòd immorigeros filios sacerdotes non satis corripuerit: tum etiam ex præcepto charitatis, quo vnicuique competit peccantem corrigere, iuxta illud Sapientis, *Vnicuique mandavit Deus de proximo suo.* Adeóque constat tum filios coniugatos, tum filias nuptui traditas gravissimè peccare etiam contra hoc præceptum, quando monita in re gravi contemnunt. Constat etiam ex loco Tobiæ non solùm vtrique parenti dum vivit, sed matri soli superstiti obediendum esse.

4. Sed quæstio est, An vti in prędictis, ita in omnibus obedire teneamur parentibus? Ex vnâ parte videtur Apostolus hoc dicere ad Coloss. 3. in verbis: *Filij obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum est in Domino.* Et ex alterâ parte Christus contrarium videtur exprimere, ait enim Luc, 14. cap. *Si quis non oderit patrem aut matrem, non poterit meus esse discipulus.*

Coloss 3. Luc. 14.

Respondeo Apostolum sic esse intelligendum, vt in omnibus licitis & honestis parentibus obediendum sit. hoc enim indicant verba, *in Domino.* q. d. Tunc obedite parentibus, cùm eorum mandatum conspirat cum Dei voluntate. Quo sensu etiam intelligenda sunt verba Christi de odio parentum, quando adversantur nobis in viâ salutis. Vnde D. Hieronymus epist. ad Furiam: *Honora patrem tuum, sed si te à vero patre non separat. Tam diu scito sanguinis copulam, quamdiu ille suum noverit creatorem. Alioquin David protinùs tibi canet, Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum: quia audisti, quia vidisti, quia inclinasti aurem tuam; & populi tui, domusque patris tui oblita es.*

Hieronym.

5. Vnde dico primò, filios non debere obedientiam parentibus in his quę sunt contra Deum, ac animę salutem, vt si parens præciperet filio suo furari, mentiri, non observare festa, hæreticorum conciones audire, eorumque consortium amplecti; vel si mater præciperet filiæ pudicitiam suam vendere, vt inde lautiùs victitaret, & similia. Si enim in talibus obediant, reddunt se Deo indignos, iuxta illud Matth. 10. *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Hinc D. Ambrosius in Psal. 118. sermon 1. *Ipse Christus in Euangelio evidenter exposuit, quâ ratione nostros debeamus odisse, dicens: Qui diligit patrem aut matrem plusquàm me, non est me dignus. Non dixit indignos esse, qui parentes suos diligunt, sed eos indignos ait, qui plùs parentes, quàm Christum diligunt. Si enim ideo deferimus parentibus honorem, quia nostræ generationis auctores sunt, quanto magis Christum oportet amare, qui ipsorum est auctor parentum. Isti dederunt, quod non potestatis est, sed ministerij sui; Christus dat salutem, qui parentum beneficia conservat.* Hinc dixit Christus Matth. 18. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te. Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternū. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Bonum est tibi cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* In quem locum ita Hieronymus: *Igitur*, inquit, *omnis truncatur affectus, & vniversa propinquitas amputatur: ne per occasionem pietatis vnusquisque credentium scandalis pateat. Si,* inquit, *ita est, quis tibi coniunctus, vt manus, pes, oculus, & est vtilis, atque sollicitus, & acutus ad perspiciendum: scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam: melius est vt & propinquitate eius, & emolumentis carnalibus careas: ne dum vis lucrifacere cognatos, & necessarios, causam habeas ruinarum. Itaque non frater, non vxor, non filij, non amici, non omnis affectus, qui nos excludere potest à regno cœlorum, amori Domini præponatur. Novit vnusquisque credentium, quid sibi noceat: vel in quo sollicitetur animus, ac sæpè tenetur. Melius est vitam solitariam ducere, quàm ob vitæ præsentis necessaria, vitam æternam perdere.*

Matt. 10. Ambros. Matt. 18. Hieronym.

6. Dico secundò, filios non debere

dere obedientiam parentibus, quando vocantur ad statum religionis à Deo, aut ad Clericatum, si ex affectu carnali velint impedire. Ratio est, quòd in his locum habeat illud Apostoli dictum, Act. 5. *Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus*, & quòd parentes tunc Christum in pectore filiorum occidant; teste D. Hieronymo epist. 21. ad Nepotianum, vbi ait: *Ecce adversarius in pectore tuo Christum conatur occidere. Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine, & scissis vestibus vbera, quibus te nutrierat, mater ostendat: licet in limine pater iaceat, percalcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum Christi evola. Solum pietatis genus est, in hâc re esse crudelem.* Et Divus Augustinus epist. 38. dicit, quòd sicuti iubemur perdere animam in hâc vitâ, vt inveniamus eam in æternâ, interimendo carnalem affectum animæ, ita debeamus perdere parentes. Sic enim ait: *Sicut præceptum, quo perdere iubemur animam nostram, non ad id valet, vt se quisque interimat, quod inexpiabile nefas est; & tamen valet, vt interimat in se carnalem affectum anima, quo cum impedimento futuræ vitæ præsens vita delectat. Hoc est enim quod dictum est: qui oderit animã suam & perdet eam. Quod tamen diligendo fit, quandoquidem apertissimè fructum eiusdem animæ acquirendæ in eodem præcepto commemorat, dicens: Qui perdiderit eam in isto sæculo, in vitâ æternâ inveniet eam. Ita de parentibus rectissimè dicitur, vt qui eos amat, perdat eos, non more parricidarum interficiens, sed spirituali gladio, verbo Dei carnalem affectum eorum, quo & seipsos, eos quos genuerunt irritamentis huius sæculi obligare conantur, piè fidenterque percutiens, & occidens, illud in eis vivere facit, quo fratres sunt, quo cum filijs suis temporalibus parentes æternos Deum Ecclesiamque cognoscunt.* Vide dicta Discursu 9. in 2. præceptum n. 5,

Act. 5.

August.

7. Sed quæres, Quid si præcipiant religionem, aut matrimonium, an obligemur illis obedire?

Quoad primùm, respondeo religionem esse consilij non præcepti, atque adeò in hoc filios non obligari, & parentes non posse eos cogere; imò in eo graviter peccare: Et si filias cogant, incurrere excommunicationem latæ sententiæ, ex Conc. Trident. sess. 25. cap. 18. his verbis: *Anathemati sancta Synodus subijcit omnes & singulas personas, cuiuscumque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos, quàm laicos sæculares, vel regulares atque etiam quâlibet dignitate fungentes, si quomodocumque coëgerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, præterquam in casibus in iure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis, vel ad emittendam professionem: quique consilium, auxilium, vel favorem dederint: quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint.* Et ratio est, quòd nemo possit obligari ad religionem sine propriò consensu; quòdque ad hoc votum sit necessarium, quale si parentes emisissent pro filio aut filiâ adhuc parvulis, æquè bene illos non obligatũ iri, donec in adultâ ætate consentirent. Vide dicta Discursu 8. in 2. Præceptum n. 4.

Conc. Trid.

8. Sed dices Dominus Deus magnopere laudat Rechabitas Hierem. 35. quòd in re indifferenti patris sui Ionadab præcepto se conformassẽt, & promittit illis benedictionem: quia ex præcepto patris abstinuerant à vino, & licet haberent proles & familias, spreverant agros & possessiones, & domos, in tabernaculis habitantes, quasi exules in hoc mundo & hospites; totique spe in Deum defixi viverent ex pecoribus & arte pastoritiâ, victu & vestitu simplici contenti. Benedictionem autem illam describit Hieremias, his verbis: *Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus.* id est, numquam deficiet locus Rechabitis in templo sacrum ministerium obeündi. hoc enim magnum erat præmium ob illam obedientiam & abstractionem à curis sæcularibus, eligi à Deo ad aliquod Dei & templi ministeriũ. Deinde

Hier. 35.

inde Dominus horum exemplo, per Prophetam arguit Iudęorum inobedientiam, ipsisque pœnam, seu captivitatem minatur.

Respondeo hæc nihil referre: multa enim laudantur in Scripturâ, quæ imitari non cogimur. Tale est hoc de Rechabitis, quorum exemplo Dominus vtitur ad coëcendos & avertendos Iudæos à viâ ipsorum pessimâ, & Idololatriâ, quod illis necessarium erat, vt hâc ratione emollirentur eorum animi, cum viderent Rechabitas tam strictè servare

9. Quantum ad matrimonium attinet, dico primò: filios ad benè esse in matrimonio ineundo debere parentes consulere, quia hoc exigit reverentiâ filiorum erga parentes, & patria potestas. Probatur ex Scripturis, quæ præcipiunt parentibus cavere, ne has aut illas filijs suis accipiant vxores, vt Exod. 34. v. 16. in verbis: *Nec vxorem de filiabus eorum* (scilicet Chananæorum) *accipies filijs tuis* Et Deuteron 7. vbi dicitur: *Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo.* Hæc enim frustrà iuberentur, si non tenerentur eos consulere. Secundò, nisi id esset laudabile, Scriptura non referret eos, qui in coniugio deligendo voluntatem parentum secuti essent, vt Isaac, Genes. 24. & Rebeccam. Vnde sine iustâ causâ illorum consilium prætermittere non possunt.

Exod. 34.
Deut. 7.
Genes. 24.

10. Dico secundò, filios matrimonium ineüntes invitis parētibus, sine iustâ, & rationabili causâ, peccare mortaliter, præsertim si hæreticam, aut indignam accipiant, quâ familiâ dehonoratur, aut parentes tristitiâ, & molestiâ afficiuntur, sicut fecit Esau Genes. 36. ducens duas vxores alienigenas, quæ ambæ offenderant animum Isaac, & Rebeccæ, ex quâ causâ paternâ benedictione privatus fuit, & fratri subiectus.

Genes. 36.

11. Dico tertiò, Etiamsi peccent filij invitis parentibus nubentes, nihilominus matrimonium esse validum, nec ideò à parentibus posse privari hæreditate, quamvis ius Civile vetus videatur filias invitis parentibus nubentes exhæredare, intervenientibus certis conditionibus. Ratio est, quòd matrimonium requirat omnimodam libertatem, & quòd in matrimonio ius Canonicum sit servandum, quod etiam pœnam annullat appositam in sponsalibus, vt pat. cap. *Gemma*, de Sponsalibus. de quâ re latè tractat Sanchez lib. 4. disput. 25.

Sanchez.

Discursus III.

In quartum Præceptum.

An ex hoc præcepto teneantur filij parentum necessitati subvenire?



Sapiens Ecclesiast. 3. cap. dicit. *In opere, & sermone, & omni patientiâ honora patrem tuum*, Hinc quæram quod in argumento ponitur.

Eccles. 3.

1. Honorare in Sacris Scripturis non solùm significat internam & externam reverentiam aut obedientiam, sed etiam subventionem. de quâ sic Hieronymus in capite 15. Matth. *Honor in Scripturis, non tantùm in salutationibus, & officij deferendis, quantùm in eleemosynis, ac munerum oblatione sentitur. Honora, inquit Apostolus, viduas quæ verè viduæ sunt, hic honor donum intelligitur. Et in alio loco: Presbyteri duplici honore honorandi, maximè qui laborant in verbo, & doctrinâ Dei. Præceperat Dominus, vel ætates & penurias parentum considerans, vt filij honorarent, etiam*

Hieronym.
1. Tim. 5.

etiam in vita necessarijs administrandis, parentes suos. Adeo vt subvenire parentibus in necessitate hoc præcepto mandetur. Porrò necessitas est duplex, spiritalis scilicet & corporalis.

2. Quibus positis, Dico primò, Graviter peccare filios, qui in mortis articulo (quando est necessitas spiritualis) nō curant, vt parens confiteatur, & alia sacramenta suscipiat, tunc enim obligat præceptum divinum recipiendi Eucharistiam, Ioan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis*; etiam ex antiquâ Ecclesiæ consuetudine, vt dicit Conc. Nicen. 25. q. 6. his verbis: *De his vero qui recedunt ex corpore, antiqua legis regula observabitur nunc etiam: ita vt si quis fortè recedat ex corpore, necessario vita sua non defraudetur viatico.* Ad cuius receptionem confessio necessaria est, iuxta illud Pauli 1. ad Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat:* imò ad varios effectus etiam ex Ecclesiæ consuetudine extrema vnctio tunc adhibenda est. dicit enim Iacobus Apostolus cap. 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Nec excusat illud è trivio, quòd pater tristabitur, & existimabit se moriturum, si de Sacramentis his suscipiendis admoneatur. Præstat enim illum hîc tristari, & ad salutem se disponere, quàm falsâ spe sanitatis illectum æternum perire, vt sæpè timendum est. Rursum graviter peccant qui parentem impediunt ne testamentum faciat, vt eius animum à rebus alienis restituendis avertant: tum etiam qui bona à parentibus relicta, quæ sciunt furto, & vsuris male esse acquisita, nolunt restituere. Ad hęc peccant, qui ex negligentiâ vel avaritiâ diu differunt debita patris defuncti persolvere, vel legata testamenti adimplere. Ratio est, quòd vel parentes ad negativum præceptum de non retinendâ rę alienâ sine mora tenebantur, & quantumvis confessione purgati, alijsque Sacramentis muniti è vitâ discesserint, graves tamen pœnas ob eorum neglectum in purgatorio patiantur; vel ipsi filij ad Patris voluntatem quoad legata solvenda strictissimè obligentur.

Ioan. 6.
Conc. Nycen.
1. Cor 11.
Iacob 5.

3. Dico secundò, Quoad necessitatem corporalem, filios sub peccato mortali teneri illis succurrere, si ea sit gravis, modo id facere valeant. Ratio est, quòd ex iure naturæ quivis teneatur in gravi necessitate proximo succurrere, iuxta illud 1. Ioan. 3. *Si quis habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* ergo magis filij parentibus, à quibus post Deum maxima beneficia, scilicet nutrimentum, & disciplinam susceperunt. Vnde Sapiens Ecclesiast. 3. *Fili, suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vitâ illius; & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tuâ: eleemosyna enim patris non erit in oblivione.* Hinc Tobias cap. 4. mandat filio suo: *honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius.* Et Salvator noster de cruce commendavit Ioanni Euangelistæ matrem suam dicens: *Ecce mater tua.* Quæ verba expendens S. August. tractatu 119. in Ioannem. *Exemplo*, ait, *suo suos ministros instruxit præceptor bonus, vt à filijs pijs impendatur cura parentibus; tanquam lignum illud, vbi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magistri docentis. Ex hâc sanâ doctrinâ didicerat Paulus Apostolus, quod docebat, quando dicebat, Si quis autem suis, & maximè domesticis non providet, fidem negavit, & est infideli deterior. Quid autem tam cuique domesticum quàm parentes filijs, aut parentibus filij? Huius itaque celeberrimi præcepti ipse magister Sanctorū de seipso constituebat exemplum, quando non vt famula Deus, quam creaverat & regebat, sed vt matri homo, de quâ creatus fuerat, & quam relinquebat, alterum pro se quodammodo filium providebat.*

Ecclesi. 3.
Tobiæ 4.
S. August.
1. Tim. 6.

Porrò hæc obligatio tanti momenti

menti est, vt ob eam filij teneantur abstinere ab ingressu religionis, cum parentes sunt in extremâ, vel gravi necessitate. Imò etiam professi ex Monasterio tunc tenentur egredi ad ijsdem subveniendum. Nam Christus pluris facit subventionem parẽtum, quam oblationes sibi fieri. Quâ de causâ reprehen-
Matth. 15. dit Pharisæos & Scribas Matth. 15. qui filios docebant Deo offerre ea, quæ parentibus erant necessaria, in verbis: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem & matrem: Et Qui maledixerit patri, vel matri morte moriatur, vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri, Munus quodcumque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* In
Hieron. quem locum sic Hieronymus: *Præceperat Dominus, vel imbecillitates, vel ætates, vel penurias parentum considerans, vt filij honorarent, etiam in vitæ necessarijs ministrandis, parentes suos. Hanc providentissimam Dei legem volentes Scribæ & Pharisæi subvertere (vt impietatem sub nomine pietatis inducerent) docuerunt pessimos filios: vt si quis ea quæ parentibus offerenda sunt, Deo vovere voluerit, qui verus est pater, oblatio Domini præponatur parentum muneribus: vel certè ipsi parentes, quæ Deo consecrata videbant, ne sacrilegij crimen incurrerent, declinantes, egestate conficiebantur. Atque ita fiebat vt oblatio liberorum sub occasione templi & Dei, in Sacerdotum lucra cederet.*

4. Sed dices quare Deus tam strictè voluit sic honorari parentes? Respõdeo varijs de causis. Prima est ob similitudinem parentum cum Deo,
D. Thom. quam refert D. Thomas in opusculo 7. vbi inter alia ait, post Deum iuberi statim coli parentes ob similitudinem, quam habent cum Deo. Nam primò dant filijs stabilimentum quoad
Eccles. 7. esse, vt patet Eccles. 7. vbi idcirco monet Sapiens, *Gemitus matris tuæ non obliviscaris, memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses.* Secunda, quia plurimum doloris & laboris filiorum causâ subierunt, quibus vt minimùm tantum tenentur rependere. Eâque de causâ Tobias monens filium de honorandâ matre omnibus diebus vitæ suæ, addidit: *Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo.* Verba verè ponderanda. Nam præter dolores quibus prægnantes ordinariè subiectę sunt, non licet illi etiam multùm infirmę, prole iam animatâ, sumere medicamentum directè curativum cum notabili periculo prolis, si certum erat, vel valde probabile prolem sine illo vivam edendam; quia quilibet tenetur præferre salutem æternam proximi suæ vitæ corporali. Vnde D.
Ambros. Ambrosius in cap. 18. Lucæ, inquit, *Si paveris matrem, non reddidisti ei cruciatus, quos pro te passa est, non obsequia, quibus te gestavit, non alimenta, quæ tibi tribuit vero pietatis affectu, immulgens labris vbera: non famem, quam pro te ipsa toleravit, ne quid, quod tibi noxium est, comederet; ne quid, quod lacti noceret, hauriret: tibi illa ieiunavit, tibi manducavit, tibi illa cibum, quem voluit, non accepit, tibi quem noluit, cibum sumpsit, tibi vigilavit, tibi flevit, & ita illam egere pateris? illi debes, quod habes, cui debes quod es.*

Tertia est, quòd natura hoc dictet: si enim omnes omnino tenentur proximum iuvare in necessitate existentem ex lege naturæ; multò magis filij: præsertim cum Dominus sub lege Mosaicâ apud Sapientem illam scripto corroborarit; vt superiùs attigi dicens: *Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vitâ illius.* Quod ipsi Ethnici recognouerunt. Memorabile exemplum eiusmodi pietatis in parentes refert
Plinius. Plinius lib. 7. cap. 36. *Humilis,* inquit, *in plebe & ideo ignobilis puerpera, supplicij causâ carceri inclusam matrem, cum impetrasset aditum à ianitore, semper excussa, ne quid inferret cibi, deprehensa est vberibus suis alens: quo miraculo matri donata salus filiæ pietate est, ambæq. perpetuis alimentis: & locus ille Deæ Pietati consecratus est, tẽplo Pietati extructo in illius carceris sede, vbi nunc Marcelli theatrum est.* Idem fecit filia Cimonis

Ducis; hæc, enim *Cimonem consimili fortunâ affectum, parique custodia traditum, iam vltima senectutis, velut infantem pectori suo admotum aluit*, inquit. Valer. Max. lib. 5.

Valer. Max. Basilius Ambrosius

Sanctus Basilius quoque, & ex eo S. Ambrosius in Hexamero suo ad pudefaciendos filios ingratos, qui necessaria subsidia parētibus senio gravatis subtrahunt, exemplum ciconiarū in medium adducunt. Illę cum parentes senuerunt, eos plumis suis fovent, escasque afferunt, & piâ vicissitudine iuvenes reddunt, quod à parentibus parvuli susceperunt. Addam D. Ambrosij verba: *Quàm verò*, inquit, *rationabilium excedat pietatem ac prudentiam ciconiæ clementia, considerandum. Nam depositi patris artus per longævum senectutis plumarum tegmine, alarumque remigio nudatos, circumstans soboles proprijs pennis fovet. Et quid dicam? collatitio cibo pascūt, quando etiam ipsa reparat naturæ dispendia, vt hinc atque inde sublevantes senem fulcro alarum suarum ad volandum exerceant, & in pristinos vsus desueta iam revocent pij membra parentis? Quis nostrum levare ægrum non fastidiat patrem? Quis fessum senem suis humeris imponat, quod in ipsâ historiâ vix credibile habetur? Quis, vt pius sit, non hoc servulis mandat obsequium? At verò avibus non est grave, quod pietatis est plenum, non est onerosum quod solvitur naturæ debito. Est enim vectura pietatis, quod eousque frequenti testificatione percrebuit, vt congruæ mercedem remunerationis invenerit. Habet etiam vniversorum suffragia: vnā retributio beneficiorum ἀντιπελάργωσις* vocatur: *πελαργὸς enim ciconia dicitur. Virtus itaque ab his nomen accepit, cum relatio gratiarum ciconiæ vocabulo nuncupatur.* D. verò Thomas loc. cit. ait filios à parentibus accipere vitam, sicut milites à Rege accipiunt feudum, vt si ei sint fideles, eius conservationem; sin infideles eius privationem mereantur.

D. Thomas

5. Hinc meritò iure civili datur actio parentibus ratione ingratitudinis revocandi donationem inter vivos filijs factam. Et L. Finali, C. de revocandis donation. specificantur quinque casus ingratitudinis. Primus est, si donatarius iniurias atroces in donatorem effuderit. Secundus, si manus impias intulerit. Tertius, si iacturam nō levem bonis eius intulerit. Quartus, si periculum vitæ ei intulerit. Quintus, si donationi appositam conditionem non impleverit. His addunt DD. sextum, si inopiâ pressum non aluerit. Quod est notandum pro simplicioribus, qui omnia donant suis filijs, & postea negliguntur, vt rectè Silv. Donat. 1. n. 17. Et vt ait Ioan. Azor. sub patriam potestatem tales denuò rediguntur. Omitto alias rationes, nempe quòd filios nutriant, doceant timere Deum, erudiant ad Sacramenta, fidem, religionem, moresque Christianos, vti ostendit exēplum illustre Tobiæ erga filium. Silvius Azorius

6. Sed quæres, quandoquidem Dominus Deuteron. 5. dicit: *honora patrem tuum & matrem tuam, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt longo vivas tempore, & bene sit tibi in terra* &c. Et D. Thomas, quòd fideles filij vitæ conservationem mereantur: Quænam sint illæ benedictiones? Deuter. 5. D. Thomas

Respondeo esse varias. Prima, quòd facilè impetrabunt veniam admissorum peccatorum; insuper Dei dono se in posterum à peccatis continebunt, ne rursum in ea incidant, & in oratione quotidianâ, quâ singulis diebus orant, exaudientur, vti testatur Sapiens Ecclesi. 3. dum ait: *Qui diligit Deum*, supple ad implendum pręceptum honorandi parentes, *exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis, & in oratione dierum exaudietur.* Secunda, quòd opes tam temporales quàm spirituales nanciscetur talis filius: vt enim ait ibidem Sapiens: *Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam* Tertia, quòd stabilem habebit familiam & postetatem, iuxta eiusdem Sapientis verba, quæ habet v. 11. *Benedictio patris firmat domos filiorum.* &, *honora patrem tuū, vt superveniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in novissimo maneat.* hinc solent filij avidè & instanter expetere benedictionem patris, vt patet exemplo Esau, Gen. 27. qui, postquam Ecclesi. 3. Ibidem

quam frater eius dolo præripuisset benedictionem patris, id intelligẽs, *irrugijt clamore magno, & consternatus dixit: Benedic etiam & mihi, pater mi.* Ratio erat, quòd longo vsu didicerant homines illo tempore patris benedictionem plurimum valere, & sæpè esse efficacem in filijs, vt videre est Genes. 9. in filijs Noë, in benedictione Iacobi datâ Ephraim & Manasse Genes. 48. & aliâ datâ duodecim filijs Genes. 49. Tobiæ quoque datâ filio cap. 5. in verbis: *Benè ambuletis, & sit Deus in itinere vestro, & Angelus eius comitetur vobiscum.* Cuius efficaciæ rationem dat Sanctus Ambrosius lib. de Benedict. Patriarcharum. *Ideo parentibus hanc Deus donat gratiam, vt filiorum pietas provocetur: prærogativa ergò parentum disciplina est filiorum.*

Genes. 9. Genes. 48. Genes. 49 Tob. 5. Ambros.

Accedit ad cumulum, quòd tales pariter felices erunt in suis filijs: deinde quòd beneficium parentibus præstitum filios liberabit in tempore tribulationis. nam, vt ibidem ait, *Eleemosyna patris non erit in oblivione, & in die tribulationis memor erit tui.* Demùm, quòd vitâ vivet longiore.

7. Sed dices, videmus tamen multos iuvenes optimæ vitæ in flore iuventutis ex hoc mundo decedere, & impios longam vitam traducere. de quo miratur D. Hieronymus in epist. ad Paulam de obitu Blesillę; cuius sententiam adscripsi in Discursu penultimo primi Pręcepti: sed refert hoc dumtaxat ad incomprehensibilia iudicia Dei.

Hier.

Respondeo Dei promissionem in hoc non reddi falsam: quia Deus in Scripturis promittens bona præsentia, carnalia, temporalia, si ea non præstet, dat pro illis longè maiora, scilicet, spiritualia, cœlestia & æterna. quod insinuat Hieronymus in hunc locum dicens: *Pro honore patris & matris, non Iudaicum, & carnale esse promissum, vt longævi sint filij super terram, quam Dominus Deus suus dederit eis. Multos enim fuisse credendum, qui & parentibus obsequentes cito mortui sunt, & in parentes impij, vsque ad extremam venerint senectutem* Idque quantum ad Christianos, certissimum videtur: exigua enim felicitas ipsis in huius longitudine posita est, Audi desuper dictum Patrem. *Si vita, inquit istius longitudo est in repromissis, & diu in corpore permanere felicitas est, quid sibi vult in Psalmis: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar: & Salamonis in Ecclesiaste: Laudavi ego omnes mortuos, qui olim mortui sunt, super viventes, qui vivunt vsque in præsens: & melior est super hos duos, qui necdum natus est, & non vidit omne opus malum, quod factum est sub sole. Et post paululum: Si genuerit vir centum filios, & annos plures vixerit, & multi fuerint dies annorum eius, & anima illius repleatur bonis, & sepultura non sit ei, dixi: melius est super eum abortiuum, quia in vanitate venit, & in tenebris nomen eius operietur, & quidem solem non vidit, & cætera. Si enim laudantur super vivos mortui (& iuxta quosdam, qui antequam in corpora ista descendant, animas degere in cælestibus arbitrantur, melior esse dicitur duobus, qui necdum natus est, & secundum Iob: mors viro requies. Et iuxta eundem, & Hieremiam: Maledicta est dies in quâ nascimur) quomodo nunc repromittitur honorantibus patrem & matrem, quod longævi sint super terram, quam Dominus Deus suus dederit eis? Quærenda est ergò terra, quam Dominus repromittit, & tribuit his, qui spiritualem Aegyptum reliquerint, & cum omni patientiâ, magna & terribilia istius vitæ deserta transierint, & vicerint reges magnos, quos percutit Dominus, & transierint in Iudæam, quæ lacte & melle fluit, & sub Iesu duce Hiericho corruente, atque vastatâ Hai, quæ interpretatur abruptum, Hierusalem venerint, & ædificetur eis templum sub Salomone Rege pacifico, & possideant terram, quæ mansuetis est præparata. Beati quippe mites, quoniam ipsi possidebunt terram: quæ vera est terra viventium, Psalmistâ quoq; dicente: Credo videre bona Domini in regione viventium: huius vitæ longitudinẽ & sapientia habet in manu dexterâ, in finistrâ tenẽs divitias & gloriam* Hęc à Iudęis petit Hieronymus; verũ rectius Christianis congruit, quibus portæ cœli à Christi resurrectione reseratæ sunt. quamvis Deus quoq; arguendus non

Hieron. in Ephes. 6. Ps. 129. Eccles. 4. Et ibid 6. Iob 3. Hier. 20. Ios. 6. & 8. Matth. 5. Ps. 26. Prov. 3.

veniat quoad Iudæos, quos in veteri Testamento ex his miserijs sustulit præmaturè, & traduxit ad sinum Abrahæ, seu locum quietis: sicut nemo violatæ promissionis argui potest, cùm loco cerevisiæ promissæ dat vinum, loco vnius aurei equum. Hoc enim sæpè fecit plus dans quàm promisit. Sic Psalm. 36. David ab experientia probans iustos in tempore non confundendos, & in diebus famis saturandos, inquit: *Iunior fui etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* Id est, Puer fui & postea senui, & in tam longo tempore nunquam vidi iustum derelictum à Deo, ita vt gravi inopiâ premeretur, nec vidi semen eius, id est, filios eius quærentes, & mendicantes panem. Sed contrà potius vidi; quod iustus *totâ die miseretur & commodat*, id est, omni tempore ita abundat, vt vel ex misericordia donet, vel certè mutuò, aut commodatò det proximis de facultatibus suis. Quare *semen illius*, id est, filij eius non solùm non mendicabunt panem, sed in benedictione erunt, id est, benedicti à copijs abundabunt, vel ab omnibus benedicentur, tanquam filij optimorum parentum. Sed quamvis hæc ordinariè verè contingant, tamen subinde accidit contrarium: sic enim scimus Lazarum mendicum iustum & multos martyres aliosque Sanctos fame in carceribus, aut simili inopiâ & miserijs perijsse: verùm tunc pro pane temporali Deus dedit illis panem spiritalem & cœlestem, videlicet, longè maius bonum patientiæ, & lauream martyrij. Vnde

Psalm. 36.

Luc. 16.

nemo facilè suspicari debet, cùm videt aliquem bonæ vitæ ante tempus hinc discedere ipsum parentes inhonorasse: sed potius tales ob secretiores causas è medio tolli, videlicet quia expedit illis, ne longiùs viventes pravæ vitæ ex consortio aliorum assuescant. Sæpè enim contingit, vt in adolescentia bene enutriti pietatem sectantes, quamprimùm ad statum pervenerint, omnem exuant simplicitatem, & à vero omninò devient. Hinc Sap. 4. dicit Sapiēs de quodam: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum, & ne fictio deciperet illum.* Adeò vt Deus misericordiam suam erga tales mirificè exhibeat privando illos vitâ temporali, quos prævidet ab alijs seducendos. Subinde etiam facit illud Deus, vel ad gloriam suam, vt Ioan. 11. sustulit Lazarum, vel ad bonum parentum, vt inde magis mereantur. Sic filios Iob passus est interfici Iob 1. cap. Vel vt melius Deo serviant. Sic Melania quædam nobilis matrona, sublato marito, & duobus filijs, agnovit ideo factum. Adscribam rem verbis Hieronymi in d. epist. vbi sic ait: *Sancta Melania nostri temporis inter Christianos verè nobilis, cum quâ mihi Dominus, mihique concedat in die suâ habere partem, calente adhuc mariti corpusculo, & necdum humato, duos simul perdidit filios. Rem sum dicturus incredibilem, sed teste Christo, non falsam. Quis illam tunc non putaret more lymphatico sparsis crinibus, veste conscissâ, lacerum pectus invadere? Lachryma gutta non fluxit, stetit immobilis: & ad pedes advoluta Christi quasi ipsum teneret, arrisit. Expeditiùs, inquit, tibi servitura sum Domine, quia tanto onere me liberasti.*

Sap. 4.

Ioan. 11.

Iob. 1.

Discursus

Diſcurſus IV.

Quale officium debeant parentes filijs, & primò quid mater & pater quoad alimentum?



SApiens Eccleſ. 13. dicit: *Omne animal diligit ſibi ſimile*: quia autem dilectio illa maximè debet reperiri in matre, ad quam prima initia prolis ſpectant, hinc inquiram quod in argumento ponitur. Eccleſ. 13.

1. Officium parentum, quod liberis debent, conſiſtit in dilectione, educatione; & partim matrem concernit, partim patrem, tum etiam vtrumque. Quibus poſitis.

2. Dico primò, matrem teneri ſollicitè curare prolem, quam geſtat in vtero: id enim requirit dilectio. Nam, teſte Sapiente Eccleſ. cap. cit. *Omne animal diligit ſimile ſibi.* Vnde & Apoſtolus inſtruit Titum, vt doceat adoleſcentulas filios ſuos diligere, ad Tit. 2. Addo inſuper teneri ad cavendum, ne prolem enecet, aut abortum faciat ſtudio vel incuriâ: alioquin homicidij rea erit, ſi proles fuerit animata, vt clarum eſt; aut quaſi homicidij, ſi necdum fuerit animata, vt colligitur ex iure Canonico, c. *Si aliquis*, de homicidio, vbi dicitur, *eum, qui fecerit, vt mulier non poſſit concipere vel generare, vel vt proles non poſſit naſci, vt homicidam tenendum.* Et confirmatur ex Tert. qui Apolog. c. 9. de prole non animatâ ſic loquitur: *Nobis homicidio, inquit, ſemper interdicto, etiam conceptum vtero, dum adhuc ſanguis in hominem delibatur, diſſolvere non licet. Homicidij feſtinatio eſt, prohibere naſci, nec natam quis eripiat animã, an diſturbet naſcentem. Homo eſt qui futurus eſt: nam fructus in ſemine eſt.* Quod magnopere notandum eſt, domicellis, quæ ornatus causâ ita ſe premunt, quaſi prolis cura ad ipſas non ſpectaret: deinde puellis, quæ ſui oblitæ, vterum geſtantes, ita ſe, honoris conſervandi causâ, coarctant, vt proles notabili periculo mortis ſubiaceat. Tit. 2. Tertull.

3. Dico ſecundò, matres teneri proles iam in lucem editas alere proprio lacte, ſub peccato ſaltem veniali: natura enim hoc illis onus impoſuit: Hinc mamillas & vbera, veluti lagenulas quaſdam ad proles nutriendas aptas illis largita eſt. Vnde ſanctæ mulieres hoc per ſe præſtiterunt, vt Sara Iſaac, Rebecca Iacob, Anna Samueli, & mater illa nobilis ſeptem fratrum Machabęorum. Machab. cap. 7. ac ipſa Dei Genitrix filio ſuo Chriſto Domino. In hoc enim maximè oſtenditur dilectio, quam rarò videbis in brutis deficere, vnde D. Baſilius: *Summa profectò dilectio ſummus amor brutis eſt inter parentes ac fœtus ſuos: quapropter & qui ea condidit Deus, defectum rationis acrimoniâ ſentiendi opulentiore temperavit, ſolatuſque eſt. Nam vnde fit, vt in obvium quidem tam copioſum numeroſumq. gregẽ, ſtabulis exſiliens agnus, matris ſuæ continuò percipiat vocem, ad eamque properet, atque lactis fontes proprios rectà petat, papilliſque maternis contentus ſit, etiamſi perparum habeant ſucci, præteritis haud paucis vberibus lacte diſtentis? Quin mater ipſa inter tam multos numeroſoſque agnos, eum internoſcit, vt proprium. Vna vox omnium eſt, vnus idemque ſæpenumerò color, vnus etiam penitus odor, quatenus odoratus noſter novit diſcernere. Atqui iſtis ineſt quædam ſentiendi facultas, noſtrâ longe nimirum exactior, quâ ſuum cuique proprium facilè dignoſcere licet.* 2. Mach. 7 D. Baſilius

Ad hæc nullum feræ genus eſt, quod alteri proles alendas committit, quamvis ſæviſſimum & crudeliſſimum: hinc lupi, leones, tigrides, ac cæteræ feræ immanes

ita deprehenduntur suos fovere fœtus, vt ferè semper in sinu, vel ad mamillas habeant: Aves sæpe quinque, sex, septem & plures sub alis habent, & licet nec lac ipsis natura impertiverit, nec grana habeant, nec alia semina vnde suos alant, tamen curam adhibent, vt ipsis necessaria subministrent; imò quod magis est admirandum, tantum est in ipsis feris, & avibus nutriendi, & incubandi desiderium, vt subinde pro hoc officio mas & femella contendant: vt patet in cygnis, & vrsis, alioqui feris animalibus, quæ etiam catulos informes lambendo formant.

4. Quæres, quid ex his inferam? Respondeo primò, eas esse veras matres, quæ proprio lacte filios alunt, teste Ambrosio lib. 1. de Abraham cap. 7. vbi tractans verba Genes. 21. *Quis auditurus crederet Abraham quòd Sara lactaret filium, quem pepererat ei iam seni* (Deus enim cum partu lac Saræ per miraculum restituit: quia volebat eam quasi matrem per se, non per nutricem lactare Isaac) inquit: *Provocantur fœminæ meminisse dignitatis suæ, & lactare filios suos: hæc enim matrum gratia.* Confirmatur exemplo Christi, qui, vt se veræ matris officia erga nos exercere probaret, suo sanguine nos pavit. Hinc Chrys. hom. 60. ad populū: *Matres, inquit, multæ sunt, quæ post partus dolores, filios alijs tradunt nutricibus, hoc autē ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat.* Quod ipsum latiùs exprimit homil. 46. in Ioan. sic aiens: *Cum suum in nos amorem*, supple Christus, *indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in vnum nobiscum redegit, vt corpus cum capite vniretur. Hoc enim amantium maximè est. Hoc Iob significabat de servis, à quibus maximè amabatur, qui suum amorem præ se ferentes dicebant: Quis daret nobis, vt eius carnibus impleremur? Quod Christus fecit, vt maiori nos charitate adstringeret, & vt suum in nos ostenderet desiderium, non se tantùm videri permittens desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri.* Et paulò post, *Parentes sæpenumerò liberos suos alijs alēdos dederunt, ego autem meá carne alo, me vobis exhibeo, omnibus faveo, omnibus optimam de futuris spem præbeo.* Exinde idem auctor rem nostro proposito accommodans hom. 1. in Psal. 50. locutus de matre nobili ac locuplete, inquit: *Cum generaverit filium, statim eum tradit foris, & pietatis insignia abscondit superbiâ. Erubescit fieri nutrix, quæ facta est mater. Christus autem non ita, Ipse nutritor & mater est; ideo & pro cibo propriâ nos carne pascit, & pro potu suum sanguinem nobis propinavit.* Adeóque ostendit Chrys. quòd multò maior Christi amor quā matrum, in suis servis spiritualiter nutriendis efflorescat. Hinc divini amoris teneritudo erga homines, nutricis vel nomine, vel munere sæpè in Scripturâ exprimitur: *Ego quasi nutritius Ephraim*, Ozeæ 11. *Ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis*, Isa. 66. *Portavit te Dominus Deus tuus, vt solet homo gestare parvulum filium suum*, Deuteron. 1. & passim alibi. Imò Ecclesiæ in Christum Dominum amor, non alio typo melius, quàm matris lactantis indicatur. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ?* Cant. 8. quasi nullum habere posset maioris charitatis hospitium, quàm quod inter lactantia matris vbera inveniret.

Atque ob hunc defectum matrum videmus maiorem parentum ac filiorum amorem in communi plebe, quàm in familijs nobilium: quoniam ferè nobiles fœminæ infantes suos per nutrices lactari curant, & eos sæpè nec vident, nec ab eis videntur ante annum vel alterum. Et hoc est, quod ait D. Ambros. loc. cit. *Denique eos plus amare filios solent, quos ipsæ matres lactaverint vberibus suis.* Omitto quòd affectus erga alium quàm parentem pro meliori notâ subinde non sumatur. Nam Saül 1. Reg. 20. considerans filium suum Davidi affectum, & pro eo intercedentem, vocat eum filium, *mulieris vltrò virum rapientis*, id est meretricis, q. d. non videris filius meus, sed filius adulteræ; quia Davidem hostem

Ambros. Genes. 21.
Chrysost.
Idem
Ozeæ 11.
Isa. 66.
Deuter. 1.
Cant. 8.
Ambros.
1. Reg. 20.

hostem meum magis amas, quàm me; quasi mater tua non ex me, sed ex Davide te genuerit, ideoque Davidis amorem in te ingeneraverit. Hâc de causâ Aulus Gell. maritatas non lactantes proles per se, quando id valent, vocat dimidias matres: *Quale est*, inquit, *illud dimidiatum matrum genus* &c. *Nam paradoxum est alüisse sanguine in vtero id, quod non videbant, non alere autem posteà suo lacte, quod vident iam viventem, iam hominem, iam matris officia implorantẽ.* Et D. Ambros. ad cornicum exemplum eiusmodi matres ablegat: *Discant*, inquit, *homines amare filios ex vsu & pietate cornicum, quæ etiam volantes filios comitatu sedulo prosequuntur; & sollicitæ, ne teneritudine deficiant, cibum suggerunt, ac plurimo tempore nutriendi officia non derelinquunt. At verò fœminæ nostri generis citò ablactant etiam illos, quos diligunt; aut si ditiores sunt, lactare fastidiunt.*

Aul. Gell.

5. Secundò infero ex his, fornicarias, quæ proles suas abijciunt, ijsque alimenta denegant, & in publicis locis sine necessitate exponunt, peccare mortaliter. Ratio est, quòd prius idem sit atque proles interficere; posterius sit contra iustitiam, adeoque restitutioni obnoxium. Et sic intelligenda est Lex. *Necare*. ff. de liberis agnoscendis, vbi Paulus Iurisconsultus sic dicit: *Necare non tantùm videtur is, qui partum præfocat, sed & is qui abijcit, & qui alimoniam denegat, & is qui publicis locis misericordiæ causâ exponit, quam ipse non habet.* Et huc spectat, quod contra naturam esse testatur loc. cit. Ambros. postquam taxaverat fœminarum vsum, his verbis: *Pauperiores verò abijciunt parvulos, & exponunt, & deprehensos abnegant*, quod idẽ est, ac si dicat, cornicibus multò sunt diriores: de his enim egerat. Et Clemens Alexand. hinc taxat mulieres, quę aves domi nutriunt, orphanos repellunt, quin etiam domi natos foris exponũt. Sic enim ait: *Puerum orphanum non admittunt, quæ psittacos, & graculos enutriunt. Sed filios quidem domi natos foris exponunt; gallinarum autem pullos excipiunt, & quæ sunt expertia rationis, ijs quæ sunt ratione prædita, præferunt.*

Ambros.

Clem. Alex.

6. Sed dices quid si contingat matres vsque adeo esse imbecilles, vel etiam inopes, aut admodum illustres & nobiles, vt iuxta consuetudinem excusentur à lactandâ prole; aut etiam à maritis prohibeantur, quòd nocturna requies illis sit necessaria, quia de die gravibus negotijs obligantur vacare?

Respondeo tales teneri sub peccato mortali de bonâ nutrice filijs providere. Ratio est, quòd infantes dum sugunt, nutricum indolem, affectus, & vitia vnà cum lacte solent sugere, & imbibere. Vnde si nutrices fuerint rusticæ, si improbæ, si impudicę, si iracundæ, si temulentę, si crudeles, si fortè etiam leprâ, aut alio morbi genere infectæ, tales ferè proles existent. Sic Dido apud Virgilium insectatur Æneam tanquam degenerem, vt qui à matre educatus non fuerit. Scribit Lampridius Titum filium Vespasiani Imp. toto vitæ tempore adversâ valetudine laborasse, eò quòd à nutrice infirmâ educatus esset; & pluribus alijs idem contigisse. De Tiberio quoque Cæsare fertur, quòd fuerit magnus potator, quia nutrix ipsius talis erat. Caligulæ etiam Imperatoris Rom. sævitia & insolentia imputata fuit nutrici eius, quæ, vt crudelitatem ipsi infigeret, papillas sanguine fricabat, vt sic eas sugeret. Heliogabalus Imp. quia Græcæ meretricis erat filius, ab eâ suam spurcitiam, & obscœnitatem dicitur hausisse. Ratio physica hæc est, quòd maior ab vbere similitudo cum nutricibus desumatur: nam parentes interventu sanguinis, nutrices interventu lactis suas qualitates, ac nativas dispositiones, ex quibus similitudo nascitur, communicant: atque lac est sanguis magis coctus, ac defœcatus, vt Arist. lib. 4. de generatione animalium c. 8. Albertus Magnus lib. 18. de animal. cap. 7. Abulens. in cap. 12. Levit. q. 23. alijque testantur: ergo melius nutrices in alumnos, quàm matres in filios nativas dispositiones, ac proinde sui similitudinem transfundunt. Hinc credo iustè motas fuisse pias

Lamprid. Aristot. Alber. Magn. Abulens.

matronas, quas mox recensui suo lacte alere infantes, vt sic sibi essent similiores. De D. Bernardi matre hoc testatur Guilielmus Abbas lib. 1. vitæ eius cap. 1. dicens: *Alienis vberibus nutriendos filios committere illustris fœmina refugiebat, quasi cum lacte materno materni quodammodo boni infundens eis naturam.*

Guilel. Abbas

Hâc de causâ pium æquè ac prudens est nonnullarum vrbium institutum, vt impudicarum matrum spuriæ proles per Magistratum à matribus avellantur (ne matres vitiatam in semine filiorum indolem, magis vitiatâ educatione, pravoque exemplo corrumpant) ac gravibus matronis alendæ tradantur, quę depravatam nativitatem gravi severâque institutione castigent, & reforment. Quales videntur Romæ in Hospitali S. Spiritus, & in Monasterio S. Catharinæ de funarijs, & alibi. Ita vt illa obligatio, quæ colligitur ex c. 2. de Conversione infidelium, nempe matrem triennio debere alere infantem, in talibus meritò videatur cessare: quemadmodum vt plurimùm videmus talium proles, vel ex illâ causâ alijs tradi nutricibus, vel cum honestiores bertulæ sint, vt honori earum consulatur.

7. Quæres, quare olim convivium extrui soleat, cùm infans ablactaretur, non verò cùm iam recens natus esset?

Respondeo omissis particularibus causis mulierum sanctarum, generales fuisse duas: Prima est quòd dies nativitatis lacrymabilis esset prolibus, adeóque nec æquum, vt à parentibus lætus ac festivus ageretur: dies verò ablactationis futuræ incolumitatis ac felicitatis spe plenus; ac ita aptior videbatur, qui lautis & iucundis epulis celebraretur. De primâ enim infantiâ sic loquitur August. lib. 21. de Civit. cap. 24. *Quæ quidem quòd non à risu, sed à fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingressa sit, nesciens prophetat quodammodo.* In die verò ablactationis iam partus vitalis ac duraturus videbatur: qui in die nativitatis nullam de suâ duratione spem satis firmam promittebat: tum quia sicut infans in die nativitatis accedebat ad mammam matris, ita in die ablactationis ad mensam patris; quæ proinde ęquum erat, vt novo aliquo convivio pro hospite excipiendo ornaretur: tum præterea, quia in die nativitatis adhuc puer vitam agere videbatur belluinam sugendo tantùm, quod hominibus cum bestijs commune erat; in die verò ablactationis, iam humanam, in hominum morem loqui, ingredi ac vesci aggrediendo: solet enim ablactatio fieri exacto triennio.

August.

Pro quo nota apud aliquas nationes in vsu fuisse triennio lactare infantes; nempe apud Hebræos, vt patet lib. 2. Machab. c. 7. vbi mater quædam morituro filio pro patriâ religione sic locuta legitur: *Te in vtero novem mensibus portavi, & lac triennio dedi.* Et alibi id moris fuisse; quia tantum temporis lactandis infantibus definitur iure Canonic. de convers. infidelium cap. 2. vbi præcipitur, *vt post triennium ab infideli matre eripiatur filius, & fidelis patris curæ commendetur.* De quo pater ibidem quęstionem moverat. Franciscus verò Valesius illud intelligit de triennio dumtaxat inchoato, ac rationem haberi de tempore irruptionis dentium anteriorum.

2. Mach. 7.

Franciscus Valesius

Altera causa moralis seu spiritualis erat, vt sub hoc typo significarent, eum diem præcipuè recolendum, in quo filij non simpliciter vitam, sed bonam vitam auspicarentur; in quo abducerentur à terrenis voluptatibus, & applicarentur ad divinas; in quo desinerent esse pueri, vilioribus cibis humanæ philosophię nutriti, & inciperent esse viri sublimioribus epulis Euangelicæ doctrinæ saginati, vt aiunt Augustin. q. 50. in Genes. Ambros. lib. 1. de Abraham c. 7. Et hoc sensu congruit quod Isaias dicit 28. cap. *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, avulsos ab vberibus.* Quorum verborum sensus est, Deus docere solet scientiam & sapientiam eos, qui avulsi à delicijs puerilibus, à vitâ imper-

August. Ambrosius Isa. 28.

imperfectâ & carnali, quasi viri capaces sunt solidi cibi, id est, veræ scientiæ: hi autem Iudæi hisce delicijs vini & ebrietatis gaudent, nec supernas & solidas capiunt; ergo quasi pueri indociles sunt doctrinæ & monitionis divinę ac verę sapientiæ incapaces. Hùc allusit Paulus dicens ad Hebr. 5. *Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonum iustitiæ.* ita S. Hieronymus.

Hebr. 5.

Hieronym.

Porrò ex his disce pessimum esse morem & abolendum, quem ruri alicubi observant, convivia extruētes etiam in angustis tuguriolis dum mulier recens à partu doloribus cruciatur, & vitæ periculo sæpè exponitur.

8. Quæres demum, quid pater filijs debeat quoad alimentum?

Respondeo ipsum teneri sub mortali, sive proles sit legitima, sive illegitima, eam alere, eique providere de necessarijs ad victum, & amictum in præsens & futurum. Nam vt Apostolus ait, *Nec debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs.* Et S. Basilius in Ps. 7. *Debetur*, ait, *liberis à parente secundum naturalis amoris affectũ sustentandæ vitæ proventus. Parentum est enim, inquit, colligere, sive thesaurum relinquere liberis, vt præter hoc, quod ad vitam illos genuerunt, etiam vivendi subsidia subministrent.* In quo etiam continentur omnia illis necessaria, vt muneri alicui, vel sæculari, vel Ecclesiastico gerendo idonei fiant, vel vt victum lucrari valeant. Vnde graviter peccant, qui neglectâ filiorum curâ, bona sua dilapidant, aut tam multa in alios conferunt, vt pro filijs alendis parum supersit; aut qui ob alias nuptias initas priorum obliviscuntur filiorum. Priores perstringit S. August. reprehendens Ediciam epist. 199. quæ tam multa erogarat in pauperes, vt parum restaret filij sustentationi. Posteriores D. Basilius loco citato dicens: *Si leana diligit eam, quæ ex ipsa profluxit, prolem: si lupus pro suis catulis pugnat, quidnam ipse dixerit homo, si neque mandatis obtemperat, & naturam ipsam adulterat, cum &c. pater ob secundarum nuptiarum societatem, priorum obliviscitur filiorum.* His iunge, qui non advigilat, vt tempestivè vel opificium addiscant, vel rei litterarię eo vsque dent operam, donec inde valeant victitare.

Basilius

August.

9. Sed quæres vltimò, an pater semper teneatur filio vsque ad illam ætatem alimenta prẹstare?

Respondeo affirmativè, Exceptis his tribus casibus, primus est, quando pater est in tali necessitate, vt ipse indigeat ad suam sustentationem. Secundus, quando filius habet artem, & industriam aliquam, cuius beneficio sibi potest commodè providere. Tertius, quando filius incidit in crimen ingratitudinis, propter quod potest exhæredari: tunc enim licet denegare, nisi sit in extremâ necessitate. Hæc de educatione.

Discursus V.

Quid vlterius vtrique parenti incumbat?

Ecclef. 30.


SApiens Ecclesi. 30. cap. dicit: *Qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur.* Quę verba insinuant, instruentem filium reportaturum inde gloriam. Quęro an parentes ad hoc teneantur?

1. Deuteron. capite 10. mandat Moyses Iudæis observare præcepta Dei, & continuò eorum recordari, & tum addit: *Docete filios vestros, vt illa meditentur*, insinuans hoc spectare ad munus parentum, vt filiorum habeant rationem non solùm quoad corpus, sed præcipuè quoad salutem animæ; illosque erudiant in ijs, quæ necessaria sunt ad salutem. Imò eousque

Deut. 10.

eousque filios instrui voluit, vt illos latere noluerit ea, quæ ad recordationem beneficiorum Dei, & gratitudinem spectant: hinc enim Exod. 12. speciatim voluit filios doceri rationem festi Paschatis, dicens: *Cum introieritis terram, quam Dominus daturus est vobis, & pollicitus est, observabitis ceremonias istas. Et cum dixerint vobis filij vestri: Quæ est ista religio? dicetis eis: Victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israel in Aegypto percutiens Aegyptios, & domos nostras liberans.* Similiter D. Paulus ad Ephes. 6. docuit parentibus incumbere instructionem filiorum, iuxta legem Euangelicam, dum illis præcipit: *Vos patres &c. educate illos,* suppl. filios, *in disciplinâ & correptione Domini.* Ea autem sunt, quæ de necessitate medij & præcepti, Discursu 2. & 3. in primum Præceptum docui esse necessaria.

Exod. 12. Ephes. 6.

2. Præceptum autem hoc obligat sub peccato mortali parentes, quandoquidem est de re gravi, vnde salus dependet: ita vt si pater suo officio defuerit, mater teneatur supplere eius defectus. Probatur ex Apostolo, qui 1. ad Timoth. 5. dicit: *Si quis autem suorum, maximè domesticorum curam non habet: fidem negavit, & est infideli deterior.* Gentiles enim ductu naturæ domesticorum curam habere solebant. Hinc D. Chrysostomus homil. 14. in illum locum: *Quando, quod infidelis facit, tu facere negligis, nonne fidem abnegasti: non igitur in solâ confessione: sed multò magis in effectu operis fides ostenditur.* Rursus idem Apostolus 1. ad Tomoth. 2. de muliere dicit: *Salvabitur mulier per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione, cum sobrietate.* id est, Esto, non doceat mulier (quod antea prohibuerat Apostolus) non deerit illi pia occupatio, adeóque salvabitur non per librorum, sed per liberorum tractationem; seu meritum acquiret, si liberos in fide & moribus Christianis educet: nam sub generatione Apostolus educationem complectitur, quia illa est completa generatio, & formatio filiorum. Sic S. Monica salvata est, & multos salvos effecit, per sollicitam educationem & curam S. Augustini, de quâ ipse lib. 3. Confess. cap. 11. & seqq. Appositè in hunc locum Chrysost. homil. 9. *Audite*, inquit, *ista parentes, ac prorsus aspicite huiusmodi educationem magnorum præmiorum causam fore.* Et paulò post: *Neque enim,* inquit, *parvi meriti est indultos à Deo liberos ad ipsius exercere militiam, eisque ab ipsis infantiæ pannis dedicare. Nam si huius educationis fundamenta iecerint, maximis afficiendi sunt præmijs; quemadmodum si neglexerint, gravissimis cruciatibus.*

1. Tim. 5. Chrysost. 1. Tim. 2. Chrysost.

Idem Auctor hanc rem perpendens hom. 40. ad populum, inquit, negligentiam instructionis filiorum inter alia, causam esse, cur pauci salventur. Sic enim populi Antiocheni conscientiam compellat. *Quot esse putatis in civitate nostrâ, qui salvi fiant? infestum est quidem hoc, quod dicturus sum, dicam tamen: non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salventur: quin & de his dubito. Quanta enim in iuvenibus quæso malitia? quantus in senibus torpor? filij curam gerit nemo, nemo Zelum habet, vt senem respiciens imitetur: exemplaria deleta sunt, propterea neque iuvenes evadunt laudabiles.* Quod D. Chrysostomus ibidem ait, hoc experientiâ scimus non mirum esse, qnandoquidem non obstante virorum gravium sedulâ disciplinâ, & huic rei seriò incumbentium, tanta adhuc deprehenditur inscitia necessariorum ad salutem; vt vel in vnâ Parochiâ vrbis populosæ probabiliter millia timeantur ex ijs æternum perdenda.

3. Sed dices, Parentes maximè laborant, vt proles aliquid addiscant, quo aliquando victum lucrentur. Et in hoc negotio tantoperè impediuntur, vt tempus nullum restet spirituali disciplinæ.

Respondeo, hi faciunt, quemadmodum Pharisæi, qui decimas dabant mentæ & anethi, & cymini, sed relinquebant quę graviora erant legis, *iudicium & misericordiam, & fidem.* Matth. 23. Vnde illis congruit, quod Christus respondit & intorsit in Phari-

Matt. 23.

Pharisæos: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Prius enim & ante omnia sunt curanda quæ spectant ad salutem, dicente Salvatore: *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* Vnde sedulò his incubuit Abraham, Genes. 18. Iob. cap. 1 qui non solùm necessarijs filios instruxit; sed etiam sollicitus fuit, ne quæ invidia inter eos lateret, vti inter Cain & Abelem, & hinc vt plurimùm pro illis sacrificabat, vt Deum haberent propitium, ratus tunc eos omnia habere; vt expriment illa verba: *Consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos dies: dicebat enim, ne peccaverint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Iob cunctis diebus.* In quæ verba Chrysost. homil. 3. ad Philippenses: *Pro liberis suis sacrificabat Iob, & à peccatis illos liberabat, Ne quid, inquit, fortè perversi cogitaverint in cordibus sui. Ita providendum est liberis. Non dicebat, quemadmodum plurimi solent, relinquo illis quam habeo substantiam: non dicebat, dabo illis gloriam: non dicebat, emam illis principatum: non dicebat, emam illis agros: sed quid? ne fortè cogitaverint aliquid in cordibus suis. Quæ namque poterit esse vtilitas eorum, quæ in hâc vitâ sunt? Nulla. Reges, inquit, omnium principum illos efficiam, & nihil erit amplius, quod desiderari queat. Dominus enim, inquit, pascit me, & nihil mihi deerit. Is namque divitiarum, is thesauri loco est: quod si timor esset Dei, nullâ re destitueremur. Hic verò si non fuerit, etiam si regnũ habuerimus omnibus tamen pauperiores sumus. Nihil illi adæquari poterit, qui timore Dei præditus est.* Sic Tobiæ nihil magis cordi fuit, quam filium instruere de præceptis vitæ. Hinc Cyprianus sermon. de opere & eleemosynâ, parentes monet ipsum imitari: *Esto, inquit, liberis tuis pater talis, qualis Tobias extitit. Da vtilia & salutaria præcepta pignoribus, qualia ille filio dedit: Manda filijs tuis, quod & ille mandavit, dicens: Et nunc, fili mi, mando tibi: servi Deo in veritate, & fac coram illo, quod illi placet. & filijs tuis manda, vt faciant iustitiam, & eleemosynas, & sint memores Dei, & benedicant nomen eius omni tempore. Et iterum: Omnibus diebus vitæ tuæ fili mi dilectissime Deum in mente habe, & noli præterire præcepta eius, Iustitiam fac omnibus diebus vitæ tuæ, & noli ambulare viam iniquitatis, quoniam agente te ex veritate, erit respectus operum tuorum.* q. d. Servi Deo sincero cultu: nam vt ait Apostolus: *Finis præcepti est charitas de corde puro, conscientiâ bonâ, & fide non fictâ.* Adhæc serva pietatem, illa enim ad vitam ducit, iuxta illud Christi, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* vt autem facilius illam custodias, & à iustitiæ ac charitatis tramite non aberres, cogita Deum vbique præsentem, singula intueri, nec te pœnam evasurum, si eum neglexeris, neque prœmium tibi defuturum, si sincero corde ipsum colueris. Et rectè. Magnus enim thesaurus, quem parentes filijs relinquere possunt, est bona educatio: illa enim cætera suppeditat, veluti opes, sapientiam, virtutem, honestam vitam, præsentem & æternam. Et eodem loco parentes qui magis ditescendis liberis, quam pietate imbuendis student, prævaricatores & proditores vocat, sic aiens: *Prævaricator & proditor itaque pater es, nisi filijs tuis fideliter consulas, nisi conservandis eis religiosâ & verâ pietate prospicias. Qui studes terreno magis quàm cælesti patrimonio, filios tuos Diabolo magis commendare, quàm Christo, bis delinquis, & geminum ac duplex crimen admittis: & quòd non præparas filijs tuis Dei patris auxilium, & quòd doces filios patrimonium plus amare quàm Christum.* Sic Cyprianus, & meritò. Deus enim vetans nimiam sollicitudinem dixit: *Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.* Adeòque Chrysostomus, aduersus vituperatores vitæ monasticæ, huiusmodi homines parricidis esse immaniores declarat: *Hos ego,* inquit, *patres, quod nemo tamen me commotiùs dicere quam veriùs existimet, parricidis ipsis immaniores sceleratioresque dixerim. Illi enim corpus ab animâ dissipant; isti & animam, & corpus æternis ignibus tradunt. Atque is quidem qui corpore*

Marginalia: Genes. 18. Iob. 1. — Chrysost. — Cyprianus — Matth. 19. — Cyprianus — Chrysost.

corpore occiditur, necessariò naturali lege, etiamsi necatus non fuisset, moreretur. Hic verò sempiternam mortem vitare potuisset, nisi hanc illam consciuisset paterna negligentia. Præterea corporis mortem superveniens protinus resurrectionis gloria delere poterit facillimè: animæ verò interitum solari poterit, cum sibi nulla iam sit reliqua salutis spes, verum immortales cruciatus luere cogatur. Itaque non iniuriâ parentes eiusmodi deteriores parricidis esse diximus. Non enim ita crudele facinus videtur gladium acuere, & armare dexterã, atque in ipsum filij guttur immergere, vt animam perimere, atque corrumpere. Nihil enim huic ad honorem & dignitatem simile habemus.

Non ita Tobias, sed longè aliter, vt patet c. 4. vbi non vult filium sollicitum esse de bonis temporalibus, dum in paupertate existeret, sed virtutem sectari, & confidere in Deo. *Noli*, inquit, *timere fili mi; pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* Sciebat enim neminẽ posse gratum esse Deo, qui huic muneri deesset: quia
Genes. 18. Deus dixerat Genes. 18. *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum: cum futurus sit in gentem magnam ac robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ? Scio enim quòd præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam.* Itaque duo adducit, quare non possit ipsi denegare revelationem sui secreti de puniendis Sodomitis, videlicet, quia decoratus est ab ipso insigni posteritatis & benedictionis beneficio. Alterum, quòd sciat Abrahamum per punitionem Sodomorum velle suos posteros erudire, vt ab eorum peccatis caveant. Rursum sciebat se quantumcumque probum, si filij salutem non curaret ignominiam sibi ex tunc post mortem consciscere; quod indicant verba Sapientis Eccles. 11. *Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filijs agnoscitur vir.* Neminem laudaveris in vitâ suâ, quia in filijs post mortem patris agnoscetur qualis fuerit vita
Eccles. 11.

eius: significans eius probitatem colligi posse ex filijs, si eos bene à se institutos relinquat, & Deum timentes: nam iuxta adagium, *Patrem sequitur sua proles.* Vnde Sapient. 3. dicitur: *Ex iniquis omnes qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversus parentes in interrogatione suâ.* Et in Proverbijs dicitur: *Gloria patris, filius sapiens.* Et Solon quoque suum Telum beatum non prædicasset, nisi reliquisset liberos & nepotes bene institutos. Denique sciebat à bonâ vitâ patris, felicitatem dependere filiorum, iuxta illud Psal. 111. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. Potens in terrâ semen eius, generatio rectorum benedicetur. Gloria & divitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Quasi diceret Deum ex felicitate & benedictione, quâ accumulat posteros, declarare parentes sibi fuisse gratos.
Sap. 3.
Psal. 111.

4. Eheu quàm multi hæc oracula contemnunt! & quasi Deus non esset, filiorum ditescendorum causâ, omnem iniustitiam exercent, rati Deum hæc non tanti põderare. Quo quid stolidius? Audi, si placet, D. Basilium hom. 21. in aliquot Scripturę loca, vbi huiusmodi parentes strenuè monet, primùm hæc esse cavenda, dicens: *Quæ tibi à Domino ex Euangelio dicuntur, facile nosti: Ne igitur liberos prætexas, ne honestam apparentem causam ad peccati occasionem adferas: qui enim filium fecit, & te fecit, qui etiam tibi occasiones nutriendi præbet, & filio præbebit vitæ subsidia. Quilibet enim propriæ vitæ rationem reddet. Quid nosti, cui thesaurizas? Thesaurizat, inquit Psalmus, & nescit cui congregabit ea. Filius namque eorum est sæpe occasio, quæ cumulantur; quæ tamen deinde aut furis rapacitas, aut parasitorum sycophantarumue nugæ, siue hostium præda diripiunt ac dilacerant, aut fames grassando absumit. Multa sunt enim quæ rem tollant atque absumant.* Et immediatè post, corda eorum pulsans, inquit: *Dic, obsecro, quando à Deo liberos petijsti, quando filiorum pater esse desiderabas, num tuis precibus hoc addidisti? Da liberos rogo, vt illorum prætextu avarus factus gehennæ tradar? Da liberos, ne man-*
D. Basilius

mandatis tuis obediam: da liberos vt Euangelium despiciam. Non profectò hâc conditione postulasti, sed filios quærebas vitæ adiutores communis. Doce ergò bonis & verbis, & exẽplis quales eos erga Deum oporteat esse, qualesque sæpenumero vidisti. Hæ namque sunt veræ diuitiæ, ipsâ pecuniâ multò pretiosiores. Hæc hæreditas bona à patre filijs relicta. Secundò idem auctor affirmat ex humanis rationibus, quòd hâc ratione privabunt filium amicis, patronis, quodque bona pessum ibunt; sic enim philosophatur; *Relinque bonam filijs memoriã magis quàm diuitias multas. Fac omnes filio tuo ratione pietatis ac beneficẽtiæ patres. Necesse enim te quandoque è vitâ discedere, deinde filium relinques paruum, tutorum auxilio indigentem. Si bonus honestusque fueris, quilibet ex te descendentem vti suum nutriet. Reminiscetur quod & tu quoque orphanorũ pater, dum licuit, fuisti. Si vero in malitiâ vixeris, ac multos in vitâ læseris, & omni ferâ truculentior fueris ijs, qui tecum commercium habent, demùm cum è vitâ discesseris, filium tuum communem omnium hostem relinques. Quemadmodum enim Scorpij filium, quicumque aspexerit, metuet, ne, vbi per ætatem licuerit, patris venenum imitetur: sic item ex te descendentes liberos, vt paternæ iniquitatis hæredes futuros, priusquam ad ætatem veniant, omnes cauebunt, illisque insidiabuntur. Quid igitur plures insidiatores, ac inimicos tuis liberis paras? cum potius, si toto tempore viveres, dare te operam oporteat multorum beneuolentiam ad tuorum tutelam habere adiutricem? Quoniam autem incertum est quamdiu viuas, relinque per beneficentiam multos, qui pro te rem curent: ne quando te discedẽte è vitâ, deinde diuitijs, quas congregas ad successorem ob odium fortè apud homines contractum minimè prouenientibus, moueant omnes caput, ac dicant: Quomodo malè parta malè labuntur, & ad filios minimè transmissa sunt. Hæc ego tibi prædico ex humanis rationibus.*

Idem.

5. Quæres quandò filij instruendi sint de his quæ ad religionem, & mores pertinent.

Respondeo à septennio, aut quãdo ad vsum rationis peruenerunt. Vide dicta Discursu 3. in primum Præceptum. n. 13. Idque congruenter illâ ætate fieri insinuant Scripturæ: Ieremias enim Threnor. cap. 3. ait: *Bonum est viro cum portauerit iugum Domini ab adolescentiâ suâ*, id est, iugum legis & mandatorum Dei, vt Deo obediat, & illius iugo colla submittat. Et Sapiens Prouerb. 22. cum ait: *Prouerbium est, adolescens iuxta viam suam, cum senuerit, non recedet ab eâ.* Et ratio dictat, sic de illis curam esse suscipiendam, sicut docet Agricolam nouellarum plantarum primam curam gerere, & initijs esse invigilandum, à quibus tanquam à fundamentis vniversa ædificationis fabrica pendet; vnde D. Basilius: *Animus, dum adhuc tener est, & ritu ceræ, quæ impressas in se formas quascumque facillimè recipit, confestim ab initio omni rerum bonarum imbui exercitatione debet; quo videlicet, vbi postea vsus rationis accesserit, & habitum rerum iudicandarum ætas attulerit, pietati iam ab ineunte ætate assuetus, nullo impedimento cursu vtatur facili, cum & ratio quid expediat, admoneat, & ad id assequendum facilitatem præbeat consuetudo.*

Thren. 3.

Prov. 22.

Basilius.

S. Ambrosius similiter docet egregios inde fructus prouenire serm. 19. in Psalm. 118. *Qui, inquit, à iuuentute iugum portauerit, & habenis maturi moderaminis, teneriora volens colla subdiderit, sedebit singulariter remotus à strepitu interpellantium passionum, & quietus silebit: cui necesse est iam non iurgari cum corpore, decertare cum varijs cupiditatibus: quia tulit iugum verbi anima, quæ quærit Deum, quæ captiuas sibi fecit omnes delicias iuuentutis.*

Ambros.

6. Vis id videre per exempla, attende Susannam, quæ ex tali instructione parentum aduersus impuros senes constanter se continuit in virtute, & aduersus iniustos tortores patienter se habuit: illorum enim fregit libidinem; horum crudelitati patienter se permisit. Cum enim Scriptura hæc æternitati traderet, præmisit: *Erat vir habitans in Babylone, & nomen eius Ioacim: & accepit vxorem nomine Susannam filiam Helciæ, pulchram nimis, & timentem Deum; parentes enim illius, cum essent iusti, erudie-*

Daniel. 13.

runt filiam suam secundum legem Moysi. Tobias etiam benè à puero nutritus in senectutis laboribus animum non despondit: *Cum ab infantiâ suâ*, inquit textus, *semper Deum timuerit, & mandata eius custodierit, non est contristatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis evenerit ei: sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ*,
Tob. 2. Tob. 2. Eleazarus quondam senex, cùm & à tyranno, & ab amicis, ac denique ab ipsis cruciatibus coràm positis, ad divinam legem violãdam cogeretur, se contra hæc omnia tela nequitiæ firmissimo præsidio obarmavit, nimitum vnicâ recordatione vitæ benè à puero institutę, *Cogitare cæpit*, inquit historia, *ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque à puero optimæ con-*
2. Machab. 6. *versationis actus*, 2. Machab. 6. Quibus armis munitus alacriter respondit, *præmitti se malle in infernum*, quàm à divinâ lege, cui à puero adhæserat, separari. Apostolus etiam cùm Timotheum ad labores totius vitæ facilè devorandos excitaret, bonam à primâ infantiâ institutionem illi in memoriam revocavit: *Tu verò*, inquit, *permane in ijs, quæ didicisti, & credita sunt tibi: sciens à quo didiceris, & quia ab infantiâ sacras litteras nosti*, 2. ad Tim.
2. Tim. 3. 3. Res profectò magni momenti; ex eâ enim dependet status Reipub. præsens & futurus: *Pietas* enim *ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ*, vt ait Apostolus
1. Tim. 6. 1. Tim. 6. Talia enim tempora expectare debemus, qualiter instructos videmus pueros in disciplinâ & lege Domini, vt constat ex prædictis, qui eâ de causâ constantiam in fide & virtute servaverunt; & alios tum verbo, tum exemplo docuerunt.

7. Sed dices, parentes sæpè ita occupãtur rebus familiaribus, mercaturâ, alijsque negotijs, vt his vacare non possint.

Respondeo, si parentes per otium liberos in rectâ doctrinâ & moribus instituere vel nõ possint, vel nolint, teneri sub mortali alijs ad id idoneis hanc curam committere. Quod enim quis per se ad hoc obligatus, nõ potest exequi, obligatur facere per alium, qui eius vices suppleat. Multa leguntur apud Hebræos in hanc rem fuisse collegia Prophetarum, 1.
Reg. 10. & 1. Reg. 19. & 4. Reg. 2. & c. 1. Reg. 10.
6. seu vt vocat Chaldæus, domos do- 1. Reg. 19.
ctrinæ; in quibus bonæ spei iuvenes 4. Reg. 2. & 6.
sub magnis præceptoribus, Samuele, Heliâ, Helisæo, ac similibus proficerent ad pietatem. Vt quemadmodum ad tuendam Rempub, propugnacula cõstruuntur; ita ad fidem religionemque servandam illa collegia fundarentur. De his collegijs vide Barrad. tom. 1. concord. lib. 5. c. Barrad.
23. Eandem ob causam apud Catholicos, tot Academiæ, seminaria, & collegia eriguntur, frementibus hæreticis, plaudentibus Catholicis, faventibus summis Pontificibus, tum in alijs Concilijs, tum novissimè in Tridentino sess. 23. cap. 18. vt sub his bonarum disciplinarum arcibus farta tectaque fides conservetur. Olim etiam solet antiquitas tradere filios religiosis in illum finem, & ob eam rem subinde Eremum colentes ad eius desertionem cogere. Cuius illustre exemplum scribit D. Chry- Chrysost.
sost. lib. 3. adversus vituperatores vitæ monasticæ, de quâdam matronâ, quæ dum maritum haberet durum, immitem, asperum, mundique negotijs vehementer intentum, eâque de causâ filium periculis eripere satageret, persuasit Eremitæ deserta relinquere; cuius historiã sic refert dictus Auctor in personâ Eremitæ: *Eiusmodi artem excogitat. Domum me accersit ex Eremo, mecumque cuncta sua consilia communicãs, apprehensam pueri dexteram inseruit manibus meis. Cùm verò illam percunctarer, quid sibi hoc vellet? Vna, inquit, hæc nobis reliqua spes obtinendæ filio salutis: Si volueris tu, & passus fueris in pædagogi ordinem descendere, sumptoque puero à nobis proficisci*. Et paulò post rem ita prosequitur: *Cæterùm tu mihi in hâc parte consenti, mecumque salubrem illam functionem simul laturum pollicere. Non parva res agitur, non pro minimis deprecor, de filij mei animâ certamen est atque periculum. Non ergò spernas cunctorum amantissimum, mihiq; ipsâ*

ipsâ luce chariorem, periclitantem. Eripe illum laqueis vndique iam paratis & positis, educ ex procellâ, & tempestate, & turbine. Sin verò tu gratiam præstare nolueris Deum iam medium nostrum appello, & testem voco, me quidem nihil eorum omisisse, quæ ad huius pueri salutem pertinere videbantur, mundamque me esse à sanguine pueri istius. Quod si quid illum eiusmodi cōtigerit pati, quale vt patiatur fieri, vehementer potest, quippe iuvenis, & in tantis delicijs degens, tantâque vita negligentiâ: abs te & de tuis manibus requiret Deus animam pueri istius. His plura etiam adijciens, miserabiliter & vehementer illachrymans, persuadit tandem, vt hoc negotium susciperem, atque cum his mandatis à se dimisit.

Res profectò notatu dignissima, pro ijs qui neglectâ curâ salutis summam rationem habent, vt filios ad exteras partes mittant, quatenus sæculi negotia optimè consequantur, non considerantes apud quos filios constituant. Quin etiam pro ijs, qui studiorū causâ filios ad vniversitatem destinant, nec rationem habēt, apud quos victus gratiâ illos collocēt. Cōtingit enim sæpè ex eo plurimos infici hæresi, atheismo, & sic ad omne genus vitiorum prolabi, à quibus ne quidem in senectute purgatos omnino deprehendes. In quos meritò invehitur Chrysostom. hom. 60. in Matt. cum taxat eos, quorum in deligendo agasone anxia plerumque magis est cura, quàm in pædagogo filiorum: *Maiorem*, inquit, *asinorum ac equorum, quàm filiorum curam habemus: nam si asinis agaso nobis præficiendus est, non parùm vigilamus, ne dementem, aut temulentum, aut furem, aut rei eius imperitum præficiamus: Sin verò ad colendum filiorum ingenium pædagogus sit nobis inveniendus, qui casu oblatus fuerit, eum recipimus, nec cōsideramus nullam artem hoc artificio sublimiorem inveniri. Quid enim maius quàm moderari, quàm adolescentulorum fingere mores? Omni certè pictore, omni statuario, cæterisque huiusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui iuvenum animos fingere non ignoret.* Chrysost.

Discursus VI.

Quo modo in bonis moribus instituendi sint à parentibus filij?

Idem. Ivus Chrysostomus hom. 60. in Matthæum tanti facit eos, qui pueris instruēdis incumbunt, vt ipsos insignioribus artificibus præferat: *Omni*, inquit, *certè pictore, omni statuario, cæterisque huiusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui iuvenum animos fingere non ignoret*. Res certa est, sed quia multùm à modo pendet, hinc quæram quod in argumēto ponitur.

1. Tantùm valet institutio, teste Ambrosio, vt vincat naturam: adeò vt nulla malignitas tanta sit, quam non assidua virtutis exercitatio corrigat. Vt enim lenta mollissimi elementi stillicidia, ingentia conterebrant marmora, sic vigilās erudientis cura animorum, eos flectit, & ad virtutem trahit. Probat hoc Seneca exemplis eorum, qui feras domant: *Certi*, inquit, *sicut domitores ferarum, qui sævissima animalia, & ad occursum exterrentia hominem, docent pati iugum: nec asperitatem excussisse contenti, vsque in contubernium mitigant. Leonibus magister manū insertat, osculatur tigrim suus custos, Elephantem minimus Ethiops iubet subsidere in genua, & ambulare per funem. Sic sapiens est artifex domandi mala.* Quid ni magis in homine? quid ni potiùs in puero?

2. Vt autem congruus modus servetur. Dico iuxta instructionem in fide & moribus tam parēti quàm pædagogo seu vices gerenti necessarium esse præire exemplo. Facta nimirum dictis præstātiora sunt, & faciliùs ducūt ad imitationē, influunt potētiùs, hauriuntur altiùs, inhærēt tenaciùs, & calcar quodāmodo addunt, etiam reluctāti: Audi desuper

Seneca. Senecam, *Longum iter est per præcepta,*
breve & efficax per exempla. Zenonem
Cleanthes non expressisset, si eum tantum-
modo audivisset: vitæ eius interfuit, secre-
ta perspexit, observavit illum, an ex for-
mulâ suâ viveret. Plato & Aristoteles plus
ex moribus, quàm ex verbis Socratis tra-
xerunt. Metrodorum & Hermachium, &
Polyænum magnos viros, non schola Epi-
curi, sed contubernium fecit. Et nescio,
Act. 1. an non hinc illud: *Cæpit Iesus facere &*
docere. Verè & Christianè dictum ab
Cyprian. homine Ethnico: vt enim ait Cy-
prianus, lib. de duplici Martyrio, *Ef-*
ficacius est vita, quàm lingua testimo-
Matth. 7. *nium*, adducens illud Matth. 7. *Non*
omnis qui dicit, Domine Domine, intrabit
in regnum, sed qui facit voluntatem patris
cælestis Et subiungit: *Habent & opera*
suam linguam, habent etiam suam facundiã
tacente linguâ. Addere potuisset illud
Matth. 5. *Qui fecerit & docuerit hic ma-*
Matth 5. *gnus vocabitur in regno cælorum* Et hinc
Petrus Damianus serm. 19. *Iuxta con-*
versationem parentum sæpe proveniunt
merita filiorum; vt & honestis progenito-
ribus proles honesta respondeat. Patet
exemplo Eleazari, qui 2. Machab. 6.
pro patrijs legibus maluit mortem
obire, quàm simulare, vt sic alijs es-
set, fortè exemplum. Sic enim aie-
bat, cum pro carne suillâ alia licita
quasi illicita offerretur, vt vitam ser-
varet; *Non enim ætati nostræ dignum est*
fingere; vt multi adolescentes arbitrantes
Eleazarum nonaginta annorum transisse
ad vitam alienigenarum, & ipsi propter
meam simulationem, & propter modicum
corruptibilis vitæ tempus decipiantur, &c.
Quamobrem fortiter vitâ excedendo se-
nectute quidem dignus apparebo: adolescẽ-
tibus autem fortè exemplum relinquam, si
prompto animo, ac fortiter pro gravissimis
ac sanctissimis legibus honestâ morte per-
fungar, vt reipsa perfunctus est. Quo
fructu? Ait Scriptura cap. 7. *Contigit*
Cap 7. *autem septem fratres vnà cum matre suâ*
apprehensos compelli à rege edere contra
fas carnes porcinas, flagris & taureis cru-
ciatos. Vnus autem ex illis qui erat primus,
sic ait, Quid quæris, & quid vis discere à
nobis? parati sumus mori magis, quàm pa-
trias Dei leges prævaricari Et sic cæteri,
suo modo responderunt: quos Gre-
gor. Nazian. orat. 22. ad Antiochum *Nazianz.*
tyrannnm sic loquentes introducit:
Ab illis genus ducimus, illorum discipuli *Exod. 13. 16.*
sumus, quibus ignis nubisq; columna viam *Exod. 14.*
commonstrabat, quibus mare scindebatur, *17.*
fluvius sistebatur, Solis cursus reprimeba- *Iosu 3. & 10.*
tur, panis vt pluvia fluebat, manuum extẽ- *Daniel. 14.*
sio numerosissimos exercitus per orationem *Daniel. 3. 6.*
fundebat, atque in fugam vertebat; quibus
feræ cedebant, nec vis flammæ eos attinge-
bat: ac reges eorum fortitudinem admiran-
tes, discedebant Et subiungens quod
hìc cõgruit, inquit, *Atque vt quidpiam*
eorum quæ tibi cognita sunt, proferamus,
Eleazari discipuli sumus, cuius tu magnitu-
dinem animi perspectam & exploratam
habes. Pater prius decertavit: Filij postea
certabunt. Sacerdos abscessit: victima se-
quentur. Multa quidem minaris: verùm
ad plura parati sumus. Quid autem nobis,
vir superbe atque insolens, minis istis tuis
facies? aut quo cruciatu afficiemur? nihil his
hominibus fortius, qui ad quidvis perferẽ-
dum prompto & parato animo sunt. Carni-
fices, quid cunctamini? quid moras nectì-
tis? quid benignum & suave iussum expe-
ctatis? vbi gladij? vbi vincula? celeritatem
requiro. Ignis amplior accendatur, acriores
feræ producantur, exquisitiora tormenta
proferantur, sint omnia regia & splendida.
Et cum multa in hanc rem præclara
disseruisset, tam de filijs constanter
agentibus, quàm de matre filios ani-
mante, & pro ijsdem legibus mortem
oppetente, addit: *Valete matres, valete*
filij. Sic a vobis prognatos educate: sic ipsi
educemini. Pulchrum vobis exemplum de-
dimus: facite vt ad eũdem modum certetis.

Adeóq; verum est, quod ait Hie- *Hieron.*
ronymus epist. 3. ad Heliodorum vo-
lens eum compescere super morte
Nepotiani Præsbiteri eius nepotis,
qui diem extremum adhuc iuvenis
obierat. *In te oculi omnium diriguntur:*
domus tua, & conversatio, quasi in specu-
lâ constituta, magistra est publica disciplinæ
quidquid feceris, id sibi omnes faciendũ pu-
tant. Cave ne committas, quod aut, qui re-
prehendere volunt, dignè lacerasse videan-
tur, aut, qui imitari, cogantur delinquere.
Vince quantum potes: immò, plus quàm po-
tes, mollitiem animi tui, & vbertim fluen-
tes lachrymas reprime: ne grandis pietas in
nepotem, apud incredulas mentes despera-
tio

tio putetur in Deum. Rursum verum est, vbi exempla desunt, reliquos Chrysost. pessum ire, ita vt Chrysostom hom. 40. ad populum dicat: *Exemplaria deleta sunt, propterea neque iuvenes evadunt laudabiles*: expresè ibidem affirmans exinde paucos salvatum iri.

3. Sed dices, quid tantòperè vrgere exempla, cùm ex pessimis parentibus certum sit optimos filios processisse? Abraham enim ex Thare Genes. 11. prodijt Genes. 11. idolorum fabricatore & adoratore. Ezechias ex A- 4. Reg. 16 chaz homine infideli 4. Reg. 16. Io- 4. Reg. 21. sias ex Ammone 4. Reg. 21. Timo- Act. 16. theus ex patre gentili, Act. 16.

Respondeo hoc extraordinarium esse, nec trahendum in consequentiam: divina enim providentia id sic disposuit, ne quis maiorum suorum malitiam contemplatus, de propriâ virtute desperet: sed potiùs eam acquiri à se posse confidat, si acquirendi labor impendatur, licet parentes mali sint. *Etsi enim*, inquit Petrus Da- Petrus Damian. mianus opusc. 6. cap. 19. *fur sit ille, qui seminat, terra tamen, auctore Deo, vires germinandis frugibus administrat. Licet sordida sit manus, aut leprosa, quæ plantat, mundus certè fructus decerpitur, cum ad maturitatis plenitudinem pervenitur. Ex adulterino sæpè côiugio pulchra soboles nascitur: & ex obscenâ voluptate parentum spectabilis oritur species liberorum.* Imò Deus hoc sic voluit, vt laudabilior haberetur filius, quo parentes ha- Chrysost. buisset deteriores. Quod notavit D. Chrysostom. perpendens Abrahæ virtutes: *Propterea, inquit, laudo iustum, qui tales parentes habens, talis ipse factus. Ecce enim valdè rarum & admirabile est, ex agresti radice dulcem fructum produci.* Atque hinc laudationis argumentum desumens, *Non accusandi sunt*, inquit, *ob parentum malitiam filij piè viventes: sed & vt admirabiles habendi; eò quòd cùm pietatem à parentibus non acceperunt, nec habuerunt, qui manu ducerent; quasi in eremo & invio euntes, viam quæ in cælum fert, invenire potuerint. Nô igitur crimen est, habere patrem impium: sed imitari patris impietatem.* Deinde non est dubitandum, quin plurimi, qui parentes pessimos habuerunt, aliorum piorum exemplo, ad parentum vitia detestanda, pietatem sectandam, commoti sint.

4. Pergo igitur & dico secundò, optimum modum esse alios educandi in disciplinâ Domini, intima sibi concreditorum perspecta habere, eorumque pravos mores sub initia compescere, iuxta illud Cant. cap. Cant. 2. 2. mysticè explicatum: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Sic instruit Hieronym. Eustochium Hieron. filiam Paulę nobilis apud Romanos matronæ, dum illam docet, quomodo virginitatem custodire debeat: *Nolo*, inquit, *sinas cogitationem crescere. Nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. Dum parvus est hostis, interfice: nequitiâ, ne zizania crescant, elidatur, in semine. Audi Psalmistam dicentem: Filia Babylonis misera: beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis: beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram. Quia enim impossibile est in sensum hominis non irruere, innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui vt cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitata, & allidit ad petram: petra autem Christus est.* D. Chrysostomus in Psalm. 6. circa fi- Ps. 6. nem duabus similitudinibus, alterâ incendij, alterâ naufragij idem documentum illustrat. *Quando*, inquit, *parvam animi perturbationem susceperis, ne eam neglexeris, quòd parva sit, sed considera quòd id, quod ex eâ alitur, maxima mala parit. Etenim postquam in domo aliquâ parum stuppæ accensum viderimus, côturbamur & tumultum movemus, non enim attêdimus initium: sed ex initio finem considerantes movemur, & concurrimus; vt totum caminum extinguamus. Hoc igne vehementius animam exedit vitium. Oportet itaque prævenire. Nam si fuerimus negligentes, id correctu evadet difficilius. Hoc viderit quispiam evenire etiam in navigio, & conturbari nautas, non quando mare iam superare, sed quando id facturum esse viderint. Ne simus ergo in parvis peccatis socordes, sed ea reprimamus, cum magnâ vehementiâ, vt liberemur à maioribus & bona futura consequamur.*

Quod hi Doctores in prædictis casibus omnibus faciendum edocent

Eccl. 30 cent hoc Sapiens Eccl. 30. in instructione puerorum speciatim exequẽdum inculcat, dum ait: *Non des ibi*, supple filio, *potestatem in iuventute, & tunde latera eius, dum infans est ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi, dolor animæ.* Et ibidem: *Equus indomitus evadit durus, & filius remissus evadit præceps.* Vnde non vult cum illo dissimulari, quando correptione indiget, ne parẽs animam perdat pueri, sibíque dolorem cordis conciliet: *Lacta*, inquit v. 9. *filium & paventem te faciet, lude cum eo, & contristabit te*, id est: Si lactaveris filium, & si luseris cum illo &c. Lactare filium est blandulũ tractare, & quæcumque ei grata sunt & iucunda præbere, & indulgere. Alluditur enim ad nutricũ morem infantes lactantiũ, & cum illis ludentium: significatúrque tunc non esse lactandum filium, nec ludendũ cum illo, cum iam infantiam excessit, & ablactatus est: habet enim vnaquæque ętas, quod ei cõvenit. Si, inquit, lactaveris filium, & indulgenter cum habueris, pro lacte & dulcedine, quã ei prębes, & per quã efficis, vt te non timeat, ipse faciet te timere & pavere: dum per improbos suos mores efficiet, vt & illi, & tibi malè metuas.

Hinc veteres Romani parentes, qui animadversionem in filios negligebant, adeo exhorruerunt, vt legẽ *Falcidiã* tulerint, quã decreverant, vt ob primi delicti admissionem admoneretur filius, ob secundi castigaretur, ob tertij demum suspendio, & pater exilio mulctaretur, tanquam defectu animadversionis delicti particeps fuisset. Rigorosa erat hæc veterum castigatio, quæ si nunc locum haberet, nescio quo se reciperent, qui hoc tempore filiorum vitijs subscribunt, filias permittunt luxuriare impunè, & Herodiadis exemplo tripudiare in aliorum perniciem, vt Marc. 6 Marc. 6. cõtigisse scribitur, vbi ex instinctu matris filia ob tripudium placens Herodi, cum pręsentatione obtinendi quidquid vellet: perijt caput Ioannis Baptistæ, & obtinuit. Hoc scio quòd censuram Dei non evadent, qui, vt veteres aiunt Philosophi, aliorum vitiorum punitionem in aliud sæculum quidem solet differre, verùm minùs illa quæ committit homo malè suas proles educãdo. Vidimus hoc in Heli, 1. Reg. 3. 1. Reg. 3.
Vidimus in Davide, qui nimiam indulgentiam in filium Ammonem fratris manu, morte vidit punitam.

5. Debet autem hæc animadversio, cum peccatum est ex ignorantiâ, lenis esse in principio: si autem increscat malum, severior: ne malum foveatur. Pulchrè in hanc rẽ Chrysostomus hom. 59. in Genes. D. Chrys. *Oro, vt præbeatur manus pueris nostris, vt ne etiã pro his, quæ illi peccarunt, pœnas sustineamus. An nescitis, quid seni Heli acciderit, cum nõ debitè emendaret filiorum delicta? Quemadmodum enim Medicus, si morbum sectione indigentem vnctione aut emplastro curare voluerit, citò morbum incurabilem efficiet, cùm congruam non adhibeat medicinam: ita & senex ille, cum deberet filios suos pro peccatorum qualitate emendare, nimiâ vsus lenitate illos arguit. Proinde oro, exemplo hoc timeamus, & habentes filios provideamus eis de honestâ educatione, & in summa vnusquisque curam eorum agat, qui apud se habitant: & lucrum maximum ducat vtilitatem proximi, vt vnusquisq; discens ea, quæ ad virtutẽ pertinent, & peccati periculum effugere, & virtutem amplexatus gratiã sibi conciliare valeat.*

6. Verum non inutiliter quæres, quandoquidem Deus ita reprehendat lenitatem Heli, & in ipso omnium parentum, an liceat parentibus pro libitu austeritatem exercere in filios?

Respondeo mederationem in disciplinâ esse servandam, ita vt nec in austeritate excedatur, nec in indulgentiâ: austeritate enim imperij fit, vt pueri & adolescentes disciplinam fugere & odisse incipiant. Hinc D. Hieronymus peccati reos Hier. facit parentes, qui modum excesserint; sic enim inquit lib. 3. Comentarior. in epist. ad Ephesios: *Peccatum filiorum est, non obedire parentibus: peccatum vero parentum, parvulos filios, atque lactantes ad iracundiam provocare: aut certè iam adolescentibus, & maturioris ætatis ea imperare, quæ gravia sunt. Sicut igitur*

in filijs obsequium, & merces subiectionis est demonstrata: ita parentibus moderatum iubetur imperium, vt non quasi servis, sed quasi filijs praeesse se noverint. Quibus verbis in genere docet malum esse, sed non definit, quale peccatum in eiusmodi excessu committatur.

7. Vnde Dico primò, Parentes mortaliter peccare, qui filios castigando graviter vulnerant: sicut enim Iudici non licet notabiliter excedere in punitione corporali rei, nam *pro mensurâ peccati.* ait Moyses, Deuter. 25. *erit & plagarum modus*: ita minus parenti, cui facultas non est, qualis est Iudici. Confirmatur ex illo Apostoli Coloss. 3. vbi, quod minus est, vetat, videlicet ad indignationē filios provocare, in verbis: *Patres, nolite ad indignationē provocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant.* quod sanè sequitur, quando tam dure filij tractantur, adeò vt animum perdāt, desperent, & omne iugum, tam Dei, quàm parentum excutiant.

Deut. 25.

Coloss. 3.

8. Dico secundò, Parentes mortaliter peccare, quoties tā durè & asperè filios increpant, vt modum in corripiendo, verbis nimiam tristitiā parere natis, excedant: vt fit, quando iniuriosa verba vno gurgite effundunt in immeritos. Probatur ex eodem Apostolo, qui ad Ephes. 6. hoc inhibet, dicens: *Vos patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros.* Nam hoc modo animos stimulando, non magis quis excusatur à mortali, quàm qui notabiliter excederet. & noceret in punitione corporali. Vnde D. Thomas 2. 2. q. 72. art. 2. dicit, quod omnis animadversio & castigatio contumeliā vacare debeat.

Ephes. 6.

D. Thomas

9. Quæres iterum: An pater filiū aut filiam, qui aliquid enorme commiserunt, aut contra parentū voluntatem indigno se matrimonio copulaverunt, magnóque dedecore familiam affecerunt, aut simile quid perpetrarunt, à domo sua diu excludere possit, etiamsi veniam petant?

Respondeo, iuxta qualitatem delicti in locum pœnæ reconciliationem ipsis ad tempus negare posse; ideòque reliquis suis liberis, totíque familiæ præcipere, vt eum, qui ita deliquerit ad domum vel consortium suum non admittāt, quousque delicto convenientes pœnas luisse conseatur: illáque hāc in re parère potest, veluti ministra & executrix iustæ vindictæ paternæ. Probatur exemplo Davidis, qui Absaloni filio suo fratricidæ, gratiam ad tempus negavit, & admisso in gratiam pœnam constituit, quæ habetur 2. Reg. 29. *Revertatur in domum suam, & faciem meam non videat*, id est: non immisceat se rebus publicis, sed privatim se habeat; nec dignus sit meo aspectu: quod duravit ab biennium, vt patet ex verbis v. 28. *Mansitque Absalon in Hierusalem duobus annis, & faciem Regis non vidit.* At in hoc seriò invigilandum, ne vindicta sive pœna, quæ delinquenti irrogatur, excedat mēsuram delicti: quare in perpetuum, neque etiam ad tempus nimis longum poterunt parentes tali reconciliationem denegare: sed tantùm ad tēpus differre, quousque videbitur conveniens ad punitionem, & fines bonos, qui propositi sunt, cōsequendos; aliàs enim causa essent illius, quod vetuit Apostolus: *Ne pusillo animo fiant.* In quo sæpè videmus parentes peccare, præsertim ne dotem filiabus teneantur erogare.

2. Reg. 14.

10. Sed quæres, quid si parentes vel per se, vel per alios omnem diligētiam adhibuerint pueris instruendis, & convenientissimum modum servaverint, æquè benè filij laxent scelerum habenas, & in abrupta vitiorum se præcipitent, an parentibus hoc imputandum?

Resqondeo negativè: dicit enim Dominus Ezech. 33. cap. quod superior qui admonuerit impium, immunis erit à pœnâ. in verbis: *Si annūciante te ad impium, vt à vitijs suis convertatur, non fuerit conversus à viâ suâ: ipse in iniquitate sua morietur: porro tu animam tuam liberasti.* Ezech. 18. *filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij, iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum* Imò Theophylactus rectè asserit illis mercedem manere: *Quod si,* inquit,

Ezech 33.

Ezech. 18.

Theophyl.

inquit, *omnia fecerit* (supple mater: de illâ enim ratiocinatur) *& nihil quod ad curam attinet, prætermiserit, non poterit tamen ad rectum perducere tramitem liberos, quod raro evenit: attamen non fraudabitur sudorum suorum mercede. quandoquidem & filius Dei nihil non faciens, & dicens, paucos tamen habuerit, qui sibi morem gesserint.* D. etiam Hieronymus in cap. 1. epist. ad Titum tractans verba Apostoli, *Si quis est sine crimine, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos,* designantia, qualis in Episcopum eligi debeat, inquit: *Ceterùm illud quod sequitur: habere filios fideles, non in accusatione luxuriæ, ac non subditos, extra nostram est voluntatem. Esto quippe parentes benè instituisse liberos suos, & à parvâ ætate semper dominicis erudisse præceptis, hi si postea luxuriæ se dederint, & superati vitijs libidini frena permiserint: numquid culpa ad parentes redundabit, & sanctitatem patris filij peccata maculabunt?* q. d. nullatenus. Et argumentum resumens ab exemplis aliquorum, inquit: *Si quis bene erudivit filios suos: in his puto fuisse & Isaac, qui vtique & Esau filium suum benè instituisse credendus est. Verùm Esau fornicarius & profanus, pro vnâ escâ vendidit primogenita sua. Samuel quoque, qui talis fuit, vt invocaret Dominum, & Dominus exaudiret eum, & in tempore messis pluviam hyemis impetraret, habuit filios qui declinaverunt post avaritiam, & accipiebant munera, & tam iniqui iudices extiterunt, vt populus nequaquam ferens, regem sibi in similitudinem cæterarum gentium postularet. Ergo si electio sacerdotum fieret, & Isaac propter Esau, & Samuel propter filios suos indigni sacerdotio putarentur, et cùm peccata parentum filijs non imputentur, nequaquam iam illâ vigente sententiâ, parentes vuam acerbam comederunt, & dentes filiorum obstupuerunt, filiorum vitia parentibus præiudicabunt?* id est, non præiudicabunt. Magnum solatium parentum quando ex parte eorum non est defectus. Quibus multa exempla suppetunt sanctissimorum virorum, qui non obstãte omni vigilantiâ in disciplinâ, pessimos filios habuerunt. quæ D.

Hieronym. — Genes. 25. — 1. Reg. 8.

Augustin. commemorat epist 137. cum aliquis ex domesticis ipsius nescio quid sceleris commisisset, his verbis: *Orate quidem pro me, ne fortè alys prædicans ipse reprobus inveniar. Veruntamen cum gloriamini, non in me, sed in Domino gloriemini. Quantumlibet enim vigilet disciplina domus mea, homo sum & inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior sit quam arca Noë, vbi tamen inter octo homines reprobus vnus inventus est. Aut melior sit quàm domus Abrahæ, vbi dictum est: Eyce ancillam, & filium eius: Aut melior sit, quàm domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Aut melior sit quàm domus ipsius Iacob vbi lectum patris filius incæstavit: Aut melior sit, quàm domus ipsius David, cuius filius cum sorore concubuit, cuius alter filius contra patris tam sanctam mãsuetudinem rebellavit: Aut melior quam cohabitatio Pauli Apostoli, qui tamen si inter omnes bonos habitaret, non diceret, quod superius commemoravi: Foris pugnæ, intus timores: nec diceret cum de sanctitate & fide Timothei loqueretur: Neminem habeo qui germanè de vobis sollicitus sit. Omnes enim sua quærunt, non quæ sunt Iesu Christi: Aut melior quàm ipsius Domini Christi, in quâ vndecim boni perfidum & furem Iudam toleraverunt: Aut melior sit postremò quàm cælum, vnde Angeli ceciderunt.*

August. — 1. Cor. 9. — Genes. 49. — 2. Reg. 11. — 2. Cor. 7. — Philipp. 2.

11. Sed dices Proverb. 20. dicit Sapiens: *Iustus, qui ambulat in simplicitate suâ, beatos post se relinquet filios.* & Isa. 65. *Electi mei non laborabunt frustrà, neque generabunt in conturbatione: quia semen benedictorum Domini est, & nepotes eorum cum eis.* id est: electi laboris & patientiæ suæ vberem accipient fructum & mercedem, in pace degentes & gaudio generabunt filios Christo: & etiamsi oriatur conturbatio & persecutio, eam fortiter & quietè sustinebunt, nec turbabuntur; per eamque crescent prole, & sobole fidelium *quia semen benedictorum* &c. id est, quia sunt filij parentum fidelium, qui à Domino sunt benedicti, tùm in se tùm in filijs suis, vt vtrique sint felices & longævi.

Prov. 20. — Isa. 65.

Respondeo hæc loca tantùm indicare frequens esse, vt à bonis patribus

tribus boni filij nascantur, non autem quòd id semper contingat. Si enim id verum foret, non dixisset Ioannes Baptista Iudæis degenerantibus à patre Abraham, *Genimina viperarum, ne cœperitis dicere patrem habemus Abraham* &c. quod idem est ac si diceret, Cùm auditis quæ de venturâ irâ dixi, ne intra vos dicatis: Patrem habemus Abraham, quasi vobis sufficere arbitremini sine pœnitentiæ fructibus à venturâ irâ fugere posse propter patriam nobilitatem: non enim id assequemini, sed vana est hæc fiducia. Vult igitur Sapiens dicere ordinariè ex bonis patribus bonos filios nasci; tum propter prædicta, tum etiam quòd pij parentes filios educare soleant in sāctitate, & à primis annis discere timere Deum idque multùm prodesse. Quantum autem hoc profit, sensere Gētiles: quorum quidam dixit.

Luc. 3.

Quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu.

Experimur etiam nos, quot enim nunc Christiani, si parentes habuissent infideles, in eâdem nunc infidelitate inventi essent, quotque nunc sunt inter infideles, qui fideles essent, si tales obtinuisse parentes eis datum esset? Donum enim magnum Dei est parentes fideles, & inter fideles habere bonos, propter educationem. Quod Paulus nos docet 2. ad Tim. 11. dicens: *Gratias ago Deo meo, cui servio à progenitoribus meis.* id est, Deo gratias ago, quem colo latriâ, æquè ac progenitores mei, Abraham, Isaac, & Iacob, & cœteri deinceps, à quibus cum naturâ & existentia veram religionem & pietatem quasi per manus accepi: Licet enim Paulus aliquando iudaizarit, Christumque Deum ad breve tempus oppugnarit, retinuit tamen semper cultum & amorem vnius veri Dei, neque Christum oppugnavit ex odio: sed potius Dei zelo motus, existimans se Christi persecutione maximè Deum colere. quod innuunt verba, *in conscientiâ purâ.* Vnde mox à Deo illuminatus errorem correxit, Christique legem propugnavit. Ioannes verò vult de patriâ virtute non esse gloriandum, nisi cùm quis illam imitatur, iuxta illud Basilij: *Turpe est alienis ornare decoribus, quem virtus propria non venustat.* Similitudinibus rem magis illustrat Philo Iudæus in lib. de Nobilitate: *Quid,* inquit, *prodest oculis orbato, suorum maiorum perspicacitas nequaquam hæreditaria? Quid prodest ad dicendum elingui paterna vel avita eloquentia? Quid conferunt ad vires tabē diuturnâ confectas principes generis propter athleticum robur ascripti fastis Olympicis? Immo quid etiam, si fuêre victores in omnibus sacris Græciæ certaminibus. Ad eundem sanè modum iniustis liberis insti parentes, luxu perditis sobrij, & in vniversum malis boni vtilitatem nullam afferunt.*

2. Tim. 11.

Basilius

Philo

Discursus VII.

Quem honorem marito debeat vxor?

Eccles. 25.



SApiens Ecclesi. 25. *In tribus,* inquit, *placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus. Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier sibi benè consentientes.* Quibus verbis comprehendit consanguineos, vicinos, & coniugatos, quos dicit placere Deo, si invicem benè conveniant. Vnde nunc tractabo: quod in argumento ponitur.

1. Sub nomine (Patrem) Doctores diversos alijs subditos comprehendunt, atque etiam vxorem, quæ primùm maritum deligere debet, vti patet ex monitione parentum sponsæ Tobiæ, qui *apprehendentes filiam suam osculati sunt eam, & dimiserunt ire:* monentes

Tobiæ 10.

monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem exhibere. Illa autem dilectio debet esse affectuosa. Nam David volens indicare vehementem amorem circa Ionatham 2. Reg. 1. dixit: *Doleo super te frater mi Ionatha, decore nimis & amabilis super amorem mulierum.* q.d. in tantum te amo, Ionatha, ac mulieres amant maritos, aut filios; id est, vehementissimè.

2.Reg.1.

2. Quæritur in quo ille amor consistat? Respondeo primò in benignitate erga maritum, & reverentia. De ijs enim Paulus ad Tit. 2. & Ephes. 5 Priori loco vult vt anus domi privatim doceant adolescentulas, puta, filias, nepotes, ancillas suas prudentiam, & vt, si coniugatæ sint, viros suos ament Christiano amore, in verbis: *Anus similiter in habitu suo &c. vt prudentiam doceant adolescentulas, vt viros suos ament*, quasi dicat sic eas ô Tite instruas. Posteriori loco cùm multa dixisset de obligatione mariti diligendi vxorem, addit: *Vxor autem timeat virum suum.* id est, vt explicat D. Hieronymus, *revereatur virum suum, sicut Ecclesia reveretur & colit Christum.* Vnde idem est ac si diceret, Præcipio vt vxor non tantùm diligat virum suum, sed etiam timeat & revereatur vt superiorem & caput suum; caveatque ne eum offendat.

Tit. 2
Ephes. 6.
Hieron.

Secundò in subiectione, vt ibidem docet Paulus in verbis: *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ: ipse Salvator corporis eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.* Hâc de re Paulinus instruens Celantiam egregiè docet, quomodo se habere debeat vxor erga maritum, dicens: *Præcipuè autem in coniugio venerabili, atque immaculato Apostolicæ regula ordo teneatur. Servetur in primus viro auctoritas sua: totaque à te discat domus quantùm illi honoris debeat. Tu illum Dominum obsequio tuo, tu magnum illum humanitate demonstra, tanto ipsa honoratior futura, quanto illum ampliùs honoraveris. Caput enim, vt ait Apostolus, mulieris est vir: nec aliundè magis reliquum corpus ornatur, quàm ex capitis dignitate. Vnde idem alibi dicit: Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet in Domino. Sed & beatus Petrus Apostolus ait: Similiter subditæ sint viris, vt & hi qui non credunt verbo, per mulieris conversationem sine verbo lucrifiant.* Cuius loci hic est sensus, Si quæ mulieres viros habent, qui necdum credunt, nec acquiescunt Euangelio, sed auditum repellunt, suâ subiectione, humilitate, & sanctâ conversatione viros ad credendum alliciant. Cuius enim conversatio placet, non facilè potest displicere religio. Et quia casta conversatio multùm ad hoc conducit, subdit, *Considerantes in timore*, id est, reverentiâ, *castam conversationem vestram.* Ad meliorem intelligentiam nota Iudæis non fuisse insolitum, cum Gentilibus & infidelibus tunc temporis miscere connubia. Nam Timotheus, vt scribitur Actor. 16. filius erat *mulieris Iudææ fidelis, patre gentili.* Et Felici Præsidi Romano vxor Drusilla Iudæa, Act. 24. Monet igitur Apostolus, vt si quæ mulieres viris infidelibus nuptæ erant, studeant eos Christo lucrifacere, modum & artem præscribens quâ id faciant. Quæ est, ita vivere, vt ipsæ non solùm abhorreant ab adulterio, sed etiam à corruptelis libidinum, alijsque, quæ sint præter naturam & honestatem. vt sæpè deprehenditur in habitu mulierum. Vnde de ornatu mulierum immediatè pòst differit.

Paulinus
1.Petr.3.
Act. 16.
Act.24.

3. Sed redeamus ad verba Pauli, ad omnes spectantia, *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino.* Quid sibi vult, *sicut Domino?* An tanquam Dominis? Minimè. non enim viri ius habent dominorum in vxores velut ancillas; Licet Sara virum suum Abraham honoris causâ Dominum vocasse legatur, Genes. 18. sed sicut Christo, id est, propter Christum, Christique timorem, reverentiam & amorem mulieres subiectæ sint viris, quasi Christo ipsimet, cuius locum & personam viri repræsentant

Genes. 18.

tant

tant. Qui sensus explicatur in sequenti: *Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Similitudo est in generali ratione capitis analogici; id est, superioris ac præfecti. Sicut enim Christus pręest Ecclesiæ suæ, eamque gubernat ac protegit, ad ipsius Ecclesiæ vtilitatem, ita maritus vxori suę præesse debet, eamque regere ad bonum eius, ac totius familiæ. Vnde sequitur, *Ipse Salvator corporis eius.* Strictissima sanè obligatio: *Si enim*, inquit Chrysost. hom. 20. ad Ephes. *Dei ordinationi resistit, qui principatibus illis externis, politicis videlicet, repugnat: multò magis, quæ viro non subditur.* Rationem præcepti huius Apostolici reddit ibidem Chrysostomus, dicens: *Neque sanè temerè, neque frustrà Paulus multùm studij huic rei impendit dicens: Vxores proprijs viris subditæ sint, veluti domino. Quâ ratione? Quoniam si vir & vxor concordes fuerint, & liberi benè educantur, & domestici probè instituuntur, & vicini ex eo pariter & amici, & cognati, quasi boni odoris fragrantiâ fruuntur. Si verò contrarium fuerit, omnia subversa sunt, & confusa. Et quemadmodum militibus inter se benè pacatis omnia prosperè succedunt, & vicissim turbatis illis omnia sursum ac deorsum volvuntur, ita sanè & hic vxores, inquit, proprijs viris subditæ sitis veluti domino.* Quod dicit Chrysost. multis anteà sęculis scriptum reliquit Sapiens Eccles. 25. cùm ait: *Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo*: id est, Si mulier permittatur imperare viro & familiæ, viro cui deberet esse subiecta, & cuius voluntati se accommodare deberet, erit contraria, hoc est, ei rebellabit, semper contradicet, & contraria volet, vnde familia turbabitur. Adeóque sedulò idipsum cavit Apostolus 1. ad Timoth. 2. in verbis: *Mulierem in virum dominari non permitto.* id est, auctoritatem vsurpare.

Chrysost. Rom. 13. 1. Tim. 2.

4. Sed dices, Paulus nescivit leges Matrimonij: vxoratus enim non fuit. Hoc enim mulierculis familiare est. Sed quid? An ideò alios instruere non potuit, quòd expertus non esset vxorias difficultates? Certè hoc est sine ratione insanire, & Christum redarguere, qui de matrimonio & cœlibatu, Matth. 19. suos instruxit: tantò magis quòd Paulus dicat, *An quæritis experimentum eius, qui loquitur in me Christus?* 2. ad Corint. 13. Qui Angelos docuit quomodo vocandæ essent Gentes ad Deum, an simul cum Iudæis, an in locum Iudæorum, cùm illi respuissent Euangelium, & à Deo reiecti essent, vt ipse insinuat ad Ephes. 3. vers. 10. Numquid mulierculas? Qui Angelos iudicabit, vt dicit 1. ad Cor. 6. in verbis: *Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus*, nunquid iudicium ferre poterit de statu matrimonij eique dependentibus? Sanè primi fideles non sic argumentati sunt, sed varias illi quæstiones proposuerunt, eiusque iudicium postulaverunt, vt videre est, 1. Corinth. 7. vbi quinque quęstionibus respondet. Prima erat, an Christiano, vtpote iam renato, & sanctificato, liceat matrimonium, eiusque vsus? Respondet Paulus, licere, imo coniugi petenti deberi: *vxori*, inquit, *vir debitum reddat, & vxor viro*: adeòque melius esse nubere, quàm vri. Secunda quæstio erat de divortio, An liceat facere divortium? respondet Paulus negativè. Tertia erat, quid si fidelis coniugem habeat infidelem, possetne cum eo manere & habitare? Respondet posse, imò debere, si infidelis consentiat pacificè habitare cum fideli. Quarta erat, an ob Christianismum mutandus esset status? vt coniux, verbi gratiâ, qui servus fuit in Paganismo, per Christianismum fiat liber? qui ethnicus fuit, fiat Iudæus? Respondet negativè, adeóque quemque in suo statu manere debere. Quinta quæstio erat, an saltem illæ quæ virgines cõvertuntur ad Christum manere debeant virgines? Respondet, virginitatem nemini præcipi, sed omnibus suaderi, quasi matrimonio meliorem ob varias rationes ibidem latè diductas.

Matth. 19. 2. Cor. 13. Ephes. 3. 1. Cor. 6. 1. Cor. 7.

5. His præmissis rectè quæres, quando

quando vxor huic præcepto contraveniat, ita vt mortaliter peccet.

Respondeo id contingere primò, quando spreto viro vxor ad nutum suum quævis gubernat, seque inobedientem exhibet marito in ijs, quæ ad bonos mores, & domus ac familiæ regimen, seu gubernationem necessaria sunt: *quoniam vir*, vt ait Apostolus, *caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ*: adeóque ad eum spectat dictorum directio.

Secundò id contingit, quando ex cōtemptu mariti, illi non præstat obedientiam, & subiectionem debitam in iusto præcepto; quale est, vt superflua, vana, moresque incompositos exuat, qui modestiam honestarum mulierum dedecent. In hoc enim vel apertum est scādalum, vel 1. Thess. 5. species mali, de quâ dicit Apostolus *Ab omni specie malâ abstinete vos.*

Tertiò idem accidit, quando rixis & litigijs suis provocat maritum ad iram grandem & blasphemiam: hoc enim perquam grave esse explicat Eccles. 25. Sapiens, cum Eccles. 25. dicit: *Commorari leoni, & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam.* In quæ Iansenius verba sic Iansenius: *Simile est apud Salomonem in Prov. Melius est habitare in terrâ desertâ, quam cum muliere rixosâ, & iracundiâ. Hyperbolicè autem hæc sententia dicta videtur, ad significandum, quàm intolerabilis sit, & noxia malitia mulieris, & quòd cum leonum & draconum sævitia arte superari possit, illius malitia ægre vincatur, aut nullo modo. Item quòd præstet subitâ morte à feris perimi, quam lentâ morte, & diuturnâ per malitiam improbæ vxoris cruciari.* & v. 25. dicitur: *Mulieris ira, & irreverētia est confusio magna.* id est, iuxta Iansenium: *Ira mulieris, eiusque inverecundia, atque confusio vel ignominia, quam marito adfert non est vulgaris, & levis, sed magna & gravis, atque permolesta. Iracunda enim mulier irreverenter se gerit erga maritum suum, suáque tum irâ, tum irreverentiâ viro confusionem magnam adducit, quòd ei non deferat honorem, quem secundum naturam, & legem debet.* Exemplo sint Iob. 2. vxor Iob, qui cap. 2. illius patientiam non ferens in adversis, sic cum aggressa est. *Adhuc tu permanes in simplicitate tuâ? benedic Deo & morere.* id est, maledic Deo, quantumvis blasphemiæ pœnam incurras, & mortem subeas. Item Tobiæ vxor quæ Tobiæ 2. marito iniustitiam præcaventi insultavit, dicens: *Manifestè vana facta est spes tua, & eleemosynæ tuæ modò apparuerunt.* quasi diceret: Quid scrupulos moves? de hædo, quem domum detuli, an fortè furtivus sit? iā vidimus, quid tua pietate profeceris, spe videlicet in Deo, & eleemosynis in proximum distributis. Pulchrè similia mulierum convitia describit Chrysost. hom 20. ad Ephes. ab illis dehortans. Sic enim ait: *Neque dicat vxor adversus virum: ignave, meticulose, pigritiâ, segnicieque ac multo somno plene, ecce hic vilis & abiectus, abiectorumque, natalium, toleratis periculis peregreque profectus multas divitias adeptus est. Et vxor eius auro conspicua, rhedaque mulis albis vecta, circumfertur, vbique greges habens domesticorum, eunuchorumque copiam. Tu vero meticulosus factus frustrà & inaniter vivis. Ne dicat ista, istisque similia mulier. Corpus enim est, non vt imperet capiti, sed vt illi morem gerat & obediat.*

Huc ducunt querelæ, quas ex altero refert Hieronymus lib. 1. contra Iovinianum, videlicet: Hieronym. *Multa esse quæ matronarum vsibus necessaria sint, pretiosæ vestes, aurum, gemmæ, sumptus, armillæ supellex varia, lectica, & esseda deaurata. Deinde per noctes totas garrulæ conquestiones: illa ornatior procedit in publicum: hæc honoratior ab omnibus: ego in conventu fœminarum misella despicior.*

Vnde verè dixit Paulus, bonum esse abstinere à coniugio *propter instantem necessitatem*, id est angustiam, 1. Cor. 7. afflictionem, tribulationem & quidquid hominem arctat, angustiat & stringit. De quibus dicit ibidem v. 28. *Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* Illa autem necessitas aut tribulatio, quoad maritum multiplex est, nempe vrgens rei vxoriæ difficultas, molestia, afflictio; aut expressius onera vteri, partus dolores (ait enim S. Basilius libro de sanctâ Basilius. Virginitate, per coniugij copulam aperiri

apetiri officinam dolorum) educationes liberorum, curę, timores, zelotypia, quæ plurimùm regnat. De quâ Hieronymus loc. cit. *Cur aspiciebas vicinam? quid cum ancillulâ loquebaris?* & paulò pòst: *Attendenda semper eius est facies, & pulchritudo laudanda, ne si alterum aspexeris, se existimet displicere.* Dein aliquot intermedijs: *Non amicum habere possumus, non sodalem, alterius amorem suum odium suspicatur.* Rursùm necessitas illa est rixæ, familiæ apparatus, opum, affinitatum, statuum curandorum, & augẽdorum sollicitudo, mariti dominatio, cholera, ebrietas, prodigalitas, paupertas, orbitates, & ex his perpetua animi distractio, & circa hæc occupatio. Sed maximè deploranda hæc est, quòd ob huiusmodi appetitum, & vt vanitatibus & superfluo ornatui faciant satis, maritos ad iniustitiam incitent, & quodammodo impellant. Vidimus hoc apud Isaiam c. 3. & 5. & speciatim, cap. 3. vbi de Principibus dicitur, quod populum spoliauerint, idque mulierum imperio, in verbis: *Populum meum exactores sui spoliauerunt, & mulieres dominatæ sunt eis.* Vtinam edoctæ verbis & plagis per Isaiam intentatis hodie complures ab huiusmodi irritamento abstinerent! Profectò iniustitia, quæ nunc callidum nomen iustitiæ obtinet, longè exularet.

Hieronym.

Isa. 3. & 5. cap.

Quartò, certum est graviter peccare, dum marito debitum negant: ad hoc enim cæteris paribus ex iustitiâ tenentur, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 7. *Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir.* Quæ verbis D. Hieronymi libet ampliare & illustrare; quæ habet in epist. ad Celãtiam, in quâ docet malè etiam voueri continentiam in statu matrimonij, videlicet vt ex voto mariti quępiam vellet debitum negare. Sic autem describit casum: *Reperi verò te* (nempe Celantiam) *miro fidei ardore succensam, aliquot iam ante annos continentiam proposuisse, & reliquum vitæ tuæ tempus pudicitiæ consecrasse. Magni hoc animi signum, & perfectæ virtutis indicium est, renunciare subitò expertæ voluptati, fugere notas carnis illecebras, & calentis adhuc ætatis flammas fidei amore restringere. Sed illud quoque simul didici, quod me non mediocriter angit, ac stimulat, te videlicet tantum hoc bonum absque consensu & pacto viri seruare cœpisse: cùm hoc Apostolica omnino interdicat auctoritas, quæ in hâc dumtaxat causâ non modò vxorem viri, sed etiam virum vxoris subiecit potestati. Vxor, inquit, sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir potestatem non habet sui corporis, sed mulier. Tu vero quasi oblita fœderis nuptialis, pactique huius, ac iuris immemor, inconsulto viro vouisti Domino castitatem. Sed periculosè promittitur, quod adhuc in alterius potestate est. Et nescio quam sit grata donatio, si vnus offerat rem duorum. Multa iam per huiuscemodi ignorantiam & audiuimus, & vidimus scissa coniugia, quodque recordari piget, occasione castitatis adulterium perpetratum. Nam dum vna pars se etiam à licitis abstinet, altera ad illicita delapsa est. Et nescio in tali causa, quis magis accusari, quis amplius culpari debeat; virum ille, qui repulsus à coniuge fornicatur, an illa, quæ repellendo à se virum, eum fornicationi quodammodo obijcit.*

1. Cor. 7.

Hieronym.

1. Cor. 7.

Demùm peccat vxor, si non vult sequi maritum aliò migrantem, tenetur enim sub mortali eum comitari: atque huc referri possunt verba Petri loc. cit. *Subiectæ proprijs viris, sicut Sara obediebat Abrahæ.* Ex omnibus enim Saram nominat, vt totius generis parentem, cuius exemplum meritò attendere debeant: ac si verbis Prophetæ eas alloqueretur, dicens: *Attendite ad Saram, quæ peperit vos*, Isa. 51. Obedientia autem Saræ commendatur in eo, quod virum ad exteras & remotas regiones proficiscentem, ac subinde loca mutantem, semper secuta est: quodque, eo iubente, etiam periculo pudoris sese pro illo exposuit, dicẽs se sororem eius esse. Quod imperanti ac dicenti *Accelera, tria sata similæ commisce*, Genes. 18. statim obtemperauit. Denique magnam ac prõptam subiectionem viro suo ostendit. Quæ intellige cum hac restrictione, nisi inter

1. Petr. 3.

Isa. 51.

Genes. 18.

ter eos præcesserit pactum oppositum, quo marito id esset prohibitum, & aliud prægnans non vrgeret. Licet enim ex pacto non teneretur, tamen si iusta aliqua necessitas illinc discedendi viro superveniret, vt morbus, vel capitalis inimicitia, non obstante tali pacto obligaretur eum sequi, non minus quàm vxor virum vagabundum, quem scivit tempore contractus matrimonij solere vagari, ob honestam causam, & sine mortis periculo.

Discursus VIII.

Quem honorem vxori debeat maritus?



Eccles. 25. SApiens Eccles. 25. *In tribus*, inquit, *placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus. Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier sibi benè consentientes*. Quibus verbis comprehendit cõsanguineos, vicinos, & coniugatos, quos dicit placere Deo, si invicem benè conveniant. Vnde nunc tractabo quod in argumento ponitur.

1. Præcedenti Discursu de mulierum obligatione dixi; verùm ne putẽt se solas onerari ab Apostolo, Dico eundem maritorum debita quædam æquè magna, si non graviora, honorem vxorum concernẽtia scripto reliquisse. In primis enim obligatur maritus vxorem diligere velut Christus Ecclesiam, vt expressè præcipit idem Apostolus Ephes. 5. dicẽs: Ephes. 5.
Viri diligite vxores vestras, quemadmodum & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro eâ; vt illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata. Ita & viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit: sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & ossibus eius.

Chrysost. Hinc D. Chrysost. hom. 20. ad Ephes. sic maritos affatur: *Audisti subiectionis hyperbolen? Laudasti & admiratus es Paulum quod attinet ad ea, quæ vitã nostram turbant, tanquam admirabilem quendam & spiritualem virum: Benè. Sed audi, quæ & abs te petat. Nam rursus eodem vtitur exemplo. Viri, inquit, diligite vxores vestras quemadmodum & Christus dilexit Ecclesiam. Intellexisti obedientiæ mensuram? Audi & mensuram dilectionis. Vis vt vxor tibi obediat, quemadmodum, Ecclesia Christo? Provide ipse quoque illi quemadmodum Christus Ecclesiæ. Etsi animã pro ipsâ dare oporteat ac millies trucidari, & quamcumque rem ferre, & pati, ne detrectes. Nam etiamsi illa passus fueris, nihil vnquam tamen tale feceris, quale Christus. Etenim tu quidem iam cõiunctus cum illâ ista facis, ille verè pro aversante se, & odiente. Quemadmodum igitur Christus aversantem se & odientem, & conspuentem, ac lascivientem, multâ sollicitudine, nec minis, nec convitijs, nec metu, neque aliâ re eiusmodi sibi subiecit, ita & tu adhære vxori tuæ.*

Ex his sequitur primò maritum atrociter verberantem vxorem peccantem, peccare mortaliter. Ratio est, quòd non sit serva sed socia, & quòd in omni correptione modus sit servandus, vt dixi præcedenti Discursu n. 7. & 8. In quam rem appositè congruunt verba Chrysostomi, quæ habet homil. 26. in primam ad Corinth. vbi ait: *Et vos viros illud admoneo, nullum sit tam magnum peccatum, quod ad verberandum vxorem vos compellat: & quid vxorem dico? ne servam quidem verberare, & manus in eam inycere, viro libero esset tolerãdum. Quòd si servam viro verberare maxima ignominia est, multo magis contra liberam dextram extendere. Et hoc ab gẽtium Legumlatoribus cognoscere possumus, qui quæ vapulaverit, non amplius cum marito habitare cogunt, vtpote qui indignus sit, vt cum eâ amplius cõsuetudinem habeat: etenim summa* Chrysost.

ma iniuria est vitæ sociam, & in rebus necessarijs antea tibi coniunctam, tanquam mancipium ignominiâ afficere. Ideo huiusmodi virum, siquidem vir appellandus est, potius quàm fera, & patricida, & matricida similem esse dixeris. Nam si patrem, & matrem vxoris gratiâ relinquere præcipimur, non vt iniuriam eis faciamus, sed divinam legem impleamus, & ipsis parentibus tam gratum hoc est, vt relicti gratiam habeant, & id multo studio exequantur: quonam pacto non vltima dementia est, eam contumeliâ afficere, propter quam Deus parentes dimittendos præcepit? Nonne hoc tantum insania: Contumeliam autem quis feret, quæso, quam quæ ratio posset ostendere, quãdo vlulatus, & gemitus per angiportus tolluntur, & tam turpis viri domum à vicinis & prætereuntibus concurritur, tanquam ad feram quandam omnia domi vastantem, cui sanè esset melius, vt terra dehisceret, quàm amplius in foro conspiceretur.

Eccles. 4. Hinc Sapiens Ecclesf. 4. cap. eiusmodi maritos leonibus cõparat, dicens: *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi.* Admonitio gravis & magnopere timenda: nam ex quâcumque causâ contingat hæc sævitia, Dei indignationem meretur, vt patet Malach. 2. Malach. 2. cap. vbi Deus dicit se oculos aversurum à sacrificijs quorundã, eo quòd præter coniugium cum alienigenis priores vxores despicerent, viliter & miserè quasi ancillas & servas tractarent, vt illę afflictissimæ confugerent ad templum, ibique ante altare lacrymas vberrimas profunderent, querentes apud Deum de ipsorum iniuriâ, & poscentes opem, ac vindictam, in verbis: *Et hoc rursum fecistis, operiebatis lachrymis altare Domini, fletu & mugitu, ita vt non respiciam vltra ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestrâ.* quasi diceret; lachrymę & mugitus vxorum, vtpote iustarum & miserabilium magis me movent, quàm iniqua & impura sacrificia crudelium, adeoque non ea, sed lacrymas vxorum aspiciam.

Deinde pluribus rationibus ibidẽ nomine Dei dehortatur Iudæos à despectu & repudio vxorum tunc licito. Prima est, quia Deus à genesi mundi sanxit matrimonij vinculum, voluitque esse perpetuum. Secunda, quòd ineptum est, primos & teneros amores abrumpere, eius quam à primis & florentibus annis sibi sociasset fœdere inito. Tertia, quòd causa & finis, cur Deus ex viro formarit fœminam, fuit vt ijs ingeneraret summum erga se invicem amorẽ, & coniunctionem in coniugio. Quarta, quòd Deus ex vnius cum vnâ coniugio à se sancito intendit, & quærit filios fideles & sanctos sibi gigni, in verbis: *Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israël, operiet autem iniquitas vestimẽtum eius, dicit Dominus exercituum.* id est, Pœna iniquitatis operiet vestem, id est corpus eorũ; quod idem est ac si diceret, Deus acriter eiusmodi maritos in corpore, cuius delicias, & libidines iniustè sectantur, puniet & affliget morbis, fame, & plagis. Ratio est, quòd lex ob odium vel displicentiam non permittebat repudiũ, sed ob fœditatem vxoris, seu fornicationem, lepram, ac mores incorrigibiles. Quapropter dicit: *Custodite spiritum vestrum*, id est, 1. Petr. 3. affectum & amorem erga vxores vestras, easque nolite despicere.

Hinc Apostolus varijs rationibus Ephes. 5. hortatur maritos vxores diligere, nempe quia membrum ipsorum est, quia Christus præcepit &c. Ephes. 5. Appositè hâc de re Chrysost. hom. *Quales ducẽdæ sint vxores*, vbi cum vrsisset verba Apostoli, quibus vult maritos suas vxores diligere sicut corpora, subiungit: *Nec ob hoc tantum amãda est vxor, quod membrum nostrum est, & ex nobis originem habuit, sed quia legem etiam super hoc Deus statuit, sic dicẽs: Propterea relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vnâ.* Nam ideo nobis hãc legem Paulus *relegit, vt modis omnibus nos ad hunc amorem compelleret. Hic mihi considera sapientiam Apostolicam: nõ enim solis divinis aut solis humanis legibus nos inducit ad amandas coniuges, sed mixtim vtrisque: quod sublimes quidẽ viri ac Philosophici magis moveantur cœlestibus, infirmos autem & humiles naturale amoris*

incitamētum magis moveat. Ideo primum à Christi beneficijs doctrinā hanc incipit, sic dicens: Diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Deinde rursus idem agit humanis rationibus: sic debent mariti suas vxores diligere vt sua ipsorum corpora, deinde rursum ad Christum revertitur: Quoniam membra sumus ex corpore eius & ex carne eius, & ex ossibus eius. Ac rursum ad humanas rationes revertitur, Propterea relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ.

Conformiter hortatur D. Petrus, & potiori de causa Christianos, vt muliebri infirmitati indulgeant, earumque imperfectiones potius tolerēt, in verbis 1. ep. c. 3. *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem.* Hoc enim competit viris, vt secundum suā prudentiam pacis causâ multum remittant de sua potestate; quod passim videmus à prudentioribus observari: si enim onera invicem ferēda sūt, quis dubitat, quin & vxoris imperfectiones? ita egit Abraham cum Sara vxore sua, cum apud illum Genes. 16. deponeret querelā, Gen. 16. de Agar ancillā suâ iā superbiente ob conceptam prolē, quam volebat castigari ab Abraham, dicens: *Ecce ancilla tua in manu tua est.* Non dicebat ipse tu mihi dedisti illā in vxorē; sed ancillā tuam tu ipsa tracta pro meritis: fori tui est, Chrysost. non mei. Pulchrè in hāc rem Chrysost. loc. cit. *Perpēde mihi iustos illos veteres. Ipsa Sara Patriarchæ iusserat accipere Agar, ipsa imperaverat, nemo coëgerat: neque accessisset ad eā vir, sed maluisset numquā fieri pater, quā cōtristare vxorē, quamquam multū tēporis iam sine prole pro traxerat: verūtamen post ista omnia quid dicit Sara? iudicet Deus, inquit, inter me & te. Iā si istud cuiquā alteri cōtigisset, an non ad irā cōmotus fuisset? An non manus in eam extendisset, nō tantū dicens: Quid inquis? Ego nolebā cōgredi mulieri. Tuū est totum istud institutū, & iā me accusas? Verum nihil tale dixit Abraham. Sed quid? Ecce, inquit, ancilla est in manibus tuis, vtere eā quēadmodum tibi placuerit. sociam lecti tradidit, ne contristaret Saram. Quāquam nihil hac re ad benevolentiæ rationem magis facit. Si enim mensæ particepē esse etiam latronibus vnanimitatē erga adversarios conciliat, & Psaltes dicit, Qui simul mecū suaviter epulabaris: vnam fieri carnē (istuc enim est lecti consortē esse) multò magis in vnum contrahere conciliareq; potest. Verum nihil tale potuit illum cōstringere, quin tradiderit vxori ancillam, ostendēs nihil suâ causâ hac in re cōmissum esse: & quod sanè maius est, prægnantē etiam dimisit. Quis nō misertus fuisset eius, quæ ex se concepto puero iam prægnans esset? Sed nihil flexus est hic iustus. Dilectionem enim quam habebat ad vxorem prætulit omnibus.* Psal. 54.

3. Secūdo ex his sequitur maritum debere abstinere à verbis infamatorijs erga vxorē. Nam grauissimè peccat, si verba aliqua infamatoria, seu ad infamandū apta dicit, puta adulterā vocat, aut eam aliqua afficit iniuria, dūmodo sequatur infamia, aut probabile periculū eius, etiāsi sine animo infamandi, vel iniuriādi ei dixerit. Quamvis enim licitum sit aliquando verbum aliquod causa correctionis, & disciplinæ alteri dicere, non tamē in ea verba prorumpere licet, ex quibus probabile periculū infamiæ vel iniuriæ sequi potest: vnde necessaria est sēper discretio, vt moderatè quis in corrigēdo & reprehēdendo talibus vtatur verbis, vt exinde alter non dehonestetur, & infametur, S. Thom. 2. 2. q. 72. ar. 2. Idem. S. Thom.

4. Verum dices, vt aiunt plerique, stulta est mulier, procax, proterua, impossibile est cum ea vitā Deo dignam ducere. Respondet huic obiectioni hom. 20. in 1. ad Cor. sic cum marito agēs. *Verum cōsidera mulierē debile vas esse. Tu autē vir propterea princeps factus es, & capitis loco datus, vt subditæ feras imbecillitatē. Velis igitur tuum illustrare principatū, quod facies, si subditā non insultaveris: & quemadmodū Rex clarior tantò apparet, quantò præfectum suum clariorē ostēdit, quē si inhonoraret, & cōtumeliâ illius dignitatis magnitudinē afficeret, nō parvā gloriæ suæ partem auferret: itidem & tu, si illā quæ secundum post te locum obtinet, contumeliā afficis, nō parum tui principatus honori derogas. Hæc igitur omnia tecum reputa, & modestus sis, & cum his illius noctis recordare, qua advocato te ad se pater tanquam depositum quoddam tibi*

tibi filiam tradidit, & omnibus relictis, matre, domo, & seipso, omnem eius curam tuæ dexteræ commisit. Intellige quòd cum Deo propter ipsam filios habes, & pater factus es, his tu rationibus in eam mansuetus esto. Non vides agricolas quantâ diligentiâ, quæ semel semen acceperit, terram colunt, quãvis innumera habeat vitia? Vt exempli gratiâ, quamvis arida sit, quamvis malas herbas producat, quamvis humoris abundantiâ loci natura offendatur, colit tamen; hoc enim pacto prior fructum, & tranquillitatem consequêris: etenim portus est mulier, & maximum securitatis remedium. Et dictâ homil. 20. docer blanditijs præveniendam: Ita enim ait: *Numquam simpliciter illam ac nudè voca, sed cum blanditijs, cum honore, cum multâ dilectione. Honora ipsam, & nullum ab alijs desiderabit honorem, nullam concupiscet ab alijs gloriam, si gloriâ abs te fuerit potita. Omnibus eam præpone, lauda etiã eam propter omnia, sive pulchritudinem, sive prudentiam; ita persuadebis illi te nulli externæ mulieri intendere, sed omnes alias contemnere. Doce timorẽ Dei, & omnia tanquam ex fonte abundè affluent, eritque domus tua innumeris bonis referta. Si quæsierimus incorruptibilia bona, advenient & corruptibilia. Nam primùm, inquit, quærite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.*

Chrysost.

Matth. 6.

5. Dices iterum, Si pulchra foret, esset quid tolerandum, & suaviùs cum eâ agere possem; sed turpis est, deformis est, horreoque eã videre.

Respondeo nihil referre. Dominus enim iussit quantumvis turpem diligere. Id constat ex Paulo Ephes. 5. vbi mandat marito vxorem diligere, vt Christus Ecclesiam, quam ita dilexit, vt semetipsum pro eâ tradiderit, & sanctificarit eam *mundans lavacro aquæ, in verbo vitæ.* Si mũdavit, *ostendit,* inquit Chrysost. dic. hom. *Quales ducendæ &c, impuram ante fuisse & contaminatam, idquè non vulgari impuritate, sed longè maximâ, vt quæ nitore ac fumo cruoreque cum alijs id genus innumeris sordebat maculis. Attamen non aversatus est eius deformitatem, sed trãsformavit in meliorem faciem, remissis peccatis pristinis. Hunc & tu imitare, & si plurimum in te vxor peccauerit, totum ei remitte & condona: si malè moratam nactus es, refinge eam ad bonitatem & mansuetudinem, sicut & Christus Ecclesiam. Non solùm enim immunditiam eius absterſit, sed senium quoque abrasit exuto veteri homine, qui totus constabat è vitijs. Quod etiam Paulus subindicat his verbis: vt adhiberet eam sibiipsi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam ac rugam. Non enim pulchram solùm reddidit, sed & iuvenem, non iuxta naturã corporis, sed iuxta voluntatis habitudinem. Nec hoc solùm admiratione dignum est, quòd nactus deformem, malâ facie præditam, turpem ac vetulam, non aversatus est talem: sed quòd morti seipsum obijciens refinxit eam in pulchritudinem incredibilem: atque etiam post hæc sæpe sordidatam animadvertens & maculatam, nec eijcit eam è thalamo, nec abrumpit nexus coniugij, sed mavult eam curare & remedijs corrigere.* Et immediatè post per exempla hanc rem illustrat: *Quàm multi enim, inquit, quæso post acceptam fidem in peccata relapsi sunt? nec tamen eos ob hoc fastidijt: qualis fuit ille qui apud Corinthios stuprum commiserat, cum esset membrum Ecclesiæ: nihilominus non occisum est id membrum, sed sanitati redditum. Quin & Galatarum Ecclesia vniversa resilijt, & ad Iudaismum delapsa est; attamen ne illam quidem repulit, sed curatam Pauli operâ ad pristinam reduxit consuetudinem. Quemadmodum & in nostris corporibus, si morbus acciderit, non membrum abscindimus, sed morbum pellimus: sic & cum vxore agendum est. si quod insit ei vitium ne ipsam eijcias, sed vitium abigito. Atqui vxor quidem emendari potest, membrum autem læsum curare sæpè est impossibile; & tamen quãuis sciamus id incurabile, ne sic quidem rescindimus, sed cum alius loripes, alius ex crure laborans claudicet, alius manum aridam & emortuam circumferat, alius oculum lumine orbum, nemo tamen eorum oculum aut manum, aut crus pedemve vult amittere? & quamuis sint inutilia cæterisq; membris dedecus afferant, tamen innato quodam affectu, vt partem eiusdẽ corporis ea prosequimur. An non igitur absurdum fuerit, vbi nulla speratur vtilitas aut correctio, tantam adhibere sollicitudinem: vbi verò bona spes superest, & facilis mutatio, nullam medicinam facere? Nam innata vitia nullis cedunt remedijs, voluntas autem depra-*

deprauata potest corrigi. Denique omnem obiectionem reijciens, quam maritus posset in medium adducere, hæc addit salutaria monita: *Quòd si tuam vxorem neges curabilem, vt quæ obstinatè mores suos retineat, ne tum quidem abneganda est. Neque enim membrum incurabile recidimus. Est autem & hæc pars tui corporis, dictum est enim: erunt duo in carnem vnam. Et membrum quidem insanabile curasse operæ pretium fuerit, contrà vxoris vitio licet insanabili si medearis, magnum tibi propositum est præmium. Quantumuis enim frustra sit omnis disciplina & instructio, tolerantia tamen tua mercede diuinitus promissâ non frustrabitur, quòd propter Dei timorem tãtum molestiarum sustinueris, & morosam fœminam æquo animo tuleris, & membrum tuum constanter pertuleris. Est enim vxor membrum nostrum necessarium, & hoc potissimum nomine debetur ei beneuolentia: quod & S. Paulus his verbis præcepit: Sic debẽt mariti suas vxores diligere sicut propria corpora. Nemo enim vnquam suum corpus odio habuit, sed nutrit & fouet, sicut & Christus Ecclesiam, quoniam membra sumus eiusdem corporis ex carne eius, & ossibus eius.*

6. Tertiò, peccat maritus, si non vult reddere debitum vxori, aut illàm sine graui causâ de incontinentiâ suspectam habet. Patet ex dictis in simili casu erga vxorem.

7. Quartò, peccat maritus, si dissipet rem communem in compotationes, largas donationes, vel mulieres profundens: tunc enim facit vxori iniuriam, partem ipsius sine eius consensu profundens. Nam dimidia pars bonorum in matrimonio acquisitorum est vxoris, & vbi viget ius dotium, more Romanorum, dos tota. Vnde soluto matrimonio tenetur maritus, vel eius hęredes ad restitutionem vxori, vel eius hæredibus. Et ratio est, quia maritus nõ habet amplius, quàm ius administrandi bona in suum & vxoris commodum. Debet autem illa administratio fieri secundum dictamen rationis, sicut & omnium bonorum communium, alioqui non est administratio, sed dissipatio, quæ non debet obesse sociæ, sed soli auctori.

8. Demum peccat mortaliter maritus in ordine ad suam vxorem, circa spiritualia, primò, si impediat vxorem absque legitimâ causâ ab impletione diuinorum præceptorum, aut obseruatione præceptorum Ecclesiæ. Secundò grauiter peccat, vxorem impediens confiteri, & communicare diebus non præceptis, quando vxori id multum expediret, aliàs dumtaxat venialiter.

9. Verùm enimverò quæres, vnde tanta oriatur discrepantia inter cõiuges? Respondeo primò, id fieri, quòd Deum in deligendâ coniuge non agnoverint, suoq; iudicio confisi externa dumtaxat considerarint, non perpendentes à Deo bonam vxorem destinari, iuxta illud Prov. 19. *Domus & divitiæ dantur à parentibus: à Domino autem vxor prudẽs.* id est, Duas res à parentibus filij accipiunt, generis videlicet splẽdorem atque nobilitatem, nec non divitias & copias, hæc enim iure hæreditario minoribus à maioribus eueniunt, itaque à Deo sed per parentes. At vt vxor filijs contingat prudens, id singulari Dei beneficio tribuendum est, vt quod non ita sit commune omnibus, sed proprium his quos Deus singulariter dilexerit, quodque non potest parentum curâ & prouidentiâ filijs donari, sed Dei beneficio, qui solus dat prudentiam mulieri, & prudentiâ donatam viro deputat. Significat proinde Sapiens dignâ conuersatione, & per pias preces huiusmodi donum homines à Deo consequi. Ita contigit Rebeccã Isaaco dari, Ruth Boos, Saram, Tobiæ, eosque pacificum, fœcundum & felix habuisse coniugium: iuxta enim Sapientem Proverb. 18. *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum, & hauriet iucunditatem à Domino.* id est, Qui studiosâ curâ bonam vxorẽ quęsitam invenit, agendarum gratiarum materiam vberem nactus est, propter beneficij magnitudinem, & perẽnem habebit voluptatem. quod dicit de voluntate perẽni spectat ad distinctionem voluptatis illius, qui propterea læ-

Prov. 19.

Prov. 18.

ctus est, quod pulchram sibi adiunxerit vel divitem: nam pulchritudo citò marcet, & in maciem solvitur: dos autẽ magna brevi tempore cõsumitur, genus demum ac nobilitas superbam eandem reddere solent, atque adeo gravem, & molestam, tunc verò voluptas in odium verti solet: ea solum voluptas, & iucunditas diuturna est, quæ de vxoris honestate, ac bonis moribus capitur: hæc enim nunquam deficit, nunquam interit. Hinc Abraham filio Isaac vxorem assumi voluit, non de Chananæis, sed ex Mesopotamia de cognatione suâ, seu de domo Nachor, qui rebus plurimùm turbatis cum idolis iuxta morem Gentis, cum quâ habitabat, aliquid saltem de vnius Dei cultu norat & observabat, ac simul Deum cœli colebat; ex quo domus ipsius bene erat morata, quemadmodum patet ex hospitalibus ipsius Rebeccæ, Genes. 24. *Genes. 24.*

E contra, qui nec Deum, nec religionem, nec bonos mores intuentur, rixas habent continuas. Vnde Chrysostomus dissuadet solas spectare divitias. *Chrysost.* ***Nemo***, inquit, ***vestrum opulentiorem vxorem ducere studeat, sed multò magis pauperiorem. Non enim opulenta tantam voluptatis materiam ex pecunijs suis adferet, quantam tristitiam ex opprobrationibus, ex eo quod plura quàm attulerit, exiget, ex convicijs, ex sumptuositate, ex onerosis & intolerabilibus verbis. Dicet enim fortè: nondum tuorum quidquam insumpsi. Adhuc vestibus meis induor, illis amicior quæ mihi parentes dederunt.*** Et tum convertens se ad mulierem subiungit: ***Quid dicis ô mulier. vestiris adhuc rebus tuis? Et quid hoc verbo poterit contingere miserius? Corpus proprium iam non habes amplius, & pecunias habes proprias? Non estis amplius post nuptias duæ carnes, sed facti estis in vnam, & habetis duas bonorum ac facultatum substantias, & non vnam? O pecuniarum amorem! Vnus homo & vnum animans vterque facti estis, & adhuc dicis, hæc mea sunt? Execrandum hoc verbum ac scelestum à diabolo invectum est.*** Atque in hoc impingunt parentes, qui propter divitias sæpe cogunt filias cum iuvenibus discrepantis naturæ matrimonia contrahere, ex quibus fastidium reciprocè magis succrescit; quin etiam puellæ, quæ neque Deum cogitant, neque virtutes considerant: sed genus, formam, opes, mores petulantiores, carnis vsum, & vt spectari possint ob hominibus, flocci pendentes an per fas, aut nefas vitæ adiumenta conquirant.

10. Dico secundò, id fieri subinde in pœnam peccatorum fornicationis, aliarumque impietatum: dicit enim Sapiens Ecclesi. 25. *Pars bona, mulier bona, in parte bona timentium Deum dabitur viro pro factis suis.* q. d. Mulier bona dabitur viro in sorte & portione timentium Deum: quia in eâ sorte, quam Deus promisit, & dare solet timentibus se, etiam includitur vxor bona, iuxta illud Psal. 127. *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Et vt intelligeret quis Deum rationem habere vitæ anteactæ, addit bonam hanc partem respondere bonis factis, & consequenter pravam vxorem alicui cõtingere ob iniqua facta. Hac enim de causâ permittit Deus quandoque affectum cadere in talem, quâcum prævidet nullam fore pacem, quæ est plaga maxima & continuo durans ad alterutrius vitam: & à Sapiente Ecclesi. 25. sic describitur: ***Plaga mortis mulier nequam.*** *Eccles. 26.* *Psal. 129.* *Eccles. 25.*

11. Dico tertiò, lites & rixas potissimum oriri inter coniuges, quòd non resuscitent gratiam, quam acceperunt in Sacramento Matrimonij ad pacificè vivendum. Quod probo ex D. Paulo, qui ad Ephes. 5. de hoc Sacramento agens, & de dilectione coniugum, eosque incitans ad mutuum amorem, dixit: ***Sacramentum hoc magnum est, Ego autem dico in Christo & in Ecclesiâ.*** q. d. Matrimonium fidelium legis nouæ post Christum est signum perfectissimum vnionis Christi & Ecclesiæ iam factæ, conferens coniugibus gratiam, & mutuum amorem: vnde ego vos Ephesios aliosque fideles coniuges hortor, vt hunc amorem excitetis & foveatis, ne sacramentum hoc in *Ephes. 5.*

deprauata potest corrigi. Denique omnem obiectionem reijciens, quam maritus posset in medium adducere, hæc addit salutaria monita: *Quòd si tuam vxorem neges curabilem, vt quæ obstinatè mores suos retineat, ne tum quidem abneganda est. Neque enim membrum incurabile recidimus. Est autem & hæc pars tui corporis, dictum est enim: erunt duo in carnem vnam. Et membrum quidem insanabile curasse opera pretium fuerit, contrà vxoris vitio licet insanabili si medearis, magnum tibi propositum est præmium. Quantumuis enim frustra sit omnis disciplina & instructio, tolerantia tamen tua mercede diuinitus promissâ non frustrabitur, quòd propter Dei timorem tãtum molestiarum sustinueris, & morosam fœminam æquo animo tuleris, & membrum tuum constanter pertuleris. Est enim vxor membrum nostrum necessarium, & hoc potissimum nomine debetur ei beneuolentia: quod & S. Paulus his verbis præcepit: Sic debẽt mariti suas vxores diligere sicut propria corpora. Nemo enim vnquam suum corpus odio habuit, sed nutrit & fouet, sicut & Christus Ecclesiam, quoniam membra sumus eiusdem corporis ex carne eius, & ossibus eius.*

6. Tertiò, peccat maritus, si non vult reddere debitum vxori, aut illam sine graui causâ de incontinentiâ suspectam habet. Patet ex dictis in simili casu erga vxorem.

7. Quartò, peccat maritus, si dissipet rem communem in compotationes, largas donationes, vel mulieres profundens: tunc enim facit vxori iniuriam, partem ipsius sine eius consensu profundens. Nam dimidia pars bonorum in matrimonio acquisitorum est vxoris, & vbi viget ius dotium, more Romanorum, dos tota. Vnde soluto matrimonio tenetur maritus, vel eius hęredes ad restitutionem vxori, vel eius hæredibus. Et ratio est, quia maritus nõ habet amplius, quàm ius administrandi bona in suum & vxoris commodum. Debet autem illa administratio fieri secundum dictamen rationis, sicut & omnium bonorum communium, alioqui non est administratio, sed dissipatio, quæ non debet obesse sociæ, sed soli auctori.

8. Demum peccat mortaliter maritus in ordine ad suam vxorem, circa spiritualia, primò, si impediat vxorem absque legitimâ causâ ab impletione diuinorum præceptorum, aut obseruatione præceptorum Ecclesiæ. Secundò grauiter peccat, vxorem impediens confiteri, & communicare diebus non præceptis, quando vxori id multum expediret, aliàs dumtaxat venialiter.

9. Verùm enimverò quæres, vnde tanta oriatur discrepantia inter cõiuges? Respondeo primò, id fieri, quòd Deum in deligendâ coniuge non agnoverint, suoq; iudicio confisi externa dumtaxat considerarint, non perpendentes à Deo bonam vxorem destinari, iuxta illud Prov. 19. *Domus & divitiæ dantur à parentibus: à Domino autem vxor prudẽs.* id est, Duas res à parentibus filij accipiunt, generis videlicet splẽdorem atque nobilitatem, nec non divitias & copias, hæc enim iure hæreditario minoribus à maioribus eueniunt, itaque à Deo sed per parentes. At vt vxor filijs contingat prudens, id singulari Dei beneficio tribuendum est, vt quod non ita sit commune omnibus, sed proprium his quos Deus singulariter dilexerit, quodque non potest parentum curâ & prouidentiâ filijs donari, sed Dei beneficio, qui solus dat prudentiam mulieri, & prudentiâ donatam viro deputat. Significat proinde Sapiens dignâ conuersatione, & per pias preces huiusmodi donum homines à Deo consequi. Ita contigit Rebeccã Isaaco dari, Ruth Boos, Saram, Tobiæ, eosque pacificum, fœcundum & felix habuisse coniugium: iuxta enim Sapientem Proverb. 18. *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum, & hauriet iucunditatem à Domino.* id est, Qui studiosâ curâ bonam vxorẽ quęsitam invenit, agendarum gratiarum materiam vberem nactus est, propter beneficij magnitudinem, & perẽnem habebit voluptatem. quod dicit de voluntate perẽni spectat ad distinctionem voluptatis illius, qui propterea lætus

Prov. 19.

Prov. 18.

ctus est, quod pulchram sibi adiunxerit vel divitem: nam pulchritudo citò marcet, & in maciem solvitur: dos autē magna brevi tempore cōsumitur, genus demum ac nobilitas superbam eandem reddere solent, atque adeo gravem, & molestam, tunc verò voluptas in odium verti solet: ea solum voluptas, & iucunditas diuturna est, quæ de vxoris honestate, ac bonis moribus capitur: hæc enim nunquam deficit, nunquam interit. Hinc Abraham filio Isaac vxorem assumi voluit, non de Chananæis, sed ex Mesopotamia de cognatione suâ, seu de domo Nachor, qui rebus plurimùm turbatis cum idolis iuxta morem Gentis, cum quâ habitabat, aliquid saltem de vnius Dei cultu norat & observabat, ac simul Deum cœli colebat; ex quo domus ipsius bene erat morata, quemadmodum patet ex hospitalibus ipsius Rebeccæ, Genes. 24. Genes. 24.

E contra, qui nec Deum, nec religionem, nec bonos mores intuentur, rixas habent continuas. Vnde Chrysostomus dissuadet solas spectare divitias. *Nemo*, inquit, *vestrum opulentiorem vxorem ducere studeat, sed multò magis pauperiorem. Non enim opulenta tantam voluptatis materiam ex pecunijs suis adferet, quantam tristitiam exprobrationibus, ex eo quod plura quàm attulerit, exiget, ex convicijs, ex sumptuositate, ex onerosis & intolerabilibus verbis. Dicet enim fortè: nondum tuorum quidquam insumpsi. Adhuc vestibus meis induor, illis amictor quæ mihi parentes dederunt.* Et tum convertens se ad mulierem subiungit: *Quid dicis ô mulier. vestiris adhuc rebus tuis? Et quid hoc verbo poterit contingere miserius? Corpus proprium iam non habes amplius, & pecunias habes proprias? Non estis amplius post nuptias duæ carnes, sed facti estis in vnam, & habetis duas bonorum ac facultatum substantias, & non vnam? O pecuniarum amorem! Vnus homo & vnum animans vterque facti estis, & adhuc dicis, hæc mea sunt? Execrandum hoc verbum ac scelestum à diabolo invectum est.* Atque in hoc impingunt parentes, qui propter divitias sæpe cogunt filias cum iuvenibus discrepantis naturæ matrimonia contrahere, ex quibus fastidium reciprocè magis succrescit; quin etiam puellæ, quæ neque Deum cogitant, neque virtutes considerant: sed genus, formam, opes, mores petulantiores, carnis vsum, & vt spectari possint ob hominibus, flocci pendentes an per fas, aut nefas vitæ adiumenta conquirant. Chrysost.

10. Dico secundò, id fieri subinde in pœnam peccatorum fornicationis, aliarumque impietatum: dicit enim Sapiens Eccles. 26. *Pars bona, mulier bona, in parte bona timentium Deum dabitur viro pro factis suis.* q. d. Mulier bona dabitur viro in sorte & portione timentium Deum: quia in eâ sorte, quam Deus promisit, & dare solet timentibus se, etiam includitur vxor bona, iuxta illud Psal. 127. *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Et vt intelligeret quis Deum rationem habere vitæ anteactæ, addit bonam hanc partem respondere bonis factis, & consequenter pravam vxorem alicui cōtingere ob iniqua facta. Hac enim de causâ permittit Deus quandoque affectum cadere in talem, quâcum prævidet nullam fore pacem, quæ est plaga maxima & continuo durans ad alterutrius vitam: & à Sapiente Eccles. 25. sic describitur: *Plaga mortis mulier nequam.* Eccles. 26. Psal. 127. Eccles. 25.

11. Dico tertiò, lites & rixas potissimum oriri inter coniuges, quòd non resuscitent gratiam, quam acceperunt in Sacramento Matrimonij ad pacificè vivendum. Quod probo ex D. Paulo, qui ad Ephes. 5. de hoc Sacramento agens, & de dilectione coniugum, eosque incitans ad mutuum amorem, dixit: *Sacramentum hoc magnum est, Ego autem dico in Christo & in Ecclesiâ.* q. d. Matrimonium fidelium legis nouæ post Christum est signum perfectissimum vnionis Christi & Ecclesiæ iam factæ, conferens coniugibus gratiam, & mutuum amorem: vnde ego vos Ephesios aliosque fideles coniuges hortor, vt hunc amorem excitetis & foveatis, ne sacramentum hoc in Ephes. 5.

vobis sit mendax & fallax, neque falsò repræsentans hunc Christi & Ecclesiæ amorem, & concordiam, vt cùm Christus cum Ecclesiâ optimè & amantissimè concordet, vos cum vxoribus vestris rixemini, & sitis discordes. Hanc Pauli esse mentem confirmatur ex eo, quòd 2. ad Tim. 1. laudans fidem Timothei, quæ illi erat quasi hæreditaria, quòd avia ipsius Lois, & mater Eunice firmissimæ fuissent in eâ, eum admoneat, ne eandem fidem, quasi longo vsu senescentem, ac metu persecutionis flaccescẽtem dormitare aut torpescere sinat: sed eam æquè vt gratiam ipsi in ordinatione Episcopi datam resuscitet, in verbis: *Propter quam causam admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* id est, quia fides tibi est quasi hæreditaria, vt de eâ non dubitem, & partim humanæ infirmitatis & mutabilitatis cinere ac frigore quasi sopiri & extingui posset; confove eam, vt charitatis flammam reaccendas, eiusque ardorem continuò foveas & augeas: ad hanc rem folles & flabella tibi sint oratio, meditatio, pia lectio, alacritas & vigilantia animi, studium, exercitatio & conatus maior ad virtutes, ac præsertim labor & zelus ad salutem populi tibi commissi diligentiùs & ferventiùs procurandum.

2. Tim. 1.

Ex horum defectu & neglectu contingit plurima diffidia oriri, & quæ in adiutorium data est, molestam esse, litigiosam, ac causam dici dispendij salutis, vitamque homine Christiano indignam in coniugio duci. Sed revera hæc non excusabũt, prçsertim ob id, quòd peculiari gratiâ in sacramento matrimonij Christus Christianos præ alijs gentibus dignatus sit, quâ omnes difficultates superare valeant. Quod amplius est, confundent coniugatos, exẽpla eorum, qui in lege naturæ & Moysis, ordinarijs Dei subsidijs quasvis matrimonij difficultates strenuè superarunt, vitamque Deo gratam duxerunt. Audi desuper Chrysost. hom. 4. de verbis Isaiç *Vidi Dominum &c.* Quoties, inquit, *cum quibusdam de vulgo disserimus dicentes, Cur non rectè vivis? Quam ob rem non præstas mores absolutos? Quî possum, inquiunt, nisi divertam ab vxore, nisi valedixero liberis, nisi valere iussero negotia? Quam ob rem? Num obstat matrimonium? Adiutrix tibi data est vxor, non insidiatrix. An non habebat vxorem Propheta? Neque tamen spiritus gratiæ obstabat coniugium, sed cum vxore convictum habebat, & erat nihilominus Propheta. Moyses nonne vxorem habebat, Et tamen is petram dirupit, aërem immutavit, cum Deo colloquebatur, divinam iram cohibuit. Abraham nonne habebat vxorem? Et tamen pater factus est gentium & Ecclesiæ. Sustulit enim filium Isaac, Et hic illi fuit egregiorum facinorum materia. Nonne obtulit filium, coniugij fructum? Nonne fuit pater & idem amans Dei? Nonne licuit videre sacrificium è suis visceribus fieri? Sacrificium inquam simul & patrem, vinci naturam, vincere pietatem, viscera conculcari, piaq; facta superare, patrem deijci, Dei amãtem coronari? An non vidisti totum, & filij amãtem & Dei? Numquid hic obfuit matrimonium? Quid autem Machabæorum mater, nonne vxor fuerat? nonne septem filios addidit Sanctorum choro? Nonne vidit illos martyrio coronatos? Nonne veluti spectatrix astabat, nihil animo labascens? Nonne astabat obtestans illorum vnumquemque, & mater martyrum, septies ipsa martyrium præstitit? Dum enim illi torquebantur, illa plagam accipiebat. Neque adeò sine affectibus quæ gerebantur, spectabat: mater erat, & natura illata vis propriam virtutem declarabat, at illa non vincebatur. Mare quidem erat, & vnda: cæterum sicut mare, cum insanit, sedatur: ita & natura commota, metu Dei refrænatur. Quomodo eos aluit? quomodo eos vnxit? quomodo septem templa Deo exhibuit? statuas aureas, imo potiùs auro pretiosiores? Neque enim tale quippiam est aurum qualis anima martyrũ.* Et paulò pòst: *Quid autem Petrus basis Ecclesiæ, ille vehemens amator Christi, ille sermone indoctus & rhetorum victor, ille imperitus qui tamen philosophis obturavit os, ille qui Græcanicam sapientiam non aliter, quàm aranearum telã dissolvit, qui terrarum orbem peragravit, qui sagenam misit in mare, & piscatus est orbem? Quid autem ait Evange-*

Chrysost.

Euangelium? Ingressus est Iesus ad socrum Petri febricitantem: Vbi socrus, ibi & vxor, ibi & coniugium. Quid autem & Philippus, nonne quatuor habebat filias? Vbi vero quatuor filiæ, illic & vxor & matrimonium. Ac paucis interiectis: *Prospice tibi ipsi. Mulier si proba fuerit, adiutrix tibi est. Quid igitur si non fuerit commoda? fac illam commodam.* Iob. 2. *An non fuerunt vxores bonæ simul & malæ? Ne haberes excusationem. Qualis erat illa Iob? Sed Sara erat bona. Ostendam tibi mulierem & malam & improbam, neque tamen nocuit viro. Vxor Iob prava erat & improba, suasit illi vt blasphemias proferret. Quid igitur? Labefactavit turrim? Deiecit adamantem? Superavit petram? Depulit militem? Comminuit scapham? Eradicavit arborem? Nihil horum, sed illa impellebat, & arbor reddebatur stabilior: illa fluctus excitabat, at navis non submergebatur, sed secundo navigabat vento: fructus eius decerpebatur, & arbor commota non est: folia deciderunt, & radix mansit immota. Hæc loquor, ne quis excuset vxoris improbitatem. Mala est, corrige eam. Sed ais, è Paradiso me expulit: Verum eadem te in cælos induxit. Eadem quidem natura, mens tamen diversa. Sed illa Iob erat mala, verum Susana bona, sed illa Aegyptia erat impudica, verum Sara erat modesta. Vidisti illam, vide & hanc,* Genes. 39. *quandoquidem & etiam inter viros, hi* Dan. 13. *quidem mali sunt, illi verò boni. Bonus erat Ioseph, seniores autem impudici. vidisti omnibus in rebus vitium & virtutem, non naturâ diiudicari, sed animo distingui. Ne mihi prætexas excusationes.* Hęc perpende, & deprehendes neminem lædi, nisi à seipso.

Discursus IX.

Quid Fratres sibi invicem debeant?

Prov. 30. Apiens Proverb. 30. capite describens plagas, quæ filijs parentes subsannantibus manent, dicit: *Oculus qui subsannat patrem, & despicit partum matris suæ.* In quibus posterioribus verbis aliqui volunt fratrem significari. Hinc quæram, quid ipsi sibi invicem debeant.

1. Ad huius rei intelligentiam repetendum est, honorem quo hoc mandato præcipitur, consistere in quatuor, videlicet reverentiâ, obedientiâ, subventione & amore.

2. His positis, dico primò, in veteri Testamento fratres debuisse honorem fratri primogenito. Ratio est, quod multis modis præ fratribus excelleret: habebat enim inter alias prærogativas hanc, quòd fratres se illi submitterent, eumque adorarẽt, ipseque imperium & dominatum in Genes. 27. fratres haberet, vt patet Genes. 27. vbi Isaac dans benedictionem Iacob tanquam primogenito, dixit. *Serviãt tibi populi, & adorent te tribus, esto Dominus fratrum tuorum & incurventur ante te filij matris tuæ.* Alijs vero fratribus externus hic honor non debebatur ratione fraternitatis sed quandoque alia de causa, videlicet principatus quando contigebat ad illum elevari. Sic Genes. 42. cap. Iosephum adorarunt fratres eius, vt patet ex verbis: Genes. 42. *Et Ioseph erat princeps in terra Aegypti, atque ad eius nutum frumenta populis vendebantur. Cumque addorassent eum fratres sui*, &c. Suum vero principatum celavit vinginti tribus annis, donec somnium ipsi immissum verificaretur, quod habetur Genes. 37. ab Genes. 37. ipso relatum patri & fratribos, nempe, *Vidi per somnium quasi solem & lunam & stellas vndecim adorare me.* id est, patrem & matrem, & fratres vndecim: atque adeo honor ille extraordinariè competebat Iosepho, vt principi, non vt fratri.

Hoc tempore verò primogeniti prærogatiuam aliam non habent, quàm quod in bona feudalia soli succedant, vt notorium est: & quantum ad cætera bona cum alijs æqualiter succedunt; imò alicubi lege municipali vetitum est cœteris

ris paribus vni filio plus relinquere quàm alteri. Quod conforme est iuri naturę: vnde punitus deprehenditur Iacob tristitiâ & mœrore viginti trium annorum: quia nimis & cum invidiâ fratrũ amaverat Iosephum, cùm fecerit illi tunicam polymitam, id est, ex frustis & licijs diversi coloris variegatam, Genes. 37. Hanc enim causam existimant Doctores, quare viginti tribus annis Ioseph incognitus manserit in Ægypto, quòd Deus voluerit Iacobum hoc celari, vt esset illi quasi purgatoriũ mœroris. Solet enim Deus nimios Sanctorum circa rem vel personam aliquã amores hoc modo per adversa, quasi vinum aquâ iniectâ, temperare, imò recidere, & mortificare. Notat hoc D. Augustin. serm. 82. de tempore, hanc rem examinans his verbis: *Quare*, inquit, *sit hoc factum* (videlicet, quòd Ioseph patri non nunciaverit se superesse, suumque principatum) *diligenter attendite. Quamvis enim servi & amici Dei capitalia crimina vitaverint, & multa opera bona fecerint, tamen sine minutis peccatis eos fuisse non credimus, quia non mentitur ille, qui dixit, Non est immunis à peccato, nec infans cuius est vnius diei vita super terram. Et beatus Ioannes Euangelista, qui vtique meritis non erat inferior sancto Iacob, clamat & dicit, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos decipimus, & veritas in nobis non est. Et illud quod alibi scriptum est, Iustus septies cadit & resurgit. Quia ergo, sicut iam dictum est, sine istis minutis peccatis Iacob esse non potuit, volens Deus ipsa parva peccata in hoc seculo tribulationis igne consumere, implet in eo quod ipse per Spiritum sanctum dixit, Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Et illud: Flagellat Deus omnem filium, quem recipit. Et illud: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Vt ergo sanctum Iacob Deus noster velut aurum purgatum in futuro iudicio præsentaret, prius ab illo omnes maculas peccatorum abstersit, vt in eo ignis ille arbiter quod exureret invenire non posset.*

August. Iob 15. 1. Ioan. 1. Prov. 24.

3. Quantum ad obedientiam attinet, tenentur fratres illi obedire in omnibus licitis & honestis, præsertim quando loco patris aut tutoris minorennibus est constitutus.

4. Quæres, ad quid teneantur quoad subventionem? ait enim Sapiens Proverb. 17. *Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustijs comprobatur*. Respondeo, explorati iuris esse, quòd frater fratri ad extremam, vel quasi extremam, vel gravem egestatem adducto alimenta debeat. Probatur, quia extraneis pari necessitate pressis charitatis, & misericordiæ lege subvenire debemus. Nam 1. Ioan. 3. dicitur: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Prov. 17. 1. Ioan. 3.

Probatur secundò, quia Amos 6. Deus graves pœnas intonat primoribus Iudæorum, quòd temporalibus abundantes non compaterentur miseriæ fratrum, dicens: *Væ qui opulenti estis*. &c. Et vers. 6. *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur super contritione Ioseph.* q. d. non satis fuit exquisitis cibis stomachum implere, sed ne vllus sensus à voluptate suâ vacaret, ad vinum in phialis largè diffusum gratissimus vnguentorum odor accedebat, quibus nimis lauti ac delicati convivæ spargebantur. Neque quidquam habebant pensi, quid interea mali pateretur Ioseph, decem nimirum tribubus, quæ partim iam durè vexatæ fuerant, partim nihil non ab hoste vicino formidare poterant. *Quapropter* addit Propheta, *nunc migrabunt in capite transmigrantium: & auferetur factio lascivientium. Iuravit Dominus in animâ suâ, dicit Dominus Deus exercituum: Detestor ego superbiam Iacob, & domos eius odi, & tradam civitatem cum habitatoribus suis. Quòd si reliqui fuerint decem viri in domo vnâ, & ipsi morte morientur. Et tollet eum propinquus suus, & comburet eum, vt efferat ossa de domo: & dicet ei, qui in penetralibus domus est: Nunquid adhuc est penes te?* Hoc est; idcirco hi, qui primi sunt divitijs ac potentiâ, omnium primi captivitatis iugum atque Amos 6.

atque molestias sustinebunt. Et qui in capiendis voluptatibus, in vnum modum, atque consilium conspirarunt, hi pariter in exilium abibunt, & quorum vna fuit intemperantia, vna sit pœna. Hoc ipsum affirmavit Deus iuramento per animam suam, interposito, dicens abominationi sibi esse superbos Israëlitarum. & ambitiosos fastus, & domos ad stultam gloriam, & lasciviam extructas. Tum deinde civitatem insanis ædificiorum molibus insolentem, cum suis habitatoribus inimicorum manibus esse tradendam. Si tamen contingat, vt ex vnâ cognatione, seu familiâ decem, durum inimicorum gladium effugiant, neque ipsi diu vitam quam ab hostili ferro subduxerint, conservabunt; illos enim aut fames, aut pestis, aut durior aliqua vexatio consumet. Tunc verò propinquus illius, qui in illâ domo, quā sibi perfugij loco delegerat, aut absconditus est, aut iā est peste, aut inediâ consumptus, veniet, vt si quæ supersint è cognato sanguine reliquiæ, illas vindicet ab interitu, aut extremum impendat funeris honorem: & illum quem extinctum invenerit, igne comburat, vt consumptis carnibus, quas propter gravem odorem secum asportare non possent, nuda efferret ôssa de domo, quæ funeris honore prosequebatur, & in honesto loco sepeliat. Hoc dicet illi, qui in interiore domo est, quique putrida iā cadavera, aut nudata carnibus ossa produxerit, an aliquid præterea supersit, quod egerat foras.

Quæ autem hìc dicta sunt de Hebræorum convivijs, de immoderatis poculis, & superbo luxu, minùs essent reprehendenda, nisi eo essent tempore suscepta, quo aliorum libertas, & vita angustè laborabant, Ecclesi. 22. v. 6. *Musica in luctu importuna oratio.* Nam Principes Samariæ, & Israëlitici regni proceres, cùm regni totius saluti, ac libertati providere debuissent, vsque adeo tamen illius erant immemores, vt quo tempore, aut patiebantur, aut metuebant ab hostibus, quæ extrema censentur infortunia, ipsi tamen epulabantur splendidè, & genio ac voluptati, quam poterant effusissimè serviebant.

Porrò vt intelligas quâ ratione hunc locum ad fratres accommodem, attende in contritione Ioseph, de quâ non laborant, qui suo sibi genio largiter indulgent, omne cognationis officium esse proditum, aut etiam humanitatis, idque proverbiali inter Hebræos specie. Ita indicat Augustinus libro 4. de doct. Christ. cap. 7. *Non*, inquit, *dictum est: Nihil patiebantur super contritionem fratris, sed positus est pro fratre Ioseph, vt quicumque frater proprio significaretur eius nomine, cuius ex fratribus fama praclara est: vel in malis, qua pendit, vel in bonis qua rependit.* Cùm autem historia Ioseph nota esset propter splendorem personæ, & propter crudelitatis novum & inauditum exemplum, materiam præbuit amplissimam proverbio. Miserunt fratres Ioseph in cisternam veterem, vbi illi propter loci incommoditatem, nisi statim foret extractus, pereundum fuisset, dolebat eo tempore, vt ex horrore, ac fœtore loci, & ex ætate adhuc tenerâ coniectare licet, & lacrymabatur Ioseph, fratres tamen longè aberant, vt illi compaterentur, præter vnum, & alterum, imo statim, atque in cisternam illam profundam, & veterem demissus est, cibis illis vescendis sese composuerunt, quos illis fortasse paulò ante à patre attulerat Ioseph, iuxta illud Genes. 37. vers. 27. *Miserunt eum in cisternam veterem, qua non habebat aquam, & sedentes vt comederent panem, viderunt Ismaëlitas viatores* &c. De his igitur propriè dici posset, *Bibentes vinum in phialis, nihil patiebantur super contritionem Ioseph.* Et hoc ipsum per metaphoram proverbiali formâ dici posset de omnibus qui molliter & delicatè vivunt neque de fratrum suorum incommodis laborant.

Censet autem Abulensis ad cap. 36. Genes. cisternam illam veterem, in quam missus est Ioseph plenam fuisse

August.

Genes. 37.

Abulensis.

fuisse serpentibus, & scorpionibus: quod sanè verisimile est, quia etiam non est improbabile illam cisternam fuisse dissipatam, quæ ita aquam exciperet pluvialem, vt tamen illam non retineret, qualis erat illa, de qua Ieremias cap. 2. *Foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Hic porrò cisternam dissipatam, & veterem, sicut aquam puram retinere non p terat, sic verisimile est retinuisse, quod in aquâ crassum est, & cœnosum: neque enim per angustas cisternarum rimas, quod crassum est exsudat, aut effluit: quare illam fundum cœnosum esse necessarium est. Talis certè fuit illa cisterna, sive lacus, in quem proiectus fuit Ieremias cap. 38. *Proiecerunt eum in lacum* &c. *Et submiserunt Ieremiam funibus in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum: Descendit itaque Ieremias in cœnum.* In locis verò cœnosis immundas has, obscænasque bestiolas produci, satis docet ipsa experientia. Et subiungit: Neque credo aliud voluisse Iosephi fratres, dum illum in cisternam dimittunt, quam vt manus suas à fraterno sanguine conservarent innoxias, id est, ne tam suis manibus, quàm mortiferis belluarum morsibus, & loci pœdore, & pestilenti halitu fratrem extinguerent. Id enim significasse videtur Ruben, cum dixit, Genes. 27. vers. 21. *Non interficiamus animam eius, nec effundamus sanguinem, sed proijcite eum in cisternam veterem, quæ est in solitudine, man sque vestras servate innoxias.* Fuit ergò insignis illa crudelitas, quam non fregit frater demersus in lacum, & defixus in limo, & inter sordes, & horribiles belluas, quo minus accumberent mensæ, & epularentur iucundè.

Ierem. 2. Ierem. 38. Genes. 27

Et quidam auctor huius temporis in cap. 30. Proverb. censet fratrem sævientem in fratrem parentes iniuriâ afficere ad verba: *Et qui despicit partum matris suæ*, sic scribens: *Plures per partum matris intelligunt fratrem eâdem matre natum, ita vt Salomon eisdem pœnis subijciat eos, qui parentes lædunt, & fratres. Nec immeritò, quia cum filij singuli expressiores quædam parentum suorum imagines, & simulachra sint, in quibus ipsi vivere, atque spirare dicuntur,* (verba sunt Platonis) *quicumque filios violat, in parentes iniurius est*: atque adeò frater in fratres sæviens, parentes suos iniuriâ afficit: quemadmodum iniuriâ, quâ simulachrum, aut imago alicuius Principis violatur, ad Principem redit. Extollitur autem crimen eius, qui fratres suos iniurijs lacessit, dum non frater, sed partus matris appellatur: quid enim magis à ratione alienum, & ipsi naturæ adversum, quàm eos qui ex vna matre in eisdem visceribus, & ex vno sanguine creti sunt, inter se mutuò diffidere? Et profectò magna censetur sævitia, si quis taliter indigenti alimenta de neget.

Plato

Atque hæc obligatio locum habet, etiamsi frater non sit ex vtroque parente, imò etiam, quando is culpâ suâ amisit, consumpsit, & dissipavit tradita sibi à patre bona, ex quibus alioqui sustentari commodè potuisset, si voluisset.

5. Quæres, an etiam teneatur in illo casu, quo pater iustè, sive iniustè, ipsum hęreditate spoliavit? Respondeo affirmativè. Ita Ioannes Azor. p. 2. l. 2. Instit. Moral. cap. 40. vbi hanc proponit, & discutit quæstionem, an liceat cuique ad Religiosorum institutum, & ordinem se conferre eo tempore, quo frater eius, vel soror indiget alimentis? Et respondet distinguendo, aut egestatem eiusmodi esse extremam, vel quasi extremam, aut solum gravem, & alicuius momenti. Si primum, inquit, naturali æquitate differre debet in aliud tempus ingressum in Religionis ordinem, quoniam id vitæ genus suscipere nemo præcepto & lege compellitur: at fratrem, vel sororem simpliciter indigentem naturali iure sustentare debemus. Non sunt autem iuris naturalis præcepta negligenda, vt consilia impleamus. Immò etiam si quis simplici voto promiserit se vitam monasticam suscepturum, iure potest ingressum in cœno-

Ioann. Azor.

cœnobium differre, si frater eius, aut soror, extremâ, vel quasi extremâ inopiâ laboret.

Si secundum, tunc cuique fas se ad Religionem conferre: non enim idē iuris est fratris, aut sororis in fratrem, quod est patris in filiū, aut filij in patrem: Nā si pater non solùm extremâ, vel quasi extremâ, sed si quoque gravi necessitate prematur, nō licet filio se Religioni mancipare, & dicare, vt suo loco nos probatum reliquimus. Nec item fas est patri Religionis institutum amplecti expressè relicto filio extremè, aut etiam graviter indigenti. at fratri vel sorori simpliciter quidem indigenti subvenire debemus in Religionē ingressu in aliud tempus dilato, non tamen si in aliquam gravem tantùm egestatem devenerit, nisi fortè propter aliquas circumstantias sit necessitas valdè gravis. Voco autem extremā, vel quasi extremam egestatem, & inopiam, cum vita cuiuspiam periclitatur: gravem verò, cùm quis solùm indiget bonis ad statum, honorem, & dignitatem suam tuendam, & conservandam necessarijs.

6. Consequenter disputans hanc quæstionem proponit, An quis iure queat è monasterio egredi ad fratrem, sororemve suam sustentandā? Et respondet etiam distinguendo. Si solùm indiget alimentis ad statum, honorem dignitatemve necessarijs, non licet è monasterio exire, Nam non est talis, ac tanta, qualis, & quāta requiritur ad exitum è Monasterio. Si verò indiget alimentis simpliciter ad vitæ vsus necessarijs; quorundam est opinio, fas esse Monacho Religionem professo è monasterio ad tempus exire, facultate à Superiore petitâ, quamvis non impetratâ: quia si frater, aut soror in vitæ periculum incideret, vt puta, si in hostium manus, & potestatem veniret, si se præcipitio dare, aut suspendio necare vellet, nec esset alius quispiam, qui à tanto vitæ discrimine eum vellet, aut posset eripere, liberum esset Monacho, tunc egredi ad eum liberandum: quoniam Religionis votum, quo se Deo Monachus obstrinxit, iuris naturalis præcepto nequit adversari. Probabilis sententia est, quando aliter tantæ necessitati Religiosus consulere, & providere non potest.

Vnde etiam in veteri Testamento David, 1. Reg. 17. relictis serijs negotijs, quæ regni afflicti restitutionē concernebant, iussa patris, de providendis fratribus voluit adimplere, vti habetur, v. 20. *Surrexit itaque David manè, & commendavit gregem custodi: & onustus abijt, sicut præceperat ei Isai, Et venit ad locum Magala, & ad exercitum; qui egressus ad pugnam vociferatus erat.* q. d. Non pigritavit David paternis satisfacere mandatis, quia parētis imperio aliquid interponi moræ, non putabat illius esse, qui in parentes honorem, & observantiam coleret: & quia fratres amabat, quibus in castris victum esse suspicabatur angustum, illos egere, aut laborare diutiùs passus non est. Quare cùm gregis custodiam socio commisisset, antevertit solem, & multo manè cum ijs sarcinulis, quas paternum præceptum imposuerat, festinavit ad castra. itaque magnum nobis præbuit, & observantiæ paternæ, & fraternæ charitatis exemplum. 1. Reg. 17.

7. Sed quæstio est, Si frater in huiusmodi necessitate existat, & simul eodem tempore singularis amicus, & vterque iuvari non possit, quis præferendus sit? Ratio huius quæstionis ducitur ex Proverb. 18. *Vir amabilis ad societatem magis amicus erit, quàm frater.* Prov. 18.

Respondeo, fratrem præferri debere, quia cum debeamus nobis coniunctiores magis amare, sequitur ibi particularem, & quidem magnam esse obligationem vnum præ cæteris amandi, vbi est magna præ cæteris & singularis coniunctio: atqui fratres nobis præ alijs singulariter, & multùm coniuncti sunt: ergo est particularis & magna obligatio, eos præ alijs amandi. Locus autem citatus nihil huic sententiæ adversatur: Nam ibi solùm significatur, aut nos sæpè magis delectari amicī fami-

familiari vsu, eiusque consilijs magis vti, quam fratris; vt insinuat Divus Thomas q. 29. art. 8. ad 1. Aut sæpè contingere, vt amicus sit nobis in necessitate fidelior, & maiori auxilio, quàm frater. Ex quo nullo modo sequitur, nos in necessitate non obligari fratribus magis prospicere, quam extraneis amicis, vt bene advertit D. Thom. supra. Solus igitur is amicus potest præponi fratri, qui simul est omnino singularis benefactor, vt ita possit dici alter pater.

D.Thomas

8. Verùm quæro, An non teneatur vlterius convivia fratribus extra necessitatem positis exstruere? Ducor exemplo filiorum Iob, *qui faciebant convivia per domos, vnusquisque in die suo, & mittentes vocabant tres sorores suas vt comederent, & biberent cum eis.*

Iob. 1.

Respondeo, nullam esse legem, quæ necessariò hoc præscribat. Verum Scriptura narrat inter felicitates Iob concordiam filiorum eius magnam, & honestissimam conversationem, quod non tantum illi, & amicis eius res erat gratissima, verùm etiam Deo veræ pacis, & omnis dilectionis, & charitatis parenti: Ait enim Sapiens Eccles. 25. *In tribus beneplacitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes.* Atque ita hoc solùm ostenditur Deo eiusmodi convivia placere, quæ instruuntur ad fovendum charitatem. Hæc latiùs deduxi, vt sciat quantùm quis obligetur viscera fraternæ charitatis aperire.

Eccles. 25.

9. Quæres iterum, qualis debeat esse amor inter fratres? Respondeo, iuxta ordinem charitatis, talem debere inter eos esse dilectionem, vt eos præ cęteris ad quodvis vtile promoveant, omneque malum ab illis avertant. Prius patet exemplo Iosephi, qui fratres suos inimicos, & quantùm in ipsis erat fratricidas, Pharaoni stitit, & obtinuit vt eis daretur terra Gessen, eosque aluit, omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis, videlicet fame iam ingravescente. Posterius exemplo Ruben, qui Genes. 37. cùm fratres Iosephum vellēt interficere, *nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat: Non interficiatis animam eius, nec effundatis sanguinem: sed proijcite eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine, manusque vestras servate innoxias: hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo.* Eaque de causa insignis quidam Auctor existimat Moysen Deuteron. 33. dixisse: *Vivat Ruben & non moriatur,* rationem habens huiusce pietatis in fratrem: licet Iacob, Genes. 49. mala gravissima ipsi imprecetur, de quibus dicam in sexto Præcepto tractans de Incestu. Pro quo nota Ruben duplicem habuisse statum: vnum impietatis, cùm paternum thorum nefario incestu violavit, Genes. 35. alterum pietatis, erga fratrem suum Iosephum, quem ab alijs fratribus sine dubio occidendum *nitebatur liberare de manibus eorum*, Genes. 37. Rubenum igitur secundum priorem statum maledicit Iacob: Moyses secundum posteriorem benedicit. Atque adeò vna fuit parentis cura, non filium, sed filij peccatum enervare, ne cresceret, & in maius incendium augeretur.

Genes. 47. Genes. 37. Deut. 33. Genes. 49. Genes. 35. Genes. 37.

10. Vt vt est, certum est, Deum in concordia fratrum plurimùm delectari: patet ex loco Eccles. modò citato. Memorabile est, non autem imitandum exemplum, quod scribit D. Augustin. lib. 2. Civit. cap. 25. de quodam, qui eandem aleam in adversis cum fratre voluit subire. Is erat miles, qui cum fratrem à se peremptum agnovisset, huius facti pertæsus, sibi ipsi manus intulit, & fraterno cadaveri se adiunxit, *vt par,* inquit, *esset vtriusque alea.* Cæterùm odia in fratrem voluit Deus longissimè abesse; tum quòd fratrum odia soleant esse acerbissima, iuxta Aristotelem lib. 7. Polyt. c. 7. eò quòd omnis mutatio fiat ex contrario in contrarium, ideoque summus amor in summum odium convertatur: tum etiam quòd iniuria à fratre videatur esse acerbior. Vnde Dominus

August. Aristot.

Prov. 6. nus Deus Proverb. 6. declarat abominabiles esse coram se, qui causant dissensiones inter fratres. Sic enim ibidem habetur: *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius* &c. *eum qui seminat inter fratres discordias.*

11. Deinde constat Deum nulla re magis offendi, quàm odio fraterno. Patet hoc Amos 1. vbi sic ait Propheta: *Hæc dicit Dominus; super tribus sceleribus Edom, & super quatuor non conuertam eum: eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum & indignationem suam servaverit in finem.* quasi dicat. Deus, Omnino puniam scelus persecutionis Iudæorum, quo fratres persecuti sunt, nec vlla ratione pacabor. Et nota illam persecutionem incœpisse à dissidio Esau qui ob erepta sibi primogenita à Iacobo, eum internecino odio persecutus est. Quo factum, vt odium fratrum servaretur in posteris, qui illud cum semine propagarunt, quod tam acre & continuum fuit, vt Numer. 20. vers. 18. & alibi, acerba de eo sit querela, ideoque Deo ita displiceat, vt severè tale dissidium puniat, & vindicet: arctissima enim in fratribus sanguinis coniunctio iure naturę, divino & humano sommam postolat concordiam, & amorem. *Frater* enim dicitur quasi *ferè alter*, ait Gellius lib. 13. & Cicero lib. 3. epist. 7. *Fratris*, ait, *officium est, erga fratrē ceu ferè alterū effici.* Hinc Salustius in Iugurtha: *Quis*, ait, *amicior, quā frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuus hostis fueris?* Quocirca Antisthenes, *fratres concordes*, dicebat, *omni pariete esse fortiores.* ita Laërtius lib. 6. c. 1. Et Sapiens Prov. 18. 19. *Frater*, inquit, *qui adiuvatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Vbi fratrū concordia vrbs dicitur excelsa, ipsâ loci naturâ expugnatu difficilis: hęc enim est editissimarum vrbium conditio, vt paucis militibus ob clivorum difficultatem satis tutæ ac securæ ab hostibus sint. Hanc verò loci situsque tam excelsam & præaltam dispositionem fraternitas ipsa efficit; est enim sublimior cognationis gradus.

Amos 1.

Gellius. Cicero. Salustius.

Antisthenes. Laërtius. Prov. 18.

Hinc rursum illi, qui fratri insidias posuerunt, graviter à Deo leguntur puniti, videlicet Cain, qui fratrem Abel occidens, à Deo maledictus, tremulus, vagus fuit, & profugus. Genes. 4. 14. Et Ismaël, quia persecutus est fratrem Isaac, iussu Dei ab Abrahamo domo pulsus, & exhæredatus est: *Ismael*, ait S. Augustinus lib. 1. de vnico baptismo, & habetur dist. 56. can. *vt separaretur à populo Dei, non obfuit mater ancilla Agar, sed fraterna discordia.* August.

12. Porrò rectè quæres, quam obligationem, quoad spiritualia frater habeat erga fratrem? Hanc rem categoricè decidit D. Ioan. 1. epist. 2. dicens: *Christus pro nobis animam suā posuit, & nos debemus pro fratribus animas nostras ponere.* id est, obligationē habemus vitam corporalem postponendi vitę spirituali fratris. quod locū habet in casibus à nobis expressis in Discursu de Charitate proximorum, in quibus certum est fratres maiori vinculo coarctari. 1. Ioan. 2.

Discursus X.

De honore summo Pontifici debito.



1.Cor.4. D. Paulus 1.Corinth.4. cum multa dixisset in commẽdationem sui Apostolatus, dicit: *Non vt confundam vos hæc scribo, sed vt filios meos charissimos moneo: nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed nõ multos patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* Quo loco expresse insinuat Sacerdotes tanquam patres habendos, vti etiam Doctores sub hoc præcepto eos colendos docent. Hinc tractabo, quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam præmitto triplicem esse Sacerdotum ordinem, videlicet Summi Pontificis, Episcoporum, & inferiorum Sacerdotum. De primo nunc agam; de alijs sequenti Discursu.

2. His positis dico primo, Summo Pontifici, vtpote omnium patri externum & internum honorem deberi. Probatur Ecclesi.7. vbi ait Sapiens: *In totâ animâ tuâ time Dominum, & sacerdotes illius sanctifica.* id est, ex toto corde reverere Deum, & sacerdotes eius admirare vel suscipe: *Sicut enim*, inquit Iansenius, *Deus est ob excellentiam suam venerandus; ita & Sacerdotes eius propter ministerium eius suscipiendi sunt, & in veneratione habendi.* Et quamvis hæc generaliter ad omnes Sacerdotes spectent; certum tamen est, eminentius pertinere ad Pontificem. Ecclesi.7. Iansenius.

Confirmatur, quia in veteri Testamento varias ceremonias ritus adhiberi voluit Deus in consecratione Pontificis (latius diductas Exod.29.) vt ostẽderet præstantiam, dignitatem, & sanctitatem officij Pontificis; & vt subditi scirent, quãtum honorem & reverentiam illi præstare deberent. Rursum voluit Deus Pontificem idcirco Regi præcellere varijs titulis. Primò originis, quia Deus proprio motu instituit Pontificem in Ecclesia Hebræorum, cum perpetuo iure successionis, Hebræor.5. Sed regem petenti & murmuranti in pœnam ipsorum ægrè concessit, 1. Reg. 8. Secundò antiquitatis, quia statim post egressum populi ex Ægypto Aaron à Deo speciatim electus, & à Moyse consecratus est, Levit. 8. Debebat etiam assumi ex sola tribu Levi specialiter consecratâ divino cultui, & quidem ex familia solâ Aaronis: Rex ex qualibet tribu assumi poterat. Tertiò titulo vnctionis, nã Pontifices vngebantur oleo sancto, id est, vnguento composito ex oleo, myrrhâ, cinnamomo, calamo, casia, Exod 30. Reges vero oleo simplici & communi. Quartò, titulo ornamentorum. Hoc disertè affirmat Ecclesiasticus c. 45. vbi cum sigillatim descripsisset ornamenta Aaronis Pontificis, tãdem subiungit, nũquam ab initio mundi fuisse illis similia, nec deinceps fore aliquem, extra numerum Pontificum, qui similibus vsurus sit. Verba eius sunt hæc. *Sic pulchrà ante ipsum non fuerunt talia vsque ad originem. Non est indutus illa alienigena aliquis sed tantum filij ipsius soli, & nepotes eius, per omne tempus.* Et hoc facilè demonstrari potest. Nam Pontifex, in sua veste Pontificali habebat aurum, purpuram, hyacinthum, coccum bis tinctum, & byssum retortam: in fimbria, mala punica & tintinnabula aurea: in capite diadema, seu tiaram, cum lamina aurea, in pectore, duodecim gemmas pretiosas: in humeris, duos lapides onychinos, auro inclusos. Nihil simile habebant Reges. Nec aliud ferè de Exod.29. Ecclesi.45.

illis

illis legimus, quam quod soliti sint gestare diadema in capite. Nec tamen de omnibus, sed de tribus dumtaxat hoc legimus, nempe de Saule, Davide, & Ioas. Et quidem Saul habuit diadema in capite, quando occisus est in bello contra Philistinos. Quod diadema postea à quodam adolescente allatum est ad Davidē, vt habetur 2. Reg. 1. 10. *Et ait adolescens, Tuli diadema, quod erat in capite eius, & attuli ad te Dominum meum huc.* Quinto titulo officij: officium enim Pontificis in lege Mosaica fuit multò excellentius, quam Regis. Ratio est, quia officium Pontificis erat spiritale, concernens salutem animæ: officium Regis temporale, concernens pacem externę politię. Ad Pōtificem pertinebat, offerre Deo sacrificia, intrare in Sanctuarium, expiare populum à peccatis, consecrare Levitas & Sacerdotes, legem Dei interpretari, in rebus dubijs responsa à Deo accipere. Ad Regem, præesse populo in temporalibus, conservare iustitiam civilem, suscipere bellum contra hostes. Ad hæc Pontifex in suo officio non dependebat à Rege; & tamen Rex dependebat à Pōtifice. Pontifex præter suum officium poterat præstare quæ ad efficium Regis pertinebant, & multo plura: Rex non poterat, quæ ad officium Pontificis. In omnibus controversijs legalibus, tam Ecclesiasticis, quàm politicis supremus iudex erat Pontifex. non Rex. Hinc populus plus honoris ac reverentiæ tribuebat Pontifici, quam Regi. Imo si, inter Pontificem & Regem, lis aliqua vel disceptatio intercederet, Pontifici potius adhærebant, quam Regi. Hoc accidit Sauli. Cum enim mandaret suis subditis, vt interficerent Achimelech Pontificem noluerunt Regi obedire. Nimirum, pluris æstimabant vitam Pontificis, quam mandatum Regis. Plus dicam. Ipsi Reges vltro deferebant Pontifici: nec soli Hebræorum Reges, sed etiam gentilium. Exemplo sint Ioas Rex Iuda, & Seleucus Rex Asiæ. Ioas venerabatur Ioiadam Pontificem, vt parentem; & eo vivente, nihil faciebat, nisi ex eius directione & præscripto, 4. Regum 12. Seleucus adeò suspiciebat Oniam Pontificem, vt in eius gratiam; magno honore ac muneribus prosequeretur templum Ierosolymitanum, 2. Machab. 3.

2. Reg. 1.

4. Reg. 12.

2. Mach. 3.

3. Ex his itaque concludo Pontificem novi Testamenti maiore honore dignum esse: nam longè excellentior est Pontificatus novi Testamenti, quam veteris: sicuti enim pluris est corpus quàm vmbra, ita excellentior est Petrus seu Pontifex novi testamenti, Aarone Pontifice veteris legis. Imo quidquid olim Patriarchæ & Primores populi habuerunt dignitatis & excellentiæ hoc totum in Pontifice solo resplendet. Audi desuper Bernard. qui lib. 2. de Considerat. cap. 8. sic scribit: *Age, indagemus diligentius, qui sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum, Tu hæres Apostolorum, Tu primatu Abel, gubernatu Noë, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, Auctoritate Moyses, iudicatu Samuël, potestate Petrus, vnctione Christus. Tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alij ianitores cæli, & gregum pastores, sed tu tantò gloriosius, quanto & differentius vtrumq; præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi vniversi crediti, vni vnus. Nec modò ovium sed & pastorum tu vnus omnium pastor. Vnde id probem, quæris? ex verbo Domini. Cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolutè & indiscretè tota commissæ sunt oves? Si me amas Petre, pasce oves meas. Quas, illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit, Cui non planum, non designasse aliquas, sed adsignasse omnes? Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil.* Et paulò post: *Ergo iuxta canones tuos, alij in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limi-*

Bernardus.

limitibus, tua extenditur, & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonne si causa extiterit, tu Episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere satanæ potes? Stat ergo inconcussum privilegium tuum tibi in tam datis clavibus, quam in ovibus commendatis. Deinde pergit prærogativam Petri pontificatus confirmare, dicens: *Accipe aliud, quod nihilo minus prærogativam confirmat tibi. Discipuli navigabant, Et Dominus apparet in littore: quodque iucundius erat in corpore redivivo. Sciens Petrus, quia Dominus est, in mare se misit, & sic venit ad ipsum, alijs navigio pervenientibus. Quid istud? nempe signum singularis Pontificij Petri, per quod non navem vnam vt cæteri quique suam; sed sæculum ipsum susceperit gubernandum. Inde est quod altera vice instar Domini gradiens super aquas, vnicum se Christi vicarium designavit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet. Siquidem aquæ multæ, populi multi. Ita cum quisque cæterorum habeat suam, tibi vna commissa est grandissima navis, facta est omnibus ipsa vniversalis Ecclesia toto orbe diffusa.* Hæc Bernardus. Ex quibus sat superque dignoscitur quantum summus Pontifex honorandus veniat. Omitto quòd hoc ipsum, cōstet ex eo quod Pater Patrum verè sit & quod

1. Cor. 4. Paulus dixit Corinthijs, nempe, *Si decem millia pædagogorum habeatis, sed non multos patres, nam in Christo Iesu ego vos genui*, dicere possit summus Pontifex fidelibus omnibus. Ad hoc enim significandum voluit Deus, vt primus omnium, qui tum ex Iudæis, tum ex Gentibus filios spirituales per verbum Dei & Baptismum genuit, sanctus Petrus fuerit: ipse enim primus, accepto Spiritu sancto in die Pentecostes, publicè Euangelium prædicavit Iudæis, & conversos ad fidem baptizari iussit; & ipse idem primus Cornelio Gentili, & eius familiæ prædicavit, & credentes iussit baptizari. Pater ergo Patrum Petrus fuit; in cuius locum Pontifices Romani succedunt. Quod ipsum Ritus declarat, qui in coronatione Pontificis adhibetur, cum Decanus Cardinalium orans pro Pontifice, vocat eum Patrem Regum ac Principum Christianorum.

Act. 2. Act. 10. Act. 15.

4. Quæres, quomodo debitè Pontifex externè honoretur. Respondeo per osculum pedum. Probatur Isa. cap. 19. vbi Propheta prædicit osculo pedum honorandos Prælatos Ecclesiæ, *Ecce Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent*. id est, Reges & Reginæ liberaliter & regiè nutrient tuos fideles, Pastores, Prælatos, ô Ecclesia; & illum honorem tribuent Ecclesiæ, eiusque Prælatis, quem ipsi olim à suis subditis solent accipere, nimirum honorabunt & venerabuntur Prælatos quasi suos Dominos; imò Reges, idque osculo pedum; quod innuunt verba, *pulverem pedum tuorum lingent*, id est, osculabuntur tum vt supplices, tum vt à te victi. Sic enim Ps. 41. dicitur, *Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent*, seu summam demissionem & venerationem osculo pedum exhibebunt. Alludit autem Propheta Isaias ad Cyrum & Reges Persarum, cum quibus nemo loqui poterat, nisi prostratus in terram, vestigia pedum Regum oscularetur, teste Xenophonte lib. 8. & Plutarcho in Alcib. Isa. 19. Ps. 41.

Confirmatur exemplo & vsu Imperatorum ac Regum qui summo Pontifici tanquam totius populi Christiani Pastori, omniumque Ecclesiarum Capiti hunc honorem exhibuerunt. Sic enim legitur Iustinus Imperator ad Ioannis Primi Pontificis pedes provolutus, illum pro Dei Vicario adorasse, apud Ioannem Naucleru͂ vol. 2. Gen. 18. Anno 522. Et ibidem scribit Imperatorem Iustinianum condemnatâ Eutychianâ heresi, quam seductus ab Anthemio Constantinopolitano malè voluerat à summo Pontifice Agapeto confirmari, eundem adorasse & Apostolicæ sedi se humiliasse. Iustinianus vero se- Naucler.

Platina. ro secundus, vt testatur Platina, *Constantinum Papam I. non solum amplexus, verum etiam eius pedes venerationis causa exosculatus est.* Stephano Pőtifici Rex *Pipinus ad tertium à Carisiaco oppido lapidem obuiam progreßus pedes, vt ferunt, exosculatus, coërceri non potuit, quin in equo sedentem pedibus ad frenum prosecutus in regiam deduceret.*

P. Aemil.

Sic Reges Orientis, nec aliter Occidentis Imperatores. *Carolus Magnus Romam veniens, pedes Pontificis sedentis in loco Dei osculatur.* Fuit is Adrianus Primus *qui mirâ benevolentiâ acceptum retinere non potuit, quo minus pedes suos exoscularetur. Prius Pontificis pedes osculo contigit, quàm se illi complectendum daret. Ludovicus Primus Imperator* vbi intellexit Stephanum Papam Quartum, *adventare, statim ei honoratissimum quemque obuiam misit, maximè verò Theodolphum Aurelianorum Episcopum cum Clero, & magna populi parte. Ipse vero ad primum lapidem prodiens cum hominem vidisset, ex equo descendit, atque eum, datâ acceptâque salute, cum maximâ veneratione in vrbem introduxit praecedente Clero, ac saepe carmen repetente, Te Deum laudamus. Ludovicus Secundus.* Nicolao Papa Primo *ad mille passus obviam factus, ex equo descendens eum freno manibus attrectato in castra perduxit. Henricus Quintus Imperator vrbem Leoninam ingressus vsque ad Basilicam sancti Petri, cuius in gradibus pedes Pontificis Paschalis II. cũ Cardinalibus prodeuntis, exosculatus est.*

Io. Carion. an. 771.

Platina.

Idem.

Hermanu Schnyd.

Plat.

Fredericus Primus Imperator ex equo descendens Adrianum Quartum Pontificem vt verum Christi Vicarium, salutat. Cœtera optimus Imperator, qui in tantum *auxit Imperium, vt post Carolum Magnum gestorum magnificentiâ vix parem haberet in plerisque, praeter persecutionem Ecclesiae, gloriosus. Tandem ineundae pacis erga Venetias, atque ad Alexandrum Papam III. veniens, non modò pedes eius exosculatus est, verum etiam inclinata ceruice collum pedi Alexandri submisit. cumque Pontifex dixisset; Super Aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem, respondit Fredericus: Non tibi, sed Petro obsequium exhibeo. ad quam eius vocem subintulit Pontifex; Et mihi, & Petro.* Ita tandem post multorum annorum dissensiones, paci & concordiae sinus apertus est.

Hunc honorem plures Imperatores & Reges successiuè continuarunt; nec ab avita pietate degeneravit Carolus Quintus aevo nostro Imperator praestantissimus. Is cum Bononiam venisset ad Clementis VII. Pontificis pedes provolutus, ac mox dextrâ laeti arridentisque Pontificis erectus ad osculum, Hispanicâ oratione, *Veni,* inquit, *sanctissime Pater, ad pedes tuos, quod summo voto semper expetiui: vt fessis Christianae Reipublicae rebus communi consilio succurramus. Oro Deum Opt. Max qui me hujus voti compotem fecit, vt nostris consilijs adsit; atque hic adventus meus Christianis omnibus sit salutaris.*

Breviter Reges Christiani etiamnum modò in creatione novi Pontificis Legatos, sive Oratores mittunt, qui reverentiam, & obedientiam Pontifici recèns creato promittant, tanquam Patri Spirituali: vt omnes intelligant, eos quoque ad familiam Christi pertinere, quae est Ecclesia Catholica, cui vice Christi summus Pontifex, vt paterfamilias praesidet.

5. Quaeres quaenam ex his vtilitas? Respondeo duplex. Prima quoad Catholicos, quòd praecepto divino se conforment, quo iubet honorare patrem & matrem; quòd Apostolo obsequãtur, qui idipsum iussit Rom. 13. in verbis: *Reddite omnibus debita &c. cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Denique quòd benedictionem Dei assequentur in hoc saeculo iuxta promissionem huius praecepti, & mercedem in futuro adimplentibus praecepta Dei promissam. Rom. 13.

Altera quantum ad Haereticos, quòd apertè deprehendantur perperam agere contumeliosè tantum Patrem lacessando, dum eum insulsè vocant Antichristum. Si enim qui patrem naturalem contumeliosè tractat morte dignus sit,

vt probavi Discursu primo in hoc Pręceptum ex illo Exodi 21. *Qui maledixerit Patri aut matri morte moriatur*; multò magis qui supremum patrem in spiritualibus. Quid enim insulsius, quam Pontificem Antichristum dicere? cum ipse propter Iudæos vẽturus sit in fine mundi & ex Gente Iudęorum, & ab eis tanquam Messias recipiendus sit, iuxta id quod Dominus Iudæis dixit Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Deinde cum vẽturus non sit, nisi desolato Romano Imperio, & diviso in decem Reges, quorum nullus erit, vel dicetur Rex Romanorum. Tertiò quod Enoch & Elias eius tẽpore venire debeant, vt Malachias prædixit cap. 4. & Sapiens Ecclesi. 44. & 48. & Ioannes Apocalyp. 11. in verbis: *Dabo duobus testibus meis, & & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta.* Quartò quia eius persecutio gravissima & notissima erit, ita vt cessabunt omnes publicæ religionis cęremoniæ & sacrificia, iuxta Daniel. cap. 12. quorum nihil adhuc videmus. Quintò, quia regnabit tribus dumtaxat annis cum medio, vti colligitur ex Daniel. cap. 7. & 12. Et Apocal. 12. vbi legitur duraturum Antichristi regnum *per tempus & tempora, & dimidium temporis*. Et post illam persecutionem brevissimè sequetur consummatio sæculi. Omitto quod omnino contrarium agat Pontifex, quàm Scriptura refert Antichristum facturum. Quis non videt ex his Novantes sine ratione insanire.

Ioan. 5.

Malach. 4. Eccles. 44. Apoc. 11.

Daniel. 12.

Dan. 7. & 12. Apoc. 12.

c. His missis pergo, & dico secundò summo Pontifici fideles debere obedientiam, tanquam legislatori primo ac præcipuo. Dedit enim illi Dominus hanc facultatem in spiritualibus, cum illi dixit Ioan. 21. *Pasce oves meas.* Et Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cælorum.* id est, potestatem & officium gubernãdi Ecclesiam. Hoc ipsa metaphora plane significat. Et confirmat vsus. Solent enim, qui in familia vel vrbe præsunt, accipere claves in signum imperij & Iurisdictionis. Vnde Dominus apud Isaiam cap. 22. cum vellet significare, se potestatem summi Sacerdotis translaturum à Sobna in Eliacim, vsus est metaphora clauium. Sic enim ait: *Vade & ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi, & dic ad eum; Quid tu hic? Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te. & vocabo servum meum Eliacim, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum & potestatem tuam dabo in manu eius: & aperiet, & non erit, qui claudat: & claudet, & non erit, qui aperiet.* Eadem metaphorâ vtitur Scriptura ad significandum principatum Christi, Apoc. 3. 7. *Hæc dicit sanctus & verus qui habet clavem David: qui aperit & nemo claudit: claudit & nemo aperit.* Hinc Gregor. lib. 4. epist. 32. *Cunctis Euangelium scientibus liquet, quod voce dominica, omnium Apostolorum Principi Petro totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: Tibi dabo claves regni cælorum.*

Ioan. 21.

Isa. 22.

Apoc. 3.

Gregor.

Et quis vsus harum clavium est? solvere & ligare, claudere & aperire, id est, exercere triplicem potestatem: Vnam intromittendi in Ecclesiam, & eijciendi, prout quisque meretur. Alteram, solvendi vincula peccatorum, legis, voti, iuramenti. Tertiam, ligandi per præcepta & pœnas. Vno verbo: exercere supremam iurisdictionem in domo Dei, quæ est Ecclesia, Synodos convocare, ijsdem præsidere, lites finire, & controversias fidei decidere, leges & constitutiones condere. Quibus ita voluit Dominus obediri, vt Deuteron. 17. pœnam mortis in pertinaces constituerit. Sic enim ibidem habetur. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & nõ lepram: & iudicium inter portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locũ quem elegerit Dominus Deus tuus, veniensq; ad sacerdotes Levitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quaresq; ab eis, qui iudicabũt tibi iudicij veritatẽ. Et facies*

Deut. 17.

cies quodcumque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum. Nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo: ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israël. cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbiâ. id est, Si ambiguum est homicidium, id est, homicidij qualitas, alijs asserentibus illud esse voluntarium sive destinatum, ideoque morte puniendum; alijs vero excusantibus, quod casu, vel ignoranter admissum sit: adeoque homicidæ esse ius asyli, in civitatibus refugij. Si causa & lis sit ambigua, alijs dicentibus esse iustam; alijs iniustam. Si dubium de leprâ, alijs asserentibus esse lepram mundam, vel mũdissimam, quæ hominem à sacris non arcet: alijs vero dicentibus esse lepram immundam & arcendam à sacris, recurres ad Concilium Sanhedrim, in quo sunt Sacerdotes & iudices sęculares, quibus omnibus præest summus Pontifex, eiusque decreto obedies; alioquin morieris. Ad clariorem intelligentiam nota legales causas. Primò, erant sacræ & cæremoniales, vti quæstio de fide, religione & cæremonijs: talis erat controversia de leprâ. hæ spectabant ad sacerdotes, vti per se patet. Secundò, erant iudiciales, vti de sanguine & homicidio: hæ spectabant ad magistratum laicum, & in singulis vrbibus erant iudices, ad eas iudicandas constituti, qui si non possent litem dirimere, tenebãtur eam deferre Hierosolymam ad Sacerdotes, & ad Põtificem, qui eam definiebat. Omnia enim hæc ex lege, vel iudiciali, vel cæremoniali definienda erant: legis autem interpres erat Pontifex.

7. Quod autem illic de Pontifice veteris Testamenti dicitur, hoc in novo etiam locum habet in Pontifice quoad decreta fidei & morum. Probatur ex vsu & praxi novi testamẽti, nempe primò Act. 15. vbi exorta controversia de Circumcisione, an scilicet novi Christiani, qui tunc fidem Euangelij recipiebant, non possent salvari, nisi etiam circumciderentur, & legalia servarent. Res decisa est per Petrum & Apostolos, qui invocato Spiritu sancto responderunt: *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Post tempora Apostolorum aliæ atque aliæ diversis locis ac ætatibus exortæ sunt, quas similiter à Pontifice Romano, vel à Concilijs ab eo approbatis, decisas atque diręptas esse, ex historijs Ecclesiasticis notum est. Et qui illorum sententiæ noluerũt acquiescere pro hæreticis habiti & damnati sunt. Producam exempla aliquot.

Act. 15.

Prima cõtroversia fuit, an Pascha deberet celebrari cum Iudæis decima quarta mensis primi, vt volebant multi in Asia, qui propterea Quartadecimani appellati sunt: an vero tantum die Dominica, sicut nũc fit? Hæc tandem post multa concilia Episcoporum decisa ac finita est a Victore Papa, anno Christi 198. Vide Eusebium lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 23. & sequentibus. *Eusebius.*

Secunda, An Ecclesia posset illos absolvere à peccatis, qui post baptismum lapsi essent? Negavit Novatianus. Sed damnatus est in Concilio Romano sub Cornelio Papa, anno 255. Vide Baronium circa eundem annum. *Baronius.*

Tertia, an in Deo sint tres personæ realiter distinctæ? Negavit Sabellius, asserens vnam tantùm esse personam, quæ habet tria officia, creationis, redemptionis, & sanctificationis. Sed damnatus est in Cõcilio Alexãdrino tempore Sylvestri Papæ. Anno Christi 319. iuxta Baronium. Anno 416. controversum fuit, an homo sine gratiâ Dei per solas naturæ vires posset implere legem, si velit? Affirmarunt Pelagius & Cęlestius. Sed damnati sunt in Concilio Chartaginensi & Milevitano, sub Innocentio Primo.

Sub idem tempus alia fuit controversia.

troversia, An parvuli nascerentur in originali peccato, & ad illud peccatum abolẽdum indigeant baptismo? Negarunt ijdem authores, Pelagius & Cœlestius, teste August. in lib. de hæresibus, cap. 88. vbi de illis sic habet: *Parvulos etiam negant, secundũ Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere. Sic enim eos sine vllo peccati originalis vinculo asserunt nasci, vt prorsus non sit, quod eis oporteat secunda nativitate dimitti: sed eos propterea baptizari, vt regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius translati, non ista renovatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti.* Hic error damnatus est in Concilio Milevitano cap. 2. & postea à Zosimo Papa, vt testatur idem August. in lib. de peccato originali, cap. 6. & seq.

August.

7. Dices. Novantes hanc potestatem non agnoscunt; imò Reges & iudices sæculares regimen Ecclesiasticum sibi adscribunt: præterea quædam loca ex Scriptura adducunt, quibus id probare conantur.

Respondeo id verum esse: sed perperam & gratis illam negari & à sæcularibus sibi vindicari. Primò, quia in veteri Testamento distinctum legitur officium Pontificis ab officio Regis, nempe 2. Paral. 19. (quem locum pro se allegant adversarij) vbi sic habetur: *In Hierusalem quoque constituit Iosaphat Leuitas, & Sacerdotes, & principes familiarum ex Israël, vt iudicium & causam Domini iudicarent habitatoribus eius. Præcepitque eis dicens, Sic agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto, omnem causam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in vrbibus suis, inter cognationem & cognationem, vbicumque quæstio est de lege, de mandato, de ceremonijs, de iustificationibus: ostendite eis, vt non peccent in Dominum, & ne veniat ira super vos, & super fratres vestros: sic ergo agentes non peccabitis. Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit: porro Zabadias filius Ismaël, qui est dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Ex hoc loco formant Novantes hunc syllogismum, Quicumque constituit Levitas & sacerdotes in aliqua civitate, habet primatum Ecclesiæ: at Rex Iosaphat constituit Leuitas, & Sacerdotes in Hierusalem; ergo habet primatum Ecclesiæ. Quo quid absurdius? Non enim hoc quidquam confert, quod quis antea ordinatos & consecratos ad certum vsum applicet, quod cuivis scimus sæculari esse licitum. Nos verò aliter formamus syllogismum, nempe, Sacerdotes iure divino constituti sunt supremi Iudices omnium cõtroversiarum, quæ ad Deum & Religionem pertinent; idque agnovit Iosaphat, dum distinxit officium Regis ab officio summi Sacerdotis, omniaq; quæ ad Deum spectant, illi tribuit cum exclusione Regis: ergo Sacerdotes iure diuino tenent primatum Ecclesiæ. Neque Rex ex officio suo potest se immiscere ijs, quæ ad Deum pertinent: adeoque nõ tenet primatum Ecclesiæ. Iuvat hãc rem, quod Deus in veteri Testamẽto graviter punierit Reges, qui officium Sacerdotis sibi vsurparunt. Ozias enim Rex 2. Paral. 6. volens adolere incensum, leprâ percussus est ideo à Deo. Maria etiam soror Moysis murmurans cõtra eum, correpta est leprâ, Numer. 12. Et Dominus volens quoscumque efficaciter dehortari ab vsurpatione officij Sacerdotalis, hoc exemplum allegat Deuteron. 24. vbi Deus disertè cõminatur lepram ijs, qui sacerdotibus obedire nolunt: *Observa*, inquit, *diligẽter ne incurras plagam lepræ, sed* (vt eam evites) *facies quæcumque docuerint te Sacerdotes Levitici generis, iuxta id quod præcepi eis, & imple sollicitè. Mementote quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ.* Et nota signum, id est tales non naturaliter, sed divinitus leprâ percussos fuisse.

2. Paral. 19.

2. Paral. 6.

Num. 12.

Deut. 24.

8. In novo Testamento dixit Christus, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Quibus verbis voluit Imperatori vel Regi solum illud esse reddẽdum, quod ex vi Cæsariæ seu Regiç potestatis debetur. Vnde sicut potestatem Regiam non abstulit, ita neque illam auxit, neque peculiare ius pascẽdi oves suas ei commisit.

Chrysost. misit. Hinc Chrysost. ait esse Diaboli tributum, cum aliquid pietati officiens, Cæsari tribuitur, his verbis: *Cum audis reddenda esse Cæsari, quæ sua sunt, illa solùm dici non dubita, quæ pietati ac religioni nihil officiunt. Nam quod fidei, ac uirtuti obest, non Cæsaris, sed diaboli tributum, ac vectigal est.* Clariùs Ambrosius in epist. 14. aliàs 33. ad Marcellinam Sororem, *Allegatur,* inquit, *Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo, noli te gravare Imperator, vt putes, te in ea, quæ divina sunt imperiale aliquod ius habere: noli te extollere, sed si vis divinitus imperare, esto Deo subditus: scriptum est: Quæ Dei, Deo, quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ, publicorũ tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum.* (Ambros.)

9. Tertiò, iure divino nusquam legitur principibus sæcularibus commissum ovile Christi, neque Ecclesiæ regimen, sed sacerdotibus. Vnde dixit Apostolus Act 20. *Attendite vobis & vniverso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* (Act. 20.) Et Ephes. 2. *Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis cives sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* (Ephes. 2.) id est: ô Ephesij iam non estis, quod olim fuistis, peregrini siue extranei à promissis, populo, civitate, ac domo Dei, aut Proselyti seu advenæ, qui quasi alieni, vtpote è Gentibus oriundi, olim convertebantur ad Iudaismum, & aggregabantur Iudæis & Ecclesiæ Dei: sed estis cives sanctorum Patriarcharum, Abrahæ, Isaac, & Iacob, sive Israëlis, & posterorum eius sanctorum Israëlitarum, à quibus in Gentilismo fuistis extranei & alienati; imo estis de domo & familia Dei, puta de Ecclesiâ Dei, à quâ fuistis ante Christum extorres; estis de familia Regis Messię, qui tàm Deus est, quàm homo, deque Christianâ republicâ, in quâ habetis ius civicum ad Ecclesiæ Sacramenta, & bona omnia Christi & Christianorum, atque conscripti estis cives & hæredes eiusdem civitatis, cœlestis scilicet Hierusalem, ædificati super Apostolos & Prophetas, qui sunt fũdamentum Ecclesiæ. Apostolorum enim & Prophetarum fidei, doctrinæ, prædicationi, & institutioni, quasi fundamento Ecclesia incumbit, Christo existente angulari lapide: Christus enim est primarium fũdamentum Ecclesiæ, quatenus per eius fidem in fundamento collocata solidatur, & sustentatur vniversum Ecclesiæ ędificium, de quo dixit Apostolus 1. ad Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere,* præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus: (1 Cor. 3.) Apostoli vero sunt fundamentum secundarium eiusdem Ecclesię per suum ministerium, quatenus doctrinam salutis (quæ in solo Christo est) diuinitus acceptam hominibus annunciarunt; Prophetę quidem obscurius, Apostoli autem manifestius, ac plenius. Vnde S. Ioannes Apoc. 21. videns sanctam civitatem Hierusalem novam descendentem de cœlo, id est, Ecclesiam Christi, dicit duodecim Apostolos esse fundamẽta Ecclesiæ, in verbis: *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.* (Apoc. 21.) Quid hic, quæso, de Regibus, aut Republicâ regiã potestatem vsurpante? Nihil prorsus. Et ibidem 4. cap. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores & doctores ad cõsummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* (Ephes. 4.) Quibus verbis significat Apostolus Christum ad ædificium Ecclesiæ suæ per Spiritũ sanctum quem post ascensionem suam misit, constituisse quidẽ Apostolos, qui toto orbe mittebantur ad prædicandum Euangelium Gẽtibus, vt vbique instituerent & fundarent Ecclesias; quales fuerunt Paulus, Barnabas, Sylas & alij. Prophetas item, tum qui futura prædicerent, vt Agabus & alij; tum qui sacras Scripturas interpretarentur, & per eas iustorum futura gaudia, malorumque supplicia hominibus revelarent: Propheta quoque dicitur, qui occulta & obscura pandit & explicat.

Tertiò

Tertiò, Euãgelistas, de quibus quatuor noti sunt in Scripturis. Demum Pastores & Doctores, seu Episcopos & propriè dictos Pastores & Doctores, qui in scholis litteratos docēt, vt sincera dogmatum doctrina in Ecclesiâ retineatur: vt sancti scilicet & electi in Christo tum numero, tum meritis compleantur & perficiãtur. Idque illi faciunt respectiuè tãquam ministri Christi dispensantes Prophetiam, Euangelium, doctrinam, aliaque talenta sibi credita à Deo, donec tandem Ecclesia, seu ædificium Christi spiritale absolvatur, & omnibus suis partibus, omni perfectione, & ornatu compleatur, & cõsũmetur, quod erit vsque ad cõsummationem sæculi, vt, innuunt verba: *donec occurramus omnes* &c. Ex quibus liquet evidenter Deum non commisisse Ecclesiam suam sęcularibus regendam, sed viris Ecclesiasticis. Si enim id voluisset, ab initio Reges constituisset. Ecclesiæ præsides, & quantumvis Ethnici ac pravi erant, vt Tiberius Imperator & Herodes Rex, potuisset illos immutare, sicut Paulum Ecclesiæ persecutorem subitò in vas electionis mutavit.

10. Quartò Imperatores hanc potestatem libenter agnoverunt. Nam in primis de Philippo Imperatore Christiano memoriæ proditum est, obedivisse Fabiano Papæ præcipienti, vt ad communionem nõ prius accederet, quàm inter publicos pœnitentes sedens peccata defleret, vt Eusebius refert, lib. 6. Hist. c. 25 aliàs 27. & Nicephorus lib. 5. c. 25. aliàs 27. De Constantino etiam nota est historia, quòd in Cõcilio se ab Episcopis iudicandum esse dixerit, non de illis iudicaturum apud Ruffin lib. 1. c. 2. Satis etiam piè Iustinus Imperator in l. 4. C. de Summâ Trinit. & fide Chatol. *Nos*, inquit, *reddentes honorem Apostolica sedi, & vestra Sanctitati, quod semper nobis in voto fuit, & est, vt decet Patrem, honorantes vestram Sanctitatem, omnia, quæ ad Ecclesiarum statum pertinent festinavimus ad notitiam deferre vestra Sãctitatis, quoniam nobis semper fuit magnum studium vnitatem vestra Apostolica Sedis, & status sanctarum Ecclesiarum custodire.* Et alia quæ prosequitur, quibus satis se ostendit spiritualiter Apostolicæ sedi subiectum, vt rectè intellexit, & laudavit Ioannes Põtifex in rescripto, quod in eâdem lege refertur. §. *Inter claras*, vbi inter alia dicit, *Romanæ sedis reverentiam cõservatis, & ei cuncta subijcitis, & ad eius deducitis vnitatem*, &c. Sunt etiam valdè notanda verba Caroli Magni Imperatoris, *In memoriam Beati Petri honoremus sanctam, Romanam, & Apostolicam Sedem, vt quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra Ecclesiastica rationis, quare servanda est cum mansuetudine humilitas, vt licet vix ferendum ab illâ sanctâ Sede imponatur iugum, tamen feramus, & piâ devotione toleremus.* Quæ verba ex capitulis Caroli refert Gratian. in cap. 3. dist. 19. & Nauclerus vol... generat. 28. dicit vnum esse ex viginti tribus legum capitulis, quæ Carolus ad suos subditos misit. Et receptum est à Patribus in Concilio Triburiensi canon. 30. Vnde etiam dicit Symmac. Papa in sexta synodo Rom. *Non licet Imperatori vel cuiquam pietatem custodienti quidquam, quod Apostolicis regulis obviet, agere.* Et refert Gratian. in cap. 2. dist. 10. vbi similia verba ex Calixto, Marcellino, & Adriano Papâ referũtur. Imò idem Adrianus in vltimo suorum capitulorum, *Generali*, ait, *decreto constituimus, vt execrãdum anathema sit, & veluti pravaricator catholica fidei semper apud Deum reus existat, quicumque Regum, vel Potentum deinceps Romanorum Pontificum decretorum censuram in quocumque crediderit, vel permiserit violandam*, vt est apud Gratian. in c. *Generali* 25. q. 1.

Eusebius. Nicephorus Ruffinus

11. Demum ea est omnium Ecclesiarum consuetudo, in rebus dubijs fidei ac morum ad illum recurrere, cui dictum est, *Tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*, Luc. 22. Vnde appositè in Novantes retorqueri possunt verba Pauli, quibus Corinthios refractarios & opinione sapientiæ tumidos depressit, ac coëgit quiescere, quando de suis donis contendebant, linguas suas iactitabant, & de illis

Luc. 22. 1. Cor. 14.

illis pueriliter gloriabantur, contradicentes normæ, quam Paulus volebat obseruari ad rectè huiusmodi donis vtendum. Sic autem ait: *An à vobis verbum Dei processit, aut in vos solos peruenit?* id est, An vos primi credidistis; à quibus ad omnes alios Euangelica doctrina propagata sit? minimè. Nam primi credentes fuerunt Iudæi, & ab illis verbum Dei processit ad alios; iuxta vaticinium Isaiæ cap. 2. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Proinde Iudæorum Ecclesias in supradictis imitari debetis: non ipsi nouas in Ecclesiam introducere consuetudines. Rursum, An vos soli credidistis? Minimè. Non enim estis primi, neque soli Christiani; vestraque Ecclesia nec prima est, nec sola: debetis ergo priores imitari, & alijs Ecclesijs vos conformare. Hoc, inquam, modo, agendum est cum nouantibus, ijsque dicendum; Non vobis credendum est, contra omnium Ecclesiarum cõsuetudinem, quasi vos soli Pseudochristiani intelligeretis verbũ Dei, & omnes in crassâ ignorantiâ huc vsque perseuerassent à vobis edocendi, qui præfracti, & tumidi veram Ecclesiam, adeoq; verbum Dei contemnitis, & ad vestros errores peruersè retorquetis. Isa. 2.

12. Dices iterum, Pontificem & Episcopos, quibus Ecclesia commissa est, homines esse, adeoq; falli posse.

Respondeo, id insulsum esse: licet enim homines sint, & per se errare possint, tamen à Spiritu sancto directi errare non possunt. Hinc Petrus & Apostoli Act. 5. dixerunt: *Visum est Spiritui sancto, & nobis &c.* quod idem est, ac si dicerent: *Nolite dubitare* decreta nostra necessariò esse obseruanda, quia quod ordinauimus, hoc Deus ordinauit. Hinc etiam Paulus planè deserturus Ephesianos Act. 20. vocauit maiores natu Ecclesiæ, & dixit illis: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* id est, Sollicitè aliorum saluti intendite, cùm à Spiritu sancto, qui verus est Deus, constituti estis superiores; cuius inspiratione & virtute ab illo acceptâ, eam dirigetis. Imò Christus promisit Episcopis Ioannis 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Et hac de causa, credo, eiusmodi superiores non simpliciter homines vocatos, sed homines Dei, quòd per ipsos Ecclesiam Deus dirigat, ac suam potestatem iudicandi, & gubernandi illis communicarit. Sic Moyses à Deo constitutus, Deique ad populum internuncius vocatur homo Dei Deut. 33. v. 1. in verbis: *Hæc est benedictio, qua benedixit Moyses homo Dei, filijs Israël ante mortem suam.* Sic Act. 2. v. 22. Petrus Iesum vocat, virum approbatum à Deo, id est virum Dei, *Virtutibus & signis, quæ Deus fecit per illum.* Et cap. 17. v. 31. Paulus Iesum vocat virum, *in quo Deus statuit iudicare orbem.* Sic idem 1. Tim. 6. vocat Timotheum, hominem Dei, v. 11. sic dicens: *Tu autem ô homo Dei, hæc fuge,* &c. Quia nempe erat Episcopus, & Princeps Ecclesiæ Ephesinæ, eamque voce Dei regebat, quasi diceret Paulus: Memẽto, ô Timothee, cuius sis, cui seruias. Dei es, Deo seruis, Dei vicarium agis, vide ergo ne auaritię, de qua iam egerat, seruias: nemo enim potest Deo seruire & Mãmonę, adeo vt vir Dei idẽ sit, quòd iudex, legislator, princeps, qui Dei nomine & virtute iudicat, regit, & operatur: adeoque illis omnino obediendũ, quãdoquidem Deus per ipsos Ecclesiã dirigat; quin etiã Ecclesiam non audiẽtes haberi velit sicut Ethnicus & Publicanus, Matth. 18. Act. 5. Act. 20. Ioan. 16. Deut. 33. Act. 2. Act. 17. 1. Tim. 6. Matth. 18.

13. Ex his duo vtilia scitu eruuntur. Primum, obediendum esse Põtifici, in ijs, quæ vice Dei præcipit, & decernit, æquè ac ipso Deo: *Qui enim vos audit,* inquit Christus, *me audit.* Et D. Bernard. de Præcept. & dispens. c. 12. *Obedientia, quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur.* Et immediatè pòst infert: *Quamobrem quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo: haud secus omnino accipiẽdum est, quam si præcipiat Deus. Quid enim interest, vtrum per se, an per alios ministros, siue homines, siue Angelos hominibus innotescat suum placitum Deus?* Luc. 10. Bernard.

Chrysost. Alterum ex contemptu Pontificis Deum sperni, dicente Saluatore, *Qui vos spernit, me spernit.* D. Chrysost. hom. 2. in 2. ad Timoth. Dei & Prælati causam ita coniunctam esse dicit, vt, qui Prælatum contemnit, ad Deum contemnendum facilè inducatur: *Qui honorat*, inquit, *Sacerdotem, Deum quoque honorat: qui vero sacerdotem spernit, ad id sensim prolabitur, vt in Deum ipsum aliquando contumeliosus euadat.* Matth. 10. *Qui vos, inquit, suscipit, me suscipit. Et Sacerdotes eius, ait, in honore habete. Hinc Iudæi Deum aspernere didicerunt,* Num. 16. *quia Moysen contempsere, quia lapidibus illum impetebant. Nam qui piè sacerdoti afficitur, longè maiore pietate Deum reuerebitur.* Cyprian. Et D. Cyprianus in epist. 66. ad Florẽtium, non aliter, quam ex Prælatorum contemptu, diuinum contemptum prouenire arbitratur: *Vnde*, inquit, *schismata, & hæreses obortæ sunt, & oriuntur? Dum Episcopus, qui vnus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur: & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus iudicatur.* Quod iam in epist. 18. ad Cornelium de Hæreticis inculcauerat: *Neque enim*, inquit, *aliunde hæreses obortæ sunt, aut natæ schismata; quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur. Nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex, vice Christi cogitatur.* Et rursum in serm. de zelo & liuore, *Ad hæreses*, inquit, *prosilitur, dum obtrectatur Sacerdotibus, dum Episcopis inuidetur.* Hæc vera sunt, sed repeto, verba Christi non tantùm hoc dicere, sed clarè exprimere, in Prælati contemptu Deum contemni. Et confirmatur 1. Reg. 8. vbi Dominus dicit contempto Samueli: *Non te abiecerunt, sed me.* 1 Reg. 8. Eleganter de hac re Saluianus lib. 8. de prouidentia, *Sacrilegij*, inquit, *genus est, Dei odisse cultores. Sicut enim, si servos nostros quispiam cædat, nos in seruorum nostrorum cædit iniuria; & si à quoquam filius verberetur alienus, in supplicio filij pietas paterna torquetur: Ita & cum seruus Dei à quocumque læditur, maiestas diuina violatur; dicente idipsum ad Apostolos suos Domino: Qui vos spernit, me spernit. Benignissimus ac pijssimus Dominus communem sibi cum seruis suis honorem simul, & contumeliam facit; ne quis, cum læderet Dei seruum, hominem tantùm à se lædi arbitraretur; cum absque dubio iniurijs seruorum dominicorum, Dei admisceatur iniuria.* Saluianus. Hæc ille: vbi, quãuis de quolibet Dei seruo loquatur: tamen à fortiori intelligendus est de illo, qui Dei vices in terra gerit.

Discursus XI.

De honore Episcopis alijsque Sacerdotibus ipsis immediatè subiectis debito.

Eccles. 7. Cclesi. 7. cap. dicit Sapiẽs: *In tota anima tua time Dominum, & Sacerdotes eius sanctifica.* Dixi quis honor summo Pontifici competat, restat discutere, quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam prænotandum est, Episcopos iuxta Pontificem vocatos esse in partem sollicitudinis. nam Christus Dominus, qui ipse absolutè loquendo *caput est corporis Ecclesiæ*, ad Colos. 1. ad Ephes. 1. constituens in terris visibilem, eumque ordinarium ac perpetuum Vicarium, ac militantis Ecclesiæ vniversalem Pastorem; consequenter etiam voluit, vt per eũdem Vicarium suum, succedentibus temporibus, particularium Ecclesiarum Episcopi ac Pastores instituerentur; tali modo ac limite potestatis ipsis concesso, sicut ad totius Ecclesiæ conuenientem statum expedire visum fuerit. Siquidem Christus Dominus perfectam Ecclesiæ Monarchiam constituit. Ad Monarchiæ autem, præsertim tam latè diffusæ, perfectionem pertinet, Col. 1. Ephes. 1.

vt

vt sub vno Monarcha siue vniuersali capite, alij sint in Republica inferiores Principes, quasi totius corporis nerui, aut manus, dependentes à summo capite. Quare dicere possumus; Sicut in Romano Imperio sub Imperatore duces sunt, ac Marchiones &c. ab ipso constituti; ad eum modum proportionalem sub Romano Pontifice esse Episcopos, & Prælatos. Quod significasse videtur Vigilius Papa epist. ad Euther. c. vlt. & referuntur in c. *Qui se scit*, 2. q. 6. *Ipsa namque Ecclesia, quæ prima est, ita reliquis Ecclesijs vices suas credidit largiendas, vt in partem sint sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* Et S. Thom. in 4. d. 20. q. vn. a. 4. *Papa habet plenitudinem potestatis Pontificalis, quasi Rex in regno: Episcopi vero assumuntur in partem solicitudinis, quasi Iudices singulis ciuitatibus præpositi.*

Vigilius Papa.

S. Thom.

Id probant verba Apostoli Act. 20. *Attendite &c. in quo vos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei.* Adeoque in Concilijs consensu Romani Pontificis coactis iure proprio & ordinario sententiam decisiuam dicunt, tanquam Iudices: quia ipsi Pastores fidelium sunt à Christo constituti. Patet Act. 15. vbi Apostoli & Seniores statuerunt necessariò abstinendum ab idolothytis, & suffocato, & sanguine, ad alendam & seruandam concordiam; item à simplici fornicatione, quam Gentiles non credebant esse peccatum. Conformiter potestatem habent alias leges condendi, quæ ad Ecclesiæ vtilitatem conducunt. Sic enim ait Paulus 1. Cor. 1. cùm præscripsisset ordinem seruandum in sacro Ecclesiæ conuẽtu quoad donum prophetiæ, inquit, *Si quis videtur Propheta esse aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis: quia Domini sunt mandata.* id est, Cognoscat Dominum per me iubere, vt ille ordo in vestris cœtibus & collationibus seruetur, quem scilicet ibi præscripsit, vt omnia decenter fiant. Festa etiam instituendi in sua Diœcesi aliaq; per Concilium Tridentinum latius expressa. Habet insuper potestatem coërcendi & puniendi subditos, si

Act. 20.

Act. 15.

1. Cor. 1.

non obediant, vt passim patet ex Apostolo 1. Cor. 4. *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* 2. Cor. 13. *Hæc absens scribo, vt non præsens durius agam, secũdum potestatem, quam Dominus mihi dedit.* Et hac potestate frequenter vsus est, primò, quando excommunicavit Corinthium incestuosum; secundò, quando reprehendit Corinthios, quod iudicio contenderent apud infideles; tertiò quando Hymenæum & Alexandrum, propter hęresim, tradidit satanæ; quartò, quando Thessalonicensibus scripsit: *Si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & non commisceamini illi.* Præterea Episcopos & Sacerdotes ordinandi, & Sacramentum Confirmationis soli, exclusis alijs inferioribus sacerdotibus, administrandi; quod Sacerdoti magno competit, quia perficit hominem Christianum, illique arma tribuit in hac militia contra diabolum dimicandi.

1. Cor. 4.

2. Cor. 13.

2. His positis quæres, quo honore Episcopi honorandi sint. Respondeo illo honore externo, qui debetur intimis Principum. Probatur ex c. 6. Isaiæ, vbi Propheta tale quid insinuauit de Apostolis, in verbis: *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini.* id est, Vos, ô Apostoli vestriq; asseclæ, Sacerdotes Domini antonomasticè vocabimini, quasi hierarchæ, & principes sacrorum, ac mediatores inter Deum & populum. Rursum *vocabimini sacerdotes*, id est, intimi ac familiares, consocijque secretorum regis Christi, vtpote qui cum eo toto prędicationis eius tempore versati, ea conspexeritis & audieritis; ac proinde vti in Ecclesia, ita & in cœlo proximè ei assistatis, quasi administri & primi in regno Christi. Et hinc honoris causa solent intimi Regis Sacerdotes vocari, vti patet 2. Reg. 8. vbi filij David dicuntur Sacerdotes id est, principes aulæ Dauidis, *& primi ad manum Regis*, vti exponitur 1. Paralipomen. 18. Et sic 2. Reg. 20. iuxta Chaldæum Ira Iairites sacerdos dicitur Dauid, quia princeps vel intimus Consiliarius

2. Reg. 8.

2. Reg. 20.

liarius & Secretarius erat Dauidis. Quod autem Episcopi sint intimi summi Pontificis, constat tum ex prædictis, tum quòd eos fratris nomine dignetur.

3. Quæres penitiùs, qua ratione Episcopo huiusmodi honor exhibeatur? Respondeo tunc exhiberi quãdo, missis difficultatibus de præcedentia, (quas vel ambitio, vel cõsuetudo introduxit) in suo Episcopatu ab omnibus, etiam à proprio Principe, agnoscitur, vt pater & pastor, ac doctor tam ipsius Principis, quã reliqui populi. Nam secundum prædicta nomina, etiam Princeps subiectus esse debet Episcopo; non Episcopus Principi. Pater enim est honorabilior filio, pastor ouibus, & doctor discipulis. Præterea Episcopus in Ecclesia sedet in throno, & ad altare sacerdotio fungitur; quæ principi nulla ratione conueniunt. Adhæc multi grauissimi auctores de excellentia dignitatis Episcopalis ita disputant, vt ostendant, Principum terrenorum eminentiam cum Episcopali fastigio nulla ratione cõparari posse. Hi sunt S. Gregorius Nazianzenus, & S. Ioannes Chrysostomus, Græci; S. Ambrosius, & S. Gregorius, Latini.

Nazianz. S. Gregorius Nazianz. in oratione ad Ciues suos timore perculsos, & Principem irascentem: *An me, inquit, liberè loquentem æquo animo feretis? Nam vos quoque meæ potestati, meisque subsellijs lex Christi subiecit. Imperium enim ipsi quoque gerimus, addo etiam præstantius & perfectius. Nisi verò æquum sit, spiritum carni fasces submittere, aut cælestia terrenis cædere.* Chrysost. S. Ioannes Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio sic loquitur: *Sacerdotium Regno tantò est excellentius, quantum spiritus & carnis internallum esse potest:* & hoc multis argumentis probat. Loquitur autem de summo Sacerdotio, id est, de Episcopatu. Ex multis rationibus vnã præterire nolo: *Habent,* inquit, *& terrestres Principes vinculi potestatem; verum corporum solùm: id autem, quod dico Sacerdotis vinculum, ipsam animam contingit, atque ad cælos vsque peruadit.* Et infra: *Nam quasi iam in cælum translati, ac supra humanam naturam positi, atque à nostris affectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt. Quid multa? Rex aliquis, si cui ex subditis honorem hunc detulerit, vt potestatem habeat, quoscumque volet in carcerem conijciendi, eosdemque rursus laxandi, beatus ille & admirandus iudicio omnium fuerit: at verò, qui à Deo tantò maiorem accepit potestatem, quantò cælum terrâ pretiosius est, quantò etiam anima corporibus præstant, hic vilem dignitatem accepisse videri potest?*

S. Ambrosius in lib. de dignitate Sacerdotali cap. 2. *Honor,* inquit, *& sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippe cùm videas Regum colla & Principum, submitti genibus Sacerdotum; & exosculatis eorum dextris, orationibus eorum credunt se communiri.* Ambros. S. Gregorius in epistola ad Mauritium Imperatorem, quæ est tricesima prima libri quarti: *Quid mirum,* Greg. inquit, *si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos, aut Deos ipse etiam appellat Deus? Ecclesiastica quoque testatur historia. Quia cum piæ memoriæ Cõstantino Principi in scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent: libellos quidem accusationis accepit, & eosdem qui accusati fuerant Episcopos conuocans, in eorum conspectu libellos, quos acceperat, incendit, dicens: Vos Dij estis à vero Deo constituti: ite & inter vos causas vestras discutite, quia dignum non est, vt nos iudicemus Deos.*

Certè Magnus Constantinus, cum concilio Episcoporum interesse vellet, non solium sublime sibi erigi voluit, sed paruam sedem: neque antea sedit, quàm Episcopi illi annuissent, vt sederet. & cum aliàs in concione in templo interesse vellet, vbi solus Episcopus, qui concionabatur, sedebat in throno, & populus de more illius temporis stabat: oblata est sedes Imperatori, sed recusauit, & cum reliquo populo semper stare voluit. Vide Eusebium in vita Constantini lib. 2. Eusebius.

lib.2.cap.10. & lib.4. c. 33. Sanctus Martinus, Episcopus Turonensis, sic honoratus est ab Imperatore Maximo, vt in cõuiuio ipsi etiam Imperatori præpositus fuerit. Et S. Patritius Episcopus Hibernorum sic Regibus imperabat, ac si verè parens, & Dominus ipsorum esset. Ex vita S. Dunstani Archiepiscopi Cantuariẽsis (de quo mox plura dicam) constat Regem Acharon illi venienti pro more occurrisse, & per manum ad solum suum perducere solitum. Cum enim Rex aliquando grauiter peccasset, turbato vultu manum Dunstanus retraxit, non patiens eam ab illo contingi.

4. Secundò honorandi sunt Episcopi, præcipuè obedientiâ. Eò enim tendit, & ducit honor ille externus, vt videlicet laici tam superiores, quàm inferiores in omnibus licitis & honestis sese conforment eius legibus. Hoc docuit Apostolus ad Hebr. 13. in verbis: *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.* Quibus verbis illis obedientiam humilem, submissam, & simplicẽ exhiberi iubet. Etidem est ac si dicat: Quidquid vobis præcipiunt, quod sanctum & sanum est, facite; Ieiunium, orationes, festa, supplicationes, & similia indicunt Episcopi, seruate; popinas siue symposia, histrionum ludicra, comœdias, seruilia, forum diebus Dominicis, alijsque festiuis diebus vetant, obtemperate: quæ enim iubent, Domini mandata sunt, iuxta locum citatum 1. Corinth. 14. Et si res grauis sit, ad mortale obligat ijs se conformare. Dicit enim Apostolus post ordinationes suas de ordine seruando quoad prophetiam: *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* id est, Qui non vult agnoscere has leges, & potestatem meam, improbabitur à Deo dicente; *Nescio vos. Nam qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.*

Hebr. 13.

1. Cor. 14.

Hanc certè potestatem etiam in pœnis agnouit Corinthianus ille, excommunicatus à Paulo ob fornicationem, 1. Corinth. 5. & humiliter se potestati eius subiecit, pœnitentiam subijt, donec remissa adhuc quadam pœnâ temporali restante, fidelium consortio permitteretur communicare.

Quid dico? Etiam Imperatores & Reges eandem agnouerunt, non illo tempore, quo Corinthianus, cùm sanguis Christi adhuc in hominum cordibus recens ebulliret; sed quadringentis annis posteà humiliter se Episcopali censuræ submiserunt. Primum patet, in Theodosio Imperatore, qui cùm quidam Thessaloniæ peccassent in Magistratum, aliquos obruendo lapidibus, aliquos grauibus contumelijs vexando; isque in insontes pariter ac sontes vindictam statuisset: ita vt septem millia hominum breui spatio cœsa essent, ab Ambrosio excommunicatur. De quâ sic Paulinus in vita sancti Ambrosij: *Copiam Imperatori ingrediendi Ecclesiam denegauit: nec prius dignum iudicauit cœtu Ecclesiæ, vel sacramentorum communione, quàm publicam ageret pœnitentiam. Cui Imperator contrà asserebat, Dauid adulterium simul & homicidium perpetrasse. Sed responsum illicò est: Qui secutus es errantem sequere corrigentem. Quod vbi audiuit clementissimus Imperator, ita suscepit animo, vt publicam pœnitentiam non abhorreret.* Clarius Theodoretus lib. 5. cap. 17. hanc rem explicat: *Hac miseranda & lugubri calamitate cognitâ, Ambrosius ille, de quo suprà diximus, Imperatori Mediolanum aduentanti, & in sacrum templum ingredi cupienti, extra sacra vestibula, obuiam procedit, vetatque in templum intrare, & his ferè verbis eum affatur: Est verisimile, ô Imperator, te ignorare cædis à te perpetratæ magnitudinem, neque post sedatam iracundiam ratione admissum scelus peruidere. Nam Imperatorius forte principatus peccatum agnoscere non sinit, sed potestas offundit rationi caliginem. Verum quæ sit natura nostra, & quàm fragilis ac fluxa, considerandum est: & auitum puluerem, ex quo orti sumus, & in quem recasuri, acies mentis intendenda: neque ipse splendore purpuræ deceptus, corporis illâ operti imbecillitatem ignorare debes. Quin etiam illis imperas, qui*

Paulinus.

Theodor.

& eiusdem sunt naturæ participes, atque adeò conservi: Vnus enim Dominus omnium & Rex, huius vniversitatis fabricator Deus. Quibus igitur oculis intuebere templum illius, qui est omnium Deus? quibus pedibus sanctum illud solum calcabis? Qui, quæso, manus iniustâ cæde & sanguine respersas extendere audes, & eisdem sacrosanctum corpus Domini accipere? Aut quomodo venerandum eius sanguinem ori admovebis, qui furore ira iubente, tantum sanguinis, tam iniquè effudisti? Recede igitur, & ne conare novo scelere scelus antè editum augere; sed capesse vinculum, quo vt ligêris, Dominus omnium cælitus sententiam dat: quod quidem vinculum vim habet, & morbum animi depellendi, & te ad sanitatem restituendi. Huic orationi obsecutus Imperator (nam divinis educatus eloquijs, accuratè norat tum quæ essent officia sacerdotum, tum quæ Regum propria) cum gemitu & lachrymis ad Palatium revertitur. Atque post pœnitentiam octo mensium, & latâ lege, quod infra triginta dies sententia de cœde pronunciata, executioni non mandaretur, ad sacra iterum admissus est, pronus, humi abiectus, recitans versiculum Ps. 118. *Adhæsit pavimento anima mea, visita me secundum verbum tuum.* Ps. 118.

Alterum patet in Edgaro Rege Britanniæ, de quo sic scribit Fulgosius lib. 1. cap. 1. quòd cùm virginem deperiret, quam in Vincestrensi monasterio viderat educari, nec ab iniuria desisteret, licet ipsa velo vnius ipsius Monasterij Religiosarum se tegeret, vt virginitatem à Regis iniuriâ tueretur, Dunstanus Cantuariensis Archiepiscopus ad eum profectus est, ceu Nathan ad David Regem reprehendendum, porrigentem in congressu dexteram suam honoris causa Regem à contactu repulit: tanquam propter incestum indignus, qui sacerdotem contingeret, videretur. Quam notam non solùm patienter tulit Edgarus, verùm agnito errore, in quem nimia libidine victus inciderat, ad sancti Sacerdotis pedes prostratus, lachrymabundusque crimini veniã petijt: & cùm pœnæ loco ei, vt à gestando diademate septem annos abstineret, & sacris quoque virginibus monasterium conderet, iniunctum esset, obedienter ea peregit. Hæc autem respectu potestatis facta esse, facilè quis intelliget, ex verbis, quæ Theodosius respondit Ruffino Magistro aulę sibi persuadenti, quod facilè procuraret apud Ambrosium, vt à vinculis solveretur. Sic enim illi hoc pollicenti respondit: *Non es tibi morem gesturus: novi enim adeò iustam, æquamque esse* Ambrosij *sententiam, vt non metu potestatis Imperatoriæ sit legem divinam violaturus.* Quia verò contrarium sæpè his temporibus fit, hinc turbatur Ecclesia & plagæ succrescunt; vt enim ait Chrysost. hom. 2. in 2. ad Timoth. *Hoc nempè est omnium malorum causa, quod Præpositorum vestrorum auctoritas perijt. Nulla ijs reverentia habetur, nullus honor, nullus metus.* Hæc speciatim de Episcopis. Fulgosius. Chrysost.

5. Restat inquirere, quis honor inferioribus Sacerdotibus, seu Pastoribus competat.

Hoc quæsitum paucis expedit Apostolus, dum ait 1. ad Timoth. 5. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur; maximè qui laborant verbo & doctrina.* Quo loco Apostolus transit à viduis ad Pastores, hos autem in duplici honore vult haberi, hoc est reverentiæ & subsidij. Vnde Chrysost. homil. 2. in 2. ad Timoth. *Reverere Sacerdotem, quod tibi diebus singulis divina ministrat, scripturas relegi facit, tui gratia exornat domum, propter te vigilat, propter te vota persolvit, pro te Deum precaturus adstat, tui causa preces exsolvit, pro te apud illum religio, cultusque & obsequium est, pro te ista omnia. Reverere hæc ergo, & considera.* 1. Tim. 5. Chrysost.

Nota, quæso, singula, nam quia divina ministrat, vult idem Auctor lib. 3. de Sacerdotio, pluris faciendos, quàm Principes, vel Reges; imò maiori honore, quàm proprios parentes, honestandos: & ait insaniam esse manifestissimam eiusmodi statum contemnere, *sine quo*, inquit, *neque salutis, neque promissorum bonorum compotes fieri possumus. Nam si non potest quis in regnum cælorum ingredi, nisi*

nisi per aquam, & spiritum regeneratus fuerit; & Qui non manducat carnem Domini, & eius sanguinem non bibit, aeterna vitâ priuatur: omnia autem hac haud aliter, quàm per sacrosanctas illas manus perficiuntur; manus, inquam, Sacerdotum. qui fiet, vt citra illarum opem, aut gehennae ignem euitare quis possit, aut reposita in caelo corona praemia assequi? Hi enim sunt, hi sunt, inquam, quibus tum concreditae sunt spirituales parturigines, tum etiam baptismatis partus à Deo est commissus: per hos ipsos Christum induimus, vnà cum Dei filio sepelimur: beata carnis illius membra efficimur, quo nomine Sacerdotes meritò non modo plus vereri debemus, quàm vel Principes vel Reges; verum etiam maiori honore, quàm parentes proprios honestare. Est huius rei exemplum imitãdum Galat. 4. vbi ipsi leguntur tanto fauore prosecuti D. Paulum, vt his hyperbolicè illum explicare volens, testimonium perhibeat, quod oculis suis chariorem eum habuerint, in verbis: *Quia si fieri posset*, id est, si natura permitteret, *oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.* Galat. 4.

Quia verò Sacerdos Scripturas relegi facit, aut potiùs tibi explicat, pretiosas diuini dogmatis gemmas exsculpit, fideliter coaptat, sapienter adornat, splendorem adijcit, vt ipso exponente illustrius intelligas, quod anteà obscurius credebas, non minorem honorẽ meretur. est enim spiritualis tabernaculi Beseleel; est homo Dei: sic enim Prophetę vocari solent, sic Doctores. Prius patet 4. Reg. 1. vbi Elias Propheta à quinquagenario (licet irrisoriè) vocatur homo Dei. & 1. Reg. 9. de Samuele dicitur. *Vir Dei est in ciuitate hac.* Imo Iudic. 13. v. 6. Manue de Angelo, quẽ viderat inquit: *Vir Dei venit ad me habens vultum angelicum.* Sic 3. Reg. 13. de quodam Propheta dicitur: *Vir Dei venit de Iuda in sermone Domini in Bethel*, hoc est iussu Dei. Vt autem intelligas hoc Prophetam significare, dicit ad illum v. 18. quidam alius, volens eum fallere: *Et ego Propheta sum similis tui.* Posterius patet 2. ad Tim. 3. vbi Apostolus dicit Timotheo: *Tu verò permane in ijs, quae didicisti* &c. *vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus* quod idem est, ac si diceret, Sacrae Scripturae vtiles sunt ad hoc, vt faciant te perfectum Doctorem, ad omne opus bonum praesertim docendi, arguendi, corripiẽdi, erudiendi instructum & comparatum. Rursum ob hoc in S. Scriptura Angeli vocãtur, vt patet Malach. 2. vbi dicitur: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.* id est, Labia Sacerdotis custodire debent scientiã, & legẽ requirere debẽt ex ore eius: ipsi enim custodiunt scientiã, vt eam loquantur opportunè & congruè, dando conseruis cibũ in tẽpore suo, vt monet Christus Matth. 24. 45. ita vt os Sacerdotis sit arca quaedam salutaris, vnde quisque sibi depromat necessaria, quae ibi Deus ad communem cuiusque vtilitatem, & instructionem recondidit. Et ratio additur, *quia Angelus Domini exercituum est.* In quae verba sic Hieronym. *Angelus autem, id est nuntius, Sacerdos Dei verissimè dicitur, quia Dei & hominum sequester est, eiusque ad populum nunciat veritatem.* Vnde Apostolus loquens de benevolentia, qua Galatae ipsum exceperant, inquit: *Tentationem vestram in carne mea non spreuistis, nec respuistis: sed sicut angelum Dei excepistis me sicut Christũ Iesum.* Id est, nihil offensi illã carnis meae infirmitate, tanti me fecistis, & tanto cum honore me suscepistis, vt si angelum caelitus à Deo missum, in quo carnis infirmitas locum non habet, susciperetis: quodque amplius est, suscepistis me, sicut Christum Iesum; quia considerastis in me, non humilitatem meę personae, sed dignitatem eius, cuius sum minister & Apostolus. Benè dicit, *sicut Angelum Dei*, quia Paulus verè Angelus, id est, nũtius Dei erat. Illum titulum Chrysostomus loco citato omnibus Concionatoribus communicat, dicens: *An ignoras, quid si Sacerdos Angelus vtiq; Domini est, non ex seipso loquitur: si despicis, non illum despicis, sed Deum qui illum ordinavit.* Ac propterea idem Auctor hom. 33. in Matth. graviter horta-

Margin notes: 4. Reg. 1. — 1. Reg. 9. — Iudic. 13. — 3. Reg. 13. — 2. Tim. 3. — Malach. 2. — Matt. 24. — Hieron. — Galat. 4. — Chrysost.

tur ad attentionem subditos: *Nemo,* inquit, *socordiâ torpeat: nemo sæcularibus rebus suspensum animum habeat, cum iam ad prædicandum sacerdotes intraverint. Non enim parva huic rei imminet pœna. Equidem millies potius malim in domum alicuius vestrûm ingressus destitui, quam hic prædicans non audiri. Hoc mihi molestius esset, quàm illud, quandoquidem hæc magis propriè domus nostra est, quam illa.*

Gregor. Libet addere sententiam Gregorij Magni, qui hac de causa etiam Sacerdotem hortatur ad muneri suo satisfaciendum, vt verè angelus Dei dici possit. Sic enim ait hom. 7. in Euangelia: *Vtinam, fratres charissimi, nō ad iudiciū nostrū dicamus, quia omnes, qui sacerdotis nomine censentur, Angeli vocātur, Propheta attestāte, qui ait: Labia sacerdotis custodiunt scientiā, & legē requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est. Sed huius altitudinis nomen etiam vos, si vultis, potestis mereri. Nam vnusquisque vestrum in quantum sufficit, in quantum gratiam supernæ aspirationis accepit, si à pravitate proximum revocat, si exhortari ad bene operandum curat, si æternum regnum, vel supplicium erranti denunciat, cum sanctæ denunciatiationis verba impendit, profectò Angelus existit.* Omitto cætera sollicitudinis opera, quæ D. Chrysost. recenset, magnamque procul dubio reverentiam vrgent.

1. Tim. 5. 6. Secundò, & magis declarat Apostolus loc. cit. 1. ad Timoth. 5. honorandos esse Sacerdotes liberali sustentione. nam transit à viduis sustentandis ad Pastores, eosque vult magis ab Ecclesia alendos esse, quā viduas. Quod indicat vocabulum, *duplici*, quod Hebræis est, *multo & copioso*. Sic enim Hierem. cap. 17. dicitur, *Duplici contritione contere eos*, id est, multiplici. Prov. 31. *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.* id est, multas & copiosas habent vestes. Sic Isa. 40. dicitur, *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* q. d. Propheta, Hierusalem plurima bona, charismata, & consolationem ex misericordia Dei suscepit per Christum, pro peccatis & pœnis peccatorum, quas merebatur. Sic 4. Reg. 2. dicit Heliseus ad Eliam,

Hier. 17.

Prov. 31.

Isa. 40.

Obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus, id est, magnus, vehemens, ac valde zelosus. Vnde idem Apostolus 1. ad Thessal. 5. eosdem ad liberalitatem erga eos hortatur, his verbis: *Rogamus autem vos, fratres, vt noveritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos: vt habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum.* id est, Rogamus vt rationem ac respectum habeatis eorum, qui laborant in prædicando Euangelio, ac re Christiana procuranda, atque promovenda, vt eos abundantius ametis, & foveatis, quasi filij parentes vestros spirituales; seu in summo pretio illos habeatis per charitatem, ministrando illis libenter ad vitam necessaria. Idque Apostolum intendere, confirmatur per verba 1. ad Timoth. 5. sequentia: *Non alligabis os bovi trituranti: &, dignus est operarius mercede sua.* q. d. Sustentationem enim illis ex iustitia debetis: quam probavit pluribus rationibus, 1. ad Cor. 9. ministris Ecclesiæ deberi, nempe exemplis aliorum Apostolorum. v. 5. similitudinibus militum, pastorum, & agricolarum vers. 7. ex lege Moysis v. 9. & v. 13. ex exemplo Sacerdotum & Levitarum veteris Testamenti, qui ex victimis & oblationibus altaris, cui serviebant, vivebant, vers. 14. ex Dei & Christi ordinatione v. 11. ex ipsa rei natura, sive iure, non tantùm divino positivo; sed etiam naturali, quod dictat, sicut operario debetur, merces, ita ministro verbi & Ecclesię deberi stipendium, non quasi pretium rei sacræ (hoc enim indignum esset, & simoniacum) sed quasi stipendium sustentationis, quod vocant, quo scilicet sustentetur, vt suas functiones sacras pro populo obire possit. Merces enim illis dari non potest, neque spiritualia vllo pretio temporali ęstimari aut compensari possunt. Hinc August. serm. de Pastoribus cap. 2. *Accipiant Pastores sustentationem necessitatis suæ à populo: mercedem vero dispensationis à Domino: non enim est idoneus populus reddere mercedem illis, qui sibi in charitate Euangelij serviunt.* Eaque de causa

1. Thes. 5.

1. Cor. 9.

August.

1. Cor. 9.

causa Paulus parvi æstimat illam sustentationem, dicens: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* id est: Nihil magnum nobis præstatur, nec vobis onerosum videri debet, si nos spiritualia vobis subministrantes, vicissim alimenta, ac cætera subsidia, quibus corpus nutritur ac fovetur, recipiamus. Nam spiritualia incomparabiliter meliora sunt carnalibus, quæ metuntur.

6. Sed dices, Ea reverentia, aut magis sustentatio non videtur indifferenter quibusvis Presbyteris deberi. nam Apostolus dicit: *Qui benè præsunt Presbyteri.*

Respondeo hoc futile esse, & vulgi figmentum, neque hoc intendere Apostolum, qui 1. ad Thessal. 5. expressè tradit eos, qui præsunt, abundantius honorandos *propter opus illorum.* Neque Christus vnquam docuit malis Sacerdotibus non deberi sustentationem, sed potiùs ratione ministerij, talibus eam esse subministrandam: Matth. enim 8. mandavit leproso: *Vade, & ostende sacerdoti, & offer munus; quod præcepit Moyses in testimonium illis.* hoc est, vt illi ipsi, qui mihi maximè adversātur, primi meorum miraculorum testes sint, & proprio ipsorum testimonio, eorum incredulitas arguatur. Ita Maldon. eo loci. Nam tales erant illi sacerdotes, vt si oblationem non accepissent, curationem fuissent calumniati: nam ideo auctores aliqui existimant leproso hoc prçceptum à Deo, ne si non obtulisset, curationem eius calumniatus fuisset, & vt muneris acceptio perpetuum contra illos veræ curationis esset testimoniū. Tunc enim dicere non poterant, non esse verè curatum, pro cuius cognita approbataque curatione munus acceperant. Illud autem munus offerendum scribitur Levit. 14. v. 4.

Adhæc Christus Matth. 21. cap. dixit: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi: quæ dixerint vobis, servate & facite; secundum opera autem eorum nolite facere,* insinuans sacerdotibus, quantumvis malis, sed laborantibus, etiam deberi mercedem, quandoquidem dixit operarium dignum mercede sua. Iuvat hanc rem Chrysost. hom. 2. in 2. ad Timoth. quod Deus per illos æquè operetur: *Per omnes*, inquit, *ipse*, supple Deus, *operatur, salutem populi moliens, non illorum intuens merita. Nam si per asinæ os, si per Balaam scelestum hominem, populi causa locutus est, multò magis loquitur per sacerdotem plebis suæ gratia. Quid enim non agit Deus salutis nostræ causa? quid non loquitur, per quem non operatur? Si enim per Iudam, & per Prophetas, quibus dictum est, Non novi vos, discedite à me, qui operamini, perque illos, qui dæmones in nomine suo eiecerunt: non magis per Sacerdotes divino ministerio famulantes operabitur?*

Præterea nusquam Apostolus docuit, quòd Præfecti malè fungentes officio non sint honorandi; sed magis contrarium innuit, dum Principes etiam infideles & impios, quales fuere Claudius & Nero, vult agnosci & honore affici, Roman. 13. Tit. 3. Nam & Petrus Apostolus 1. epist. 2. præcipit servis, *vt subditi sint dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.* Quamquam non dubium est (id quod Apostoli verba tam ad Timoth. quam hoc loco significant) magis & abundantiùs honorandos esse eos, qui benè præsunt, quam qui malè. Dum tamen hos in officio tolerat Ecclesia; fideli populo non licet subtrahere vel obedientiam vel sustentationem iure decretam, quales sunt decimç.

7. Vnde sub hoc etiam prætextu Clero decimas adimentes, fundationes defraudantes, iura retinentes, aut solvere recusantes, mortaliter peccant: quia id in primis directè contrarium est Christi, & Apostolorum documentis, sed etiam Sapientis c. 7. Eccles. vbi ait: *Da illis* (nempe Sacerdotibus) *partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum & purgationis, & de negligentia tua purga te cum paucis. Datum brachiorum tuorum, & sacrificium sanctificationis offeres Domino, & initia Sanctorum.* Insuper multis benedictionibus se privant, & maledictio-

1. Thes. 5. Matth. 8. Levit. 14. Matth. 21. Chrysost. Rom. 13. Tit. 3. Eccles. 7.

dictiones sibi consciscunt.

Malach. 7. Primum patet Malach. 7. cap. v. 10. vbi dominus dicit: *Inferte omnem decimam in horreum meum: & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam.* In quibus verbis ostendit Dominus, vnde Iudæorum agris provenerit tam gravis & diurna calamitas: quia sublatis decimis vacuum erat horreum domus Domini, & genus omne Leviticum cogebatur cibum foris mendicare. Iubet autem certum aliquod illius rei experimentum capi: illud autem erit non obscurum, si contrà, quàm fecerunt hactenus, omnem decimam, quæ debetur ex lege, in templi horreum, id est, ad ministrorum alimẽtum, & sumptus sine vlla fraude, & detractione conferant. Et Iudæis gravissimâ plagâ afflictis, & nescientibus in quo peccassent, sic loquitur Deus vers. 8. & 9. *Si affliget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis: In quo configimus te? In decimis, & primitijs, & in penuria vos maledicti estis, & me configitis gens tota.* Vbi Deus rogat, An non grave peccatum est, molestiam mihi gravem præbuisse, quod Gentilium nemo in Deos suos ausus, aut meditatus est? Et dubitatis, in quo spiritum meum afflixeritis, & de hoc ipso à me doceri vultis? Id igitur iam tandem discite: quia primitias, & decimas, aut negatis omnino, aut magnam ex illis partem defraudatis: ita vt neque ad templi sumptus necessaria suppetant, neque sacerdotes inde satis habeant alimenti. Quocirca si res vobis est angusta, si fames vrget, nullam aliam quæratis causam; hæc enim satis est gravis, quod omnes simul hoc modo configitis. Omitto quod hæresis sit, pertinaciter tueri Parochianos posse Prælatis suis propter eorum peccata ad libitum suum auferre decimas, & subtrahere sustentationem. Illa enim fuit Ioannis Wicleffi & damnata est, in Conc. Constantiensi sub articulo 18.

8. Rursum graviter peccant, qui Ecclesiasticos irrident, spernunt, detrahunt, contemnunt, infamandi occasiones captant, cùm scriptum sit Eccles. 7. *Honora Deum, & honorifica sacerdotes, & pugnato cum brachijs.* Eccles. 7. Quo significatur, sacerdotes totis viribus, proprijs brachijs propugnãdos, & defendendos. Quod Christus etiam suo exemplo docuit, cum acceptâ alapâ à servo sacerdotis, cõtumeliosè nihil dixerit, nec quidquam de sacerdotis honore detraxerit, sed innocentiam suam magis asserverit, & ostenderit: *Si male*, inquit, *locutus sum, perhibe testimonium de malo; sin autem bene, quid me cædis?* Et insuper: *Dijs non detrahes, & principes populi tui non maledices*, Act. 23. Et Ratio est, quia Deus in illis contemnitur. Act. 23. Patet 1. Reg 8. vbi Deus dicit Samueli: *Non te spreverunt, sed me.* 1. Reg. 8.

Appositè in hanc rem Gregorius Magnus lib. 3. epist. 31. *Si David Regum iustissimus in Saul, quem constabat iam à Domino reprobatum, manum mittere non præsumpsit, quia vnctus Domini erat; quanto magis cavendum est, ne manum detractionis aut vituperationis, sive indiscretionis, aut dehonorationis quidam mittant in vnctum Domini, vel in prædicatores sanctæ Ecclesiæ: quia eorum vexatio, sive detractio ad Deum pertinent, cuius vice in Ecclesia, & legatione funguntur.* Gregorius. Hinc graves sibi pœnas asciscunt, vt patet 4. Reg. 1. & 2. cap. in duobus quinquagenarijs, irrisionis causa Eliam hominem Dei appellantibus, & igne de cœlo extinctis; & pueris parvis exemplo parentum Elisæo in Bethel ascendenti illudentibus, qui numero quadraginta duo ex maledictione ab eo in nomine Domini pronuntiatâ, à duobus vrsis lacerati sunt. 4. Reg. 1. & 2.

9. Insuper præter eiusmodi pœnam suam produnt stoliditatem, qui Ecclesiasticis libenter detrahunt, & in eorum peccatis gaudent. Vnde August. ep. 137. & in Ps. 106. Eiusmodi detractores comparat existentibus in medio maris, in navicula, & gaudentes, si nauclerus in scopulos impingat, navemque malè dirigat, non advertentes quantum inde periculi August.

periculi sibi ipsis immineat. Adhæc docet idem Augustinus pulchra similitudine, quę dementia sit eorum, qui pravos mores Ecclesiasticorum sequi malunt, quam bona eorum monita: sic enim loquitur homil. 50. ex quinquaginta, cum monuisset quærere comites ad supplicium, nō esse sanitatis certum consilium, sed maleuolentiæ vanum solatium; *An forte, ait, attendunt, multos etiam in ipsis honoribus ecclesiasticis Præpositorum, & ministrorum non congruenter vivere sermonibus, & sacramentis, quæ per eos populis ministrantur? O miseri homines, qui hos intuendo Christum obliviscuntur, qui tanto antè prædixit, vt legi Dei potius obtemperaretur, quam imitandi videantur illi, qui ea quæ dicunt non faciunt. Et traditorem suum tolerans, vsque in finem etiā ad euangelizandum cum cæteris misit. Tam sunt autem isti absurdi, & præposteri, & miseri, qui Præpositorum suorum malos mores imitari eligunt, quàm per eos prædicta Domini præcepta servare, quam si quisquam viator remeādum sibi existimet in itinere, cum viderit miliaria lapidea literis plena viam docere, & non ambulare. Cur enim non potius, si pervenire desiderat, tales comites intueatur, & consequatur, qui & viam bene demonstrant, & in ea perseverant, atque alacriter non ambulant? Quod si isti desint, vel potius minùs appareant, nam deesse non possunt. Non enim sic quærunt homines charitate studiosa quod prædicent ad imitationem, quo modo quærunt iniquitatem suspiciosa, quod murmurent ad deceptionem, partim non inveniendo bonos dum ipsi mali sint, partim timendo, dum mali esse semper volunt.*

Quapropter non hæc attendenda sunt, sed opus & ministerium Sacerdotis, quodque animam æternæ mortis periculo exponat pro subditis. Hanc rationem vrsit Chrysostomus dict. homil. 2. ad honorandos Sacerdotes: *Etsi enim*, inquit, *ille sua omnia ritè disponat, quamdiu tu minus rectè vales, angoris vacuus esse non potest, cum duplex ab eo ratio sit exigenda. Iam verò considera, quantum periculi sit, per subditos singulorum discuti, rationemque pro omnibus reddere. Quantum vis illi honoris impendas, quantumlibet obsequij deferas, nihil his periculis referre par poteris. Nam etsi animam ponas, ipse hoc pro te iugiter facit: etsi id minus hac in vita facit, quod persecutionis non adsit tempus; eam tamen periculo æternæ mortis exponit.*

Discursus XII.

De honore Principibus & minoribus Iudicibus debito.

Genes. 45.  IOseph Genes. 45. dicit, se Dei voluntate missum in Aegyptum, *qui fecit eum quasi patrem Pharaonis, & Dominum vniuersæ domus, ac principem in omni terra Aegypti.* Ex quo constat in civilibus alijs Præfectos etiamnum patres vocari, atque ideo etiam sub quartum Præceptum comprehendi honorandos. Vnde inquiram, quo honore colendi sint.

1. Pet. 2. 1, D. Petrus 1. epist. 2. dicit: *Deum timete, Regem honorate.* Ille vero honor, quem exigit Apostolus Principibus impendi, consistit ferè in tribus, videlicet Primò, in obedientia erga leges eorum. Secundò, in tributorum solutione. Tertiò, in oratione pro ipsis ad Deum. Primum constat, quia Petrus loco citato dicit: *Subiecti ergo estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis; ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas* Dei. Nota verba, *sic est voluntas* Dei: illis enim significatur tum Reges tum Magistratus inferiores ex Dei mandato esse honorandos, eosque vices Dei gerere. Et hinc in Scriptura homines Dei appellantur, vt Deut. 33. Deut. 33.
vbi de Moyse benedicente Israëli & singu-

singulis tribubus sic dicitur: *Hæc est benedictio, qua benedixit Moyses homo Dei filijs Israël ante mortẽ suam.* id est, Moyses, amicus, Propheta, Legislator, Doctor, & Princeps Dei populi. Moyses enim erat simul Pontifex & Dux populi. Et 2. Paral. 8. vbi post executionem quorundam à Salomone iuxta ordinationem Dauidis patris eius leguntur hæc verba: *Sic enim præceperat Dauid homo Dei*. id est, Rex & Legislator. Hinc rursum in Scriptura dicuntur per Deum regnare, & potestatem accepisse ciuiles leges condendi, nempe Prou. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt*. Denique hinc manifestum est, subditos obligari in conscientia sese conformare eorum legibus, idque in re iusta & graui sub peccato mortali: ait enim Paulus ad Rom. 13. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit: Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt.* Non eo videlicet modo, quo condita & ordinata sunt natura, & ordines rerum naturalium, v. g. appetitus & societates leonum, luporum, vrsorum, cum quibus hominibus sæpè bellandum est: sed eo modo, quo leges & sanctiones ordinatæ sunt, quibus resistere non licet. Aut eo modo, quo dux ordinat suos milites. Hic enim non simplicem eis ordinem ponit, sed cuique suum locum & munus iniũgit, in quo firmus ad mortem vsque consistere debet, à quo nemo nisi hostis eum depellere audeat. Et tũ addit: *Ita qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, id est peccatum mortale committũt. Vnde concludit Apostolus: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter consciẽtiam.* quod idem est ac si dicat, Ideo necesse est vos subdi potestati, non solùm propter iram, vindictam, & gladium, quẽ gerit & minatur: sed etiam propter tuam conscientiam, non aliorum, quos scandalo offendis, sed propter tuam consciẽtiam, ne scilicet ea fiat rea inobedientiæ coram Deo. Grauia sunt hæc verba Apostoli, quibus declarabat leges ciuiles etiam Gentilium impiorum, & infidelium principum (quales tunc erant Imperatores Romani) secluso scandalo obligare Christianos in conscientia sub peccato mortali, quando rem grauẽ eis præcipiebant.

2. Et hinc Deus se in superiorum neglectu & cõtemptu offensum declarat, vt patet Numer. 14. vbi populo murmurãte ad relationem exploratorum de terra promissa, & mortem optante potiùs in solicitudine, quam ingredi terram ipsam, ac conante lapidibus opprimere Moysen & Aaron, *Apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filijs Israel*, id est, nubes lucida & gloriosa super tabernaculum fœderis, significans Dei præsentiam & maiestatem; *& audita est vox Dei ad Moysen dicentis, vsquequo detrahet mihi populus iste? quousq; non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis?* id est, Quamdiu irritabit me, non credens, etiamsi multa signa & prodigia eis exhibui; apertè significans murmur contra Moysen & Aaron factum, in se redundare. Deinde patet ex illo 1. Reg. 8. *Non te abiecerunt, sed me, ne regnẽ super eos*. Quo loco, cũ aliam formã optaret populus moderandæ Reipublicæ, qualem Gentiles habebãt, quibus nõ Iudices præerant, sicut in Israele, sed Reges, quibus summum est imperium; ac Samueli Iudici id permolestum esset, & orasset ad Dominum, quid facto opus esset, responsum accepit à Domino, quo declarat se in Samuele abiectum, in verbis: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi, non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* qui videlicet eorum immediatus huc vsque fui Rex, & benignus Dominus. Qua de causa etiam mors inobedientibus statuta erat, Deut. 17. vbi dicitur de eo, qui noluerit obedire decreto Iudicis: *Morietur homo ille, & auferes malũ de Israel.* Et loc. cit. Numer. de detrahentibus Moysi: *Feriam eos pestilentia, atque consumam, te autem faciam principem super gentem magnam, & fortiorem quam hæc est*, id est, subita & horrenda punitione

[Margin notes: 2. Paral. 8. — Prou. 8. — Rom. 13. — Num. 14. — 1. Reg. 8. — Deut. 17.]

nitione illos de medio tollam, & constituam te ducem super magnã multitudinem Gentilium, qui Hebræis hisce tuis meliores & fortiores sint.

3. Sed dices, numquid sufficiebat lex naturalis, aliaue lex, siue Mosaica, siue Euangelica; oportebatne hominem tot vinculis adstringere? Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quod sola lex naturalis non sufficiebat ad populi directionem, quia generalis est, nempe, *Quodcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Et insuper, quod ad particularia non descendat, qualis necessaria est in commercijs, contractibus, ciuilibus & alijs. Neque lex Mosaica sufficiebat, quia illa vni nationi iuxta legem naturalem peculiares leges præscripsit, quæ alijs non ita conueniunt, vtpote ceruicosis illis dumtaxat hominibus indictæ, & iam abrogatæ. Neque etiam lex Euangelica, quia illa solũ tractat de fide in Christum, de Sacramentis; breuiter, de rebus diuinis & cœlestibus.

4. Sed quæres, An omnibus Principibus, licet infidelibus aut hæreticis, in ciuilibus obediendum sit?

Respondeo, omninò eis obediendum esse in ciuilibus: nam Principes infideles propter idololatriam non amittunt dominium rerum suarum, aut iurisdictionem in subditos, vti constat Matth. 22. vbi Christus de Imperatore infideli dixit: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari:* Et Luc. 22. dicit Dominus, quod Reges gẽtium cum ambitione & vana gloriatione suæ excellentiç alijs præsideant, in verbis: *Reges gentium dominantur eorum.* Deinde D. Paulus de infidelibus agens Imperatoribus, dicit: *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit.* (vt attigi n. 1.) & varijs argumentis probat, illis parendum esse: primò, quia Deus illos ordinauit: 2. quia sũt eius ministri: tertiò, quia gladium portant, vt inobedientes plectant: 4. quia ex conscientia est obligatio, adeò vt, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistat, & resistens sibi damnationem acquirat, & pluribus

Matt. 22.
Luc. 22.

alijs. Quod singulariter Apostolus tunc iudicauit necessarium, quia illo tempore rumor, & opinio apud Gẽtes inualuerat, per Euangelium politias humanas, Regna, & Respublicas sęculares euerti, atque Christianos suæ Religionis prætextu à Principum, & maiorũ obedientia se subtrahere. Eamq; fuisse vnam ex præcipuis causis, propter quam Gentes persecutę sunt Christianos, docet Clemens Alexandrin. lib. 4. Strom. affirmans, Christianos persecutionem tunc passos esse, quia per Euangeliũ Reipublicæ ciuili iniuria fieri videbatur. Et quia hæc nota etiam ipsis Apostolis inurebatur, hinc suis Epistolis Petrus, & Paulus tã disertis verbis studuerunt illum errorem ab hominum mentibus euellere, ad obedientiam & subiectionem, & ciuilis Reipublicæ ordinationem conseruandam Christianos exhortãtes, eisque præceptum Dei declarantes: quod sonant illa verba Petri loco citato: *Quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis, imprudentium hominum ignorantiam quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei.* id est, vt libertatem, quam per Christum asse cuti estis, non accipiatis in fomentum malitiæ, dicentes vos liberos esse debere à legibus ciuilibus. Quãdoquidem etiam infideles, vt Pharao, Nabuchodonosor, Ieroboam & alij per Deum regnant, iuxta illud Prouerb. 8. *Per me principes imperant:* & id quod Daniel. 2. dictum est Nabuchodonosori: *Deus cæli regnum & imperium dedit tibi.* ac quod Christus dixit Præsidi Pilato: *Non haberes potestatem, nisi data esset tibi desuper.* Et quod de infidelibus dixi, de hæreticis etiam intellige, qui iustè principapatum obtinent, licet hæretici sint.

Clemens Alexandrinus.
Prouerb. 8.
Daniel. 2.

Porrò hanc obedientiam non licet illis subtrahere in rebus ciuilibus, etiamsi dubium sit, an hoc, quod mandant, sit iniquum, *Exempli gratia* (inquit Hesselius in cap. 139. in Decalogum) *ordo ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc*

Hesselius.

Poscit, vt suscipiendi belli auctoritas, atque consilium penes Principem sit: exequendi autem iussa bellica ministerium milites debeant, pacique communi. Vir igitur iustus, constitutus etiam sub Rege sacrilego, potest ac debet illo iubēte bellare, ciuicæ pacis ordinem seruans: cui quod iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est; vel vtrum sit, certum non est: ita vt fortasse reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.

5. Verum rectè quæres, quandoquidem Apostoli locis citatis tantopere illam obedientiam vrgeant, & Paulus ad Tit.3.id refricet, in verbis: *Admone illos principibus, & potestatibus subditos esse, dicto obedire*: an etiam in rebus ad fidem pertinentibus illis sit obediendum? is enim error frequens est apud quasdam nationes; existimantes in ijs Principi aut Domino temporali obsequendum.

Respondeo, id nullâ ratione licere, quando contraria Deo imperant. Scriptum est enim: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo,* Matth.22. Quibus verbis Christus ostendit, vnicuique suum ius illibatum esse seruandum. Et Apostoli ostenderunt Act. 5. Principibus non esse obediendum, qui vetabant prædicare Iesum, dicentes: *Oportet Deo magis obedire, quam hominibus.* Hinc diuus Paulus ad Titum 3. apposuit illa verba sententiæ iam citatæ: *Ad omne opus bonum paratos esse.* quasi diceret, in malis obediendum non est. Et D. Hieronymus in epist. ad Ephes. vt refertur, 11.quæst.3. *Si Dominus ea iubet, quæ nō sunt aduersa sanctis scripturis, subijciat Domino seruus: si vero contraria præcipit, magis obediant spiritus, quam corporis Domino.* Et infra: *Si bonum est quod præcipit Imperator, iubentis exequere voluntatem: si malum, responde: Oportet Deo magis obedire, quam hominibus.* Sic olim tres pueri Daniel. 3. Nabuchodonosori, idololatriam præcipienti responderunt: *Non oportet nos de hac re respondere tibi: Ecce enim Deus noster quem colimus potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, Rex, quia Deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti, non adoramus.*

Matt.22. Act.5. Tit.3. Hieron. Daniel.3.

Sic Eleazarus, 2. Machab.6. quando in contemptum Religionis iussus fuit à Tyranno carnem porcinam lege vetitam manducare, elegit potius mori, quàm illum audire, & Deum offendere, alijsque scandalum dare, etiamsi quidam adstantes voluissent alias carnes surrogare, eumque fingere, quod vetitam comedisset. 2.Machab.6.

Sic Christiani milites tempore Iuliani, de quibus Ambrosius d.11.q.3. *Iulianus Imperator quamuis esset Apostata, habuit tamen sub se Christianos milites, quibus cùm dicebat, Producite aciem cū defensione Reipublicæ, obediebant ei; cùm autem diceret eis, producite arma in Christianos: tunc cognoscebant Imperatorem cœli.* Et clarius D. August. in Ps. 114. de ijsdem: *Vbi,* inquit, *veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum qui in cœlo erat. quando volebat, vt idola colerent, vt thurificarent; præponebant illi Deum. quando autem dicebat, Producite aciem, ite contra illam gentem; statim obtemperabatur: distinguebant Dominum æternum à Domino temporali; & tamen subditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali.* Ambros. August.

Quapropter D. Paulus ad Rom. 12. dicit: *Si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* id est, honestè, amicè, iustè, & sanctè viuite, cum omnibus hominibus pacem habentes, quantum saluâ iustitiâ, pietate, ac veritate fieri potest. Sciebat enim Paulus multorum hominum esse improbos mores, atque ipsummet, quantumuis omnibus factus esset, non potuisse cum omnibus hominibus pacem habere. Vnde subdit: *Quod ex vobis est,* seu agite, ne videlicet ex parte vestra præbeatur vlla dissensionis occasio, sed contrà studiosè curate ea, quæ pacem conseruant ac promouent. In quę verba Chrysost. hom. 22. ad Rom. *Quid velit declarat, dicēs: Si fieri potest, quātum in vobis est. Contingit enim subinde, vt possibile non sit. Nimirum, quando de pietate sermo est,* Rom.12. Chrysost.

est, quando certatur de iniuria adfectis. Et quid miraris, si inter alienos homines hoc non vbique fieri possit, quandoquidem etiam inter virum & vxorem necessitatem illam, & vinculum pacis dissoluat, cum dicit: Si vero infidelis abscedit, abscedat. Quod autem dicit tale est: Quæ tui sunt officij, præsta, nemini dans ansam seu belli, seu dissidij, siue Iudæo, siue Græco. Si verò alicubi pietatem labefactari videris, ne præponas concordiam veritati; sed generosè persistas ad mortem vsque.

Bernard. Atque in hunc modum Bernardus dixit de Superioribus lib. de præcepto & dispensation. cap. 12. *Siue* DEVS, *siue homo vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est curâ, pari reuerentia deferendum, vbi tamen* DEO *contraria non præcepit homo.* Quod ad omnes extendi potest, siue idololatri, siue hæretici, siue Catholici fuerint, nam in ijs quæ sunt apertè mala, aut indifferentia, sed in contemptum religionis, nulli est obediendum.

6. Secūdò, honor Principibus debitus, est illis tributa soluere: cum enim Paulus docuisset omnem animam sublimioribus potestatibus subdi debere, intulit: *Reddite ergo* Rom. 13. *omnibus debita. cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis: nisi vt inuicem diligatis.* id est, Reddite omnibus tum Principibus, tum alijs Magistratibus huius sæculi, ac cœteris quibuscumq; debita, his tributum & vectigal; his reuerentiam & honorem: ita, vt nihil amplius debeatis, quam mutuæ dilectionis officium, ad quod perpetuò adstricti estis. Ad huius loci clariorē intelligentiam, nota hoc præceptum esse naturale, sed Apostolos Petrum & Paulum hoc magis vrsisse: quia rumor ortus erat per Christianam religionem respublicas sæculares euerti, ex eo, quod Iudaicus populus, vti constat ex historia Euangelica, & Actuum Apostolorum, nec non ex Iosepho & Suetonio, ad rebellandum Romanis semper fuerit procliuis, & tributa pendere detractarit, eo prętextu, quod esset populus Dei, quem liberum ab huiusmodi seruitute hominum, præsertim infidelium, esse oporteret: quia se satis grauatum existimabat, quod sacrificijs Mosaicæ legis multum deberent impendere, & pro vsu Sanctuarij tributum penderent, Exod. 30. Hinc enim Exod. 30. processit illa interrogatio Pharisæorum cum Herodianis, Matth. 22. ad Christum, An liceret Cęsari censum dare, vel non; vt hac ratione Christum odiosum redderent populo vel Cæsari, & ad mortem perducerent, existimantes quòd non posset euadere. Si enim respondisset populum obligari, ipsius indignationem incurrisset, eum grauando ad multas obligationes in fide necessarias. Si vero eundem exemisset, mortis periculum subijsset, negando Cęsari tributa. Inde enim nata est apud eum populum Herodis Magni tempore secta Galilæorum, auctore Iuda quodam Galilęo, de quo Gamaliel, Actor. 5. meminit: cuius profes- Act. 5. sio erat non debere Iudæos tributum pendere alienigenis: nec quemquam præter vnum Deum, Dominum appellare. De quâ secta, vide quæ scribit Iosephus lib. Iosephus. 20. antiquitatum Iudaicarum cap. 2. & de bello Iudaico lib. 7. cap. 29. *Quoniam igitur*, vt ait Hieronymus, in comment. epist. ad Titum, *Iuda Galilæi per illud tempus dogma adhuc vigebat, & habebat plurimos sectatores: idcirco docet Apostolus, principatibus & potestatibus, credentes debere esse subiectos.* Accedit & hæc ratio præcepti istius inculcandi, quam adfert Cardinalis Baronius in suis Baronius. Annalibus, sub finem anni à Christo nato primi: quod Christus & Apostoli eius plerique Galilæi fuerint: vt proinde necesse fuerit Apostolis, suspicionem illius sectæ, quæ Galilæorum vocabatur, contrarijs pręceptis verbo & scripto diuulgatis, à se depellere. Quemadmodum hoc loco facit Apostolus, mandans tributum præstari Imperatoribus etiam infi-

delibus, eò quod & ipsi ministri Dei sint, in hoc toti incumbentes, vt Dei loco bonis sint in tutelam, malis in vltionem, in verbis: *Ideo enim & tributa præstatis, ministri Dei sunt in hoc ipsum servientes.* D. Petrus 1. Pet. 2. Vti etiam postea hoc errore recrudescente huic errori se opposuit Iustinus Martyr Apolog. de Antonino Imperatore, ostendens religionis Christianæ præceptum esse, obedire regibus temporalibus, & tributa solvere: idque Christum ipsum præcepisse. quod cōstat ex responso, quod Matth. cap. 22. dedit discipulis Pharisæorum ad se missis cum Herodianis, dicens: viso numismate census ipsi exhibito, cui inerat imago, & superscripto Cæsaris: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.*

Matth. 22.

7. Porrò cum his non obstantibus, ordinaria maneat murmuratio, inter Christianos, an ad tributa obligentur? quæritur, an rectè.

Respondeo negativè, nam absolutè & per se debent Christiani tributa Principibus ex loco citato Matth. 22. & Rom. 13. Si enim infidelibus Principibus debentur, multò magis Christianis. Et ratio est, quod sicut Principis est populum regere, ius dicere, hostes arcere, tranquillitatem, & prosperitatem temporalem totis viribus procurare, ita vicissim populus obligetur sumptus necessarios ad id præbere.

Matth 22. Rom. 13.

8. Quæres, quænam sit iusta causa tributa imponendi? Respondeo, vel imponūtur super rebus negotiationis, seu commercijs; vel super rebus ad vsum familiæ necessarijs. Si super prioribus, iusta causa est, quando id necessarium comperitur ad stipendia militaria, reparationes vrbium, sustētationem status Principum, vel aliter ad bonum publicum valde expediens. Si super posterioribus rebus tributum imponendi sermo sit, iusta causa est super ijsdem vectigalia imponere, cum publica necessitas vrget, & vectigalia, quæ aliunde colliguntur non sufficiant. Ratio est, quia membra Reipub. tenentur pro bono communi omnes fortunas, etiam vitam exponere, si necesse sit: atque adeò multo magis ex rebus ad victum necessarijs aliquid solvere, si communi bono aliter provideri nequit. Vnde si existente illa necessitate, consensus totius populi accedat, quod fit ordinariè, res nullam habet difficultatem, quin subditi teneantur, eaque obligatio maneat eiusmodi tributa solvendi, quamdiu tributum impenditur in rem, ob quam est impositum, aut in aliam eius loco, ob quam iustè imponi posset.

9. Sed dices, Sæpè est probabile dubium, exactionem Principis esse iniquam.

Respondeo, Quamdiu dubium est, esse solvendum; quia non licet alteri id subtrahere, de quo dubitatur, an ei debeatur. Addo etiamsi tyrannicè Principes in suas libidines expilarent plebem, & timeretur ex negatione tributorum Reipublicæ perturbatio, etiam impositiones iniquas esse persolvendas, iuxta Hesselium loco citato. Credendum enim est, Deum permittere huiusmodi regnare propter peccata populi; Nam vt dicitur Iob capite 34. Deus *regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Vnde intelliges Dei circa hæc esse providentiam, teste divo Irenæo lib. 5. cap. 24. sic dicente: *Cuius iussu homines nascuntur, huius iussu & Reges constituuntur: apti his qui in illo tempore ab ipsis regnantur. Quidam enim illorum ad correctionem & vtilitatem subiectorum dantur, & conservationem iustitiæ: Quidam autem ad timorem & pœnam & increpationem: Quidam autem ad illusionem & contumeliam & superbiam, quemadmodum & digni sunt, Dei iusto iudicio in omnibus æqualiter superveniente.* Et Augustino: *Etiā talibus* (Neroni & similibus) *dominandi potestas non datur, nisi sūmi Dei providentia, quando res humanas iudicat talibus dominis dignas. Aperta de hac re vox divina est, loquente Dei sapientia, per me Reges regnant, & per me tyranni tenent terram.* His adstipulatur D. Gre-

Iob c. 34.

Irenæ.

August. lib. 5 de ciuit c. 19.

Prov. 8.

D. Gregorius Moral. 25. cap. 14. vbi hanc rem confirmat exemplo populi Iudaici, qui nolens Samuelem, seu potiùs Deum regnare super eum, hypocritam accepit Saulem: item exemplo Iudęorum, qui postremis temporibus recipient Antichristum. Addam eius verba, quæ dicit tractans iam citata: *Verum namque Regem*, inquit, *super se Iudaa regnare noluit, & idcirco exigentibus meritis hypocritam accepit, sicut quoque ipsa veritas in Euangelio dicit: Ego quoque veni in nomine patris mei, & non accepistis me; Si alius venerit in nomine suo, illum recipietis. Et sicut Paulus ait: Pro eo quod charitatem veritatis non susceperunt, vt salui fierent, ideo mittet illis Deus operationem errorũ, vt credant mendacio.* Quapropter ad emendationem, & tertiam obligationem principes honorandi potius oportet.

Ioan. 5. 2. Thes. 2.

.10 Illa autem est, pro ipsis orare. Hoc præcepit Ieremias nomine Dei cap. 29. his verbis: *Hac dicit Dominus exercituum, Deus Israël omni transmigrationi, quam transtuli de Ierusalem in Babylonem, ædificate domos &c. accipite vxores &c. & quærite pacem ciuitatis, ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis.* id est, Vos qui ad Babylonios transmigrastis, ita de rebus vestris consulite, quasi diuturnum habituri in Babylonico solo domicilium, & ędificate tabernacula non ad breve, sed domos ad longum habitationis tempus: vxores ducite, & ex eis filios atque filias generate: & quia in Babylone non tam inquilini atque hospites, quam ciues futuri estis, orate pro civitatis commodis, ac pace tanquam cives, qui de patriæ suę commoditate laborant, quia pax illius, atque commoditas ad vos quasi ciues, & filios pertinebit. Quod Ieremias hic iussit, præstiterũt aliquãdo in captivitate, vt colligitur ex Baruch. c. 1. vbi Iudæi in Babylone captiui ad suos cõtribules in Ierusalem scribentes, petunt, vt orent & sacrificent tam pro se, quam pro Nabuchodonosor, & Balthazar in verbis: *Ecce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocauthomata, & thus, & facite manna, & offerte pro peccato ad aram Domini Dei nostri: & orate pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis, & pro vita Balthasar filij eius, vt sint dies eorum sicut dies cæli super terram: & vt det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos nostros, vt viuamus sub vmbra Nabuchodonosor regis Babylonis, & sub vmbra Balthazar filij eius, & serviamus eis multis diebus, & inveniamus gratiam in conspectu eorum. Et pro nobisipsis orate ad Dominum Deum nostrum: quia peccauimus Domino Deo nostro.* id est, orate vt dies eorum sint diuturni & longævi, vt vivant quamdiu cœlum durabit, & sint tranquilli, constantes, & felicissimi, sicut vita cœlicolarum tranquilla est, cõstans & felicissima; & vt Dominus det nobis fortitudinem ad tolerandas ęrumnas captivitatis, lætitiâ nos perfundat & prosperitate; quin etiam illuminet quo modo cautè & religiosè inter barbaros vivere prudenter, & decenter cum Chaldæis agere debeamus, sub præsidio ac benevolentia Nabuchodonosoris & filij: illis serviant potius quam alijs crudelioribus & impientioribus Regibus. Quod signum evidens est, illos, si defectu Sacerdotum non potuerint sacrificare, saltem privatis precibus apud Deum pro ijs institisse.

Ierem. 29 Baruch. 1.

Sanctus etiam Paulus iubet orari pro Regibus infidelibus & Ethnicis, puta Nerone & similibus, qui eius tempore regnabant: sic enim ait, 1. ad Tim. 2. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt; vt quietam & tranquillam vitã agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Itaque vult orari triplici de causa. 1. vt Christiani omne odium deponerẽt: cum pro omnibus orare iubeantur, nemo enim eum odisse potest, pro quo orat. 2. vt ipsi Reges & Principes mitiores essent in Christianos, 1. Tim. 2.

quos scirent pro se orare, etiam dum illos persequerentur, & cruciarent. 3. vt à Deo Gentilibus Principibus gratiam benè & pacificè regendi impetrarent, vtque Deus eo modo flecteret, & dirigeret eorum animum, & regimen, quo proficuum erat Ecclesiæ, eiusque paci ac tranquillitati. 4. vt ipsi Reges Ethnici ab impietate traducantur ad fidem & pietatem: quia, vt subdit Apostolus, *Hoc enim bonum est, & acceptum coram Deo, qui vult omnes homines salvos fieri.*

Idē præstitisse primos Christianos; & pro Regibus, siue Imperatoribus etiam infidelibus, quales tunc erant Nero, Decius, Diocletianus, in sanctis mysterijs orare solitos testantur Iustin. Apolog. 2. Origenes lib. 8. contra Celsum, & alij. Imo S. Cyprianus, vt habet eius vita, cùm ei à Præfecto obiectum esset, quod ipse tanquam Christianus in Cæsarem cōiurasset, liberè respondit: *Longissimè absumus nos Christiani ab istâ culpâ, qui Cæsari etiamsi alia sacra, alios Deos colenti, tamen quia princeps noster est, bene cupimus & precamur, & rogamus Deum nostrum, vt ad cogitationem verorum bonorum adducat.* Imò populum orasse constat ex Tertulliano Apolog. cap. 30. vbi ad calumniam Ethnicorum respondens, sic ait: *In cœlum suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia pectore oramus; precantes semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis & Cæsaris vota sunt.* Adhæc idem Auctor cap. 40. vt inculcet Gentiles esse causam cladium, non Christianos, dicit minores tempore Christianorum incubuisse clades, quam antea, in verbis: *Si pristinas clades comparemus, leviora nunc accidunt, ex quo Christianos à Deo orbis accepit. Ex eo enim & innocentia sæculi iniquitates temperavit, & deprecatores Dei esse cœperunt.* Et immediatè pòst pergit ostendere quod quanta cum virtute preces Christiani pro ipsis fundant, tanta ipsi cum impietate contendant, tam quoad ventrē & fornicationem, quam quoad idololatriam. *Denique*, inquit, *cum ab imbribus æstiva hyberna suspendunt, & annus in cura est, vos quidem, quotidie pasti statimque pransuri, balneis & cauponis & lupanaribus operati, Aquilicia Iovi immolatis, nudipedalia populo denunciatis, cœlum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus expectatis, aversi ab ipso & Deo & cælo. Nos verò ieiunijs aridi, & omni continentia expressi, ab omni vita fruge dilati, in sacco & cinere volutantes, invidia cœlum tundimus, Deum tangimus, & cum misericordiam extorserimus, Iupiter honoratur.* q. d. Si enim tam diu sudum sit, ac serenus aër deneget imbres, vt æstiua continuentur cum hybernis, & maxima sollicitudine torqueantur eius anni homines, vos nullum intemperantiæ genus remittentes, pedibus tantum nudis procedentes, creditis novo genere sacrificij, aquilicijs scilicet ex ipsis laquearibus Capitolij descendere nubes. Nos verò eo tempore, quo magis misericordiam Dei exoremus, continentiam geminamus, & in omnia humilitatis genera descendimus. Ieiunijs, sacco, cinere voluntates quidem nostras contundentes, castigantesque, cœlum verò ipsum in invidiam pænè, & in crimen vocantes, quod tam mæstis afflictisque hominibus pluviam deneget; cumque nostrâ deinde operâ propitius Deus pluat, vos Iovem Capitolinum, quasi eius muneris auctorem veneramini. Vnde iustioribus de causis inferre possimus, in vos omnes eadem meritò dici posse, quæ Christianis imputātur. Sic olim Elias Propheta respondit Regi Achab. 3. Reg. 18. Cum enim cœlum clausum fuisset tribus annis & sex mensibus, iuxta verbum Prophetæ; *Vivit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto, si erit annus his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba*: Achab factus obuius Eliæ dixit: *Tune es ille, qui conturbas Israel?* seu qui fame illos premis, domo exire, & ab alienis quærere necessaria vitę subsidia. Ideoque meditans hostile quid contra ipsum, à quo non abstinuisset,

Iustinus. S. Cyprian. Tertull. 3. Reg. 18.

nuisset, nisi Deus eius sedasset animum, aut metum & languorem indidisset, sicut antea Esau fratris & soceri Laban aduersus Iacob inflammatum furorem temperasset, respōdit ipsi Elias: *Non ego turbaui Israel, sed tu & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.* id est, Turbatus est Israël, & ad extremum penè statum deductus propter tuam, ac parentis tui impietatē; qui veram religionem abiecistis, & Gentilicos mores, barbarumq; cultum induxistis: quia enim ad alienos Deos transfugerat Achab, & subiectos sibi populos secum traduxerat, audivit à Propheta minacem orationem, illiusq; pōdus est expertus.

11. Porrò quod dixi de Principibus, hoc ipsum debet plebs sæcularis etiam inferiori magistratui, iuxta præceptum Apostoli Petri loco cit. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum siue Regi præcellenti, siue ducibus tanquam à Deo missis: quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam*, id est, vt obturetis sermonem irrationabilem ac stultum Gentiliū, quo sic loquuntur de Christianis Iudæis, ac si legibus ciuilibus essent refractarij.

Ex quibus omnibus ad oculum patet, quanta sit obligatio Christiano populo pro Regibus, Principibus, & Magistratibus Catholicis preces ad Deum fundere, vt in pace Christiana veram religionem tueantur, & gratiam obtineāt subditos suos cum omni modestia regendi.

Discursus XIII.

De officio Principis Christiani.



Eccles. 10. SApiens Eccles. cap. 10. *Secundum iudicem populi, sic & ministri eius. Et qualis rector ciuitatis, tales inhabitantes in eâ.* Vnde post tractatum de honore Principis, quęram, qualis debeat esse ipse Princeps, vt officio suo satisfaciat quoad subditos.

1. Duræ sunt partes Principis, & multa requiruntur in eo, vt muneri suo satisfaciat, multisque animæ periculis expositus est; quæ libet speciatim recensere, nō vt vos doceam officium Principis: illud enim ad vos non spectat, sed vt intelligentes eius onera, ac subordinatorum Magistratuum, maiori eos honore prosequamini; quantum ad ea quæ præcedenti Disc. latiùs diduxi.

2. Primum itaque incumbit Principi, populum regere, hostes arcere, tranquillitatem & prosperitatem temporalem totis viribus procurare: *Ideo enim*, inquit Paulus ad Rom. 13. *tributa præstatis.* quod idem est, ac si dicat, Quod vos, ô fideles, datis & præstatis Regibus & Principibus tributum, signum est tum vestræ subiectionis, tum illorum potestatis, ministerij, oneris, peruigilisque laboris, quibus mille periculis subijciuntur. Rom. 13. Ideoq; voluit Apostolus 1. Tim. 2. pro Regibus orari, & *omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.* 1. Tim. 2. In quæ verba sic Chrysostom. Chrysost. *Quam igitur absurdum est, cùm Reges idcirco militent, & arma circumferant, vt nos in tranquillitate atque otio simus, nos pro periclitantibus, ac nostri causa labores suscipiētibus preces effundere detrectemus. Non igitur assentandi gratia huiusmodi mandatum dedit, verum iustitiæ seruauit leges. Nisi enim illi seruarentur, atque inter bella & hostes prosperè agerent, necessariò & nostra omnia turbis, tumultibusque plena essent. Sunt enim, inquit, huiusmodi velut obices quidam hostibus oppositi, per quos*

quos nos in pace seruemur.

3. In his vero cauere debet, ne sine iusta causa tributum exigat, alioquin ad restitutionem tenetur. Insuper ne vectigal, cùm iusta causa subest, non sit maius quàm causa postulet; aut denique ne insumat in alienos vsus, vt in prodigas largitiones, aut alias expensas inutiles publicas vel priuatas, ad quas populus non tenetur contribuere: hoc enim iniustum est, & ædificare domum in iniustitia. Quod taxat Propheta Ieremias in Rege Ioachim, qui ex tributis & alijs iniustè raptis palatia sua dilatabat, dicens: *Væ qui ædificat domū suam in iniustitia.* Quam autem durum sit hac in re non declinare ad dexteram, aut ad sinistram, prodit liber tertius Regum cap. 12. vbi Roboam rogatus à populo, vt diminueret durissimum iugum tributorum, quod à Salomone patre supra facultates & vires subditorum videbatur impositum, *iniȷt* primò *consilium cum senioribus, qui assistebant coram Salomone patre eius, cum adhuc viueret*: qui censebant in eo rerum articulo mitius esse agēdum cum populo. Et cum hoc illi displiceret, rursus iniȷt consilium cum iunioribus, id est cum adolescentibus, *qui nutriti fuerant cum eo, & assistebant illi.* Et ab illis responsum accepit, grauius cum populo esse agendum, ijsque intimandum magnum esse discrimen inter patrem & ipsum; & pater meus *cecidit vos flagellis, ego cædam vos scorpionibus.* Verum infelici exitu: nam alienavit sic à se populum, qui liberè renunciavit, neque illud onus, neque vllum imperium à genere Davidico sibi esse subeundum: ita vt dimidiâ parte Regni exciderit. Vis aliud? legitur de Chilperico Francorum Rege, quod anno Domini 510. descriptiones novas per Consilium Fredegundis in omni regno suo fecisset, vt vnusquisque possessor de propria terra, de vno arpenne vnam amphoram vini ad partem daret, & de iugero modium vnum. Sed tunc populus valdè oppressus vociferatur ad Dominum. Misit autem Dominus plagam in domum Regis, & ipse ægrotare cœpit, & duo filij eius mortui sunt. Rex perterritus descriptiones combussit, & tributum indulsit. Ita Annal. Regin Monachi Prunciensis lib. 1. anno 510.

3 Reg. 12.

Causa planè perplexa, quam Dominus acriter punit, vt videre est Mich. 3. cap. vbi per Prophetam graviter invehitur in Optimates Israëlis & Iudæ, quòd bona subditorum adeò avarè & rapaciter sustulerint, vt non tantum eos excoriare, sed & excarnificare, imò vsque ad ossa devorare, aut potius exossare viderentur, in verbis: *Numquid non vestrum est scire iudicium? Qui odio habetis bonum, & diligitis malum: qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum? Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriaverunt: & ossa eorum confregerunt, & conciderunt sicut in lebete, & quasi carnem in medio ollæ.* id est, Numquid scire debetis, vt cuilibet tribuatis quod suum est, pauperes non opprimatis, & eos qui opprimūt, castigetis: iam verò diligitis malitiam, & odistis bonitatem, & cùm sit boni pastoris pecus tondere, non deglubere, vt dixit aliquando Tiberius Cæsar teste Suetonio in eius vita, vos qui inter pastores estis, populumque pascere, dirigere, tueri à feris & lupis deberetis, & vivere ex lacte & lana ovium, vt pastores faciunt, eum expilatis, eiusque bona diripitis, imò tributis & oneribus, quasi sangui sugæ exsugitis, vt eum ad maciem & paupertatem redigatis: atque adeò vestri mores tales sunt, vt inopi turbæ pellem abstulisse, exsecuisse carnes, confregisse ossa, & omnia in frusta concidisse, videamini, non alitèr quàm à lanione, aut coquo in lebetem & ollam congeruntur. Et tum subiungit: gravem vindictam, quam de illis sumet, videlicet, quod sicuti ipsi clamorem pauperum non audiverunt, ita ipse in die tribulationis obsurdescet ad illorum voces, neque placatam faciem ad illorum preces, lachrymasque convertet. Et v. 12. addit: Propter

Mich. 3.

pter hoc causâ vestri *Sion quasi ager arabitur, & Hierusalem quasi acervus lapidum erit, & mons templi in excelsa silvarum*: seu propter dicta & similia peccata eò redigetur civitas habitatoribus olim frequens, & ædificijs nobilis, vt non aliter, quam arabilis ager subigatur aratro, & pro ædibus superbè & ambitiosè cõstructis, tantùm appareant ex vrbis ruina saxorum cumuli, & mons, vbi templum antè fuerat, sylvestri frutice sylvarum in modum inhorrescat. Pro quo nota, moris apud veteres fuisse, vt vrbem ædificaturi, eius ambitum circumducto aratro sulcando delinearent, & circumscriberent, ibique eam muro & fossa cingerent & communirent; vnde locum ex quo terram foderant, fossam vocabant. Hinc Virgil. *Virgilius.*

Interea Aeneas vrbem designat aratro.

Ita etiam vicissim hostes pro more habuisse eversuros captam à se vrbem & annihilaturos, eversis muris & ædibus aratrum vrbi inducere. Hinc Modestinus in l. *Si vsus fructus*, 21. ff. quibus modis vsus fructus amittatur: *Si*, ait, *vsus fructus civitati legetur, & aratrum in ea ducatur, vt passa est Carthago, civitas esse desinit. ideoque quasi morte desinit habere vsum fructum.* *Modestin.* Vnde S. Ludovicus Gallorum Rex gravissimè cuidam ex suis succẽsuit, quod illi auctor esset, vt à regno nova tributa exigeret, haud dubio timens similem numinis vindictam; quin etiam in testamento suo Philippo filio & hæredi hoc salutare monitum reliquit: *Ne subditis tuis tributa imperes, aut imponas onera, nisi necessitas vrgeat, teque manifesta regni vtilitas compellat; idque non vltrò, sed gravi de causa facies; si secus faxis, non Rex, sed tyrannus habeberis.*

3. Secundò, incumbit Principi exercere iustitiã vindicativam: illa enim necessaria est Reipublicæ, vt ex pœna vnius multi desistant ab iniurijs inferendis, & sic fiat opus iustitiæ pax, vt loquitur Isaias Propheta cap. 32. hoc est, ex iustitia oriatur pax, & tranquillitas. *Isa. 32.* Hanc exercuit Moyses, licet mitissimus esset super *Exod. 32.* omnes homines, qui morabantur in terra, cùm ex zelo honoris Dei iussit occidi multa millia hominum, qui vitulum aureum adoraverant; & *Num. 25.* rursum aliàs suspendit omnes Principes populi in patibulis; & iussit occidi multa millia ex plebe ob aliud peccatum idololatriç. Et David, qui *Psal. 100.* de se dicit: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Atque ideo gladium portant Rom. 13. *Rom. 13.* Et nisi hæc exerceretur, regna fierent latrocinia, teste Augustino lib. 2. de Civit. cap. 4. *August.* vbi sic ait: *Remotâ iustitiâ, quid sunt regna, nisi magna latrocinia.*

Sed dices, Proverb. 20. inquit Sapiens: *Prov. 20.* *Misericordia & veritas custodiũt Regem, & roboratur clemẽtiâ thronus eius.* Respondeo, verum esse dictum Sapientis, nempe clementiam roborare thronum Regis, ac misericordiam & veritatem custodire Regem: sed durum esse in hac parte æquilibrium servare (nam subinde severitas debet exerceri, subinde misericordia; nam *Deus*, vt ait David Ps. 32. *diligit iustitiam & iudicium*:) *Ps. 32.* seu iudicio semper miscere misericordiam; aut iam iudicium exercere, iam se clementem ostendere secundum boni nominis exigentiam. Cum enim necesse est ad pacem Reipub. eiusque iniuriam avertendam, tum non potest Princeps sonti condonare, alioqui gravissimè peccaret iniurius in Rempub. Vide dicta Discursu 2. in 5. Præceptum. Cũ vero iustam habet causam, potest, non ad impunitatem peccantis, sed ad spem correctionis, indulgere. Exemplum sumi potest à Christo *Ioan. 8.* Domino, qui cùm à Iudæis rogatus, an mulierem in adulterio deprehẽsam fas esset lapidare, iudicium à lege latum misericordiâ temperavit. De quo præclarè S. Augustinus *August.* in epist. ad Macedonium: *Licet accusatoris*, inquit, *alia persona sit, alia defensoris, alia intercessoris, alia iudicis, de quorum officijs nimis longum est, & non necessarium, hoc sermone disserere: Sic tamen etiam ipsos criminum vltores non suarum,* sed

sed alienarum examinatarum iniuriarum vindices, quales iudices esse debent, terruit censura diuina, vt cogitarent sibi propter peccata sua Dei misericordiam necessariam. Nam cum ad Dominum Christum Iudæi adduxissent mulierem, in adulterio comprehensam, eumque tentantes, quod iussa esset lege lapidari, ac deinde quærerent, quid de illa præciperet; Respondit eis: Qui sine peccato est vestrum, prior in eam lapidem iaciat. Ita nec legem improbauit, quæ huiusmodi ream iussit occidi, & illos terrendo ad misericordiam reuocauit, quorum iudicio hæc posset occidi. Porrò hoc Principibus sæpè est necessarium, si felices esse velint. Audi desuper D. August. lib. 5. de Ciuit. c. 24. sic philosophantē: *Neque*, inquit, *nos Christianos quosdā Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios placidâ morte reliquerunt, vel hostes Reipub. domuerunt. Hæc enim & alia vitæ eius ærumnosæ vel munera, vel solatia quidā etiam cultores dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quò pertinent isti. Et hoc ipsius misericordiâ factum est, ne ab illo ista, qui in eum crederent, velut summa bona desiderarent. Sic felices eos dicimus, si iustè imperant, si Deū timent, diligunt, colunt, si tardius vindicant, facilè ignoscunt, si eandem veniam nō ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent, si quod asperè cogūtur plerumque decernere, misericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compensant, &c. Tales Christianos Imperatores dicimus esse felices.*

4. Verum enimuerò si in vllo casu decet Principem clementem esse, hoc maximè in propria iniuria. Sic egit Constantinus inter Christianos Imperatores primus, cuius statuam cùm furiosi quidam turpiter deformassent, & familiares eius hanc iniuriam vindicandam seueriore exemplo suggererent, subridens manu per vultum ductâ, *Ego*, inquit, *nullum vulnus sentio.* Rursus conuenit illum mitem & benignum esse, cùm videt Deum in populum, aut ob proprium, aut etiam Regis peccatum animaduertere, eiusque causam agere. Hoc enim est illum ex vera charitate, vt filios diligere, & imitari Moysen & Dauidem viros sanctissimos: ille populi causam agebat, cùm Deum contra eum iratum alloquebatur, dicens: *Aut parce populo huic, aut dele me de libro vitæ*, Exod. 32. Hic verò Moysis æmulator, videns populum ab Angelo Domini gladio feriri, clamabat: *Vertatur, obsecro, furor tuus in me. Ego sum qui peccaui, isti qui oues sunt quid fecerunt?* 2. Reg. 24. vterque autē facilè obtinuit, quod petebat. *Deus enim charitas est*, & charitatem diligit in omnibus, sed in Principibus maximè, qui Dij in Scripturis vocantur. Hinc Seneca lib. 1. de clementia: *Vnum est inexpugnabile munimentum amor Dei. Quid hæres? frustra te terrore succinxeris, nisi septus charitate fueris; armis enim arma irritantur.* Similem sententiam inuenire licet M. Antonij Imper. apud Herodianum, sic enim ait: *Neque enim, aut pecuniæ vis, aut stipantia satellitum agmina tueri Principem possunt, nisi illi ipsi, quos regas, animum imperanti beneuolentiamque accommodent.*

Exod. 32.

2. Reg. 24.

Seneca.

Herodian.

5. Tertiò, incumbit Principi subditorum iura tueri: teste enim Gregorio lib. 7. epist. 120. *Sūmum in Regibus bonum est, iustitiam colere, ac sua cuique iura seruare, & subiectis non sinere, quod potestatis est fieri, sed, quod æquum est, custodire.* Similiter teste Hieronymo in cap. 22. in Hieremiam: *Regum proprium est, facere iudicium & iustitiam, & liberare de manu calumniatorū vi oppressos, & peregrino, pupilloque & viduæ, qui facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium.*

Gregor.

Hieron.

6. Cum autem id per se non potest, debet ministros & coadiutores sibi adlegere, viros omni exceptione maiores. Vnde Ietro socer Moysi totius populi Israëlitici moderatori genero suo auctor fuit, vt reseruatis sibi grauioribus negotijs, onera in alios partiretur, dicens: *Prouide de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex ijs, qui iudicent populum omni tempore.* Hoc etiam à Moyse exegit Deus: *Iudices, ait, & Magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, vt iudicent populum*

Exod. 18. 21.

Deut. 16.

populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent. Iudex, ait Syracides, *iudicabit populum suum, & principatus sensati stabilis erit. Secundum iudicem populi, sic & ministri eius*. B. Hieronymus scribens in verba Isaiæ: *Quærite iudicem. Ostendit*, ait, *non omnium esse rectè iudicare, sed eorum qui prudentes sunt. Et Salomon in visione per somnum hoc à Deo postulauit, vt acceptâ sapientiâ iustè populum iudicaret.* Hanc maximè ostendit Salomon, cum de controuersia meretricum, cœteroqui occultissimâ, prudentissimum iudicium tulit, de quo S. Basilius prolixè in principium Prouerbiorum: *Nosse*, inquit, *diligenter institiam, facit, vt rem rectè iudicare possimus. Impossibile namque, non versatum exercitatumq; in iusti cognitione rem dubiam, & in controuersia positam bene ac ordine digerere. Neque ipse Salomon, nisi in hac iustitiæ scientia diligenter instructus fuisset, illud tam vulgatum de puero duarũ meretricum iudicium tam probè proferre potuisset. Quoniam enim sine testibus hæc gesta erant, ad naturam cucurrit, ac per ipsam, quæ incognita erãt, inuenit.* Quanta autem difficultas sit huic muneri ex omni parte satisfacere, omnemque affectum deponere, iudicium verum iudicare, non declinare à vero iudicij, non cognoscere in iudicio patrẽ, vt præscribitur Zachar. 7. & 8. Exod. 23. Prouerb. 18. quis ambigit? Rursum quàm difficile sit inuenire qui oderunt auaritiam, nec diligunt munera, vt alibi Scriptura etiam requirit, quis quotidie non experitur?

Sap. 10. — Hieron. — Basil hom. 12. — Zachar. 7. & 8. Prou. 18.

7. Sed quæres, quænam ratio sit, quare in sacris litteris munerum acceptio tam seuerè prohibeatur? Respondeo, ideo tantopere prohiberi, quod illi, qui ab hominibus munera accipiunt, in definiẽdis eorum causis oculos quodammodo amittant, ita vt id quod falsum est, verum iudicent; vt enim Gregor. Nazianzenus testatur in sententijs: *Munera faciunt, vt sapientes quoque viri hallucinentur; atque vt aues laqueo, sic homines auro capiuntur.* Vnde Exod. 23. præscripsit Moyses Iudæis à muneribus cauere, dicens: *Nec accipies munera; quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.* Hoc clarum est in filijs Samuelis, 1. Reg. 8. vbi dicitur: *Non ambulauerunt filij illius*, supple Samuelis, *in vijs eius: sed declinauerunt post auaritiam, acceperuntq; munera, & peruerterũt iudicium.* De quibus sic scribit Petrus Damianus epist. 23. *Filij Samuelis nullũ aliud crimen habuisse leguntur, nisi, quia munera dilexerunt: & quia paternæ munditiæ non sequebantur exemplum, irrecuperabiliter amiserunt plebis Israëliticæ principatum. Et notandum, quia, cum de illis Scriptura dicit: Declinauerunt post auaritiam, acceperunt munera; protinus intulit: Peruerterunt iudicium. Vicinum quippe est & contiguum, vt post munus acceptũ peruertatur etiam corrupto Censore iudicium.* Et Isa. 1. cap. cum dixisset, *Principes tui infideles, socij furum*, protinus causam adiunxit: *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Eaque de causa ipsis excidium intentat. Michæas etiam cap. 3. dicit, *quod Sion quasi ager arabitur, & Hierusalem quasi aceruus lapidum erit*: id est, quod Chaldæi diruent magnificas domos, quas in Hierusalem ex rapinis pauperum ædificarant: ita vt ex ijs non superesset præter rudera & aceruos lapidum: sed vrbs ipsa desolabitur & complanabitur, fietque ager aratro arabilis. Causam verò huius desolationis aliam, præter eam quam dixi, hanc v. 11. exprimit: *Principes eius in muneribus iudicabant.*

Nazianz. — Exod. 23. — 1. Reg. 8. — Petr. Damian. — Isa. 1.

8. Vnde sub mortali prohibitum deprehenditur munera accipere, etiam ad iustè iudicandum, quod nimis magna sit illecebra & efficacitas munerum ad animos inflectendos. Et verum est, quod Petrus Damianus loc. cit. asserit: *Acceptis*, inquit, *muneribus, si contra datorem quid agere volumus, mox in ore nostro verba mollescunt, locutionis acumen obtunditur, lingua quadam pudoris erubescentia præpeditur. Mens quippe percepti muneris conscia debilitat iudicialis censuræ vigorem; reprimit eloquentiæ libertatem. Nam etsi iudicij rectitudo funditus non adimitur; iudicandi tamen auctoritas eneruatur.* Hoc sciens Rex Balac inuitauit Balaamum ad maledicendum populo Dei muneribus, dicẽs: *Quidquid volueris, dabo tibi.* Numer.

Pet. Damian. — Num. 22.

Numer. 22. Sic Philistini, cùm vellent Sampsonem decipere, vsi sunt
Iud 16. operâ Dalilæ Iudic. 16. *Venerunt ad eam*, vt ibidem dicitur, *principes Philisthinorum, atque dixerūt, Decipe eum*: addentes: *Quod si feceris, dabimus tibi singuli mille, & centum argenteos*. Et quia passim id sequitur, dicit Sapiens Prouerb. 17. *Prov. 17.* *Munera de sinu impius accipit, vt peruertat semitas iudicij*. Et Dominus Isa. 5. *Isa. 5.* *Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo*. Et Iob 15. *Iob. 15.* *Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt*. Filij Samuelis officio idcirco priuati sunt, iudiciumque & regnum in Saulem translatum est. Dominus itaque puniendos dicit, & in hoc sęculo amissione rei familiaris; & in futuro pœna damni & sensus, nempe Ps. 14. nu. *Psal. 14.* 5. & Isaiæ 33. *Isa 33.* vbi ait Propheta: *Qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere*, &c. *Iste in excelsis habitabit: munimenta saxorum sublimitas eius: panis ei datus est: aqua eius fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi eius*, &c.

Vnde mirum est, quod isti lupi vespertini (sic enim vocat eos Sophonias c. 3. n. 3. *Sophon 3.* non magis vereantur, nec recogitent dictum Christi, *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Certè hoc sæculo eminuit B. Thomas Morus, iudex æquissimus, munerum & opum contemptor. Quadam vice vidua, cui litem adiudicarat, obtulit ei poculum aureum: ille accepit quidem, sed vino replens ei præbibit, & reddidit. Atque vt alia omittam, quæ cap. 3. & 8. vitæ eius narrantur, illud admirabile est, quòd cum à prima ætate magnis in Rep. muneribus esset perfunctus, adeoque totius Regni fuisset Cancellarius, cumque amplam haberet familiam, tamen totâ vitâ annuum censum non auxit vltra septuaginta aureos annuos. Quid hic dicet illi, qui paucis annis augent ad decem, imò viginti millia? At duriores sunt partes Principis, qui in hos durius non animaduertit. Nam illos tolerando socius furum, imò auctor rectè dicendus est. Et quantumuis Principem maximè deceat clementia, tamen erga hos eam exercere non debet.

9. Tria verò ordinariè censentur, in quibus Princeps debet seueritate vti. Primum est, cum populi ingeniū vsque adeò est malignum & refractarium: ita vt in officio aliter contineri nequeat. Hoc ipse Deus docuit, *Leuit 20.* cum in lege Mosaica acres pœnas inflixit, videlicet, pro adulterio, pro violatione sabbathi, pro esu *Num. 15.* panis fermentati tempore Paschatis, & simili præuaricatione, pœnam *Exod 12. v. 15.* mortis: eò quod populus esset duræ ceruicis.

Secundò in militia: illic enim omne erratum capitale est, propter publicum periculum: vnde præcedens in progressu militari insignia castri, pœnâ mortis punitur. Refert in hāc sentētiam l. 2. c. 2. & l. 6. c. 3. Valerius *Valerius* Maximus aliqua, & Lampridius in *Maximus.* Alexādro Seuero. *Lamprid.* sed in primis memorabilis fuit seueritas disciplinæ militaris in Aureliano Imperatore, quę ita militi formidolosa erat, vt post vnam castrensem animaduersionem nemo sub eo deliquerit amplius. Illius epistola ad Tribunum Militum, quem præsidio præfecerat, talis erat: *Si vis Tribunus esse, imò si vis viuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo attingat, vuam nullus auferat, segetem nemo deterat: oleum, salem, ligna nemo exigat: suâ quilibet sit annonâ contentus. Hostili prædâ, non prouincialium lachrymis ditescant: arma detersa sint, calceamenta fortia: noua vestis veterem excludat; stipendium habeat in baltheo, non in pompâ.*

Tertiò debet vti seueritate, in præfectos & ministros iustitiæ, præsertim qui muneribus corrupti iustitiam peruertunt; & ius omne venale habent. Hi enim potestate publicâ, quâ, tanquam sacrosancta, castissimè vti deberent, abutuntur ad oppressionem innocentium, & priuatum compendium. Huius seueritatis præclarum exemplum refert Herodotus in Terpsichore, seu lib. 5. & Valerius Maximus lib. 6. c. 3. attingit: *Otanem*, inquit Herodotus, *Herodotus.*

Darius

Darius Rex ora maritima præfecerat. Huius patrem Sisamnem vnum è regijs iudicibus, quod iniustè ob pecuniam indicasset, Rex Cambyses; qui ante Darium fuit, interemit, interemptoque detractum corium in lora concidit, quibus tribunal, in quo ille sedens iudicarat, intēdit, ibidemque filium eius Otanem sedere Iudicem iussit, atque in memoriâ habere, in quo tribunali iudicaret. Et Alexander Seuerus Imperator, teste Lampridio, dicere consueuit, in malum Iudicem non satis dignè vindicari, si magistratu priuetur, nisi grauiori quoque supplicio mulctetur. Constantini Magni certè tale extat in hanc rem decretum in Codice Theodosiano: *Si quis est, cuiuscumque loci, ordinis, dignitatis, qui in se quemcumque Iudicum, Comitum, amicorum, vel Palatinorum meorum aliquid veraciter & manifestè probare posse confidit, quod non integrè, atque iustè gessisse videatur, intrepidus & securus accedat, interpellet me, ipse audiam omnia, ipse cognoscam: & si fuerit comprobatum, ipse me vindicabo. Dicat securus, & benè sibi conscius dicat. Si probauerit, vt dixi, ipse me vindicabo de eo, qui me vsque ad hoc tempus simulata integritate deceperit: illum autem, qui hoc prodiderit, & comprobauerit, & dignitatibus & rebus augebo. Ita mihi summa diuinitas semper sit propitia, & me incolumem præstet, vt cupio sit felicissima Repub. Publicatum 15. Calend. Octob. Nicomedia, Paulino, & Iuliano Coss.*

Lamprid.

Discursus XIV.

Quid sit officium Principis in causa Religionis.



HVmana societas tribus maximè constat & coalescit, videlicet, æquitate & iustitiâ, rectâ viuendi disciplinâ & bonâ morum compositione, ac præcipuè religione & pietate in Deum, quæ ante omnia defendenda est, tanquam basis & fundamētum cœterorum. Vnde inquiram, quatenus id Principi sæculari incumbat.

1. Isaias cap. 49. loquens de Ecclesia Christianorū dicit: *Erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ.* quod idem est ac si dicat, Reges & reginę liberaliter & regiè nutrient tuos fideles Pastores, Prælatos, ô Ecclesia, bonisque suis ditabūt, sicut pater & mater alunt, & educant suos infantes & filios. Inter alimenta autem notorium est comprehendi sollicitam curam, vt benè filijs suis sit, quoad corporalia & spiritualia: adeoque insinuat Scriptura Regibus incumbere Religionis primam habere curam, eam profitendo & tuendo.

2. Probatur exemplo piorum Regum veteris Testamenti, qui strenuè defenderunt veram Religionem, vt Moyses, Samuel, Iosaphat, Ezechias, Iosias & alij. Secundò, ex confessione Cęsarum & Imperatorum id probè agnoscentium. Constantini in epistola ad Celsum Africæ Vicarium, quam recitat Baronius, hæc verba sunt: *Nequaquam me aliter maximum reatum effugere posse credo, quam vt hoc, quod improbè fit, minimè existimem dissimulandum, cum nihil potius à me agi instituto meo, ipsiusque Principis munere agi oporteat, quam vt, discussis erroribus omnibusque temeritatibus amputatis, veram Religionem vniuersos, concordemque simplicitatem, atque meritam omnipotenti Deo culturam, præsentare perficiam.* Theodosius quoque Magnus in Nouella de Iudicibus sic loquitur: *Inter cæteras solicitudines, quas amor publicus peruigili cogitatione nobis indixit, præcipuam Imperatoriæ maie-*

ſtatis curam eſſe perſpeximus veræ religionis indaginem: cuius cultum ſi tenere potuerimus, iter proſperitatis humanis aperimus inceptis. Et Iuſtinianus in Nouella de Epiſcopis: *Sic*, inquit, *nos omni prouidentia curam Eccleſiarum gerimus: per quas & imperium noſtrum ſuſtineri, & publicas res per clementiam Dei, & gratiā muniri exiſtimamus.* Et Carolus Magnus apud Sigonium: *Si Eccleſiarum Dei ſeruis magnificentiam noſtram impertimus, eorumque ſtudijs libenter obſequimur, id nobis ad Auguſtalis excellentiæ culmen proficere credimus: &, quod cunctis pretioſius eſt, dignitatibus æternum retributionis præmium capeſſere non diffidimus.* Reges certè Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Poloniæ, dum regno inaugurantur hoc imprimis iureiurando promittunt, ſe fidei Catholicæ Romanæ aſſertores & vindices futuros, Eccleſiamque & pacem perpetuam defenſuros. Et rectè, quia vt benè ſcripſit Leo Magnus ad Pulcheriam Auguſtam, *Res humanæ aliter tutæ eſſe non poſſunt, niſi quæ ad diuinam confeſſionem pertinent, & Regia & Sacerdotalis defendat auctoritas.* Quod non ſolùm verbis publicum eſſe voluerunt, ſed etiam legibus in hanc rem latis, quibus cauerunt non aliam quā Catholicam religionem pulsâ idololatriâ, & hæreſi ab omnibus eſſe colendam. Vide dicta Diſcurſu 23. in primum Præceptum, n. 11. 12. & 13. Quibus addo Arcadium, cui diuus Chryſoſtomus ſuaſit potius imperij iacturam facere, quam Gaynæ Duci templum pro Arianis Conſtantinopoli indulgere, hac vſus ſimilitudine: *Quemadmodum*, inquit, *ô Imperator, ſi quis coronæ tuæ pretioſis & fulgentibus gemmis micanti, vitri partes, aut viles lapillos admiſceat, pretium & ſplendorem minuet: ita ſi in eâdem Eccleſia Catholicis hæreticos coniunxerit, quos vel errorem recognoſcere, vel ciuitate exturbari oporteat, fulgentem eiuſdem coronam vitiauerit.* Chryſoſt.

3. Probatur tertiò, auctoritate ſanctorum Patrum: *In hoc Reges*, ait Auguſtinus cōtra Creſconium c. 5. *in quantum Reges ſunt, Deo ſeruiunt, ſi in regno ſuo bona iubeant, mala prohibeant, non ſolum quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam quæ ad diuinam Religionem.* Et epiſt. 50. ad Bonifacium poſitis verbis Pſal. 2. *Seruite Domino in timore*, quærit & diſtinguit quomodò Reges vt homines ſeruiant Deo, & quomodo vt Reges, ſic inquiens: *Quomodo ergo Reges Domino ſeruiunt in timore, niſi ea, quæ contra iuſſa Domini fiunt, religioſa ſeueritate prohibendo, atque plectendo? Aliter enim ſeruit, quia homo eſt, aliter quia etiam Rex eſt. Quia homo eſt, ei ſeruit viuendo fideliter: quia verò etiam Rex eſt, ſeruit leges iuſta præcipiētes & contraria prohibentes, conuenienti rigore ſanciendo. Sicut ſeruiuit Ezechias, lucos & templa idolorum, & illa excelſa, quæ contra præcepta Dei fuerant conſtructa, deſtruendo. Sicut ſeruiuit Rex Niniuitarum vniuerſam ciuitatem ad placandum Dominum compellendo. Sicut ſeruiuit Darius, idolum frangendum in poteſtatem Danieli dando, & inimicos eius leonibus ingerendo. Sicut ſeruiuit Nabuchodonoſor, de quo iam diximus, omnes in regno ſuo poſitos à blaſphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo ſeruiunt Reges Domino, in quantum ſunt Reges, cum ea faciunt ad ſeruiendum illi, quæ non poſſunt facere, niſi Reges.* Auguſt.

Vnde S. Gregorius ſcribit epiſt. ad Præfectum Africæ Pantaleonem, vt Donatiſtas hæreticos comprimat. & in epiſt. ad Mauritium Imperat. & in aliâ ad Brunichildem Reginam Francorum, vt idololatras, & hæreticos perſequantur. Et D. Auguſt. tract. 11. in Euangelium Ioannis, inſinuat, quod poteſtates Chriſtianæ non poſſent Deo reddere rationem, ſi non mouerentur aduerſus diſſipatores Eccleſiæ, ſic dicens: *Mirantur, quia commouentur poteſtates Chriſtianæ aduerſus deteſtandos diſſipatores Eccleſiæ. Non ergo mouerentur? Et quomodo redderent rationem de Imperio ſuo Deo? Intendat charitas veſtra quid dicam, quia pertinet hoc ad Reges ſæculi Chriſtianos, vt temporibus ſuis pacatam velint matrem ſuam Eccleſiam, vnde ſpiritaliter nati ſunt.* De hoc officio prædixit Iſaias cap. 60. hæc verba: *Reges eorum* Greg. Auguſt. Iſa. 60.

eorum administrabunt tibi, afferetur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducentur. Et paulò post: *Gens & regnum, quod non seruierit tibi, peribit.*

4. Quæres, an Principes Catholici hæresim iam dudum exortam ac inueteratam possint permittere in sua Prouincia? Respondeo, nullo modo id esse licitum, si satis potentes sint ad eam extirpandam. Ratio est, quod eam sustinens, fures & latrones censeatur fouere, quod Principi nulla ratione licitum esse ostendi Discursu præcedenti. At in nouo Testamento Christus Dominus appellat hæreticos Pseudoprophetas, lupos rapaces, fures, & latrones: D. Paulus verò operarios subdolos, blasphemos, scelestos, proditores, proprio iudicio condemnatos: S. Petrus Pseudoprophetas, & seruos corruptionis, doctrinamque eorum sectas perditionis, quibus videlicet se aliosque perdant: S. Ioannes Antichristos & seductores: B. Iudas denique arbores infructuosas, bis mortuas, fluctus feri maris despumantes suas confusiones. Ex S. Patribus verò D. Ignatius confert eos cum canibus rabidis, basiliscis & squamosis draconibus: Cyprianus cum lupis: Ambrosius cum noctuis & vulpibus: Hieronymus cum scarabæis: Augustinus cum cimicibus: Vincent. Lyrinensis cum viperis, ranis & muscis morituris: Irenæus cum idololatris. Ergo à Principibus non sunt tolerãdi, quando saluâ Ecclesiæ Catholicę incolumitate pelli possunt.

Matt. 7.

2. Cor. 11

2. Tim. 3.

Tit. 3.

2. Pet. 2.

1. Ioan. 2.

5. Quæres iterum, An nullo omnino casu diu inueterati tolerari possint? Respondeo affirmatiuè; idque duobus præsertim casibus. Primus est, quando ex permissione speratur maius bonum, vt fit quando vident Catholicos inter hæreticos viuẽtes, ex pia quadã æmulatione fieri quotidie feruentiores in sua fide ac religione, & magis excitari ad doctrinã fidei explicãdam & propugnãdam. Cui congruit illud Apostoli 1. Cor. 11. *Oportet & hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Et illud Augustini lib. de vera Relig. c. 8. *Quoniam verissimè dictum est, oportet multas hæreses esse, vt probati manifesti fiant inter vos, vtamur etiam isto diuinæ prouidentiæ beneficio,* &c. Et paulò post: *Quapropter multi, vt diem Dei videant, & gaudeant, per hæreticos de somno excitantur. Vtamur etiam igitur hæreticis, non vt eorum approbemus errores, sed vt Catholicam disciplinam, aduersus eorum insidias, asserentes, vigilantiores & cautiores simus, etiamsi eos ad salutem reuocare non possumus.* Vel quando ipsi hęretici ex illo Catholicorum feruore paulatim accenduntur, & Catholicis aggregantur: ob hanc enim rationem voluit Angelus, custos Persarum, Iudæos manere in Perside. Ille enim, Gabriele orante pro Iudæis, vt omnes è Babylone in patriã reduceret, ne Babyloniorum idololatriâ, & vitijs inficerentur, è contrà orabat, vt Deus aliquos Iudæos in Babylone relinqueret, ad Babyloniorũ & Persarum conuersionem; vtque illi à Iudæis vnum verum Deum, & eius cultum discerent; illudque Iudæis esse vtile, vtpote qui aduersis meliores fierent, vt colligunt Doctores ex cap. 10. Danielis.

1. Cor. 11.

August.

Daniel. 10.

Hęc ratio mouit etiam D. Paulum 1. ad Cor. 7. respondere affirmatiuè ad quęsitum Corinthiorum, An si fidelis coniugem haberet infidelem, posset cum ea manere & habitare, dicens: *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo; non dimittat illam. Et si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa; non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem: & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* id est, Quamuis Christus fideli permiserit dimittere vxorem infidelem, tamen ego dico & consulo, vt eam non dimittat, quia eam dimitti non expedit saluti prolium, & coniugis infidelis: si illa consentit sine contumelia creatoris & fidei, fideli cohabitare. Rationem addit: *Sanctificatus est enim vir infidelis, &c.* q.d. Matrimonium & coniunctio ista sancta est: vnde non profanatur, nec pol-

1. Cor. 7.

luitur fidelis per contractum infidelis, vti vos scrupulosè timetis, sed potiùs infidelis, morali quadam denominatione, & quasi sanctitatis aspergine, ait Anselm. inde sanctificatur: tum, quia maritus est sanctę, id est, fidelis coniugis: tum quia eam in fide sua non impediendo, & beneuolè cum ea viuendo, quasi viam sternit sibi, vt per preces, merita, verba & exempla fidelis coniugis conuertatur ipse, fiatque sanctus; sicut S. Cæcilia maritum suum Valerianum cõuertit; Theodora Sisinnium; Clotildis Clodouæum; sancta Natalia Adrianum. Et eadem est ratio de viro fideli, per quem similiter mulier conuertatur, & proles pariter conniuente infideli coniuge, facilè fidelis parentis fide, & diligentiâ ac curâ sanctificari, baptizari, & Christianè educari possunt. hoc significant verba: *Nunc autem sancti sunt*, hoc est facilè sanctificari possunt. *Anselm.*

Secundus casus est, quando ex permissione seu tolerãtia hæreseos, euitatur maius malum, quod aliter euitari non potest; vt si Princeps Catholicus, vellet quidem impedire, vel coërcere hæreticos in sua Prouincia; sed si tentaret, ipsi cum vicinis populis ac Principibus hęreticis conspiraturi essent, & impetu facto, Catholicos oppressuri. Tunc enim foret consultius, permittere seu tolerare hæreticos permixtos cum Catholicis, quàm cum tanto dispẽdio & iacturâ, illos irritare. Sic enim permittuntur vsuræ, meretricia, & similia mala, tanquam minus malũ; ad euitandum maius; ita & hęresis, quę sic permittitur, sub ratione boni vtilis, seu conducibilis.

6. Quæres denique, An sicuti Principes tueri possunt & debent Ecclesiam, & res Ecclesiasticas, ita se immmiscere possint negotijs Ecclesiasticis, & iudicium sibi vsurpare de controuersijs fidei?

Respondeo negatiuè. Probatur verbis Agęi Prophetę cap. 2. vbi ait: *Hæc dicit Dominus exercituum, interroga sacerdotes legem*. Et Malach. 2. vbi dicitur: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est*. Hisce enim verbis declararunt Prophetæ etiam Regi & Principi Ecclesiasticorum iudicio stãdum esse in rebus sacris; non suo. Et certè id in Ecclesia Catholica sartum ac tectum fuisse constat etiam exemplo Imperatorum, qui à pietate maximè laudantur. Illi enim nunquam se immiscere voluerunt rebus Ecclesiasticis. Constantinus enim in Synodo Nicæna, teste Ruffino lib. 10. historiæ Ecclesiast. professus est se debere ab Episcopis iudicari, eisque subiectum esse, non præpositum. Et S. Ambrosius epist. 32. scribit eandem in dicta Synodo liberum reliquisse iudicium sacerdotibus. Eusebius lib. 4. de vita Constantini refert eundem solere dicere Ecclesiæ præsulibus: *Vos intra Ecclesiam Episcopi, ego extra Ecclesiam Episcopus sum constitutus*. Valentinianus senior rogatus, vt permitteret haberi Concilium de rebus fidei, teste Sozomeno, respondit: *Mihi qui vnus è numero laicorum sum, non licet me eiusmodi negotijs interponere. Ideo Sacerdotes & Episcopi, quibus hæc curæ sunt, seorsum per se, vbicũque ipsis liberum fuerit, conueniant.* Idẽ de Valẽtiniano Iuniore affirmat Ambros. loc. cit. Honorius Imperator Arcadium fratrẽ suum reprehẽdit, quod contẽtionibus Episcoporum se immiscuisset, & teste Baronio tom. 5. anno 404. inter alia scripsit: *Si quid de causa Religionis inter Antistites ageretur, Episcopale oportuerit esse iudicium. Ad illos enim diuinarum rerum interpretatio, ad nos Religionis spectat obsequium.* Theodosius minor in Epistola ad Conc. Ephesinum: *Nefas est, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo non est adscriptus, eum Ecclesiasticis negotijs & consultationibus se immiscere.* Marcianus quoque in Concilio Chalcedonensi dixit, vt habet Baron. tom. 5. anno 431. *Quid obseruari in Religione debeat, Sacerdotes perspicuâ definitione docuerunt.* Basilius deniq; Imper. in 8. Synodo act. 5. dixit: *Ecclesiasticas causas inuestigare Pontificum & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi,*

Margin notes: *Agæi. 2.* *Malach. 2.* *Ruffin.* *Ambros.* *Eusebius.* *Sozomen.* *Ambros.* *Baron.* *Cypr. ep. 17. tom. 4.* *Baron.*

randi, ligandi & soluendi potestatem habent, qui Ecclesiasticas adepti sunt claues: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamentis solui egemus. Haud dubiò edocti praxi veteris ac noui Testamenti, tum etiam animaduersione ipsius Dei, qui Regem Oziam ministerium Sacerdotum vsurpantem, leprâ percussit, & è templo eiecit, 2. Paral. 26. Et Regis Saulis, qui vt se miscuit Sacerdotum officio, à Deo reprobatus est, & posteri eius regiâ potestate spoliati, 1. Reg. 13. Vide latiùs dicta Discursu 10. in hoc Præceptum.

2. Paral. 26.

1. Reg. 13.

Discursus XV.

De officio seruorum, seu potius famulorum & ancillarum.

4. Reg. 5.

NAaman Syrus 4. Reg. 5. iussus ab Elisæo lauari septies in Iordane, curandæ lepræ causâ, indignatus obmurmurauit; sed serui ipsi locuti sunt ei: *Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, facere debueras, quantò magis, quia nunc dixit tibi: Laua te, & mundaberis.* Ex quibus patet, olim heros à famulis vocatos fuisse patres; atque adeò ex hoc præcepto à famulis esse honorandos. Vnde discutiam, quem honorem famuli, & ancillæ dominis, & dominabus suis debeant.

1. Varij fuerunt olim serui; aliqui ob peccatum aliorum seruituti subacti, vt filius Noë, de quo sic Chrysostomus, hom. 29. in Genes. *Ecce fratrem eodem natum patre, eodemque egressum vtero, peccatum fecit seruum, & ablatâ libertate, iugum illi vilissimæ subiectionis imposuit, vnde postea seruitus sumpsit originem.* Alij viribus pressi sub iugum seruitutis missi sunt, vt in bello capti: alij ob paupertatē in seruitutem redacti sunt, velut Aegyptij, qui ob famem seruitio Pharaonis obstringebantur, Genes. 47. alij aliter. Sed quia eiusmodi seruitus gentilitia est, & vt plurimùm iam exoleuit apud Christianos, vbi in vsu est famulatus & ancillatus, hoc est eorum seruitiū, qui ob mercedem seipsos alteri locant ad tempus, & vocantur famuli, & ancillæ, existuntque homines liberi: Hinc de ijs potissimùm dicendum.

Chrysost.

Genes. 47.

2. Quæritur, quid eiusmodi debeāt heris suis, & dominabus? Respondeo tria, videlicet, honorē, fidelitatem, & obsequium. Honor verò ille est duplex, interior, & exterior. Interior consistit in recognitione Superioris, & consequenter in timore quodam reuerentiali erga illum, qui se prodit partim in opere externo, vt colligitur ex verbis Sapiētis, Ecclesi. 2. qui dum filios docet honorare parentes, seruorum proponit exemplū, dicens: *Qui timet dominum, honorat parentes, & quasi Dominis seruiet his, qui se genuerunt.*

Eccles. 3.

Exterior consistit in eo, vt caueāt à verbis contumeliosis, aut probris, conuitijs, ac maledictionibus: quemadmodū egit ancilla Saræ erga dominam suam, cùm illam increparet pro culpa sua, illi increpans primò sterilitatem; secundo illi imponens interfectionē virorum eius septem (quos Asmodæus ob vitia eorū, Deo permittente, è medio sustulerat:) quod insinuat textus his verbis: *Ergo cum pro culpa sua increparet puellam, respondit ei, dicens: Amplius ex te non videamus filium, aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum.* Quibus verbis proteruè addidit: *Numquid & occidere me vis, sicut iam occidisti septem viros?* Quod peccatum satis graue esse dignoscitur; tum ex eo, quod sterilitas illo tempore ingens erat pœna, tum etiā quod homicidium peccatū sit enorme, tū quod rationē dederit dominæ suæ tristitiæ nimis affligentis, quamque leniēdam non putauit, nisi

Tob. 3.

nisi diuinitus peculiari subsidio iuuaretur. Vt enim prosequitur textus: *Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domus suæ: & tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit: sed in oratione persistens cum lachrymis deprecabatur Deum, vt ab isto improperio liberaret eam.* Et quantumuis hæ rationes illud non proderent, sufficiẽter eius enormitas apparet ex pœna à Domino in eiusmodi statuta, Exod. 21. & Leuit. 20. cum dixit: *Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Patri matrique qui maledixerit, sanguis sit super eum*; indicans rem esse tam grauem, vt illo tempore mortem mereretur per iudicis sententiam. Adeoque certum est eiusmodi peccare mortaliter, cùm in re graui illos inhonorent, quibus reuerentiam debent: neque quidquam agere possint quod dominorum honori præiudicet. Vidimus etiam 4. Reg. 5. Giezi punitum leprâ, eò quòd abusus esset nomine heri sui apud Naaman Syrum ductus auaritiâ, domini honorem planè contemnens. Cum enim vidisset à sanato Naaman quoduis munus etiam oblatum repudiasse Helisæum, iurauit apud semetipsum, quod post eum curreret, & aliquid ab eo acciperet; & animaduertenti Naaman illum ad se currenti dixit: *Dominus meus misit me ad te, dicens: Modo venerunt ad me duo adolescentes de mõte Ephraim, ex filijs Prophetarum: da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices. Dixitque Naaman: Melius est, vt accipias duo talenta. Et coëgit eum, ligauitque duo talenta argenti in duobus saccis, & duplicia vestimenta, & imposuit duobus pueris suis, qui & portauerũt coram eo.* Sed plaga illi ob hoc inusta redarguit illum detractionis & auaritiæ in re sacra Deo magis odiosa.

Exod. 21. Leuit. 20.

4. Reg. 5.

3. Rursum requirit hæc reuerentia, vt huiusmodi famuli & domestici non extollant se, cùm gratiam dominorum lucrati sunt, nimiâ libertate sibi regimen domus, reique familiaris vendicando: nihil enim eo est absurdius, teste Sapiente, qui cap. 30. Prou. declarat hoc esse intolerabile, dum ait: *Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere. Per seruum, cum regnauerit: per stultum, cum saturatus fuerit cibo: per odiosam mulierẽ, cum in matrimonio fuerit assumpta: & per ancillam, cum fuerit hæres dominæ suæ.* Hæc dicit, ad designandum res huiusmodi adeò esse indignas, vt ad eas terra alioquin inter omnia elementa immobilis, contremiscat, & cõmoueatur, quasi indignata, quod eas ferre in se debeat; siue quod per hæc magna oriatur perturbatio, & commotio in terra inter homines, qui hęc ęgrè ferre possunt: ita vt terra dicatur moueri, quia hinc homines in terra viuentes commouentur, & conturbantur. Sicut enim per quatuor elementorum bonam temperantiam optimè constitutus est mundus: ita per horum discrasiam & indignam constitutionem terra turbatur, inquietatur & tumultuatur. Numquid vidimus hoc quodãmodo repręsentatum in Ieroboam seruo prius Salomonis? qui pessima perpetravit, populum inducens ad idololatriam, 3. Reg. 12. & in Nabal marito Abigail, qui secundum nomen stultus, iam satiatus, contemsit Dauidem 1. Reg. 25. Et quotidie in muliere querulosa, cùm alicui facta est vxor: tunc enim magis latentem nequitiam non veretur prodere. Vltimum in Agar ancilla Saræ, quæ videns se coniugem factam Abrahę, seque ex eo concepisse, contempsit dominam suam, adeò quod coacta fuerit illam eijcere, si reputationem suam vellet saluam. Egregium documentum pro Superioribus, vt ita se gerant, ne suâ lenitate causa sint suæ ruinæ, quæ ordinariè inde sequitur, & causa peccati quoad subditum, qui ex eo fit contumax, iuxta illud Sapientis Prouerb. 19. *Qui delicatè à pueritiâ nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.*

Prou. 30.

3. Reg. 12.

1. Reg. 25.

Prou. 19.

4. Demùm cauere maximè debent, ne, ob quamuis etiam causam, insurgant in Superiores suos leuantes manus in ipsos, aut quid grauius molientes: hoc enim vti in omnibus alijs grauem pœnam meretur: ita magis in domesticis. Patet hoc Estheris

Estheris c.2. *vbi Bagathan & Thares duo eunuchi Regis, qui ianitores erant, & in primo palatij limine præsidebant: voluerũtque insurgere in Regem, & occidere eum*; re detectâ appensi sunt in patibulo. Nec iuuit eos, quòd irati fuerant, vt aliqui volunt; vel quod iniquo animo tulerint Mardochæum exulem prouectum ad honores; vel, vt alij, quod Vasthin gradu & honore deiectam dolebant: Estherem verò ignotę gentis puellam in illius gradum assumptam; vel, vt nonnulli, quòd ambitione ducti regnum sibi vsurpare animis destinassent; vel denique, vt quidam, quod non satis stipendiorum suo iudicio pro laboribus acciperent. Non enim ira, inuidia, ęmulatio, aut ambitio hoc malum extenuãt, sed aggrauãt. Et si quid stipendiorum minus esset, Iudicis officium foret implorandum, vel Repub. turbatâ cõpensatione vtendum occultâ, potiùs quã tale quid in animum inducere. Insuper non licet ob effusum venenum, & iniuriarum malum iustè correptum à domino, eum deserere, vt plerique faciunt. Hoc e-
Genes. 16. nim docuit Angelus Genes. 16. esse contra reuerentiam dominis debitam. nam cum Agar ancilla correpta à Sara, quam iniquè contempserat, à facie eius fugisset, apparuit illi Angelus in deserto, & rogauit eam: *Agar ancilla Saræ vnde venis? & quò vadis? quæ respondit à facie Sarai dominæ meæ ego fugio; dixitque ei Angelus Domini: Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius.* quod idem est ac si dicat, Quomodo è tam bona & felici domo Abrahæ in hoc vagum & miserum exilium te coniecisti? Domina tua iustè te castigauit, tuamque insolentiam compescuit. Reuertere & illius potestati & correctioni te subde. Hæc quoad honorem, seu reuerentiam.

5. Secundò debent illis fidelitatem, de quâ præcipit Apostolus Tito, docere *seruos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicẽtes, non fraudantes; sed in omnibus fidem bonam ostendentes.* Et addit: *Vt doctrinam Saluatoris nostri Dei ornent in omnibus.* Quo loco, quamuis agat Paulus de seruis iam Christianis factis, vt ratione Religionis se non eximant à seruitute dominis suis debita, sed potiùs magis illis subditi & fideles sint, vt hac ratione fides Christiana non patiatur obsequium, sed potiùs laudem & honorem: tamen ad omnes, & quoscunque subditos spectat, quatenus ipsi fideles sint dominis suis, non patiendo, quo ipsorum personis aliqua fiat iniuria, vel in ijs, quæ ad ipsum spectant, vt corpus vxoris, vt bona externa. Prius pręstitit Mardochæus, Esth. loco citato, cum conspirationem dictorum Bagathan & Thares per Reginam Esther ad Regem detulit, cumque à morte liberauit. Alterum Ioseph Genes. 39. qui plurimùm solicitatus à dominâ sua, vt cum illa peccaret, Genes. 39. *nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua, nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* Neque hoc semel cõtigit, sed, vt textus prosequitur; *huiuscemodi verbis per singulos dies loquebatur, & mulier molesta erat adolescenti: & ille recusabat stuprum.* Idque tam diu, donec iterum solicitatus, & relicto pallio in manibus heræ, quo ipsum illa de causa apprehendit, à libidinosa perperam accusaretur, & carceris ignominiam subiret. Posterius patet in Iacobo, qui Genes. 31. dixit Laban Genes. 31. auunculo suo, supellectilem fugientis scrutanti, propter idola per Rachaëlem ipso inscio sublata, inquit: *Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ? pone hic coram fratribus meis, & fratribus tuis, & iudicent inter me & te. Idcirco viginti annis fui tecum? oues tuæ & capræ steriles non fuerunt: arietes gregis tui non comedi: nec captum à bestia ostendi tibi: ego damnum omne reddebam: quidquid furtim peribat, à me exigebas: die noctuq. æstu vrebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. Sicque per viginti annos in domo tua seruiui tibi, quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus tuis.*

 6. Sed

6. Sed quæres, an æquè obligētur quiuis famuli, & ancillæ? Respondeo negatiuè. Nam primò, omnes quidem ex charitate tenentur Superiorum res defendere, contra domesticos eas surripere volentes. Secundò, aliqui tenentur lege iustitiæ contra domesticos eas seruare; & si eorum culpâ pereant, restituere: tales sunt, qui certam rem, vt supellectilem argenteam, lineam, vel huiusmodi in custodiam susceperunt. aut peculiariter stipendium accipiunt, vt earum rerum curam habeant, & circa eas vigilēt. Tertiò, generatim famulatum suscipientes lege iustitiæ tenentur contra externos rem dominorum defendere.

7. Sequitur tertia obligatio, quæ est de obsequio heris debito: illud autem obligat famulos & ancillas, quando res grauis est, sub mortali: & Apostolus exigit illud cum tali respectu fieri, quasi Christo exhiberetur. Sic enim ait ad Ephes. 6. *Serui, obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo; non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes: sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut Domino & non hominibus: scientes quoniā vnusquisq; quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber.* id est, Obedite dominis vestris sicut Christo, cuius personam auctoritatem, & dominum ipsum vobis repræsentāt; non ad oculum, aucupium fauoris herilis, sed sincerè, fideliter, & ex animo, quasi serui Christi, vt Christo placeatis: non verò vti Gentiles seruiunt ad oculum & speciem externam; sed seruite tanquam Christiani, vt vestri domini Gentiles videant Christianos seruos sinceriùs & fideliùs seruire Gentilibus: itaque alliciantur ad Christum & Christianismum. Fides enim corrigit naturā & conditionem seruilem. Insuper vult Apostolus id fieri sine contradictione: & quamvis hæc maximè ad seruos Gentilium spectant, qui putabant se per Christianismum solui à vinculo seruitutis; tamen rectè conueniunt etiam ijs, qui pro mercede operam suam alijs locant, qui ad obsequium dominorum non minùs tenētur, quàm Eliezer seruus Abrahę, qui Genes. 24. libenter à domino suo iussus in Mesopotamiam cōcessit, ad quærendam vxorem Isaac filio heri sui, omniaque egit ad hanc rem conducentia. Rursum non minùs quam alij pueri seu serui eiusdem Abrahę, qui intempestiuâ nocte comitati sunt Abraham, cum concederet oblaturus filium suum Isaac, & iussi ab ipso, expectarunt loco designato, donec obtulisset filium suum saltem voluntate. Quale obsequium extendit Petrus 1. Pet. 2. nō solum ad dominos bonos, & modestos; sed etiam ad discolos, dicens: *Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.*

Ephes. 6. | Genes. 24. | 1. Pet. 2.

8. Verum enimverò quæres, an eiusmodi in omnibus obsequendum sit, præsertim dicente Paulo loc. cit. *In omnibus placentes?* Respondeo primò, prçmittendum esse, quædam esse purè bona, & diuinis legibus conformia, vt sunt ea, quæ spectant ad fidem, spem, & charitatem: quædam indifferentia per se nec bona nec mala: quædam etiam purè mala, vt furtum, adulterium, sacrilegium, & his similia. Quibus positis, Dico primo, in purè bonis omnino obediendum esse, & sic intelligendus est Apostolus, dicens: *In omnibus placentes,* nempe per se bonis.

9. Dico secundò, In rebus medijs similiter esse obediendum, dicente Bernardo epist. 7. *Sunt media quædam quæ pro modo, loco, tempore, vel personâ & mala possunt esse, & bona, & in his lex posita est obedientiæ, tanquam in ligno sciētia boni & mali, quod erat in medio paradisi. In his profectò fas non est nostrum sensum sententiæ præscribere magistrorum: in his omninò Prælatorum nec iussio nec prohibitio contemnenda.* Vt enim ibidem declarat, subditorum non est, diiudicare præpositorum mandata, in verbis: *Nec dico à subditis mādata Præpositorum esse diiudicanda, vbi nil iuberi deprehenditur diuinis contrarium institutis.* D. Bern.

10. Dico

10. Dico tertiò, In purè malis nullatenus esse obediendum; nam illa nec bene præcipi possunt nec bene perfici, & nullius prohibitio valet obuiare præceptis, nullius iussio præiudicare prohibitis. *Quid enim*, inquit Bernardus, *quod iubet homo, prohibet Deus: & ego audiam hominem, surdus Deo? Non sic Apostoli clamant, quippe dicentes: Melius est obedire Deo, quam hominibus. Hinc Dominus in Euangelio, Pharisæos increpans: Quare & vos, inquit, transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram? Et per Isaiam: Sine causa autem, ait, colunt me, mandata & doctrinas hominum tenentes. Et item ad protoplastum: Pro eo quod obedisti voci uxoris tuæ, plusquam meæ, maledicta terra in opere tuo. Igitur facere malum, quolibet etiam iubente, constat non esse obedientiã, sed potiùs inobedientiam.* Quibus verbis concludit Bernardus, obedire mandatis hominũ contra iussa Dei, grande esse piaculum. quod causa fuit, quare Genes. 39. maluit Ioseph carceris & mortis periculum subire, quã dominæ ad adulterium ipsum pellicienti & trahenti obedire, sicque peccare in Deum suum. Quod etiã extendo ad eos, qui ex contemptu Religionis mandant domesticis præcepta Ecclesiæ negligere. Illis enim heris, aut dominabus, in cõtemptum Religionis famulos aut ancillas, à missa audienda abstinere, aut carnes comedere iubentibus diebus ab Ecclesia vetitis, sub mortali prohibitum est obedire.

Idem.

Genes. 39.

11. Dicent fortasse aliqui, sicut quidam apud S. Bernardum epist. 7. qui sine delectu Superiori obediebat in re illicita cum scandalo aliorum: *Ille viderit, cui mihi contradicere fas non erat, non est discipulus supra Magistrum, docendus, nec docturus; eius* (supple Superioris) *lateri adhærebam; sequi debui, non præire præceptorem auditor.*

Bernard.

Sed audi, quid talia effutienti respondeat Bernardus: *Dic*, inquit, *quæso, si dato in manu gladio suum te armari iussisset in iugulum, acquieuisses? Aut si te suo impulsu voluisset in ignem, vel in aquã præcipitem dari, obtemperasses? Nonne etiam ab his non prohibere cum possis, in crimen tibi reputatur homicidij? Age ergo, vide ne fortè sub prætextu obedientiæ in quippiam ei grauius inseruieris. Non ignoras certè qui dixerit (nam mihi hinc fortasse non crederes?) expedire scandala facientibus, demergi potius in profundum maris. Cur hoc dixit, nisi quia significare voluit, tam grauia illos in posterum manere tormenta, vt eis comparata mors temporalis, nec pœnalis esse videatur, sed commoda?* Quod idem est, ac si dixisset, Si quid contra præcepta naturæ personam tuam concernens iussisset, renuisses: at nunc cum aliud sit, & æquè graue, vis cœcutire in sole meridiano? Deinde sic in illum inuehitur, quod hanc rem tam parui penderit: *Qui ergo eum scandala facere (iuuisti enim sequendo illum,) obsequendo illi: nonne vtiliùs (iuxta præmissam veritatis sentẽtiam) molam asinariam collo eius suspenderes, & sic eum demergeres in profundum maris? Quid ergo? Tu ille obedientissimus discipulus, illum patrem & præceptorem tuum, quem ne puncto quidem temporis vel trãsuerso, vt dicitur, pedis, à te quamdiu vixit passus es elongari: ita vt in foueam quoque post eum non quidem cæcis, sed apertis more Balaam oculis, cadere non cunctatus sis: tune, inquam, illum tuo ita beandum putasti obsequio, vt morte illi grauiorem exhibueris obedientiam? Reuera nunc experior quam vera sit illa sententia: Inimici hominis, domestici illius. Sic itaque sentiens, sic conscius ipse tibi, nonne, si sapis, gemis: & si non desipis, tremis? Quippe cuius obedientia non meo, sed veritatis iudicio, peior inuenta est homicidio. Si hac non ignoras, quomodo non trepidas? Quod si trepidas, quomodo non emendare festinas? Alioquin qualem hinc ad illud tribunal terrificum conscientiam portas, vbi iudex teste non indiget, vbi veritas discutit intentiones, vbi inquisitio culparum pertingit ad abdita cordis, vbi denique secretissimos recessus mentium diuinus ille inuestigat intuitus: & ad subitum illum solis iustitiæ fulgorem, animarum expansi sinus cuncta siue bona, siue mala euomunt, quæ celabant? Ibi, frater Adam* (hoc enim nomine appellabatur, qui alteri malè obedierat) *facientes, & consentientes, pari pœnã punientur. Ibi fures & socij furum similem sunt accepturi*

Matt. 18.

Mich. 7.

accepturi sententiam. Ibi par subibunt iudicium, & qui lactant, & qui lactantur peccatores. Et concludens subiungit: *Perge igitur iam dicere, Quid ad me? ille viderit. Tange picem, & dic: non sum inquinatus ab ea. Absconde ignem in sinu tuo: & te iactato non aduri. Pone denique portionem tuam cum adulteris: nihilque tua interesse putato. Non ita Esaias. Redarguit enim seipsum, non solùm quia ipse immundus, sed & quod socius sit immundorum: Quia, inquit, vir pollutus labijs ego sum: & in medio populi immunda labia habentis ego habito. Redarguit autem se, dixerim: non quia cum malis habitaret, sed quia mala non redargueret. Sic namque ait: Væ mihi, quia tacui. Quando vero ipse malum facere acquiesceret, quod se in alijs non redarguisse redarguit? Quid enim etiam David? Non alieni contagione peccati se senserat inquinari posse, cum diceret: Cum hominibus operantibus iniquitatem, & non communicabo cum electis eorum? Denique & orat, dicens: Ab occultis meis munda me Domine: & ab alienis parce seruo tuo. Vnde etiam malorum, quorum noluit participare malum, studuit declinare consortium. Ait etenim: Non sedi cum consilio vanitatis: & cum iniqua gerentibus non introibo. Huic versiculo concinit & subsequens: Odiui, inquit, Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo. Audi denique & Sapientis consilium: Fili mi, ait, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Tu ergo adversus hæc atque alia in hunc modum innumera veritatis testimonia putasti cuipiam obediendum? O odiosa peruersitas! Obedientiæ virtus, quæ semper militat veritati, aduersus veritatem accingitur?* Et verè, nam Superioribus obedire in rebus contrarijs Deo, nihil excusat taliter obedientem, vt patet 3. Reg. 14. vbi Ahias Propheta, exprobratâ Ieroboami perfidiâ intolerãda in faciem vxoris, duros annunciat exitus tam ipsius familiæ, quam populo, qui ad eius imperium nefariam religionem amplexus erat, his verbis: *Constituet autem Dominus sibi Regem super Israël, qui percutiet, domum Ieroboam in hac die, & in hoc tempore. Et percutiet Dominus Deus Israël, sicut moueri solet arundo in aqua, & euellet Israël de terra bona hac, quam dedit patribus eorũ, & ventilabit eos trans flumen, quia fecerunt sibi lucos, vt irritarent Dominum. Et tradet Dominus Israël propter peccata Ieroboam, qui peccauit, & peccare fecit Israel.* id est, brevi delebit Dominus gloriam domus Ieroboam, neque diu stabit, quia nempe ille non stetit diu in fide, quam Deo integram seruare debebat, & populus, qui abiuratâ religione patriâ, Gentilicam professus est, in perpetuo quodam metu versabitur, & turbabitur sicut arundo concutitur, aut carex seu iuncus, qui in alueo nascitur torrentis, & magno impetu decurrentis aquæ semper mouetur, quod vis ei adiungatur externa, quæ nec pũcto tẽporis illum quietum esse patitur: & vbi diu iactatus fuerit populus, quasi arundo à fluctibus & ventis, tandem à patrijs finibus ad terras quam longissimè dissitas abducetur: non secus atque quercus, vbi sæpè fuerit à lignatoribus percussa securi, & suo sæpè põdere nutarit, tandẽ à suo stipite abscissa, aut à vento vehementius incitato stirpitus auulsa, aut foco destinatur, aut vile cogitur subire ministerium. Vnde verè idem Bernardus dictum Adamum terret plagis, quibus scandalizantes Dominus pulsat: *Videbas* inquit, *dispergentem, & sequebaris? Scandala dictantem audiebas, & obsequebaris? Vera patientia est, pati vel agere, contra quod libeat: sed non præter quod liceat. Nimirum vero quod hominem audiebas furtiuè susurrantem, Deum non audiebas apertè reclamantem, tali quali cœlitus emisso tonitru. Væ illi per quem scandalum venit.*

Sanè, si ita cœcè esset ambulandum, non dixisset Christus Matth. 10. Apostolis suis: *Estote prudentes sicut serpentes*; sed tantum, *Estote simplices sicut columbæ.* Neque dixisset: *Non veni pacem mittere, sed gladium, veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filium aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam*: Nec subiunxisset id Micheæ. 7. *Inimici hominis domestici eius.* Non enim voluit Deus pacem, quâ mala promoverentur, vt patet Genes. 11. vbi superbos homines conspirantes, vt turrim Babylonicam

Marginalia: Isa. 6. — Ibidem. — Ps. 145. — Ps. 21. — 3. Reg. 14. — Matth. 10 — Mich. 7. — Genes. 11.

nicam ædificarent, dispersit. Et in Herode & Pilato, contra Christum conspirãtes amici facti, Luc. 23. quorem pacem odio habuit; sed pacem venit mittere, quæ exsuperat omnem sensum, Philip. 4. quam Prophetæ Christum allaturum prædixerunt, Isa. 9. & alibi: quã Angeli nato Christo hominibus annunciarunt, Luc. 2. quam Christus se dare declaravit, Ioann. 14. dicens: *Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* adeoque liquet tales potiùs deserendos esse. Imò Apostolus expresse denunciat Thessalonicensibus (& in ipsis nobis) vt ab inordinatè viventibus se subtrahant, 2. Thessal. 3. dicens: *Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis.* id est, Præcipimus vobis nomine & auctoritate Christi Domini, cuius sumus vicarij, idque potestate ab eo acceptâ, vt vos subducatis à consortio istius Christiani, qui quod sui est ordinis, atque officij non facit, & facientes turbat. Metaphora sumpta à militibus: Sicut enim in castris milites ij, qui solvunt disciplinam militarem, vocantur ἄτακτοι, ita à Paulo ibidem Christiani illi, qui solvebant disciplinam Ecclesiasticam & Christianam, à se quasi Apostolo præscriptam, vocãtur ἄτακτοι, id est, incompositi, inordinati, turbulenti.

Luc 23. | Philip. 4. | Isa 9. | Luc. 2. | Ioan. 14. | 2. Thess. 3. | Ephes. 6.

12. Sed quæres, quod si aliquid iubeant, non in contemptum Religionis, sed vt civile illis obsequium deferant: verbi gratia, iubendo ancillas coquere diebus ieiuniorum carnes, & apponere; aut vehi se ad ad locum adulterij, aut comitari ad locum idoli, ibique sustentari se in adoratione; & sine incommodo huiusmodi Superiores non possint statim deserere?

Respondeo, hæc excusari posse, pro aliquo tempore, quando sine notabili incommodo detrectari non possunt: quamvis enim speciem mali habeant, non fiunt causâ cooperationis, sed vitandi incommodi, & involuntariè; veluti exempli gratiâ communiter excusantur rustici, qui prædas militum iniustas coguntur avehere, vel pecora sublata deducere. Dico quando involuntariè, nam eos, qui voluntariè cooperantur, certum est; participes fieri peccati alieni, & indignationem Dei incurrere: Dicit enim Apostolus ad Rom. 1. *Non solum digni sunt morte, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Res magnopere ponderanda, nam timendum, imo certò credendum est, multas ancillas, & famulos æternùm perituros, quod voluntariè gravibus peccatis, sine delectu cooperentur, hoc solùm respicientes, quod benevolentiam Superiorum sic lucrentur, & foveant. Qualis videtur fuisse Vagao ille Iudith. 12. qui missus ab Holoferne hero suo, conatus est inducere Iudith ad congressum cum eo; sic enim habetur ibidem: *Introiuit Vagao ad Iudith, & dixit: Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum, vt honorificetur ante faciem eius, & manducet cum eo, & bibat vinum in iucunditate.* Hæc lenonis (non famuli) imò diaboli verba sunt.

Rom. 1. | Iudith. 12.

Discursus

Discursus XVI.

De officio dominorum erga seruos.

Ephes. 6.  D. Paulus ad Ephes. 6. cùm servos monuisset ea exequi, quæ ad ipsorum officium spectant, addidit: *Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas, scientes quia & illorum & vester Dominus est in cœlis, & personarum acceptio non est apud Deum.* Quibus verbis monet Dominos, ne imperiosè nimis in servos agāt, quod servorum suorum fratres sint, & communi Deo ac Domino seruiant, qui non respiciet, an quis servus sit, an dominus; sed quemcumque pro bonis operibus præmiabit, pro malis puniet. Hinc quæram, quæ sit obligatio dominorum erga seruos seu famulos.

Leuit. 25. 1. Leuit. 25. cap. dicit Dominus: *Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes seruitute famulorum, sed quasi mercenarius & colonus erit: vsque ad annum iubilaum operabitur apud te, & postea egredietur cum liberis suis, & reuertetur ad cognationem, & ad possessionē patrum suorum: mei enim serui sunt, & ego eos eduxi de terra Aegypti: non veneant conditione seruorum: ne affligas eum per potentiam, sed metuito Deum tuum.* id est, Si Iudæus natione se tibi vendiderit, non tractabis eum illo modo, quo serui & mancipia ex alienigenis, nempe asperiùs, tractari solent: sed benignè eo modo, quo mercenarius & colonus, qui ad tempus commoratur, & operam pro mercede locant, haberi solent: insuper dimittes eum, si volet, liberum anno septimo: sic enim dictat lex Exod. 21. vers. 6. Sin verò noluerit tunc liberari, non detinebis vltra annum iubilæum, seu quinquagesimum, quo tempore egredietur cum liberis suis. Ad cuius clariorem intelligentiam, nota iterum ex dicto loco Exodi, Si seruo Iudæo dominus dedisset ancillam Gentilem (nam filiam Hebræam dare non poterat: eam enim emptam vel ipse, vel filius ipsius vxorem ducere debebat) & genuisset ex ea filios, poterat servus si volebat liber egredi anno septimo, sed solus, ita scilicet, vt liberi cum matre cederent domino, siue hero, eique manerent serui: sin seruus captus amore vxoris & liberorum, nollet solus domo heri liber egredi anno septimo, seruire debebat vsque ad annum iubilæum, tumque secum in libertatem educebat vxorem & filios. Vide Abulens. hîc q. 21. Voluit itaque Deus commoueri dominos, ne seruos tyrannicè opprimerent, sed tanquam Dei seruis reuerentiā eis haberent, benignè & clementer eos tractarent, quia, inquit, *mei serui sunt*, videlicet non tātum creatione, sed etiam redemptione ex seruitute Ægyptiaca. De his sic loquitur Philo Iudæus lib. de specialibus legibus: *Lex diuina regulas iuris non fortuna, sed natura accommodat: ideo decet dominos non abuti sua potestate contra famulos, cauereque ab insolentia, contemptu atque sæuitia. Nam ista non indicia placidi animi, sed impotentia tyrannica, exercentis licentiam pro arbitrio. quisquis enim domum suam tanquam arcem muniÿt, neminem domesticorum sinens loqui liberè, asper in omnes praegnata, vel etiam affectata sæuitia, tyrannus est, apparatu tantum minore differens.* Quis dubitat, qui potiori iure proportionabiliter de famulis & ancillis Christianis ratiocinandum veniat?

Exod. 21. Abulens. Philo Iud.

2. Dico itaque primò, heros debere famulis & ancillis alimenta conuenientia eorum statui, id est, non nimis delicata, sed sufficientia sustentando corpori ad laborem. Prius patet Prouerbior. 29. vbi dicit Sapiens: *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum*, seu nimis indulget ei delicijs ciborum

Prou. 29.

ciborum eum nutriens, *postea sentiet eum contumacem*. Sic enim populus Iudaicus multis beneficijs affectus ab exitu de Aegypto, factus est contumax & rebellis iuxta vaticinium Moysis in suo cantico, *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo*. Posterius Eccles. 33. v. 28. *Panis & disciplina, & opus seruo*. id est, sustentatione necessariâ, & correptione in officio continendus est.

Eccles. 33.

3. Sed dices, Hæc sufficere possunt quando incolumes sunt, quid erit si contingat famulos ægrotare? Respondeo primò teneri Dominum famulo ægrotanti, & non præstanti ea ad quę cōductus est, præbere alimēta & expensas dumtaxat tenues (nō maiores, quales in Medicos, Chirurgos, impendi possent) quin etiā mercedem, vbi consuetudine receptum est, vt Dominus famulo propter infirmitatem breui temporis nihil detrahat de annua mercede, qualis pluribus in locis inualuit. Secundò nō teneri dominum ex lege iustitiæ, quando morbus grauis est, eiusmodi famulum in domo fouere, sed satis esse, vt procuret illum destinari ad hospitale, seu locum alium publicū, vbi ægrotantis bono consuli possit: ad hoc eum charitas obligat, vt necessitatem habenti prouideat, vel per se, vt egit Samaritanus ille Luc. 10. qui vulnera semimortui alligauit, *infundens oleum & vinum, & imponens illum in iumentum suum duxit in stabulū, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcumque supererogaueris, ego cum rediero, reddā tibi*. aut per alium exemplo Centurionis, qui Luc. 7. pro seruo graui morbo laborāte ad Christum misit Seniores Iudæorum, quatenus diuina virtute & miraculo illum sanaret, quod historia refert his verbis: *Centurionis autem cuiusdam seruus male habens erat moriturus, qui illi erat pretiosus. Et cum audijsset de Iesu, misit ad eum Seniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret, & sanaret seruum eius*. Imò postea ostendens maiorem fidem Christo venienti misit obuios amicos, dicens: *Domine noli vexari: non enim sum dignus, vt intres sub tectum meum; propter quod & meipsum non sum dignus arbitratus, vt venirem ad te: sed dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum in potestate constitutus habens sub me milites, & dico huic, Vade, & vadit: & alij, veni & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit*. Breuiter secundum suas vires debet inopi, & ad grauem necessitatem redacto de necessarijs prouidere, aut procurare, vt alibi illi prouideatur. Si tamen aliquis herus ex pietate, vel mera liberalitate in curationem famuli, domi suæ ægrotantis expensas notabiles impenderit, non licebit illi easdem mutato animo actione negotiorum gestorum de constituta mercede detrahere, vti colligitur ex l. 1. & l. *Si alimenta* C. de negotijs gestis.

Luc. 10.

Luc. 7.

4. Dico secundo, Heros debere seruis & ancillis mercedem iustam, vel secundum pacta & conuenta, vel aliàs secundum loci consuetudinem sub finem anni saltem soluendam, idque sub peccato mortali si indigeant & exigant. Probatur Eccles. 7. cap. vbi dicit Dominus: *Ne lædas seruum in veritate operantem*, id est, Non afficias iniuria famulum, qui non ad oculum seruit, nec mendacia domino suo imponit, sed quod iustum est, ex animo & fideliter exequitur. Et postea subdit: *Seruus sensatus, sit tibi dilectus quasi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum*. hoc est, non solum non lædas illum, sed & præmio, & honore prosequere seruum prudentem. Quo loco Sapiens vel loquitur de seruo Hebræo dimittendo septimo anno: vel de quouis seruo cuiuscumque nationis, & requirit, ne Dominus vtriusuis eorum iacturam contemnat, ob suum commodum, illumque defraudet vel priuet sua libertate. Quid ni ergo magni æstimet Dominus si iusta merces laboris denegetur, præsertim cum merces operariorū defraudata clamet in cœlum Iacob. 4.

Eccles. 7.

Iacob. 4.

Hier.34. Certè Hierem. 34. cap. vbi Dominus soluerat obsidionem per Nabuchodonosorem, cùm Hebræi promittebant seruos & ancillas liberos dimittere iuxta legem Moysis: sed cum eam libertatem reuocarent &violarent, eosque subiugarent in famulos & famulas, grauissima mala ijsdem comminatus est, his verbis: *Vos non audistis me, vt prædicaretis libertatem vnusquisque fratri suo, & vnusquisque amico suo: ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad pestem & ad famem: & dabo vos in cōmotionem cunctis regibus terræ.* id est, Propterea hæc Dominus ad vos: Sicut vos parere mihi noluistis, cùm præcepi, vt vnusquisque fratrem suum, & amicum, libertate sibi à lege concessa, frui pateretur; sic ego, quod in supplicio omnium maximo numerare potestis, vos, à meo dominatu liberos dimittā, ne videlicet vobis Dominus, ac Pater sim. Dimittam autem vos, tradamque gladio, fami ac pesti, qui dominentur vobis. Et qui dominos hosce crudeles fugerit, nō recusabit, quò minus exul à patria incertis vagetur sedibus, neque in vllo terrarum angulo securus quiescat. Ac tum subiungit: *Et dabo viros, qui præuaricantur fœdus meum, & non obseruauerunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter diuisiones eius*. id est, Efficiam, vt viri illi, qui percussum fœdus violarunt, neque obseruarunt fidem, quā in conspectu meo ratam fore professi sunt, similes sint vitulo, qui in percutiendo fœdere concisus fuit, atque discerptus, inter cuius dissecta membra legitimo ritu transierunt. Itaque ironicè libertatem prædicit, quam dixi, vt clariùs patet ex v. 22. vbi inquit Propheta: *Ecce ego præcipio, dicit Dominus, & reducam eos in ciuitatem hanc, & præliabuntur aduersus eam; & capient eam, & incendent igni: & ciuitates Iuda dabo in solitudinem, eò quod non sit habitator.* id est, Ecce ego Chaldæos, qui iam hinc aliò digressi fuerant, in vrbem reuocabo, quam oppugnabunt, & capient, & ad extremum igne succendent, & ciuitates alias Iuda sic euertam, vt desertæ relinquantur, & à cultore, & habitatore nudę. *Præcipere* enim illīc significat permittere, ordinare, dirigere Chaldæos, vt redeāt ad excidium Hierosolymę. Et quia huiusmodi punitio sępè in alijs vsu venit, ostēdam quonam modo Deus hîc hoc pręcipiat. Primò itaque ordinat omnia fortunando, videlicet, res Chaldæorum, dando eis facilem & celerem victoriam contra Aegyptios, addēdo eis vires & animos, obijciendo menti eorum Hierosolymæ tot annis obsessæ & exhaustę oppugnationem fore facilem, &c. Quibus omnibus effectum est, vt Chaldæi sponte suâ redirent ad eam obsidendam, & expugnandam. quod Deus in tota hac serie prouidentiæ & ordinationis suæ intendebat. Deinde *præcepit*, id est, ordinauit & direxit hunc Chaldæorum reditum ad iustā suam vindictam, vt scilicet hac ratione puniret, & plecteret impios, & fœdifragos Iudęos. Sic enim Deus dicitur *præcepisse coruis*, vt alerent Eliam, id est, ordinasse, & dedisse eis instinctū afferendi panem ad Eliam. Sic Deus dicitur *præcepisse*, id est, permisisse maledictionem Semei, eamque ordinasse ad punitionem adulterij & homicidij Dauidis. Adeò vt iusta, & congrua pœna Iudæorum fuerit, vt, sicut ipsi contra legem seruos reuocarant in seruitutem, ita vicissim Deus reuocaret Chaldæos ad eorum obsidionem & vastationem.

Hæc ergò singulariter notanda veniunt ijs, qui mercedem denegāt suis famulis, tum à famulatu demissis; tum etiam, quia eadem de causa retractant soluere, vt sic quadam vi illos in famulatu detineant proprij commodi gratiâ; illosque audire recusat. Quam longè hi absunt à priscorum vetere consuetudine, qui credebant, verè se passuros repulsam apud Deum, si querelas suorum benignè non audirent. Exemplo sit B. Iob, qui capit. 31. Iob.31. inter cæteras virtutes suas recenset,

censet, quod non contempserit subire iudicium cum suis, in verbis: *Si contemsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cum desceptaret aduersum me. Quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus? & cum quæsierit, quid respondebo illi?* id est, non solùm alijs in aliena causa, sed etiam meis domesticis, seruis atque ancillis in propria me causa iudicem integerrimum præstiti; neque alterius iudicis sententiâ, quam meâ probitate impulsus vnicuique seruo & ancillæ, quibus mecum nullum erat ius, ius suum reddidi; cumque supremus ipse Princeps, ac magistratus essem, inæqualitatem omnem fugiebam; & permisi omnem libertatem dicendi, ita vt me haberent non tam vt iudicem, quàm vt patronum. Hęc autem sic faciebat, quòd nouissimorum recordaretur, vnde subdit: *Quid enim faciam* &c. id est, considero, quod pauperum infirmorumq; hominum querimonijs excitatus, surgat aliquando ad iudicandum Deus, iniuriam vindicaturus miserorum; quo tempore nihil erit, quo illius iudicium, meumque supplicium eludere possim. Certè si quis perpendat pœnam Pharaonis, quam sustinuit Exod. 14. cum suis propter defraudationem Israëlitarum, facilè timore Dei configetur; nec patietur rem eò peruenire, vt dominus ipse de bonis ipsorum afflictis concedat in mercedem laborum, ipsique æternùm pereant; vti Israëlitis concessit Deus, vt acciperent vasa Aegyptiorum, tanquam propria, Exod. 11. & 12. in mercedem laborum, iuxta illud Sap. 10. *Reddidit iustis mercedem laborum suorum, & reduxit illos in via mirabili: & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem: & transtulit illos per mare rubrum: & transuexit illos per aquam nimiam. Inimicos autem illorum demersit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideo iusti tulerunt spolia impiorum,*

5. Dico tertio, dominos præcipuè teneri prospiceri saluti suorum: dicit enim Apostolus 1. Timoth. 5. *Si quis suorum maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & infideli est deterior.* q. d. qui suos negligit, videtur fidem, & Christianismi famam negligere, esseque causa, cur infideles blasphement Christum, & Christianos. *Quàm latè*, ait Chrysostomus, *patet detractionis locus, dicentibus Gentibus Christianos sine affectione esse, qui despiciant suos! quàm enim turpe est, te extraneos docere, & tuos in errore relinquere?* Certè diuus Paulus ostendit, quantùm quis debeat habere rationem suorum, non solum hoc loco, sed etiam in epistola ad Philemonem, vbi Onesimum seruum Philemonis furacem, ab eo demissum, ad Christum existens in carcere conuertit, instituit, & baptizauit, & iam fidelem tam Christo quam hero suo effectum, cum epistola commendatitia remittit, rogans, vt illum in gratiam recipiat, in verbis: *Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nũc autem & mihi, & tibi vtilis, quem remisi tibi. Tu autem illum, vt mea viscera suscipe.* Admiratur S. Hieronymus magnanimitatem Pauli, mente in Christum feruentis: *Tenetur*, inquit, *in carcere, vinculis stringitur, squalore corporis, chărorum separatione, pœnalibus tenebris coarctatur, & non sentit iniuriam, non dolore cruciatur, non nouit aliud nisi de Christi Euangelio cogitare: sciebat seruum, sciebat fugitiuum, sciebat raptorem; & hunc tamen in carcere docet, catechizat, conuertit, baptizat, & quasi filij loco habet.*

Res verò ponderanda. Nam si bonos habueris ministros, non solùm conscientiam tuam exonerabis, sed familiæ tuæ etiam lucrum accedet in temporalibus. Patet exemplo Iacob, qui benedictionem attulit auunculo suo Laban, quamuis infideli, vt ipse fatetur Genes. 30. dicens Iacobo: *Inueniam gratiam in conspectu tuo: experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.* Idem accidit Pharaoni ratione Ioseph, vt habetur Gen. 39. *Benedixitq; Dominus domui Aegyptij propter Ioseph, & multiplicauit tã in ædibus, quam in agris cunctam eius substãtiam,* & dominus eius *optimè noue-*

Marginalia: 1. Tim. 5. — Chrysost. — Hieron. — Genes. 30. — Genes. 39.

nouerat Dominum esse cum eo, & omnia quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius: vt patet eiusdem capitis initio. Sin verò negligens in his fueris, pœnas dabis, nam *stipendium peccati, mors*, Rom. 6. & facilè rues in peius, vt tuis abutaris ad malum. Hoc vidimus in Holopherne, qui famulum fecit socium criminis, cùm voluit eum blanditijs Iudith pellicere in suas libidines, dicens: *Vade, & suade Hebræam illam* (supple Iudith) *vt spontè consentiat habitare mecum; fœdum est enim apud Assyrios, si fœmina irrideat virum, agendo vt immunis ab eo transeat.* Hunc imitantur hominum plurimi, qui per famulos & ancillas domos suas reddunt prostibula, eosque cuiusuis nequitiæ cooperarios, sine vllo timore Dei. Vnde sequitur, hero non timente Deum, facilè domum subuerti, iuxta id quod vendenti & ementi grauiter inculcat Sapiens, dicens Ecclesi. 27. *Nisi in timore Dei tenueris te instanter, citò subuertetur domus tua.* Vti reipsa expertus est Holophernes per manum fœminæ.

Rom. 6.

Eccl. 27.

6. Verum enimvero quæres, quid si dominus non valeat, lenitate suos ad meliorem frugem deducere, An liceat illi tanquam patrifamilias eosdem domesticos ob delicta punire?

Respondeo, licitam illi esse moderatam ac leuem punitionem, v. g. subtractionem cibi, aut verberationem aliquam, spectatâ personæ qualitate: imò illa vsque adeò ad parentes & dominos spectat, vt, si pro furtis leuibus domesticis, etiam suorum famulorum mercede conductorum, intentare velint actionem, non audiantur; eò quod ad ipsos solos spectet eos punire pro eiusmodi leuibus delictis, vt habetur *l. perspiciendum §. furta domestica. ff. de pœnis*: cuius verba sunt: *furta domestica si viliora sunt, publicè* (hoc est, à potestate publica) *vindicanda non sunt: nec admittenda est eiusmodi accusatio, cum seruus à domino, libertus à patrono, in cuius domo moratur, vel mercenarius ab eo, cui operas suas locauerat, offeratur quæstioni*; (id est intentata fuerit accusatio) *nam domestica furta vocantur, quæ serui dominis, vel liberti patronis, vel mercenarij ijs, apud quos degunt, surripiunt.* Atrox verò pœna Iudici relinquenda est: ipsius enim est iuridicam & dignam delicto pœnam inferre, vt rectè ait sanctus Thomas 2. 2. q. 65. ar. 3. ad 3. dicens: *Simpliciter aliquem includere, vel ligare, ad eum solum pertinet, qui habet disponere vniuersaliter de actibus & vita alterius*; id est, ad publicas potestates. Idque adeò verum est, vt in l. vn. C. de priuatis carceribus, sub capitis pœna prohibitum reperiatur, ne quisquam, seu domi, seu in agro, priuati carceris potestatem habeat.

S. Thom.

Ratio verò, quare restringatur in hoc facultas parentum erga filios, dominorum erga domesticos, est, quod familia domus sit communitas imperfecta: adeoque qui præsunt familiæ, tantum participatiuè habeât potestatem coercendi, & pœnas inferendi domesticis tãtummodo leues; cæteræ reseruatæ sint potestati superiori, à Deo constitutæ ad coercendum eos, qui à rectitudine honestatis declinant. Vult autem Molina tract. 3. disput. 2. quod de carcere dixi, intelligendum esse de carcere perfecto, & ordinario: cui alij astipulantur volentes apud plerasque Gentes concessum esse patrifamilias, vt in casu alicuius delicti filium, vel seruum ad breue tẽpus includere, vel alio vinculo, etiam punitionis causa, constringere possit, vti etiam ex communi annotauit Prosper Farinacius in Praxi criminali lib. 1. tit. 4. q. 27. n. 25. qui hanc materiam plenè persequitur.

7. Quæres, quid requiratur, vt punitio domesticorum iustè & legitimè fiat? Respondeo tria requiri. Primò causam puniendi: secundò conditionem personæ punibilis: tertiò rectam intentionem punientis. Quod ad causam attinet seu delictũ, necesse est, vt pœna, cuius inferendæ potestatem habet paterfamilias, commensuretur delicto, illudque non excedat, iuxta præceptum Domini

Deut. 25. mini Deuteron. 25. *Secundum mensuram delicti, erit & plagarum modus.* Hoc enim in leuibus delictis, vti Iudex in atrocibus, obseruare debet, & notabiliter excedens peccat mortaliter. Huc seruit, quod dicit Dominus Eccles. Eccles. 4. cap. *Noli esse sicut leo in domo tua, euertens domesticos tuos & opprimens subiectos tibi:* & quod Dominus Leuit. Leuit. 25. 25. mandauit patrifamilias de seruo Hebræo, quem vt mercenarium & domesticum voluit, in verbis: *Ne affligas eum per potentiam, sed metuito Deũ tuum.* Hinc Clemens Alexandrinus Clem. Alex. lib. 3. Pædagogi, *Neque vero*, inquit, *tanquam iumentis, famulis vtendum est ei qui fuerit sanæ mentis. Quemadmodum enim illis præcipitur, vt cum omni metu dominis, non solum bonis & clementibus,* 1. Pet. 2. *sed morosis etiam & prauis, ait Petrus, subijciantur: ita æquitas, & patientia, & benignitas pulchrè conuenit.* Vnde quoad pœnas ipsi infligere concessas, omnino tenetur modum seruare. Nec refert, quod delictum commissum sit atrox, puta adulterium, furtum rei notabilis, machinatio mortis, aut simile; nihilominus tenetur paterfamilias manere intra limites potestatis suæ, id est, leuiter castigare tantùm, relinquens magistratui ius publicè & atrociter puniendi integrum, si ad eius tribunal deferatur.

Quoad alterũ, sunt quędam personæ domesticæ, obsequijs dominorum addictæ, quas propter status libertatem, & ætatis maturitatem nõ decet, nec consuetum est verberare: sicuti nec mechanici, qui pro constituta mercede laborant, à magistris suis se verberari, & vt seruos tractari patiuntur, sicuti notauit Molina loco cit. n. 19.

Quod ad tertium attinet, requiritur, vt percussio fiat non ex odio, sed ex charitate erga delinquẽtem, vt emendetur; vel ex zelo iustitiæ, quia dignus est tali pœnâ ad aliorum domesticorum exemplum. Quamobrem etiam irâ contra puniendum concitari potest, dummodo moderata sit. Quod si inflictio pœnæ ad neutrum finem necessaria videatur, videlicet, nec ad delinquentis emendationem, nec vt alij in officio retineantur; præstabit tunc misericordiâ vti, & pœnam remittere, sicuti Molina notauit n. 15.

8. Quæres iterum, Quid si correctione non moueantur, sed in peruersitate recrudescant, num paterfamilias illos teneatur domo expellere?

Respondeo affirmatiuè, præsertim quia tales scandalo sunt alijs domesticis, & in lapidem offensionis: vnde dicebat Dauid Ps. 100. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, & loquitur iniqua; non direxit in conspectu oculorum meorum, & ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabit.* Psal. 100. Nec iuuat, quod vtiles sint, ob quod sæpè à dominis & dominabus tolerantur: quia Dominus dicit in Euangelio etiam consanguineos, & quantumuis propinquos, alijs existentes causa ruinæ, rescindẽdos esse, dicẽs: *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te: bonum tibi est, ad vitã ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.* Vnde rectè Ambrosius hom. 9. in Ezechiel. Ambros. *Tolerandi*, inquit, *vbique sunt proximi, quia Abel fieri non valet, quem Cain malitia non exercet. Vnum verò est, potentia, quâ vitari societas malorum debeat; ne, si fortasse corrigi non valent, ad imitationem trahant, &, cum ipsi suâ malitiâ non mutantur, eos, qui sibi coniuncti fuerint, peruertant.* Occasiones enim domesticæ tandem conuincunt, & infirmum superant, teste Isidoro lib. 2. Solil. Isidorus. *Ante ignem*, inquit, *consistens, etiamsi ferreus sis, aliquando dissolueris: proximus periculo diu tutus non erit. Sæpè familiaritas implicauit, sæpè occasionem peccandi dedit, sæpè quod voluntas non potuit, assiduitas superauit.*

9. Profectò, si hæc ponderarentur, non tot famuli, ancillæ, nutrices fouerentur, in plurium ædibus ad ruinam filiorum & filiarum, ob extrinsecam qualitatem, quâ nouerunt Superioribus placere. Notum est, quàm multi ad indigna matrimonia perueniant hisce mediantibus; quàm multi foris pernoctent,

nisi diuinitus peculiari subsidio iuuaretur. Vt enim prosequitur textus: *Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domus suæ: & tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit: sed in oratione persistens cum lachrymis deprecabatur Deum, vt ab isto improperio liberaret eam.* Et quantumuis hæ rationes illud non proderent, sufficiẽter eius enormitas apparet ex pœna à Domino in eiusmodi statuta, Exod. 21. & Leuit. 20. cum dixit: *Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Patri matrique qui maledixerit, sanguis sit super eum*; indicans rem esse tam grauem, vt illo tempore mortem mereretur per iudicis sententiam. Adeoque certum est eiusmodi peccare mortaliter, cùm in re graui illos inhonorent, quibus reuerentiam debent: neque quidquam agere possint quod dominorum honori præiudicet. Vidimus etiam 4. Reg. 5. Giezi punitum leprâ, eò quòd abusus esset nomine heri sui apud Naaman Syrum ductus auaritiâ, domini honorem planè contemnens. Cum enim vidisset à sanato Naaman quoduis munus etiam oblatum repudiasse Helisæum, iurauit apud semetipsum, quod post eum curreret, & aliquid ab eo acciperet; & animaduertenti Naaman illum ad se currenti dixit: *Dominus meus misit me ad te, dicens: Modo venerunt ad me duo adolescentes de mõte Ephraim, ex filijs Prophetarum: da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices. Dixitque Naaman: Melius est, vt accipias duo talenta. Et coëgit eum, ligauitque duo talenta argenti in duobus saccis, & duplicia vestimenta, & imposuit duobus pueris suis, qui & portauerũt coram eo.* Sed plaga illi ob hoc inusta redarguit illum detractionis & auaritiæ in re sacra Deo magis odiosa.

Exod. 21. Leuit. 20.

4. Reg. 5.

3. Rursum requirit hæc reuerentia, vt huiusmodi famuli & domestici non extollant se, cùm gratiam dominorum lucrati sunt, nimiâ libertate sibi regimen domus, reique familiaris vendicando: nihil enim eo est absurdius, teste Sapiente, qui cap. 30. Prou. declarat hoc esse intolerabile, dum ait: *Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere. Per seruum, cum regnauerit: per stultum, cum saturatus fuerit cibo: per odiosam mulierẽ, cum in matrimonio fuerit assumpta: & per ancillam, cum fuerit hæres dominæ suæ.* Hæc dicit, ad designandum res huiusmodi adeò esse indignas, vt ad eas terra alioquin inter omnia elementa immobilis, contremiscat, & cõmoueatur, quasi indignata, quod eas ferre in se debeat; siue quod per hæc magna oriatur perturbatio, & commotio in terra inter homines, qui hęc ęgrè ferre possunt: ita vt terra dicatur moueri, quia hinc homines in terra viuentes commouentur, & conturbantur. Sicut enim per quatuor elementorum bonam temperantiam optimè constitutus est mundus: ita per horum discrasiam & indignam constitutionem terra turbatur, inquietatur & tumultuatur. Numquid vidimus hoc quodãmodo repręsentatum in Ieroboam seruo prius Salomonis? qui pessima perpetrauit, populum inducens ad idololatriam, 3. Reg. 12. & in Nabal marito Abigail, qui secundum nomen stultus, iam satiatus, contemsit Dauidem 1. Reg. 25. Et quotidie in muliere querulosa, cùm alicui facta est vxor: tunc enim magis latentem nequitiam non veretur prodere. Vltimum in Agar ancilla Saræ, quæ videns se coniugem factam Abrahę, seque ex eo concepisse, contempsit dominam suam, adeò quod coacta fuerit illam eijcere, si reputationem suam vellet saluam. Egregium documentum pro Superioribus, vt ita se gerant, ne suâ lenitate causa sint suæ ruinæ, quæ ordinariè inde sequitur, & causa peccati quoad subditum, qui ex eo fit contumax, iuxta illud Sapientis Prouerb. 19. *Qui delicatè à pueritiâ nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.*

Prou. 30.

3. Reg. 12.

1. Reg. 25.

Prou. 19.

4. Demùm cauere maximè debent, ne, ob quamuis etiam causam, insurgant in Superiores suos leuantes manus in ipsos, aut quid grauius molientes: hoc enim vti in omnibus alijs grauem pœnam meretur: ita magis in domesticis. Patet hoc Estheris

Estheris c. 2. *vbi Bagathan & Thares duo eunuchi Regis, qui ianitores erant, & in primo palatij limine præsidebant: voluerūtque insurgere in Regem, & occidere eum*; re detectâ appensi sunt in patibulo. Nec iuuit eos, quòd irati fuerant, vt aliqui volunt; vel quod iniquo animo tulerint Mardochæum exulem prouectum ad honores; vel, vt alij, quod Vasthin gradu & honore deiectam dolebant: Estherem verò ignotę gentis puellam in illius gradum assumptam; vel, vt nonnulli, quòd ambitione ducti regnum sibi vsurpare animis destinassent; vel denique, vt quidam, quod non satis stipendiorum suo iudicio pro laboribus acciperent. Non enim ira, inuidia, ęmulatio, aut ambitio hoc malum extenuāt, sed aggrauāt. Et si quid stipendiorum minus esset, Iudicis officium foret implorandum, vel Repub. turbatâ cōpensatione vtendum occultâ, potiùs quā tale quid in animum inducere. Insuper non licet ob effusum venenum, & iniuriarum malum iustè correptum à domino, eum deserere, vt plerique faciunt. Hoc e-

Genes. 16. nim docuit Angelus Genes. 16. esse contra reuerentiam dominis debitam. nam cum Agar ancilla correpta à Sara, quam iniquè contempserat, à facie eius fugisset, apparuit illi Angelus in deserto, & rogauit eam: *Agar ancilla Saræ vnde venis? & quò vadis? quæ respondit à facie Sarai dominæ meæ ego fugio; dixitque ei Angelus Domini: Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius.* quod idem est ac si dicat, Quomodo è tam bona & felici domo Abrahæ in hoc vagum & miserum exilium te coniecisti? Domina tua iustè te castigauit, tuamque insolentiam compescuit. Reuertere & illius potestati & correctioni te subde. Hæc quoad honorem, seu reuerentiam.

5. Secundò debent illis fidelitatem, de quâ præcipit Apostolus Tito, docere *seruos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicētes, non fraudantes; sed in omnibus fidem bonam ostendentes.* Et addit: *Vt doctrinam Saluatoris nostri Dei ornent in omnibus.* Quo loco, quamuis agat Paulus de seruis iam Christianis factis, vt ratione Religionis se non eximant à seruitute dominis suis debita, sed potiùs magis illis subditi & fideles sint, vt hac ratione fides Christiana non patiatur obsequium, sed potiùs laudem & honorem: tamen ad omnes, & quoscumque subditos spectat, quatenus ipsi fideles sint dominis suis, non patiendo, quo ipsorum personis aliqua fiat iniuria, vel in ijs, quæ ad ipsum spectant, vt corpus vxoris, vt bona externa. Prius pręstitit Mardochæus, Esth. loco citato, cum conspirationem dictorum Bagathan & Thares per Reginam Esther ad Regem detulit, eumque à morte liberauit. Alterum Ioseph Genes. 39. qui plurimùm solicitatus à dominâ sua, vt cum illa peccaret, *nequaquaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua, nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* Neque hoc semel cōtigit, sed, vt textus prosequitur; *huiuscemodi verbis per singulos dies loquebatur, & mulier molesta erat adolescenti: & ille recusabat stuprum.* Idque tam diu, donec iterum solicitatus, & relicto pallio in manibus heræ, quo ipsum illa de causa apprehendit, à libidinosa perperam accusaretur, & carceris ignominiam subiret. Posterius patet in Iacobo, qui Genes. 31. dixit Laban auunculo suo, supellectilem fugientis scrutanti, propter idola per Rachaëlem ipso inscio sublata, inquit: *Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ? pone hic coram fratribus meis, & fratribus tuis, & iudicent inter me & te. Idcirco viginti annis fui tecum? oues tuæ & capræ steriles non fuerunt: arietes gregis tui non comedi: nec captum à bestia ostendi tibi: ego damnum omne reddebam: quidquid furtim peribat, à me exigebas: die noctuq; æstu vrebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. Sicque per viginti annos in domo tua seruiui tibi, quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus tuis.*

Genes. 39.

Genes. 31.

 6. Sed

6. Sed quæres, an æquè obligētur quiuis famuli, & ancillæ? Respondeo negatiuè. Nam primò, omnes quidem ex charitate tenentur Superiorum res defendere, contra domesticos eas surripere volentes. Secundò, aliqui tenentur lege iustitiæ contra domesticos eas seruare; & si eorum culpâ pereant, restituere: tales sunt, qui certam rem, vt supellectilem argenteam, lineam, vel huiusmodi in custodiam susceperunt, aut peculiariter stipendium accipiunt, vt earum rerum curam habeant, & circa eas vigilēt. Tertiò, generatim famulatum suscipientes lege iustitiæ tenentur contra externos rem dominorum defendere.

7. Sequitur tertia obligatio, quæ est de obsequio heris debito: illud autem obligat famulos & ancillas, quando res grauis est, sub mortali: & Apostolus exigit illud cum tali respectu fieri, quasi Christo exhiberetur. Sic enim ait ad Ephes. 6. *Serui, obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo; non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes: sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut Domino & non hominibus: scientes quoniā vnusquisq; quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber.* id est, Obedite dominis vestris sicut Christo, cuius personam auctoritatem, & dominum ipsum vobis repræsentāt; non ad oculum, aucupium fauoris herilis, sed sincerè, fideliter, & ex animo, quasi serui Christi, vt Christo placeatis: non verò vti Gentiles seruiunt ad oculum & speciem externam; sed seruite tanquam Christiani, vt vestri domini Gentiles videant Christianos seruos sinceriùs & fideliùs seruire Gentilibus: itaque alliciantur ad Christum & Christianismum. Fides enim corrigit naturā & conditionem seruilem. Insuper vult Apostolus id fieri sine contradictione: & quamvis hæc maximè ad seruos Gentilium spectant, qui putabant se per Christianismum solui à vinculo seruitutis; tamen rectè conueniunt etiam ijs, qui pro mercede operam suam alijs locant, qui ad obsequium dominorum non minùs tenētur, quàm Eliezer seruus Abrahę, qui Genes. 24. libenter à domino suo iussus in Mesopotamiam cōcessit, ad quærendam vxorem Isaac filio heri sui, omniaque egit ad hanc rem conducentia. Rursum non minùs quam alij pueri seu serui eiusdem Abrahę, qui intempestiuâ nocte comitati sunt Abraham, cum concederet oblaturus filium suum Isaac, & iussi ab ipso, expectarunt loco designato, donec obtulisset filium suum saltem voluntate. Quale obsequium extendit Petrus 1. Pet. 2. nō solum ad dominos bonos, & modestos; sed etiam ad discolos, dicens: *Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.*

Ephes. 6.

Genes. 24.

1. Pet. 2.

8. Verum enimverò quæres, an eiusmodi in omnibus obsequendum sit, præsertim dicente Paulo loc. cit. *In omnibus placentes?* Respondeo primò, prǽmittendum esse, quædam esse purè bona, & diuinis legibus conformia, vt sunt ea, quæ spectant ad fidem, spem, & charitatem: quædam indifferentia per se nec bona nec mala: quædam etiam purè mala, vt furtum, adulterium, sacrilegium, & his similia. Quibus positis, Dico primo, in purè bonis omnino obediendum esse, & sic intelligendus est Apostolus, dicens: *In omnibus placentes,* nempe per se bonis.

9. Dico secundò, In rebus medijs similiter esse obediendum, dicente Bernardo epist. 7. *Sunt media quædam quæ pro modo, loco, tempore, vel personâ & mala possunt esse, & bona, & in his lex posita est obedientiæ, tanquam in ligno sciētiæ boni & mali, quod erat in medio paradisi. In his profectò fas non est nostrum sensum sententiæ præscribere magistrorum: in his omninò Prælatorum nec iussio nec prohibitio contemnenda.* Vt enim ibidem declarat, subditorum non est, diiudicare præpositorum mandata, in verbis: *Nec dico à subditis mādata Præpositorum esse diiudicanda, vbi nil iuberi deprehenditur diuinis contrarium institutis.*

D. Bern.

10. Dico

10. Dico tertiò, In purè malis nullatenus esse obediendum; nam illa nec bene præcipi possunt nec bene perfici, & nullius prohibitio valet obuiare præceptis, nullius iussio præiudicare prohibitis. *Quid enim*, inquit Bernardus, *quod iubet homo, prohibet* Deus: *& ego audiam hominem, surdus Deo? Non sic Apostoli clamant, quippe dicentes: Melius est obedire Deo, quam hominibus. Hinc Dominus in Euangelio, Pharisæos increpans: Quare & vos, inquit, transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram? Et per Isaiam: Sine causa autem, ait, colunt me, mandata & doctrinas hominum tenentes. Et item ad protoplastum: Pro eo quod obedisti voci vxoris tuæ, plusquam meæ, maledicta terra in opere tuo. Igitur facere malum, quolibet etiam iubente, constat non esse obedientiã, sed potiùs inobedientiam.* Quibus verbis concludit Bernardus, obedire mandatis hominũ contra iussa Dei, grande esse piaculum. quod causa fuit, quare Genes. 39. maluit Ioseph carceris & mortis periculum subire, quã dominæ ad adulterium ipsum pellicienti & trahenti obedire, sicque peccare in Deum suum. Quod etiã extendo ad eos, qui ex contemptu Religionis mandant domesticis præcepta Ecclesiæ negligere. Illis enim heris, aut dominabus, in cõtemptum Religionis famulos aut ancillas, à missa audienda abstinere, aut carnes comedere iubentibus diebus ab Ecclesia vetitis, sub mortali prohibitum est obedire.

Idem. Genes. 39.

11. Dicent fortasse aliqui, sicut quidam apud S. Bernardum epist. 7. qui sine delectu Superiori obediebat in re illicita cum scandalo aliorum: *Ille viderit, cui mihi contradicere fas non erat, non est discipulus supra Magistrum, docendus, nec docturus; eius* (supple Superioris) *lateri adhærebam; sequi debui, non præire præceptorem auditor.*

Bernard.

Sed audi, quid talia effutienti respondeat Bernardus: Dic, inquit, *quæso, si dato in manu gladio suum te armari iussisset in iugulum, acquieuisses? Aut si te tuo impulsu voluisset in ignem, vel in aquã præcipitem dari, obtemperasses? Nonne etiam ab his non prohibere cum possis, in crimen tibi reputatur homicidij? Age ergo, vide ne fortè sub prætextu obedientiæ in quippiam ei grauius inseruieris. Non ignoras certè qui dixerit (nam mihi hinc fortasse non crederes?) expedire scandala facientibus, demergi potius in profundum maris. Cur hoc dixit, nisi quia significare voluit, tam grauia illos in posterum manere tormenta, vt eis comparata mors temporalis, nec pœnalis esse videatur, sed commoda?* Quod idem est, ac si dixisset, Si quid contra præcepta naturæ personam tuam concernens iussisset, renuisses: at nunc cum aliud sit, & æquè graue, vis cœcutire in sole meridiano? Deinde sic in illum inuehitur, quod hanc rem tam parui penderit: *Qui ergo eum scandala facere (iuuisti enim sequendo illum,) obsequendo illi: nonne vtiliùs (iuxta præmissam veritatis sentẽtiam) molam asinariam collo eius suspenderes, & sic eum demergeres in profundum maris? Quid ergo? Tu ille obedientissimus discipulus, illum patrem & præceptorem tuum, quem ne puncto quidem temporis vel trãsuerso, vt dicitur, pedis, à te quamdiu vixit passus es elongari: ita vt in foueam quoque post eum non quidem cæcis, sed apertis more Balaam oculis, cadere non cunctatus sis: tune, inquam, illum tuo ita beandum putasti obsequio, vt morte illi grauiorem exhibueris obedientiam? Reuera nunc experior quam vera sit illa sententia: Inimici hominis, domestici illius. Sic itaque sentiens, sic conscius ipse tibi, nonne, si sapis, gemis: & si non desipis, tremis? Quippe cuius obedientia non meo, sed veritatis iudicio, peior inuenta est homicidio. Si hæc non ignoras, quomodo non trepidas? Quod si trepidas, quomodo non emendare festinas? Alioquin qualem hinc ad illud tribunal terrificum conscientiam portas, vbi iudex teste non indiget, vbi veritas discutit intentiones, vbi inquisitio culparum pertingit ad abdita cordis, vbi denique secretissimos recessus mentium diuinus ille inuestigat intuitus: & ad subitum illum solis iustitiæ fulgorem, animarum expansi sinus cuncta siue bona, siue mala euomunt, quæ celabant? Ibi, frater Adam* (hoc enim nomine appellabatur, qui alteri malè obedierat) *facientes, & consentientes, pari pœnâ punientur. Ibi fures & socij furum similem sunt accepturi*

Matt. 18. Mich. 7.

accepturi sententiam. Ibi par subibunt iudicium, & qui lactant, & qui lactantur peccatores. Et concludens subiungit: *Perge igitur iam dicere, Quid ad me? ille viderit. Tange picem, & dic: non sum inquinatus ab ea. Absconde ignem in sinu tuo: & te iactato non aduri. Pone denique portionem tuam cum adulteris: nihilque tua interesse putato. Non ita Esaias. Redarguit enim seipsum, non solùm quia ipse immundus, sed & quod socius sit immundorum: Quia, inquit, vir pollutus labijs ego sum: & in medio populi immunda labia habentis ego habito. Redarguit autem se, dixerim: non quia cum malis habitaret, sed quia mala non redargueret. Sic namque ait: Væ mihi, quia tacui. Quando vero ipse malum facere acquiesceret, quod se in alijs non redarguisse redarguit? Quid enim etiam David? Non alieni contagione peccati se senserat inquinari posse, cum diceret: Cum hominibus operantibus iniquitatem, & non communicabo cum electis eorum? Denique & orat, dicens: Ab occultis meis munda me Domine: & ab alienis parce seruo tuo. Vnde etiam malorum, quorum noluit participare malum, studuit declinare consortium. Ait etenim: Non sedi cum consilio vanitatis: & cum iniqua gerentibus non introibo. Huic versiculo concinit & subsequens: Odiui, inquit, Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo. Audi denique & Sapientis consilium: Fili mi, ait, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Tu ergo adversus hæc atque alia in hunc modum innumera veritatis testimonia putasti cuipiam obediendum? O odiosa peruersitas! Obedientiæ virtus, quæ semper militat veritati, aduersus veritatem accingitur?* Et verè, nam Superioribus obedire in rebus contrarijs Deo, nihil excusat taliter obedientem, vt patet 3. Reg. 14. vbi Ahias Propheta, exprobratâ Ieroboami perfidiâ intolerãda in faciem vxoris, duros annunciat exitus tam ipsius familiæ, quam populo, qui ad eius imperium nefariam religionem amplexus erat, his verbis: *Constituet autem Dominus sibi Regem super Israël, qui percutiet, domum Ieroboam in hac die, & in hoc tempore. Et percutiet Dominus Deus Israël, sicut moueri solet arundo in aqua, & euellet Israël de terra bona hac, quam dedit patribus eorũ, & ventilabit eos trans flumen, quia fecerunt sibi lucos, vt irritarent Dominum. Et tradet Dominus Israël propter peccata Ieroboam, qui peccauit, & peccare fecit Israel.* id est, brevi delebit Dominus gloriam domus Ieroboam, neque diu stabit, quia nempe ille non stetit diu in fide, quam Deo integram seruare debebat, & populus, qui abiuratâ religione patriâ, Gentilicam professus est, in perpetuo quodam metu versabitur, & turbabitur sicut arundo concutitur, aut carex seu iuncus, qui in alueo nascitur torrentis, & magno impetu decurrentis aquæ semper mouetur, quod vis ei adiungatur externa, quæ nec pũcto tẽporis illum quietum esse patitur: & vbi diu iactatus fuerit populus, quasi arundo à fluctibus & ventis, tandem à patrijs finibus ad terras quam longissimè dissitas abducetur: non secus atque quercus, vbi sæpè fuerit à lignatoribus percussa securi, & suo sæpè põdere nutarit, tandẽ à suo stipite abscissa, aut à vento vehementius incitato stirpitus auulsa, aut foco destinatur, aut vile cogitur subire ministerium. Vnde verè idem Bernardus dictum Adamum terret plagis, quibus scandalizantes Dominus pulsat: *Videbas* inquit, *dispergentem, & sequebaris? Scandala dictantem audiebas, & obsequebaris? Vera patientia est, pati vel agere, contra quod libeat: sed non præter quod liceat. Nimirum vero quod hominem audiebas furtiuè susurrantem, Deum non audiebas apertè reclamantem, tali quali cœlitus emisso tonitru. Væ illi per quem scandalum venit.*

Sanè, si ita cœcè esset ambulandum, non dixisset Christus Matth. 10. Apostolis suis: *Estote prudentes sicut serpentes*; sed tantum, *Estote simplices sicut columbæ.* Neque dixisset: *Non veni pacem mittere, sed gladium, veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filium aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam*: Nec subiunxisset id Micheæ. 7. *Inimici hominis domestici eius.* Non enim voluit Deus pacem, quâ mala promoverentur, vt patet Genes. 11. vbi superbos homines conspirantes, vt turrim Babylonicam

Marginalia: Isa. 6. — Ibidem. — Ps. 145. — Ps. 25. — 3. Reg. 14. — Matth. 10 — Mich. 7. — Genes. 11.

nicam ædificarent, dispersit. Et in Herode & Pilato, contra Christum conspirātes amici facti, Luc. 23. quorem pacem odio habuit; sed pacem venit mittere, quæ exsuperat omnem sensum, Philip. 4. quam Prophetæ Christum allaturum prædixerunt, Isa. 9. & alibi: quā Angeli nato Christo hominibus annunciarunt, Luc. 2. quam Christus se dare declaravit, Ioann. 14. dicens: *Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.* adeoque liquet tales potiùs deserendos esse. Imò Apostolus expresse denunciat Thessalonicensibus (& in ipsis nobis) vt ab inordinatè viventibus se subtrahant, 2. Thessal. 3. dicens: *Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis.* id est, Præcipimus vobis nomine & auctoritate Christi Domini, cuius sumus vicarij, idque potestate ab eo acceptâ, vt vos subducatis à consortio istius Christiani, qui quod sui est ordinis, atque officij non facit, & facientes turbat. Metaphora sumpta à militibus: Sicut enim in castris milites ij, qui solvunt disciplinam militarem, vocantur ἄτακτοι, ita à Paulo ibidem Christiani illi, qui solvebant disciplinam Ecclesiasticam & Christianam, à se quasi Apostolo præscriptam, vocātur ἄτακτοι, id est, incompositi, inordinati, turbulenti.

Luc 23. Philip. 4. Isa 9. Luc. 2. Ioan. 14. 2. Thess. 3. Ephes. 6.

12. Sed quæres, quod si aliquid iubeant, non in contemptum Religionis, sed vt civile illis obsequium deferant: verbi gratia, iubendo ancillas coquere diebus ieiuniorum carnes, & apponere; aut vehi se ad ad locum adulterij, aut comitari ad locum idoli, ibique sustentari se in adoratione, & sine incommodo huiusmodi Superiores non possint statim deserere?

Respondeo, hæc excusari posse, pro aliquo tempore, quando sine notabili incommodo detrectari non possunt: quamvis enim speciem mali habeant, non fiunt causâ cooperationis, sed vitandi incommodi, & involuntariè; veluti exempli gratiâ communiter excusantur rustici, qui prædas militum iniustas coguntur avehere, vel pecora sublata deducere. Dico quando involuntariè, nam eos, qui voluntariè cooperantur, certum est, participes fieri peccati alieni, & indignationem Dei incurrere: Dicit enim Apostolus ad Rom. 1. *Non solum digni sunt morte, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Res magnopere ponderanda, nam timendum, imo certò credendum est, multas ancillas, & famulos æternùm perituros, quod voluntariè gravibus peccatis, sine delectu cooperentur, hoc solùm respicientes, quod benevolentiam Superiorum sic lucrentur, & foveant. Qualis videtur fuisse Vagao ille Iudith. 12. qui missus ab Holoferne hero suo, conatus est inducere Iudith ad congressum cum eo; sic enim habetur ibidem: *Intreiuit Vagao ad Iudith, & dixit: Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum, vt honorificetur ante faciem eius, & manducet cum eo, & bibat vinum in iucunditate.* Hæc lenonis (non famuli) imò diaboli verba sunt.

Rom. 1. Iudith. 12.

Discursus

Diſcurſus XVI.

De officio dominorum erga ſeruos.

Ephef. 6.  Paulus ad Epheſ. 6. cùm ſervos monuiſſet ea exequi, quæ ad ipſorum officium ſpectant, addidit: *Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas, ſcientes quia & illorum & veſter Dominus eſt in cœlis, & perſonarum acceptio non eſt apud Deum.* Quibus verbis monet Dominos, ne imperioſè nimis in ſervos agãt, quod ſervorum ſuorum fratres ſint, & communi Deo ac Domino ſeruiant, qui non reſpiciet, an quis ſervus ſit, an dominus; ſed quemcumque pro bonis operibus præmiabit, pro malis puniet. Hinc quæram, quæ ſit obligatio dominorum erga ſeruos ſeu famulos.

Leuit. 25. 1. Leuit. 25. cap. dicit Dominus: *Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, non eum opprimes ſeruitute famulorum, ſed quaſi mercenarius & colonus erit: vſque ad annum iubilaum operabitur apud te, & poſtea egredietur cum liberis ſuis, & reuertetur ad cognationem, & ad poſſeſſionẽ patrum ſuorum: mei enim ſerui ſunt, & ego eos eduxi de terra Aegypti: non veneant conditione ſeruorum: ne affligas eum per potentiam, ſed metuito Deum tuum.* id eſt, Si Iudæus natione ſe tibi vendiderit, non tractabis eum illo modo, quo ſerui & mancipia ex alienigenis, nempe aſperiùs, tractari ſolent: ſed benignè eo modo, quo mercenarius & colonus, qui ad tempus commoratur, & operam pro mercede locant, haberi ſolent: inſuper dimittes eum, ſi volet liberum anno ſeptimo: ſic enim dictat lex Exod. 21. Exod. 21. verſ. 6. Sin verò noluerit tunc liberari, non detinebis vltra annum iubilæum, ſeu quinquageſimum, quo tempore egredietur cum liberis ſuis. Ad cuius clariorem intelligentiam, nota iterum ex dicto loco Exodi, Si ſeruo Iudæo dominus dediſſet ancillam Gentilem (nam filiam Hebræam dare non poterat: eam enim emptam vel ipſe, vel filius ipſius vxorem ducere debebat) & genuiſſet ex ea filios, poterat ſervus ſi volebat liber egredi anno ſeptimo, ſed ſolus, ita ſcilicet, vt liberi cum matre cederent domino, ſiue hero, eique manerent ſerui: ſin ſeruus captus amore vxoris & liberorum, nollet ſolus domo heri liber egredi anno ſeptimo, ſeruire debebat vſque ad annum iubilæum, tumque ſecum in libertatem educebat vxorem & filios. Vide Abulenſ. hîc q. 21. Voluit itaque Deus commoueri dominos, ne ſeruos tyrannicè opprimerent, ſed tanquam Dei ſeruis reuerentiã eis haberent, benignè & clementer eos tractarent, quia, inquit, *mei ſerui ſunt*, videlicet non tãtum creatione, ſed etiam redemptione ex ſeruitute Ægyptiaca. De his ſic loquitur Philo Iudæus lib. de ſpecialibus legibus: *Lex diuina regulas iuris non fortunæ, ſed naturæ accommodat: ideo decet dominos non abuti ſua poteſtate contra famulos, cauereque ab inſolentia, contemptu atque ſæuitia. Nam iſta non indicia placidi animi, ſed impotentiæ tyrannicæ, exercentis licentiam pro arbitrio. quiſquis enim domum ſuam tanquam arcem munijt, neminem domeſticorum ſinens loqui liberè, aſper in omnes prægnata, vel etiam affectata ſæuitia, tyrannus eſt, apparatu tantum minore differens.* Quis dubitat, qui potiori iure proportionabiliter de famulis & ancillis Chriſtianis ratiocinandum veniat?

Abulenſ.

Philo Iud.

2. Dico itaque primò, heros debere famulis & ancillis alimenta conuenientia eorum ſtatui, id eſt, non nimis delicata, ſed ſufficientia ſuſtentando corpori ad laborem. Prius patet Prouerbior. 29. vbi dicit Sapiens: *Qui delicatè à pueritia nutrit ſeruum*, ſeu nimis indulget ei delicijs Prou. 29.

ciborum

ciborum eum nutriens, *postea sentiet eum contumacem.* Sic enim populus Iudaicus multis beneficijs affectus ab exitu de Aegypto, factus est contumax & rebellis iuxta vaticinium Moysis in suo cantico, *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Posterius Eccles. 33. v. 28. *Panis & disciplina, & opus seruo.* id est, sustentatione necessariâ, & correptione in officio continendus est.

Eccles. 33.

3. Sed dices, Hæc sufficere possunt quando incolumes sunt, quid erit si contingat famulos ægrotare? Respondeo primò teneri Dominum famulo ægrotanti, & non præstanti ea ad quę cõductus est, præbere alimẽta & expensas dumtaxat tenues (nõ maiores, quales in Medicos, Chirurgos, impendi possent) quin etiã mercedem, vbi consuetudine receptum est, vt Dominus famulo propter infirmitatem breui temporis nihil detrahat de annua mercede, qualis pluribus in locis inualuit. Secundò nõ teneri dominum ex lege iustitiæ, quando morbus grauis est, eiusmodi famulum in domo fouere, sed satis esse, vt procuret illum destinari ad hospitale, seu locum alium publicũ, vbi ægrotantis bono consuli possit: ad hoc eum charitas obligat, vt necessitatem habenti prouideat, vel per se, vt egit Samaritanus ille Luc. 10. qui vulnera semimortui alligauit, *infundens oleum & vinum, & imponens illum in iumentum suum duxit in stabulũ, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcumque supererogaueris, ego cum rediero, reddã tibi.* aut per alium exemplo Centurionis, qui Luc. 7. pro seruo graui morbo laborãte ad Christum misit Seniores Iudæorum, quatenus diuina virtute & miraculo illum sanaret, quod historia refert his verbis: *Centurionis autem cuiusdam seruus male habens erat moriturus, qui illi erat pretiosus. Et cum audisset de Iesu, misit ad eum Seniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret, & sanaret seruum eius.* Imò postea ostendens maiorem fidem Christo venienti misit obuios amicos, dicens: *Domine noli vexari: non enim sum dignus, vt intres sub tectum meum: propter quod & meipsum non sum dignus arbitratus, vt venirem ad te: sed dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum in potestate constitutus habens sub me milites, & dico huic, Vade, & vadit: & alij, veni & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit.* Breuiter secundum suas vires debet inopi, & ad grauem necessitatem redacto de necessarijs prouidere, aut procurare, vt alibi illi prouideatur. Si tamen aliquis herus ex pietate, vel mera liberalitate in curationem famuli, domi suæ ægrotantis expensas notabiles impenderit, non licebit illi easdem mutato animo actione negotiorum gestorum de constituta mercede detrahere, vti colligitur ex l. 1. & l. *Si alimenta* C. de negotijs gestis.

Luc. 10.

Luc. 7.

4. Dico secundo, Heros debere seruis & ancillis mercedem iustam, vel secundum pacta & conuenta, vel aliàs secundum loci consuetudinem sub finem anni saltem soluendam, idque sub peccato mortali si indigeant & exigant. Probatur Eccles. 7. cap. vbi dicit Dominus: *Ne lædas seruum in veritate operantem,* id est, Non afficias iniuria famulum, qui non ad oculum seruit, nec mendacia domino suo imponit, sed quod iustum est, ex animo & fideliter exequitur. Et postea subdit: *Seruus sensatus, sit tibi dilectus quasi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.* hoc est, non solum non lædas illum, sed & præmio, & honore prosequere seruum prudentem. Quo loco Sapiens vel loquitur de seruo Hebræo dimittendo septimo anno: vel de quouis seruo cuiuscumque nationis, & requirit, ne Dominus vtriusuis eorum iacturam contemnat, ob suum commodum, illumque defraudet vel priuet sua libertate. Quid ni ergo magni æstimet Dominus si iusta merces laboris denegetur, præsertim cum merces operariorũ defraudata clamet in cœlum Iacob. 4.

Eccles. 7.

Iacob. 4.

LII Certè

Hier. 34. Certè Hierem. 34. cap. vbi Dominus soluerat obsidionem per Nabuchodonosorem, cùm Hebræi promittebant seruos & ancillas liberos dimittere iuxta legem Moysis: sed cum eam libertatem reuocarent &, violarent, eosque subiugarent in famulos & famulas, grauissima mala ijsdem comminatus est, his verbis: *Vos non audistis me, vt prædicaretis libertatem vnusquisque fratri suo, & vnusquisque amico suo: ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad pestem & ad famem: & dabo vos in cōmotionem cunctis regibus terræ.* id est, Propterea hæc Dominus ad vos: Sicut vos parere mihi noluistis, cùm præcepi, vt vnusquisque fratrem suum, & amicum, libertate sibi à lege concessa, frui pateretur; sic ego, quod in supplicio omnium maximo numerare potestis, vos, à meo dominatu liberos dimittā, ne videlicet vobis Dominus, ac Pater sim. Dimittam autem vos, tradamque gladio, fami ac pesti, qui dominentur vobis. Et qui dominos hosce crudeles fugerit, nō recusabit, quò minus exul à patria incertis vagetur sedibus, neque in vllo terrarum angulo securus quiescat. Ac tum subiungit: *Et dabo viros, qui prævaricantur fœdus meum, & non obseruauerunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter diuisiones eius.* id est, Efficiam, vt viri illi, qui percussum fœdus violarunt, neque obseruarunt fidem, quā in conspectu meo ratam fore professi sunt, similes sint vitulo, qui in percutiendo fœdere concisus fuit, atque discerptus, inter cuius dissecta membra legitimo ritu transierunt. Itaque ironicè libertatem prædicit, quam dixi, vt clariùs patet ex v. 22. vbi inquit Propheta: *Ecce ego præcipio, dicit Dominus, & reducam eos in ciuitatem hanc, & præliabuntur aduersus eam; & capient eam, & incendent igni: & ciuitates Iuda dabo in solitudinem, eò quod non sit habitator.* id est, Ecce ego Chaldæos, qui iam hinc aliò digressi fuerant, in vrbem reuocabo, quam oppugnabunt, & capient, & ad extremum igne succendent, & ciuitates alias Iuda sic euertam, vt desertæ relinquantur, & à cultore, & habitatore nudę. *Præcipere* enim illic significat permittere, ordinare, dirigere Chaldæos, vt redeāt ad excidium Hierosolymę. Et quia huiusmodi punitio sępè in alijs vsu venit, ostēdam quonam modo Deus hîc hoc pręcipiat. Primò itaque ordinat omnia fortunando, videlicet, res Chaldæorum, dando eis facilem & celerem victoriam contra Aegyptios, addēdo eis vires & animos, obijciendo menti eorum Hierosolymæ tot annis obsessæ & exhaustę oppugnationem fore facilem, &c. Quibus omnibus effectum est, vt Chaldæi sponte suâ redirent ad eam obsidendam, & expugnandam. quod Deus in tota hac serie prouidentiæ & ordinationis suæ intendebat. Deinde *præcepit*, id est, ordinauit & direxit hunc Chaldæorum reditum ad iustā suam vindictam, vt scilicet hac ratione puniret, & plecteret impios, & fœdifragos Iudęos. Sic enim Deus dicitur *præcepisse coruis*, vt alerent Eliam, id est, ordinasse, & dedisse eis instinctū afferendi panem ad Eliam. Sic Deus dicitur *præcepisse*, id est, permisisse maledictionem Semei, eamque ordinasse ad punitionem adulterij & homicidij Dauidis. Adeò vt iusta, & congrua pœna Iudæorum fuerit, vt, sicut ipsi contra legem seruos reuocarant in seruitutem, ita vicissim Deus reuocaret Chaldæos ad eorum obsidionem & vastationem.

Hæc ergò singulariter notanda veniunt ijs, qui mercedem denegāt suis famulis, tum à famulatu demissis; tum etiam, quia eadem de causa retractant soluere, vt sic quadam vi illos in famulatu detineant proprij commodi gratiâ; illosque audire recusat. Quam longè hi absunt à priscorum vetere consuetudine, qui credebant, verè se passuros repulsam apud Deum, si querelas suorum benignè non audirent. Exemplo sit B. Iob, qui capit. 31. inter cœteras virtutes suas recensent, Iob. 31.

censet, quod non contempserit subire iudicium cum suis, in verbis: *Si contemsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cum desceptaret aduersum me. Quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus? & cum quæsierit, quid respondebo illi?* id est, non solùm alijs in aliena causa, sed etiam meis domesticis, seruis atque ancillis in propria me causa iudicem integerrimum præstiti; neque alterius iudicis sententiâ, quam meâ probitate impulsus vnicuique seruo & ancillæ, quibus mecum nullum erat ius, ius suum reddidi; cumque supremus ipse Princeps, ac magistratus essem, inæqualitatem omnem fugiebam; & permisi omnem libertatem dicendi, ita vt me haberent non tam vt iudicem, quàm vt patronum. Hęc autem sic faciebat, quòd nouissimorum recordaretur, vnde subdit: *Quid enim faciam* &c. id est, considero, quod pauperum infirmorumq; hominum querimonijs excitatus, surgat aliquando ad iudicandum Deus, iniuriam vindicaturus miserorum; quo tempore nihil erit, quo illius iudicium, meumque supplicium eludere possim. Certè si quis perpendat pœnam Pharaonis, quam sustinuit Exod. 14. cum suis propter defraudationem Israëlitarum, facilè timore Dei configetur; nec patietur rem eò peruenire, vt dominus ipse de bonis ipsorum afflictis concedat in mercedem laborum, ipsique æternùm pereant; vti Israëlitis concessit Deus, vt acciperent vasa Aegyptiorum, tanquam propria, Exod. 11. & 12. in mercedem laborum, iuxta illud Sap. 10. *Reddidit iustis mercedem laborum suorum, & reduxit illos in via mirabili: & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem: & transtulit illos per mare rubrum: & transuexit illos per aquam nimiam. Inimicos autem illorum demersit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideo iusti tulerunt spolia impiorum,*

5. Dico tertio, dominos præcipuè teneri prospiceri saluti suorum: dicit enim Apostolus 1. Timoth. 5. *Si quis suorum maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & infideli est deterior.* q.d. qui suos negligit, videtur fidem, & Christianismi famam negligere, esseque causa, cur infideles blasphement Christum, & Christianos. *Quàm latè*, ait Chrysostomus, *patet detractionis locus, dicentibus Gentibus Christianos sine affectione esse, qui despiciant suos! quàm enim turpe est, te extraneos docere, & tuos in errore relinquere?* Certè diuus Paulus ostendit, quantùm quis debeat habere rationem suorum, non solum hoc loco, sed etiam in epistola ad Philemonem, vbi Onesimum seruum Philemonis furacem, ab eo demissum, ad Christum existens in carcere conuertit, instituit, & baptizauit, & iam fidelem tam Christo quam hero suo effectum, cum epistola commendatitia remittit, rogans, vt illum in gratiam recipiat, in verbis: *Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nũc autem & mihi, & tibi vtilis, quem remisi tibi. Tu autem illum, vt mea viscera suscipe.* Admiratur S. Hieronymus magnanimitatem Pauli, mente in Christum feruentis: *Tenetur*, inquit, *in carcere, vinculis stringitur, squalore corporis, charorum separatione, pœnalibus tenebris coarctatur, & non sentit iniuriam, non dolore cruciatur, non nouit aliud nisi de Christi Euangelio cogitare: sciebat seruum, sciebat fugitiuum, sciebat raptorem; & hunc tamen in carcere docet, catechizat, conuertit, baptizat, & quasi filij loco habet.*

1. Tim. 5. | Chrysost. | Hieron.

Res verò ponderanda. Nam si bonos habueris ministros, non solùm conscientiam tuam exonerabis, sed familiæ tuæ etiam lucrum accedet in temporalibus. Patet exemplo Iacob, qui benedictionem attulit auunculo suo Laban, quamuis infideli, vt ipse fatetur Genes. 30. dicens Iacobo: *Inueniam gratiam in conspectu tuo: experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.* Idem accidit Pharaoni ratione Ioseph, vt habetur Gen. 39. *Benedixitq; Dominus domui Aegyptij propter Ioseph, & multiplicauit tã in ædibus, quam in agris cunctam eius substãtiam,* & dominus eius *optimè noue-*

Genes. 30. | Genes. 39.

Deut. 25. mini Deuteron. 25. *Secundum mensuram delicti, erit & plagarum modus.* Hoc enim in leuibus delictis, vti Iudex in atrocibus, obseruare debet, & notabiliter excedens peccat mortaliter. Huc seruit, quod dicit Dominus Eccles. 4. cap. *Noli esse sicut leo in domo tua, euertens domesticos tuos & opprimens subiectos tibi:* & quod Dominus Leuit. 25. mandauit patrifamilias de seruo Hebræo, quem vt mercenarium & domesticum voluit, in verbis: *Ne affligas eum per potentiam, sed metuito Deū tuum.* Hinc Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi, *Neque vero*, inquit, *tanquam iumentis, famulis vtendum est ei qui fuerit sanæ mentis. Quemadmodum enim illis præcipitur, vt cum omni metu dominis, non solum bonis & clementibus, sed morosis etiam & prauis, ait Petrus, subijciantur: ita æquitas, & patientia, & benignitas pulchrè conuenit.* Vnde quoad pœnas ipsi infligere concessas, omnino tenetur modum seruare. Nec refert, quod delictum commissum sit atrox, puta adulterium, furtum rei notabilis, machinatio mortis, aut simile; nihilominus tenetur paterfamilias manere intra limites potestatis suæ, id est, leuiter castigare tantùm, relinquens magistratui ius publicè & atrociter puniendi integrum, si ad eius tribunal deferatur.

Eccles. 4. Leuit. 25. Clem. Alex. 1. Pet. 2.

Quoad alterū, sunt quędam personæ domesticæ, obsequijs dominorum addictæ, quas propter status libertatem, & ætatis maturitatem nō decet, nec consuetum est verberare: sicuti nec mechanici, qui pro constituta mercede laborant, à magistris suis se verberari, & vt seruos tractari patiuntur, sicuti notauit Molina loco cit. n. 19.

Quod ad tertium attinet, requiritur, vt percussio fiat non ex odio, sed ex charitate erga delinquētem, vt emendetur; vel ex zelo iustitiæ, quia dignus est tali pœnâ ad aliorum domesticorum exemplum. Quamobrem etiam irâ contra puniendum concitari potest, dummodo moderata sit. Quod si inflictio pœnæ ad neutrum finem necessaria videatur, videlicet, nec ad delinquentis emendationem, nec vt alij in officio retineantur; præstabit tunc misericordiâ vti, & pœnam remittere, sicuti Molina notauit n. 15.

8. Quæres iterum, Quid si correctione non moueantur, sed in peruersitate recrudescant, num paterfamilias illos teneatur domo expellere?

Respondeo affirmatiuè, præsertim quia tales scandalo sunt alijs domesticis, & in lapidem offensionis: vnde dicebat Dauid Ps. 100. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, & loquitur iniqua; non direxit in conspectu oculorum meorum, & ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabit.* Psal. 100. Nec iuuat, quod vtiles sint, ob quod sæpè à dominis & dominabus tolerantur: quia Dominus dicit in Euangelio etiam consanguineos, & quantumuis propinquos, alijs existentes causa ruinæ, rescindēdos esse, dicēs: *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te: bonum tibi est, ad vitā ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.* Vnde rectè Ambrosius hom. 9. in Ezechiel. Ambros. *Tolerandi*, inquit, *vbique sunt proximi, quia Abel fieri non valet, quem Cain malitia non exercet. Vnum verò est, potentia, quâ vitari societas malorum debeat; ne, si fortasse corrigi non valent, ad imitationem trahant, &, cum ipsi suâ malitiâ non mutantur, eos, qui sibi coniuncti fuerint, peruertant.* Occasiones enim domesticæ tandem conuincunt, & infirmum superant, teste Isidoro lib. 2. Solil. Isidorus. *Ante ignem*, inquit, *consistens, etiamsi ferreus sis, aliquando dissolueris: proximus periculo diu tutus non erit. Sæpè familiaritas implicauit, sæpè occasionem peccandi dedit, sæpè quod voluntas non potuit, assiduitas superauit.*

9. Profectò, si hæc ponderarentur, non tot famuli, ancillæ, nutrices fouerentur, in plurium ædibus ad ruinam filiorum & filiarum, ob extrinsecam qualitatem, quâ nouerunt Superioribus placere. Notum est, quàm multi ad indigna matrimonia perueniant hisce mediantibus; quàm multi foris pernoctent,

Discursus XVII.

De Senibus honorandis.



Sap. 4. Eccles. 8. SAlomon Sap. 4. cap. dicit: *Senectus venerabilis est.* Et Eccles. 8. monet hominem non esse spernẽdum in sua senectute: hinc tractabo, An senes honore afficiendi sint.

1. Vt de hac re vtiliter quid dicam, Notandum est senectutem definiri, nihil aliud esse, quam frigidum & siccum corporis temperamẽtum, quod ex multitudine certorum annorum transacta proueniat. Illa autem existimatur adesse anno 56. aut 60. ætatis: extrema verò computatur 70. vel 80. annorum, iuxta Prophetam Psal. 89. dicentem: *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus, octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor.* Ps. 89.

2. Porrò hanc ætatem, maximè si cum virtute coniuncta sit, voluit Deus honorari à iunioribus; Primo propter se, Leuitici enim 19. cap. dicit: *Coram cano capite consurge, & honora personam senis, & time Dominum Deum tuum: Ego sum Dominus.* q. d. Si senes non times, time saltem Deum, & propter timorem Domini senes honora. Leuit. 19.

Secundò, quia sunt instar parentum, & patrum Reipub. De parentibus autem legitur, Eccles. 4. *Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius, & si defecerit sensu, veniam da.* Et hinc vsitatum videtur, parentes vocari apud Hispanos, *Senor Padre, señora Madre,* quasi senem patrem, & senem matrem. Et in magistratum adlecti leguntur in Scriptura, qui ad senectutem peruenerãt, veluti Moyses & Aaron, vt colligitur ex verbis Exod. 24. *Ascenderuntque Moyses & Aaron, Nathab & Abiu, & septuaginta de senioribus Israël.* Et Numer. 11. vbi Moyses questus apud Deum, quod solus non posset regere tantum populum, mandatum accepit: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti, quod senes populi sint, ac magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque illi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris.* Et qui in portis vrbium lites & controuersias dirimebant, ferè erant seniores, vt liquet Deuteron. 22. in verbis: *Si duxerit vir vxorem, & postea odio habuerit eam, quæsieritque occasiones, quibus dimittat eam, obijciens ei nomen pessimum, & dixerit: Vxorem hanc accepi, & ingressus ad eam, non inueni virginem: tollent eam pater & mater eius, & ferent secum signa virginitatis eius ad seniores vrbis, qui in portâ sunt.* Et Threnor. cap. 5. vbi Ieremias deplorans Iudices sublatos, dicit: *Senes defecerunt de portis.* Eccles. 4. Exod. 24. Num. 11. Deut. 22. Thren. 5.

Adhæc Deus, vt ostenderet canitiem venerãdam, voluit maiestatem suam ostendere in figura senis: describit enim Daniel cap. 7. Deum sic illi apparuisse: *Aspiciebam,* inquit, *donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, vestimentum eius cãdidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda.* In Apocalypsi quoque scribit S. Ioannes viginti quatuor seniores, alijs astantibus, proximè Deo assedisse: *Et in circuitu sedis,* ait, *sedilia viginti quatuor, & super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum corona aurea.* Et Isaias vaticinatur Deum ad iudicium venturum cum senibus: *Dominus,* inquit, *ad iudicium veniet cum Senibus populi sui. Et erubescet Luna, & confundetur Sol, cum regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Hierusalem, & in conspectu Senum suorum fuerit glorificatus.* Quod idem est ac si diceret Propheta, Ipsa Luna & Sol in die Daniel. 7. Apoc. 4. Isa. 24.

iudicij stupescent & erubescēt, cùm viderint tantam reproborum damnationem & pœnam, atque tantam Christi iudicis & Beatorum maiestatem in consessu senum, id est, Patriarcharum & Apostolorum. q. d. Hæc omnem hominum & creaturarum captum & analogiam excedent.

Tertiò honorandi sunt, quòd iam euacuauerint ea, quæ sunt paruuli, conuenienter dicto Pauli 1. Cor. 13. *Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus; quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Et sic vacui sunt à multis perturbationibus, quibus priori ætate fuerūt obnoxij, quod D. Chrysostomus pulchrâ similitudine illustrat, hom. 7. ad Hebræos: *Sicuti,* inquit, *corpus, vsquequo febribus detinetur, & subsequentibus ægritudinibus, etsi sit validum, tamen affligitur; cum autem liberatum fuerit ab obsessione morborum, recreat propriam virtutem: Sic etiam anima in iuuentute febribus laborat, & amor gloriæ opprimit eam, & deliciarum ac venerearum rerum, & aliarū multarum perturbationum. Cum autem senectus aduenerit, omnes has passiones effugat, alias per satietatem, alias per Philosophiam constrictas. Vigorem enim corporis relaxans Senectus, nec si velit, animam illis vti permittit, sed sicut hostes diuersos recludens, velut in loco à turbis libero collocat, & multam ei operatur tranquillitatem.* Vnde meritò Plato dicebat: *Tum mentis oculus acutè cernere incipit, cum primum deflorescit corporis oculus.* Et S. Hieron. epist. 2. ad Nepotianum: *Omnes pœnè virtutes corporis mutantur in senibus, & crescente solâ sapientiâ, decrescunt cætera, ieiunia, vigiliæ, & eleemosinæ.* Et paulò post: *Senectus eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, & in lege Domini meditati sunt die ac nocte, ætate fit doctior, vsu tritior, processu temporis sapientior, & veterum studiorum dulcissimos fructus metit. Vnde & sapiens ille vir Græciæ Themistocles, cum expletis centum & septem annis se mori cerneret, dixisse fertur, se dolere, quod tunc egrederetur è vitâ, quando sapere cœpisset.*

1. Cor. 13.

Chrysost.

Plato.

Hieron.

Vnde viri sancti hoc titulo decorantur. Nam de Abraham dicitur Genes. 25. *Deficiens mortuus est in senectute bona, prouectaque ætatis, & plenus dierum.* Et Ioānes Apostolus, 2. Ioan. 1. refugiens se Apostolum scribere, nominat se seniorem dicens: *Senior electæ dominæ, & natis eius.* Et Paulus Apostolus hoc titulo credidit amplius quid posse impetrare; cum enim scriberet ad Philemonem de recipiendo Onesimo, ait: *Propter quod multam fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi, quod ad rem pertinet: propter charitatem magis obsecro, cum sis talis, vt Paulus senex, nunc autem & vinctus Iesu Christi.* Imò Christus significans, quando clarificaturus esset martyrio Petrum, ait Ioan. 21. *Cum autem senueris, extendens manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* Adeoq; tum ex præcepto Dei Leuit. 19. tum etiam ex præcepto Apostoli Petri, 1. Pet. 5. à iunioribus venerandi sunt, vbi dicit: *Adolescentes subditi estote senioribus,* tum etiam ex rationibus supradictis. Nec sine fructu: quia, vt ait D. Basilius l. de Abdic. rerum, si honores senes, *ob istam animi tui demissionem, gloriâ te afficiet Deus:* atque, vt ait Isychius hîc, faciet cum senueris, vt eadem reuerentia tibi à iunioribus rependatur; si negligas senes, pœna talionis te senem puniet, vt à iunioribus quasi delirus contemnaris.

Genes. 25.

2. Ioan. 1.

Ad Philem.

Ioan. 21.

1. Pet. 5.

Basilius.

Isychius.

3. Sed dices, Multi senes se vicijs dederunt, immò immersi sunt, vt constat de Salomone Rege, qui in senectute fræna laxauit nequitiæ, & mulieribus deprauatus, idola coluit, 3. Reg. 11. & de senibus Iudicibus, qui in concupiscentiam Susannę exarserunt, & iniquum iudicium dixerunt, Daniel. 13. Quin etiam experiētiâ quotidianâ id ita compertum est, vt ideò plerique iuuenes non euadant laudabiles.

3. Reg. 11.

Dan. 13.

Respondeo, loca prædicta maximè intelligenda esse de senibus, qui iustè & sanctè viuunt; ait enim Sapiens Prou. 16. *Corona dignitatis senectus, quæ in vijs iustitiæ reperitur.* q. d. senectutem honorabilem, decoram & maturam illis maximè euenire, qui iustè & piè viuunt. Quales fuerunt,

Prou. 16.

Elcazar

Eleazar nonagenarius, qui 2. Machab. 6. maluit mortem oppetere, quam suillâ contra Dei mandatum vesci, etiam per simulationem: *Non enim*, inquiens, *ætati nostræ dignum est fingere, vt multi adolescentes, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transiisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam aut execrationem meæ senectuti conquiram*. Et Luc. 2. Simeon ille, qui dignus habitus fuit, vt primus in templo Hierosolymitano suis vlnis exciperet Christum natum, nec antea moreretur, quantumuis senex. Et Zacharias & Elizabeth iam grandæui, de quibus Luc. 1. cap. dicitur: *Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela*. Denique B. illa Anna, de qua Lucas cap. 2. *Et erat Anna Prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser; hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua erat vsque ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat è templo, ieiuniis, & obsecrationibus seruiens nocte & die*.

2. Machab. 6.

Luc. 2.

Luc. 1.

Luc. 2.

4. Hinc videmus eos etiam senes vocari, qui ætate non processerunt, sed iustitiâ & pietate mores suos excoluerunt, iuxta illud Sap. 4. *Senectus venerabilis non annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata*. Et Ambrosius epist. 60. vbi ait: *Verè senectus illa est venerabilis, quæ non canis, sed meritis albescit. Ea enim est reuerēda canities, quæ est canities animæ, in canis cogitationibus, & operibus effulgens. Quæ est enim verè ætas senectutis, nisi vita immaculata, quæ non diebus aut mensibus, sed sæculis propagatur, cui sine fine est diuturnitas, sine debilitate longæuitas*. Rursum in Scripturis senes vocantur Iuuenes, quibus Deus indidit scientiam iudicandi, quemadmodum senes deberent, iuxta illud Eccles. 25. *Quàm speciosum canitiei iudiciū, & presbyteris cognoscere consiliū? Quàm speciosa veteranis sapiētia, & gloriosis intellectus & consiliū? Corona senum multa peritia, & gloria illorum timor Domini*. Talis fuit Daniel, qui iudicaturus & reuisurus negotiū Susannæ, quantumuis iuuenis esset, senior vocatus est. Sic enim Daniel. 3. senes dixerunt ad eum, etsi fortè per adulationem: *Veni & sede in medio nostrum, & indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem senectutis*. Suspiciebāt enim Seniores in Daniele senile iudicium, cum viderent eum, non solùm exclamantem voce magna, quod improbaret iudicium iam pronuntiatum ad Susannam lapidādum: sed etiam cohibentem repentè multitudinem in ipso ardore, quæ ad executionem procedebat. De quo sic Basilius, hom. 21. in initium Prouerb. *Senior secundum animam est, qui prudentia perfectus est, qualis erat Daniel, quamquam corpore iuuenis, sapiētiam ac grauitatem omni canitie præstantiorem præ se ferens. Idcirco ei dicunt illi, qui erant pleni dierum malorum: Huc accede, sede in medio nostrum, nuntiaque nobis, quomodo senioris ac Presbyteri honorem tibi dederit Deus*.

Sap. 4.

Ambros.

Eccles. 25.

Basilius.

5. Senes verò, qui vitam cum crimine ducunt, vocantur in Scriptura pueri, nempe Isai. 65. vbi Propheta loquens de gratia noui Testamenti, dicit, quod renati per Baptismum non erunt infātes dierum paucorum, sed instar virorum, gratiâ & virtutibus erunt pleni, & validi; & addit: *Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit*. q.d. Qui sensibus & vitiosa vita erit, puer is non perseuerabit in Ecclesia, vt ex militanti eat ad triumphātem, sed punietur morte æternâ, & diuina eum configet maledictio. In quę verba Greg. Magn. lib. 17. moral. c. 4. *Puer centum annorum morietur, &c. ac si apertè nos deterreat dicens: Vita quidem pueri in lōgum trahitur, vt à factis puerilibus corrigatur; sed si à peccati perpetratione, nec temporis longinquitate compescitur; hæc ipsa vita longinquitas, quam per misericordiam accipit, ei ad cumulum maledictionis crescit: Vnde necesse est vt, cum nos diutius expectari conspicimus, ipsa prorogatæ pietatis tempora, quasi damnationis argumenta timeamus; ne ex clementia iudicii crescat supplicium peccatoris, & vnde quisque*

Isai. 65.

Greg. Mag.

quisque eripi à morte poterat, inde grauius ad mortem tendat. Hac de causa Apostolus monet Titum cap. 2. *Tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinam. Senes sobrij sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia. Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino seruientes; bene docentes, vt prudentiā doceant adolescentulas, viros suos amēt, filios suos diligāt; prudentes, castas, sobrias.* Hoc enim cōpetit senibus, vt sobrij sint, & vigilēs ad domestica, & publica negotia sibi cōmissa sedulò peragenda, ad quæ ebrietas ineptos reddit. Exempla sunt in Noë sene, qui ebrius nudatus, & à filio illusus est: & in Loth, qui senex inebriatus incestum commisit. Econtrario laudatur illa vox Berzellai, qui ad familiam & mensam Dauidis inuitatus, *Octogenarius*, inquit, *sum, numquid delectare me potest cibus & potus?* Et hinc Cato Maior apud Tullium: *Non modo*, ait, *vituperatio nulla, sed etiam summa laus senectutis est, quod ea voluptates nullas magnopere desiderat. caret epulis, extructisque mensis & frequentibus poculis. caret etiam vinolentia & cruditate, & insomnijs.* Et post: *Habeoq; senectuti magnam gratiam, quæ mihi sermonis auiditatem auxit, potionis & cibi sustulit.* Non nego tamen vinum esse lac senum, vt vulgò dicitur, si tamē ita sumatur, vt lac pueris dari solet, id est cum sobrietate.

Tit. 2.

Cato maior.

Rursum cōpetit illis maximè pudicitia, nihil enim magis indecorum, quam illâ ætate adolescentum vitijs delectari: hoc enim iuuenes scandalizat. Vnde Hieronymus: *Optandum sanè est, vt ætatis grauitatem morum grauitas decoret, ne iam frigido ad libidinem sanguine, exemplo sint adolescentibus ad ruinam.* Hinc Cicero de Senectute hanc vocat delirationem, & eorum qui senis nomen non merentur: *Vt,* inquit, *libido magis est adolescētium, quā senum, nec tamen omniū adolescentium, sed improborum, sic ista senilis stultitia, quæ deliratio appellari solet, senum leuium est, non omnium.* Et idem de sententijs refert exemplum cuiusdam senis, qui tanquam furiam se dicit libidinem profugisse. Sic enim ait: *Benè Sophocles, quum ex eo quidam, iam affecto ætate, quæreret, vtereturne rebus Venereis? Dij meliora, inquit; libenter vero istinc, sicut à domino agresti, ac furioso profugi.*

Hieron.

Cicero.

6. Sed quæres, An senes à recto tramite deuiantes, aut huiusmodi vitijs obnoxios contemnere liceat? Respondeo negatiuè. Nam Dominus ipsius senectutis vult haberi rationem, cum Eccles. 8. dicit: *Ne spernas hominem in sua senectute, etenim ex nobis senescunt.* Quo loco sic Iansenius: *Non enim ob sensum homo spernendus est, sed honorandus, iuxta illud Leuit. 19. Coram cano capite consurge, & honora personam senis. Et tamen sunt iuuenes, qui sua fortitudine elati, atque infirmitatem senum considerantes, aut vitia quædam per ætatem in eis obseruātes, insolescere audent contra eos, & irridere, atque ignominia afficere. Quos hic reprimit Sapiens, consideratione secuturæ senectutis. Nā, inquit, ex nobis senes fiunt, itaque senectus etiam tibi expectanda est, nec putandum te semper in eo vigore, quo es iuuenis, permansurum.* Et hinc Apostolus instruit Timotheum, quod quando continget seniorem corripiendum esse, mitius cum eo agat, dicens: *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra, vt patrem*: quod idē est, ac si dicat, quia senes vt patres habendi sunt, monere quidē debes eos, ô Timothee, sed eâ reuerentiâ & lenitate, vt potius eos obsecrare, quàm admonere videaris. Hoc autē cum maiori respectu subditi tenentur. Vide dicta Discursu 6. præuio in quartum Præceptum, n. 5. & 6.

Eccles. 8.

Leuit. 19.

1. Tim. 5.

DISCVR-



DISCVRSVS PRIMVS IN QVINTVM PRÆCEPTVM,

Non occides.

De homicidio voluntario.



Psal. 100. PROPHETA Dauid Psal. 100. dicit: *In matutino interterficiebã omnes peccatores terræ*; hoc quę sibi laudi vertit: Dominus vero dicit: *Non occides.* Quia autem hæc duo sunt contraria, hinc quæram, quid hoc præcepto vetetur.

Diuersimode hoc Præceptum varij intellexerunt: Manichæi, quod non liceret bestias ac pecora occidere; sed hoc vanum: Waldenses nullum hominem iustè occidi posse, etiam publicâ auctoritate; sed hoc apertè contra Scripturas est. Nam
Exod 22. Exod. 22. præcipitur: *Maleficos non*
Leuit. 20 *patieris viuere*. Leuit. 20. præcipitur interfici, qui declinauerit ad Magos, & ariolos. Sic Dauid dicit: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.*
Act. 5 Sic Petrus Actor. 5. Ananiam & Saphiram ob fraudem & mendacium
Rom 13. morte mulctauit. Et Rom. 13. dicit Paulus Ministrum Dei gladium portare ad puniẽdos malefactores. Alij aliter explicant. His missis,

1. Dico resolutè hîc inhiberi omnem & solam illam hominis occisionem, quæ rectę rationi repugnat: quod commune est alijs præceptis negatiuis: vt verbi gratiâ, *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, seu non iurabis, nisi videlicet recta ratio aliud exigat: similiter, *Non furaberis*, id est, non accipies alienum, nisi extrema necessitas aliud dictet. Hinc si quis præter rationem, siue iniustè, priuataue auctoritate aliquem voluntariè interficiat, reus erit huius præcepti: ita vt non solùm mortaliter peccet, sed etiam in foro externo pœnam mortis mereatur, si illud Iudici innotescat, vt patet ex verbis Domini Genes. 9. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* id est, Æquum & iustum est, Genes. 9.
vt fundatur eius pariter sanguis, qui hominem occiderit, puta per sententiam & condemnationem Iudicium: Deus enim hoc loco lege talionis tulit in homicidas sententiam mortis. Vel rursum, fundetur sanguis illius, ita vt ordinariè & reipsa, seu de facto occidatur homicida, vel per Iudicem, vel per rixam, latrones, ruinas, incendia, aliosue similes casus. Deus enim hîc spondet se necatorum fore vindicem, & homicidas talione mulctaturum, varijs vitæ infortunijs. Id ita esse, expe-

experientiâ constat, quâ videmus homicidas persequente eos numine, miris casibus, non naturali, sed ferè violentâ morte occumbere.

Huius rei ratio est, quod homicidiũ licet occultum, tam enorme sit coram Deo, vt clamet à diuinâ Maiestate vindictam, iuxta verbum Domini, Genes. 4. ad Cain. *Vox sanguinis fratris tui, clamat ad me de terra.* q. d. Reatus homicidij tui ita voluntarij, in conspectu meo compâret, vt celerem ac atrocem vindictam à me exposcat. Verum audi Ambrosium pulchrè super hæc verba philosophantem. Sic enim scribit: *Bene ait, Vox sanguinis fratris tui clamat, non frater clamat. hoc innocentia & gratia germanitatis, etiam in ipsa morte seruat. non accusat, frater, ne videatur parricida; non accusat vox ipsius, non anima eius, sed vox sanguinis accusat. Simul querela criminosa adimitur, non potest de alieno testimonio queri, qui crimen proprio facinore confitetur. Minor est sermo, quam factum: Est tamen etiam terra testis, quæ capit sanguinem. Et bene ait: Vox sanguinis fratris tui, clamat, de terra: non dixit, de fratris clamat corpore. Etsi frater parcit, terra non parcit. Si frater tacet, terra condemnat; ipsa est in te testis & iudex. Testis acrior, quæ adhuc parricidij tui sanguine madet: iudex asperior, quæ tanto scelere cõtaminata est, vt aperiret os suum, & reciperet sanguinem fratris tui, de manu tua.*

Genes. 4.

2. Quæres, Si ita sit, quare ergo Cain non est occisus, sed audiuit à Domino: *Maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.* Et reliqua quæ habentur dicto cap. 4.

Respondeo, quia Deus ad pœnam & omnium exemplum voluit illum superesse, vt vitam haberet pro supplicio, & diu viuere illi aliud non esset, quam diu torqueri. Hinc enim posuit Deus in Caino signum, id est, tremorem corporis & mentis, ac vultus consternationem, ita vt corpus & vultus peccatũ Caini loqueretur: hinc dicebat, *Omnis qui inuenerit me, occidet me.* id est, *ex tremore corporis, & furiatæ mentis agitatu, quisque eum me esse intelliget, qui mereatur interfici,* vt ait S. Hieronymus epist. 125. ad Damasum q. 1. Quod idem est ac si diceret: Sum catharma, sum anathema, sum odium Dei & hominum, non potero euadere, quin ab aliquo occidar: sed Deus illi respondit: *Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* id est, non ita erit, nam multipliciter & grauissimè punietur is, qui Cain occiderit: quia secundus erit homicida, qui primus malum exemplum Caini secutus fuerit, nec eius punitione tam graui, à cœde absterritus fuerit. Audi desuper Hieronymum loc. citato, vbi hunc locum sic explicat: *Verum Deus, nolens eum compendio mortis finire cruciatus, nec tradens pœnæ, qua seipse damnarat, ait: Non sic: id est, non, vt existimas, morieris, & mortem pro remedio accipies: verum viues vsque ad septimam generationem, & conscientiæ tuæ igne torqueberis: ita vt, quicumque te occiderit, secundum duplicem intelligentiam, aut in septimâ generatione, aut septimo liberet te cruciatu: non quod ipse, qui occiderit Cain, septem vltionibus subijciendus sit: sed quod septem vindictas, quæ in Cain tanto tempore cucurrerunt soluat interfector, occidens eum, qui vita fuerat derelictus ad pœnam. Vt autem, quod dicimus manifestius fiat, quotidianæ consuetudinis ponamus exemplum. Loquitur inter verbera seruus ad Dominum: quia incendi domum tuam, & vniuersam substantiam tuam dissipaui, interfice me. Dominusque respõdet: Non vt vis, morieris, & finies morte supplicia: verum longo tempore custodièris ad vitam, & tam infeliciter in hac luce versaberis, vt quicumque te occiderit, beneficium præstet occiso; dum te de tam multis liberet cruciatibus.* Hæc quoad legem naturæ. Hieron.

3. Porro in lege Mosaica Exod. 21. vetuit Dominus similiter iniustam voluntariam occisionem hominis, his verbis: *Qui percusserit hominem, volens occidere eum, morte moriatur.* Quod amplius est, vt quisque intelligeret enormitatem huius delicti, noluit Deus voluntarijs homicidis, esse ius asyli, seu refugij, ad loca sacra aut ciuitates ad hoc destinatas. Sic enim ait Exod. 21. *Si quis per industriam occiderit* Exod. 21. Ibidem.

derit proximũ suũ, & per insidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur. Hinc Salomon occidi iussit Ioab ad ipsũ altare, 3. Reg. 2. v. 31. & Num. 35. vbi dicitur: *De ipsis autem vrbibus, quæ ad fugitiuorũ subsidia separantur, tres erunt trans Iordanem, & tres in terra Chanaan, tam filijs Israël quàm aduenis atque peregrinis, vt confugiat ad eas, qui nolens sanguinem fuderit;* insinuans voluntario homicidæ ibi nullum esse locum. Ad cuius rei clariorem intelligentiam, Nota inter quadraginta octo ciuitates, quas Leuitæ & Sacerdotes in veteri Testamento, in terrâ promissâ tenebant, sex fuisse ciuitates refugij, ad quas tãquam ad asylum illi soli confugere poterant, qui sine sua culpa homicidium commiserant; ibique tuti essent, donec causa eorum examinaretur, idque vel in porta vrbis, ad quam confugerant, vel eo loco, vbi homicidium admiserant. Vnde ibi cognati occisi litem eis intentabant, in qua si innocentes deprehenderentur, puta fecisse cœdem, non ex proposito, sed ignoranter, casu, vel ad sui tutelam, remittebantur ad locum refugij, vt dicitur v. 25. sin nocentes deprehenderentur, puta scienter & ex proposito occidisse, occidebantur & ipsi.

3 Reg. 2. Num. 35.

Si verò contingebat aliquem interfectum esse, & auctorem homicidij esse occultum, iubebat Dominus id homicidium expiari, per mactationem vitulæ, & per protestationem magistratus de sua innocentia, vt habetur Deuteron. 21. his verbis: *Quando inuentum fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, hominis cadauer occisi, & ignorabitur cædis reus, egredientur maiores natu, & iudices tui, & metientur à loco cadaueris singularum per circuitum spatia ciuitatum: & quam viciniorem cæteris esse prospexerint, seniores ciuitatis illius tollent vitulam de armento, quæ non traxit iugum, nec terram scidit vomere. Et ducent eam ad vallem asperam & saxosam, quæ nunquam arata est, nec sementem recepit: & cædent in ea ceruices vitulæ: accedentque Sacerdotes filij Leui, quos elegerit Dominus Deus tuus, vt ministrent ei, & benedicant in nomine eius, & ad verbum eorum, omne negotium, & quidquid mundum, vel immundum est, iudicetur. Et venient maiores natu ciuitatis illius ad interfectum, lauabuntque manus suas super vitulam, quæ in valle percussa est, & dicent: Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt; propitius esto populo tuo Israël, quem redemisti, Domine, & ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel. Et auferetur ab eis reatus sanguinis: tu autem alienus eris ab innocentis cruore, qui fusus est, cum feceris quod præcepit Dominus.* Voluit autem Deus hanc vitulam ad hunc locum deferri, & occidi, quia vallis aspera horroris homicidij esset symbolum, adeoque ad terrendum rudem illum populum, & absterrendum ab homicidio, per externam hanc tristitiæ & funeris quasi pompam, perque victimam expiatoriam homicidij, cui, cum author esset occultus, communitas tota videbatur obnoxia, quasi quæ tale intra se sustineret membrum, nec satis supra gregem suum inuigilasset. Secundò, vt magistratus admoneretur vigilare, sontes persequi, & punire, ne vnius culpa prouocaret iram Dei aduersus totum cœtum Israël, & vt diligenter inquirendo sceleris auctorem magistratus populo satisfaceret. Tertiò, vt auctor sceleris, si inter eos fuisset, proderetur. Est enim naturale quoddam quasi miraculum, ait Abulens. vt si occisor aduenerit ad cadauer occisi, vulnera sanguinem sudent, idque non tantum fit, cùm recenter quis occisus est, sed etiam cùm à multis diebus: imo ex ipsius nudis ossibus solet interdum cruor effluere, vt multoties visum est, Deo videlicet criminis tam enormis auctorem hoc signo ostendente. Quod Plutarchus Ammoni, & Suetonius Caligulæ accidisse, memorię prodiderunt. Solet enim Deus miro iudicio varijsque modis & indicijs

Deut 21.

Genes. 9. indeque indixit, Genes. 9. *Carnem cum sanguine non comedetis.* Et addidit: *Sanguinem enim animarum vestrarum, requiram de manu cunctarum bestiarum.* id est, Ita vindicabo hoc malum, vt etiam bestias puniam, si contingat illos hominem occidere. Hinc Deus Exod. 21. statuit hanc legem: *Si bos cornu percusserit virum vel mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & non comedentur carnes eius:* non ob bouis culpam (hęc enim in bruto esse non potest) sed ad terrorem & exemplum hominum, vt magis ab homicidio absterreantur. Vnde sic Theodoretus q. 42. in Exodum: *Lex iubet occidi taurum cornupetam, vt ex animalibus irrationabilibus doceat homines rationales, quam graue scelus habeatur homicidium.* Eius verò carnes & à communi & à sacro conuiuio arcebantur; ea de causa, vt notat Philo Hebr. lib. de specialibus legibus, *Quia non est,* inquit, *purus cibus homini, animal, quod interfecit hominem.* Quasi periculum esset, ne cibus homicidio infectus vllam contagionis labem in hominem comedentem transferret, qua & ipse corrumperetur. Porro quando feritas bestiæ dominum latebat, innocens erat, sed si constabat cornupetam fuisse ab heri & nudiustertius, & periculi eius esset admonitus, vt nempe talem bouem recluderet, ne is aliquem feriret, dominus æquè occidendus erat, ac bos.

Exod. 21.

Theodor.

Philo.

4. Sed quæres, quare Deus tam strictè homicidium vetuit, ac in homicidam voluit animaduerti? Respondeo, primò quia ad imaginem Dei factus est homo: quæ ratio allegatur Genes. 9. vbi Deus voluit sanguinem cum carne non comedi, vt scilicet homines hac ratione, vt dixi, absterrerentur ab effusione sanguinis humani.

Ibidem.

Secundò, quia, vt inquit Seneca, *Ferina rabies est, sanguine, & vulnere lætari.* Et reuera ita est; non enim homini hoc conuenit, sed immanibus & feris bestijs, vt sunt vrsi, tigrides, lupi, alterum mactare, occidere, sanguinem fundere, neci dare.

Vnde hæc causa impellebat Ruben, & Iudam, vt fratribus suis Ioseph puerum occidere, & tunicâ sanguine tinctâ, patri suo seni illudere volentibus, ita acriter sese opposuerint, ne tantum fratricidij crimen perpetrarent: *Audiens autem hoc Ruben,* inquit Scriptura, *nitebatur eum è manibus eorum eripere, & dicebat: Non interficiatis animam eius, nec effundatis sanguinem.* Et Iudas: *Quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum? & celauerimus sanguinem ipsius? manus nostræ non polluantur, frater enim & caro nostra est:* quasi dicerent, Abhorret natura, vt tanto scelere in carnem nostram ac sanguinem sæuiamus. Genes. 37.

Sentiebant sanè hũc naturæ horrorem aduersus homicidium & læsionem quamcumque vitę proximi, gentiles illi nautę, priusquam Ionam in mare deijcerent, & in certissimum vitæ discrimen immergerent. Quid enim eorum omiserunt, quę Ionę vitam seruare potuissent? quàm varijs modis ipsam seruare studuerunt? quin imò dum ipse Ionas vrgeret, vt diuinæ voluntati morem gererent, &, quandoquidem tempestas tanta exorta esset ob ipsius culpam, ipse in mare præcipitaretur, vt nauis iactari desineret, priùs tamen veniam deprecati sunt, excusationes varias obtenderunt, purgarunt, purificarunt, eiectis dolijs, exonerata & alleuiatâ naui, missis sortibus, requisito Ionæ consensu, homicidij necessitatem auertere conati, tandem ad preces se conuerterunt, *& clamauerunt ad Dominum, & dixerũt: Quęsumus, Domine, ne pereamus in anima istius viri, & ne des super nos sanguinem innocentem: quia fecisti tu Domine, sicut voluisti.* Tanta erat illis huius grauissimi criminis formido. Ionæ 1.

Tertiò, quia homicidium alia peccata superat, nam reliqua flagitia dumtaxat exsiccant fontium riuulos, conuellunt ædificiorum parietes, humanarum arborum detruncant ramos: at homicidium

fontem, fundamenta, radices petit. Dicam clarius quod intendo: Crimina reliqua cuiuscumque notæ inuadunt diuitias, famam, & similia proximorum bona: hoc personam & ipsam vitam. Reliqua peccata, vel silent, vel parcius vindictam expetũt: at hoc clamat in cœlum vsque, & societatem init cum Sodomia, oppressione pauperum, defraudatione mercenariorum, vindictam de cœlo instantissimè exposcentibus.

Gen. 18. Exod 2. Iacob 5

5. Verum enimverò dices: Quid hoc ad nos? Pauci enim è populo & rarissimè gladio alios interficiũt, de quo dictum est Matth. 26. *Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit.* Et Apocal. 13. *Qui in gladio occiderit, oportet eum in gladio occidi.*

Matth 26. Apocal 13.

Respõdeo, propter paucos etiam necesse esse: Si enim Dominus vnam ouem quæsiuit errantem, relictis alijs nonaginta nouem in deserto, iuxta parabolam Luc. 15. quid ni ego ob paucos gladio interficientes hæc non omittam? Verum ne mireris, dico ad vos etiam plurimum hoc præceptum pertinere, quamuis enim non gladio, tamen alijs modis sæpè proximum occiditis, nempe verberando, aut percutiendo ligno vel calce, tum alios, tum sæpè vxores proprias; item lapidem iaciendo, odio in foueam vel ignem impellendo, aut iussione hoc procurando. Quod prouidens edixit Dominus Exod. 21. *Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit,* &c. indicans hoc modo alium occidi posse. Et ibidem vers. 22. *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem*, quæ fortè marito rixante interuenit, eumque vel adiuuare voluit, vel rixantes, seque mutuo percutientes separare: *& abortiuum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subiacebit damno quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint* Quod intellige de abortu fœtus necdum plenè formati & animati. *Sin autem mors eius fuerit subsecuta, reddet animam pro animâ*, seu vitam suam pro vita mulieris, quam occidit. Idem erat iudicium, si percutiens non occidisset prægnantem, sed illi prolem iam animatam excussisset, & sic enecasset: Hic enim, vtpote infãticida, perinde reus erat mortis, atquè matricida. Id disertè significant Septuaginta, quos secutus Philo Iudæus libro de Specialibus legibus, vbi sic ait: *Si quis rixando cum muliere grauida pugnos in ventrem inflixerit, ita vt abortus sequatur, si abortiuum informe fuerit, mulctetur, tum propter violentiam, tum quia fuit impedimento naturæ exorsa opificium hominis animalis pulcherrimi. Quod si formatus fœtus absoluta membra, & in ordinem digesta habuerit, moriatur percussor.* Cuius ipse mox rationem reddit: *Iam enim, inquit, erat homo, qui in naturæ officina interemptus est, nondum ab ea prolatus in lucem, similis statuæ latenti apud fictorem suum, & nihil aliud expectanti quàm dum libeat illi spectandam proponere populo.* Neque id mirum: duplex enim committit talis percussor homicidium, corporale videlicet & spirituale. Res planè horrenda, quam vel Elisæus dumtaxat præuidens per Hazaelem futurum ad lachrymas commotus est. Cum enim præsciret Benedad Regem Syriæ moriturum, & Hazaelem successurum in eius locum, *stetit cum eo*, inquit Scriptura, *& conturbatus est vsque ad suffusionem vultus, fleuitque vir Dei*: & Hazaele interrogante; *Quare Dominus meus flet?* respondit: *Quia scio quæ facturus sis filijs Israël mala. Ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum elides, & prægnantes diuides.* Quæ duo postrema diræ & barbaræ sunt crudelitatis, infantes elidere & prægnantes dissecare. Nam ex illa causa acceleratur in Gentem aliquam vindicta Dei, vt patet Amos 1. capite, vbi sic Propheta: *Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus filiorum Ammon, & super quatuor non conuertam eum; eo quod dissecuerit prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum.* id est, Propter alia plurima Ammonitarum scelera, sed præcipuè propter quar-

Exod 21. Philo. 4. Reg. 8. Amos 1.

quartum, quod scelerum mensuram impleuit, non auertam ab illis impendentem cladem. Quia vt fines suos, Galaatidis sublatis, latè propagarent, vsque adeò in illos sæuierunt, vt neque à dissecandis euiscerandisque prægnantibus abstinuerint. Quapropter tanquam flammã, immittam hostiles acies in Rabba, quæ eo vlulatu, quo victores solent, & impetu ad turbines instar concitato, exscindant muros, & domos subuertant.

Porrò si consideres neminem posse introire in regnum cœlorum, nisi renatum ex aquâ & Spiritu sancto, Ioan. 3. adeoque nullam remanere spem fruendi beatificâ visione Dei, dignosces factum huiusmodi, per quemcumque proles animata extinguitur, tantò esse crudelius. De illa enim gloria sic Chrysost. epist. 5. ad Theodorum lapsum: *Si quotidie foret infinities moriendum, ferendum tamẽ foret: præterea gehennam, tormentaque omnia conuenit sustinere, vt videre queas Christum venientem in gloria sua, & conscribi ordini Sanctorum.* Vnde D. Cyprianus epist. 49. detestabilia Nouati describens scelera, inquit: *Spoliati ab illo pupilli, fraudata vidua, pecunia quoque Ecclesiæ denegata, has de illo exigunt pœnas, quas in eius furore conspicimus. Pater etiam eius in vico fame mortuus, & ab eo in morte postmodum nec sepultus. Vterus vxoris calce percussus, & abortione properante in parricidium partus expressus.* Et quamuis in veteri Testamento fœtus inanimati excussio ad arbitrium Iudicum dumtaxat puniatur; tamẽ Ius Canonicum talem excussorem vult vt homicidam teneri. Sic enim discernit ex Cõc. Guarmac. tit. Decret. de homicidio, *Si aliquis ea explendæ libidinis, vel odij meditatione, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potãdum dederit, vt non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, vt homicida tenetur.* Vnde Christiani in primitiua Ecclesia, ab illo scelere, vt homicidio abstinebant. testis est Tertull. qui Apolog. c. 9. eximẽs Christianos à calumnia Gentilium, quâ infanticidium ipsis Eucharistiam sumentibus imponebant, quod Ioan. 6. dicatur: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus;* ipsique credebant illam sumptionem aliter fieri non posse, quam per infanticidium, sic ait: *Nobis verò homicidio semel interdicto, etiam conceptum vtero, dum adhuc sanguis in hominem debilitatur, dissoluere non licet. Homicidij festinatio est, prohibere nasci: nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet: homo est, & qui est futurus, & fructus omnis iam in semine est.* In quæ verba sic Pamelius: *Gentes aliæ infantes passim occidere non curant, nobis verò inter principalia præcepta traditur, vt ab omni nos homicidio seruemus impollutos. Vnde non modò in lucem iam editis hominibus, sed ipsis etiam embrionibus diligenter cauisse volumus, non minus criminis in perdendo semine, à quo omnis est fructus, credentes admitti, quam in eo quod natum est; neque leuius esse putamus natales impedire, quam interimere natum.*

Ioan. 3.
Chrysost.
Cyprian.
Conc. Guarmac.
Tertull.
Ioan. 6.

6. Cæterum Deus Num. 35. cap. alios occidendi modos non prætermisit, dum has leges condidit: *Si quis ferro percusserit, & mortuus fuerit, qui percussus est: reus erit homicidij, & ipse morietur. Si lapidem iecerit, & ictus occubuerit: similiter punietur. Si ligno percussus interierit: percussoris sanguine vindicabitur.* Et, *Si per odium quis hominem impulerit, vel iecerit quippiam in eum per insidias: aut cũ esset inimicus, manu percusserit: & ille mortuus fuerit, percussor homicidij reus erit.* Adhæc recole quoties audiueris à dicentibus, hic ligno, hic forcipe percussus interijt, ille veneno extinctus, vel vxoris operâ maritus, vel è contra mariti nequitiâ vxor; an refert quo modo? Minimè, nisi iuxta id quod Iurisconsultus dicit l. 1. C. de Maleficis: *Plus est & atrocius, homines veneno extinguere, quam ferro necare.* Num. 35.

Numquid in Scriptura quoque dicitur per Prophetam Ps. 56. *Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Numquid hoc modo impegit in hoc Præceptum Dauid 2. Reg. 11. quando Vriam iussit ex aduerso belli constitui, vbi fortissimum esset prælium, & Ps. 56. 2. Reg. 11.

percussus interiret. De quo dixit illi postea Propheta 2. Reg. 12. cap. *Interfecisti eum gladio filiorum Ammon, quamobrem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum, eò quod despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethæi, vt esset vxor tua.* In hoc etiam impegit Iesabel vxor Achab, quando Naboth denegauerat vineam Achabo commodam, cùm ipsum curasset sedere inter primos populi, & submisit duos filios Belial, qui contra eùm falsum testimonium dicerent, quòd benedixisset Naboth Deum & Regem, eaque de causa mandavit lapidari. Quapropter dixit Elias ex mādato Domini: *In loco, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* Sed & de Iesabel ait Scriptura: *Locutus est Dominus dicens: Canes comedent Iezabel in agro Iesrahel. Si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedent eum canes: si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cæli.*

2. Reg. 12.

3. Reg. 21.

His accedunt, qui consulunt aliorum mortē, qualis fuit Caiphas, qui suadens mortem Christi, dixit Ioan. 11. *Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Etiam in hoc pręceptum impingunt, qui suadent balistæ, vel bombardę, vnde talis, vel talis occidatur, teste Apostolo: *Digni sunt*, inquit, *morte, nō solum qui faciunt ea, sed & qui consulunt facientibus.* Nec interest, vt ille, in cuius perniciem consilium cedebat, illicò aut interiecto tempore occidatur.

Ioan. 11.

Rom. 1.

7. Denique censentur voluntarij homicidæ, qui tenentur ex officio alterius vitam tueri, & negligunt: illis enim dicitur Prou. 24. *Erue eos, qui ad mortem ducuntur, & qui trahuntur ad interitum liberare non cesses.* Et D. Ambrosius in Officijs inquit: *Qui non repellit à socio suo iniuriam, tam est in vitio, quam ille qui facit.* Sic homicida fuit Pilatus, qui Christum à morte non liberauit, cùm id tamen facere potuisset, vt ipse fatetur, cùm dicit Ioan. 19. *Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere. In quorum numero*, inquit Hesselius, cap. 159. in Decalog. *etiam sunt parentes, quorum proles in ignem ruunt, vel in aquam, vel à bestijs deuorantur* (cum videlicet id contingit, ex supina parētum negligentia) *vel quorum filij moriuntur, quod non satis commodè educati fuerint*: intellige quando cum periculo suffocationis iuxta matrem in lecto reponuntur. Grauis enim illa est sæuitia, non aliam curam gerere. Vnde consultus 2. q. 5. c. *Consuluisti.* Pontifex Stephanus V. de infantibus, qui vno lecto dormientes cum parentibus mortui reperiuntur, quā ratione se purgare debeant, respondit, Ferri cādentis, vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri à quolibet per Canones nō licere, & occulta Deo esse relinquēda, qui solus nouit corda filiorum hominum, & addit: *Hi autem, qui probantur, vel confitentur talis reatus se noxios, tua eos castiget moderatio. Quia si ille, qui conceptum in vtero per abortum deleuerit, homicida est, quantò magis, qui vnius diei puerulum peremerit, homicidam se esse excusare nequibit?*

Prou. 24.

Ambros.

Ioan. 19.

Hesselius.

Et meritò, nam ea de causa Ieremias Threnor. 4. lugens lapsum vrbis, & templi, ac totius populi, non solum deplorat factum mulierum coquentium filios, & deuorantium, vt notant ibidem auctores: sed etiam quod filiorum curam deseruerint, & neglexerint, in verbis: *Sed & lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.* id est, crudeles feræ nudāt mammas, ijsque lactant & alunt catulos suos: solæ fœminæ Hierosolymitanæ præ fame ita factæ sunt crudeles in filios suos, vt non tantùm eis lac negarint, sed & eos à se repulerint quasi struthio, qui deserto assuetus vagatur, oua sua derelinquit, & pullorum curam negligit.

Thren. 4.

8. Sed quæres an par ratio sit de homicidio casuali. Respondeo negatiuè. Casuale enim dicitur, quod in se nec in sua causa est voluntarium; seu, quando quis in opere periculoso sufficientem cautelam adhibuit; aut tegulas ex alto abijciens, aut arborem scindens, aliudque simile

mile faciens, transeuntes de periculo præmonuit: tales namque Dominus excusat à pœna, eò quod non sit culpa, Numer. 35. cum dicit: *Quid si fortuitu, & absque odio & inimicitijs quidquid horum fecerit*, hoc est lapidem iecerit, ligno percusserit &c. *& hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem & propinquum sanguinis quæstio ventilata: liberabitur innocens de vltoris manu.* Sic rursum vulnerans non lethaliter, excusatur ab homicidio, licet mors sequatur, non ex vulnere, sed vel ex malitia medici, qui noxia posuit; vel negligentia eiusdem, vel temeritate læsi, qui remedia opportuna adhibere noluit. Num. 35.

9. Quæres ergò, Quare in veteri Testamento casualis homicida debuerit manere in ciuitate refugij, vsque ad mortem summi Pontificis.

Respondeo, id factum fuisse, non quia reus erat, sed primò vt longitudine temporis ira & acerbitas cognatorum mitigaretur: licebat enim amicis interfecti casualem homicidam inuentum extra vrbes refugij, non sine peccato, sed impunè occidere. Altera causa erat allegorica, vt significaretur vera libertas, quæ per Pontificis Christi mortem homicidis, id est peccatoribus omnibus parta est.

10. Quæres denique, An ebrius aliquem occidens homicida casualis censeatur.

Respondeo, distinguendum esse. Vel enim inuoluntariè se inebriauit, & sic hominem occidit; vel cum culpâ, nullam habens consuetudinem perspectam tum quempiam occidendi; vel voluntariè se inebriauit, animi propensionem, & rixandi in ebrietate consuetudinem perspectam habens. Si prius, extra omnem culpam est: talis erat ebrietas Noë nondum agnoscentis vini virtutem, Genes. 9. Si alterum, casualis homicida censetur: licet enim peccet ille peccato incontinentiæ, quatenus ebrius, non tamen contra iustitiam peccato homicidij, vtpote de quo nec cogitauit, nec probabiliter cogitare poterat aut debebat. Et hac ratione Sanctus Augustinus libro 22. contra Faustum capite 44. factum Loth Genes. 19. excusat: *Inebriauerunt eum, & se nescienti miscuerunt: quapropter culpandus est quidem, non quantum ille incestus, sed quantum illa merebatur ebrietas.* Si verò tertio modo quis se inebriarit, & homicidij periculum suspicari debuerit, duplicis peccati reus erit, nempe intemperantiæ, & etiam iniustitiæ, si tunc occidat: quamuis homicidium in ebrietate commissum, non ordinariæ, sed arbitrariæ pœnæ subiectum sit, iuxta l. *omne delictum*, §. *per vinum*, ff. de re militari. Ratio est. quod indirectè tantum sit voluntarium, & in causa sua culpabile. Qui verò cognitam habens propensionem se inebriat, vt hominem occidat, secuto effectu, tamquam voluntarius homicida puniendus venit. Genes. 9. Augustin.

Discursus II.

An sit contra dictamen rectæ rationis Magistratum quoscumque peccatores Reipub. perniciosos palam è medio tollere?

13.  Paulus ad Rom. 13. dicit de Iudice: *Si malè egeris, time: non enim sine causa gladium portat, minister enim Dei est.* Quibus verbis Apostolus dicit, gladium datum à Deo Principibus, seu Magistratui contra facinorosos sine vlla exceptione. Nihilominus res in dubium ab aliquibus vertitur: hinc inquiram quod in argumento ponitur.

1. Ratio huius inquisitionis est, quod Anabaptistæ negent licere Christiano Magistratui improbos punire, quia ad vetus Testamentum spectet, oculum pro oculo, dentem pro dente rependere, id est, legem talionis seruare, quale habetur
Exod. 21. Exod. 21. v. 23. Et ad nouum Testamentum, vt ipsi aiunt, *non resistere*
Matth. 5. *malo,* iuxta illud Matth. 5. *Dictum est antiquis oculū pro oculo, dentem pro dente,* &c. *Ego autem dico vobis, non resistere malo.* Secundò, quia olim Donatistæ,
Conc. Constant. & in Concilio Constantiensi sess. 15. cap. 14. Iohannes Hus, & postea Lutherus docuerunt hæreticos non esse morte puniendos. Tertiò, quia aliquis Doctor, licet Catholicus, nullum vult malefactorem publicâ authoritate interfici, nisi expressum in lege veteri; vt ariolum, adulterum, homicidam, blasphemum, & maledicentem parentibus, iuxta ea
Leuit. 20. Deut. 21 & 22. Exod. 21. quæ habentur Leuit. 20. Exod. 21. Deuteron. 21. & 22.

2. Contra quos errores Dico resolutè, omnino licere Magistratui gladio punire quoscumque malefactores Rempublicam turbantes: eò enim tendunt verba Saluatoris dicta
Matt. 26 Petro Matth. 26. *Qui acceperit gladium, gladio peribit.* id est, qui non habens publicam authoritatem, iniuriam alteri factam vlcisci vult, & sic cœdem iniustam committere, potest & debet à Magistratu pariter occidi. Hoc docet expressè D. August. August.
lib. 21. contra Faustum c. 70. *Qui sine publicâ,* ait, *administratione, maleficum etiam interfecerit, velut homicida iudicabitur. Hinc erat etiam illud Petri, cum euaginato gladio volens defendere Dominum, aurem persecutoris abscidit, quod factum satis minaciter Dominus cohibuit, dicens: Reconde gladium: qui enim gladio vsus fuerit, gladio cadet. Ille autem vtitur gladio, qui nulla superiori potestate, ac legitima iurisdictione, vel iubente, vel concedente, in sanguinem alicuius armatur. Nam vtique Dominus iusserat, vt ferrum discipuli eius ferrent; sed non iusserat, vt ferro ferirent. Quamobrem dum ciuilis magistratus exules suos, & quos sine banno publico, siue relegatione damnauit, ob scelera morte condemnatos, cuilibet etiam priuato homini licitè occidendos obtrudit, qui gladium in eos distringit, non priuata, sed publica authoritate ad vindicādas Reipublicæ iniurias, id fecisse censendus est.* Deinde hoc indicant clarè verba Pauli Rom. 13. vbi Principes seu Superiores vt Dei ministros dicit esse vindices in iram eis, qui malè agunt. Suffragatur D. Augustin. lib. 1. de Ciuitat. cap. 21. dicens: *Nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est, Non occides, qui personam gerentes publicæ potestatis sceleratos morte puniuerunt.* Et D. Hieronymus in Ierem. Hieronym.
c. 22. *Homicidas,* inquit, *& venenarios punire non est effusio sanguinis, sed legum ministerium.*

Adhæc ipsa ratio dictat, tales esse morte puniendos, ex illo Paulo 1. Cor. 5. *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit.* id est, Nescitis hoc vnius fornicarij exemplum, si multum maneat, alios imitari, eiusque labem omnes vos quasi fermen- 1. Cor. 5.

fermentum, quod totam farinę conspersæ massam acore suo inficit, persuadere & aspergere? eum ergo per excommunicationem separare. Ad hunc enim modum pertinet ad eum, cui bonum commune tueri commissum est, partem vnam noxiam amputare, ne bonum commune pereat: sicut agricolæ amputant ramos, & sarmēta, quę officiunt viti, vel arbori: & medicus membra, quæ totum corpus inficere possunt. Hoc autē fit per iustitiam, talē ad mortem condēnando, sine quâ, vt alicubi dicit Augustinus, regna fierent latrocinia.

3. Verùm dices, Quid respondes ad argumentum Anabaptistarum? Respondeo, Christum non prohibere pœnam talionis inferre: hoc enim ipse in lege naturæ mandauit, cum dixit Genes. 9. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*. Et in lege Moysis Exod. 21. edixit: *Sin autem mors eius* (nempe mulieris interuenientis, & maritum adiuuare volentis, ac à viro percussæ) *fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore*. Et Leuit. 24. *Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium suorum: sicut fecit, sic fiet ei: fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet. qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur*. Idque ne magistratus pœnæ modum excederet, vel non attingeret, statuit. Et simile hodie obseruatur, quia lex talionis, vt Philosophi docent, maximè naturalis est, & omnium gentium opinione iustissima, vt quod quisque fecit, idem patiatur. Vnde inter Leges, duodecim Tabularum, quæ quasi naturæ erant documenta, vna erat huic similis lex, his concepta verbis: *Si membrum rupit meum, ex pacto talio esto*. Itaque non prohibet magistratibus, sed priuatis hominibus, qui non erant magistratum administraturi, propriâ authoritate acceptam iniuriam retaliare: vt enim apparet, Scribæ hanc legem ita explicarant, quasi liceret, & iustum esset vindictam petere, & acceptam iniuriam pœnâ talionis punire propriâ authoritate. Deinde Dominus perficiens hanc legem, quâ volebant Scribæ priuatum ius facere, si non grauiore male vltionem quæreret, & inferret, addit: *Ego autem dico vobis, non resistere malo. Sed si quis te percusserit in maxillam vnam, præbe ei & alteram. Et ab eo, qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere*. Quibus verbis significat Dominus, talem debere esse tolerantiam, qua ab vltione petenda adeò abhorreat animus, vt plura etiam ferre non grauetur, & omnino eam ferre paratus sit, quandocumque id charitas & Dei gloria videbitur postulare, potius quam vltionis aliquid ob acceptam iniuriam meditari. Itaque hoc est præcepti; alterum consilij, vt quamuis neque charitas, neque Dei gloria id à nobis exigat; mortificationis tamen nostræ causà ad verbum hæc omnia faciamus; non quidem irritantes aduersarium ad inferendam iniuriam, sed nos ipsos ad excipiendam inuitantes. Sic Laurētium dixisse traditur: *Assatum est iam, versa & manduca*.

Genes. 9.
Exod. 21.
Leuit. 24
Matth. 5.
Luc. 6.

Hæc autem verba non aliter intelligenda esse, constat exemplo Christi Domini, qui lingua restitit, cum Ioan. 18. ministro alapam ipsi infringenti, & interroganti: *Sic respondes Pontifici?* dixit: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; Si autem bene, quid me cædis?* hoc enim requirebat gloria Dei, vt sic Christus suam innocentiam palam faceret. Et exemplo D. Pauli, qui iussu Iudicis percussus non solùm alteram maxillam non præbuit, sed quantum potuit, vtique restitit, & seuerè respondit: *Percutiet te Deus paries dealbate*. Act. 23. Cœsus autem virgis, & in vincula coniectus, ius suum pertinaciter prosecutus est, dicens: *Cæsos nos publicè indemnatos homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occultè nos eijciunt? non ita, sed veniant, & ipsi nos eijciant*. id est, Veniat Magistratus ipse, & declaret nos iniustè cœsos, nostramque innocentiam euulget; id enim

Act. 23.
Act. 16.

id enim gloria Dei, & charitas proximi postulabat, vt non tanquam superstitiosus & seditiosus haberetur Paulus, & ex gratiâ liberatus: sed vt eius innocentia palam esset; vt sic eius prædicatio non vilipenderetur. *Cum*, vt docet D. Gregorius homil. 17. in Euangelia, *necesse sit, vt cuius vita despicitur, doctrina quoque & prædicatio contemnatur.* Adeò vt ex his pateat Dominum hic nihil præcipere, quod ad magistratum attinet, alioquin Paulus magnopere errasset, cùm ad Roman. 13. dixit, Principem esse vindicem Dei in iram, & non sine causa gladium portare: sed tantum, quod priuatis non liceat vindictam sumere propriâ authoritate, non autem illicitum esse iniuriato per magistratum famæ suæ consulere absque animo vindictæ. Hæc sufficiant ad diluendum errorem Anabaptistarum.

Rom. 13.

4. Iam quæro de secundo, An hæretici possint morte mulctari propter hæresim?

Respondeo affirmatiuè, ex eo quod Moyses in veteri Testamento iussit occidi Idololatras, qui vitulum aureum adorauerant, & sic à fide vnius Dei recesserant. Sic enim legitur dixisse Exod. 32. *Si quis est Domini iungatur mihi*, seu qui non vituli, sed Domini seruus & cultor, quique zelum habet Domini, vt iniuriam illi per hunc vitulum illatam vlciscatur, hic mihi societur: & congregatis ad eum omnibus filijs Leui, id est permultis, dixit: *Ponat vir gladium super femur suum: ite & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.* id est, occidat quemlibet sibi occurrentem, etiamsi arctissimè sibi coniunctus. Et occisa sunt iuxta eius præceptum viginti tria millium hominum: quia plerique omnes in populo rei & conscij erant Idololatriæ vituli; idque satis tū voce, tum choreis, tum ebrietate alijsque modis prodebant. Elias quoque 3. Reg. 18. quadringentos quinquaginta Prophetas Baal interfecit. Iehu 4. Reg. 10. alios: Mathatias 2. Machab. 2. quemdam etiam Judæum sacrificantem idolis trucidauit. Porro huiusmodi pœnam fuisse iustam, patet, quia Dominus sæpè ob similem causam, eandem iussit infligi, nempe Leuitic. 20. vbi iussit parentes, filios Idolo Moloch offerentes, morte puniri, in verbis: *Si quis dederit de semine suo Moloch morte moriatur.* Et Numer. 25. vbi iussit Moyses nomine Dei, vt Principes in criminosos inquirerent, qui seducti à mulieribus Madianitis & Moabitis Beelphegor idolum coluissent, & quos reos reperirent, plecterent, in verbis: *Dixitque Moyses ad Iudices Israël, Occidat vnusquisque proximos suos, qui imitati sunt Beelphegor.* Quibus verbis iubet conuictos suspendi, vt vers. 4. dixerat: *Tolle cunctos principes & suspende eos contra Solem in patibulis, vt auertatur furor meus*; qui alioqui in totum populum, vel consentientem vel negligentem has sordes punire, desæuiret. Et Deuteron. 13. vbi dicitur: *Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus vel filia, siue vxor quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis vt animam tuam, clàm dicens: Eamus, & seruiamus dijs alienis, quos ignoras tu, & patres tui, cunctarum in circuitu gentium, quæ iuxta vel procul sunt, ab initio vsque ad finem terræ, non acquiescas ei, nec audias, nec parcat ei oculus tuus, vt miserearis & occultes eum: sed statim interficies. sit primum manus tua super eum, & postea omnis populus mittat manum. Lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo, qui eduxit te de terra Aegypti, de domo seruitutis: vt omnis Israël audiens timeat, & nequaquam vltrà faciat quippiam huius rei simile.* Id autem fiebat erga eos, qui publicè per accusatores & iudices condemnati erant. Et ratio erat, quod nihil magis Rempub. turbabat, quam Idololatria.

Exod. 32. 3. Reg. 18. 3. Reg. 10. 2. Mach. 2. Leuit. 20. Deut. 13.

5. Ex his sic argumētor: In lege veteri statuta fuit mors in Idololatras, eò quod essent perturbatores Reipublicæ: at hæretici non minùs turbant pacem & tranquillitatem Reipub. ac Idololatræ; imò vocantur Pseudoprophetæ, fures, & latrones

Anti-

Antichristi, & seductores, vt probaui ex Scriptura in Discursu 14. in præcedens Præceptum. Ergo iustè morte puniuntur, & iusta est lex ciuilis *Quicumque*. C. de Hæreticis, quę iubet pœnâ capitis hæreticos plectere.

6. Dices, Hæretici non turbant pacem politicam, sed tantùm Ecclesiasticam; & ideò non debent puniri à magistratu politico, pœnâ corporali; sed tantum ab Ecclesiastico, pœnâ spirituali.

Respondet ad hanc obiectionem Becanus in 2.2. cap. 15. q. 6. num. 6. in hunc modum: *Hæretici turbant vtramque pacem. Primò quidem, ac per se, pacem Ecclesiæ, quæ consistit in vnitate fidei*, Ephes. 4. 5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Deinde *consequenter, pacem Reipublicæ, quæ sine vnitate fidei conseruari non potest. Vbi enim est publica animorum dissensio (quam introducunt Hæretici) ibi pax publica esse non potest. Hoc testatur Christus, cum ait: Omne regnum in se diuisum desolabitur. Testantur exempla hæreticorum. Quas turbas toto Oriente excitarunt Ariani? Quas in Græcia Macedoniani? Quas in Africa Donatistæ & Circumcelliones? (de quibus Augustinus epist. 68. ad Ianuarium Donatistam.) Quas in Imperio Romano Iconomachi & Albigenses? Hussitæ in Bohemia? Caluinistæ in Anglia, Gallia, Belgio, Polonia? Lutherani in Germania, tempore belli rusticorum? Tædet ac pudet referre; tam nota, tam prodigiosa sunt. Et quid mirum? Nulla vnquam familia fuit, in qua dissentiens religio pacem non turbarit. Exemplo sit discordia inter Isaac & Ismaelem in familia Abrahæ: inter Iacob & Laban in Mesopotamia: inter Mosen & vxorem Sephoram, dum proficiscerentur in Aegyptum. Quomodo ergo in toto regno, prouincia, ciuitate, pax, & concordia sperari potest, vbi religionis ac fidei est summa discordia? Vidit hoc olim Iulianus Apostata, qui cum Christianorum Ecclesiam turbare ac pessumdare vellet, libertatem ac varietatem doctrinarum induxit. Refert Ammianus, & ex illo Lipsius in libro contra Dialogistam de vnâ religione.*

Hæc omnia cõfirmari possunt ex natura hæreseos. Nam vbi hæresis, ibi superbia, vbi superbia, ibi discordia. Hinc infero: Cum hæretici superbi sint, sanè si à nobis dissident in administratione Sacramentorum; si templa & Monasteria nostra euertunt; si altaria & imagines destruunt; si Episcopis & Clero illudunt; si ritus & cærimonias contemnunt; si sacrificia, ieiunia, dies festos execrantur: quomodo in rebus politicis concordiam & pacem nobiscum seruare possunt? Id præter consuetudinem & ingeniũ illorum est. Qui olim coniunctiores, quam Iudæi & Israelitæ? At postquam altare contra altare, templum contra templum erectum est; mox inexpiabili dissidio dissecti & dissociati sunt.

His addo plurima mala causari ex eo, quod hæreseos authores sub initio è medio non tollantur: vt enim ait Paulus Galatis, qui recipiebant pseudo doctores, docentes legem Moysi cum Euangelio seruandam, *Modicum fermentum totam massam corrumpit*. In quem locum sic Hieronymus: *Sensus iste est: nolite putare paucorũ hominum, qui de Iudæa venientes aliud docent, insidias contemnendas. Scintilla res parua est, & penè dum cernitur, non videtur, sed si fomitem comprehenderit, & nutrimenta sui quamuis paruus ignis inuenerit, mœnia, vrbes, latissimos saltus, regionesque consumit. Fermentum quoque, cuius ad aliam partem in Euangelio parabola temperata est; res modica videtur & nihili, sed cum farinæ conspersum, totam massam suo vigore corruperit, in illius vim transit omne, quod mixtum est: ita & doctrina peruersa ab vno incipiens, vix duos aut tres primum in exordio reperit auditores, sed paulatim vt cancer serpit in corpore, & iuxta vulgare prouerbium, vnius pecudis scabies, totum commaculat gregem. Igitur & scintilla statim vt apparuerit, extinguenda est, & fermentum à massa vicinia semouendum, secanda putrida carnes, & scabiosum animal à caulis ouium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereant. Arius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est.*

7. Sed dices Matth. 13. iubet Dominus permitti zizania, & triticum crescere in messem, id est, vsque ad extre-

Becanus. Ephes. 4. August. Galat. 5. Hieronym. 2 Tim. 2. Matt. 13.

extremum iudicium, id est, hæreticos non esse eradicandos, sed simul cum Catholicis in eodem agro seu Ecclesia relinquendos; ac per zizania intelliguntur hæretici: Ergo &c.

Respondeo, sic esse intelligenda verba Christi, vt Superiores debeāt scire, se non posse tollere zizania, quamdiu certò ac legitimè non constat ipsos hæreticos esse. Quo sensu dixit Apostolus, *Nolite ante tempus iudicare quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordiū.* Vnde Hieronymus: *Præmonet Dominus, ne vbi quid ambiguū est citò sententiam proferamus, sed Deo iudici terminū reseruemus, vt cùm dies iudicij venerit, ille non suspicionem criminis, sed manifestum reatum de Sanctorum cœtu eijciat.* Rursum ita intelligenda sunt verba, vt hæretici occidi non possint, quando ita permixti sunt Catholicis, vt sine eorum præiudicio è medio tolli nequeant: id significant verba illa, *Ne fortè eradicetis simul & triticum.* Sin autem certò & legitimè constet hos vel illos esse pertinaces hæreticos, possunt sæparari à Catholicis, quia periculum non est, ne cum ijs ipsi eradicentur. Quo sensu idem Apostolus dicit 1. Cor. 5. v. 13. *Auferte malum ex vobismetipsis.* Et 2. Thessal. 3. vers. 14. *Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, vt confundatur.*

1. Cor. 4. Hieronym. 1. Cor. 5. 2. Thessal. 3. 14.

Addam, quæ ad maiorem elucidationem ex Patribus in hunc locum scribit Maldonatus: *Non absolutè,* inquit, *paterfamilias prohibet euelli zizania, sed ne fortè simul & triticum eradicetur, vt rectè D. Augustinus lib. 3. cont. epist. Parmeniani capite 2. & D. Thomas Maximus Theologus obseruauit: cùm ergo periculum non est, ne simul triticum eradicetur; sed periculum potius est, ne si non euellantur, triticum lædant; quid opus est messem expectare? Maturè euellenda sunt, maturèque comburenda. Præterea cur periculum est, ne simul cum zizanijs triticum euellatur, aut cur iubet paterfamilias messem exspectare; nisi quia ante messem dignosci, & separari à tritico non possunt? Cum ergo & dignosci possunt & separari, vtique separanda sunt, vtique comburenda.* Et certè nisi ita intelligendum foret, sequeretur multò magis fures, multò magis homicidas non esse tollendos, quia hæretici tanto eis sunt perniciosiores, quanto maius est scelus, furari animas atque occidere, quàm corpora.

Maldon. August. D. Thomas

8. Verum enimuero iterum dices, Christus reprehendit Apostolos, qui ad exemplum Eliæ quinquagenarios duos cum suis igne consumentis, volebant Samaritanos igne consumere, eo quod non reciperent Christum, videlicet Luc. 9. in verbis: *Domine, vis dicimus, vt ignis descēdat de cælo, & consumat illos? Et conuersus increpauit eos dicens: Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* q. d. Alius fuit spiritus legalis, qui consistebat in seueritate, alius est spiritus Euangelicus, qui consistit in mansuetudine. Hunc debetis imitari, non illum. Heliæ licuit igne de cœlo misso consumere aduersarios, vobis non licet: vos alium spiritum debetis habere, quàm ille habuit. Luc. 9.

Respondeo, Christus eo loci non vult dicere, quod spiritus Euangelicus omnem excludat seueritatem, sed quod ipse nolebat Euangelium insinuare per externam violentiam, sicut tyranni solent occupare noua regna, sed per mansuetudinem, doctrinam & miracula. hoc enim prædictum erat Isaiæ 61. in verbis: *Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit me: ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem. Vt prædicarem annum placabilem Domino, diem vltionis Deo nostro: vt consolarer omnes lugentes.* Quo loco Propheta, qui descripserat cap. præcedenti miram Ecclesiæ Gentium ad Christum conuersionem, desponsationem, confluentiam, & lætitiam, eius causam adfert, nimirum, eius sponsum Christum Dominum, qui illam conuersionem & desponsationem facturus est; quem proinde ibi loquentem inducit, ac rationem redden- Isa. 61

reddentem suæ legationis, & missionis in hunc mundum, videlicet quòd inunctus sit, & inauguratus Rex Sionis & Ecclesiæ, ad hoc vt Sionidas omnes afflictos curet & recreet. Et cap. 35. *Dicite pusillanimis, confortamini & nolite timere: ecce Deus vester vltionem adducet retributionis: Deus ipse veniet & salvabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum* &c. Id est: Christus asseret vos in libertatem filiorum Dei, qui est verus Deus. Tunc Gentes anteà oculis mentis captæ, & versantes in tenebris infidelitatis illuminabuntur per lucem & splendorem Evangelij, illudque recipient. Cuius rei symbolo Christus multos cœcos, surdos, claudos corporaliter illuminavit & curauit, eisque simul spirituale mentis lumen, auditum, & gressum restituit; ac à peccatis purgatos gratiâ suâ donavit, vt docet S. August. Et hinc S. Hilarius, Iustinus, & alij docent huc respexisse Christum, cum rogaretur à discipulis S. Ioannis, Matth. 11. *Tu es, qui venturus est, an alium exspectamus?* Respondit enim, *Euntes renunciate Ioanni, quæ audistis & vidistis, cæci vident, claudi ambulant,* &c. Et hoc clarè indicant verba Christi loco Lucæ citato: *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Vnde etiam Luc. 19. deflevit Iudæos, quos à perditione revocare non potuit, eò quòd tempus visitationis suæ ita neglìgerent. Et Petrum in gladio percutientem prohibuit, sanato hoste ipsius vulnerato, Ioan. 18. Insuper in cruce oravit pro persequentibus, & crucifigentibus ipsum.

Isa. 35. *August.* *Hilarius.* *Iustinus.* *Matt. 11.* *Ioan. 18.*

Porrò, quamvis Evangelium voluerit Christus sic insinuare, ex hoc non sequitur Evangelium iam promulgatum non posse aut debere defendi aut conservari spiritu seueritatis. Nam idem spiritus nonnunquam, cum Dei & Evangelij gloria id exigebat, impulit ad severitatem & vindictam, quemadmodum patuit in Petro, qui Ananiam & Saphiram mentientes Spiritui sancto occidit, Act. 5. in Paulo, qui tradidit Corinthium incestuosum satanę in interitum carnis, vt spiritus salvus fieret, 1. Cor. 5. qui rursum Elymam Magum cœcitate percussit, quia vias Domini pervertere non desistebat, Act. 13. Idem minatus est hoc Corinthianis 1. Cor. 4. ipsis scribens: *Quid vultis in virgâ ferreâ veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* Omitto quod ipse Christus pro exigentia rei aliquando severitatem exercuerit, videlicet, cum flagello eiecit vendẽtes & ementes de templo, Luc. 19. Vnde sicut in lege veteri Elias vsus est severitate, Helisæus benignitate in hostes à Rege Syriæ missos ad ipsum comprehendendum, ita vt eosdem conclusos in vrbe Samaria noluerit occidi, sed lautè pastos dimitti, 4. Reg. 6. Ita in Evangelio laudanda Christi Domini benignitas, neque contemnenda eius & discipulorum severitas, quãdo ad bonum publicum id est necessarium. Hæc de hæreticis.

Act. 5. *1. Cor. 5.* *Act. 13.* *1. Cor. 4.* *Luc. 19.* *4. Reg. 6.*

9. Restat inquirere, an cum fundamento dici possit, quòd illi malefactores tantùm morte puniendi veniant, quibus illa pœna in veteri Testamento infligenda legitur?

Respondeo non solùm illos morte puniendos, sed quoscumque malefactores Reipublicæ bono notabiliter noxios; imò superiores ad hoc obligari. Scribit hac de re cap. 150. in Decalog. sic Hesselius: *Principes & Senatores qui homicidas non puniunt, latrones & grassatores non capiunt, omnium homicidiorum rei sunt, quæ ipsi latrones postquàm capi potuissent, committunt, & omne damnum subditis illatum coram Deo resarcire tenentur. Hinc Dominus in Deuteron. Auferes, inquit, malum de medio tui: non parcet oculus tuus vt miserearis, non misereberis, sed animam pro anima, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges. Pulchrè quidam Gentilis ait. Sævit in bonos, qui parcit malis. Vnde ait Propheta ad Regem Achab: Hac dicit Dominus: Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo eius. Propheta quoque & Rex David moriturus nulla in re anxius erat, nisi quod homicidam Ioab principem militiæ suæ, qui duos Principes exercitus iniquè occiderat, tam-*

Hesselius. *Deut. 19.* *3. Reg. 20.* *3. Reg. 2.*

diu tolerasset, cum Semei maledico.

Et rectè, nam de opere iustitiæ divinæ iam peragendo dicit Ieremias 18. *Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine.* Et vt ait Petrus Damianus epist. 11. cap. 3. *A sanguine gladium suum prohibet, qui se ab inferendâ reprobis vltione dignâ coercet: facti siquidem culpam habet, qui quod potest, negligit emendare.* Audi, si placet, sapientem Morionis cuiusdam sententiam. Superiori seculo ad Ludovicum XI. Regem Franciæ venit quidam perpetrati homicidij reus, veniam criminis petens. Rex facti enormitatem considerans, quodque iam tertiò impunè cædem commisisset: *Ecquid,* ait, *tu rursus veniã postulas: iam tertium homicidium perpetrasti.* Id audiens Regis Morio: *Quid,* inquit, *Domine tertium? imò primum dumtaxat est, quod hic perpetrauit, secundum & tertium tuum est: quia si primum non condonasses, reliqua non perpetrasset.*

Hier. 18.

Petr. Damian.

Præclarius ergo fecit alter Sãctus Ludouicus Rex Franciç. Postulaverat ab eo quispiam homicida facinoris condonationem: Rex annuerat. at paulò post orans incidensque in illum versum Psalm. 106. *Beati qui faciunt iustitiam in omni tempore,* protinus remissionem revocavit, dicens: *Princeps, qui cum crimen punire possit, illud non punit, non minus coram Deo reus est, quam si ipse perpetrasset.* Memorabile est quoque quod legimus in vitâ Iacobi Carrariensis Principis Patavini. Hic moriturus quosvis admisit, qui queri de se vellent. Venit cum alijs vnus, qui arroganter pecuniam, quam ob remissam capitis damnationem acceperat, sibi restitui postulavit, tanquam contra iustitiæ ordinem datam. Cui Princeps generosâ voce: *Si tunc iustitia in te reddita fuisset, nunc, quod iustè facis queri de me non posses. Nullius ergo peccati mihi cõscius sum, nisi quod mitius, quam merueras, fueris mulctatus.*

Ps. 106.

10. Superior autem ad iustitiam hanc exercendam omnino tenetur, quamvis ex divinâ revelatione sciret malefactorem, si occidatur, esse certo damnandum; si verò ei condonetur vita, salvãdum. Ratio est, quia damnum huiusmodi tribuitur ipsimet malefactori, & iniquç eius voluntati, quam potest, & tenetur mutare, non iudici, qui postquam illum admonuit, & per se vel alios idoneos viros ad pœnitentiam hortatus est, officium suum exequi debet secundum leges: tum quia bonum publicum, ad quod cõdemnatio talis malefactoris ordinatur, præponenda est privato illius bono. Quod etiã procedit, etiamsi malefactor per accidẽs esset causa alicuius boni publici sequuti ex maleficio. Exemplum esse potest in eo, qui furatus est aliena bona, inter quæ invenit literas proditionis Principis, vel Reipublicæ, & cõsequenter detectâ proditione secuta est Principi, vel Reipublicæ salus. Talis enim si res alienas surripuit vero animo furandi, puniri potest eodem modo. Colligitur ex c. *Relegentes,* 23. q. 5. vbi Pelagius Pontifex dicit, quod iniquitas pravorum quãvis bonis proficiat, punienda sit, his verbis: *Quamvis igitur vestra per illorum scelus facta sit vtilitas: nolite tamen impunitam præsumptionem iniquorum hominum grassari permittere. Si enim hoc, quod in vestram gloriam præsumpserunt, non fuerit vindictâ compressum, quia in omnibus minoribus non valeant puniri; ambigi vltra non debet: exercete igitur in talibus debitam auctoritatem: & ne eis amplius talia committendi spes crescat, vestris coërcionibus reprimantur. ad hoc si quidem Dei nutu etiam contra vos talia præsumpserũt: vt talia vobis corrigentibus, ab eodem scelere alios possetis Deo propitiante munire.*

Pelagius Pontif.

Discursus III.

Quid requiratur in Principe seu Magistratu, vt sine læsione conscientiæ quempiam occidi iubeat?

2. Paral. 19.



Osaphat Rex 2. Paral. 19. cap. præcepit iudicibus sedulò attendere ad iudicium, quod exercent, dicens: *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: & quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit.* Ardua sanè admonitio. Vnde inquiram quod in argumento ponitur.

3. Reg. 3. 1. Salomon in initio regni sui petijt à Deo (vt habetur 3. Reg. 3.) cor docile, vt populum iudicare posset, & discernere inter bonũ & malum. Si in regimine populi hoc iure petijt: specialius quis in causâ criminali, vbi de vitâ hominis agitur, invigilare debet, vt sciat quid requiratur ad huiusmodi sententiam.

2. Dico itaque primò necesse esse, vt procedat vel ex officio, vel ad instantiam partis. Illud ex officio dicitur, quando præcedente aliquâ infamiâ, vel denuntiatione delicti iudex capit informationem, & format inquisitionem contra auctorem, vt tandem deveniat ad plenam probationem, & sententiam. Alterum ad instantiam partis dicitur, quando pars offensa vel alius legitimus accusator libellum accusationis porrigit, & in se suscipit onus probandi ea, quæ proponit.

3. Secundò, necesse est, vt nihil definiat in præiudicium rei, nisi ipso audito, & testibus legitimè examinatis. Probatur Act. 25. vbi Festus iudex ait: *Non est consuetudo Romanis cõdemnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat, ad abluenda crimina, quæ obijciũtur.* Vnde Dominus perniciosissimos Sodomitas, quorum peccata ita enormia erant & impudentia, vt publicè & vbique in omnium ore versarentur, adeoque fama illorum in cœlum per Angelos sparsa ad ipsum peruasisset; imo ipsamet eorum peccata, quasi accusatores, in cœlum conscendissent, ac vindictam à Deo clamassent, Genes. 18. noluit condemnare nisi prius per duos Angelos Deum repræsentantes descenderet, & videret, vtrum clamorem, qui venerat ad ipsum, opere complevissent. Hoc enim indicant illa verba: *Descendam & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere cõpleverint; an nõ est ita, vt sciam.* Quod idem est ac si dicat: Descendam vt videam an hæc fama, & hic peccatorum quasi accusatorum clamor verus sit, an non, vt experientiâ id sciam. Loquitur enim ad morem nostrorum iudicum, qui cominus de facto inquirunt, remque inspiciunt: cum ante experientiam omnia noverit ab æterno. Eam autem sumpsit Deus cap. 19. cum se per duos Angelos Sodomitis duorum virorum specie obiecit, qui statim ab eis ad stuprum appetiti sunt. De hoc autem visu sic scribit Philo de confusione linguarum: *Deus dicitur ad visendum descendere, qui omnia priusquam fiant providet manifestissimè, vt doceamur, ne quis homo de absentibus, & futuris, & incertis putet se posse coniecturam facere; sed prius maximè prospicere debet: visus enim certus potius, quam fallax auditus testis adhibendus est.*

Act. 25. Genes. 18. Genes. 19. Philo.

Vnde ex hoc loco Conc. Lateranense primum c. 8. monet Iudices ne facilè accusationibus credant, sed eas lentè & maturè instar Dei examinent & inquirant, antequam reum condemnent. Et rectè. Nam iudicis officium est, omnia ritè

Conc. Later.

Nnn ij explo-

explorare, vt fecit Iob, qui cap. 29. dicit: *Causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam.* q. d. Numquam inconsideranter & temerè causas & delationes ciuium suscipiebam, neque de re non satis perspectâ, & exploratâ mente præcipiti sententiam tuli, vt quemquam condemnarem; sed veritatem causarum, tum iuris vim, atque rationem omnem sedulò perquirebam.

Meritò hæc adfert Iob, vt asserat suam innocentiam. Nam hæc negligens, & præter iuris ordinē aliquem ad mortem condemnans, videlicet inauditum, aut non ritè examinatis testibus, aut ex priuatâ scientiâ, aut extorto crimine per iniuriam, alijsq; modis mortaliter peccat, & tenetur hæredibus ad restitutionem: quia peruertit iustitiam & naturam, ex innocente faciens nocentem. Sic, exempli gratia, peccarunt populus & Iudices, qui Daniel. 13. non satis examinatis testibus condemnarunt Susannam ad mortem, vti patet ex verbis Danielis (quem Deus suscitarat, vt Susannæ afflictę subueniret) *Sic fatui filij Israel non iudicantes, neque quod verum est cognoscentes, condemnastis filiam Israel.* Et proinde separatos recolens deprehendit ipsos contraria loqui. Sic peccauit Iudex ille, de quo Hieronymus epist. 49. ad Innocentium, qui mulierem à viro Versellis adulterij falsò accusatam, propter confessionem iuuenis tormentis expressam, cum indicia sufficientia deessent, morti adiudicauit. Cum enim ille sic confessus esset, mulier etiam torta constanter negaret, *Extemplò,* inquit Hieronymus, *irâ excitus Consularis, Quid miramini, inquit, circumstantes, si torqueri mulier mauult, quam perire? Adulterium certè sine duobus committi non potuit: & esse credibilius reor, noxiam ream negare de scelere, quam innocentem iuuenem confiteri. Pari igitur prolata in vtrumque sententiâ, damnatos carnifex trahit: totus ad spectaculum populus effunditur; vt prorsus quasi migrari ciuitas putaretur: stipatis proruens portis turba densatur. Et quidem miserrimi iuuenis ad primum statim ictum amputatur gladio caput, truncumque in suo sanguine volutatur cadauer. Postquàm vero ad fœminam ventum est, & flexis in terram poplitibus super trementem ceruicem micans eleuatus est gladius, & exertam carnifex dexteram totis viribus concitauit; ad primum corporis tactum stetit mucro lethalis, & leuiter perstringens cutem, rasuræ modicæ sanguinem aspersit, imbellem manum percussor expauit; & victam dexteram gladio marcescente miratus, in secundos impetus torquet, languidus rursum in fœminam mucro delabitur, & quasi ferrum eam timeret attingere, circa ceruicem torpet innoxiam.* Et tandem vsque ad septimam vicem repetitum, mori non potuit. Theodosius quoque, qui ex pręcipitatâ sentētia multorum millium cædium causa fuit Thessaloniæ. Denique multi hodie Iudices, quorum iniqua sententia, sublatâ personâ innocente ad instantiam amicorum sępè corrigitur. Qui sanè, quamuis hîc neminem vereantur, timere saltem debent Dei tribunal, ad quod huiusmodi innocentes solent sæpè appellare, quia ibi est veri iudicij sedes, iuxta illud Hierem. 17. *Solium gloriæ altitudinis à principio locus sanctificationis nostræ.* q. d. Propheta: Est Deus, qui solium habet gloriosum & altissimum à principio æternitatis, quasi tribunal, ex quo omnia intuetur iudicaturus & vindicaturus, qui facilè iudicabit, & puniet Sedeciam, aliosque iniustos iudices, qui aliena rapiunt, & in eis aut in Ægyptijs confidunt.

Hieron. Hier. 17.

4. Sed dices: eiusmodi appellatio non videtur magni facienda; nam etiam iustissimè supplicio afficiendi solent tanquam innocentes ad tribunal Dei appellare.

Respondeo aliquando timendam esse, aliquando verò contemnendam. Timenda est, quotiescumque vel contra ordinem iuris vt prafertur, vel ex odio aut vindictæ cupiditate, alioue indebito modo sentētia prolata est; vel aliquam animi perturbationem sensit iudex, quæ ad damnandum vel mouit omnino, vel ad citiùs damnandum mouit, vel etiam non vsque adeo certa est sententię iustitia,

iustitia, vt non supersit probabilis contrarij metus. Tunc enim malè faceret iudex contemnendo, imò tenetur omnia momenta, & quæcumque ad veri indagationem pertinẽt, diligentiùs iterũ examinare, ac perpendere, & reum interim in custodiã seruare: vt vel retractetur prior sententia, vel maturiori consilio cõfirmetur: tantò magis, quòd eos, qui visi fuerunt aliquando nocentes ex allegatis & probatis, tempus postmodum docuit prorsus fuisse innoxios: tum etiam, quia sæpissimè accidit tales citationes non esse irritas; imò iudices citatos intra condictum à reis tempus è viuis sublatos, ad iudicium Dei fuisse coactos. Exempla varia suppetunt, tum in Scripturis, tum in authenticis historijs. 2. Paral. 24. Zacharias Pontifex ingratissimi Regis Ioab præcepto in atrio templi lapidatur, quòd idololatriam detestaretur. Is iniustè moriens ad diuinum iudicium appellat, dicens: *Videat Dominus, & requirat.* Et suo euentu non caruit. Anno namque vix exacto, & Principes regij, qui huic iniuriæ consenserant, gladio Syrorum trucidati, & Rex magnis plagis afflictus, in lectulo à suis multis vulneribus confossus, simul cum aulicis ad diuinum tribunal raptus est, daturus de proprijs factis rationem.

2. Paral. 24.

Septem fratres Machabæi, pro patrijs legibus ab Anthiocho omni duritate & crudelitate vexati, eidem non obscurè diem coram Deo dicebant, inquientes, 2. Machab. 7. *Dominus Deus aspiciet veritatem,* &c. *Videbis magnam potestatem Dei, qualiter te, & semen tuum torquebit,* &c. *tu non effugies manum Dei,* &c. Nam appellationes istas de cœlo efficaces sentiens, manifestâ Dei vltione perijt.

2. Machab. 7.

Tertiò, non modo Paulus de Alexandro ærario conqueritur, dicens: *Reddat illi Dominus secundum opera sua.* Verùm & beatorum Martyrum animæ ad eundem contra suos oppressores vociferantur, Apoc. 6. *Vsquequo Domine non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum, de his qui habitant in terra?* Differtur autem tantùm, non dãnatur hæc eorum prouocatio. Quin etiam Christus ipse ab iniurijs Iudæorum, ad Patris iudicium appellans, ait: *Ego non quæro gloriam meam; est qui quærat, & iudicet.* Ioan. 8.

Apocal. 6.

Ioan. 8.

Ex historicis referunt Nauclerus, & Fulgosius, Fernandum Legionis & Castellę Regem, duos nobiles ex Caruaialorum familiâ de proditione sibi suspectos, sed inauditos, præcipiti iudicio de altissimâ rupe deturbari iussisse. At illi præclusam sibi defensionem, & præsentem mortem cernentes, Christo æquissimo iudici causam suam commendarunt, & ad eius tribunal intra trigesimum diem Fernandum Regem citauerũt. Nec inanis fuit eorum prouocatio; quoniam trigesimo post die morte percussus, coram diuino iudice euocatus est. Fulgosius lib. 1. cap. 6. Temporibus, inquit, nostris, cum Genuensium triremes aduersus piratas instructę biremem Catalaunam cepissent, huius rectorem noctu suspẽderunt. Is pro iniuriâ sibi factâ ad Deum appellãs, citato patrono Genuensium, vt intra sextum mensem coram Deo compareret, occubuit: iuxta quod tempus hic patronus, morte sublatus est.

Nauclér.

Fulgosius.

Nauclerus narrat, Henricum Archiepiscopum Moguntinum falsò accusatum, & pontificatu deiectum, mærore confectum morientem ad Christum iudicem appelasse: & auditâ eius morte alterũ iudicum in latrinis expirasse; alterum manus præ rabie corrodentem animam exhalasse, Deo redditurum rationem. Sic oppressi aliquando vindicantur à Deo, nam vt ait Propheta Psal. 88. *Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ.* Et Ps. 44. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui.*

Psal. 44.

Psal. 88.

Timenda verò non est Iudici, sed potius contemnenda huiusmodi citatio, quando constat eum iustè iudicasse, nec vllum est dubium de sententiæ, aut facti, propter quod citatur, æquitate. Ratio est, quòd iusto iudici præmium à Deo, cuius vice bene fungitur, non supplicium sit

exspectandum. Imo illi qui scienter iniustè iudices citant, peccant mortaliter, & sępè minus constantes graui terrore percellunt, vt morbus vel mors sequatur. Si autem ex amore proprio sibi persuadeant iniustè iniuriam pati, periculosum est has citationes vsurpare, præsertim vulgaribus hominibus: quia vel inscitiâ, vel alicuius gloriolæ vel vindictæ, vel alterius perturbationis animi nęuo sæpè ducuntur.

Sed dices, Si tam arduum est iudicium mortis præter iuris ordinem, quomodo Dauid 2. Reg. 1. quendam Amalecitam, qui nuntium tulerat mortis Saul, seque eundem ipsius rogatu interfecisse declarabat, iussit ab vno ex pueris suis occidi. & 2. Reg. 4. similiter iussit Rechab, & Baana filios Remmon Berothitæ interfici, eo quod nuntium ferrent se Isboseth filium Saul ad exitum vitæ perduxisse.

2. Reg. 1.

2. Reg. 4.

Respondeo, Etsi ordinariè Princeps, vel Iudex, quantumuis certus de crimine neminem condemnare valeat, non citatum & auditum, quia defensio rei, & legitima probatio delicti per testes est de iure Gentium, & prouenit à iure naturali, vt dicitur Clem. *Pastoralis.* de sentent. & re iudic. in verbis: *De crimine graui delato facultas defensionis, quæ à iure naturali prouenit, adimi non valet, cum illa tollere Imperatori non licuerit, quæ iuris naturalis existunt:* tamen quando crimen est publicum & notorium, tunc sine citatione, defensione, & processu talis condemnari potest, & puniri. Ratio est, quia eiusmodi non potest se licitè defendere in iudicio, negando factum, vel aliâ viâ licitâ. Et hoc est, quod Dauid egit respectu Amalecitæ, vt patet dicto cap. v. 16. *Et ait ad eum* Dauid: *Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est aduersum te, dicens: Ego interfeci Christum Domini.* Et ex eadem causa colligitur fecisse cum filijs Remmon, cum dicto cap. 4. v. 9. *Respondens autem Dauid Rechab, & Baana fratri eius, filijs Remmō Berothitæ, dixit ad eos: Viuit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia. Quoniam eum, qui annunciauerat mihi, & dixerat: Mortuus est Saul: qui putabat se prospera nunciare, tenui & occidi eum in Siceleg, cui oportebat mercedem dari pro nuntio. Quanto magis hunc, cum homines impij interfecerint virum innoxium in domo sua, super lectum suum, non sanguinem eius de manu vestra, & auferam vos de terra? Præcepit itaque Dauid pueris suis, & interfecerunt eos, præcidentesque manus, & pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron.*

2. Reg. 1.

2. Reg. 4.

Et hinc excusantur Iudices, qui repertos in flagranti crimine & notorio (vt latrones in vijs, & huiusmodi) statim suspendi iubent. Interuenit enim ibi notorium facti, loco accusatoris & testium, faciens publicam potestatem ad publicum iustitię actum. Excessus enim notorius examinatione non indiget. Idem dicendum, quando reus est admodum potens, vnde fit, vt immineat periculum rebellionis, vel grauis alicuius perturbationis: vel capi, aut citari non potest; vel præuidetur non venturus, & crimen est omnino notorium: alioquin debet eius processus priuatim fieri; dandaque est opera iudici, vt pro eo absente allegentur, & probentur quæcumque possunt: & si est legitimè conuictus, mandari potest, vt occultè interficiatur. Cœterum extra hos casus nihil potest iudex parte inauditâ, & conuicta vel propria confessione, aut testium confirmatione: hoc enim requirit ius naturale, & diuinum, iuxta illud Deut. 17. *In ore duorum vel trium testium peribit, qui interficietur.* Et c. *Deus*, 2. q. 1. vbi dicitur: *Diuino exemplo monemur, ne indiligenter probatâ & discussâ causâ iudicemus.* Quin etiam illud vulgatum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Deut. 17. c. Deus.

5. Verum exurgit alia quæstio, Vtrum iudex possit condemnare reum, qui per testes legitimè est probatus homicida, tamen in conscientia nouit illum innocentem?

Respondeo, ex veriori sententia, nullo modo posse talem innocentem ad mortem condemnare: quia hoc est intrinsecè malum, & contra pręcep-

Exod. 23. præceptum illud Exod. 23. *Innocentem & iustum non interficias:* ac proinde dico teneri Iudicem vti omni viâ & ratione commoda ad talem reum liberandum: Cuiusmodi esset, si accusatorem illius subtili aliqua arte impediret, ne ad iudicium procederet: si clanculum (citra tamen scandalum) curaret ipsi patere carcerẽ, vt innocens ex eo se subduceret: si iudicium protraheret: si adeò ingeniosè compararet testes inter se, vt falsitas se proderet: quemadmodũ egit Daniel. c. 13. si reum remitteret ad iudicem superiorem, apud quem depositâ iudicis personâ, testem ageret in fauorem innocentis. Sin verò hac via non possit innocentem liberare, & pars vrgeat ad condemnationem, tenetur potius se suo officio abdicare, quam eum condemnare, etiãsi sic reo nihil esset profuturus. Ratio est, quia, vt dixi, talis innocentis occisio est intrinsecè mala, cum sit directè innocenti eripere vitam, cuius rei faciendæ nullam auctoritatem habet iudex: est enim vita innocentis soli Deo subiecta.

Quemadmodum igitur nemini licet debitum reddere mulieri, si ei exploratum sit, non esse suam coniugem, etiamsi essent legitimæ probationes in contrarium, quia cognoscere non suam est intrinsecè malum, & contra sextum Præceptum Decalogi: ita nemini licet innocentem, quamuis probatum nocentem, directè interficere, quia est quoque malum intrinsecè, & repugnãs huic Præcepto. Nec refert, quod iudex sit persona publica, & ita teneatur iudicare secundum allegata & probata, sequendo sciẽtiam publicam, quæ ex hypothesi ipsi suggerit innocentem esse reum, non autem priuatam. Quia ratio & finis legis de sequenda scientia publica est, ne iudex deflectat à veritate, & iustitia à iudicando: quod maximè eueniret, si iudex innocentem, probatum nocentem, condemnaret: tam enim exacta requiritur hic conscientia, vt etiam finis iudicis in iustè condemnato debeat sententiam exequi ob bonum publicum, & exemplum aliorum. Deinde vt agat zelo iustitiæ, non odio, inuidiâ, aut prauo affectu: hoc enim modo ageret contra charitatem. Insuper vt se conformet legibus scriptis, diuinæ legi vel naturali non repugnantibus.

6. Porro hinc non inutiliter quęres, An maritus licitè vxorem occidere possit in adulterio deprehensam, cum leges id illi concedere videantur?

Respondeo breuiter, eum qui vxorem in flagranti delicto repertam priuatâ auctoritate, & ante sententiam iudicis occidit, quamuis per leges ciuiles impunis sit, peccare tamen mortaliter peccato homicidij, vt communiter, & verè tradũt DD. & euidenter colligitur ex c. *Inter hæc*, 33. q. 2. vbi habetur, Ecclesiam Dei mũdanis legibus non constringi: & cap. *Admonere*, ead. c. & q. interfectoribus vxorum grauis pœnitentia irrogatur: & expressè Stephanus Papa ibi docet, quod nullatenus eam occidere debent mariti, etiamsi in adulterio deprehendant; & tales vocat homicidas. Ratio est manifesta, quia iure diuino naturali sub illo præcepto, *Non occides*, prohibetur à Deo, vindicare se occidẽdo auctoritate priuata. Cum enim homo sit suiipsius amantissimus, iniquus esset suiipsius vindex. Cum ergo in isto casu maritus occidat priuatâ auctoritate, peccat mortaliter. c. Inter hæc. c. Admonere.

Nec obstant leges ciuiles, quæ id permittunt: siquidem lex mundana non potest in homicidio dispensare: sed neque leges id præcipiunt, sed permittunt solùm impunè fieri, ob iustam causam, pœnam scilicet remittentes ob iustum dolorem: sicut etiam leges permittunt meretrices. Leges igitur solum permissiuę sunt in foro exteriori, non ad liberandum illum à culpa, sed à pœna tantum iudiciaria, quia deprehendentem vxorem in adulterio iudicat lex, maritum passione tam vehementi tunc opprimi, vt vix aliud potuerit illo tempore.

Discursus IV.

An nullâ ratione liceat alicui privatâ auctoritate quempiam interficere?

GEnes. cap. 9. dicit Dominus: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius; ad imaginē quippe Dei factus est homo.* Quibus verbis generaliter inhibetur priuato alium suâ auctoritate occidere. Hinc quęro, quod in argumento ponitur.

1. Multa reperiuntur in veteri Testamento, ex quibus videtur colligi, hoc subinde licere, vt Exod. 22. vbi permittitur occisio furis nocturni, in verbis: *Si effringens fur domum ciuis suffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis.* Et Numer. 35. vbi permittitur propinquo occisi homicidam interficere, in verbis: *Propinquus occisi homicidam interficiet; statim vt apprehenderit eum, interficiet.* Et v. 26. *Si interfector extra fines vrbium, quæ exulibus deputatæ sunt, fuerit inuentus, & percussus ab eo, qui vltor est sanguinis, absque noxâ erit, qui eum occiderit. debuerat enim profugus vsque ad mortem Pontificis in vrbe residere: postquam autem ille obierit, homicida reuertetur in terram suam.* Et Iudic. 5. vbi legitur Aod iudex Hæbræorum interfecisse Regem Moabitarum Israëlitici imperij inuasorem, idque Deo probante: nam eo facto dixit filijs Israël: *Sequimini mē, tradidit enim Dominus inimicos nostros Moabitas in manus nostras.* Et sic factum, est, vt nullus euaderet. Iure etiam Canonico homicidia quędam excusantur à peccato, vti dicemus. *Iudic. 5.*

2. Ad huius rei intelligentiam, Dico resolutè neminem contra dictamen rationis potuisse aliquem interficere propriâ authoritate. Quod enim Exod. 22. dicitur, hoc Dei authoritate fulcitur: quod vero Num. 35. permittitur propinquo occisi homicidam interficere, id Iudæis permissum fuit sine alia Iudicis condēnatione, quando extra vrbes asyli, deprehendebant interfectorem, ob duritiem illius populi, & vt cohiberentur cædes, quas palam erat à multis propinquis statim acerbo animo vindicandas. Non quod liceret illud in conscientiâ: peccabant enim occidentes homicidam, prȩsertim si ex odio & ira, vt ferè fiebat, id facerent. Nam Leuit. 19. (quātùm ad forum conscientiæ attinet) iussit Deus Iudæis non quærere vltionem, quin etiam iniuriarum obliuisci, in verbis: *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* hoc est, Non petas vltionem ex rancore procedentem, nec priuatim, nec publicè in iudicio: sed tantùm ius tuum vt iustitiæ vel priuatæ vel publicæ satisfiat, & caue seruare inimicitias. Vnde impunè tantùm id permissum fuit Iudæis, quoad forum externum ad vitanda grauiora mala. *Exod. 22 Num. 35* *Leuit. 19.*

3. Porro ad maiorem elucidationem repeto quod dixi Discursu 1. n. 3. sex vrbes asyli fuisse, quò homicidæ inuoluntarij (in quibus tamen aliqua culpa vel negligentię, vel impudentiæ, vel etiam vindictæ interuenerat) refugiebant, vt illi ibi essēt tuti, donec causa eorum examinaretur; idque vel in portis vrbium, ad quas confugerant, vel eo loco, vbi homicidium admiserant, vbi tenebantur coram senioribus illius loci, qui omnes erant Leuitæ, & Sacerdotes, probare suam innocentiam, id est, se sine culpâ homicidium perpetrasse, iuxta illud Iosue 20. v. 2. *Separate vrbes fugitiuorum, vt confugiat ad eas, quicumque animā percusserit nesciens, & possit euadere iram proximi, qui vltor est sanguinis. Cum ad vnam harum confugerit*

gerit ciuitatum, stabit ante portam ciuitatis, & loquetur Senioribus vrbis illius ea, quæ se comprobent innocentem. Sicque suscipient eum, & dabunt ei locum ad habitandum.

Num. 35. Si verò condemnabatur vt homicida voluntarius, poterant eum cognati occidere, & vt innuitur Nũ. 35. tradebatur homicida à iudice propinquis & cognatis occisi, vt ab eis iugularetur; idque ad satiandam eorum iram, & offensam. Si innocens declarabatur, securè reducebatur ad asylum, ibique debebat manere, vsque ad mortem summi Pontificis. Quòd si ante mortem Pontificis inuentus quis fuisset extra ciuitatem refugij, poterat interfici à propinquis illius, quem interfecerat, Numer. 35. v. 25. Verùm quidquid inde licebat, erat iudiciale, atque adeo ad Christianos non pertinet. qui ex iure diuino neminem possunt interficere impunè, licet talis esset qui etiam proprium patrem alicuius occidisset.

Ibidem.

Exod. 2. 4. Sed dices Moyses tamẽ Exod. 2. cap. *videns virum Aegyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus suis*, priuatus homo existens, absque his circumstantijs occidit eundem, & abscondit in sabulo. Et Phinees Numer. 25. c. occidit quẽdam Israëlitam, cum muliere Madianitide, quacum ille peccabat.

Num 2.

Respondeo Moysem id non fecisse propriâ authoritate, sed ex inspiratione diuina. Mouebat enim Deus eum ad hanc cædem, vt vindicem sui populi agere inciperet, & publicum hostẽ occideret. hoc enim est, quod ait sanctus Stephanus Act. 7. vers. 25. *Fecit vltionem percusso Aegyptio: existimabat autem fratres intelligere, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis.* Adeo vt Moyses sciret se iam à Deo assignatum esse Ducem & vindicem Hebræorum, Deumque velle, vt ad hunc ducatum per hanc cædem, & vindictam iustam se compararet. Nec refert quòd circumspexerit huc & illuc, illam cædem executurus, donec videret nullum adesse. Nec obstat etiam quòd cum increparet Iudæum fratri facientem iniuriam, isque rogaret: *Quis te constituit principem & iudicem super nos, num occidere me tu vis, sicut heri Aegyptium?* timuerit. nam illa res difficilem exitum habuisset, & à rixante Hebræo propalari potuisset, cum ipsius magno incommodo.

Act. 7.

Quod dixi de Moyse, idem intellige de Phinees. nam licet ille princeps non esset, Deo haud dubiè inspirante, id fecit, vt patet ex eo, quòd ibidem dicat Deus Phineem auertisse iram suam à filijs Israël, & commotum fuisse zelo suo, ne ipse in eodem deleret filios Israël, in verbis: *Phinees filius Eleazari filij Aaron Sacerdotis surrexit de medio multitudinis; & arrepto pugione, & ingressus est post virum Israelitem in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet & mulierem in locis genitalibus. Cessauitque plaga filijs Israël: & occisi sunt viginti quatuor millia hominum. Dixitque Dominus ad Moysen: Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis auertit iram meam à filijs Israël: quia zelo meo commotus est contra eos, vt non ipse delerem filios Israel in zelo meo.* Tum ex eo etiam, quòd Phinees & semini eius idcirco promiserit Pontificatum æternum, vt habetur ibidem. Ad clariorem intelligentiam nota plagam pestis, ignis, aliamque similem, à Deo immissam fuisse in Hebręos fornicantes & idololatrantes, antequam Zambri ingrederetur ad Madianitidem, & cum adnimaduerteret Phinees, Zambri ijs non permoueri: sed eo non obstante ædes huius Madianitidis fornicandi gratiâ ingredi, Dei zelo commotus eos perfodit, ne plaga diuina vlterius serperet.

5. Pergo itaque, & dico secundò, Tyrannum posse occidi, non quemuis: duplex enim est tyrannus, videlicet, vel abutens legitimâ potestate, vel vsurpans potestatem iniustâ violentiâ. Prioris generis tyrannum nulli priuato occidere licet, sed patienter tolerandus, ac pro ipso orandum. Ea propter Dauid 1. Reg. 24. noluit manum mittere in Saul se extremè persequentem, licet optimam 1. Reg. 24.

mam haberet commoditatem: ita vt præcidere potuerit oram chlamydis Saul silenter. Sic enim locutus est ibi ad viros suos: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est. Viuit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, vt moriatur, aut descendens in prælium perierit: propitius mihi sit Dominus, vt non mittam manum meam in Christum Domini.*

Posterioris generis tyrannum licet iuxta quorundam sententiam cuilibet civi, tanquam Reipublicæ militi, vt violentum potestatis occupatorem è medio tollere: sed probabilius ei tantùm licet qui superior est. Et hoc est quod egit Aod Iud. 3. Nam Eglon ille Moabitarum Rex tantùm permissus est furere in Israëlitas, ita vt eo tanquam instrumento, & quasi tortore vteretur, ad plectendum Israëlitas. Hoc licitum esse lumine naturæ etiam advertit Cicero lib. 3. Offic. dum ait: *Num se obstrinxit scelere, qui tyrannum occidit? Populo quidem Romano non videtur, qui ex omnibus præclaris factis, illud pulcherrimum existimat.*

Iud. 3.

Cicero.

6. Dico tertiò eum occidi posse, qui alterum aggreditur interficere, vitæ videlicet tuendæ causâ, si aliter repelli nequeat, ita tamen vt proprium voluntatis obiectum non sit mors alterius, sed propria defensio. Hoc dictat ius naturale, de quo cap. *Significasti.* de Homicid. dicitur: *Vim vi repellere omnes leges, & omnia iura permittunt, cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam.* Ac de eo perelegantèr scribit Cicero orat. pro Milone, vbi ait: *Est enim non scripta lex, sed nata, quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex naturâ ipsâ arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, vt si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. Silent enim inter arma leges, nec se expectari iubent, cum ei, qui expectare velit antè pœna iniusta luenda sit, quàm iusta repetenda.* Et rectè: si enim id lex vetaret, esset vinculum iniquitatis; & multò melior esset hominum malorum, quàm bonorum conditio, & daretur occasio iniquis invadendi bonos, dum essent certi quòd ab illis occidendi non essent; sicut 1. Machab. 2. Pagani videntes Iudæos ob reverentiam Sabbati nolle pugnare, ac se defendere, maiorem acceperunt ansam in illos sæviendi.

1 Machab. 2.

7. Sed dices Paulus ad Rom. 12. inquit: *Non vos defendentes charissimi;* & Christus Matth. 26. ad Petrum dixit se defendere volētem: *Converte gladium tuum in locum suum, omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.*

Rom. 12.

Matt. 26.

Respondeo, Apostolum hîc non prohibere iustam defensionem sed vltionem, & vindictam, Græcè enim est, *vindicantes*; Neque etiam Christum; quòd enim Petrum Christus reprehendit, fuit, quia defensio illa habebat potiùs speciem vindictæ, quàm defensionis. Non enim erat probabile tantam turbam tali modo posse repelli: Insuper erat contra Domini voluntatem, cuius responsum debebat expectare, & contra Patris ordinationem, qui volebat, vt filius invasorum vim iniquam non declinaret. Hîc autē agimus de defensione cū moderamine inculpatæ tutelæ, quando aliter vitam tueri quis non potest. Quod nota: Nam si hosti suo quis maiorem vim inferret, quàm ad se tutandum necesse esset, iam non censeretur se defendere, sed vindicare. Quo fit, vt si quis aggressorem suum, vbi percussit, & iam se in fugam dedit, insequeretur & occideret, aut vulneraret, peccaret, quia non defenderet se, sed de iniuriâ prius illatâ vindictam sumeret, quod ad iudicem spectat.

Sin verò ad tutandum se necesse sit prævenire, quem prævidet se occisurum, licebit etiam prævenire: exempli gratiâ, si quis in domo aliquâ ita obsideatur, vt certus sit nullum esse fugæ, aut evasioni locum, sed veniendum esse in potestatem inimici, à quo sit interficiendus, nisi præve-

præveniatur, poterit eum præveniendo interficere. Neque refert quòd iniquus aggressor pereat secundum animam cum interficitur, quia cum potuisset mortem vitare non invadendo innocentem, vltro voluit eius periculo sese obijcere. Neque censendus est iniustè invasus ei in extremâ necessitate succurrere noluisse, quia non tam fuit in extremâ necessitate, quàm in extremâ malitiâ.

8. Quæres an liceat etiam pro defensione rerum suarum invasorem occidere: Respondeo affirmativè, si modo res illę tales sint, vt absque ipsis vita corporalis commodè conservari non possit, aut maioris momenti; & aliud remedium non suppetit, quam occisio invasoris. Colligitur ex cap. 22. Exod. citato, vbi Deus permittit nocturnum furem occidi, inter alia quia noctu fur agnosci non potest, vt Dominus rem suam ab eo ablatam iudicio repetere possit: & quia fur nocturnus non potest tam securè repelli, aut apprehendi, quam diurnus: de die enim paterfamilias auxilia domestica, & vicinorum ad manum habet, eaque statim advocare potest.

Exod. 22.

Secūdò, probatur ex Iure Canonico, Nam c. *Olim*, 1. de restit. spoliat. deprehenditur licitum esse rerum suarum vsurpatores iniustos statim ac innotuerint vi repellere, quæ repulsio sæpè aliter fieri non potest, quàm cum occisione. Et clarius cap. *Dilecto*, de sentent. excommun. in 6. vbi expresè definitur id licere. sic enim habet textus: *Dilecto filio Decano Aurelianensi.* Et infra: *Præterea cum omnes leges, omniaque iura vim vi repellere, cunctisque sese defensare permittant, licuit vtique ipsi Decano (si prædictus Ballivus eum bonis suis mūdanis iniuriosè spoliare, videlicet ea violenter occupare præsumpserit: vt superius est expressum) contra illius violentiam iniuriam se tueri.* Porro cum ille Decanus etiam spirituali gladio excommunicationis se iuvisset, additur: *Et quidem cum liceat cuilibet suo vicino vel proximo pro repellenda ipsius iniuria suum impertiri auxilium: imò si potest & negligit, videatur iniuriantem fovere, ac esse particeps eius culpæ, licuit profectò ipsi Decano proprio sibimet subvenire subsidio, & suammet temporalem iniuriam sua propriâ spirituali defensione tueri: sicque vtrumque quodammodo gladium, & temporalem, & ecclesiasticum alterum videlicet altero adiuvare: Maximè quia hi duo gladij consueverunt (exigente necessitate) sibi adinvicem suffragari, & in iuvamen alterius subventione mutuâ frequentius exerceri.*

c. Olim.

c. Dilecto.

Deinde probatur ratione: Quia ius se defendēdi etiā extendi debet ad ea, sine quibus vita conservari commodè non potest. Talia essent, arma militi, vel transeunti per hostes, aut latrones vestes sæviente frigore; panis in extremâ necessitate, bona sine quibus cogeretur nobilis mendicare, vel ignominiosè vivere.

9. Sed dices, c. *Si perfodiens*, ex. de homicidio, dicitur licere nocturnum furem occidere, non autem diurnum, nisi se telo defendat, quod tum plus sit, quam fur. Vnde videtur colligi, tunc solùm licere furem occidere, cum probabile periculum adest vitæ.

c. si perfodiens.

Respondeo illum textum non obstare: quia tantùm innuit res debere cum debito moderamine defendi, neque in earum defensione esse vsque ad occisionem procedendum, nisi necessitas omnino vrgeat. Si enim citra vulnerationem furem diurnum maximè inermem apprehendere potes, & res tuas ab eo liberare, aut clamore homines alios accersire, quorum operâ tua recuperare possis, non licet occidere. Si verò fur conscendat equum, aliave ratione fugiat, licet illum sclopeto traijcere, si nullam spem relinquat ablata magni momenti recuperandi. Ratio est, partim quòd naturæ lex ad propriam sui defensionē contra iniustum invasorem inclinata id permittat: partim quòd civiles etiam constitutiones eiusmodi facultatem omnibus tribuant, sicuti constat ex l. 12. tabul. apud I. C. in l. 4. ff. ad l. Aquil. Quod & ipsum confirma-

firmat Rerumpub. consuetudo, bella cùm offensiva, tum defensiva, bonorum fortunæ causâ, vsque ad hominum occisionem mouentium: Nam alioquin scelerum impunitas improbos ad peccandum audentiores redderet. Cœterum cum quis ius habet defensionis causâ aggressorem vel raptorem mutilare aut occidere, alijs quoque licitum est vim passo assistere, & auxilium ferre, sicuti ex communi docet S. Antoninus p. 3. tit. 4. c. 3. §. 2. & alij.

10. Sed dices secundum ordinem charitatis postponenda sunt externa fortunæ bona, vitæ proximi spirituali. Respondeo id verum esse, si proximus in morali necessitate constitutus sit, vt latius dixi Discursu 2. prævio in quartum Præceptum n. 5. ex verbis Christi Ioan. 15. & 1. Ioan. 3. vbi ait: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quia ille animam posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere,* Exemplis ibidem additis: Non autem necesse est vitam nostram corporalem exponere, quando illa non est necessaria ad alterius vitam spiritualem obtinendam, aut conservandam, vti non est, quando quis per seipsum potest illam consequi ac tueri, sed ex suâ nequitiâ non vult ad gratiam reverti, & æternam damnationem vitare, nolens desistere à peccato, à quo potest & tenetur abstinere.

Ioan. 15. 1. Ioan. 3.

11. Porro quod dixi de tuendis bonis multò magis licet pro defensione honoris. Ratio est, quia honor maius bonum est, quam alia quævis res temporalis, & conducens maximè ad vitam sustentandam, & tranquillè transigendam. Vnde Prov. 22. dicitur: *Melius est bonum nomen, quam divitiæ.* Et Ecclesi. 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam multi thesauri pretiosi & magni.* Verùm hoc illi maximè, cui ignominiosum esset fugere, nam alijs expedit ex charitate fugere; ad vitandum in alio tantum malum.

Prov. 22. Eccl. 41.

12. Demum licet pro defensione castitatis invasorem occidere. Ratio est, quia sicut licitum est occidere pro defensione membrorum & bonorum temporalium: ita à fortiori licitum erit pro defensione honoris, & castitatis, aut alterius virtutis; cum bonum virtutis rebus alijs præferendum sit, maiusque periculum imminet in tali consensu, quàm in cœteris. Vnde defendendo se in re tanti momenti vtitur iure suo naturali, quo licet vim vi repellere: & magis tenetur saluti suæ providere, quam alterius. Siquidem exponit se periculo consentiendi actui peccati, permittendo se opprimi propter difficultatem retinentiæ voluntatis, dum non facit quod potest ad evadendum. Vnde Cicero pro Milone laudat militem adolescentem, qui ne turpiter pateretur à Tribuno militari propinquo Caij Marij, ipsum interfecit.

13. At dices; Posset mulier invasori parcere, & peccato mente resistere, & maioris virtutis opus efficere, etiamsi vi stupraretur: nam vt S. Lucia dixit: *Non coinquinatur corpus nisi de consensu mentis.* Quod multis probat D. Augustinus lib. 1. Civit. cap. 18. his verbis: *Si animi bonum est* (pudicitia scilicet) *etiam oppresso corpore non amittitur. Quin etiam sanctæ continentiæ bonum est, cum immunditiæ carnalium concupiscentiarum non cedit, & ipsum corpus sanctificatur: & ideo cum eis non cedere inconcussa intentatione persistit, nec de ipso corpore perit castitas, quia eò sanctè vtendi perseverat voluntas, & quantum in ipso est etiam facultas. Neque enim eò corpus sanctum est, quòd eius membra sunt integra, aut eò quòd nullo contrectentur attactu, cum possint diversis etiam casibus vulnerata vim perpeti: & Medici aliquando saluti opitulantes, hac ibi faciunt, quæ horret aspectus. Obstetrix virginis cuiusdam integritatem manu velut explorans sive malevolētiâ, sive inscientiâ, siue casu dum inspicit, perdidit. Non opinor quemquam tàm stultè sapere, vt hinc perijsse aliquid existimet, etiam de ipsius corporis sanctitate quamvis membri illius integritate iam perdita. Quocirca proposito animi permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sancti-*

S. Lucia. August.

sanctitatem violentia libidinis aliena, quam servat perseverantia continentia sua.

Respondeo prędicta non obstare, quia mulier exponitur probabilissimo periculo cõsentiendi in actu turpitudinis. Et evẽtus subinde docuit, vi stupratas postmodum stupratoris congressum, & amplexus libenter admittere: ita vt verum deprehendatur, quod dixit Venerabilis Beda l.3. Hesdræ c.20. *Expertus vitiorũ illecebris difficilius, quàm incognitis caremus, minorisque laboris est incognitã carnis cavere voluptatem, quàm eÿcere cognitam.* Deinde etiamsi non consentiat mulier, si sit virgo, privatur signaculo virginitatis; & si non sit virgo, privatur titulo & nomine pudicitiæ, quorum vtrumque pręstat cuivis & omni bono temporali: Et hinc quędam tum virgines, tum honestæ matronæ maluerunt mori, quàm his privari. Memorabile est factum S. Euphrasiæ Antiochenæ. Illa à milite amasio deprehensa, cùm non posset evadere, dixit se docturam eum artem, quà in bellis lædi non posset, si sibi parceret, vtque eius experimentum in se sumeret. Collum ergo suum inunxit, quod feriens ille statim amputavit. ita dolo pio castitatem redemit suâ morte. Ita Cedrenus, & Nicephorus lib.7.c.13.

Beda. Cedrenus. Niceph.

Insignis quoque fuit Sophronia matrona Romana, quæ à Maxentio Imperatore appetita per nuncios, cubiculum ingressa, mucrone sibi ipsi mortem conscivit, per nuncios significans tyranno: *Tales, inquit, magis placeant Christiana fœmina tyranno.* Ita Euseb. lib.8. hist. cap.17.

Eusebius.

Æquè illustris fuit Digna, quæ captâ Aquileiâ ab Attilâ, à barbaro ad stuprum rapta, quasi secreti cupida, in tabulatum fluvio Natisoni imminens conscẽdit. Inde ad Hunnum sequentem conversa, Sequere me, inquit, si vis me potiri, ac mox in flumen se præcipitavit. Ita Olaus in vita Attilæ, & alij. S. Ambrosius l. de Virginit. scribit S. Pelagiam cum matre, & sororibus præcipitem se dedisse in flumen, ne à persequente milite violaretur; eamque vt Martyrem in Ecclesia coli. Nec præterire licet quod scribit Bernardus Scardeonius lib. 3. hist. Patavinæ de quadam matrona, Blanca nomine, quàm Acciolinus tyrannus formâ eius motus, primò blanditijs, mox etiam vi adortus corrumpere tentavit: illa cùm alia ratione effugere nõ posset, per fenestram se dedit præcipitem. Semianimis ex casu vix tandem curatur. Curatam tyrannus denuò aggreditur, & quia consentire nolebat, servorum operâ ligatam constupravit. Illa dolorem dissimulans, impetravit ab amicis, vt ad levandum mœrorem & desiderium, aperto sepulchro mariti cadauer fœtidum semel tantum aspicere posset. Morem illi gesserunt. Aperto itaque sepulchro, vbi iacebat, illa magno eiulatu in sepulchrum sese præcipitavit, simulque tandem violentia lapidem impulit, vt vnà rueret, & Blãcæ ceruicem frangeret. Sic pudicitiam suam vlta ex voto suo, commune cum marito sepulchrum obtinuit.

Olaus. Ambros.

Discursus V.

An homicidium quod sit in bello licitum sit?

Exod. 22.  DOminus Exod. 22. dixit: ***Iustum & innocentem non occides.*** Cùm verò in bellis sæpè talia contingant, tractabo primò vtrum bellum gerere sit licitum.

1. Antiqua fuit hæresis Manichæorum, qui bellum à natura sua illicitum asserebãt, & ideo Moysen, Iosue, Davidem, & cæteros veteris Testamenti Patres, qui bella gesserant tanquam impios accusabant, vt D. August. refert lib. 22. cont. Faustum cap. 74. & seqq. Quam hęresim multi nostro sæculo amplexi sunt, quos refert Bellarm. lib. 3. cap. 14. de Laicis. *August.* *Bellarmin.*

2. Contrà dico, bellum in veteri Testamento licitum fuisse, ac etiam esse in novo. Quod in veteri licitum fuerit, probatur Scripturæ testimonio, quo Deus non solùm permisit bellum tunc temporis, sed etiam mandavit. Locus est Num. 25. vbi sic habetur: Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: *Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos: quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos, & decepere insidijs per idolum Phogor, & Corbi filiam ducis Madian sororem suam, quæ percussa est in die plagæ pro sacrilegio Phogor.* Quo loco iubet Deus authores fornicationis & idololatriæ Beelphegor vlcisci bello. Quamvis enim poterant ex iure naturæ & Gentium Hebręi Madianitas, à quibus lęsi fuerãt bello appetere, noluerunt tamen id facere sine imperio Dei: quia ipse in deserto & ad stationes & ad bella, & quævis alia eos dirigebat, tanquam populi dux. Et 1. Reg. 15. præcepit Dominus Saüli, vt penitus bello extirparet Amalechitas, in verbis: *Hæc dicit Dominus exercituum: Recensui quæcumque fecit Amalech Israëli, nunc ergo vade, & percute Amalech & demolire vniversa eius, non parcas ei.* Idque quia Amalechitæ immani bello appetijssent innoxios, vacillantesque Hebræos, & in vocatione suâ novitios, vt eos à Dei ductu in Chanaan sequendo absterrerent, quodque vt dicitur Deuteron. 25. v. 18. extremos agminis lassos, & fame laboreque confectos ceciderint. Vt hinc discamus, quàm gravis sit offensa Dei, teneros recentesque Dei asseclas ab eius vocatione & sequela, puta à verâ fide, vel religione, statuque perfectionis avertere. Iud. 3. habetur, quòd Deus reliquerit bella Iudæis, vt discerent filij certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi: dicitur enim ibi: *Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem, & omnes qui noverant bella Chananæorum, & postea discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.* *Num. 25.* *1. Reg. 15.* *Deut. 25.* *Iud. 3.*

Tertiò, constat ex eo, quòd Deus sæpè bella adiuvat, quod nullo modo faceret, si bellum esset illicitum; nam mala permitti possunt, sed non etiam ad ea facienda, auxilium dari. Gen. 14. Abrahæ, cum debellasset quatuor Reges cũ solis CCC. XVIII. famulis suis, dictum est à Melchisedech: ***Benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.*** Exod. 17. ad preces Moysis Deus dedit victoriam Hebræis contra Amalech. Iosue 10. pugnante Iosue sol stetit, & Dominus pluebat de cœlo lapides magnos, & plures occidit Deus lapidibus grandinis, quam filij Israel hastis, & gladijs. 2. Machab. 10. Angeli in specie equitum pro Machabæis pugnabant. Et cap. 15. legimus Deum non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet dare dignis victoriam. Quod amplius est Deus subinde viros iustos sine vllo eorum labore adiuvit, vt patet in Moyse, qui sine armis de Aegyptijs in mari rubro demersis triumphavit, Exod. 14. in Iosue, qui solo tubarum clangore muros Ierichuntinos labefecit, Ios. 6. in Iosaphat, *Gen. 14.* *Exod. 17.* *Iosue. 10.* *2. Machab. 10.* *Ibid. 15.* *Exod. 14.* *Ios. 6.*

phat, qui exercitum ex tribus Gentibus collectum, non pugnando, sed cantando profligavit, 2. Paral. 20. Insuper improbos homines sine vlla timoris causâ in prælijs perterrebat, iuxta illud: *Terrorem meum mittam in præcursum tuum: & occidam omnem populum, ad quem tu ingredieris: cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam*, Exod. 23. v. 27. Et illud: *Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris; & subijciemini his, qui oderunt vos; fugietis nemine persequente*, Levit. 25. v. 17. Et illud: *Dominus sonitum audire fecerat in castris Syriæ, curuum & equorum, & exercitus plurimi; surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris*, &c. 4. Reg. 7. v. 6. 7. Quod quantumvis subinde erga prævaricatores fiebat in pœnam mandata Dei non servantium, tamen sæpius hoc fecit, vt bella iustorum promoveret, videlicet Exod. 23. & 4. Reg. 7.

2. Paral. 20. — Exod. 23. — Levit. 26. — 4. Reg. 7.

Quartò, quia laudantur in Scriptura, qui in veteri Testamento fortiter se gesserunt in bello. Sic laudatur Abraham Gen. 14. 19. *Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit cælum & terram.* Sic Levit. Exod. 32. 29. *Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Verba sunt Moysis ad Levitas, quibus eorum laudem præconizat, & idem est ac si diceret: Deo manibus vestris sacrificium gratum obtulistis, promiscuè occidendo parentes & amicos Idololatras, & divinæ gloriæ zelo. Vel rursum, In expetenda de idololatris vindicta promeriti estis à Deo benedictionem, quâ toti Deo sitis consecrati, & decimarum primitiarumq; proventus percipiatis. Sic Gedeon, Barac, Sampson, Iephte, David, & alij laudantur. Heb. 11. 32. *Et quid adhuc dicam?* (inquit ibi Paulus) *deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Sampson, Iephte, David, Samuel, & Prophetis; qui per fidem regna vicerunt, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum*, &c.

Gen. 14. — Exod. 32. — Hebr. 11.

3. Sed dices, Hæc vtcumq; probant in veteri Testamento bellum fuisse licitum, iam vero quæritur vtrum etiam in novo? Nam Iulianus Apostata existimavit omne bellum illicitum esse Christianis. Id licet colligere ex S. Gregorio Nazianzeno orat. 1. in eũdem Iulian. non procul à fine, vbi memorat Iulianum, vt Christianos deterreret à propulsandis à se, & vindicandis iniurijs, solitum fuisse eis obijcere illud ex Evãgelio: *Si quis te percusserit in vna maxilla, præbe illi & alterã.* Et illud ad Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes*, &c.

Greg. Nazianz. — Rom. 12.

In hac etiam sententia fuerunt Cornel. Agrip. in lib. de unit. scient. cap 79. vt meminit quoque Alphõsus à Castro in Sum. de hæres. verbo *Bellum* hæres. 1. Et Erasmus Chiliad. 4. cent. 1. adag. 1. & in annotationibus ad cap. 3. & 22. Lucæ. Et Anabaptistæ, & refert Melanchthon in locis commun. tit. de Magistratu, & Ioannes Ferus lib. 4. in Matth. circa illud Matth. 26. *Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit.*

Cornel. Agrip. — Erasmus. — Melanch. — Ioan. Ferus. — Matt. 26.

Sed licitum esse, probatur ex Evãgelio. Primò, quia Ioannes Baptista rogatus à militibus: *Quid faciemus & nos?* Non dissuasit illis militiam, sed dixit: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris*, Luc. 3. v. 14. Vtitur hoc testimonio Augustinus epist. 7. ad Marcellinum, vbi ait: *Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus in Evangelio diceretur, vt abijcerent arma, seque omnino militiæ subtraherent. Dictum est autem eis: Neminem concutiatis, nulli calumniam faciatis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare vtique non prohibuit.* Et lib. 22. contra Faustum cap. 74. *Alioquin Ioannes cum ad eum baptizandi milites venirent, dicentes: Et nos quid faciemus? respondit eis: arma abijcite, neminem percutite, vulnerate, prosternite. Sed quia sciebat eos, cum hæc militando facerent, nõ esse homicidas, sed ministros legis, & non vltores iniuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores,*

Luc. 3. — August.

res, respondit eis: Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum.

Similiter Christus rogatus à Pharisæis, an liceret Cæsari dare censum seu tributum pro stipendijs militaribus, respondit: *Reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt,* Matth. 22. De quo idem Augustinus loco posterius citato: *Sed quia Manichæi apertè Ioannem blasphemare consueverunt, ipsum Dominum Iesum Christum audiant, hoc stipendium iubentem reddi Cæsari, quod Ioannes dicit debere sufficere militi: Reddite, inquit, Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt. Ad hoc enim tributa præstantur, vt propter bella necessario militi stipendium præbeatur.*

Matt. 22.

August.

Tertiò, Christus commendat fidem Centurionis, qui dicebat: *Nam & ego sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic: vade, & vadit: & alij, veni, & venit.* Matt. 8. v. 10. Non respondit Christus: desere militiam, sed potius: *Non inveni tantam fidem in Israël.* Vnde August. loc. cit. *Fidem,* inquit, *Centurionis laudavit, non militiæ desertionem imperavit.* Act. 11. Cornelius item Cēturio dicitur: *Vir iustus, & timens Deum.* Ita vt etiam Angelum videret, nec postea cum à sancto Petro viam salutis doceretur, dictum est ei, vt militiam desereret.

Matth. 8.

August.

Act. 11.

Deinde post Christi in cœlum ascensum semper fuisse Christianos aliquos verè sanctos, & Deo gratos in militia, etiam sub Ethnicis Principibus docet Tertullian. Apolog. cap. 5. vbi refert miraculum insigne à Christianis militibus patratum, cum sub Marco Aurelio in Germania bellum gererent. Volens enim illo tempore, quo Severus Imperator cum Antonio filio res Romanas administrabat, Christianos defendere, qui ob solum nomen diversis suppliciorum generibus necabantur, iniquitatem legum adversus Christianos ab earum origine retractat, quòd ob beneficia à Christianis militibus accepta, Christianos pij Imperatores defenderint. Primò itaque refert Neronem ex Cęsaribus primum in Christianos distrinxisse gladium, principesque eius familiæ interfecisse: deinde secutum fuisse Domitianum, homines scelestos, quos ipsi Romani oderant, in verbis: *Consulite commentarios vestros, illic reperietis primum Neronem in hanc sectam tum maximè Romæ orientem, Cæsariano gladio ferocisse: sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest non nisi grande aliquod bonum à Nerone damnatum. Tentaverat Domitianus, portio Neronis de crudelitate, sed qua & homo, facile cæptum repressit, restitutus etiam quos relegaverat. Tales nobis semper insecutores, iniusti, impij, turpes: quos & ipsi damnare, & à quibus damnatos restituere soliti estis.* In quæ verba sic Pamelius: *Tacitus auctor est, itemque Suetonius, Neronem ex Cæsaribus primum in Christianos distrinxisse gladium, principesque eius familiæ interfecisse. Cum verò ferox illud ingenium non charissimis civium, non consanguineis, non præceptori, non denique matri pepercisset, nihilque ille amaret, nisi quod scurrile, impium, turpeque esset: eiusmodi damnationis auctore gloriari debent. Quicumque illi molesti fuerunt, tali nimirum testimonio graves, pijque & homines probantur. Longo post intervallo secutus est Domitianus, qui non tam iudicij sui sævitiâ, quàm vt plebi gratificaretur, facta Neronis amplexus, eadem cæde tentavit vrbem commaculare: quia tamen non omnem exuerat humanitatem, neque dignos exilio aut aliâ mulctâ Christianos videret, repressit impetum, & quos iam in insulas, aliaque, passim loca relegarat, idem ipse restituit: atque ita fides Christiana eos semper habuit hostes, qui alijs virtutibus infensi, vestro etiam consensu scelesti habiti sunt & fuerunt. Qui vero ex Imperatoribus laudantur, aut nostris hominibus pepercerunt, aut legum iudicium dissimularunt: atque id est quod à Tertulliano in clausula adiungitur. Cæterum de tot exinde Principibus, vsque ad hodiernum, divinum humanumque sapientibus, edite aliquem debellatorem Christianorum. At nos edimus è contrario protectorem. si literæ M. Aurelij gravissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum fortè militū precationibus impetrato imbri, discussam*

Tertull.

Pamelius.

discussam contestatur. Qui sicut palam ab eiusmodi hominibus pœnam dimovit, ita alio modo palam dispersit, adiectâ etiam accusatoribus damnatione, & quidem tetriore. Quod verbis eiusdē Pamelij clarius explicatum accipe. *Si quot,* inquit, *fuere deinceps principes, sapientes recenseatis vsque ad eum qui nobis hodie imperat, Severum scilicet, qui si ingenium eius respicitis, divinus meritò dici potest, si benignitatem, humanus: nullum proferetis qui Christianum nomen deturbaverit, imò adducere possumus qui illud defenderit, tutatusque sit, Marcus videlicet Aurelius Imperator, cuius cum in bello adversus Germanos exercitus omni humore destitueretur, precibus Christianorum retulit acceptum, quod siti nō conficeretur, qui pluviam à Deo exoraverunt. Huius beneficij memor Imperator tum omnes Christianos omni metu liberavit, tum cum delatores etiam damnaret Christianorum, voluit vt omnes palam liberèque ferrentur ac disseminarentur vbique. A rei igitur iudicio, quum quod plures sapientes constituant, id probandum esse videatur, Christianum dogma bonum esse convincitur* Sed ad rem. Si malum fuisset militare, non militassent tunc temporis Christiani. vel rursum, Si fuisset malum, non ita fuissent grati Deo, vt ad eorum preces miracula fecisset. Vide Histor. Eusebij lib. 8. c. 4. & lib. 9. cap. 10. Docet etiam Basilius in orat. de laudibus XL. Martyrum militum, fuisse multos Sanctorum in castris Gentilium Imperatorum. Et similiter Gregorius Nazianzenus orat. i. in Iulianum vltra medium. Denique Constantinū, Theodosium, Valentinianum, Carolum Magnum, S. Ludovicum regem Galliæ, S. Mauritium cum sua legione Thebæorum, aliosque plurimos sanctos Christianos bella gessisse constat, quos Sancti Episcopi nunquam reprehenderunt: Imò Theodosius consulebat Ioannem Abbatem de eventu belli, vt Augustinus refert lib. 5. de Civit. cap. 26.

Eusebius. Basilius. Greg. Nazianz. August.

Quin etiam Christus in novo Testamento sæpè iusta bella adiuvit. Nam Constātinum Dei auxilio, miraculis evidenter ostensis, vicisse in bellis testatur Eusebius in vita Cōstantini, & lib. 9. histor. cap. 9. Cum Theodosio S. Ioannem, & S. Philippum Apostolos palam pugnasse cōtra hostes eius testatur Theodoretus lib. 5. Histor. cap. 24. Pro Theodosio Iuniore pugnasse Angelos cōtra Saracenos scribit Socrates lib. 7. cap. 18. De Clodoveo vide Gregorium Turonicum lib. 2. Hist. Franc. cap. 30. Honorij exercitum divino miraculo victoriam incredibilem de Gothis retulisse scribit D. Augustinus lib. 5. de Civit. cap. 23. Innumerabilia exēpla similia referri possunt.

Euséb. Theodor. Greg. Turon. August.

Verùm etsi nobis hęc præstò non essent, habemus recētia exempla in Bohemia, & Palatinatu, vbi cacodęmone, & vniversâ hæreticorum catervâ in Christi gregem furentibus Deus mirabiliter iuvit bella Catholicorum: adeo vt præter omnem exspectationem conflictus in Bohemia pro parte Catholicorum vinceretur, & Praga vrbs famosissima ferè eadem die se dederet: in Palatinatu oppidum Oppenhem sine vlla oppositione, Deo militibus immittente terrorem, in manus Marchionis Spinolę sese resignaret: molimina Marchionis Tourlach machinis exquisitissimis, & tormentis bellicis instructissima nihil efficerent, sed Deo pugnante illa cassa fierent, Catholici triumpharent.

Quibus non obstātibus etiam per se bellum Christianis esse licitum, duplex datur ratio. Vna, quia Principes Christiani possunt vti gladio in puniendis privatis malefactoribus, vt expresse habetur ad Rom. 13. Quidni etiam in vindicandâ publicâ iniuriâ? Altera, quia bellum ex natura sua licitum est sub certis conditionibus, de quibus postea: ergo etiam licitū est Christianis, modo non sit illis peculiari mandato prohibitū.

Rom. 13.

4. Sed dices, Scripturę aliquot loca contrarium videntur innuere, saltem quoad Christianos. Nam Isai. 2. de tempore adventus Christi dicitur: *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium.*

Isai. 2.

Respondeo Prophetam non prædicere per Christum, Christique legem elidenda, & abolenda bella vera, & iusta, qualia gesserunt etiam pijssimi Imperatores, sed ambitiosa, iniusta, & tyrannica, quibus ex libidine dominandi invadebātur innocentes, qualia ante Christum gesserunt Nemrod, Nabuchodonosor, Alexander, Cæsar, alijsque Assyrij, Persæ, Græci, Romani, quorum bella, non tam bella, quàm latrocinia fuerunt, vt docet August. lib. 3. de Civit. cap. 13. *August.*

Rursum dico Prophetam tempore Christi ac legis nouę, præcipuè prędicere futuram summam pacem, vt liqueat Christi regnum non fore temporale, quod armis & bellis deberet augeri, prout putabant Iudæi; sed spirituale, quod prædicatione, & clarâ ostentatione veritatis, miraculis, probitate, & innocentiâ vitæ eorum, qui id annunciarent, esset inchoandum, promovendum, atque conservandum. Hinc Christus misit suos Apostolos Evangelizatum regnum Dei sine baculo & perâ, simplices vt columbas, tanquam oues in medio luporum.

Tertiò dico Prophetam prædicere, quòd pax hæc promissa & ab Angelo in Christi ortu decantata, vniuersalis & perpetua vigebit inter veros Christi fideles, qui Christi Regis & Doctoris sui institutionem sequūtur. Qui enim eius pręceptis ac consilijs se penitus conformant, superbię, avaritiæ, alijsque pravis cupiditatibus edomitis terrena omnia arbitrantur vt stercora, solum Deum quærunt, summam ac perpetuam hîc habent pacem. Nam sive in prosperis, sive in adversis, semper sunt læti, & animo quieti, iuxta illud ad Philip. 4. *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Et illud Iac. 1. *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Et, si ex necessitate alicui iniustè se, vel sua bona invadenti litem, vel iustum bellum movent, odio abstinent, non alium lædere, sed sua recipere cupiunt: adeoque non bellum in se, sed per bellum pacem, & iustitiam quęrunt, vt rectè Tertullian. lib 3. contr. Marcionem cap. 21. Athanasius lib. 1. de Incarnat. Verbi, & Irenæus lib. 4. c. 67. Nec refert, quòd verba citata sint vniversalia. Quantumvis enim talia sunt, cum Deus aliquid Ecclesiæ promittit, id de bonis & probis tantùm, qui fœdus & amicitiam cum Deo promittente & paciscente servant, intelligendum est, vt docet Hieronymus in cap. 59. Isaiæ sub finem his verbis: *Quidquid repromissionum & legimus, & lecturi sumus ad Sion & ad Hierusalem, non generaliter ad omnes Iudaos, sed specialiter ad eos dici intelligamus, qui in Apostolis, & per Apostolos electi sunt ex Israel.* *Philip. 4.* *Tertull.* *Athanas.* *Irenæus.* *Hieron.*

5. Dices iterum, Christus & Apostoli videntur prohibere bellum: Nam Matth. 5. vers. 39. dicit: *Ego autem dico vobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in dextram maxillam, prabe illi & alteram.* Et Matth. 26. v. 52. *Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt.* Et Rom. 12. v. 19. *Nulli malum pro malo reddentes.* Et infra: *Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum ira.* *Matt. 5.* *Matt. 26.* *Rom. 12.*

Respondeo his locis non prohiberi bellum iustum, sed vindictam privatam, vt partim explicui Discursu 2. in hoc præceptum, & partim dicam Discursu 8. Hoc tantum addo id clarè colligi, tum ex verbo, *defendentes*, quod Græcè est ἐκδικοῦντες, id est, vindicantes. In qua significatione etiam accipitur Iudith. 1. vbi Nabuchodonosor victo Rege Medorum, cunctis regnis imperare cupiens nuncios ad ea mittit, eosque absque honore remissos indignatus iurat se id vlturum, vt refert Textus his verbis: *Tunc indignatus Nabuchodonosor Rex adversus omnem illum iuravit per thronum & regnum suum, quòd defenderet* (id est vlcisceretur) *se de omnibus regionibus his.* Deinde c. 9. Iudith. sese affligēs ac humilians pro populi liberatione prostrata legitur sic orasse: *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum* *Iudith. 1.* *Iud. 9.*

narum, qui violatores extiterunt in coinquinatione suâ, & denudaverunt femur virginis in confusionem: & dedisti mulieres illorum in prædam, & filias illorum in captivitatem; & omnem prædam in divisionem servis tuis, qui zelaverunt zelum tuum: subveni quæso te Domine Deus meus mihi viduæ. q. d. Deus qui permisisti Simeonis gladium in vindictam alienigenarum, qui Dinam stupraverunt Genes. 34. furere: laudans tantummodo in illo facto, quod laude dignum erat, nempe Sichimitas omnes pati ob stuprum à filio Principis commissum; non autem quod callidè, nimiumque ferventer, & rabidè in fœderatos irruerint: quia in vno, eodemque opere, quod alioquin malum est, maloque modo agitur, potest interdum laude quidpiam dignum aspici. testis est Christus Dominus, qui furacem fraudulentumque *villicum iniquitatis laudavit, quia prudenter fecisset*, Luc. 19. Rursùm id evidenter colligitur ex eo quòd Paulus defensionem non prohibeat, quâ quis verbo, factove sibi cavet ab iniuriâ: illud enim ipse multoties legitur fecisse in Actis Apostolorum. Et 2. ad Timoth. 4. dicit se in primo carcere, quo secundo Neronis anno vinctus erat, desertum fuisse à suis ob fastum videlicet & furorem Neronis, quem metuebant; sese defendisse, allegando scilicet suam innocentiam, in verbis: *In primâ meâ defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur*, scilicet in culpam apud Deum: quia ex humanâ quadã infirmitate & metu peccarunt. Et tum subiungit se per Deum fuisse liberatum, qui nempe Neronem ei benevolum reddidit, in verbis: *Dominus autem mihi astitit & confortauit me*, id est: Cum essem ita desertus & destitutus omnium auxilio; Christus Dominus mihi præstò fuit, meque corroboravit, ne succumberem in meâ defensione, acne metu mortis dicerem aut facerem quicquam, quod esset præter dignitatem causæ susceptæ. Sic enim ipse pollicitus est Luc. 21. dicens: *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere; & contradicere omnes adversarij vestri.* Adeoque insinuat huiusmodi defensionem licere, Deumque tali defensioni mirâ opitulatione adesse.

Genes. 34. — Luc. 16. — 2. Tim. 4. — Luc. 21.

6. Vnde concludo dictis locis non prohiberi iustum bellum, quo quis publicâ authoritate prædítus, suos ab iniurijs defendit; imò potius consistere cum debitâ dilectione, erga quos illud geritur; sicut Iudicem punire reum optimè consistit cum huius debitâ dilectione: imò vtrumque sæpè proficiscitur ex vero amore contra eos, qui puniuntur, aut bello petuntur. Nam iniquis sæpe expedit, aut bello superari aut à Iudice puniri, vt hac ratione aut convertantur (prout sæpe multis infidelibus accidit, & hæreticis) aut saltem minus peccent, & consequenter in inferno minus puniantur. Quod fusè probat D. August. epist. 48. ad Vincentium.

August.

7. Vt vt est, Dices bellum causam esse multarum cædium ac damnorum.

Respondeo hinc satis constare bellum per se non esse expetendum; sed potius quantùm sine periculo gravioris mali fieri potest, vitandum esse, non autem idcirco illicitum esse; Multa enim sunt per se quidem tanquam mala omnino fugienda, quæ tamen per accidens, quatenus necessaria sunt ad vitanda maiora mala, sæpè prudenter ac honestè expetuntur: qualia sunt cauteria, aut alicuius mẽbri amputatio, periculosæ medicinæ sumptio, & similia, quæ vitæ tuendæ causâ laudabiliter vsurpantur.

Hinc videlicet est illicitum ex parte illius, qui iniustam causam fovet; non ex parte illius, qui iustam causam fovet. Nam Princeps, qui facit alteri iniuriam, est causa belli, & consequenter omnium damnorum, quæ fiunt per bellum. At Princeps qui patitur iniuriam, non est causa belli, sed invitus cogitur ad bellum, vt vindicet iniuriam sibi illatam, & stabiliat publicam pacem, iustitiã & tranquillitatem. Quo spe-

August. ctat illud Augustini Epistol. 207. ad Bonifacium Comitem: *Non pax quæritur, vt bellum excitetur: sed bellum geritur, vt pax acquiratur. Esto ergo etiam bellando pacificus, vt eos quos expugnas, ad pacis vtilitatem bello perducas.*

8. Dices iterum: Qui fovet iustam causam, posset impedire mortes multorum hominum, quemadmodum vulgus argumentatur.

Respondeo sic esse: sed simul publicam iustitiam impediret, quæ postulat vt iniuria vindicetur. Igitur Princeps, qui fovet iustam causam, debet ex vna parte ponderare damna, quæ sequuntur: ex altera publicam iustitiam, quæ defenditur per bellum. Hæc in re magni momenti præferenda est: Vnde si quis vellet abstinere à bello propter hoc solum, ne interficiantur homines, daret occasionem maioris mali: quia sic nulla servaretur iustitia publica, sed impunè liceret furta, latrocinia, rapinas, & alias iniurias exercere; nec esset vir bonus, sed timidus, qui propterea abstineret. Audi eundem

August. Augustinum apud Gratian. Can. *Quid culpatur.* 23. q. 1. *Quid enim culpatur in bello? An quia moriuntur aliquando morituri, vt dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum.*

9. Dices tertiò, Quod multi innocentes pereant, cum illi solùm videantur occidi posse, quorum mors & occisio ad publicã pacem, iustitiam & tranquillitatem necessaria est. Ad quod nota innocentium varia esse genera. Primò, infantes, & mulieres. 2. Monachos, Cõversos & Præsbyteros 3. Rusticos ad agriculturam euntes & redeuntes. 4. Legatos & Oratores. 5. Peregrinos & exteros. 6. Mercatores accedentes, & abeuntes cap. *Innovamus*, de treuga. & pace. Et c. *Paternarum*, 24. q. 3. Hi omnes tamdiu præsumuntur innocentes, quamdiu contrarium de illis non constat. Annumerandi sunt alij, 1. Multi è populo qui nihil hostile moliuntur. 2. Sponte dediti 3. Obsides, secundum Iuris præsumptionem, donec cõtrarium de illis ostendatur.

c. Innouamus. c. Paternarum.

His positis, Respondeo & dico primò innocentes per se atque ex intentione in bello occidere nunquã licitum esse. Ratio est, quòd potestas gladij Magistratibus à Deo data sit adversus eos, qui malè agunt, Rom. 13 non cõtra innocentes. hinc Exod. 23. *Innocentem & iustum non occides.* & Deuteron. 20. iussit Dominus, vt, si quæ civitas (extra Chananęam videlicet) oblatam pacem non reciperet, expugnaretur, omnesque incolæ iure belli occiderentur, præter mulieres & infantes. Sic enim ibidem habetur. *Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam* (intellige civitatem, quæ pacem oblatam sub conditione tributi recusavit) *in manu tua, percuties omnia, quæ in in ea generis masculini sunt in ore gladij, absque mulieribus & infantibus, iumentis, & cæteris quæ in civitate sunt.* Mulieres verò & infantes inter innocentes reputantur. In bello verò peculiarem rationem id habet, quia princeps in propriâ Republica non potest occidere innocentem propter culpam alterius: ergo nec in Repub. aliena, quia est contra iustitiam.

Dico secundò aliquando per accidens & præter intentionem licitum esse in iusto bello interficere innocentes. Quod tunc fit, quando victoria, aut civitas expugnari non potest, nisi cum nocentibus interficiantur simul innocentes aliqui. Vnde si aliqua civitas iuste oppugnatur, in qua permixti sunt innocẽtes cum nocentibus, licitum est globos in eam mittere, aut ignem supponere, etiamsi probabile sit aliquos etiam innocentes perituros. Idem licitum est, quando oppugnantur triremes Turcarum, in quibus aliqui remiges sunt Christiani, & innocentes. Ratio est, quia bonum publicum, quod speratur ex victoria, vel expugnatione, tale est, cui meritò postponi debeat aliqua innocentium interfectio. Quòd si tale non sit, & multi innocentes essent interficiendi, abstinendum esset ab interfectione.

Et confirmatur, Quia si in tali casu non

ſu non liceat interficere innocentes, iam numquam licebit iuſto bello oppugnare hoſtilem civitatem, numquam ſe defendere contra triremes Turcarum; & conſequenter numquam publicas iniurias vindicare, bona amiſſa recuperare, firmam pacem ſtabilire, iuſtitiam inter Principes, & Reſpublicas cuſtodire: quæ omnia abſurda ſunt. Sequela patet, quia ſemper in civitatibus & triremibus Turcarum reperiuntur aliqui innocentes, qui periculo mortis expoſiti ſunt.

10. Verùm objicies Iſraëlitas in veteri Teſtamento occidiſſe etiam mulieres, & infantes ſine delectu, vt habetur Ioſue 6. v. 21. *Ceperunt civitatem, interfecerunt omnia, quæ erant in ea, à viro vſque ad mulierem, ab infante vſque ad ſenem.* Ioſue 5.

Reſpondeo hoc non faciebant ordinariâ lege iuſtitiæ, ſed ex ſpeciali mandato Dei, qui eſt Dominus vitæ & mortis. Sic mandabat aliquando Deus, vt etiam mulieres, infantes, & iumenta interficerentur, 1. Reg. 15. *Vade & percute Amalech, & demolire vniverſa eius. Non parcas ei, ſed interfice à viro vſque ad mulierem, & parvulum, atque lactantem, bovem, & ovem, camelum & aſinum.* Aliquando vt omnes mulieres, exceptis puellis, & virginibus, Num. 31. v. 17. *Cunctos interficite, quidquid eſt generis maſculini: & mulieres, quæ noverunt viros in coitu iugulate, puellas autem, & virgines reſervate vobis.* Quo loco voluit Deus Madianitides à viris cognitas occidi, quia per tales decepti fuerant Hebræi fornicando cum illis, & rurſum per eas decipi potuiſſent. Hanc enim cauſam tradit Theodoretus q. 49. dicens: *Eò quòd impietatis dogmata didiciſſent, & eos coinquinare poſſent, qui illas bello cepiſſent.* Virgines verò reſervare iuſſit Hebræos, qui ab illo crimine immunes erant; eaſque videtur Deus per revelationem Moyſi indicaſſe & deſignaſſe, alioquin enim difficile fuiſſet ex habitu illas diſcernere à coniugatis. Quamvis Deo quid iubente ratio non ſit quærenda: nam vt rectè Auguſtinus q. 56. & 49. in Iudices; itemque q. 56. in Levit. *Dei iuſſio ſemper pro lege eſt*, etiamſi iuſſionis nos ratio lateat.

1. Reg. 15. — Num. 31. — Theodor. — Auguſt.

11. Sed forſan neque his contentus eris, & objicies bella eſſe flagellum Dei, vt colligitur 2. Reg. 24. vbi Davidi trium datur optio, eò quòd peccaſſet valde in numerando populo regni ſui: videlicet, aut vt ſeptem annis veniret illi fames in terrâ ſuâ, aut tribus menſibus fugeret adverſarios ſuos, & illi ipſum perſequerentur: aut certè tribus diebus eſſet peſtilentia in terrâ ſuâ. Ex quo errore dixit aliquando Lutherus, belligerare adverſus Turcas eſſe repugnare Deo, viſitanti iniquitates noſtras per illos. q.d. illicitum eſſe bellum contra Turcas, quia ſunt flagellum Dei, quo paternè caſtigat peccata noſtra, cui non licet repugnare. 2. Reg. 24.

Reſpondeo etiam in veteri Teſtamento Gentiles reges, qui Iudæos opprimebant fuiſſe flagella Dei, quibus Iudæorum peccata caſtigabat, vt habetur Iud. 3. v. 8. & alibi ſæpius Et tamen licebat Iudæis bello ſe defendere contra Gentiles. Imo Deus ſuſcitavit Othonielem, Gedeonem, Sampſonem, & alios Iudices (qui Salvatores vocati ſunt) vt populum liberarent à ſervitute, & oppreſſione Gentilium, vt patet ex lib. Iudic. per totum. Iud. 3.

Secundò, quia ſicut bellum Turcarum, aut aliorum infidelium eſt flagellum Dei, ſic etiam fames, peſtis, & alij morbi ſunt flagellum Dei, Patet Levitic. 26. vbi Deus plures maledictiones minatur Iudæis, ſi leges eius non ſervent, ſpeciatim quòd viſitabit illos terrore, tabe, pthyſi, & febri ardente, quæ oculos conſumant, & animam contabeſcere faciant. verſ. 16. & v. 19. quod claudet cœlum, &c. in verbis: *Dabo vobis cœlum deſuper ſicut ferrum, & terram æneam*, id eſt, Efficiam vt cœlum ſit durum inſtar ferri, ſumumque vſum terris veſtris neget, nec in eis imbrem depluat. Dabo & terram æneam, vt non magis quam æs, ſuſcipiat ſemina, cœlique influentias; itaque Levit. 26.

itaque vel nullos, vel paucos & tenues dabit vobis fructus. Insuper minatur, si inobedientes fuerint, quòd quasi hostes ipsos invadet puniet, & trucidabit plagâ plenâ, perfectâ, & multiplici, immitterq; in medio eorum pestilentiam. Deuteron. etiam 28. similes plagas comminatur. 2. Reg. 12. quod gladius non recedet à Domo David in æternum, quòd Vriam Atheum percusserit gladio filiorum Ammon. 2. Reg. 24. ob recensitum populum contra voluntatem Dei, & omissam oblationem medij sicli in vsum tabernaculi ab vnoquoque de populo, datur optio Dauidi trium plagarum, quas suprà recensui. Hierem. 14. cap. prædicitur ob peccata populi sterilitas & inde fames magna futura. At licuit Iudæis hanc à se avertere alioquin hoc loco Hieremias pro illâ avertendâ non orasset, dicens: *Si iniquitates nostræ responderint nobis: Domine fac propter nomen tuum, quoniam multa sunt aversiones nostræ, tibi peccavimus.* q. d. Peccata nostra tanta sunt, vt clament vindictam, nosque excidio dignos esse: Tu tamen Domine fac nobiscum clementer, quia clemens es; fatemur enim esse multas aversiones nostras & rebelliones, quibus te offendimus. David 2. Reg. 24. oravit Dominũ dum peste percuteretur populus, dicẽs: *Ego sum qui peccavi, ego iniquè egi, isti, qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Et 2. Reg. 21. quæsivit à Domino, quare fames tribus annis iugiter suos affligeret & intellecto quod esset propter peccatum Saulis, qui iniquè Gabaonitas interfecerat, quibus vitam concesserat

Deut. 28. 2. Reg. 12. 2. Reg. 24. Hier. 14. 2. Reg. 24. 2. Reg. 21.

Iosue, adhibuit remedium. Quid ni ergo licebit Christiano, quantum in se est arcere famem, munire se contra pestem, gladium propulsare & morbos; idque absque eo, quòd repugnet Deo plagas immitenti? Hier. 27

12. Sed dices Hieremias 27. cap. exilium & servitutem prædicit populo Iudaico, cumque subijciendum potestati Nabuchodonosoris: insuper Deum velle, vt sponte ei se subijciat, cum hac interminatione, vt si quis ei resistat, gladio, peste, fame insectandus veniat, donec per Chaldæorum manum omnino deleatur, dum ait: *Gens autem & regnum, quod non servierit Nabuchodonosor Regi Babylonis, & quicumque non curvaverit collum suum sub iugo Regis Babylonis: in gladio, & in fame, & in peste visitabo super gentem illam, ait Dominus: donec consumam eos in manu eius.*

Respondeo, hunc casum fuisse specialem, adeoque obediendum fuisse, & semper quando speciatim constat esse Dei voluntatem, vt non resistamus inimicis, tyrannis, & Gentilibus, qui nos affligunt propter peccata nostra, sed patienter toleremus; tunc sine dubio obsequendum esse. Quando autem speciatim id non constat, tunc possumus vti nostro iure, & iniuriam nobis illatam iusto bello vindicare. Et sic fit in bello contra Turcas. Nam ex vnâ parte non constat nobis ex peculiari Dei revelatione, quod sponte subijciamus nos iugo, & imperio eorum: Et ex alterâ certum est, nos habere iustam, ac legitimam causam pugnandi contra illos: quia iniustè, & per tyrannidem terras Christianorum occuparent.

Discursus

Discursus VI.

Quibus de causis, & quomodo sit gerendum bellum?

D. August.  Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 7. rectè dicit: *Interest quibus causis, quibuscumque auctoribus homines gerenda bella suscipiant.* Meritò igitur discutiendum, quod in argumento ponitur, quia inde iustitia belli dependet, & felix ipsius exitus.

1. Plures requiruntur conditiones ad iustum bellum. Prima est auctoritas legitima in movente bellum, vt scilicet sit supremus Princeps, & Respublica perfecta in temporalibus, aliàs illicitum esset, cum habeat superiorem apud quem iuridicè posset audiri. Cum enim supremus Princeps non habet apud quem conqueri possit, iure naturæ illi concessum est de sua iniuria cognoscere, iudicare, & sententiam aut punitionem ferre in iniuriantem, & eam exequi, vt S. Thomas, & cœteri Auctores vnanimi consensu affirmant. Idem. Hinc S. August. lib. 22. contra Faustum Manichæum cap. 75. ait: *Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli auctoritas, atque consilium penes Principem sit.*

2. Secunda conditio est causa iusta, non enim sine causa bellum indici potest, nec etiam propter quodcumque peccatum, sed tantùm propter iniuriam propulsandam. Ita Idem. Beatus Augustinus quæstion. 10. in Iosue: *Iusta bella*, inquit, *definiri solent, quæ iniurias vlciscuntur, si qua gens vel civitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexit, quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per iniuriam ablatum est.* Ratio autem huius est, quod Princeps non est iudex, nisi hominum sibi subditorum, ergo non potest quæcumque peccata aliorum hominum punire, sed solum ea, quæ cedunt in detrimētum populi sibi subiecti; nam etsi non est iudex ordinarius aliorum, est tamen defensor suorum, & ratione huius necessitatis efficitur etiam quodammodo iudex eorum, qui suis iniuriam fecerunt, ita vt possit eos gladio punire.

Pro quo nota, non quamlibet iniuriam ad bellum inferendum sufficere, sed eam, quæ vel absolutè, vel ob aliquas circumstantias maior sit, vel certè non minor, quàm damna, quæ bellum afferre solet, iuxta illud Deuteron. 25. *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.* Deut. 25. In particulari autem varias causas licitè inferendi belli colligunt DD. Speciatim verò has assignāt tanquam iustas: Molina Molina. tract. 2. de iure & iustitia disp. 114.

3. Prima itaque iusta causa eaque notissima est, ad occupandum, quæ Principi debentur, neque aliter, quàm per bellum ab eo possunt obtineri. Hac de causa mortuo Saüle, David 2. Reg. 3. bellum movit adversus Isboseth filium Saulis, qui occupaverat regnum Saulis, Davidi per Samuelem à Deo concessum. 2. Reg. 3.

4. Secunda est contumacia, & rebellio subditorum contra Principem, si enim admoniti ab eo fuerint, & obedire renuant, iustè eos bello coërcere potest. Cuius ratio est, quia gravis iniuria fit Deo, & Principi, si eius imperio subditi resistant, Rom. 13. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Rom. 13. Sic David rex bellum movit adversus Absalonem 2. Reg. 18. eamque causam fuisse iustam ostendit Deus, dum viginti millia hominum de exercitu Absalonis de medio tolli voluit, & ipsum Absalonē auctorem rebellionis, non obstante patris imperio vt servaretur, miraculosâ punitione coram omnibus vitæ eripuit. Sic etiam contra Seba filium Bochri bellum movit, eo quod populum

populum sollicitavit, vt à Davide Rege ad ipsum deficeret, & magnâ multitudinem ad suas partes pellexerit, dicens: *Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai, revertere in tabernacula tua Israël.* 2. Reg. 20. Quod tristi eius exitu cõprobatum fuit bellum esse iustum. Nam cum ad Abelam civitatem penetrasset eam Ioab obsedit, & pressit intendens mænia subvertere, sed eius ardorem, & studium remisit primum oratione prudenti Abellana mulier, deinde omnino sedavit proiecto ex muro illius capite, qui seditionis auctor fuerat: & hoc modo illud, quod iam vires assumebat incendium, compressum est. 2. Reg. 20.

5. Tertia est iniuria aut contumelia notabilis Principi, aut Reipub. illata. Hac de causa 2. Reg. 10. bellum movit David adversus Hanon Regem Ammonitarum, eò quòd nuncijs à Davide amicitiæ causâ ad eum salutandum missis in contumeliam dimidiam barbæ partem raserit, vestesque medias ad nates vsque præsciderit; quod aliqui susurrassent eos non missos ad Hanon vt consolatores propter honorem patris sui, sed vt investigarent, & explorarent civitatem, eâque everterent. Simili de causâ iussit Deus in annales referri factum Amalechitarum, cum bello impediebant Israëlitas à terrâ promissâ, ex odio erga Iacob eiusque posteros ob prærepta Esau suisque primogenita, & ob præreptam patris benedictionem, timẽtes ne tum impleretur illa benedictio, quam Iacob fratri suo Esau à parente ipsorum præripuerat, & quia extremos agminis lassos, fame & labore confectos ceciderant. Vtrumque respectivè dicitur Exod. 17. & Deuteron. 25. his verbis: *Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Iosue, delebo enim memoriam Amalech, sub cælo.* Et: *Memento quæ fecerit tibi Amalech in via, quando egrediebaris ex Aegypto: quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, quando tu eras fame, & labore confectus, & non timueris Deum. Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & subiecerit cunctas per circuitum nationes in terrâ, quam tibi pollicitus est: delebis nomen eius sub cælo. Cave ne obliviscaris.* 2. Reg. 10. Exod. 17. Deut. 25.

9. Quarta, præstare auxilium hosti, qui bellum habet iniustum cum Principe aliquo, aut Republicâ. Eo namque ipso Respublica illa, aut Princeps iustam belli causam habet adversus eum, qui tale auxilium præstitit, propter iniuriam, aut simul etiam damnum eâ ratione sibi illatum. Hinc David 2 Reg. 8. iustè percussit Syriam Damasci, eò quòd adversum se auxilium Adarezer Regi Soba præbuisset. 2. Reg. 8.

7. Quinta, defendere iniustè scelestos aliquos, ne iustè puniantur. Tantum enim referre poterit eos puniri, vt possit iustè inferri bellum adversus id prohibentes. Hac de causâ Iudic. 10. iustum fuit bellum vndecim tribuum Israël adversus tribum Beniamin, eò quòd defendere voluerunt habitatores Gabaa, ne punirentur propter scelus illud immane, quo vxorem viri Levitæ eo vsque incredibili libidine vexarunt, quousque animam afflavit. Iudic. 10.

8. Sexta, Principem, aut Rempublicam violare fœdus, aut pactum, quod non parvi refert adversus alium Principem aut Rempublicam. Hac ratione iustum fuit bellum Regis Ioram 4. Reg. 3. Adversus Masan Regem Moab, eo quod fregisset fœdus, & noluisset solvere centum millia agnorum, & totidem arietum, cum velleribus suis, quæ quotannis solvere tenebâtur, vt testatur miraculosa victoria eo bello concessa. 4. Reg. 3.

9. Septima, vt Castrus 2. de Instit. hæret. pun. 1. 14. Victor. in relict. de Indis insulanis part. 2. in princ. Covarru. reg. peccatum p. 2. §. 9. n. 5. Et alij, quos Covarru refert, rectè dicunt, est denegare aliqua, quæ gentium iure omnibus licent, suntque proinde suo modo debita. Talis namque denegatio vtpote iniusta iniuriam ei, cui talia denegantur infert. Quocirca ad eam vel propulsandam, vel postquam illata Castrus. Victor. Covarru.

lata fuerit, vindicandam, poterit interdum moveri iustum bellum. Cæsar enim, quod Senatus aditum sibi Romam denegasset, apud Lucanum rectè dixit: Lucan.

Arma tenenti
Omnia, dat qui iusta negat.

Quia ergo transitus sine nocumēto per vnam regionem in aliam gentium iure est omnibus debitus, iustum fuit bellum filiorum Israël. Num. 21. adversus Seon Regem Ammorræorum, propterea quòd illis denegasset transitum per terram suam filijs Israël pollicentibus, se neque declinaturos in agros, aut vineas eorum, neque bibituros aquas de puteis eorum, sed viâ rectâ incessuros, donec eorundem finibus excederent. Vnde Augustinus cap. *Notandum* 23. q. 2. ex quæst. 44. super Numeros, *Notandum*, ait, *sanè est, quemadmodum iusta bella gerantur à filijs Israël contra Amorræos: innoxius enim transitus denegabatur, qui iure humanæ societatis æquissimo patere debeat.* Hęc de iustis causis contra fideles.

Num. 21. August.

10. Quæres quænam sit contra infideles, & hæreticos?

Respondeo, Primò belligerandi contra infideles iustam causam esse, quando crimina committunt, quæ iniuriam inferunt innocentibus. Exempla sunto: Si innocentes immolent, aut quovis alio modo eos perimant, vt eorum carnibus vescantur: vel si innocentes tyrannicis legibus opprimant, aut aliâ simili ratione divexent. Probatur, Quia vnicuique mandavit Deus de proximo suo, vt habetur Ecclesi. 17. & Proverb. 24. pręcipitur: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare non cesses.* Propter alia vero peccata non licet bellum contra eos gerere, neque Summo Pontifici, neque Imperatori, aut cuivis alteri Principi, qui iurisdictionem in eos non habet. Et colligitur ex 1. Corinth. 5. vbi Paulus commemoratis peccatis fornicationis, servitutis idolorum, ebrietatis & furti, ait: *Quid mihi de ijs, qui foris* (id est extra Ecclesiam) *sunt, iudicare? Nam eos qui foris sunt Deus iudicabit.* q. d. iudicium, & eorum punitio non ad Ecclesiasticam potestatem, sed ad Deum spectat.

Eccles. 17. Prov. 24. 1. Cor. 5.

11. Contra hęreticos verò iusta causa est, si perturbent pacem & tranquillitatem Reipub. Eaque triplici modo est iusta. Primò, Si subditi alicuius Regis, aut Principis deficiant à fide Catholicâ, & alios secum trahant in eandem hæresim, & sic dissensionem faciant in Regno, vel provinciâ, & alius coercendi modus non suppetat. Sic fecit Moyses, quando pars populi commisit idololatriam in adoratione vituli: nam bello eos aggressus est, & interfecit triginta millia hominum.

Secundò, si Rex vel subditi vnius Regni deficiant à fide Catholicâ, & conentur subditos vicini regni in eandem defectionem pertrahere; potest vicinus rex bello se defendere, & iniuriam illatam vindicare.

Tertio, Si in aliquo Regno, vel Provinciâ sint multi hæretici turbantes vnitatem Ecclesiæ, potest Pontifex tanquam vniversalis omnium pastor mandare alicui potenti Regi, aut Principi, vt illos vi ac armis compescat. Sic fecit Gregorius Magnus, quando hortatus est Exarchum Africæ, vt Donatistas bello compesceret, verba eius habentur, lib. 1. epist. 72. *Sicut excellentiam vestram*, inquit, *hostilibus bellis in hac vita Dominus victoriam fecit luce fulgere, ita oportet tam inimicis Ecclesiæ eius, omni vivacitate mentis, & corporis obviare, quatenus eius ex vtroque triumpho magis ac magis enitescat opinio, cum & forensibus bellis adversarijs Catholicæ Ecclesiæ pro Christiano populo vehementer obstitistis, & Ecclesiastica prælia sicut bellatores Domini fortiter dimicatis.* Greg. Mag.

Notum est enim haeretica religionis viros, si eis suppetit licentia nocendi, contra catholicam fidem vehementer insurgere, quatenus hareseos sua venena ad labefacienda, si valuerunt, Christiani corporis membra transfundant, &c.

12. Hæ ferè sunt causæ, ob quas licet Principibus bellum contra prædictos etiam secundum cõscientiam movere, & qui alio fine bellum suscipiunt, sive Reges sive milites sint, graviter peccant. Nempe si moveãt alicui bellum, vt vel imperium dilatent, vel vt exerceant fortitudinem bellicam, ad ostentandam potẽtiam & gloriam suam, vel alia de causa, quàm propter commune bonum, etiamsi auctoritas adsit legitima, & iusta causa non desit. Ita D. Augustin. in epist. ad Bonifacium Comitem: *Pacem*, inquit, *habere debet voluntas, bellum necessitas, vt liberet Deus à necessitate, & conservet in pace: non enim pax quaritur, vt bellum geratur, sed bellum geritur, vt pax acquiratur. Esto ergo etiam bellando pacificus, vt eos, quos expugnas, ad pacis vnitatem perducas.* & lib. 22. cont. Faustum cap. 74. *Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt, quæ in bello iure culpantur.*

Aug.

13. Sed posito quòd iusta causa subsit, quæritur quomodo bellum inchoandum sit?

Respondeo etiamsi constet de iustitiâ causæ, non statim inferendum esse bellum offensivum, sed prius petendam condignam satisfactionem. Colligitur ex illo Deut. 20. v. 10. *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primùm pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, & serviet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam,* &c. Et ex Augustino epist. 205. ad Bonifacium Comitem, vbi ait: *Pacem habere debet voluntas; bellum necessitas.* Vel vt refertur apud Gratianum cap. *Noli* 23. q. 1. *Pacem habere voluntatis est; bellum autem debet esse necessitatis.* Atque adeo si cõdigna satisfactio offeratur, per quam ex rigore iustitiæ compensari potest iniuria, quam aduersarius intulit absque occisione hominũ, debet à bello abstineri: vt verbi gratia, si adversarius restituat civitatem vel arcem, quam iniustè detinebat, & refundat omnia damna temporalia quæ intulit. Si autem iniuria talis est, quę condignè & ex rigore iustitię compensari non potest, nisi etiam tradantur aliqui in particulari, qui mortẽ meriti sunt: tunc Princeps non tenetur esse contentus vlla alia compensatione, quæ fieri potest per bona temporalia: nisi simul fiat compensatio per traditionem nocentum, vt morte puniantur. Simile est de iudice respectu privati malefactoris. Nam iudex non tenetur acceptare compensationem pecuniariam, quæ offertur pro malefactore; sed potest illum morti adiudicare, si meritus est.

Deut. 20.

August.

14. Quæres iterum, quid si condignam satisfactionem non offerat, & Princeps iustam causam habens impotentior sit ad vrbem superandam ab altero Christiano Principe, an possit in auxilium vocare Turcas, aut alios infideles?

Respondeo, Primò, per se, & ex natura rei licitum esse in bello iusto vocare in auxilium infideles contra fideles. Ratio est, quia actus iustitiæ, loquendo præcisè ex natura rei, potest ab omnibus tàm infidelibus, quàm fidelibus exerceri, qualis est iusti belli; & licitum est in iusto bello præbere auxilium infidelibus contra fideles. Patet exemplo Davidis qui auxilium præbuit Achis Regi Philistinorum contra populum Israël, 1. Reg. 28. & 29. Sed quãuis hoc liceat præcisè ex natura rei, tamen per accidens ob malitiam infidelium est sæpe causa cladis illos adsciscere. Probatur 2. Paral. 25. vbi Amasias statuens Idumæam, quæ sub Iosaphat olim iugũ excusserat, ad illud iterũ vi

1. Reg. 28. & 29.

2. Paral. 25.

vi subigere, collegit & armavit copias; & manum non exiguam ex Israële cognato sibi populo mercede conduxit. Sed quid? Cum iam res eò esset adducta, vt in Idumæos moverentur castra, advenit vir Dei, Propheta nimirum, de numero illorum fortasse, quos in suis collegijs instituit Helisæus, qui prohibuit, ne sibi Rex Iuda aliarum tribuum adiungeret vires, à quibus Deus propter religionem iam antè proditam animum habebat alienum; his verbis; ***O Rex, ne egrediatur tecũ exercitus Israël: non est enim Dominus cum Israël, & cunctis filijs Ephraim.*** Idipsum clariùs liquet 2. Paralip. 20. vbi Iosaphat Rex fidelis taxatur à Propheta, quòd cum Ochoziâ Rege Idololatrâ, proprij commodi causâ societatem inierit, nempe vt classem in Tharsis navigaturam, collatis sumptibus fabricarent, & inter se collectos fructus partirentur: idemque Propheta illi intimat, hinc naufragia exorta, ***Quia***, inquit, ***habuisti fœdus cum Ochoziâ, percussit Dominus opera tua, contritaque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.*** (2. Paral. 20.)

15. Quæres forsitan, quænam sit causa harum cladium, cum ex natura rei liceat, vt dixi?

Respondeo ob tres potissimum causas id accidere: quarum prima est, quòd Deus ratione periculi perversionis voluerit nos alienissimos à talium consortio: nam ex illo capite Deus severè in veteri Testamento inhibuit Israëlitas fœdus inire cum infidelibus, vt patet Deuter. 7. Iosu. 23. Iudic. 2. & alibi. Et eventus docuit perversionem inde ortam; & Iudæos non obtemperantes Deo hinc permissos à Gentilibus opprimi, & in servitutem redigi, vt videre est in lib. Iud. 4. Reg. lib. Tobiæ, Esther, & Prophetarum. (Deut. 7. Iosu. 23. Iud. 2.)

Secunda causa est scãdalum: nam eâ ratione fideles petentes auxilium ab infidelibus, videntur fiduciam suam in illis potius ponere, quam in Deo. Reprehensus fuit Asa Rex Iuda, qui à Benedad Rege Syriç petiverat auxilium, iuxta illud 2. Paral. 16. v. 7. ***Venit Hanani Propheta ad Asa Regem Iuda, & dixit ei: Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco evasit Syriæ Regis exercitus de manu tuâ.*** Et hoc ipsum inter alia, Propheta supradictus clarè insinuat Amasiæ loc. citato fore causam stragis & ruinç, dum hæc prædictis addidit: ***Quod si putes in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus: Dei quippe est adiuvare, & in fugam convertere.*** Adhæc qui in bello infideles adhibent socios, videntur etiam favere eorum impietati; quod æquè est scandalosum: vnde reprehendit Deus idipsum in Iosaphat Rege Iuda, qui auxilium præbuerat impio Regi Achab 2. Paral. 19. dicens: ***Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitiâ iungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris; sed bona opera inventa sunt in te, eò quòd abstuleris lucos de terra Iuda*** id est, Ex hoc capite merebaris graviter à Deo puniri: sed quia abstulisti idola de terra, eius intuitu Dominus tibi pepercit. Et vt sciret, quod plagam meruisset, fecit Deus vt contra eum venirent Principes equitatus Regis Syriæ, & magno periculo exponeretur, vnde vix evasisset, nisi precibus Deus exoratus, illos ab ipso avertisset, vt patet 2. Paral. 18 in his verbis: ***Itaque cum vidissent Principes equitatus Iosaphat, dixerunt: Rex Israël est iste. Et circumdederunt eum dimicantes: at ille clamavit ad Dominum, & auxiliatus est ei, & avertit eos ab illo. Cum enim vidissent duces equitatus, quòd non esset Rex Israël, reliquerunt eum.*** (2. Paral. 16. — 2. Paral. 19. — 2. Paral. 18.)

Tertia causa est perfidia, quæ maximè regnat inter infideles, vt videre est 4. Reg. 3. vbi Rex Moab prævaricatus est fœdus, quod habebat cum Rege Israël, ex quo annuè solvere solitus erat eidem centum millia agnorum, & centum millia arietũ cum velleribus suis. Et 1. Machab. 11. vbi Demetrius violavit fœdus, quo promiserat Ionathæ immunẽ servare Iudæam à tributis pro certâ summâ, vt dicitur ibid. vers. 35. his verbis: ***Et sedit Demetrius rex in sede regni sui: & siluit terra in conspectu eius:*** (4. Reg. 3. — 1. Machab. 11.)

Et mentitus est omnia quæcumque dixit, & abalienavit se à Ionatha, & non retribuit ei secundum beneficia quæ sibi tribuerat, & vexabat eum valde, In eodē peccavit Triphon. 1. Machab. 12. Ptolomeus 1. Machab. 16. & multi alij. Et quemadmodum illi, dum causa favet, pacta violant, sic verendum est, ne similiter agant cum principibus Christianis; imò ex hoc ipso contingit disciplinam militarē solvi, & ipsis repugnantibus nihil sibi nefas ducere, vel in facinore, vel in libidine; & amplius nocere amicis & subditis Principis, quam hostibus. Quod (pròh dolor!) talibus experiētia docet esse familiare, cum nihil magis Principi debeat esse cordi, quàm vt suis cautum sit ab incursione militū, quibus licet hostium bona diripere, nō verò subditorum Principis. Quibus congruit illud Ioannis Baptistæ monitum, Luc. 3. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.* Et si contraveniāt, obligantur ad restitutionem; quin ipse Princeps, si non impediat. Quin etiam, quod peius est, periculum est ne vertant arma contra Christianos, occupent eorum terras, aboleant cultum religionis, evertant templa & altaria, conculcent Sacramenta, adducant Christianos in captivitatem: quorum vitandorum causâ bellum principes sustinent.

1. Machab. 12.
1. Machab. 16.
Luc. 3.

Discursus VII.

Cur iustum bellum sæpè infelicem habeat exitum?



VArias recensui priori discursu iusti belli causas: ijs tamen non obstātibus videmus infelicē sæpè exitum. Hinc quæram quod in argumento ponitur.

1. In Scripturâ sacrâ legimus multos, qui feliciter bella gesserunt, veluti Moysen, Iosue, Othoniel, Aod, Barach, Gedeonem, Iephte, Sampsonem pariter Davidem Regem, Abian & Iosaphat Reges Iuda, Ezechiam etiam, & Machabæos. In profanis historijs leguntur multi valde fortunati fuisse, vti Alexander, qui duodecim annis orbem subegit. Ita Policrates Samiorum Tyrannus, de quo Cicero lib. 5. de finibus, *Policratem*, ait, *Samium felicem appellans; nihil acciderat ei, quod nollet*. Ita felix fuit Iulius Cæsar, etiam cum summâ temeritate res maximas aggrederetur, adeoque ipse huic suæ fortunæ confidens, omnia pericula superabat. Hinc è Macedonia Brundusium navigans periculosissimo anni tempore, timenti navarcho, *Noli*, ait, *timere, Cæsarem fortunatum vehis.* Sic hoc sęculo fœlix fuit Carolus V. Imperator, & hoc nomine Turcis formidabilis; adeoque milites sub Carolo invicti, postea à Francisco Rege Galliæ conducti, cum Principe fortunam mutarunt, ait Paulus Iovius. Ita felix fuit Henricus quartus Galliæ rex in regno adipiscendo, & gubernando vsque ad mortem. Alij verò, vt experientia docet, omnino deprehenduntur infortunati, ita vt omnia eis ferè infeliciter cedant, etiamsi prudentissimè ab eis fuerint præcogitata, & disposita.

Cicero.

2. Quænā huius disparitatis causa? An quod Gentiles censuerunt videlicet esse fortunam Deam quandam cęcam, quæ non pro merito, sed fortuitò etiam impijs & indignis felicitatem, pijs vero & dignis sæpè infelicitatem afflaret? Sed hoc impium est, & idololatricum. Vnde D. August. lib. 1. Retract. cap. 1. à Christiano ore reijciendum voluit nomen fortunæ, scilicet iuxta sensum Gentilium. An quod Astrologi, qui stellis & horoscopo assignāt aliquem fortunatū esse, vel infortunatum: ita vt ex eo divinent de cuiusque sorte, & felicitate vel infelicitate futurâ? Sed & illud

August.

ostendi discursu 67. & 68. in primum Præceptum esse vanum, imò hæreticum. Quæ ergo causa?

Respondeo, & permitto primum à Deo provenire, quod quis evehatur, aut perveniat ad regimen Reipublicæ. Patet Eccles. 33. vbi dicit Sapiens: *In multitudine disciplinæ Dominus separavit eos* (scilicet homines) *& immutavit vias eorum. Ex ipsis benedixit, & exaltavit; & ex ipsis sanctificavit, & ad se applicavit: & ex ipsis maledixit & humiliavit, & convertit illos à separatione ipsorum. Quasi lutum figuli in manu ipsius plasmare illud, & disponere. Omnes via eius secundum dispositionem eius.* In quæ verba Iansenius: *Sicut*, inquit, *quosdam dies extulit, & sanctificavit, quosdam communes esse voluit, & profanos: ita etiam quosdam hominum singulariter elegit, beneficijsque suis peculiaribus & donis affecit, eosque ab alijs separando sanctificavit sibi, & sibi familiariter cõiunxit, quosdam reiecit, & execratus est, atque viles habuit.* Exempli gratiâ post peccatum Adæ distinctionem aliquam fecit inter homines, semen Seth eligens, semen vero Cain reijciens: vnde ex Seth nati dicuntur filij Dei: ex Cain nati dicuntur filij hominum. Et post diluvium rursum distinctionem fecit, semini Sem benedicens, semini verò Cham maledicens: & in confusione Babylonicâ servans in progenie Heber primordialem linguam, alijs per linguarum varietatem dispersis, & separatis ab invicem. Et tandem Abraham ex omnibus gentibus elegit, & in eius filijs semen Iacob peculiariter sibi in suum populum delegit, reliquis gentibus reiectis, & sub maledicto relictis, Pari ratione fit, vt Deus quosdam elevet ad principatum, alios relinquat, vti contigit Davidi, fratribus neglectis: quod Deo sic placuit, vt ostenderet se omnium esse Dominum, qui singulis sua prout vult dispensat.

Eccles. 33.

Iansenius.

3. Sed ad rem, cur iustè principatum obtinentibus, iustaque de causa belligerantibus contingat infelicitas. Prima causa est, quòd spem suam ponant in proprijs viribus, & copiâ militum. Hinc enim tradit Scriptura plura millia hominum succubuisse in bello iusto, nempe Iud. 20. vbi duabus vicibus in bello iustè moto, & Deo prius consulto iam viginti duo millia virorum, iam octodecim millia leguntur cecidisse: & in posteriori strage causa additur, quod *filij Israël & fortitudine & numero confidentes, in eodem loco, in quo prius certaverant, aciem direxerunt.* Et ratio est, quòd victoria pendeat à Deo, & sit singulare eius donũ. Vnde 2. Paral. 25. dixit Propheta quidam Amasiæ Regi multum militem congreganti. *Si putas in robore exercitus bella consistere superari te faciet Deus ab hostibus: Dei quippe est adiuvare & in fugam convertere.* Hinc Iudas Machabęus, 1. Machab. 3. animãs suos timidos quia pauci, dixit: *Facile est concludi multos in manu paucorum, & non est differentia in conspectu Dei cæli, liberare in multis & in paucis: quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est.* Idipsũ insinuavit Iahaziel Propheta. Cum enim insignem victoriam Iosaphat Regi cõtra Moabitas esset pollicitus, subiecit: *Non eritis vos, qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos, nolite timere: Cras egrediemini contra eos, & Dominus erit vobiscum*, 2. Paral. 20. v. 17. Et clarissimè id dicit Deus Deuteron. 20. *Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus & currus, & maiorem, quam tu habeas, adversarij exercitus multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum est, qui te eduxit de terra Aegypti.* Vnde felices fuerunt Moyses, Iosue, & alij, quia spem suam posuerunt in Deo. Sic felicem habuit successum Ionathas, quia cognovit Deo non esse difficile salvare in multis vel in paucis. Sic Abias Rex Iuda, quia pugnaturus contra Ieroboam Regem Israël, totam suam fiduciam collocaverat in Deo, vt legitur 2. Paralip. 13. v. 4. & seq. Cœterum sic Iosaphat Rex Iuda fœlix fuit, & omnibus in circuitu terrori, quando Deus pugnabat pro ipso 2. Paral. 17. v. 3. & 10. Sic Ezechias, quando obsessus à Sénacherib Rege Assyriorum cum ingẽti exercitu

Iudic. 20.

2. Paral. 20.

Deut. 20.

1. Reg. 14.

2. Paral. 13.

2. Paral. 17.

oravit pro liberatione, & obtinuit. Nam Angelus Domini missus in castra Assyriorum vnâ nocte percussit centum octoginta quinque millia hostium. 3. Paral. 32. v. 20. & 4. Reg. 19. v. 35. Sic Machabæi, quorum bella & victoriæ describuntur in libris Machabæorum.

3. Paral. 32. 4. Reg. 19.

4. Cæterum notatu dignum est, quod ob hanc causam, nempe, quia à Deo victoria est, viri sancti soliti sint certo signo hoc protestari: nempe Moyses Exod. 17. vbi post victoriam illi concessam contra Amalec de illo sic dicitur, *Aedificavitque Moyses altare, & vocavit nomen eius, Dominus exaltatio mea.* Samuel post victoriam contra Philistæos posuit lapidem ad eius memoriale, quod Scriptura commemorat his verbis: *Tulit autem Samuel lapidem vnum, & posuit eum inter Masphat, & inter Sen, & vocavit nomen loci illius, Lapis adiutorij. Dixitque: Huc vsque auxiliatus est nobis Dominus.*

Exod. 17.

Fuit autem moris in veteri Testamento pluribus de causis lapides erigere. Vna ad memoriam mortuorum conseruandam Sic Iacob, mortuâ & sepultâ Rachele in viâ, quæ ducit Ephratam, *erexit titulum super sepulchrum eius,* Genes. 35. v. 20. Vt saltem in sepulchro, viva Rachelis memoria, servaretur. Sic *Absalon erexerat sibi, cum adhuc viveret, titulum, qui est in valle Regis. Dixerat enim: non habeo filium; & hoc erit monumentum nominis mei,* 2. Reg. 18. v. 18. Cum enim videret, nullum sibi filium superesse, qui parentis memoriam cum dignitate ad posteros trãsmitteret; ipse sibi titulum erexit; seu, vt Iosephus lib. 7. Antiq. c. 10. exponit, *Statuam memoriam,* in quâ defuncti Principis memoria perennaret. Altera ad fœdera semel inita in posterum stabilienda. Sic Iacobus pactus cum socero suo Laban, *Tulit lapidem, & erexit illum in titulum,* &c. Genes. 31. v. 45. Sic Iosue pactus cum filijs Israel, *Tulit lapidem pergrandem, posuitque eum subter quercum,* &c. Iosue 24. v. 26. ne illa fœderum memoria illis expressa lapidibus, vllâ temporum labe deleretur. Tertia, ad beneficia divinitus accepta perpetuæ recordationi cõmendanda. Sic Iacob inter dormiendum, divino fruitus colloquio: *Surgens mane tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum,* Genes. 28. v. 18. Idem rursus de Mesopotamiâ regressus, & à Deo sibi apparente, & benedicente magnis beneficijs cumulatus. *Erexit titulum lapideum, in loco, quo locutus fuerat ei Deus.* Genes. 35. v. 14. Sic Moyses descendens de monte, in quo cum Deo locutus fuerat, *Aedificavit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim Tribus Israel,* Exod. 24. v. 4. Sic Iosue, transmisso Iordane, duodecim lapides in littore, totidem in fluminis alveo erigendos curavit, Iof. 4. v. 8. & 9. vt in illis tanti beneficij memoria perpetuò vigeret.

Genes. 35. 2. Reg. 18. Iosephus. Genes. 31. Iof. 24. Genes. 28. Genes. 35. Exod. 24. Iof. 24.

Quarta, ad memoriam avitæ nobilitatis & sanctitatis conservãdam. Quo pacto Rubenitæ & Gaditæ, ac dimidia Tribus Manasse videntes, se à cœteris Hebræis interfluente Iordane divisas, & timentes, ne à posteris, fide quoque, & religione divisi crederentur, *Aedificarunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis,* Iof. 22. v. 10. Quod omnes Israëlitas, & Cisamnenses, & Transamnenses eiusdem fidei ac religionis Professores esse testaretur. Quinta & vltima, ad memoriam alicuius victoriæ illustrandam in præsens, & in posterum retinendam. Quo pacto veteres duces, victis hostibus, trophæa & monumenta erigebant: vt in profanis litteris passim reperitur: & interim Wolfangus lib. 9. c. 1. latiùs ostendit.

VVolfang.

5. Secunda causa est, quòd Deum non satis exorent bellum gesturi, quod clarum est exemplo vndecim tribuum Israëlitarum, qui licet iustum bellum moverent, prius consulto Deo, & illo infeliciter succedente flerent coram Domino, tamen victoriam non obtinuerunt, nisi ferventioribus precibus, & sacrificijs Dei auxilium implorassent. Sic enim dicitur Iudic. 20. *Quam ob rem omnes filij Israel venerunt in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino, ieiunaveruntque*

Iud. 20.

veruntque die illo vsque ad vesperam, & obtulerunt ei holocausta, atque pacificas victimas, & super statu suo interrogaverũt. Et sic superiores in bello fuerunt. Hac de causâ Moyses, cum Iosue pugnaret contra Amalechitas, levavit manus suas ad Deum, Exod 17. & victoriam obtinuit Iosue: illo verò manus remittente, victoria silebat. Hinc Sacerdos Eliachim Israëlitas ab Assyrijs graviter oppressos, non ad pugnas, sed ad preces hortabatur: testatus, sicut olim contra Amalechitas, ita nunc contra Assyrios, plus orando, quàm pugnando profecturos. *Scitote*, inquit, *quoniam exaudiet Dominus preces vestras.* Et statim celebri confirmans exemplo: *Memores*, inquit, *estote Moysi, servi Domini: qui Amalec confidentem in virtute suâ, & in potentiâ suâ, & in exercitu suo, & in clypeis suis, & in curribus suis, & in equitibus suis, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando deiecit.* Iudith. 4. v. 12. Vbi totam illam victoriam attribuit, non Iosue, quamvis fortissimè prẹlianti; sed vni Moysi, sanctis precibus insistenti. Ad quam rem alludens D. Gregor. Nazianz. Orat. 12. quæ est prima de pace, *Pugnantibus*, inquit, *manuum extensio innumerabilium copiarum instar erat, orationis operâ trophæa erigens.* Et clarius D. Chrysost. serm. de Moyse, in 1. tomo, *Fit*, inquit, *Moyse orante, occulta pugna, manifesta victoria: latenter dimicat, vt evidenter devincat.* Et post multa de hac Moysis oratione subdit: *Quis iustorum non orando pugnavit? Quis hostem non orando devicit? Orationibus Danieli visa panduntur, sopiuntur flammæ, feræ hebescunt, cadunt hostes, inimici vincuntur. Quantò enim purior, frequentiorque fuerit celebrata oratio, tantò celerior veniet inimica vindicta. Hostis, dum oras, premitur: dum cessas, erigitur.*

Exod 17.

Iud 8.

Nazian.

Chrysost.

Quare ijdem Israëlitæ ad potentiam Holofernis repellendam, non solum magnis se sumptibus, & militaribus subsidijs munierunt: *Praeoccupaverunt*, inquit Textus, *omnes vertices montium: Et muris circũdederunt vicos suos, & congregaverunt frumenta in præparationem pugnæ*, &c. Iudith. 4. Sed

Iudith 4

perinde ac si hęc omnia monumenta irrita & inania censerent, ad maiorum orationum præsidia convolarunt: sequitur enim: *Et clamavit omnis populus ad Dominum instantiâ magnâ: & humiliaverunt animas suas in ieiunijs & orationibus.* Ibidem. Vbi rectè Lyranus, *Fecit*, inquit, *primò, quod potuit ne tentaret Deum: sed residuum, quod facere non poterat, Deo precibus commendabat.* Et sic victoriâ potiti sunt. Vnde Chrysost. hom. 30. in Genes. *Magna arma sunt preces, magna securitas, magnus thesaurus, magnus portus, refugij locus.* Quod patuit in Israëlitis 1. Reg. 7. qui à Philistæis obsessi, nullum remedium inuenientes, Samuelem interpellarunt, vt precibus Deum exoraret, & è manu Philistinorum eos eximeret. Idque eximio fructu. Nam hoc facto, *Intonuit Dominus fragore magno in die illa super Philisthim, & exterruit eos, & cæsi sunt à filijs Israël.* De quâ victoriâ sic Cyrillus Alexandrinus: *Quod per omnipotentem Deum, sæpissimè victæ sint fortes & inexpugnabiles hostium acies, ex sacris Scripturis, si quidem quis videre voluerit poterit facile. Nam divinus quidem Samuel Iudæorum terram Philistinis bello depopulantibus gravem, & molestum impetum facientibus, precibus ad Deum fusis, grandinem de cælo descendere fecit, tam copiosam, & gravem, & intolerabilem, vt pedestri exercitu cum equitum alis cadente, absque labore Israëlitæ victores evaserint; & pro his, qui Deum timebant, cælum arma moverit.* Vbi videre est, quam promptè omnes creaturæ non modo sublunares, sed etiam cœlestes, in hominum obsequium desiliant; si homines à servitute suo Creatori debitâ, non resiliant. Pareant homines vni Deo: creaturæ hominibus obsequentur. Simili prudentiâ vsus fuit Rex Ezechias: cum enim ab exercitu Assyriorum acriter oppugnaretur; humanis præsidijs parum credens, ad orationem se trânstulit, quam omnium validissimam iudicabat. Nam missis legatis ad Isaïam: *Si fortè*, inquit, *audiat Dominus Deus tuus, fac orationem pro reliquijs, quæ relictæ sunt.* 4. Reg. 19. v. 4. Vbi adverte sicut Israëlitæ hoc loco

Lyranus.

Chrysost.

1 Reg. 7.

Cyrillus.

ad orationem Samuelis confugerunt; ita & Ezechiam Regem ad orationem Isaię confugisse: quia hanc gratiorem & efficaciorem apud Deum fore non dubitabat. Vnde emphaticè dixit: *Si forte audiat Dominus Deus tuus*: non autem Dominus Deus noster: vt & suam humilitatem, & Prophetæ auctoritatem erga Deum demonstraret. Verùm & ipse postea ex Prophetæ responso bene animatus, Deum oravit. Nam cum acciperet litteras à Duce Assyriorum Rabsaces blasphemiarum in Deum plenissimas *Ascendit in domum Domini & expandit eas coram Domino, & oravit*. Ibidem, v.14. Non arma exprompsit, sed suspiria; non milites protulit, sed lachrymas; non vires comparavit, sed preces: quia has apud Deum plus esse valituras sperabat.

Non aliter Deus adfuit Helisæo, innumeris Syrorum agminibus circumcluso: nam oranti plura Angelorum agmina adfuerunt, eius patrocinium ac tutelam susceptura: quam fuerant hostium examina in eius perniciem & exitium circumfusa, 4. Reg. 6. Quod expendens D. Ambrosius sermon. 80. De Barbaris non timendis: *Oratio*, inquit, *longiùs vulnerat, quàm sagitta. Sagitta enim non nisi proximè conspectum vulnerat adversarium: oratio autem longiùs positum vulnerat inimicum*. Et paulò pòst: *Errat*, inquit, *qui putat cum prosperè aliquid gesserit, propriâ se fortitudine superasse: scire enim debet, quòd adversarij meritis magis, quam virtute vincuntur; & non tam virtute, quam sanctitate superantur: sicut sanctus Helizæus hostes suos non armis superabat, sed oratione vincebat*. Et paucis interpositis: *Vbi sunt, qui dicunt plusquam preces Sanctorum hominum arma posse? Ecce vna oratio Helizæi totum exercitum vulneravit; & vnius Prophetæ meritis omnis est hostium numerus captivatus. Quæ caterva Regum, quæ turba militum talem victoriam perpetrarunt; vt ita hostes prosternerent, vt de illis nullus occumberet? Hæc est vera, hæc incruenta victoria: vbi sic adversarius vincitur, vt de vincentibus nemo lædatur*, Rex etiam

4. Reg. 6. Ambrosius.

Iosaphat adversus triplicem exercitum progressus, non hostes torquendo, sed Psalmos cantando, ita suos hostes labefecit, vt ne vnus quidem evaderet: ita suos milites servavit, vt ne vnus quidem periret. 2. Paralip. 20. 2. Paral. 20.

Extant & in Ecclesiasticis historijs clarissima exempla, quibus hic diuinus favor erga milites, non tam armis quam precibus decertantes, confirmatur. Mirum est, quod D. August. lib. 5. de Civit. cap. 26. narrat de Theodosio Imperatore Iuniore: qui adversus Eugenij tyranni robustissimum exercitum, *magis*, inquit, *orando, quam feriendo pugnavit*. Sed quid inde factum? Pergit Augustinus: *Milites nobis, qui aderant, retulerunt extorta sibi esse de manibus, quæcumque iaculebantur: cum à Theodosij partibus in adversarios vehemens ventus iret, & non solùm quæcumque in eos iaciebantur concitatissimè raperet, verùm etiam ipsorum tela in eorum corpora retorqueret*. Ad quem eventum alludens D. Ambrosius, & accommodans illud Davidicum: *Gladius eorum intret in corda ipsorum*, Psal. 36. v. 15. *Sæpe*, inquit, *iacula in ipsos, qui ea iecerint, refunduntur. Quod etiam proximo accidit bello, vt subitò ventus oriretur, qui infidelibus excuteret scuta de manibus; ac tela omnium atque missilia in peccatoris exercitum retorqueret*. Augustin. Ambros. Ps. 36.

Æquè mirandum est, quod Eusebius lib. 5. historiæ Ecclesiasticæ cap. 5. scribit. Cum olim exercitus Marci Aurelij Cæsaris contra Germanos & Sarmatas instructus, ingenti siti opprimeretur, milites Christianos ex ea legione, quæ Melitina dicebatur, positis genibus se totos ad orationem convertisse hostibus rei novitatem admirantibus, & suis precibus à Deo impetrasse, non solum fulmina, quæ hostes in fugam versos terruerunt: sed etiam effusum imbrem, qui exercitum magnâ siti laborantem mirificè recreavit. Cuius etiam eventus Tertullianus in Apologetico cap. 6. & lib. ad Scapulam, cap. 4. pluresque alij meminerunt. Denique nemo in bellico periculo constitu- Eusebius.

stitutus ad Deum per orationem confugit; qui ex eo mirabiliter non eruatur. Vnde David plurimos in se hostes perpessus querebatur: *Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me?* Ps. 3. v. 2. Sed statim Deum sui adiutorem expertus, seipsum consolabatur: *Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* Quasi diceret, vt eum D. Chrysostomus ibi loquentem introducit: *Mea mecum viscera bellum gerunt: meus populus, meus contra me armatur exercitus: oues meæ lupi facti sunt, & leones agni, & tauri cornupetentes. Sed tu es, Domine, pro me. Fundatus supra petram fidei non cado.* In Hebræo est: *Tu autem, Domine, clypeus circa me.* Quasi non magis clypeus pugnantem, quàm Dominus orantem muniat.

Psal. 3.

Chrysost.

6. Tertia causa est, quod leges belli à Deo præscriptę in militia non seruentur. Quarũ præcipua est, quæ habetur Deuteron. 23. *Quando egressus fueris aduersus hostes tuos, custodies te ab omni re mala* id est, ab omni peccato, vt à scortatione, ebrietate, rapinis, iuramentis, blasphemijs, duellis, æmulationibus. Id præstitit Iosue, qui Moysi successit, ideoque tot victorijs potitus est. Id præstitit Narses Italiæ liberator, qui erga pauperes benignus, in reparandis basilicis diligens, vigilijs & orationibus adeò deditus fuit, vt plures victorias supplicationibus diuinis, quam terroribus bellicis obtinuerit, vti narrat Evagr. lib. 4. cap. 24. Et Procopius lib. 3. de bello Gothico scribit, eundem omnem rerum successum, omnemque belli felicitatem, vni Deo acceptam retulisse: & milites in aciẽ progressuros, ad similem pietatem hortatum esse.

Deut. 23.

Audi Mauri exemplum memorabile. Cabones dux Maurorum circa Tripolim, postquam Wandalos bellum aduersus se mouere audiuit, primum subditis suis præcepit, vt ab omni iniquitate & cibo, qui ad delicias faceret, abstinerent, omniumque maximè à mulierum consuetudine. Et binis castris positis, in alteris quidem ipse cum viris in armis fuit, in alteris mulieres inclusit, mortis supplicium minatus, si quis fœminarum vallum ingressus esset. Deinde exploratores Carthaginem misit, cum mandatis si quid impij à Wandalis in Christianorum templis perpetrari viderent, vt illi spectarent, & postea, cum Wandali discessissent, illud restituerent. ac subiecit, se quidẽ Deum, quẽ Christiani colerent, ignorare: cõsentaneum vero sibi videri, si quidem (quod diceretur) fortis potensque esset, vt contemptores sui numinis puniret, cultores tueretur. Exploratores postquam venerunt Carthaginem, viderunt belli apparatum ingentem. Deinde secuti exercitum, in Christianorum templa equos & iumenta introduci, lasciuiam & libidinem exerceri, sacerdotes plagis affici, & alia multa impia & horrenda à Wandalis fieri spectarunt. Illi post eorum discessum templa repurgarunt, sacerdotes coluerunt, & eleëmosynas in pauperes largè distribuerunt. Tandem facto conflictu, Wandali ad vnum omnes sunt trucidati, & Mauri victoriã reportarunt, ita Evagrius lib. 4. c. 15. & Nicephorus lib. 17. cap. 11.

Si ob hæc peccata strages timenda, quid dices de grauioribus, vtpote de Idololatria, hæresi & similibus? Certè inter alias causas, ob quas vndecim tribus Israël, Iud. 20. secundò ceciderunt, fuit idololatria, qua Israël contaminatus erat, quã Deus sic expiari voluit. Iouinianus, cum post Iuliani Apostatæ interitum Imperator eligeretur: *Non possum*, inquit, *regere Iuliani exercitum, qui tam pestiferâ doctrinâ imbutus est, talis enim à Deo destitutus, facilè ab hostibus superabitur.* quibus auditis milites vno ore conclamauerunt: Ne dubita; Christianis hominibus, & in vera pietate educatis imperabis. ita Thedor. lib. 4. cap. 1. Theodor.

Quid dices de Christianis Principibus, qui iuuant hæreticos, dum Catholicos oppugnant & infestant, minoris facientes Religionem Christianam, & salutem multorum millium

lium animarum Christi sanguine redemptarum, quàm proprium statum, quia iudicant expedire imminuere æmuli potentiam ad eius conservationem, quasi facienda essent mala, vt evenirent bona, à quo Apostolus abhorreret, Rom. 13. Rom. 3.

Quid, inquam, dices de peccatis Ducum, militum, aliorumque Regis ministrorum, quando iter cum militibus faciendo, tenent vicina loca suspensa, & sic ab aliquot oppidis, vel pagis pecunias accipiunt, ne per eorum fines transeant, aut apud eos hospitentur; cum nullam causam habeant ibi hærendi, nisi vt iniustè emungant pecunias? Item quando simulant se habere plures milites, quã reverà habeant, & inter lustrandum aliquot fictos veris immiscent, vt eâ ratione plurium stipendia accipiant, ac sibi reservent? Quod esse iniquissimum res ipsa clamat: non solùm, quia eâ ratione furantur pecunias sui Principis, sed etiam, quia eâ ratione Rempub. gravissimis periculis exponunt, ac gravissimi damni sæpe sunt causa, dum Princeps eorum fraude deceptus, ac putans se habere plures milites, quam verè habet, desinit ijs alios submittere, qui tamẽ ijs necessarij sunt: atque ita sunt causa, cur aut exercitus cędatur, aut dicta loca in hostium potestatem veniant. Quę ipsi postea tenentur omnia resarcire.

Quid denique de peccatis Principum, cum statis temporibus militibus non persolvunt, etiamsi possint? Res evidens est, mercedem ex iustitiâ debitam, eamque subtrahere, gravissimum peccatum esse quod Iacob. 3. v. 4. dicitur in cœlum clamare. Et Deuteron. 24. ideò iussit Deus mercenario indigenti eodem die reddi mercedem diurnam. causam enim addit: ***Ne contra te clamet ad Dominum, & tibi reputetur in peccatum.*** Res quotidiana est, ex quâ sequitur rusticorum & aliorum concussio vetita Luc. 3. in verbis: ***Neminem concutiatis, ne calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.*** Addo quòd furta & iniustæ rapinæ supra modũ, fiant: non enim se contentant alimento, sed vi cogunt rusticos contribuere quodlibet, adeo vt loca deserantur, & deserta exinde maneant. Profectò si hæc & similia peccata Deus semper expiari vellet ante victoriam, non video quomodo hodie iustam causam habens vnquam triumpharet.

Iob. 3. Deut. 24. Luc. 3.

7. Sed dices, etiam hostes iniustè belligerantes, vel Deum non sic exorant, aut sarrificia non offerunt, & insuper peccatis gravissimis onerantur, & nihilominus victoriâ potiuntur.

Respondeo, Omissâ imprudentiâ, ex quâ sæpe adversarij triumphant: & fortè classis Hispana ad partes Angliç anno 1588. appulsa, re infectâ redijt: Et conflictus in Flandriâ ante plures annos malè cessit, Admirale Mendoza captivo, & Principe Alberto periculum tum carceris, tum vitæ subeunte, aliaque multa infeliciter successerunt. His, inquam, missis, dico hæc non provenire ex eo quòd Deus eorum nequitias non videat, aut nunquam vlciscetur: sed quòd ipsis vtatur tanquam instrumentis, seu flagellis ad castiganda Catholicorum peccata. Ita enim Deus consuevit homines maximè quos diligit punire & exercere per malos. Sic peccantibus Hebræis Deus quasi flagellum in eos immisit nunc Chusan Rasathaim Regem Mesopotamiæ, Iudic. 3. vers. 8. nunc Eglon Regem Moab, ibidem vers. 12. nunc Iabin Regem Chanaan Iud. 4. v. 2. nunc Madianitas Iud. 6. v. 1. nunc Philistæos Iud. 13. vers. 1. Sic Nabuchodonosor vocatur ***malleus vniversæ terræ.*** Ierem. 50. 10. Sic Ninivitis recidivis prophetat Naum c. 2. obsidionem & excidium per Medos & Chaldæos, & dicit: ***Viri exercitus in coccineis***, q. d. Milites Chaldæorum erunt nobiles, ideoque vestiẽtur chlamydibus coccineis. Coccus enim erat nobilium, imò Regum vestis, vt patet Thren. 4. Coccineus etiam color, vt pote sanguineus reprçsentabat Chaldęorum feritatem, quod sanguinolenti essent futuri, multumque in Ninive sanguinem effu-

Iud. 3. Iudith. 4. Iud. 6. Iud. 13. Ierem. 50. Naum c. 2. Thren. 4.

effusuri. Quocirca S. Ioannes magnum illum & horribilem exercitum qui in fine mundi occidet tertiam partem hominum, vidit habentem loricas igneas, hyacinthinas & sulphureas, Apocal. 9. 17. Ita Romani conflicturi cum hoste, signum prælij exponebant in prætorio, tunicam russam, sive coccineam; quin & eadem induebantur milites, indeque russati dicebantur, vti ex Plutarcho, in Fabio, & in Bruto, item ex Isidoro docet Lipsius lib. 4. de militia Romana cap. 12. Idem fecere subinde Græci. Nam Plutarchus agens de pugna Antiochi cum Cleomene: *Quiescere*, inquit, *Quosdam iussit, donec à Rege sublata esset punicea vestis super sarissam extensa.*

Apocal. 9. Plutarchus Lipsius

Sic Sennacherib Isa. 10. vocatur *virga furoris* Dei, quia per eum puniendi erant Iudæi. Sic enim ibidem habetur: *Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum.* Quibus verbis primùm minatur Assyrijs cladem duas ob causas. Quarum prima est, quia licet ipsi essent virga & flagellum Dei, tamen castigationem Iudæorum, quã Deus iustè intendebat, ipsi tyrannicè exequerentur, nec Deo, sed suæ ambitioni servirent. Altera, quia limites vltionis à Deo designatos transgrederentur, plusque sævirent in Iudæos, quàm eis à Deo concederetur. Itaque prius Væ in Assyrios idcirco, quàm in Iudæos ab Assyrijs puniendos intentat. Secundò dicit, quod Sennacherib virgam & baculum mittet ad Iudæos, quibus furor ipsius irascebatur, illique mandavit, vt eos ornamentis suis spoliet & nudet, & ex eo prædas agat opimas; eo denique redigat, vt conculcentur ab omnibus, non secus, atque lutum in plateis, locisque publicis conculcari solet. Vbi rursum nota, Dei mandatum, iussionem, præceptum vocari omnem & quamvis Dei providentiam, atque altissimum eius dominium & imperium, quo primùm res & voluntates omnes, etiam impiorum continet, comprehendit, arctat, vel laxat. Secundo, quo eas in se malas in hanc potius partem & gentem. v. g. ad Iudæos invadendos potiùs quam Ægyptios, agit & dirigit, vel effectivè per diabolum, vel obiectivè per se, obijciendo scilicet eorum menti ea, quibus per præscientiam conditionatam præscit, eos in hanc partem sponte se & liberè inclinaturos. Tertiò, quo hæc omnia ordinat ad iustam impiorum, v. g. Iudæorum castigationem: consequenter impij tyranni, v. g. Assyrij ijsdem de causis vocantur virga, securis & arma Dei vindicis. Sic David 2. Reg. 16. ait: *Deus præcepit Semei, vt mihi malediceret. Præcepit*, id est, ordinavit suâ providentiâ ad mei punitionem, qua eum maledicere paratum permisit, vt suam maledicentiam in me evomeret, ad puniendum meum adulterium & homicidium. Ita Victorinus tract. 1. de Sacram p. 5. cap. 27. & 29. Atque in hunc modum Attila rogatus à S. Lupo Trecensi Episcopo, quis esset, respondit: *Ego sum Attila Rex Hunnorum flagellum Dei.* Et ita Tmaberlanes, Totilas, Hũni, Gothi, Wandali poterant se dicere flagella orbis. Vti nunc & Turcæ, & hæretici, quia per eos verè castigamur. Ipsi autem in Catholicos plus æquo sævientes, suo tempore vindictam Dei experientur. Et hoc est quod Propheta subiungit: *Et erit cum impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion, & in Hierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius.* id est, Et Cum vsus fuero virgâ Assur, eâque flagellavero Iudæos, tunc virgam ipsam in ignem conijciam, vti faciunt parentes flagellatis liberis: Et puniam superbos spiritus Sennacherib, & altitudidem oculorum eius, quibus omnes quasi longè sibi impares contempsit, & amplius afflixit, quam ei permisi.

Isa. 10. 2. Reg. 16. Hugo Vict.

Porro ex his colligis non solum bella infeliciter succedere ob peccata

cata Ducum & militum, sed etiam ob peccata populi; quod evidentiùs declarat Deus Ierem. 21. vbi Propheta suadet Hierosolymitis, vt, si se servare velint, Chaldæis dedant, nempeà quibus eorum civitas obsidebatur: *Posui enim*, inquit, in personâ Dei, *faciem meam super civitatem hanc in malum, & non in bonum.* in manu *Regis Babylonis dabitur, & exuret eam igni.* id est, intētos habeo oculos in civitatem, non mites & benevolos, vt illam custodiam; sed truces atque infensos, vt perdam: tradetur namque Regi Babylonis, & grandi eam succendet igne. Et v. 14. reddens rationem huius plagæ, addit: *Visitabo super vos iuxta fructum studiorum vestrorum: & succendam ignem in saltu eius, & devorabit omnia in circuitu eius.* q. d. Puniam vos pro meritis, vt, qualia semina peccatorum seminastis, tales & inde fructus plagarum metatis: ventum seminastis, turbinem metetis: spinas excidij, & incendij metetis. Et non solùm vrbem succendam, sed lucos & hortos, quos in circuitu vrbis habetis ad voluptatem & delicias; & sacrificia idolorum, seu tam saltus & lucos idolorum sacrificijs incestos, quàm hortos ad laxationem animorum plantatos, & omni amænitate instructos, in quibus proinde ventri vacatis & Veneri, incendio populandos esse pronuntio: ita vt nec in vrbe, nec extra vrbem quidquam vel à ferro tutum sit, vel ab incendio immune. Ita hortos deliciarum, quos mercatores & divites circum Antuerpiã Bruxellas, Brugas, aliasque vrbes Belgicas sibi construxerant, vt viderentur esse paradisi terrestres; ob luxum & peccata in ijs admissa, Deus nostro hoc seculo in Belgicis hisce timultibus concremavit & subvertit: ita vt Belgium, quod olim videbatur esse oculus & delicię Europæ, nunc vallis lachrymarum, imò polyandrion, funerumque locus esse videatur.

Ier. 21.

Hoc confirmari potest ex eo, quòd Deus sæpe sic punire soleat. Nam Moabitis Ierem. 48. minatur Dominus ob fertilitatem, & inde lasciviam & luxum, quòd eos per Chaldæos ex Moab in Chaldæam, quasi in aliud dolium, traducet, vt ipsi ibi humiliati & afflicti novum saporem, id est, nouos mores: novam animi demissionem, novum Dei cultum inducerent, in verbis: *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, & requievit in fæcibus suis: nec transfusus est de vase in vas, & in transmigrationem non abijt: idcirco permansit gustus eius in eo, & odor eius non est immutatus. Propterea ecce dies veniunt, dicit* Dominus: *& mittam ei ordinatores, & stratores laguncularum, & sternent eum, & vasa eius exhaurirent, & lagunculas eorum collident.* id est, Ex quo esse cœpit Moab, ab eo nempe tempore, quo ad mare mortuum quinque civitates incendio cœlesti consumptæ sunt, perpetuam habuit, & quasi vernaculam abundantiam. Quare aliquid traxit tetri, atque insuavis odoris, sicut vinum quod de vno dolio in aliud non transfunditur. Et quia in fęcibus semper insedit aliquid impurum, ac grave traxit à fæculenta materia. Porro Moab numquam in vas aliud transfusus est, quia nunquam vicinam Sodomæ regionem reliquit, atque ideo neque mutavit gustum, & Sodomæum sibi odorem retinuit. Propterea, dicit Dominus, aliquando mittam vinarios magistros strenuos, & industrios, qui efficient, nequid supersit amplius ex illa Moabitica, seu Sodomitica vindemia: ordinabunt enim aliter, atque disponent illa cellaria; lagunculas sternent, atque confringent, quia sternent, contererentque Moab; lagunculas exhaurient, & vasa collident.

Ier. 48.

Ad clariorem intelligentiam nota Prophetam comparare Moabitas vino, terram eorum dolio, pacem & abundantiam rerum fæcibus, mores eorum sapori & odori vini, q. d. Sicut vinum, præsertim forte, quale est in regionibus calidis, quamdiu in suis residet fæcibus suum fortem, austerum, & fęculentum saporem retinet & odorem; sed vt eum mutet, & fiat purius, suavius & delicatius, de vase in vas

in vas aliud transfundit: sic Moabitę in sua regione hactenus resederũt in summa pace & opulẽtia, nunquam capti vel abducti ac consequenter in germana sua superbia, solitisque peccatis, præsertim Sodomę & Gomorræ, cui vicinissimi sunt, remanent quasi fæcibus: fæces enim sunt otium & tranquillitas, ait Vatablus. Propriè verò vt Sanchez, fæces sũt locus ipse natalis, sive patria, quæ mater appellatur, æque ac fæces vini. Hic enim locus Sodomæ vicinus, tot flagitijs infectus aliquid tetrũ & Sodomiticum exhalabat in Moabitarum mores. Rursum vocat Chaldæos ordinatores, seu vietores & stratores laguncularum, qui solent prosternere aut inclinare dolia, vt vinum ex vno in aliud fundant: & qui vasa, postquam vinum transfuderint, in quibus erat ante, confringent, seu vrbes ipsas vastabunt ac diruent, Moabitis ex vrbe abductis. Sanchez.

9. Ex his etiam sequitur, nos frustra regios ministros taxare, aut aliud quippiam prætexere, sed de meliori vita esse cogitandũ: tum enim Deus operabitur, quod nobis remotum est, & impossibile videtur, nempe treugam, aut pacem, ex verbis Isai. 48. *Hæc dicit Dominus redemptor tuus sanctus Israël, Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernãs te in via, qua ambulas. vtinã attendisses mãdata mea: facta fuisset sicut flumẽ pax tua, & iustitia tua sicut sunt gurgites maris.* Imò quod amplius est Deus hostes invitos ad pacẽ convertet. Nam corda regũ in manu Dei, & iuxta Sapientem Prov. 16. *Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius convertet ad pacem.* In quem locũ Iansenius: *Docet hæc sententia*, inquit, *ex divinâ benevolentiâ erga iustos fieri frequenter, vt qui ad tempus inimici fuerant, cum eis redeant in gratiam, & ex inimicis amici fiant, Deo sic in gratiam suorũ convertente hostium corda, quæ habet in manu sua. Patet istud in Davide, cui Saul aliquoties reconciliatus est, Deo cor illius ob merita Davidis commovente. In Tobia itẽ, qui quoniã memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi gratiam Deus in conspectu Salmanazar Regis, vt est Tob. 1. Patet idẽ in Assuero, coram quo Hesther & Mardochæus, & per eos populus Iudaicus invenit gratiam. In Ioseph item, Daniele & tribus pueris. Item in Alexandro magno & Iaddo Sacerdote, cuius historiam videre est apud Iosephum lib. 11. de Cap. Iudaica cap. vlt. Sed omnium maximè in populo Christiano, cuius inimicos, Reges, & Principes post multas persecutiones Deus tandem pacificavit cum eo, ita vt non tantum à persecutione cessaverint, sed etiam iugo fidei sese submiserint.* Isa. 48. Prov. 16. Iansenius. Tob. 1. Iosephus.

Discursus VIII.

An duellum sit licitum.

DOminus Deus expressè hoc præcepto vetuit occisionem alterius contra dictamẽ rationis: hoc autem sæpè fit in duello. Hinc quæram quid sit, & quando licitum.

1. Duelli nomen dupliciter sumitur. Primò generatim, pro quocũque certamine armorum inter duos sive iusto siue iniusto. Secundò strictè & propriè, & sic *est pugna duorum, vel plurium ad cædẽ, vel vulnera instituta, idque ex cõdicto, & certo pugnãtium numero cõstituto.* Alio nomine dicitur *Monomachia*, id est vnius cum vno pugna, idq; suscipitur varias ob causas: nempe vel ad vindicandam iniuriam, ad defensionem proprij honoris, ad dirimendum bellum, & alias.

2. Quæritur quando sit licitum?

Respondeo, causam vbi multum valere, quãdo res patitur exceptionem, vt in casu occisionis; atque adeo si causa sit prohibita, etiam occisionem esse illicitam. Vnde suscipiens duellum ad vindicandam iniuriam sibi factam peccat mortaliter contra hoc præceptum. Ratio est, quia privatæ personæ hoc est interdictum, vt patet ex scripturis Matt. 5. v. 39. *Ego autem dico vobis, non resistere malo.* Et Matth. 26. v. 52. *Converte gladium* Matt. 5. Matth. 26.

Rom. 12. *dium tuum in locum suum.* Et Rom. 12. v. 17. *Nulli malum pro malo reddentes.* Et infra: *Non vosmetipsos defendentes, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindicta: Ego retribuam dicit Dominus.* Priora duo loca aliàs exposui. Tertij vero loci expositio est duplex, videlicet prior est vel patienter sustinere fratrem iratum, nihil illi respondēdo: vel fugiendum esse & declinandum à præsentiâ irati. Temperatur enim ira, quando is, in quem excitatur, declinat à præsentia irati. Ambros. Hanc tenet D. Ambrosius lib. 1. Officior. cap. 21. vbi sic ait: *Ne respondeas irato ad iracundiam suam, cito culpa culpā excutit. Si lapides teras, nonne ignis erumpit? Si te contumacia respondentis moverit, & perversitas impulerit ad indignationem; si non poteris mitigare mentem suam, reprime linguam tuam.* Rursum idem Ambrosius, cum hoc non sufficit, aliud præcipit, dicens: Idem. *Resiste iræ, si potes, nempe, patienter ferendo, aut iratum mitigando; si non potes, cede quia scriptum est: Date locum iræ. Iacob indignanti fratri piè cessit, & abesse maluit, & peregrinari, quàm excitare fratris indignationē.*

Altera verò est, Non vos vlciscamini, quin imò date locū iræ, id est, patienter sustinete, quæ adversarij irati in vos iactitant; nec eis vos opponatis, sed ad graviora ferenda potius vos prōptos exhibete, quàm ad vindictam; sic enim locum iræ dabitis, cum totam eorum iram in vobis compleri permiseritis. Et hanc tenet Basilius potiorem regul. 144. ex breviorib. dum ait, locum ire dare, esse non resistere malo, sed & percutienti in dexteram maxillam, vertere etiam aliam, Matth. 5. Et hæc conformior est intento Pauli, qui non loquitur de fuga, neque de sola patiētia; sed primo iubet benedicere persequentibus, secundò non reddere malum malefactoribus, tertiò, non vlcisci de ijs, qui iniuriam nobis intulerunt: adeoque progreditur semper ad maiora & difficiliora, imò ad cibandum adversarium, & eum qui nos læsit: *Sed si*, inquit, *esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.* id est ignitos, non iræ, sed charitatis, qui eum inflamment ad redamandum. *Nulla est enim maior provocatio ad amandum*, inquit S. Augustinus lib. de catechisandis rudibus, *quàm prævenire amando: nimis enim durus est animus, qui si vltro dilectionem non vult impendere, etiam nolit rependere.* Et Hieronymus: *Quando enim inimicis nostris præbemus beneficia, malitiam eorum nostrâ bonitate superamus, & mollimus duritiam, iratumque animum ad mollitiem, & benevolentiam flectimus, atque ita congregamus, carbones super caput eorum, de quibus scriptum est: sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatorijs, vt quomodo de altari carbo sublatus, prophetæ labia purgavit, ita & inimicorum nostrorum peccata purgentur: & vincamus in bono malum, & benedicamus maledicētibus.* Certè hoc apertissimè indicat Salomon, dum ait: *Prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi.* q. d. Huius tuæ beneficētię & liberalitatis amplissimā à Deo mercedem percipies. Et ne miretur Christianus hoc sibi incūbere, causā reddit Apostolus, quod vindictā sumere ad Deū spectet, qui Deut. 32. dixit: *Mihi vindictā: Ego retribuam*, adeoque vlcisci est præripere Dei officiū qui omniū est iustissimus provisor, iudex, & vindex.

Rursum hæc verba addidit Apostolus occurrens obiectioni, quam quis comminisci posset, nempe: Si me non vlciscar; manebit delictum multū, & iniuria impunita, & Christiani quodammodo malum approbabūt, cum id privatim vetant: quia ad iudices recurrere, & singula probare, sæpè difficile est. Vnde idē est ac si dicat Apostolus: Ne putes iniuriam fore inultam, quia Deus illam vlciscetur; idque gravissimè: erit enim non hominis, sed Dei, cuius opera ingentia, magnifica, & terrifica sunt, hæc vltio. Ex eo enim quòd Deus sibi hanc vindictam reservat, colligimus ingentem & terribilem eam fore. Nā vt hęc verba rursū citans ad Hebr. 10. v. 31. eaque explicans subijcit Apostolus: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*; non debet ergo homo seipsum vlcisci: quia

Margin notes: August. Hieron. Matth. 5. Deut. 32. Hebr. 10.

quia hoc esset præripere, & invadere officium Dei, de eiusque vindictâ diffidere, quæ tanta erit, vt potius commiseratione & compassione digni sint, qui cum nobis leves iniurias irrogant, in manus Dei viventis & irati incident, in quas horrendum est incidere. Experientur enim non humanam, sed divinam, Deoque dignã vltionem. Porro hæc solummodo concernunt privatas personas; non verò publicas, quæ vindicant Reipublicæ iniurias, & improborum peccata nomine Dei, vt patet Rom. 13. vbi ait Apostolus ipsas esse *vindices Dei in iram.*

Rom. 13.

3. Sed quæres, vtrum in bello offensivo vel defensivo duellum publicâ auctoritate institui possit.

Respondeo, Ordinariè in neutro bello licitũ esse cum hoste instituere. Et ratio est, quod iniuriam vindicans debeat esse sicut agens comparatione eius, qui puniendus est: Agens autem fortior esse debet patiẽte, vt penes illum quasi certę victorię spes existat: quod in duello non cernitur: quia vel par vtriusque conditio est, vel multa accidere possunt, vt is, qui videtur esse valentior, succumbat. In bello autem defensivo naturalia agentia imitari oportet, quæ modo quam fieri potest, efficacissimo contrarijs suis resistunt. Inefficax vero est modus resistendi per vnum, quippe quem facile vinci cõtingit: efficacior autem modus resistendi coniunctim, atque vnitè. Ergo iniquè communis defensio vni soli committitur.

4. Quibusdam tamen casibus licitum erit duellum: Primo, si hostis exercitui duellum offerat, idque ab aliquo acceptari ad avertendam ignominiam, animos hostium debilitandos, suorumque confirmandos. necessarium videatur. Sic Dauid cũ videret Goliath insolescere, & milites iusti belli animo cadere, & periclitari victoriam cum Goliath provocaret ad partiales pugnas, motus ex speciali instinctione Spiritus sancti, cum Goliath in singulare certamen descẽdisse legitur 1. Reg. 17. vt nimirum suorum animos Philistęi insolẽtiâ depressos erigeret, idque alioquin nõ facturus, cũ esset illi impar viribus, inermis, & in re bellica minimè exercitat⁹. Et ratio est, quòd hoc sit bellum resoluere in duellum. Idque optimo successu, Deo adiuuãte, cõtigit cum Davide. Sic enim legitur David dixisse ibidem ad Philistæum: *Tu venis ad me cũ gladio, & hasta, & clipeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israël, quibus exprobrasti hodie, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te: Et dabo cadavera castrorum Philistym hodie volatilibus cœli, & bestijs terræ, vt sciat omnis terra, quia est Deus in Israël. Et noverit vniversa Ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta salvat Dominus: ipsius enim est bellum, & tradet vos in manus nostras.* Et ita factũ est, vt fundâ iecerit vnum lapidem in frontem Philistæi, & proprio ipsius gladio lapide prostratum interfecerit. Cuius verba illustrãs Chrysost. hom. de Dauide & Goliath, sic introducit Davidem loquentem: *Tu venis ad me fidens in gladio, ego in Deo. Tu terrenis dimicas, ego cælestibus pugno. Tu in lancea, ego in fide. Tu in clypeo, ego in prece. Tu venis ad me in armorũ virtute, ego in potentissimo genitore. Denique in te tua arma vertentur, in te tuus gladius exercetur. Dei est enim hæc pugna, Dei erit & ipsa victoria.* Et rursum hom. 1. in Psal. 50. *Venit David vbi erat vterq; exercitus, & vidit castra Barbarorum valde munita, & arma splendentia, & de suis vulneratos plurimos: & nutu Dei processit pastor ad pugnam. Et qui bello fuerant assueti, pavore tremebant: & iste qui arboribus & vmbra frondium delectabatur, cum vidisset alienigenam provocantem ad singulare certamẽ, irruit in eum spiritus Domini, & dixit ad barbarum. Quis est iste incircumcisus, qui blasphemat castra Domini?* Et paulò post: *Dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te. Nec pertimescam corporis proceritatem, cũ insipientem noverim mentem tuam: nec pavebo magnitudinem navis, sed contemnam, quia gubernatorem non habes intus, quippe quem sciam esse adversarium Dei.* Et tum ad Davidem se convertens, sic

1. Reg. 17. Chrysost. Idem. 1. Cor. 10.

sic eum affatur: *Dic mihi, quibus armis confidis, ô David? Non carnalibus, inquit, sed spiritualibus. Arma enim nostra non carnalia, sed spiritalia sunt, sed vno modò in his cum sis exiguus, confidis? confido, ait, quia magnus est Dominus, contemptibilis quidem armis ego, sed qui misit me, fortis est. Ipsius enim maiestas mare vertit in aridam, petram dirupit, & flumina emanaverunt. Et qui elementa mutavit, multò magis vnum superbissimum prosternere poterit.*

5. Secundus casus est, si ad experiendos, ac debilitandos adversariorum militum animos, finemque belli, ac victoriam facilius consequendam, opportunum medium Duci videatur, privata duella suorum militum contra hostes indicere.

6. Tertius si ad Reipub. bonum, belli exitum, securitatem ab hostibus consequendam, imminente belli conflictu, magis expedire Ducibus videatur, vt totum bellum ad duellum, vel paucorum certamen revocetur, hostique offeratur, vel ab eo oblatum acceptetur. Porro nota, quando huiusmodi duellum communi vtriusque exercitus, vel Ducũ consensu instituitur, semper expressum, vel tacitum pactum annexum esse, vt neutrius factionis militi succumbenti à circumstantibus sucurri debeat: eamque conditionem ab ijs quoque, qui iusto bello decertant, servandam esse: quandoquidem bonum commune, cui reliqua post habenda sunt: ita postulat, vt etiam hosti fides servetur, maximè in rebus ad bellum pertinentibus, teste Sancto Augustino, epist. 207. in verbis: *Fides enim quando promittitur etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur: quantò magis amico pro quo pugnatur.* August.

7. Sed quæres, An ita illiciti sint conflictus illi particulares, & quasi prolusorij, dicti velitationes, quę fieri solent tempore belli inter vnum & vnum, decem & decem, duodecim & duodecim, quemadmodum factum legitur, 2. Reg. 2. vbi pugna permissa est duodecim contra duodecim per Abner & Ioab? 2 Reg. 6.

Respondeo primò, illicitam esse hâc prolusionẽ pugnæ, si instituatur quasi divinatorium quoddam victoriæ præiudicium. Secundò, cum temerè exponuntur milites vitæ periculo; quia eò quòd pares sint, fit vt neutra pars aliam sit superatura: sed vt milites mutuis vulneribus se conficiant, vt factum est loc. cit. vt colligitur ex verbis: *Apprehensoque vnusquisque capite comparis sui, defixit gladiũ in latus contrarij, & ceciderunt simul: vocatumque est nomen loci illius, Ager robustorum in Gabaon*. Omitto quòd inde bellum durum sit ortum vt ibidẽ habetur v. 17. Hinc affine est duellũ ad ostentationem virium, aut voluptatem spectaculi; & proinde expressè inhibitum c. 1. de Torneamentis, vbi sic legimus: *Torneamenta, in quibus milites ex condicto convenire solent, & ad ostentationem virium suarum, & audacia, temerè cõgredi, vnde mortes hominum & animarum pericula sæpè proveniunt, fieri prohibemus. Quod si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti pœnitentia non negatur, Ecclesiasticâ tamen careat sepulturâ.* Et ratio est, quia ex parte medij ambo exponunt se præsentissimo vitæ periculo: ex parte verò finis, res est exigui momenti, nempe inanis ostentatio virium, vel spectantium oblectatiò. Quæ certè est occisio cõtra dictamen rectæ rationis.

Restant duo examinanda. Primum, an ad defensionem proprij honoris liceat duellum suscipere. Secũdum, an ad terminandã litem.

Quantum ad primum attinet, respondeo non licere idcirco duellum acceptare, etiamsi homines mundani ęstiment sic iacturam aliquem pati sui honoris. Ratio est, quia quãdo agitur de vero honore, vel ignominiâ, non oportet spectare, quid sentiant homines improbi & mundani; sed quid probi & sapientes. Nam multa censentur ignominiosa apud mundanos, quæ honorifica sunt apud sapientes, vt recusare oblatam scortationem, ebrietatem, & similia, quibus improbi delectantur: quia lex divina dicit apud Paulum 1. Cor. 6. *An nescitis quia iniqui regnũ Dei non possidebunt? Nolite errare. Neque fornica-* 1. Cor. 6.

nicarij, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Quamvis ergo apud improbos & mundanos ignominiosum sit, oblatum duellum respuere, tamē apud probos & sapientes honorificum est. Addo quod etiam apud mundanos cesset ignominia, si provocatus responderat provocanti, Vt scias me non esse timidum & ignavum, paratus sum me defendere, quandocumque me invaseris: Nolo tamen ex condicto duellum acceptare, quia divinæ legi contrarium est. Et ratio est, quia paratum esse ad iustam sui defensionem, non est malum. Est autem malum ex condicto acceptare duellum sine causâ sufficienti.

Omitto, quod in praxi vix occurrat casus, quo licitum sit ob honoris defensionem duello congredi. Ratio est; quòd vel innocentiam tuam demonstrare possis; vel non. Si primum, nulla erit duelli necessitas. Si secundum, etsi duello certes, ac vincas non ideo, criminis suspicionem abolebis: sed novo etiam homicidij dedecore famam tuam maculabis apud viros cordatos. Nam hoc computatur inter purgationes vulgares, & damnatur Iure Canonico, cap. *Monomachiam* 2. q. 5. & c. *Significantibus* de purgatione vulgari. Et meritò quia duplex malitia reperitur in hoc duello. Vna superstitionis, vt notat D. Thomas q. 95. a. 8. ad 3. Altera mendacij, nam duellum quod assumitur in testimonium veritatis, seu in testimonium proprij iuris ac innocentiæ, ex se fallax est respectu illius finis, quia sæpè contingit innocentem in duello succumbere, vt habetur in citato c. *Significātibus*. Nec refert, quod hoc genus duelli fuerit olim valdè vsitatum. Quandocumque enim alicuius criminis, vel cuiuscumque alterius iuris probatio erat obscura, tunc vel actor provocabat reum ad duellū, vel reus ipse offerebat se, eo animo ac fine, vt si reus vinceret, habere-tur pro purgato & innocente: si succumberet pro convicto & nocente. Et ob hanc causam duellū à quibusdam solet appellari *Iudicium*, quia in duello iudicium Dei expectabatur. Quo pertinet illud Ciceronis pro Ligario: *Nunc certè melior ea causa iudicanda est, quam etiam Dij adiuverint.* Cicero. Nam tales consuetudines potius corruptelæ vocari debent ex rationibus supradictis. Vnde Conc. Tridentinum sess. vlt. cap. 19. dicit à Diabolo esse introductum, & exterminandum, in verbis *Detestabilis duellorum vsus, fabricante diabolo introductus, vt cruentâ corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur.* Conc. Trid.

9 Quantum vero ad secundum attinet, Dico similiter non licere cū duellum non sit medium idoneum ad illum finem; imò potius tentare Deum, vt extraordinarijs medijs palam faciat, à cuius parte sit æquitas, quod iuri divino, & sacris litteris est contrarium. Vnde Deus aliquando legitur duellum conceptum impedivisse, & miraculo rem diremisse, quando inter partes existimatum fuit, quæstionem potius duello, quā bello decidendam, vti narrat Dubravius lib. 5. histor. Bohem. de Radislao Gurimensi Principe, Mistibogij filio. Dubrav. Is per iniuriam invaserat Bohemiæ fines, coactus à suis tandem optimus Rex Wenceslaus militem collegit. cum iam dimicaturæ essent acies, *Si aliter, exclamat VVenceslaus, nisi prælio res componi nequit, cur non potius sine insontium sanguine ipsi inter nos singulari certamine decernimus? Nulla fit mora, loriculam super cilicinam vestē indutus, parvoque ensiculo succinctus VVenceslaus in arenam prodit: at Radislaus cataphractus hastatusque cum ingenti machara se infert. VVenceslaus signo crucis frontē pingens, subitò Angelos vidit, atque hanc vocē velut ab homine promptam, audit: Ne feri. & repēte Radislaus humi procūbens, veniā audaciæ poposcit, seque potestati victoris permisit. Allevans prostratū VVenceslaus monuit, datâ veniâ & dignitate ei restitutâ, vt cōtumaciam in obsequiū debitum verteret, ne post gravius ab irato*

Numine plecteretur. Hic Deus miraculo iustitiam causæ declaravit: quando miraculo Deus non favet, fieri solet, vt vel maneat dubia res, vel iustam fovens causam succumbat.

10. Sed dices, Deus in veteri Testamento tulit legem Zelotypię, qua mariti vxores de adulterio suspectas per aquas maledictas explorarēt. Sic enim habetur Numer. 5. *Vir, cuius vxor erraverit, maritumque contemnens, dormierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere non quiverit, sed latet adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inventa in stupro. Si spiritus Zelotypiæ concitaverit virum contra vxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsâ suspicione appetitur, adducet eam ad Sacerdotem, & offeret oblationem pro illâ, decimam partem sati farinæ hordeaceæ: non fundet super eam oleum, nec imponet thus: quia sacrificium Zelotypiæ est, & oblatio investigans adulterium*, &c. Breviter hæc proba procedebat hoc modo; primò, Sacerdos maledictiones proferebat super aquas. Secundò, proferebat maledictiones super mulierē, ipsâ respondente *Amen*. Tertiò, has secūdas maledictiones scribebat in libro: mox scripturam abluebat aquis maledictionis mulieri propinā-dis. Quartò accipiebat ab ea *Minchà*, puta similam, & ex ea de more pugillum Domino offerebat, & cremabat, reliquum verò sibi reservabat. Quintò, potum aquæ maledictæ dabat mulieri, quæ si criminis esset rea, intumescebat venter eius, & femur putrescebat. (Addunt Iudæi, & moriebatur; quod etiam satis significat noster Interpres, & 70. v. 21. factum esse disruptione vteri) idque fiebat statim, vt videtur non ab aliqua vi aquis insita, sed Deo ad illam ceremoniam id efficiente.

Num. 5.

Respondeo hanc legem fuisse iudicialem, atque adeo ad Christianos non pertinere; & tum temporis fuisse latam, ne Iudæi vxorem laborantem vel culpâ, vel suspicione adulterij, si factum probare non possent, occiderent: quia inter tribulationes carnis, quas sentiunt coniugati, non minima est zelotypia, teste Plutarcho in Artaxarxe, apud Persas, non tantum qui appellasset & attigisset Regis pellicem, sed & qui in itinere propius prætervectus fuisset, solitum capite mulctari. Caius Sulpitius legitur etiā vxorem suam repudiasse, quod aperto capite ędes egressa esset: *Lex*, inquit, *tibi meos vnius oculos præfinit, quibus formam tuam approbes: his esto speciosa, non aliorum oculis placens*. Apud Iudæos certum est ex hoc capite simile malum regnasse; hinc ad evitandum maius malum, miraculo quasi stato & continuo voluit Deus scelus adulterij apud ipsos explorari; quæ lex adveniente Christo abolita est. Vti & illa de libello repudij qui ob similem causam permissus fuerat.

Plutarch.

10. Dices iterum olim apud Christianos vsitatum fuisse, vt criminis accusatus, nec ita planè vt damnari posset convictus, nec etiam tam perspicuè innocens appareret, vt absolvi reus penitus posset, simul cum actore mitteretur ad Sanctorum reliquias (præsertim illorum, quorum virtus pręcipuè in miraculorum editione nota esset) per iuramentum purgandus. Hoc enim scribit D. Augustinus epist. 137. se practicasse in ambiguitate cuiusdam iudicij: *Elegi*, inquit, *aliquid medium, vt certo placito se ambo constringerent ad locum sanctum se peregrinaturos, vbi terribiliora opera Dei non sanam cuiusque conscientiam multò facilius aperirent, & ad confessionem vel pœnâ vel timore compellerent. Vbique quidem Deus est, & nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in spiritu & veritate oportet adorari; vt in occulto audiens, in occulto etiam iustificet, & coronet. Veruntamen ad ista quæ hominibus visibiliter nota fiunt, quis potest eius consilium perscrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant? multis enim notissima est sanctitas loci, vbi B. Felicis Nolensis corpus conditum est; quò volui vt pergerent, quia inde nobis faciliùs fideliusque scribi potest, quidquid in eorum aliquo divinitùs fuerit propalatum*. Hęc Augustinus Nolam ad S. Felicis ablegans

August.

legans reum cum accusatore.

Mediolani quoque eam viguisse consuetudinem iurandi super loculum sanctorum Martyrum, idem S. Augustinus subdit his verbis: *Nos novimus Medîolani apud memoriam Sanctorum, vbi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur; furem quemdam, quia ad eius locum venerat, vt falsum iurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum, & quod abstulerat, reddere.*

Idem.

Fuisse Romæ eandem consuetudinem, & perdurasse adhuc temporibus Gregorij Papæ, ipse suis scriptis sæpius fidem facit. Nam de basilica sanctorum Martyrum Processi, & Martiniani, vbi eorundem condita erant corpora, hæc habet hom. 32. in Evang. *Ad extincta namque eorum corpora viventes, ægri veniunt, & sanantur: periuri veniunt, & à dæmonio vexantur: dæmoniaci veniunt, & liberantur.* hæc ipse. Confirmat id exemplo de Sancto Pancratio Romę in periuros acerrimo vltore Gregorius Turonensis de Glor. Martyr. c. 38.

Gregorius.

Greg. Turon.

Solinus in Polyhist. cap. 10. narrat in Sardinia fuisse fontem, cuius aquis peierantis oculi attrectati cæcarentur, iurantis verum clarius cernerēt. De alio meminit prope Thyanam Philostratus in vita Apollonij lib. 1. c. 4. qui pariter periuro procrearet pustulas, vomicasq; noxias, efficeretque ne inde posset discedere, sed veluti affixus coram ipso deploraret calamitatem, periuriumque palam profiteretur. Prodit simile quiddam Plinius lib. 31. cap. 2. de amne Olachan in Bithynia: de fonte in Aethiopiâ Dionysius de Situ Orbis cap. 5. & apud eum in Perigesi Rhemnius: de Arcadino Aristoteles: de Styge in Arcadiâ Herodotus lib. 6. alijque permulti, quos Tiraquellus citat in Alexandrum ab Alexandro lib. 10. cap. 5.

Solinus.

Philostrat.

Plinius.

Dionysius.

Aristoteles.

Herodotus.

Tiraquell.

Respondeo hæc nihil referre, & graviter peccaturum Iudicem, si cōtra personam aliquam tanquam proditam eiusmodi signo probationis vtatur. Ratio est, quia iudex in processu contra reos iudicijs & probationibus vti debet, quæ humano & naturali modo deprehendi possunt; quales non sunt effectus miraculosi; aut tales, quorum origo superstitiosa est, vel saltem nobis incognita, vt per aquam ferventem, ferrum candens, aut similes aliquem reum, vel innocentem declarare: aut propter sanguinem ex occiso cadavere in hominis præsentiâ fluentem, ad torturam vel condemnationem procedere: Res enim hæc nimis incerta est, & ex aliâ causâ potest oriri. Nec refert rursum, quod Deus olim videatur sæpè purgationibus vulgaribus periculosissimis miraculo favisse: quia id factum est vel ob simplicitatem illius sæculi, cum etiam multi Episcopi putarent in quibusdam eventis esse licitas; vel quia innocentes accusati ad eas cogebantur. Iam verò cum Theologia magis culta est per Canones eiusmodi probationes planè sunt prohibitæ, vt videre est lib. 5. Decretal. de purgatione Canonica, & de purgatione vulgari. q. 4. c. *Omnibus*, & c. *Consuluisti*. Vti & probatio per duellum c. *Monomachiam*. Atque eadem est ratio de fontibus suprà narratis. Vnde nihil in his obiectionibus est quod duellantibus pro litis decisione suffragari queat.

11. Sed quæres, An eo casu, quo Iudex iniquus alicui innocenti mortis supplicium illaturus est, nisi duello se purget non curans ordinariam viam processus in iudicio, quis oblatum duellum acceptare possit? Ponamus casum, duos in criminis falsam suspicionem venisse, ijsque optionem dari, vt vel mortem subeant, vel duello congrediantur.

Respondeo nocenti nullatenus esse licitum, cum per se & intrinsecè malum sit ad innocentis occisionem aggredi. Innocenti verò non licet absolutè duellum sic oblatum suscipere, nisi caveat primò, extra Dei instinctum, causâ veritatis vel innocentiæ tanquam certo signo demonstrandæ, duellum aggredi, sed dumtaxat ad sui necessariam defensionem. Tunc enim ex iure naturali defensionis, tanquam contra ag-

gressorem sese defēdit;aliàs ne quidem in hoc casu duellum licet

12. Quod amplius est, præter peccatum mortale duellantes incurrūt pœnam proscriptionis omnium bonorum, perpetuæ infamiæ; pœnam homicidę, & privandi veniunt Ecclesiasticâ sepulturâ. Cœterum qui locum concesserunt, & consilium dederunt, & spectatores non impedietes cum possunt, excommúnicationem etiam incurrunt, cuiuscumque fuerint status, vt patet ex eodē Concilio in verbis: *Imperator, Regis, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint; eo ipso sint excommunicati, ac iurisdictione & dominio civitatis, castri, aut loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesiâ obtinent, privati intelligantur; &, si feudalia sint, directis Dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium suorum proscriptionis, ac perpetua infamia pœnam incurrant, & vt homicida iuxta sacros Canones puniri debeant; perpetuò careant Eclesiasticâ sepulturâ. Illi etiam qui consilium in causa duelli, tam in iure quam facto dederunt: aut aliâ quacumque ratione ad id quemquam suaserint: nec non spectatores, excommunicationis, ac perpetua maledictionis, vinculo teneantur: non obstante quocumque privilegio, seu pravâ consuetudine, etiam immemorabili.* Conc. Trident.

13. Porrò nota Concilium Tridentinum duntaxat loqui de duellis publicis, & cum solemnitate institui solitis: postea vero Gregorium XIII. motu proprio, *Ad tollendam*, ac denique Clementem VIII. in Bulla quæ incipit, *Illius vices*, apud Sairum tom. 1. lib. 3. thesauri, cap. 31. n. 21. Tridentin. Concilij pœnas etiam ad privata duella extendisse, & Sedi Apostolicæ reservasse. Ex quo colligunt Delrius lib. 4. Disquis. Magic. cap. 4. q. 4. s. 2. n. 26. Sanchez. lib. 2. Moral. cap. 39. n. 28. ex vi harum Bullarum excommunicationis pœnam ab ijs etiam incurri, qui certo loco, ac tempore designato, ad pugnam seu certamen singulare, quamvis nullâ aliâ solemnitate adhibita, ex condicto accedunt. Sairus. Delrius. Sanchez.

14. Sed dices has excommunicationes à quibusvis parum curari. Respondeo ideo non excusari, sed huiusmodi magis peccare propter contemptum. Nihil enim eximit à censurâ, quam ignorantia, aut quòd talis constitutio promulgata, non sit in vsum deducta.

Discursus IX.

An liceat directè seipsum occidere.



Ioan. 12. CHristus Ioan. 12. dixit: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Quod aliqui perversè interpretantes, sibi ipsis necem intulerunt. Vnde quæram, an liceat aliquo eventu seipsum occidere?

August. Philast. 1. Fuit olim hac de re hæresis, vt referunt Philastrius, & S. Augustinus lib. de hæres. cap. 69. In Africâ enim quidam, quos S. Augustinus Circumcelliones, Philastrius vero Circuitores appellat, genus hominum agreste & famosissimæ audaciæ non solùm in alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi eadem insaniâ, & feritate parcendo. Etenim nullibi sistebant, sed loca omnia circuibant, docentes quemcumque hominem se occidentem, aut iubentem alteri, vt occideret ipsum esse Martyrem.

2. Verùm hæc hæresis evidenter refutatur. Primum hoc Præcepto, *Non occides*; tum etiam quod Deo fiat iniuria,

iniuriâ, in cuius manu est vita, & mors hominis. Nam Sapient. 16. dicitur: *Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem, & educis vsque ad portas mortis, & reducis: homo autem occidit quidem per malitiam animam suam, & cum exierit spiritus non revertetur.* q. d. Hæc est differentia inter Deum & hominem, quòd Deus habeat mortis & vitæ potestatem: adeoque possit reducere ad vitam hominem, vti occidere: homo verò id non possit: quia non est Dominus vitæ & mortis. Vnde si occidat seipsum id facit per malitiam, nec potest seipsum vivificare. Hinc etiam Anna Samuelis mater, 1. Reg. 2. volens magnificare Deum, eiusque potentiam, quam sibi contulerat in fæcunditate, canit de ipso: *Dominus mortificat, & vivificat.* Idque duplici modo intelligi potest: vel quòd simpliciter occidat & resuscitet; vel quòd in mortis periculo constituat, & ab illo liberet. Priori modo, octo tantum reperiuntur in vtroque Testamento mortificati & vivificati: vt notat D. Augustinus lib. 3. de mirab. sacræ Script. c. 11. (si is est eius operis auctor) tres quidem in veteri, vnus ab Helia 3. Reg. 17. v. 22 duo quidem ab Helisæo 4. Reg. 4. v. 35. & 4. Reg 13. v. 21. quinque in novo: tres à Christo Domino, Lazarus Ioan. 11. v. 44. filius viduæ, Luc. 7. v. 15. filia Archisynagogi, Mar. 5. v. 42. Tabitha à D. Petro Act. 9. v. 40. & Eutychius à Divo Paulo Act. 20. v. 10. Vt nihil interim dicam de istis mortuis, quos Christus Dominus iubet renuntiari Ioanni resuscitatos, dicens: *Mortui resurgunt,* Matth 11. v. 5. si fortè ab ijs, quos diximus, distinguuntur. Et de illis qui cum Christo Domino surrexerunt, Matth. 27. v. 52.

Sap. 16. — August. — 3. Reg. 17. — 4. Reg 4. — 4. Reg. 13 — Luc. 7. — Marc. 5. — Act 9. — Act. 20. — Matt. 11.

Posteriori modo plures refert Scriptura mortificatos, & vivificatos Ezechiam, Davidē, Iobum, cœterosque Prophetas, & Apostolos, qui ex magnis sæpè periculis, in quibus à Deo fuerant constituti, divinitus evaserunt. Quem sensum exprimere videtur. D. Greg Nazianz. orat. 32. *Dominus,* inquit, *mortificat & vivificat; qui sola voluntate omnia facit; atque immutat: qui ex nocte diem facit, ex hyeme ver: & tempestate tranquillitatem, ex siccitate pluviam.* Et statim Iosephi, & Hebræorum exemplo rem confirmat: quorum ille ex servo venalitio in totius Ægypti principem evasit: hi autem ex parvâ quadam propagine in vineam latam, & palmitibus abundantem, vt ex Ps. 79. v. 9. patet, excreverunt: *Quid hoc,* inquit Naziãzenus, *admirabilius, aut illustrius divinæ magnificentiæ argumentum: cum ex rebus perditis, ac deploratis, iter secundis aperire voluerit?* Eundem sensum expressit D. Hieronymus ad illa verba, Thre. 3. v. 3. *In me vertit, & convertit manum suam tota die.* vbi vertere, & convertere manum, idem est, ac intentare, & revocare plagam: seu intorquere, & retorquere telum: seu tandem magnam aliquam suppliciorum procellam excitare, & serenare: *Vertit igitur Dominus,* inquit Hieronymus, *manum suam, quando iustè in reos debitam vltionem immittit: & convertit manum suam, quando misericorditer à vindicta sententiam suspendit. Scriptum est enim de illo, Dominus mortificat, & vivificat.*

Naziauz. — Hieron. Thren. 3. — August.

3. Vt vt est, qui seipsum occidit, aut notabili mortis periculo exponit, Deo iniuriam facit, cui soli est potestas vitæ & necis in hominem. Secundò facit contra charitatem sibi debitam, qui seipsum interimit, vnde D. Augustinus sic argumentatur lib. 1. de Civit. cap, 20. *Si falsi,* inquit, *testimonij, non minus reus est, qui de seipso falsum fatetur, quam si adversus proximum hoc faceret: cum in eo præcepto quo falsum testimonium prohibetur, adversus proximum probibeatur, possitque non rectè intelligentibus videri non esse prohibitum, vt adversus seipsum quisque falsus testis assistat; quantò magis intelligendum est nō licere homini seipsum occidere, cum in eo quod scriptum est, Non occides, nihilo deinde addito, nullus, nec ipse vtique cui præcipitur intelligitur exceptus.* Quod etiã probatur ex pænis in Concil. Bracharens. erga interfectores suipsius constitutis, vbi sic habetur: *Placuit qui sibi ipsis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, aut*

Conc. Brachar.

quolibet

quolibet modo violentia inferunt mortem, nulla pro eis in oblationem commemoratio fiat, neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur. Adeoque tales iuxta communem praxim, asini sepulturâ mulctantur, quæ gravis est pœna, vt constat Hierem. 22. vbi de Ioachim Rege Iuda dicitur: *Non plãgent eum; va frater, & va soror: non concrepabunt ei: Va Domine, & va inclyte. Sepulturâ asini sepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Ierusalem.* id est, Rex Ioachim, tum ob alia scelera, tum quia ipse indignè tractavit Ieremiam, eiusque prophetias exussit (hæc enim causa assignatur Hierem. 37. v. 29. & 30.) sepulchro carebit & planctu, tum privato, quo fratres & cognati sororem, vel fratrem mortuum plangere solent, dicẽtes: Heu Domine, heu rex noster inclyte. Imò occisus proijcietur extra vrbem in agrum aut sterquilinium, vti proijcitur asinus mortuus. Est autem asini sepulchrum sordidus aliquis, & apertus locus, qui neque tegat cadaveris horribilem & obscœnam speciem, neque canes aut volucres à laceratione prohibeat. Quod magis explicuit Hieremias ibidem cap. 36. vers. 30. *Hæc,* inquiens, *dicit Dominus contra Ioachim Regem Iuda &c. cadaver eius proijcietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem.* Id tamen consuetudo adiunxit ad alios deterrendos, vt apud Christianos sordidè vehantur per plateas, & sub instrumento supplicij, patibulo, seu furcâ proijciantur inhumati.

Hier. 22.

Hier. 37.

Hier. 36.

4. Sed dices, Scriptura sacra tamen videtur indicare, hoc pium esse cum Ioann. 12. dicit: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.*

Ioan. 12.

Respondeo, Longè alium esse sensum huius loci; nempe quem indicat Cardinal. Tolet. ibidem his verbis: *Qui vitam hanc temporalem conservare vult potius, quã in me credere, & qui vult appetitui suo indulgere, & desideria huius vitæ perficere, potius quam mea mandata exequi, mihique obedire, perdet eam, quia mortem æternam contrahet; qui vero odit eam in hoc mundo, expavendo eam pro me, mortemque eligendo potius, quam negare me, quique suis desiderijs, & & appetitibus contradicit, vt meis obediat mandatis, hic profectò custodit eam in vitam æternam, non enim est odium hoc, sed potius custodia; nam sic conservat eam, vt in æternũm vigeat.* Et rectè: Egerat enim Christus antea de clarificatione filij hominis, nempe eam futuram per mortem, similitudine adductâ grani frumenti cadentis in terram, in verbis: *Amen, Amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipsum solum manet: si autem mortuũ fuerit, multum fructũ affert.* Ijsque innuebat Christi morte humanum genus redimendum. Postmodum connectit verba ante citata insinuans necesse esse, vt in ipsum credituri, eumque secuturi, mortificentur ad afferendum fructum, modo quo dixi ex Auctore citato. hinc Augustinus tract. 31. in Ioannem *Ipse erat granum mortificandum, & multiplicandum: mortificandum in infidelitate Iudæorum, multiplicandum in fide omnium populorum. Iam verò exhortans ad passionis suæ sectanda vestigia: Qui amat, inquit, animam suam, perdet eam.*

Cardinal. Toletus.

August.

Rursum idem Doctor tract. 12. in Ioan. *Magna & mira sententia, quemadmodum sit hominis in vitam suam amor, vt pereat, odium, ne pereat: si malè amaveris, tunc odisti, si bene oderis, tunc amasti. Fælices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando: sed vide ne tibi subrepat, vt teipsum velis interimere, sic intelligendo, quod debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni, atque perversi homines, & in seipsos crudeliores, & sceleratiores homicidæ flammis se donant, aquis se præfocant, præcipitio se collidunt, & pereunt. Hoc Christus non docuit, imò etiam diabolo præcipitium suggerenti respondit: Redi retro Satanas, scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit, significans qua morte clarificaturus erat Deum: Cum esses iunior cingebas te & ambulabas, quo volebas; cum autem senueris, alter te cinget, & feret quo tu non vis: vbi satis expressit, non à seipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi.*

Matt. 4.

Ioan. 21.

5. Verùm quæres, An ob nullam causam id liceat, veluti ob detestationem

tionem peccati commissi, vt olim docuerunt Donatistæ, aut ad vitandum peccatum futurum?

Respondeo negativè, nam, quantum ad primum, certum est, quòd nullus sit iudex idoneus in propria causa, quodque punitio præteritorum peccatorum, ad secretum tribunal Dei pertineat, aut manifestum eius in terra, qui nomine Dei publicâ pollet auctoritate: illi enim gladius datus est ad vindictam malefactorum, vti constat Rom. 13. Deinde etiam ex eo convincitur, hoc esse illicitum, quia tales ex desperatione agunt, & se socios declarant Cain & Iudæ, quorum vnus dixit, maiorem esse iniquitatem suam, quã vt veniam mereretur; alter falsâ & detestabili pœnitentia ductus seipsum suspendit, ita vt creparet medius, de cuius damnatione loquitur David Ps. 108. per modum prophetiæ dicens: *Cum iudicatur, exeat cōdemnatus, & Episcopatum eius accipiat alter.* Vnde illis necessum est, si salvari velint, sequi exempla Davidis, Mariæ Magdalenę, Petri, & Pauli, aliorumque, qui peccata sua intima contritione deleverunt, ita vt nec cicatricis indicia remanserint: idque modo in novo Testamento à Deo constituto, seu ministerio Sacerdotis mediante, quando copia eiusdem haberi potest.

Rom. 13.

Gen. 4. Matt. 27.

Ps. ibid.

Ad secundum respondeo similiter negativè, quia, vt ait Paulus ad Rom. 3. *Non sunt facienda mala, vt eveniant bona.* Deinde non licet vllatenus committere malum maius, ad vitandum malum minus, & minus certum. Hinc D. August. lib. 1. de Civit. cap. 25. sic philosophatur; *Si detestabile scelus est etiam seipsum hominem occidere, sicut veritas manifeste proclamat, quis ita desipiat, vt dicat: Iam nūc peccemus, ne postea fortè peccemus. Iam nunc perpetremus homicidium, ne fortè postea incidamus in adulterium. Nonne si tātum damnatur iniquitas, vt non innocentia, sed potius peccata eligantur, satius est incertum pro futuro adulterium, quam certum de præsenti homicidium? Nonne satius est flagitium committere, quod pœnitendo sanetur* (scilicet permanendo in vita) *quam tale facinus, vbi locus salubris pœnitentia non relinquitur?*

Rom. 3.

D. August.

Tertiò, quia Deus promisit quòd non permitteret hominem tentari vltra quam valeat resistere, vt testatur Paulus 1. ad Cor. 10. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Quod B. Ephrem appositis similitudinibus illustrat iumentorum nempe, & vasorum figuli tract. de pœnit. *Si enim,* inquit, *homines exiguo intellectu, ac mente præditi, probare, & discernere norunt, quantum pondus atque onus singuli ferre queant animalia, velut mulus, & camelus, tantumque addunt oneris, quantum vires animalis tolerent. Et figulus vasa formans, nisi in in fornacem ea immiserit, vt igne prolata solida ac dura reddantur, humanis vsibus servire nequeunt: Novit autem quanto ea tempore oporteat in igne relinquere, donec vtilia efficiantur. Neque contra vltra quam sit opus ea in fornace relinquit, ne adusta corrumpantur: neque vicissim ea minus in fornace relinquit, quam necesse sit, ne dissolvantur, neminique sint vsui. Si, inquam, in rebus corruptibilibus, & apparentibus tantâ consideratione, atque cognitione præditi sunt homines, quantò magis Deus, qui incomprensibilis est, & ineffabilis scientiâ & intellectu, totusque sapientiâ plenus novit quantis probationibus, atque tribulationibus, tentationibusque indigeant animæ ipsi placere volentes, vitamque æternam consequi desiderantes.* Et quando putamus nos non posse resistere, tunc faciendum est, quod insinuat Conc. Trindentin. sess. 6. cap. 11. nempe petere à Deo vti possis facere quod iubet.

1. Cor. 10.

B. Ephrem.

Conc. Trid.

5. Sed quæres an non liceat idipsum ob ærumnas huius vitæ, aut ob desiderium vitæ æternæ citius assequendæ, aliamvè causam.

Respondeo nemini licitum esse directè seipsum occidere, ob causas prædictas. Ratio est, quod in hoc sęculo ęrumnas pati homini proprium sit. Nam vt ait Iob. cap. 7. *Militia est vita hominis super terram.* Et teste Paulo. *Qui piè vivere volunt in Christo persecutionem patientur.* Ad hæc dixit Angelus Tobiæ cœcitate laboranti: Quia

Iob. 7.

Tobia. 12.

Quia acceptus eras Deo necesse erat vt tentatio probaret te. Deus enim non facit cum hominibus, vt pictores optimi solent, qui in picturis illud propositum habent, vt oculos intuentium pascant: sed aurifabros potius imitatur, qui aurum in igne probant. Sic voluit Abrahamum charissimi filij holocausto tentari: sic permisit Iosephum à fratribus impiè vendi: Moysen cum toto populo Israëlitico crudeli Pharaonis tyrannide opprimi, Davidem implacabili Regis Saülis odio subjici. Susannam impudicorum calumnijs exponi: Prophetam Isaiam medium serrâ secari, Danielem obijci leonibus; Iob & Tobiam, de quo dixi, tum in corpore, cùm in bonis externis gravissimè affligi, quorum afflictionis causam sacra Scriptura expresè posuit, cum dicit Deum permisisse Tobiæ ista evenire, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & S. Iob. Vnde absurdissimum est ea de causa velle sibi necem inferre, & ipsi Deo repugnare, qui tum ad ornandam Ecclesiam suam, tum ad maius meritum patientium, hæc voluit illis evenire.

Gen. 22. Gen. 37. Exod. 1. 1. Reg. 17. Dani. l. 13.

Secundò est contra exempla Sanctorum, qui maximas afflictiones perpessi sunt, vt Iob, Eliæ, Hieremię & quamplurimorum Prophetarum.

Tertiò nunquam reperiemus id Christum suasisse, sed bene fugam ex vna civitate in aliam, ad vitanda mala impendentia ex persecutione, Matth. 10. Quod est argumento id non esse licitum, vt ratiocinatur optimè S. Augustinus lib. 1. Civit. cap. 23. *Non fecerunt*, inquit, *hoc Patriarchæ, non Prophetæ, non Apostoli: quia & ipse Christus Dominus, quando eos, si persecutionem paterentur, fugere admonuit de civitate in civitatem, potuit admonere vt sibi manus inferrent, ne in manus persequentium pervenirent. Porro si hoc ille non iussit aut monuit, vt hoc modo sui ex vita migrarent, quibus emigrantibus se mansiones æternas praeparaturum esse promisit, qualibet exempla ponant gentes, quæ ignorant Deum, manifestum est hoc non licere colentibus vnum verum Deum.*

Matt. 10. August.

Adeoque sequitur seipsum interficere factum esse hominum superborum, & pusillanimorum mortem sibi inferentium, vt perpetuò damnentur ad vitandas ærumnas momentaneas, quales sunt tribulationes huius vitæ. Qui enim arrogantes sunt, quidvis lubentius subeunt, quàm ignominiã & dedecus. Quam ob causam plurimos voluntariam oppetijsse mortem legimus, vt dolorem, qui est à turpitudine, declinarent. Sic sanè Brutus, & Cassius, ne in manus Augusti Cæsaris venirent, qui Iulij Cæsaris mortis vltor esse voluit, adacto in viscera mucrone, ignominiam redemerunt, quam ab hoste victore perferendam sibi apertè videbant. Sic Cato Vticensis, ne serviret Cæsari, cuius consilijs obstinatò restiterat, suis sibi manibus mortem consciuit, Eandem ob causam Abimelech, Iudic. 9. & Saul. 1. Reg. vltimo, vltrò sibi mortem accersierunt; alter ne diceretur à fœmina peremptus, alter ne foret ludibrio Philistinis. Hæc eadem causa adegit hominem superbissimum Architophelem, 2. Reg. 17. vt nodo sibi frangeret gulam, ne Davidi victori occurreret, cuius scelerato consilio fœdaverat domum Absalon & omnium acerrimè vitam patris insectabatur. Ita ferme Theodoretus q. 53. *Dedit Architopel pœnas illius impiæ, & nefariæ suasionis: Et quoniam in patrem armavit filium, ipse rursus in se armavit manus, & ijs laqueum collo iniciens miserrimum sustinuit finem. Nam cum ad rerum finem prævidendum esset idoneus, non admissâ eius suasione, Davidis futuram credidit victoriam, & timens proditionem, sua manu de se sumpsit supplicium.* Qui vero pusillanimes sunt, vitam ęternã nihili pendunt, nimium ponderantes ærumnas temporales. Qualis fuit Iudas qui pœnitentiâ ductus de Christo prodito laqueo se suspẽdit.

Iudic. 9. 1. Reg. vlt. Theodor. Matt. 27.

6. Sed dices, Elias Propheta cum eum persequeretur ad mortem Iesabel, petivit animæ suæ vt moreretur, 3. Reg. 19. & D. Paulus âd Philip. 1. cupiebat dissolvi, & esse cũ Christo.

3. Reb. 19. Philip. 1.

Respondeo hæc nullatenus suffra-

fragari vitæ suæ insidiantibus. Nam viri sancti multa sæpius protulerunt, quæ in speciem his patrocinari videntur, sed longè aliam habent significationem. Exempli gratiâ, Iob. cap. 3. maledixit diei, in qua natus erat. Similiter Hieremias cap. 20. addēs, *Maledictus vir, qui annunciavit patri meo, dicens: Natus est tibi puer masculus, & quasi gaudio lætificavit eum. Sit homo ille vt sunt civitates, quas subvertit Dominus, & non pœnituit eum audiat clamorem manè, & vlulatum in tempore meridiano: qui non me interfecit à vulva, vt fieret mihi mater mea sepulchrum, & vulua eius conceptus æternus. Quare de vulua egressus sum, vt viderem laborem & dolorem, & consumerentur in confusione dies mei?* Idque ad significādum dolorem suum; & quam grave esset vivere illo tempore, quo ne iustus à calumnia liber est, vt Iob. Rursum vt ostēdant, quantas angustias, quamve gravia mala patiantur; quamve inviti excidium alicui genti intentent & prædicant, vti egit Hieremias, quatenus dignoscerent Iudæi eum non sponte, sed coactum à Deo excidium Hierosolymis prædicere, vnde idem est ac si dicat: Si commoda & incommoda naturalia spectem, quæ sunt tam in vita, quam in interitu, satius est, & optarim interijsse, & nūquam natus esse, quàm vivere. Tunc enim omnibus caruissem ærumnis vitæ, quas tantas experior, vt omnia eius commoda, & iucunda cum eis non sint comparanda Sic Ecclesi. cap. 7. dicitur: *Melior est dies mortis die nati vitatis.* Et cap. 4. *Laudavi magis mortuos, quam viventes, & feliciorem vtroque iudicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt*: si enim anima ingressura corpus videret omnia mala, quæ in eo passura est, horreret, diceretque: Malo non nasci, quam nasci ad tantas miserias, vita enim hæc plus fellis, quam mellis habet.

Iob 3.

Eccles. 7.

Eccles. 4.

Secundò, aliquādo loquuntur naturaliter & secundum naturam, abstrahendo à statu gratiæ, meriti, peccati, ab ordinatione Dei, à statu futuræ gloriæ, & tantum spectando naturalia mala. Sic dixit Iob cap. 10. *Tædet animam meam vitæ meæ.* Sic Elias 3. Reg. 19. petivit animæ suæ vt moreretur, orans Deum hoc modo: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meā, neque enim melior sum patribus meis.* Sic Apostolus Paulus 2. ad Corinth. 1. loquens de tribulatione quam perpessus fuit in Asia ratione Demetrij argentarij Dianæ, qui populum in ipsum excitarat, vt penè opprimeretur, inquit: *Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus: ita vt tæderet nos etiam vivere.* id est, gravati fuimus super naturæ vires & corporis, ita vt nos per se & naturaliter loquēdo tæderet vivere. Verùm spectando charitatem & gratiam Dei libenter tolerabant quasvis tribulationes: ita vt Iob diceret: *Etiamsi occiderit me; in ipsum sperabo.* Elias confortatus ab Angelo panē subcinericium comedit, viam longam suscepit, illoque cibo recreatus vsque ad mōtem Horeb peregrinatus est, vbi à Deo consolationem accepit. Divus vero Paulus gaudebat in tribulationibus, quas pro Christo sustinebat: imò cum illi daretur optio, vel ad cœlestem patriam migrandi, vel in carne manendi propter alios, elegit in carne manere ob salutem aliorum. Sic enim ait ad Philip. 1. *Mibi enim vivere Christus est; & mori lucrum. Quòd si vivere in carne, hic mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro. Coarctor autem è duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cū Christo, multo magis melius: permanere autem in carne necessarium propter vos. Et hoc confidens, scio quia manebo, & permanebo omnibus vobis, ad profectum vestrum, & gaudium fidei: vt gratulatio vestra abūdet in Christo Iesu in me, per meum adventum iterum ad vos.* id est: Nolite timere ac lugere orbitatem vestram, quasi me patre vestro sitis orbandi: ego mihi persuadens vitam meam vobis esse necessariam; scio quod Deus me vobis adhuc concedet, facietq; in vita manere: vnde manebo & cum vobis permanebo, quasi pater vobis filijs meis

Iob. 10.

3 Reg. 19.

2. Cor. 1.

Philipp. 1.

meis superstes adero, pręsens vos visam, absens per litteras & nuncios vos solabor & confirmabo, vt in fide & gratia proficiatis, deque fidei incremento tam vestro, quam alieno gaudeatis. Cuius charitatē D. Chrysost. ponderans inquit: *Magnū hic mysterium aperuit, nempe potestatem habere se abeundi; (per mortem) quando enim optio datur, & electio, potestatem habemus eligendorum. Quid eligam, inquit, ignoro: in tua potestate est? vtique si voluero* Deum *orare gratiā, ignoro. Quid dicis Paule? Cū hinc abiēs in cælum migraturus sis, & cum Christo futur⁹, ignoras quid eligere debeas? Acerbam hic vitam ducis in fame, siti, frigore, nuditate, curis, persecutionibus, angustijs, & acerbam hanc adhuc vitam desideras? Quis mercator navem habens, multis rerum copijs plenā, cum liceat iam ad portū appellere, tutoq; quiescere, adhuc tamen in mari navigare vellet? Quis athleta cupiet amplius certamen, cum iam liceat coronari? Quis miles cum iam liceat cum celebritate & trophæis à bello liberari, ac cum Rege in ipsis quiescere, & refocillari regijs, sustineat adhuc in bello sudare & in aciem collocari? Quomodo ergo cupis adhuc in hac vita consistere, quam adeo amaram vivis?* Et inferius: *Futura metuis, innumeris malis obnoxius es, & apud Christum tamen esse nō vis? Non, inquit, atque id propter ipsum Christum, vt quos illi lucrifeci servos, expeditiores constituā & solidiores, & vt agricolationem illam, quam plantavi, frugiferā reddam. Non audisti me, non quod mihi est vtile, sed quæ sunt proximorum quærentē? Non audisti, quomodo anathema fieri concupierim, quo ad ipsum multi concederent?*

Chrysost.

Rom 9.

Tertiò ob bonum honestumve finem dolebant huius vitæ incolatum, videlicet vt liberarentur à periculis peccati: vel quia citius cupiebant Deo frui: quod omnino est licitum. Prius videtur David expetijsse Psal. 119. cum dixit: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.* q. d. Durum est mihi versari inter homines maximè barbaros, ibique vitam protrahere: seu vt loquitur Gregorius Magnus lib. 23. Moral. cap. 13. *Prorupit David in istas voces æternam patriam contemplatus, & hæc mala pensans, in quibus erat, atque illa bona considerans, in quibus adhuc non erat.* Qui enim hanc rem bene perpendit, non potest non congemiscere, tum aliena peccata, tum nostra pericula, tum delata nobis bona, tum quæ per contagium corporis, & improborum societatis subinde peccamus ipsi. Vnde infelicem se Paulus nominans hominem, non sine gemitu querens quærebat, quis eum liberaret de corpore mortis huius, ad Rom. 7. Posterius vero expetijt Paulus cum dicto loco dixit: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* At se ipsos occidere vt rem detestabilem horruerunt.

Psal. 119.

Gregor.

Rom. 7.

7. Verum enimuero dices, hæc admodum pia sunt, & animum ad meliora incitant; sed restat scrupulus, quod in historijs multi Sanctorum legantur vltro morti se obiecisse, & vltro se in ignes, & aquas iniecisse, ac præcipitasse, quos Ecclesia laudat, eorumque festivitates celebrat: inter quorum numerum recēsentur S. Apollonia, quæ seipsam iniecit in ignem, B. Vincentius qui vltroneus conscendit machinam tormentorum. Et S. Ambrosius lib. 3. de Virginib. refert illustrem quandam feminam nomine Pelagiā cum filiabus suis virginibus Mediolani, cum civitas illa ab hostibus fuisset capta, & milites quidam eas stuprare vellent, finxisse lætitiam, & postulasse, vt concederetur eis prius aliquas ducere choreas, illasq; ducēdo per murum seipsas dedisse præcipites in profūdum fluminis alveum.

Ambros.

Respondeo, Illas vel ex divinâ inspiratione id fecisse; vel ob inculpatam ignorantiam illo tempore excusatas fuisse. Alias enim non solum est illicitum seipsum interficere, sed etiam membrum abscindere, ad servandam aliquam virtutem, v. g. castitatem: quia non desunt alia media quibus cum Dei gratia possit homo & assequi, & tueri hanc virtutem. Vnde dist. 55. c. *Si quis absciderit* sui homicida meritò dicitur, qui hāc sibi iniuriam intulerit. Excipe, nisi salus totius corporis id vrgeat: præstat enim partis quam totius iacturam facere.

Discursus

Discursus X.

An liceat seipsum indirectè occidere.

August.  D. August. lib. 1. Civit. cap. 27. clarissimè definit, ob nullam causam directum sui homicidiũ licere. Ratio est, quod homo non sit dominus propriæ vitæ: quia verò illud indirectè fieri potest, tractabo quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligẽtiam, notandum est aliud esse directè ac primariò seipsum occidere; aliud indirectè & secundariò, seu pro bono publico, fide, ac religione Catholicâ vitam propriam periculo exponere, alijsque de causis bonis & honestis: hoc enim non solum laudabile sed interdum necessarium est. Vnde dico primò quandoque aliquem ex iustitia ad hoc teneri, vt v.g. militiæ ascriptũ: ille enim obligationem contraxit militiæ se ascribẽdo obedire in omnibus duci suo etiam cum periculo mortis, & speciatim stationem suam non deserere, etiamsi sciret certò se esse occidendum. Similiter famulus accipiens stipendia ad tuendam vitam Domini sui, ex iustitia ad hoc obligatur.

2. Dico secundò, quosdam ad hoc teneri ex charitate. Sic tenetur quis fidem profiteri cum periculo vitæ, quando honor Dei id exigit, aut externa confessio necessaria est ad aliquorum conversionem ad fidem, vel in eadem vacillantium confirmationem, seu quãdo credit minus firmos in fide, eam facilè vel bonorum temporalium amore, vel vitæ conservãdæ causâ negaturos. De illis enim dixit Christus Ioan. 12. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternã custodit eam.* Et D. Hieronymus in Ionam: *Non est nostrum mortem arripere, sed illatam ab alijs libenter accipere. Vnde & in persecutionibus non licet mihi propriâ perire manu* &c. *sed percutienti colla submittere.* Rursum laudabiliter facit, qui pro bono publico se periculo exponit: Sicut enim in naturalibus pars vna corporis rectè periculo exponitur pro servando toto corpore: ita & in politicis particulare Reipub. membrum pro servanda tota Republica, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 26. a. 4. ad 3. Ita licet ignem pulveri inijcere, & se mari committere, quando quis navali prælio dimicat, ne ipse & navis veniat in hostiũ potestatem: non enim intendit sui interitum, sed ne hostis navi cum publico damno potiatur. Sic enim Sampson apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus plena virorum ac mulierum, in qua erant omnes Principes Philistinorum, ac de tecto ac solario circiter tria millia vtriusque sexus spectatores, non suam mortem consideravit, sed hostium suorum, sui etiam populi ac Dei honorem. Vnde à D. Paulo ad Hebr. 11. inter Sãctos connumeratur. Sic enim ait: *Deficiet me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Sampson, Iephte, David, Samuel & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati iustitiam, adepti sunt repromissiones.*

Ioan. 12. Hieronym. D. Thom. Hebr. 11.

Imò vetus auctor Bacchiarius ep. ad Ianuarium de recipiendis lapsis, Sampsonem Martyrem asserit. *Ecce,* inquit, *in fine sæculi consistimus, instant pro Christi nomine prælia passionum. Quid mirum si ille, quem fornicationis hasta percussit, in passionis congressione superavit. Quid, si victor fuerit in Martyrio, quem vicerat incontinentia & libido? Nonne sic fecit ille Nazaræus ex repromissione natus? quem cum in perniciem sui mulieris blandimenta vicissent, postmodum in fine obitus sui sub Martyrij passione maiorem inimicorum exercitum prostravisse, quam ante, quando Nazaræus, hoc est, immaculatus fuerat, reperitur.* Nec mirum: quia illæ quæ ad Martyrium requiruntur conditiones, in ipso reperiũtur.

Bacchiar.

tur. Suâ enim ipsius morte, (quam in Dei gratia iam collocatus sapienter ac sanctè ad illius honorem & gloriam, ad publicam iustamque populi sui vltionem ac defensionem retulit) practicè testificatus est, Israëlitarum Deum verum esse Deum, Dagonem verò falsum: iniurijs non esse divexandam Deo devotam gẽtem: non expromendum in Dei servos etiam captos, quidquid licitum fuerit, crudelitatis.

1. Mach. 6. Sic 1. Machab. 6. Scriptura sacra laudat Eleazarum qui se in mortem dedit, vt populum suum liberaret: *Et vidit*, inquit, *Eleazar filius Saura, vnam de bestijs loricatam loricis regis, & erat eminens super cæteras bestias; & visum est ei quod in ea esset Rex: & dedit se vt liberaret populum suum & acquireret sibi honorem æternum. Et cucurrit audacter ad eam in medio legionis interfeciens à dextris & à sinistris, & cadebant ab eo huc atque illuc. Et ivit sub pedes Elephantis, & supposuit se ei, & occidit eum: & cecidit in terram super ipsum, & mortuus est illic.* Vnde eius fortitudinem mirificè extollit D. Ambrosius lib. 1. Officior cap. 40. dicens: *Eleazarus cum supereminentem cæteris elephantem loricâ vestitum regiâ adverteret, arbitratus quod in eo esset Rex, cursu concito in mediũ legionis se proripuit, & abiecto clypeo vtraque manu interficiebat bestiã, atque intravit sub eam, & subiecto gladio interemit eam. Itaque cadens bestia oppressit Eleazarum, atque ita mortuus est. Quanta igitur virtus animi? primò, vt mortem non timeret: deinde vt circumfusus legionibus inimicorum in confertos raperetur hostes, medium penetraret agmen, & cõtemptâ morte ferocior, abiecto clypeo, vtraque manu vulneratæ molem bestiæ subiret ac sustineret, post infra ipsam succederet, quo pleniori feriret ictu, cuius ruina inclusus magis quam oppressus, suo est sepultus triumpho. Nec fefellit opinio virum, quamvis regius fefellerit habitus. Tanto enim virtutis spectaculo defixi hostes, inermem occupatum incursare non ausi, post casum ruentis bestiæ sic trepidaverunt, vt impares se omnes vnius virtuti arbitrarentur. Denique Rex Antiochus, qui cum centum viginti millibus hominum venerat armatus & cum triginta duobus elephantis, ita vt ad ortum solis per singulas bestias velut montes quidam armorum corusco tanquam lampadibus ardentibus refulgerent, vnius territus fortitudine pacem rogaret. Itaque Eleazarus hæredem virtutis suæ pacem reliquit.* (Ambros.)

3. Quæres, an licitum sit etiam vitam pro conservatione vitæ corporalis amici exponere. Respondeo affirmativè. Id enim commendatur verbis Christi Ioan. 15. *Maiorem hac dilectione nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* In quæ verba sic Toletus: *Nulla, inquit, maior est dilectio, quam ea, qua aliquis pro eo, quẽ diligit, animã suam ponit, & mortem subit. Hoc nos modo dilexit Christus, hoc etiã modo præcipit suis, vt se invicem diligant, vt pro alterius salute tuendâ, & conseruãdâ, quando opus est, nullum periculum, nulla persecutio, nullum malum temporale eos retrahat: sic suos Apostolos præparatos esse vult, vt mundo salutem annuntient, & hominum saluti incumbant; sicque huic negotio intendant, vt nec mors, quæ omnia mala temporalia superat, nec mortis genus vllum acerbissimum eos ab hoc officio retardet. Hunc locum ipse Ioannes explicuit 1. Cap. 3. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam posuit pro nobis: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Et quamvis hic locus de salute spirituali maximè intelligendus sit, tamen certum est licitum esse vitam suam certo periculo exponere pro servãdâ amici vitâ temporali, ex motivo honestatis & amicitiæ; quandoquidem honestas virtutis maius bonum sit, quam vita propria corporalis. Vnde licitum esse aiunt Doctores amico peste laborãti inservire, cum æquè certo periculo mortis: & in communi naufragio tabulam socio cedere. (Ioan. 15. Toletus. 1. Ioan. 3.)

4. Sed dices, Hoc videtur esse cõtra ordinem charitatis; nã vt inquit August. lib. de Mendac. ad Consentium cap. 6. *Si quis pro alterius temporali vita suam ipsam temporalem perdit, non est iam diligere illum sicuti seipsum, sed plusquam seipsum, quod sanæ regulæ repugnat.* (August.)

Respondeo nihilominus id nõ esse contra

cōtra ordinē charitatis, quia amicus vitam pro amico ponēs, id non facit ex amore vitę alterius, quo casu esset vitam proximi magis diligere quàm suam, sed ex amore virtutis amicitiæ, & ad aliorum exemplum: quod dum facit, se plus quam amicum diligit, pro quo mortem oppetit; siquidem hoc faciendo vult à se maximè amicitiam coli, & ad illius amorem suo exemplo cœteros incitari, quod bonū tanti æstimat, vt illud præferat vitæ corporali tum suæ tū proximi.

Ambros. Hoc laudavit D. Ambrosius lib. 3. Officior. cap. 12. in duobus Pythagoræis præferēs multis modis filiam Iephte, quę patris voto acquievit, quo se immolaturum promiserat eum, qui sibi revertenti cum pace à prælio primus egrederetur de foribus domus suæ; sic enim ait: *Praecellentius & antiquius istud exemplum de filia Iephte, quam illud quod memorabile habetur apud Philosophos de duobus Pythagoreis. Quorum alter cum à tyranno Dyonisio capitis damnatus esset, praescripto mortis die, poposcit vt domum pergendi ei facultas daretur, quo commendaret suos, Ac ne revertenti nutaret fides, vadem mortis obtulit eâ conditione, vt si ipse deforet ad constitutum diem, vas eius sibi pro eo moriendum agnosceret. Nec qualitatem sponsionis qui offerebatur recusavit, constantique animo diem necis praestolabatur. Itaque alter se non subtraxit, alter ad diem repedavit. Quod eousque fuit mirabile, vt tyrannus eos sibi in amicitiam adscisceret, quorum vrgebat periculum.* Iudic. 11. *Quod ergo in spectatis & eruditis viris plenum miraculi est, hoc in Virgine multo magnificentius, multoque illustrius deprehenditur, quae ingemiscenti Patri ait: Fac mihi vt exivit de ore tuo. Sed spacium duorum poposcit mensium, vt cum aequalibus conventum ageret in montibus, quae virginitatem eius praedestinatam neci pio affectu prosequerentur. Nec fletus aequalium movit puellam, nec dolor flexit, nec gemitus retardavit, nec dies praeterijt, nec fefellit hora. Redijt ad patrem, quasi ad votum rediret, & voluntate propriâ cunctantem impulit, fecitque arbitratu spontaneo, vt quod erat impietatis fortuitum, fieret pietatis sacrificium.*

5. In hoc tamen eventu cavendum est, ne quis per positivam aliquam actionem directè neci suæ cooperetur, hoc enim illicitum est. Vnde si duo amici simul naufragium fecissent, ijsque residua esset tabula, cuius subsidio alteruter ex illis tantum posset salvari, posset quidem alter eâ non vti, vt sibi eam amicus assumeret, cuius saluti consultum cupit. Si vero iam eâ vti cœpisset, nō posset eâ se privare & amico spontè eam tradere, nisi speraret se natando evasurum: quia non tantum hoc modo sibi non subveniret (quod interdum licet) sed seipsum sponte submergeret, quod nunquam licet, cum id sit positivè & directè ad mortem suam cooperari.

6. Porro quæres, An quis in gravi infirmitate existens, & non adhibēs exquisitas medicinas, quibus vitam conservare posset, in hoc pręceptum impingat indirectè.

Respondeo negativè, quia ad vitæ conservationem satis est adhibere communia remedia. Ratio est, quia vita non est ex bonis supremis, & semel necessariò deserenda est. Vnde sequitur, neminem in obsidione teneri vesci canibus, felibus, muribus, & calceorum segmentis, ac similibus; nec etiam teneri parêre consilio medicorum, cum ad vitæ conservationem brachij, aut cruris amputationem necessariam esse pronunciant. Quia nō obligatur cum tanto cruciatu, & periculo vitā redimere.

7. Quæres iterum an licitum sit homini abstinere à pharmacis communibus. Respōdeo ordinariè quēpiam non teneri vti medicinis ad prolōgandam vitam, nisi contingeret casus, in quo quis moraliter certus esset se eâ recipiendo recepturum salutem, vitamque conservaturum, & sine ijs moriturum: tūc enim teneretur, aut incurreret crimen homicidij (nisi aliunde illi causa iusta esset abstinendi) quandoquidem medicina ordinata est ad salutem, dicente Ecclesiast. cap. 38. *Altissimus creavit de terra medicinam, & vir prudēs non abhorrebit illam.* id est, Vir prudēs Eccles. 38.

tur. Suâ enim ipsius morte, (quam in Dei gratia iam collocatus sapienter ac sanctè ad illius honorem & gloriam, ad publicam iustamque populi sui vltionem ac defensionem retulit) practicè testificatus est, Israëlitarum Deum verum esse Deum, Dagonem verò falsum: iniurijs non esse divexandam Deo devotam gẽtem: non expromendum in Dei servos etiam captos, quidquid licitum fuerit, crudelitatis.

1 Mach.6. Sic 1. Machab. 6. Scriptura sacra laudat Eleazarum qui se in mortem dedit, vt populum suum liberaret: *Et vidit*, inquit, *Eleazar filius Saura, vnam de bestijs loricatam loricis regis, & erat eminens super cæteras bestias; & visum est ei quod in ea esset Rex: & dedit se vt liberaret populum suum & acquireret sibi honorem æternum. Et cucurrit audacter ad eam in medio legionis interficiens à dextris & à sinistris, & cadebant ab eo huc atque illuc. Et ivit sub pedes Elephantis, & supposuit se ei, & occidit eum: & cecidit in terram super ipsum, & mortuus est illic.* Vnde eius fortitudinem mirificè extollit D. Ambrosius lib. 1. Officior cap. 40. dicens: *Eleazarus cum supereminentem cæteris elephantem loricâ vestitum regiâ adverteret, arbitratus quod in eo esset Rex, cursu concito in mediũ legionis se proripuit, & abiecto clypeo vtraque manu interficiebat bestiã, atque intravit sub eam, & subiecto gladio interemit eam. Itaque cadens bestia oppressit Eleazarum, atque ita mortuus est. Quanta igitur virtus animi? primò, vt mortem non timeret: deinde vt circumfusus legionibus inimicorum in confertos raperetur hostes, medium penetraret agmen, & cõtemptâ morte ferocior, abiecto clypeo, vtraque manu vulnerata molem bestiæ subiret ac sustineret, post infra ipsam succederet, quo pleniori feriret ictu, cuius ruina inclusus magis quam oppressus, suo est sepultus triumpho. Nec fefellit opinio virum, quamvis regius fefellerit habitus. Tanto enim virtutis spectaculo defixi hostes, inermem occupatum incursare non ausi, post casum ruentis bestiæ sic trepidaverunt, vt impares se omnes vnius virtuti arbitrarentur. Denique Rex Antiochus, qui cum centum viginti millibus hominum venerat armatus & cum triginta duobus elephantis, ita vt ad ortum solis per singulas bestias velut montes quidam armorum corusco tanquam lampadibus ardentibus refulgerent, vnius territus fortitudine pacem rogaret. Itaque Eleazarus hæredem virtutis suæ pacem reliquit.*

Ambros.

3. Quæres, an licitum sit etiam vitam pro conservatione vitæ corporalis amici exponere. Respondeo affirmativè. Id enim commendatur verbis Christi Ioan. 15. *Maiorem hac dilectione nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* In quæ verba sic Toletus: *Nulla, inquit, maior est dilectio, quam ea, qua aliquis pro eo, quẽ diligit, animã suam ponit, & mortem subit. Hoc nos modo dilexit Christus, hoc etiã modo præcipit suis, vt se invicem diligant, vt pro alterius salute tuendâ, & conseruãdâ, quando opus est, nullum periculum, nulla persecutio, nullum malum temporale eos retrahat: sic suos Apostolos præparatos esse vult, vt mundo salutem annuntient, & hominum saluti incumbant; sicque huic negotio intendant, vt nec mors, quæ omnia mala temporalia superat, nec mortis genus vllum acerbissimum eos ab hoc officio retardet. Hunc locum ipse Ioannes explicuit 1. Cap. 3. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam posuit pro nobis: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Et quamvis hic locus de salute spirituali maximè intelligendus sit, tamen certum est licitum esse vitam suam certo periculo exponere pro servãdâ amici vitâ temporali, ex motivo honestatis & amicitiæ; quandoquidem honestas virtutis maius bonum sit, quam vita propria corporalis. Vnde licitum esse aiunt Doctores amico peste laborãti inservire, cum æquè certo periculo mortis; & in communi naufragio tabulam socio cedere.

Ioan. 15. Toletus. 1. Ioan. 3.

4. Sed dices, Hoc videtur esse cõtra ordinem charitatis; nã vt inquit August. lib. de Mendac. ad Consentium cap. 6. *Si quis pro alterius temporali vita suam ipsam temporalem perdit, non est iam diligere illum sicuti seipsum, sed plusquam seipsum, quod sana regula repugnat.* August.

Respondeo nihilominus id nõ esse contra

cōtra ordinē charitatis, quia amicus vitam pro amico ponēs, id non facit ex amore vitę alterius, quo casu esset vitam proximi magis diligere quàm suam, sed ex amore virtutis amicitiæ, & ad aliorum exemplum: quod dum facit, se plus quam amicum diligit, pro quo mortem oppetit; siquidem hoc faciendo vult à se maximè amicitiam coli, & ad illius amorem suo exemplo cœteros incitari, quod bonū tanti æstimat, vt illud præferat vitæ corporali tum suæ tū proximi.

Ambros. Hoc laudavit D. Ambrosius lib. 3. Officior. cap. 12. in duobus Pythagoræis præferēs multis modis filiam Iephte, quę patris voto acquievit, quo se immolaturum promiserat eum, qui sibi revertenti cum pace à prælio primus egrederetur de foribus domus suæ; sic enim ait: *Praecellentius & antiquius istud exemplum de filia Iephte, quam illud quod memorabile habetur apud Philosophos de duobus Pythagoræis. Quorum alter cum à tyranno Dyonisio capitis damnatus esset, præscripto mortis die; poposcit vt domum pergendi ei facultas daretur, quo commendaret suos, Ac ne revertenti nutaret fides, vadem mortis obtulit eâ conditione, vt si ipse deforet ad constitutum diem, vas eius sibi pro eo moriendum agnosceret. Nec qualitatem sponsionis qui offerebatur recusavit, constantique animo diem necis præstolabatur. Itaque alter se non subtraxit,* Iudic. 11. *alter ad diem repedavit. Quod eousque fuit mirabile, vt tyrannus eos sibi in amicitiam adsisceret, quorum vrgebat periculum. Quod ergo in spectatis & eruditis viris plenum miraculi est, hoc in Virgine multo magnificentius, multoque illustrius deprehenditur, quæ ingemiscenti Patri ait: Fac mihi vt exivit de ore tuo. Sed spacium duorum poposcit mensium, vt cum æqualibus conventum ageret in montibus, quæ virginitatem eius prædestinatam neci pio affectu prosequerentur. Nec fletus æqualium movit puellam, nec dolor flexit, nec gemitus retardavit, nec dies præterijt, nec fefellit hora. Redijt ad patrem, quasi ad votum rediret, & voluntate propriâ cunctantem impulit, fecitque arbitratu spontaneo, vt quod erat impietatis fortuitum, fieret pietatis sacrificium.*

5. In hoc tamen eventu cavendum est, ne quis per positivam aliquam actionem directè neci suæ cooperetur, hoc enim illicitum est. Vnde si duo amici simul naufragium fecissent, ijsque residua esset tabula, cuius subsidio alteruter ex illis tantum posset salvari, posset quidem alter eâ non vti, vt sibi eam amicus assumeret, cuius saluti consultum cupit. Si vero iam eâ vti cœpisset, nō posset eâ se privare & amico spontè eam tradere, nisi speraret se natando evasurum: quia non tantum hoc modo sibi non subveniret (quod interdum licet) sed seipsum sponte submergeret, quod nunquam licet, cum id sit positivè & directè ad mortem suam cooperari.

6. Porro quæres, An quis in gravi infirmitate existens, & non adhibēs exquisitas medicinas, quibus vitam conservare posset, in hoc pręceptum impingat indirectè.

Respondeo negativè, quia ad vitæ conservationem satis est adhibere communia remedia. Ratio est, quia vita non est ex bonis supremis, & semel necessariò deferenda est. Vnde sequitur, neminem in obsidione teneri vesci canibus, felibus, muribus, & calceorum segmentis, ac similibus; nec etiam teneri parēre consilio medicorum, cum ad vitæ conservationem brachij, aut cruris amputationem necessariam esse pronunciant. Quia nō obligatur cum tanto cruciatu, & periculo vitā redimere.

7. Quæres iterum an licitum sit homini abstinere à pharmacis communibus. Respōdeo ordinariè quēpiam non teneri vti medicinis ad prolōgandam vitam, nisi contingeret casus, in quo quis moraliter certus esset se eâ recipiendo recepturum salutem, vitamque conservaturum, & sine ijs moriturum: tūc enim teneretur, aut incurreret crimen homicidij (nisi aliunde illi causa iusta esset abstinendi) quandoquidem medicina ordinata est ad salutem, dicente Ecclesiast. cap. 38. *Altissimus creavit de terra medicinam, & vir prudēs non abhorrebit illam.* id est, Vir prudēs Eccles. 38.

pharmaca & medicamina à Deo de terra creata, ad hoc vt servirent homini, cum opùs est, non debet abhorrere, nec existimare se per hoc displiciturum Deo, quasi qui creaturis fidat, & non soli Deo; sed ne ingratum se præbeat Deo, qui remedia morborum paravit, nec in seipsum sit iniurius, amplexabitur medicinæ beneficia, tãquam à Deo creata, & tanquam naturæ vtilia, etsi per se parum grata, nisi velit parvulis & insipientibus assimilari, qui ab eis abhorrent, quòd palato sint ingrata. Hinc enim dixit Deus: *Honora Medicum propter necessitatem, etenim creauit illum altissimus.* id est, Liberaliùs tracta Medicum, quia Dominus voluit esse Medicos ad communem hominum vtilitatem: quia scientia, quam habent rerum naturalium, illis indita est à Deo, eiusque vsus est ex Dei voluntate, institutione, cooperatione. Vnde subijcit: *A Deo est enim omnis medela*, nempe quæ per medicum cõtingit, non solum quod à Deo sint, & vires herbarum, per quas fit curatio, & ars ipsa medica, quæ in illarum cognitione, debitoq; vsu sita est: sed etiam quod illorum effectus, & operatio sit à Deo, qui nisi eis cooperetur, aut potiùs per illa operetur, nullus sequetur effectus. Cui congruit illud Paulinum: *Non enim qui plantat, est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat, Deus.*

8. Quæres denique, An liceat homini cibis vti nocivis, vel singulari inediâ vitam abbreviare.

Respondeo ad primum, nemini licitum esse cibis vti nocivis, vt fungis, crudis herbis, & alijs similibus cibis ita noxijs, vt vtentis vita, vel ex propriâ scientiâ, vel ex aliorum bonorum & sapientum sententiâ brevi abrumperetur: quin etiam illis vtentem peccare mortaliter, cum ipse non sit Dominus vitæ, adeoque illam non possit abrumpere.

Ad secundum dico, ob eandem rationem eum qui ex intentione, aut etiam advertenter sine tali intentione vitam notabiliter ieiunijs, vigilijs, abstinentijs, Psalmorum decantatione abbreviat, mortaliter peccare. Vnde S. Thomas 2.2.q.147. a. 1. ad 2. docet contra rectam rationem esse tantum de cibo subtrahere, vt natura conservari non possit: ad cuius rei confirmationem adducit illud S. Hieronymi: *Non differt vtrum magno vel parvo tempore te interimas, quia de rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimiâ egestate, vel manducandi, vel somni penuriâ immoderatè corpus affligat.* Quæ omnia ex eo cõfirmari possunt, quia cum corporalis castigatio de se non sit bona aut mala, seu vt loquitur Apostolus, 1. Tim. 4, *ad modicum vtilis*, sed in quantum deservit mortificationi appetitus, & inordinatarum animi passionum, vnde addit Apostolus. *Pietas autem ad omnia vtilis est*: consequens est id tantum licitum esse quantum ad pietatem cõducere potest. Vnde qui ex immoderato ieiunio aut vigilijs impotentem se reddit ad debita pietatis & devotionis opera peragenda, contra rectam rationem agit & peccat, vt ibidem tradit S. Thomas secutus S. Hieronymum dicentem: *Rationalis homo dignitatem amittit, qui ieiunium charitati, vel vigilias sensus integritati prefert.* Vnde Apostolus 1. Tim. 5. admonet Timotheum, ne in hac re indiscretus, aut crudelis contra seipsum sit, dicens: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates.* Etenim vt alibi scribit idem Apostolus, *rationabile debet esse obsequium nostrum.* quasi diceret Paulus iuxta D. Thomam: Corporum afflictio non sit nimia, sed moderata & rationabilis. Nam vt inquit S. Bernardus serm. 49. in Cantica: *Discretio est moderatrix & auriga virtutum, affectuum, morum, omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, & decorem & perpetuitatem. Tolle hanc, virtus vitium erit.* Vnde idem S. Bernardus alibi docet eum, qui in corpore edomando & mortificãdo indiscretus & nimius est, quatuor hæc iniustè rapere, scilicet: *Corpori effectum, animo affectum, proximo exemplum, Deo honorem:* indeque concludit, eum sacrilegij crimen incurrere, *cum templo Dei*

S. Thom.
Hieronym.
1. Tim. 4.
S. Thom.
1. Tim. 5.
Rom. 12.
D. Thom.
Bernard.

Dei vino abutatur, Deoque debitum honorem deroget: quia nimirum casus vnius alios quàm plurimos terret, & à via spiritualis vitæ retrahit; cum nimirum vident aliquem per nimium vitæ rigorem, nimiasq; pœnitẽtias incidere in morbos, phantasias, ineptitudinem, & subinde mortem ipsam incurrere.

Discursus XI.

An omne odium hoc præcepto vetetur.

1. Ioan. 3.  D. Ioannes 1. epistol. cap. 3. dicit: Omnis qui odit fratrem suum homicida est. Quæ verba insinuare videntur omne odium esse peccatum, & fortè contineri sub peccato homicidij. Hinc tractabo vtrum omne odium huic præcepto sit contrarium.

1. Ad huius rei intelligentiam necesse est odium distinguere cum Theologis in odium abominationis, & inimicitiæ. Porro odium abominationis duplex est, primum quo peccata in hominibus abominamur; alterum quo etiam personas impiorum fugimus: illudque subinde licitum, subinde præceptum, aliquando etiam veniale peccatum. Quòd verò primum odium licitum sit patet, quia Sapiens Ecclesi. 12. *Altissimus odio habet peccatores*. Et Ps. 5. Propheta: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem*. Et Psalmo 72. *Odisti omnes qui fornicantur abs te*. Hoc modo etiam Sapient. 14. dicitur: *Odio sunt Deo impius & impietas eius*, id est, odit opera mala, quibus homo vrgetur in lapsum, & cogitur ad ruinam: quia nihil eorum odit, quæ fecit iuxta, illud Sapient. 11. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.* Quod clarius patet ex cap. 9. Oseæ, vbi Dominus dicit, quod Israëlitas oderit ob nequitias commissas in Galgal, in verbis: *Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia ibi exosos habui eos propter malitiam adinventionum eorum.* id est, Quia abiecerunt Israëlitæ in Galgal omne regimen Dei, tam politicum, quàm sacrum: politicum, quia à Deo regi nolentes, in Galgal petierunt à Samuele dari sibi Regẽ iuxta morem aliarum regionum: sacrum, quia in Galgal statuerunt idola, quæ spreto Deo coluerunt; hinc cœpi eos odio habere & aversari: imo *de domo meâ eÿciam eos, non addam vt diligam eos, omnes principes eorum recedentes*; seu de terrâ sanctâ (quæ tota erat quasi vna domus & familia Dei) eos extirpabo, vt destituti meâ protectione, alieni à me abeant, captivi ad gentes & idola quæ coluerunt: nec ad patriam revocabo, quia principes illorum, quorum voluntatem & exempla turba sequitur imperita, à meis mandatis excesserunt.

Eccles. 12.
Ps. 5.
Psal. 72.
Sap. 14.
Sap. 11.
Osea 9.

2. Ad clariorem huius loci intelligentiam ac salubriorem instructionem, nota Deum maximè odisse Israëlitas, eò quòd in Galgal, loco olim sancto, & celebri, vbi magna à Deo beneficia receperant, statuerint idola: Ibi enim primò publica facta est Gentis circumcisio quadraginta annis prætermissa. Nam Iosue 5. dixit Dominus ad illum peractâ circumcisione. *Hodie abstuli opprobrium Aegypti à vobis*: quia nempe hodie vos à vitâ & moribus incircumcisorum Ægyptiorum, per circumcisionem transtuli in sanctam meam legem & gentem: vnde vocatum est nomen illius Galgala, Hebraicè amotio & ablatio, scilicet præputij, & consequẽter opprobrij, & gentilismi Ægyptiorum. Iosue 5.

Secundò, in Galgala Iosue accepit omen victoriæ & possessionis Chananææ: videns enim angelum

evaginatum habẽtem gladium, perrexit ad eum, & ait: *Noster es an adversariorum?* audivitque ab eo: *Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini, & nunc venio*, vt tibi Chananæam subiugem. *Solve calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, sanctus est*, Iof. 4. 20. Iof. 4.

Quartò, in Galgalis per multos annos constitit tabernaculum Dei, cum arcâ & propitiatorio: vnde ibidem Samuel iudicabat populum, ibique Saülem secundò Regem vnxit, 1. Reg. 10. 8. Ibi quoque Agag. Regem Amalec occidit, 1. Reg. 15. 33. 1. Reg. 10. 1. Reg. 15.

Quintò, Elias & Elisæus frequenter versabantur in Galgalis, ibique prophetabant, & faciebant miracula, 4. Reg. 2. 1. & cap. 4. vers. 38. Et cum his de causis monumentum accepti beneficij constituere debuissent, Deo spreto, ibidem erexerunt idola. Hinc vetuit Dominus illum locum sic prophanatũ ingredi, vti & Bethel, prius domũ Dei, Genes. 28. iam Bethaven, id est domum iniquitatis, propter vitulos aureos, quos Ieroboam ibi collocarat, dicens Oseæ 4. cap. *Nolite ingredi in Galgala & ne ascenderitis in Bethaven.* Et Amos 5. *Nolite quærere Bethel, & in Galgala nolite intrare &c. quia Galgala captiva ducetur, & Bethel erit inutilis.* q. d. Quærite me, non idola, à quibus nihil boni sperari potest, adeòque procul de Bethel cogitationem abijcite, neque religionis gratiâ in Galgala abieritis: tantum enim aberit, vt vobis saluti sint, quin potius Galgala quæ idola colit, idolorumque est officina, ab Assyrijs rapietur, & sicut civitates aliæ exilium subibit: & Bethel, quæ spem stultorum in rebus angustis & dubijs sustentabat, aderit protinus inutilis & fallax. Itaquè Dominus expresè declarat exitium immanere illis locis ob mutatam religionem. Notabile documentum pro Anglis, Scotis, Danis, Hollandis, Zelandis, qui à fide Catholica & cultu Dei, ad hæresim desciverunt, templa in stabula, monasteria in armentaria, hospitalia in tabernas & ganeas, converterunt: breviter donum Dei fecerunt speluncam latronum, Matth. 21. quod Deus eas abominetur. Rursum dicit Dominus Eccles. 50. *Duas gentes odit anima mea, tertia autem non est gens, quam oderim. Qui sedenti in monte Seir, & Philistyn, & stultus populus qui habitat in Sichimis.* id est: Aversor Idumæos, qui habitabant in monte Seir, Philistinos & Samaritanos infestissimos Hierosolymitanis. Samaritanos autem esse dicit indignos nomine gentis, quia non erant ex vno aliquo principio oriundi: sed ex varijs gentibus conflati, vt patet 4. Reg. 17. vbi dicuntur missi de Babylone, & de Cutha, & de Auah, & de Emath, & de Scharviam, qui habitarent in civitatibus Samariæ pro Israël: vnde idem est ac si dicat: Tertia autem gens, quam oderim, hoc est merito odisse debeo, non est verè gens dicenda.

Genes. 28. Oseæ 4. Amos 5. Matt. 21. Eccles. 50. 4. Reg. 17.

3. Hoc etiam odium licere hominibus ostendit Propheta, dum ait Ps. 25. *Odivi Ecclesiam malignantium.* Ps. 100. *Facientes prævaricationes odivi.* Et Ps. 138. *Nonne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos.* Perfectum autem illud odium iuxta Augustinum consistit in eo, quod in inimicis Dei oderimus iniquitates, & diligamus conditionem Dei, & nec propter vitia homines oderimus, nec vitia propter homines diligamus. Exemplum profert moysis, qui & pro peccatoribus orabat, & eos occidebat odiens iniquitatem, quam puniebat, diligens humanitatem pro qua orabat: Si placet, addam ipsius Augustini verba: *Quid est*, inquit, *perfecto odio oderam in eis iniquitatem eorum diligebam conditionem. Hoc est perfecto odio odisse, vt nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas. Nam ecce vide quid adiungat: Inimici facti sunt mihi, non iam tantum Dei, sed suos inimicos ostendit. Quomodo ergo in eis implevit, quod & ipse dixit: Nonne eos qui te oderant, odio habui, Et quid Dominus præcepit, Diligite inimicos vestros. Quomodo implevit hoc, nisi illo perfecto odio,*

Ps. 25. Ps. 100. Ps. 138. D. August.

odio, vt hoc in eis oderit, quod iniqui; hoc diligat, quod homines sunt? Nam & tempore veteris Testamenti, quo visibilibus supplicijs carnalis populus coërcebatr, homo ad novum testamentum per intelligentiam pertinens, famulus Dei Moyses quomodo oderat peccatores, cum pro eis orabat, & quomodo non oderat, cum eos occidebat, nisi perfecto odio oderat eos? ea namque perfectione sic oderat iniquitatem quam puniebat, vt diligeret humanitatem, pro qua orabat.

4. Quæres, an convenienter sacræ Scripturæ homines sub vna ratione possint amari, sub altera odio haberi? Respondeo affirmativè, quia sic Deus vult honorari parentes in omnibus, quæ pietati non adversantur, & eos vult odio haberi, si filios avertant à verâ religione, quod colligitur ex Matth. 10. vbi dicit Christus, *Qui non odit patrem & matrem, non est me dignus.* Et Luc. 14. vbi Christus dixit turbis: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam; non potest meus esse discipulus.* Quæ verba perpendens Gregorius Magnus hom. 37. in Evangelia, inquit, *Sed percunctari libet, quomodo parentes, & carnaliter propinquos præcipimur odisse, qui iubemur & inimicos diligere? Et certe de vxore veritas dicit: Quod Deus coniunxit, homo non separet. Et Paulus ait: Viri, diligite vxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam. Ecce discipulus vxorem diligendam prædicat, cum magister dicat: Qui vxorẽ non odit, non potest meus esse discipulus. Nunquid aliud iudex nuntiat, & aliud præco clamat? an simul & odisse possumus, & diligere? Sed si vim præcepti perpendimus, vtrumque agere per discretionem valemus: vt eos, qui nobis carnis cognatione coniuncti sunt, & quos proximos novimus, diligamus; & quos adversarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus.* Similitudine medicinę res fiet clarior: Illam enim æger odit, quatenus amara est & nauseam pariens: amat vero, quatenus efficit sanitatẽ. Quod expressit D. Paulus, cum dixit 2. ad Corinth. 7. *Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pænitentiam.* q. d. Non gaudeo de tristitiâ vestrâ, sed de fructu tristitiæ, qui est pœnitentia seu correctio vestra; quo modo medicus non gaudet de amaritudine potionis, vel dolore sectionis ægroti; sed de eius effectu, id est, sanitate. *Nam & pater* (inquit Chrysost. hom. 15. in 2. ad Corinth.) *quando videt filium secari, non gaudet quia dolet, sed quia sanatur.* Sic detestamur peccatores formaliter, nempe qua tales, sed eos amamus ad æternam beatitudinem creatos, & optamus eos à vitijs conversos. Sic Ioannes Baptista amavit Herodem, qua homo, sed odio habuit quatenus erat peccator; vnde audacter corripuit eius adulterium, dicens: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui,* Marc. 6. Sic D. Paulus moniturus Corinthios, ne iugum ducerent cum infidelibus, seu ne matrimonium, arctamve societatem cum eis inirent, ex qua oriretur periculosa quædam necessitas communicandi in moribus, & religione contra Dei præceptum, sed potius cum fideli contraherent, licet impar esset potentiâ, nobilitate, opibus: quòd nulla esset *participatio iustitiæ cum iniquitate, conventio Christi ad Belial*; neque *pars fideli cum infideli*, seu quod non conveniat fidelem iungi infideli; sicut non convenit iustitiam iniquitati, lucem tenebris, Christum Belial, templum Dei idolis iungi & sociari: hoc, inquam, moniturus cum nonnihil aversi essent ab ipso, eò quòd illos arctaverat prohibẽdo comedere idolothyta, litigare coram iudice infideli, agapes, & convivia opulentiora exstruere; ostendit quanto amore erga eos flagraret dicens: *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est*, id est: vehementissimè vos amo, ita vt cor meum gestiam in sinum vestrum effundere, totumque meum affectum expromere. nec valeo; quidquid enim, & quantum dicam minus est affectu meo, nec illum dicendo æquare, & expromere, illive satisfacere possum; vnde quod angustiam patiamini, quod tristes sitis, & compresso corde,

Matt. 10. Luc. 14. Gregor. 2. Cor. 7. Chrysost. Marc. 6.

corde, non ex nobis id provenit, qui vobis ex charitate quàm optimè volumus, & in quibus exemplum habetis gaudij spiritualis; sed eius angustiæ causa est in vobis. Itaque ostendit se amare homines, & odisse vitia, cum illa ex charitate taxavit eousque, vt etiam fornicarium satanæ traderet in interitum carnis.

5. Secunndò licitum est odiũ, quo aversamur cõsortium hominum impiorum, qui nos ad hæresim, furtum, libidinem, aliave gravia vitia studẽt pertrahere. Hac enim ratione Deus prohibuit olim Iudæis nõ solum fœdera, seu matrimonia inire; sed etiã omnem amicitiam, vt patet Exod. 23. cap. vbi dicitur: *Non inibis cum eis fœdus, nec cum Dijs eorum. Non habitent in terra tua, ne fortè peccare te faciant in me, si servieris Dijs eorum, quod tibi certè erit in scandalum.* Et Deut. 7. *Non inibis cum eis fœdus &c, neque sociabis cum eis coniugia.* Ac Exod. 34. *Nec vxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis: ne postquã ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos suos. Deos conflatiles non facies tibi.* Et ibidem. *Cave ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinã.* Hoc ipsum præceptum extẽdit Dominus Matt. 18. ad quosvis etiam propinquos ad quęvis vitia alios pertrahentes, dicens: *Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum quam duas manus aut duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te; bonum tibi est vnum oculum habentem in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Quem locum S. Hieronymus sic explicat. *Igitur omnis truncatur affectus, & vniversa propinquitas amputatur: ne per occasionem pietatis vnusquisque credentium scandalis pateat. Si, inquit, ita est quis tibi coniunctus, vt manus, pes, oculus & est vtilis atque sollicitus, & acutus ad perspiciendum: scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam: melius est, vt & propinquitate eius, & emolumẽtis carnalibus careas: ne dum vis lucrifacere cognatos & necessarios, causam habeas ruinarum. Itaque non frater, non vxor, non filij, non amici, non omnis affectus qui nos excludere potest à regno cælorum, amori Domini præponatur: novit vnusquisque credentium quid sibi noceat: vel in quo sollicitetur animus ac sæpè tenetur. Melius est vitam solitariam ducere, quam ob vitæ præsentis necessaria æternam vitam perdere.*

Exod. 23. Deuter. 7. Exod. 34. Ibidem. Matth. 18. Hieronym.

Si verò Dei præceptum negligentes tales nõ aversemur, à Deo deserimur eiusque indignationem incurrimus, vt videre est in Salomone, qui negligens præceptum Dei de alienigenis adamandis ad idololatriam perductus est, & Dei iram in se suscitavit, adeo vt minatus sit illi regni in suâ familiâ divisionem: neque partem reliquisset vllam, nisi obstitissent parentis merita, quæ ea reliqua parte compensare voluit, vt latè describitur 3. Reg. 11. his verbis. *Igitur iratus est Dominus Salomoni, quod aversa esset mens eius à Domino Deo Israël, qui apparuerat ei secũdò, & præceperat de verbo hoc, ne sequeretur Deos alienos, & non custodivit quæ mandavit ei Dominus.* Dixit itaque Dominus Salomoni: *Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandavi tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud servo tuo. Veruntamen in diebus tuis non faciam propter David patrem tuũ: de manu filij tui scindam illud. Nec totum regnum auferam, sed tribum vnam dabo filio tuo propter David servum meum, & Hierusalem quam elegi.* 3. Reg. 11.

6. Porrò quando iubet Deus etiam tenemur tales medio tollere. Sic olim mandavit Iudæis Chananæos odisse Deuter. 7. dicens: *Cumque tradiderit Dominus Deus tuus septem gentes, percuties eas vsque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum.* Et Deuter. 13. cap. generali lege mandavit Dominus post sentẽtiam Iudicis primum lapidẽ impingi in eum ab illo, quem pervertere aliquis conatus fuisset, in verbis. *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus vel filia, sive vxor quæ est in sinu tuo, aut amicus quem diligis vt animam tuam, clam dicens: eamus & serviamus Dijs alienis, quos ignoras tu &*

Deuter. 7. Deut. 13.

tu & patres tui, cunctarum in circuitu gentium, quæ iuxta vel procul sunt ab initio vsque ad finem terræ: non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum sed statim, interficies: sit primum manus tua super eum, & post te omnis populus mittat manum. Lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo, qui eduxit te de terra Aegypti de domo servitutis: vt omnis Israël audiens timeat, & nequaquam vltra faciat quippiam huius rei simile. Sic nos Christiani licitè cupimus non solum à nobis amoveri alios scandalizantes, sed etiam mori, quando nō est spes eos aliter ab inferendis huiusmodi malis impediendi.

7. Sed quæres, an peccatum sit, & quale, cum quis alterum sine iusta ratione ob morum discrepantiam, aut quia ab eo aliquid passus est, leviter aversatur, eiusque consuetudinem fugit, ita tamen vt nullum malum ipsi optet, & sit paratus in omni necessitate ei succurrere, prout charitas postulabit.

Respondeo peccatum esse veniale. Ratio est, quod infirmitas humana graviter ab aliquo læsa post remissam culpam & iniuriam, aversionem quam in animo sentit, non valeat statim superare, ideoque ne potius augeatur aversio eius, qui ita læsit, tantisper consuetudinem fugit, donec animus in totum leniatur. In hoc tamen casu debet abesse simulata remissio, ex qua virtus tantum lateret, & odium inimicitię maneret & succresceret. Illud enim esset gravius malum, cum simulata ęquitas sit duplex iniquitas. Vnde appositè philosophatur Chrysostomus lib. 1. de compunctione cordis. *Si tantummodo nō lædas, inquit, eum qui te læsit, avertas te tamen ab eo, nec libēter eum videas: manet sine dubio vulnus in pectore, & dolor augescit in corde. Quòd si ita est, nondum vtique quod Christus mandavit, impletur. Nunquid tu ita vis tibi propitium fieri Deum, vt non quidem te lædat, avertat se tamen abs te, & peccatorum tuorum memoriam gerat, & te videre nolit? Igitur qualem vis erga te esse Deum, cum delictorum veniam poscis: talem te exhibere debes his qui deliquerunt in te.* Quod hic ait Chrysostomus similitudine Chirurgi vulnus malè curantis fiet clarius. Si enim ipse glandem plumbeam relinquat in corpore, & exterius superficialiter vulnus curet, iam peius est cum patiente; ita etiam cum eo, quem huius mali cor adhuc palpitat. Debet quoque abesse scandalum, id est, caveri ne exterius vlla signa inimicitiæ ostendātur: v.g. nolendo occurrentes secūdum morem patriæ salutare, aut loquentibus respondere. (Chrysost.)

8, His ita positis quæritur, quatenus odium hoc præcepto prohibeatur.

Respōdeo quatenus dispositio est ad homicidium, & sic intelligendus est D. Ioannes 1. epist. cap. 3. dum ait: *Omnis qui odit fratrem suum homicida est.* Quamvis enim grave peccatum sit alteri optare morbum, vel rei familiaris iacturam, vel amissionem status, tamen præcisè ad hoc præceptum non pertinet, nisi quatenus alteri mortem optat, quod sine mortali crimine homicidij non potest fieri. Nam dicit Ioannes: *Scitis quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.* Vnde D. Augustinus tract. 5. in epist. Ioan. *Ne putetis*, inquit, *leve esse odisse, non movit manum ad occidendum hominem, homicida iam tenētur à Domino, vivet ille & iste iam interfector iudicabitur.* &c. id est, quoad gravitatem quidem peccati mortalis, quæ est etiam in homicidio. Talis fuit Esau, Genes. 27. vbi de eo dicitur. *Oderat ergo semper Esau Iacob, pro benedictione, qua benedixerat ei Pater: dixitque in corde suo, venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Talis fuit Absalon qui 2. Reg. 13. cum frater eius Ammon vi stuprasset sororem suam Thamar, odium concepit in fratrem, illudque tacitus compressit, donec exacto biennio fratrem in convivio ad hoc instructo, iam penè temulentum per servos curavit opprimi. (1. Ioan. 3.) (August.) (Genes. 27.) (2. Reg. 13.)

Tales sunt qui optant vt aliquis moriatur non zelo iustitiæ, sed odio proximi, vel aliqua terrenā cupiditate, de

te, de quibus Sapiens Eccli. 8. cap. ait: *Noli de mortuo inimico gaudere, quoniam omnes morimur, & in gaudiũ volumus venire.* quod idem est ac si dicat: præcipio tibi, ne de vllius morte etiamsi inimicus foret gaudeas quia illa vnicuique certa est, & iusto Dei iudicio sæpè acceleratur in his, qui de alterius morte lætantur. Vnde & Proverb. dicitur. *Cum ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, in ruina eius ne exultet cor tuum: ne forte videat Dominus & displiceat ei.* Et Iob 31. *Si*, inquit, *gauisus sum ad ruinam eius qui me oderat: & exultaui quod inuenisset eum malum.* q. d. Adversa experiar omnia, si vllã lætitiæ voluptatem cepi ex meorum adversariorum rebus adversis, aut in illorum ruinâ atque pernicie gaudio affectus sum, ac neque leviter commotus: quippe illos mirificè diligebam, atque perpetuo quodam amore prosequebar. Vnde etiam profectum est, vt nihil infaustum hostibus meis precarer; neque os quidem, guttur, cœteraque sermonis instrumenta, sponte quasi sua expedita, & prona ad inimicorum comminationem, & execrationem, suæ libidini vnquam permitterem, sed semper in officio charitatis continerem, ne quo vnquam verbo contra proximum peccarem; aut vitam illorum odissem vindicationis ad iniuriam propulsandam cupiditate; quod indicant verba: *Non enim dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicẽs animam eius. Omnes*, inquit Sapiens, *morimur*, hoc est, certo nobis moriendum est, mortique appropinquamus: imò tota vita nostra mors quædam est, sicut & sapiens illa mulier dixit ad Davidem: *Omnes morimur, & quasi aqua in terram dilabimur, quæ non revertuntur.* Et rationem addit, quia nolumus inimicos nostros de morte nostra gaudere, ideoque nobis de eorum morte gaudendum non esse iuxta illud Tobiæ 4. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne quando feceris ei*

Prov. 24.

Tobiæ 4.

Ex quo contingit etiam eos qui publicâ auctoritate funguntur, subinde hic impingere, nempe cum non zelo iustitię, sed odio homines quantumvis reos occidunt. Cum enim ex odio quis procedit erga reos, Dei causam eatenus non agit, sed propriam, quod Deo invisum est. hinc Dominus retudit discipulos Lucæ 9. cum irati in Samaritanos (qui ipsi denegabant trãsitum, eò quòd tenderet Hierusalem) peterent, num vellent dicere, vt ignis descenderet de cœlo & consumeret illos? nempe ad similitudinem & exemplum Elię, qui 4. Reg. 1. sic legitur interfecisse duos duces cum centum militibus. Ratio enim erat quod ipsi vindictam aspirabant & cædem ex odio, Elias autem zelo iustitiæ, & Deo inspirante ignem è cælo petierit.

Porro hoc peccatũ tam horribile est, vt illo contaminatus sit tanquam non baptizatus, quod colligitur ex 1. Epist. Ioan. c. 2. vbi dicitur: *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc.* In quæ verba Oecumenius: *Non potest in lumine Christi esse, & ad Christum pertinere, qui, pro quo Christus mortuus est, odit.* Et D. Chrysost. *Ipso scelere cæcatus est, vadit nesciens in gehennam ignis, & praeceps fertur ad ruinam, seperatus à lumine Christi docentis & dicentis: Ego sum lux mundi huius: qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Cypriani pæne genuina sententia de zelo & livore. *Qui odit fratrem suum in tenebris ambulat, & non scit quo eat, etenim nescius in gehẽnam, ignarus & cæcus præcipitatur in pœnam, recedens scilicet à Christi lumine monentis ac dicentis: Ego sum lux mundi &c,*

1. Ioan. 2.

Oecumen.

Chrysost.

Cyprian.

Secũdò, opera quantumvis bona faciat, nihil meretur teste Ioan. 1. Epist. cap. 3. *Qui non diligit manet in morte.* Et Paulus 1. ad Cor. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meũ, ita vt ardeã, charitatem non habuero, nihil mihi prodest*

Ioan. 1. ep. c. 3.

1. Cor. 13.

Tertio

Tertiò accelerat punitionẽ Dei, quod expresſè conſtat ex 1. cap. Prophet. Amos, vbi hæc habentur verba: *Hac dicit Dominus: Super tribus ſceleribus Edom, & ſuper quatuor non convertã eum, eò quòd perſecutus ſit in gladio fratrem ſuum, & violaverit miſericordiam eius, & tenuerit vltra furorem ſuum, & indignationem ſervaverit vſque in finem.* Id eſt: Nõ parcam Idumęis tum propter alia ſcelera quamplurima, tum vel maximè propter illud ſcelus, quo ad extremum ſuperiora cumularunt. Quia cum Iſraëlitis habuerũt & odium implacabile, & immortale bellum, & illis, cum ipſorum indigerẽt miſericordia diſtrictum obtenderunt gladium, ſupplices ab omni humanitatis officio repulerũt, & paterni furoris atque odij tenaciſſimi fuerunt, illud ad finem vſque obſtinato conſilio conſervarunt.

Quartò ridet Sapiens tales à Deo expectare miſericordiam, dum dicit Eccl 28. *Homo homini reſervat iram* (vel odium) *& à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam: & de peccatis ſuis deprecatur? ipſe dũ caro ſit reſervat iram: & propitiationem petit à* DEO? *quis exorabit pro delicto illius? memento noviſſimorum & deſine inimicari, tabitudo enim & mors imminent in mandatis eius.* Quod idem eſt ac ſi dicat: Qui proximo reſervat odium, & ſe vindicare vult, à Domino inveniet vindictã: tantùm enim abeſt, vt ille veniam ſuorum peccatorum obtinere valeret, quin potius Deus peccata illius ſervans ſervabit, & iudicium ſine miſericordiâ illi faciet, qui non fecerit miſericordiam, iuxverba Iacobi 2. *Iudicium ſine miſericordiâ ei, qui non facit miſericordiam.* Rurſus ridiculum eſt, quod homo fragilis & pronus ad peccandum à Deo miſericordiam quærat, cum nullus quantumvis ſanctus pro ipſo apud Deum intercedens quidquam impetrabit, donec ipſe offenſam proximo remittat; quandoquidem omnino neceſſarium ſit, condonationẽ offenſæ alterius præcedere, iuxta verba præcedentia, *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſolventur.* Et hinc Dominus Ierem. 15. cap. dicit ſe eſſe inexorabilem, etiamſi Moyſes & Samuel orarent pro populo videlicet ſcelerato, & obſtinato in peccatis, in verbis: *Si ſteteris Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum*: indeque ſubditur v. 5. *Quis enim miſerebitur tui Hieruſalem? aut quis contriſtabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?* q. d. Quem tui miſerebit, ô Hieruſalem? Quis tecum, aut pro te dolebit? Quis pro pace tua curam, aut laborem ſuſcipiet? Indigna planè es, pro qua quiſquam ſupplex intercedat: ſed iuſtiſſimè mereris vt infenſam manum meam in te extendam, & quatuor genera pœnarum, ſcilicet peſtem, gladium, famem, captivitatem ſuper te inducam: fatigatus enim ſum aliorum pro te precibus, ita vt ob tuam impietatem & obſtinationem vlterius me non poſſim reprimere, aut retinere, & mutare ſententiam de veſtrâ punitione.

10. Ad cuius rei fructuoſiorem intelligentiam, nota nullum eſſe peccatum, quod precibus & lachrymis non eluatur. Non enim arctatur divina clementia numero, non clauditur fine, nullas omnino habet metas: ſit qui invocet, erit, qui exaudiat; ſit quẽ pœniteat, non deerit, qui miſerebitur. Et vt ait Tertullianus lib. de pœnit. cap. 4. *Omnibus delictis ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per iudicium deſtinavit, idem veniam per pœnitentiam ſpopondit.* Exempla in promptu ſunt, quibus liquet Deum nolle mortem peccatoris. In primis Manaſſes, qui tam multa ſacrilegia patravit, *vt excederet omnia, quæ fecerunt Amorrhæi ante eum*, Quod clarè exprimitur 4. Reg. 21. his verbis: *Fecit Manaſſes Rex Iuda abominationes iſtas peſſimas ſuper omnia, quæ fecerunt Amorrhæi ante eum: & peccare etiam fecit Iudam in immunditijs ſuis.* Et ibidem v. 16. *Inſuper & ſanguinem innoxium fudit Manaſſes multum nimis, donec impleret Hieruſalem vſque ad os.* Sic crudelitatem illius exprimens, accuſans, amplificans, vt apertè conſtet, nihil tam innocuum, nihil

Sſſ tam

tam sanctũ fuisse; à quo furorẽ & ferrũ continuerit; imò vsque adeo grassatũ fuisse intemperanter & barbarè, vt civitas tota vsque ad os innocentũ sanguine redũdaret. Denique qui tã multa flagitia cõmisit, vt ipsemet de seipso fateretur, in sua oratione, quę in fine Paral. seu Bibliorum habetur, *Peccavi super numerũ arenæ maris.* Quid ergo? Vllane parari potuit tam lethalibus plagis medicina? potuit quidẽ à divinâ misericordiâ singulariũ pharmacorum in omnes morbos cõditrice. Nã Manasses Babylonicã abductus in captivitatẽ, *Postquã coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, & audivit orationem eius.* 2. Paral. 33. In quẽ locum D. Hieron. in traditionibus Hebraicis refert Hebræorũ traditionem, dicentiũ, Manassem Babylonem ductũ, & in vas æneum cõiectũ, & admoto igne paulatim excruciatũ, cum nullum exeundi, imò nec respirandi locũ inveniret vndiq; circumclusus, invocasse omnia nomina idolorum, quæ colebat: & cum non fuisset ab eis exauditus, neque liberatus: recordatum fuisse, quòd à Patre Ezechia crebrò audiverat, *Cum quæsieris Dominum Deum tuum invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Deut. 4. v. 29. & cum Dominum invocasset, illico exauditum, & liberatum, & translatum esse in regnum suum, in modũ Abacuc. Ita Hebræi. Quorũ vltima verba magis explicat Glycas in Glossa citatus, dicẽs adfuisse Angelum oranti Regi, qui rupto illico simulachro, seu vase æneo, in quod inclusus fuerat, eum Hierosolymam reduxerit. Vbi patet Manassem adeo fuisse impium, vt nõ solum in regno, sed etiam in tormento idololatrarit; nec priùs ad verum Deum redijsse, quàm omnia falsorũ numina tentasset, & inania ipso experimento comperisset: & nihilominus à Deo misericorditer liberatũ: & tanquam insignem Prophetam ministerio Angelico in patriam trãsvectum, & in pristinam dignitatem restitutum. Vnde subdit idem Glycas. *Tot,* inquit, *tantaque facinora Manasses patravit, vt divinus ille Athanasius dicere non dubitaverit: Si Manassem Deus servavit, equidem ausim dicere, quod etiam diabolũ ipsum servaturus fuerit, si reverti ad Deũ voluisset.*

2. Paral. 33. Hieron. Deut. 4. Glyca. Glycas.

Achab Rex Israël tã graviter deliquit, vt de eo dixerit Scriptura, *Fecit Achab malum in conspectu Domini super omnes, qui fuerũt ante ipsum.* 3. Reg. 16. v- bi addit scriptura: *Nec suffecit ei vt ambularet in peccatis Ieroboã filij Nabat, insuper duxit vxorem Iezabel filiam Ethbaal Regis Sidoniorũ Et abijt, & servivit Baal, & adoravit eum. Et posuit aram Baal in templo Baal, quod ædificaverat in Samariâ. Et plantavit lucum, & addidit Achab in opere suo, irritans Dominum Deum Israël, super omnes reges Israël qui fuerunt ante eum.* id est, Non recessit Achab à parentum suorum impietate, sed aliquid aliud meditatus & amplexus deprehenditur, quod ante illum ausus est nemo. Nam licet Pharaonis filiam duxerit Salomon, non tamen id fecit prius, quàm patriam abiuraret religionem, iuxta ea, quę Deut. cap. 21. antiqua lex præscribit. At Achab vxorem duxit primariam Gentilis Regis filiam, & ipsam Gentilem vsque adeo patriæ religionis amãtem, vt insectaretur ad mortem vsque illos, qui veram religionem retinerent, & Sidonios Deos Israëli colendos præponeret: idque vsque adeò callido consilio, pertinacique studio, vt tãdem consequeretur optata, & ad priorum Regum impietatem, illud ipsa, & Rex ab ea fallaci blandimẽto seductus introduceret, quo populum omnino corrũperet, & nulla pietatis antiquæ vestigia relinqueret. Adhæc perfecit Sidonia cõiux cũ Achab, vt ad impias aras, quas excitaverant superiores Reges, aras quoque adiungeret Baal; & illi Sidonium in morẽ templum erigeret, in quo fierent hominum conventus, & sacra peragerentur legitimo Gentilium ritu, nõ aliter, neque minus frequenter, quã in Sidone ac Tyro fieri cõsuevissent. Quod amplius est, novis infectus religionibus ad Chananæorũ idola defluxit: licet Dominus illos propterea extirpasset è patrijs sedibus. Sic enim dicitur 3. Reg. 21. *Abominabilis factus est in tantũ, vt sequeretur idola, quæ fecerant Amorrhæi, quos con-*

3. Reg. 16. Deut. c. 21.

consumpsit Dominus à facie filiorum Israël. Amorrhæorum nomine ibidem significantur Chananæi, quia ipsi alijs provincijs nomen suum communicarunt; aut quia omnium primi ab Israëlitis tentati bello, atque subacti sunt. Solent enim, qui primi occurrunt his, qui regionem aliquam explorant, aut ingrediuntur, nomen suum toti regioni cõmunicare; quare dum Amorrhæorum Deos asciviſſe dicitur Achab, Chananæorum dicitur omnia idola coluiſſe. Et his non obstantibus vbi primùm de peccato suo dolens, *Scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam*: ieiunavitque, & dormivit in sacco, & ambulavit demiſſo capite, 3. Reg. 21. statim Deum ad misericordiã inflexit. Vnde Theodoretus ibi: *Bonitatis*, inquit, *abyſſus Dominus Deus: propter cædẽ quidem minatus est exitium: propter lamẽtationem autem largitus est dilationẽ supplicij.* Et Chrysostomus Ep. ad Theodor. lapsum: *Talis est erga homines pietas Dei, nunquam spernit pœnitentiam, si ei sincerè, & simpliciter offeratur, etiamsi quis ad summũ perveniat malorũ.* Quod statim exemplo confirmat Achab. *Evidentius*, inquit, *nobis testimonium dabit etiam Rex ille impius, qui cupiditatis quidem suæ prædam vxoris nequitiâ quæsivit, sed perturbatus ipsius sceleris immanitate pœnituit, & cilicio circumdatus facinus suum flevit, atque ita erga se Domini misericordiam provocavit, vt à cũctis eum absolverit peccatis. Sic enim ait Deus ad Eliam: Vidisti quo modo compunctus est Achab à facie meâ, quia flevit in conspectu meo, non inducam malũ in diebus eius.*

Bonus etiam latro vsque ad finem vitę peccavit, ita vt etiam in crucem Matt 27. actus blasphemaret, Matth. 27. sed in extremâ vitæ periodo resipiscens & supplicans, illicò paradisum impetravit, dicente Christo, *Hodie mecum* Luc. 23. *eris in paradiso.* Luc. 23.

11. Dices ergo: Quare Scriptura vtitur illâ phrasi, *Quis orabit pro eo*, vt 1. Reg. 2 & 1. Ioan. 5. aut, Quis ora- 1. Reg. 23. 1. Ioan. 5. bit pro delictis illius. loc. Ecclef. citato. Respondeo duplicem esse causam. Prior est, quòd peccata in Deũ (qualia sunt superbia Luciferi, idololatria, loci sacri, & sacrificij violatio, & similia) difficilius remittãtur, quàm peccata in hominem. Sic intelligenda sunt verba Heli, quibus monuit filios, *Si peccaverit vir in virũ, placari potest ei Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Sensus est, Si peccaverit vir in virum, placari potest ei Deus: quia sunt in Tabernaculo sacrificia, quæ peccatorẽ Domino conciliant. At si vir contra Deum peccet, eo nimirum modo, quo vos in Dominum peccatis, tollendo sacrificia, & preces; quis orabit pro eo? Id est, quod erit aliud sacrificium, aut oratio solemnis, & publica, quæ ex veteri instituto à Domino veniam, & misericordiam extorqueat? Altera respicit obstinatos & impœnitentes, vt 1. Ioan. 5. indicans pro illis non esse orandum, vti Dominus etiam declaravit Ierem. Hier. 15. 15. orationem pro eis esse frustraneã. Hinc idem exprimit Sapiens de eo qui odium reservat alteri, contestãs propter indispositionem eiusmodi supplicantis, veniam à Deo non esse expectandam, & frustra quantumvis Sanctos pro eo intercessuros, quamdiu videlicet in proximum cogitat vindictam.

12. Redeo ad locum Sapientis, qui rursum duo proponit semper cogitãda, per quæ ab irâ, & vindictæ cupiditate animus hominis revocari debeat. Primùm sunt novissima, seu vltio, quæ in novissimo fine hominis manet impios legis Dei transgressores, in verbis: *Memento novissimorum, & desine inimicari: tabitudo enim &c.* id est, recordatione novissimorum cessa à prosequendâ inimicitiâ: quia corruptio & mors imminent homini propter neglecta Dei mandata, aut potius, in mandatis Dei clarissimè cernitur tabem & mortem inimicãti instare, quia transgressoribus apertè prædicuntur obventura. Alterum est, vt intuitu legis divinæ, quæ vltionem & odium prohibet, ab inimicitiâ abstineat: illa enim dicit Le- Levit. 19. vit. 19. *Non quæres vltionem, nec memor eris iniuriæ civium tuorum:* cui respondet Sapiens, dum ait: *Memorare timo-*

rem Dei, & ne irascaris proximo: memorare testamentum Altissimi, & despice ignorantiam proximi.

Vnde rectè monet & appositè ad intentum meum Antiochus Monachus tom. 2. Bibliothecę Patrũ, hom. 57. *Scriptum est*, inquit, *quoniam qui diligit Deum, diligit & fratrem suum, qui autem odit fratrem, non Deo invisus solum, sed & homicida, quem enim odit, arcani affectus cogitatione perimit, cuius quidem sanguinem non acie gladij perspiciunt homines effusum, Deus verò illum videt odij maligno affectu peremptum, qui cuilibet nostrum aut coronam reddit, aut vltricem pœnam, pro qualitate non operis solùm, sed & cogitationis, & destinatæ voluntatis, quemadmodum idem par Prophetã dicit: Ego venio vt congregem opera, & cogitationes, & inventiones, sive internas conceptiones eorum. Sed & malitia diutina cogitatione in animo versata atque exercita, audaciam addit cordi; quæ tamen per abstinentiam & spem ablata, contritionis gratiam confert cordi eidem. Non igitur fas sit odisse nos vnum aliquem è contribulibus, aut qui fide compares, & cohæredes futuri sunt regni cælorum.* Et paulò post: *Nemo qui integrá fide ex professo sit Christianus, peccat hoc genere odij, neque qui habeat charitatem, odit vllum hominum. Arboris qualitas ex fructu quem profert, liquidò cognoscitur. Qui igitur se Christi profitetur esse discipulum; per ea quæ facit, stet ne à Christo, intelligetur: quemadmodum in Proverbijs scriptum est, quia omnis qui odit fratrem pauperem, hic longè erit ab amicitia: vir autem prudens inveniet eam.* Et nonnihil inferius iterum dehortatur ab odio, quod iniquorũ illa sit consuetudo. *Hominum*, inquit, *mundi istius amatorum ea est & solennis consuetudo, vt alios persequantur, affligant, obloquantur. David testis: Locuti sunt*, ait, *adversum me lingua dolosa, & sermonibus odij circumdederunt me, & expugnaverũt me gratis. Quemadmodum & Dominus suis dixit discipulis: Si de mundo essetis, mundus quod suum esset, diligeret: quia autem de mundo non estis, propterea odit vos mundus. Et: Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Infert: Beati eritis, cùm vos oderint homines & separaverint, & exprobraverint, & eiecerint nomen vestrum tãquam malum propter filium hominis: gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cælis.* Et longè antè: *Diabolum porro indefessum salutis nostræ osorem odisse licet, communem omnium hominum hostem, maximè fidelium: illum, inquam, cum operibus ipsius malignis oderimus.*

Antioch.

Esa. 66.

13. Demũ considerandum est, pro confessione ritè faciendâ, vnum odium ab alio distingui respectu proximi. Primò ob diversam rationem formalem vtriusque, vt si vnus oderit proximum, quia creatura, aut imago Dei est, alter vero ob iniuriam ab eo acceptam. Secundò ratione diversi mali, quod proximo actu optatur; vt si vnus optet ei æternam damnationẽ, alter mortem præsertim valde crudelem, alter solùm amissionem status, &c. Sicut enim hæc velle inferre proximo, continet diversa specie peccata, ita etiam ea proximo optare. Quare omnino sũt explicanda in confessione, quia sic optimè natura ipsius odij explicatur, & ad hanc explicandam id videtur omnino necessarium.

Discursus XII.

Quatenus ira præcepto quinto prohibetur.



CHristus Matth. 5. cap. dicit: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicij.* Et Psalmista Ps. 4. dicit: *Irascimini & nolite peccare.* Hinc tractabo, an omnis ira sit illicita, & quænam propriè huic præcepto adversetur.

Matt. 5.

Psalm. 4.

1. Ira quæ actum & habitum vitiosũ irascẽdi designat, per se nec bona est, nec mala, sed quoddam indifferẽs, quo benè & male vti possumus: sicut sunt reliquæ passiones. Vnde quandam esse licitam indicat Propheta cum Psal. 4. præcipit irasci sine peccato: quandam verò esse illicitã insi-

Psal. 36. insinuat, cum Psalm. 36. inquit: *Desine ab ira, & relinque furorẽ.* Licita est porro ira, quæ ratione regitur, quia ●os est virtutis, & instar militis armati, remedium contra malum, de qua dixit David: *Irascimini & nolite peccare*, id est iuxta quorũdam explicationem: Si Prælati alijque Præpositi estis, vitijs subditorum delinquẽtium iram, id est, severitatem correctionis adhibete. Vnde Eusebius in catenâ Græcorum in Ps. 4. ad litteram vult hæc esse verba Davidis ad inclytos suos, vt vertit Hieronymus; scilicet ad Ioab, Abisai, aliosque Duces & milites indignantes, & parantes se ad conflictum cum Absalone parricidâ. Quasi dicat David: O Ioab, vosque milites mei, irascimini Absaloni, pugnate contra eum, sed cavete ne ira vestra, & vindicta modum iustæ pugnæ, & belli excedat. Sic mitissimus Moyses Exod. 32. iratus fuit contra populum Israël, quod ipso apud Dominum impedito, vitulum adorasset. De quo ibidem sic habetur: *Cum appropinquasset ad castra, vidit vitulum, & choros, iratusque valde proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis, arripiensque vitulum, quem fecerant, combussit, & cõtrivit vsque ad pulverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israël.* Quod idem est ac si dicat: Moyses incitatus sancto zelo adversus publicam impietatem, absurdum ratus, si legem Dei populo ebrio, legemq; tam nefariè per idolum infringenti adferret, iratus vitulum vel admixtis herbis, alijsque rebus coniecit in ignem, vt liquaretur in massam, & quasi in carbonem redigeretur, ac in carbonem redactum, vel massam igne extractã igne contudit, & contrivit in minutum pulverem, eumque sparsit in aquam, seu torrentem, qui descendebat de Sina, & transibat per castra Hebræorum, eo tempore quo Hebræi veniebant inde haurire aquam: idq; eo fine iuxta D. Hieronymum epist. 138. ad Fab. vt coacti essent de ea bibentes idolum suum vorare; atque edišcerent contemnere, quod in secessum proijci viderent. Imò quod amplius est pro Deo aliam severitatem & iram induit, vt paucorum pœna Deum toti populo reconciliaret, vt patet ex vers. 27. vbi sic ait. *Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ponat vir gladium super femur suum, ite & redite de portâ vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum*, id est: Quisque ex mandato Dei occidat quemlibet occurrentem, etiamsi arctissimè sibi coniunctum. Hæc enim erat ira sancta, quæ sic irascebatur peccato, vt peccatoribus superstitibus post viginti tria millia occisa veniam impetraret.

Eusebius. Hieronym. Exod. 32. Hieronym.

Audi desuper Gregorium lib. 20. Moral. cap. 8. vbi docens Rectoribus inesse debere circa subditos, & iustè consolantem misericordiam, & piè sævientem disciplinam, confirmat id primò exemplo Samaritani Luc. 10. sic inquiens: *Hinc est quod semiuiui illius vulneribus, qui à Samaritano in stabulum ductus est, & vinum adhibetur & oleum, vt per vinum mordeãtur vulnera: per oleũ, foueantur: quatenus vnusquisque, qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis, per vinum mundẽtur putrida, per oleum sananda foueantur.* Et paucis interiectis exemplo Moysis: *Intueri*, inquit, *libet in Moysis pectore misericordiã cum severitate sociatam. Videamus amantem piè, & districtè sævientem. Certè cum Israëliticus populus ante Dei oculos penè inueniabilem contraxisset offensam, ita vt eius rector audiret: Descende, peccavit populus tuus: ac si ei diuina vox diceret: Qui in tali peccato lapsus est, meus non est. atque subiungeret: Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam. Ille semel & iterum pro populo, cui præerat, obicem se ad impetum Dei irascentis opponens, ait: Aut dimitte eis hãc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Pensemus ergo quibus visceribus eundem populũ amavit, pro cuius vita de libro vitæ deleri se petijt. Sed tamen iste, qui tanto eius populi amore constringitur, contra eius culpas pensemus quanto zelo rectitudinis accendatur. Mox enim vt petitione primâ, ne delerentur, culpæ veniam obtinuit,*

Gregor. Luc. 10.

 ad eun-

ad eundem populum veniens ait: Ponat vir gladium suum super fæmur suum, ite & redite de porta vsque ad portam, per mediū castrorum, & occidat vnusquisq; fratrē, & amicum, & proximum suum. Cecideruntq; in die illo quasi viginti tria millia hominū. Ecce qui vitā omnium etiam cum sua morte petijt, paucorum vitam gladio extinxit. Intus arsit ignibus amoris: foris accensus est zelo severitatis. Tanta fuit pietas, vt se pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret: tanta severitas, vt eos, quos divinitus feriri timuerat, ipse iudicij gladio feriret. Sic amavit eos quibus præfuit, vt pro eis nec sibi parceret: & tamen delinquētes sic persecutus est, quos amavit, vt eos etiam Domino parcente prosterneret: Vtrobique legatus fortis, vtrobique mediator admirabilis: causam populi apud Deum precibus, causam Dei apud populum gladijs allegavit. Intus amans divinæ iræ supplicando obstitit: foris sæviens culpam feriendo consumpsit. Succurrit citius omnibus, ostēsa morte paucorum. Et idcirco omnipotens Deus fidelem famulum suum citius exaudivit agentem pro populo: quia vidit quid super populum acturus esset ipse pro Deo.

Num. 25. Simili de causa Phinees Num. 25. zelo divino incensus quendam de filijs Israël, cum Deus plagam pestis, ignisve, aliamque similem immisisset in Hebræos fornicantes cum Moabitis & Madianitis, & consequenter cum ijsdem idololatrantes, adhuc peccare audentem, & ingredientem ad filiam Madianitidem, simul cum illâ perfodit, vt sic averteret plagā, vti re ipsa illam cessare fecit, & verum reddidit illud Ioannis Papæ, *Zelus purgat facinus*: & alterum: *Vindicta Deum iratum lenit & placat.* Sic Elias 3. Reg. 18. occidit quadringentos & quinquaginta Prophetas Baal, cum prius constitisset miraculo Deum Israël esse colendum. Sic Christus Ioan. 2. iratus fuit quando flagello eiecit vendentes & ementes è templo, & sic de ipso scribit Mar. 3. Quod cum Iudæi eum observassent an sabbatho curaret, & ipse illos interrogasset, an liceat sabbathis benefacere an malè, animam salvam facere, an perdere, ipsique tacuissent, *circūspiciens eos cum ira, contristatus est super cæcitate cordis eorum, dicit homini, extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus illi.*

Ioan. Papa. 3. Reg. 18. Ioan. 2. Marc. 3.

Sic alibi legitur graviter invexisse in Pharisæos, illos vocās hypocritas, sepulchra dealbata, genimina viperarum. Sic Luc. vlt. cap. discipulos non credentes resurrectionem vocavit stultos, & tardos corde, idque studio paternæ gloriæ ac correctionis malorum, odioque vitiorū, nullo erga eos motus affectu malo. Qua ratione D. Paulus videns Galatas audire falsos Prophetas, qui legem Moysis docebant simul cum Evangelio esse servandam, vocavit insensatos, Galat. 1. Sic etiam cum ira cōpellavit Elymam Magum, resistentē ipsi ac Barnabæ, cum dixit ei: *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas.* Act. 13. Luc. vlt. Galat. 1. Act. 13.

Breviter Moyses & Phinees irâ vsi sunt tanquam cote virtutis. Qui enim in tali occasione iram non habet, mentē non habet. Rursus Christus Dominus & Apostolus convitijs vsi sunt, non convitiandi animo, sed ex amore & zelo charitatis, vt duros animos Pharisæorum, Discipulorū, & Galatarum respectivè ferirent, mollirent, & corrigerent, dum ille Scribas vocat hypocritas, hic Elymam filium diaboli, Galatas insensatos. Impudentes enim sic corrigēdos esse docet Gregorius 3. parte pastorali, admonit. 8. & confirmat exēplo Dei erga Galatas, sic inquiens: *Impudentem quippe Iudæorum plebem Dominus apertè increpans, ait: Frons mulieris facta est tibi, noluisti erubescere.* Et paulò post: *Impudenter quoque delinquentes Galatas apertè increpat, dicens: O insensati Galatæ, quis vos fascinavit?* Et rursum: *Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consumamini.* Gregorius. Hierem. 3.

Ex his patet, iram eiusmodi esse licitam: Si enim parentes filios verberibus castigare licet, multò magis illis & quibuslibet licet subditos verbis castigare, & convicio; & sic eorum vitia, quasi mordaci sale inurere. Confirmat hanc rem D. Basilius hom. 10. vbi de ira sic loquitur: *Est pars* Basilius.

pars animi irascibilis, nobis ad multa virtutis opera necessaria. Quando veluti miles quidam apud ducem arma sumens, paratus est eius iussu auxilium præbere: sic iracundia rationi adiutrix contra peccatum furit. Neruus est animæ quidam indignatio, fortitudinem constantiamque, ac robur ad res bene, & ordine agẽdas præbens: quæ animã forte voluptate delinitam ac lasciuientem veluti ferro quodam cohibens, austeriorem fortioremque ex molli, ac remissâ reddit. Nec enim si contra iniquitatem desit indignatio & ira, satis eam odio quo decet persequi poteris. Quamobrem sic existimo, æque circa diligendam virtutem studium habere, atque adversus vitium odium retinere oportere. Ad quod maximè vtilis indignatio: quoniam veluti canis pastori, sic ira rationi obediens, mitis quidem ac mansueta iuvantibus eam, & à ratione revocabilis erit. Nam canis ad vocem & aspectum alienum toruus & agrestis, etiam si palpari se videat: notos verò, & amicè alloquentem timere admodum, & vereri videtur. Ira similiter optima est, & commensurata iracundia, opitulaturque animæ prudenti. Insuper cum insidiosis non facilè conciliatur, aut consuetudinem habet. Nullam denique beneuolentiam erga ea quæ nocent, retinet: sed aduersus voluptatem insidiantem veluti lupum quemdam allatrare continuò videtur. Et nonnihil inferius argumentum resumens, inquit, *Ira quando oportet, & vt oportet ex ratione dispensata, fortitudinem patiẽtiamque, ac constantiam parit: præter verò rectam rationem tractata, furor & insania efficitur. Idcirco nos Psalmus admonet: Irascimini, & nolite peccare.* Et paucis interiectis: *Illum vero qui tanquam pharmaco ad ea, quæ oportet irâ vtitur, minimè condemnat.* Hoc probat multis Scripturæ locis, dum subdit: *Dicitur namque, Ponam inimicitiam inter te & serpentem.* Et rursus: *Hostes sitis Madianitis. Docetus verba sunt, vt ira veluti armis vtamur.* Et postquam exemplo Moysis Exod. 32. id confirmasset subiungit eũdem dixisse *vituli idololatriam damnans, Levitarum manus in cædem fratrum armavit: Vnusquisque, inquit, vestrum gladium ad latus teneat, & transite à porta in portã, & flectite per circuitum castrorum, & sũũ quisque fratrem interimat, & quilibet proximum suum. Vestras hodie manus Deo consecrastis, quilibet in filio suo, & fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Et tum pergit, dicens: *Quid Phinees iustum reddidit? nonne iusta contra fornicantes ira? qui alioquin mitis ac mansuetus existens, postquam stuprum Zambri & scorti Madianitis palam in populo vidit, adeoque impudenter admissum, vt nec tam turpe spectaculum occultari vellent: minimè tam indignum facinus passus, ita vt oportebat vsus, protinus vtrumque trucidavit: Samuël autem Achab regem Amalech à Saüle contra mandatum Domini servatum, nonne iusta ira in medium trahens occidit? sic itaque fit ira sæpe bonarum actionum magistra. Helias vero zelotes quinquaginta supra quadringentos viros sacrorum nemorum, comedentes de mensa Iezabel iusta sapientique indignatione in totius Israël vtilitatem vt morte mulctarentur effecit.*

Num. 25.

3. Confirmat idipsum D. Chrysostomus homil. 17. in Matth. alijs exemplis quibus vtilitas talis iræ ostenditur, dicens: *Considera quam ampla quondam bona ira operata sit Pauli: hanc enim ille aduersus Corinthios exercendo, à maxima illos peste liberavit. Per hanc etiam Galatarum gentem, quæ ferè & Christo iam exciderat, reformauit, aliosque his plures illius iræ censura correxit.* Chrysost.

Gregorij Magni, ex eo quod iram Dei placaverit, adscribam verba, quibus non solum illam licitam indicat, sed etiam necessariam: dum inquit: *Sed inter hæc solenter sciendum est, quod alia est ira, quam impatientia excitat, alia quam Zelus iustitiæ format. Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Sic enim nulla ira ex virtute surgeret, diuinæ animaduersionis impetum Phinees per gladium non placasset: hanc iram quia Heli nõ habuit, motum contra se implacabiliter supernæ vltionis excitauit. Nam quo contra subditorum vitia texuit, eò contrà illam districtio æterni rectoris exarsit.* Gregorius.

Sanè Deus non solùm placatus fuit per iram Phinees sed etiam eandem remuneravit, perpetuo sacerdotio ipsum honorãdo. Et Heli graviter indignatus fuit, quod iram satis non ostendisset in filios peccantes, & alios scandalizantes, dũ dicit, Num. 25. Gregorius.

quòd gravissimis plagis illum affliget, & quòd neque victimis, neque muneribus expiabitur iniquitas domus eius, eò quòd noverit indignè agere filios suos, & non corripuerit eos, cum tamen antea leviter illos corripuisset. Quod magnopere considerandum est Principi, qui gladiũ fert nomine Dei vindicem in iram; quin etiam patrifamilias. Nam sic fovent malum, communicant peccatis alienis, & provocant iram Dei, quemadmodum fecit Heli.

Hieronym. Vnde S. Hieronymus magnopere miratur, quòd Episcopus (sub cuius diœcesi Vigilantius in Sanctos iniurius degebat) secundum Sanctorum exempla rigorosè in illum non animadverteret. Sic enim scribit epistol. ad Riparium: *Miror sanctum Episcopum, in cuius parochia præsbyter esse dicitur, acquiescere furori eius, & non virgâ Apostolicâ, virgaque ferreâ confringere vas inutile, & tradere in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat: nec meminerit illius dicti. Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Et in alio loco: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. Et iterum: Nonne odientes te Domine odio habui, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos.* Hæc de irâ licitâ & vtili.

Ep. 53. 1. Cor. 5. Ps. 49. Ps. 100. Ps. 138.

4. Secundò est ira quædam illicita, sed sub peccato veniali, videlicet quando vindicta est exigua, qualis est puerum leviter percutere, vel per capillos trahere, aut si deliberatio rationis est imperfecta, tunc solum est peccatum veniale; de qua postremâ etiam intelligi potest illud Psalmistę aliquoties citatum. *Irascimini & nolite peccare*, id est, si contingat vos prematurâ fragilitate & proclivitate ad iram concitari, & subitò irasci, nolite tamen peccare, id est, nolite iræ per voluntatem & rationem consentire, vt illi inhæreatis & indulgeatis vindictam machinando & perficiendo, sed quàm citissimè per rationis dominium. perque Dei metum iram abrumpite, & compescite: *ita vt sol non occidat super iracundiam vestram*, vt ait Paulus Ephes. 4. Ephes. 4. proverbialiter significans iram statim esse compescendam: nec enim ad litteram permittit Apostolus, vt toto die quis irę indulgeat & se vindicet, modo sole occumbente eam deponat: sic enim per diem omnem vindictam machinari & perficere liceret: sed vt dixi, proverbialis locutio est significãs statim comprimendam esse iram, ne, vt sequitur, locum demus diabolo.

5. Tertiò est quædam ira sub peccato mortali prohibita, quæ rationem nimium excedit, de qua dicit Iacobus Epist. suæ c. 1. *Sit autem omnis &c. tardus ad iram. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur.* id est, Vir iratus multa committit iustitiæ Christianæ contraria propter libidinem vindictæ, quâ movetur. Ira enim est quasi fera tigris, & quasi indomabilis leæna: quis enim hominum furens irâ & cholerâ, eam domet & regat? Ira dominatur irato, eique habenas rationis & imperij excutit, imò verò eum quasi mancipium sibi servire & obsequi facit. Vnde Poëta: Iac. 1.

Ira furor breuis est.

Et Cicero Tuscul. 4. *An*, ait, *est quidquam similius insaniæ, quam ira? Quam bene Ennius initium dixit insaniæ: color, vox, oculi, spiritus, impotentia dictorum, atque factorum, quam partem habent sanitatis? Quid Achille Homerico fœdius? Quid Agamemnone in iurgio? nam Aiacem quidem ira ad furorem mortemque perduxit.* Adeò enim immutat corpus, vt hominem furiosæ belluæ similem efficiat. Vnde Prov. 27. *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor; & impetum concitati spiritus quis ferre poterit?* Et Gregorius lib. 5. Moral. cap. 31. *Per iram sapientia perditur, vt quid, quone ordine agendum sit, omnino nesciatur; sicut scriptum est; Ira in sinu stulti requiescit, quia nimirum intelligentiæ lucem subtrahit, cum mentem permouendo confundit.* Et infra: *Nã ira suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur noti: lingua quidem clamorem format, sed sensus quid loquatur, ignorat. In quo itaque*

Ciceron. Prov. 27. Gregor.

itaque iste ab arreptitijs longè est, qui actionis suæ conscius non est? &c. Et divus Basilius loc. cit. *Quando semel iræ perturbatio mentem præcipitans imperium animæ sumpserit, hominem penitus in feram convertit, nec hominem qui rationis sit compos, esse sinit. Quod enim venenum virus emittentibus erit, hoc item & furor animo irritatis ac perturbatis. Impetu feruntur, insiliunt, rabie vt canes afficiuntur. pungunter vt scorpij, mordent vt serpentes. Novit & scriptura eos qui hoc vitio tenentur, ferarum appellatione vocare, quibus sese ob perversitatem similes ac familiares reddiderunt. Nam & canes & serpentes, & genimina viperarum, & his similia nominat. Qui enim ad mutua inter se eiusdem generis parati sunt inferenda incommoda iure feris, ac venenatis ascribi possunt, quibus ex natura continuum adversus homines odium inest. Effrenes linguæ, ora incustodita, incontinentes manus, contumeliæ, probra, accusationes, verbera, & alia eiusmodi quæcumque quis enumerare poterit, iræ sunt ac furoris fructus* Ratio est, quia sicut amori, desiderio, & gaudio deservit sanguis; odio, timori, tristitiæ melancholia; ita bilis deservit iræ. Hæc enim motu iræ surgente statim effervescit, & concitatur, tanquam in malum præsens factura impetum.

Basilius.

6. Quæres, quando iustitiam Dei non operando, ira ascendat ad peccatum mortale?

Respondeo quando præscriptum rationis nimiùm excedit: hoc autem tripliciter fieri potest. Primò ex parte obiecti, si iniustam vindictam appetas, vt ob causam non legitimam. Quemadmodum egit quidam Andronicus nomine, 2. Machab 4. Oniam summum Sacerdotem interficiens ad instantiam Menelai, quem Onias arguerat, eò quòd aurea quædam vasa è templo furto sublata, donasset Andronico, & alia vendidisset Tyri, & per vicinas civitates. Ille erat fructus Menelai, qui simoniacè ad sacerdotium pervenerat. De quo ibidem dicitur: quod plura Regi talenta pollicitus, *acceptisque à Rege mandatis venerit, nihil quidem habens dignum sacerdotio; animos verò crudelis tyranni, & feræ belluæ iram gerens.* Sic Herodes volens occidere Christum, Matth. 2. *videns quoniam illusus esset à Magis* (qui nempe adorato puero Iesu, oblatisque muneribus, iuxta monitum Angeli *per aliam viam reversi sunt in regionem suam) iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis.* Sic rursum Herodias instinctu matris, Marc. 6. petijt caput Ioannis Baptistæ, eò quod arguisset Herodem propter adulterium cum ea; vt clarè indicat Scriptura dicens: *Herodias autem insidiabatur illi*, supple Ioanni, *& volebat occidere, nec poterat*, scilicet tum temporis: vnde captabat occasionem, cum post tripudium Herodi placẽs, audivit ab illo. *Pete à me quod vis, & dabo tibi*, &c. *quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei.*

2. Mach. 4. Matth. 2. Marc 6.

Vel denique, quando quis maiorem sumit vindictam, quam oportet, vt egit tempore Ambrosij Imperator Theodosius in cæde Thessalanicâ: Vel demum, quando quis appetit vindictam absque publicâ auctoritate exequendam. Horum ratio est, quod hæc sit contra proximi charitatem, & contra iustitiam.

7. Secundò potest præscriptum rationis non servari ex parte ipsius motus, vt si nimium intensus irâ exardescas, vel exterius eam per signa nimium patefacias. Hoc modo, non est quidem ex genere suo, potest tamen esse mortale, vel ratione affectus, & præparationis animi, quam inducit, vt si in tantum irâ accendaris, vt paratus sis aliquid facere, quod sit peccatum mortale, v. g. evomere graves iniurias in proximũ; vel cum quis iratus vxori, vel alicui de familia excurrit ad lupanaria, ad tabernas, vt consumat prodigaliter notabilem quantitatem pecuniarum in præiudicium vxoris, bona sua dissipando, cum eorundem dumtaxat sit administrator, & lucra sint communia, vel etiam ratione scandali, vt interdum accidere potest viris primoribus tam secularibus, quam

quàm Ecclesiasticis, qui irâ ita exardescunt, vt furiosi exteriùs appareant.

8. Tertiò, si quis immodicè ita irascatur vt blasphemet Deum, ad quam blasphemiam vxor Iob maritum suum incitabat; vel etiam si maledicat proximo, aut ei graviter vel extremè indigenti ideo non subveniat. Porrò de his iræ modis rectè intelligi possunt verba Apostoli ad Galat. 5. vbi dicit eam excludere à regno Dei, in verbis: *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, inimicitiæ, contentiones, simulationes, iræ, rixæ, dissensiones, &c. qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Galat. 5.

9. Verùm quæres; quænam earum huic præcepto aduersetur?

Respondeo illam repugnare præcisè, qua quis iniustam vindictam appetit, vel privata auctoritate proximi mortem optat: quod clarè patet Matth. 5. vbi Dominus volens legem adimplere dixit discipulis: *Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicij. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* In quem locum Iansenius: *Postquam,* inquit, *per superiora Dominus auditores paravit ad audienda, & recipienda sua præcepta, incipit iam quod promisit præstare, implere scilicet legem, & docere quomodo abundare debeat nostra iustitia. Incipit autem ab eo mandato, quod in Decalogo primum est inter mandata negativa secundæ tabulæ: docens non satis esse cavere ab homicidio, quemadmodum illo præcepto Scribæ & Pharisæi tantùm putabant esse prohibitum, sed ab omni irâ in fratrem abstinendum.*

Matth. 5.

Iansenius.

De qua re S. Augustinus libro 19. contra Faustum cap. 13. sic loquitur. *Quia enim non intelligebant homicidium nisi peremptionem corporis humani, per quam vitâ privaretur, aperuit Dominus omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidij genere deputari. Vnde & Ioannes dicit: Qui odit fratrem suum homicida est.* Atque ita *Dominus impleturus homicidij legem,* inquit Iansenius loc. cit. *tres facit gradus peccantium circa homicidium, per iram, indignationem, & tres item pœnarum gradus. Levius est enim irasci tantum fratri, & iram in corde retinere compressam, quam si erumpente irâ dicat quis fratri suo Racha vel fatue. Ita levius quid sonat reum esse iudicio, quam reū esse concilio: & hoc rursum levius quā reum esse gehennæ ignis. Quod autem trium istorum peccatorum levissimum sit, nēpe irasci fratri, par facit in condemnatione homicidij in lege, non quòd æquè grave sit peccatum, irasci tantùm & occidere hominem: sed vt doceret Evangelicæ doctrinæ perfectionem: sic Christiano studendum esse effugere omnem iram in fratrem, quomodo Scribæ & Pharisæi vitabant homicidium: Dicit autem: Ego dico vobis, & non sicut Prophetæ. Hæc dicit Dominus Deus insinuare volens suam auctoritatem æqualem auctoritati eius, qui veterem dederat legem.*

Augustin.

Iansenius.

Vnde Augustinus lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 9. *Gradus itaque sunt in istis peccatis: vt primò quisque irascatur, & eum motum retineat corde cōceptum. Iam si extorserit vocem indignantis ipsa commotio, non significātem aliquid, sed illum animi motum ipsa eruptione testantem, qua feriatur ille, cui nascitur: plus est vtique quam si surgens ira silentio premeretur. Si verò non solùm vox indignantis audiatur, sed etiam verbum, quo iam certam eius vituperationem, in quem profertur, designet & notet: quis dubitet amplius hoc esse, quam si solus indignationis sonus ederetur.*

August.

Atque eiusmodi iram lethale esse peccatum propter locum Iacobi citatum, & Pauli Galat. 5. ostendit etiam gravitas pœnarum, de quibus sic etiam August. loco citato. *Vide nunc etiam tres reatus iudicij, concilij & gehennæ ignis. Nam in iudicio adhuc defensioni datur locus: in concilio, quamquam & iudicium esse soleat, tamen quia interesse aliquid hoc loco fateri cogit ipsa distinctio, videtur ad concilium pertinere sententiæ prolatio: quando non iam de ipso reo agitur vtrum damnatus sit, sed inter se qui iudicant, conferunt quo supplicio damnari opor-*

oporteat, quem constat esse damnandum. gehenna vero ignis, nec damnationem habet dubiam, sicut iudicium, nec damnati pœnam, sicut concilium: in gehennâ quippe ignis, certa est damnatio & pœna damnati.

10. *Sed forsan dubitabit aliquis quomodo per iudicium,* inquit Maldonatus in cap. 5. Matth. *& per concilium capitalem pœnam intelligat, cum manifestum sit tres pœnarum gradus velle distinguere.*

Maldonat.

Respondeo gradus quidem distinguere, non genus. Nam vtrobique capitalem, sed in iudicio leviorem, in concilio graviorem Iudices pœnam constituebant, quemadmodum graviores ad concilium quam ad iudicium causæ deferebantur. Scitum est apud Iudæos quatuor capitalium pœnarum fuisse genera, strangulationem, gladium, lapidationem, combustionem. Sic etiam Christus, & eum qui irascitur, & eum qui fratrem levem, & eum qui stultum appellat, eâdem inferni pœnâ, non eâdem pœnæ gravitate dignum docet.

11. *Multi hoc grave*, inquit Chrysost. hom. 15. in Matt. *atque onerosum putant esse mandatum, vt scilicet pro vno nudoque sermone tanta nobis pæna subeunda sit. Vnde quidam istud ex aggeratione magis, sive per hyperbolen dictum esse voluerunt. Sed vereor ne nosmetipsos his verbis omnino frivolis, vel potius infidelibus seducentes ibi rebus ipsis supplicia extrema solvamus. Sed cur, quæso, mandatum istud videtur onerosum? An fortè nescis, quia plurima pars culparum atque pœnarum ex verbis sumat exordium? Nam & blasphemia per verba, & Dei negatio per verba, inde & maledicta & iniuria atque periuria, & falsa testimonia, & ipsa frequenter homicidia. Noli igitur aspicere, quod vnum verbum sit: sed quantum periculum habeat, expende. An ignoras inimicitiarum tempore incandescente irâ, animoque prorsus ardente, etiam minimum aliquid magnum videri? tunc quippe & quod non valde iniuriosum est, nimis tamen putatur onerosum. Nam hæc ipsa parvula & homicidia sæpè pepererunt, & vrbes crebro integras subruerunt. Sicut enim manente inimicitiâ, etiam quæ molesta sunt, levia ducuntur: sic inimicitijs obortis, levia quoque pro gravissimis audiuntur. Nam etsi simpliciter aliqua dicantur, de malo tamen animo prolata creduntur: atque vt in igne scintilla exigua est, etiamsi plurimorum lignorum admovens, non ea facile comprehendis: si vero satis in excelsum flamma consurgat, non iam ligna solum sed & saxa, & omnem prorsus incidentem materiam sibi vendicat: & per quæ extingui solet, per ea ipsa potius accenditur.*

Chrysost.

Vtile erit audire, quę in hanc rem scribit Basilius hom. 10. *Ob iram*, inquit, *ensis acuitur, mors homini ex homine venit, fratres inter se ignorantur, parentes, ac liberi naturæ obliviscuntur. Sed & ante omnia seipsos haud agnoscunt irati, deinde neque quotquot habent necessarios. Quemadmodum enim torrentes ad curva loca decurrentes secum obvia quæque trahunt: sic & iratorum impetus violenti & instabiles omnia similiter percurrunt atque obruunt. Non eis senectus venerabilis, non vitæ virtus, non generis propinquitas, non accepta iam gratia, non denique quidquid aliud quamvis æstimandum in honore est.*

Basilius.

Quæ omnia Christus comprimēs, taliter irascentem prædictis pœnis condemnat. Ea propter sit ira, simul atque exorta est, in animo compescenda, iuxta illud Poëtæ. Ovidius.

Principijs obsta, sero medicina paratur.
Cum mala per longas invaluere moras.

Nam vt ait Hieronymus epistol. ad Salvinam: *Irasci hominis est, & iram non perficere Christiani.* Quod si statim iram non compescueris, saltem cave eam diutius fovere ac retinere. Hoc remedium est Apostoli in epistol. ad Ephes. 4. 26. dum ait: *Sol non occidat super iracundiam vestram: nolite dare locum diabolo.*

Hieron.

Ephes. 4.

Tertiò nihil statue vel discerne de vindicatione alicuius noxæ, nisi cum ira defervuerit: nihil enim æque obscurat rationis vsum ac passio iracundiæ, secundum B. Gregorium congruenter illo dicto Psalmi: *Conturbatus est in ira oculus meus*. Atque hæc de ira dicta sufficiant.

Gregorius.

Discursus

te, de quibus Sapiens Eccli. 8. cap. ait: *Noli de mortuo inimico gaudere, quoniam omnes morimur, & in gaudiū volumus venire.* quod idem est ac si dicat: præcipio tibi, ne de vllius morte etiamsi inimicus foret gaudeas quia illa vnicuique certa est, & iusto Dei iudicio sæpè acceleratur in his, qui de alterius morte lætantur. Vnde & Proverb. dicitur. *Cum ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, in ruina eius ne exultet cor tuum: ne forte videat Dominus & displiceat ei.* Et Iob 31. *Si*, inquit, *gauisus sum ad ruinam eius qui me oderat: & exultaui quod inuenisset eum malum.* q. d. Adversa experiar omnia, si vllā lætitiæ voluptatem cepi ex meorum adversariorum rebus adversis, aut in illorum ruinâ atque pernicie gaudio affectus sum, ac neque leviter commotus: quippe illos mirificè diligebam, atque perpetuo quodam amore prosequebar. Vnde etiam profectum est, vt nihil infaustum hostibus meis precarer; neque os quidem, guttur, cœteraque sermonis instrumenta, sponte quasi sua expedita, & prona ad inimicorum comminationem, & execrationem, suæ libidini vnquam permitterem, sed semper in officio charitatis continerem, ne quo vnquam verbo contra proximum peccarem; aut vitam illornm odissem vindicationis ad iniuriam propulsandam cupiditate; quod indicant verba: *Non enim dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicēs animam eius. Omnes*, inquit Sapiens, *morimur*, hoc est, certo nobis moriendum est, mortique appropinquamus: imò tota vita nostra mors quædam est, sicut & sapiens illa mulier dixit ad Davidem: *Omnes morimur, & quasi aqua in terram dilabimur, quæ non revertuntur.* Et rationem addit, quia nolumus inimicos nostros de morte nostra gaudere, ideoque nobis de eorum morte gaudendum non esse iuxta illud Tobiæ 4. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne quando feceris ei*

Prov. 24.

Tobiæ 4.

Ex quo contingit etiam eos qui publicâ auctoritate funguntur, subinde hic impingere, nempe cum non zelo iustitię, sed odio homines quantumvis reos occidunt. Cum enim ex odio quis procedit erga reos, Dei causam eatenus non agit, sed propriam, quod Deo invisum est. hinc Dominus retudit discipulos Lucæ 9. cum irati in Samaritanos (qui ipsi denegabant trāsitum, eò quòd tenderet Hierusalem) peterent, num vellent dicere, vt ignis descenderet de cœlo & consumeret illos? nempe ad similitudinem & exemplum Elię, qui 4. Reg. 1. sic legitur interfecisse duos duces cum centum militibus. Ratio enim erat quod ipsi vindictam aspirabant & cædem ex odio, Elias autem zelo iustitiæ, & Deo inspirante ignem è cælo petierit.

Porro hoc peccatū tam horribile est, vt illo contaminatus sit tanquam non baptizatus, quod colligitur ex 1. Epist. Ioan. c. 2. vbi dicitur: *Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc.* In quæ verba Oecumenius: *Non potest in lumine Christi esse, & ad Christum pertinere, qui, pro quo Christus mortuus est, odit.* Et D. Chrysost. *Ipso scelere cæcatus est, vadit nesciens in gehennam ignis, & præceps fertur ad ruinam, seperatus à lumine Christi docentis & dicentis: Ego sum lux mundi huius: qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Cypriani pæne genuina sententia de zelo & livore. *Qui odit fratrem suum in tenebris ambulat, & non scit quo eat, etenim nescius in gehēnam, ignarus & cæcus præcipitatur in pœnam, recedens scilicet à Christi lumine monentis ac dicentis: Ego sum lux mundi &c.*

1. Ioan. 2.

Oecumen.

Chrysost.

Cyprian.

Secūdò, opera quantumvis bona faciat, nihil meretur teste Ioan. 1. Epist. cap. 3. *Qui non diligit manet in morte.* Et Paulus 1. ad Cor. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meū, ita vt ardeā, charitatem non habuero, nihil mihi prodest*

Ioan. 1. ep. c. 3.

1. Cor. 13.

Tertio

Tertiò accelerat punitionẽ Dei, quod expresſè conſtat ex 1. cap. Prophet. Amos, vbi hæc habentur verba: *Hac dicit Dominus: Super tribus ſceleribus Edom, & ſuper quatuor non convertã eum, eò quòd perſecutus ſit in gladio fratrem ſuum, & violaverit miſericordiam eius, & tenuerit vltra furorem ſuum, & indignationem ſervaverit vſque in finem.* Id eſt: Nõ parcam Idumęis tum propter alia ſcelera quamplurima, tum vel maximè propter illud ſcelus, quo ad extremum ſuperiora cumularunt. Quia cum Iſraëlitis habuerũt & odium implacabile, & immortale bellum, & illis, cum ipſorum indigerẽt miſericordia diſtrictum obtenderunt gladium, ſupplices ab omni humanitatis officio repulerũt, & paterni furoris atque odij tenaciſſimi fuerunt, illud ad finem vſque obſtinato conſilio conſervarunt. Amos 1.

Quartò ridet Sapiens tales à Deo expectare miſericordiam, dum dicit Eccl 28. *Homo homini reſervat iram* (vel odium) *& à Deo quærit medelam? In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam: & de peccatis ſuis deprecatur? ipſe dũ caro ſit reſervat iram: & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delicto illius? memento noviſſimorum & deſine inimicari, tabitudo enim & mors imminent in mandatis eius.* Quod idem eſt ac ſi dicat: Qui proximo reſervat odium, & ſe vindicare vult, à Domino inveniet vindictã: tantùm enim abeſt, vt ille veniam ſuorum peccatorum obtinere valeret, quin potius Deus peccata illius ſervans ſervabit, & iudicium ſine miſericordiâ illi faciet, qui non fecerit miſericordiam, iuxverba Iacobi 2. *Iudicium ſine miſericordiâ ei, qui non facit miſericordiam.* Rurſus ridiculum eſt, quod homo fragilis & pronus ad peccandum à Deo miſericordiam quærat, cum nullus quantumvis ſanctus pro ipſo apud Deum intercedens quidquam impetrabit, donec ipſe offenſam proximo remittat; quandoquidem omnino neceſſarium ſit, condonationẽ offenſæ alterius præcedere, iuxta verba præcedentia, *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſolventur.* Et hinc Dominus Ierem. 15. cap. dicit ſe eſſe inexorabilem, etiamſi Moyſes & Samuel orarent pro populo videlicet ſcelerato, & obſtinato in peccatis, in verbis: *Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum*: indeque ſubditur v. 5. *Quis enim miſerebitur tui Hieruſalem? aut quis contriſtabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?* q. d. Quem tui miſerebit, ô Hieruſalem? Quis tecum, aut pro te dolebit? Quis pro pace tua curam, aut laborem ſuſcipiet? Indigna planè es, pro qua quiſquam ſupplex intercedat: ſed iuſtiſſimè mereris vt infenſam manum meam in te extendam, & quatuor genera pœnarum, ſcilicet peſtem, gladium, famem, captivitatem ſuper te inducam: fatigatus enim ſum aliorum pro te precibus, ita vt ob tuam impietatem & obſtinationem vlterius me non poſſim reprimere, aut retinere, & mutare ſententiam de veſtrâ punitione.

Eccleſ. 28. Iacob 2. Ierem. 15.

10. Ad cuius rei fructuoſiorem intelligentiam, nota nullum eſſe peccatum, quod precibus & lachrymis non eluatur. Non enim arctatur divina clementia numero, non clauditur fine, nullas omnino habet metas: ſit qui invocet, erit, qui exaudiat; ſit quẽ pœniteat, non deerit, qui miſerebitur. Et vt ait Tertullianus lib. de pœnit. cap. 4. *Omnibus delictis ſeu carne, ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pœnam per iudicium deſtinavit, idem veniam per pœnitentiam ſpopondit.* Exempla in promptu ſunt, quibus liquet Deum nolle mortem peccatoris. In primis Manaſſes, qui tam multa ſacrilegia patravit, *vt excederet omnia, quæ fecerunt Amorrhæi ante eum,* Quod clarè exprimitur 4. Reg. 21. his verbis: *Fecit Manaſſes Rex Iuda abominationes iſtas peſſimas ſuper omnia, quæ fecerunt Amorrhæi ante eum: & peccare etiam fecit Iudam in immunditijs ſuis.* Et ibidem v. 16. *Inſuper & ſanguinem innoxium fudit Manaſſes multum nimis, donec impleret Hieruſalem vſque ad os.* Sic crudelitatem illius exprimens, accuſans, amplificans, vt apertè conſtet, nihil tam innocuum, nihil

Tertul. Ezech. 33. 4. Reg. 21.

tam sanctũ fuisse; à quo furorẽ & ferrũ continuerit; imò vsque adeo grassatũ fuisse intemperanter & barbarè, vt civitas tota vsque ad os innocentũ sanguine redũdaret. Denique qui tã multa flagitia cõmisit, vt ipsemet de seipso fateretur, in sua oratione, quę in fine Paral. seu Bibliorum habetur, *Peccavi super numerũ arenæ maris.* Quid ergo? Vllane parari potuit tam lethalibus plagis medicina? potuit quidẽ à divinâ misericordiâ singulariũ pharmacorum in omnes morbos cõditrice. Nã Manasses Babylonicã abductus in captivitatẽ, *Postquã coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, & audivit orationem eius.* 2. Paral. 33. In quẽ locum D. Hieron. in traditionibus Hebraicis refert Hebræorũ traditionem, dicentiũ, Manassem Babylonem ductũ, & in vas æneum cõiectũ, & admoto igne paulatim excruciatũ, cum nullum exeundi, imò nec respirandi locũ inveniret vndiq; circumclusus, invocasse omnia nomina idolorum, quæ colebat: & cum non fuisset ab eis exauditus, neque liberatus: recordatum fuisse, quòd à Patre Ezechia crebrò audiverat, *Cum quæsierus Dominum Deum tuum invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Deut. 4. v. 29. & cum Dominum invocasset, illico exauditum, & liberatum, & translatum esse in regnum suum, in modũ Abacuc. Ita Hebræi. Quorũ vltima verba magis explicat Glycas in Glossa citatus, dicẽs adfuisse Angelum oranti Regi, qui rupto illico simulachro, seu vase æneo, in quod inclusus fuerat, eum Hierosolymam reduxerit. Vbi patet Manassem adeo fuisse impium, vt nõ solum in regno, sed etiam in tormento idololatrarit; nec priùs ad verum Deum rediisse, quàm omnia falsorũ numina tentasset, & inania ipso experimento comperisset: & nihilominus à Deo misericorditer liberatũ: & tanquam insignem Prophetam ministerio Angelico in patriam trãsvectum, & in pristinam dignitatem restitutum. Vnde subdit idem Glycas. *Tot*, inquit, *tantaque facinora Manasses patravit, vt divinus ille Athanasius dicere non dubitaverit: Si Manassem Deus servavit, equidem ausim dicere, quod etiam diabolũ ipsum servaturus fuerit, si reverti ad Deũ voluisset.*

2. Paral. 33. Hieron. Deut. 4. Glycas. Glycas.

Achab Rex Israël tã graviter deliquit, vt de eo dixerit Scriptura, *Fecit Achab malum in conspectu Domini super omnes, qui fuerũt ante ipsum.* 3. Reg. 16. vbi addit scriptura: *Nec sufficit ei vt ambularet in peccatis Ieroboã filij Nabat, insuper duxit vxorem Iezabel filiam Ethbaal Regis Sidoniorũ Et abijt, & servivit Baal, & adoravit eum. Et posuit aram Baal in templo Baal, quod ædificaverat in Samariâ. Et plantavit lucum, & addidit Achab in opere suo, irritans Dominum Deum Israël, super omnes reges Israël qui fuerunt ante eum.* id est, Non recessit Achab à parentum suorum impietate, sed aliquid aliud meditatus & amplexus deprehenditur, quod ante illum ausus est nemo. Nam licet Pharaonis filiam duxerit Salomon, non tamen id fecit prius, quàm patriam abiuraret religionem, iuxta ea, quę Deut. cap. 21. antiqua lex præscribit. At Achab vxorem duxit primariam Gentilis Regis filiam, & ipsam Gentilem vsque adeo patriæ religionis amãtem, vt insectaretur ad mortem vsque illos, qui veram religionem retinerent, & Sidonios Deos Israëli colendos præponeret: idque vsque adeò callido consilio, pertinacique studio, vt tãdem consequeretur optata, & ad priorum Regum impietatem, illud ipsa, & Rex ab ea fallaci blandimẽto seductus introduceret, quo populum omnino corrũperet, & nulla pietatis antiquæ vestigia relinqueret. Adhæc perfecit Sidonia cõiux cũ Achab, vt ad impias aras, quas excitaverant superiores Reges, aras quoque adiungeret Baal; & illi Sidonium in morẽ templum erigeret, in quo fierent hominum conventus, & sacra peragerentur legitimo Gentilium ritu, nõ aliter, neque minus frequenter, quã in Sidone ac Tyro fieri cõsuevissent. Quod amplius est, novis infectus religionibus ad Chananæorũ idola defluxit: licet Dominus illos propterea extirpasset è patrijs sedibus. Sic enim dicitur 3. Reg. 21. *Abominabilis factus est in tantũ, vt sequeretur idola, quæ fecerant Amorrhæi, quos con-*

3. Reg. 16. Deut. 21.

consumpsit Dominus à facie filiorum Israël. Amorrhæorum nomine ibidem significantur Chananæi, quia ipsi alijs provincijs nomen suum communicarunt; aut quia omnium primi ab Israëlitis tentati bello, atque subacti sunt. Solent enim, qui primi occurrunt his, qui regionem aliquam explorant, aut ingrediuntur, nomen suum toti regioni cõmunicare; quare dum Amorrhæorum Deos asciviſſe dicitur Achab, Chananæorum dicitur omnia idola coluiſſe. Et his non obſtantibus vbi primùm de peccato suo dolens, *Scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam*: ieiunavitque, & dormivit in sacco, & ambulavit demiſſo capite, 3. Reg. 21. ſtatim Deum ad misericordiã inflexit. Vnde Theodoretus ibi: *Bonitatis,* inquit, *abyssus Dominus Deus: propter cadẽ quidem minatus est exitium: propter lamẽtationem autem largitus est dilationẽ supplicij.* Et Chrysostomus Ep. ad Theodor. lapsum: *Tales est erga homines pietas Dei, nunquam spernit pœnitentiam, si ei sincerè, & simpliciter offeratur, etiamsi quis ad summũ perveniat malorũ.* Quod ſtatim exemplo confirmat Achab. *Evidentius,* inquit, *nobis testimonium dabit etiam Rex ille impius, qui cupiditatis quidem suæ prædam vxoris nequitiâ quæsivit, sed perturbatus ipsius sceleris immanitate pœnituit, & cilicio circumdatus facinus suum flevit, atque ita erga se Domini misericordiam provocavit, vt à cũctis eum absolverit peccatis. Sic enim ait Deus ad Eliam: Vidisti quo modo compunctus est Achab à facie meâ, quia flevit in conspectu meo, non inducam malũ in diebus eius.*

Bonus etiam latro vſque ad finem vitę peccavit, ita vt etiam in crucem actus blaſphemaret, Matth. 27. sed in extremâ vitæ periodo resipiſcens & supplicans, illicò paradiſum impetravit, dicente Christo, *Hodie mecum eris in paradiso.* Luc. 23. *Matt. 27.* *Luc. 23.*

11. Dices ergo: Quare Scriptura vtitur illâ phrasi, *Quis orabit pro eo,* vt 1. Reg. 2 & 1. Ioan. 5. aut, Quis orabit pro delictis illius. loc. Eccleſ. citato. Reſpondeo duplicem eſſe cauſam. Prior eſt, quòd peccata in Deũ (qualia ſunt ſuperbia Luciferi, idololatria, loci ſacri, & ſacrificij violatio, & ſimilia) difficilius remittãtur, quàm peccata in hominem. Sic intelligenda ſunt verba Heli, quibus monuit filios, *Si peccaverit vir in virũ, placari potest ei Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Senſus eſt, Si peccaverit vir in virum, placari poteſt ei Deus: quia ſunt in Tabernaculo ſacrificia, quæ peccatorẽ Domino conciliant. At ſi vir contra Deum peccet, eo nimirum modo, quo vos in Dominum peccatis, tollendo ſacrificia, & preces; quis orabit pro eo? Id eſt, quod erit aliud ſacrificium, aut oratio ſolemnis, & publica, quæ ex veteri inſtituto à Domino veniam, & miſericordiam extorqueat? Altera reſpicit obſtinatos & impœnitentes, vt 1. Ioan. 5. indicans pro illis non eſſe orandum, vti Dominus etiam declaravit Ierem. 15. orationem pro eis eſſe fruſtraneã. Hinc idem exprimit Sapiens de eo qui odium reſervat alteri, conteſtãs propter indiſpoſitionem eiuſmodi ſupplicantis, veniam à Deo non eſſe expectandam, & fruſtra quantumvis Sanctos pro eo interceſſuros, quamdiu videlicet in proximum cogitat vindictam. *1. Reg. 2.* *1. Ioan. 5.* *Hier. 15.*

12. Redeo ad locum Sapientis, qui rurſum duo proponit ſemper cogitãda, per quæ ab irâ, & vindictæ cupiditate animus hominis revocari debeat. Primùm ſunt noviſſima, ſeu vltio, quæ in noviſſimo fine hominis manet impios legis Dei tranſgreſſores, in verbis: *Memento noviſſimorum, & desine inimicari: tabitudo enim* &c. id eſt, recordatione noviſſimorum ceſſa à proſequendâ inimicitiâ: quia corruptio & mors imminent homini propter neglecta Dei mandata, aut potius, in mandatis Dei clariſſimè cernitur tabem & mortem inimicãti inſtare, quia tranſgreſſoribus apertè prædicuntur obventura. Alterum eſt, vt intuitu legis divinæ, quæ vltionem & odium prohibet, ab inimicitiâ abſtineat: illa enim dicit Levit. 19. *Non quæres vltionem, nec memor eris iniuriæ civium tuorum:* cui reſpondet Sapiens, dum ait: *Memorare timorem* *Levit. 19.*

rem Dei, & ne irascaris proximo: memorare testamentum Altissimi, & despice ignorantiam proximi.

Vnde rectè monet & apposité ad intentum meum Antiochus Monachus tom. 2. Bibliothecę Patrũ, hom. 57. *Scriptum est*, inquit, *quoniam qui diligit Deum, diligit & fratrem suum, qui autem odit fratrem, non Deo invisus solum, sed & homicida, quem enim odit, arcani affectus cogitatione perimit, cuius quidem sanguinem non acie gladij perspiciunt homines effusum, Deus verò illum videt odij maligno affectu peremptum, qui cuilibet nostrum aut coronam reddit, aut vltricem pœnam, pro qualitate non operis solùm, sed & cogitationis, & destinatæ voluntatis, quemadmodum idem par Prophetã dicit: Ego venio vt congregem opera, & cogitationes, & inventiones, sive internas conceptiones eorum. Sed & malitia diutina cogitatione in animo versata atque exercita, audaciam addit cordi; quæ tamen per abstinentiam & spem ablata, contritionis gratiam confert cordi eidem. Non igitur fas sit odisse nos vnum aliquem è contribulibus, aut qui fide compares, & cohæredes futuri sunt regni cælorum.* Et paulò post: *Nemo qui integrâ fide ex professo sit Christianus, peccat hoc genere odij, neque qui habeat charitatem, odit vllum hominum. Arboris qualitas ex fructu quem profert, liquidò cognoscitur. Qui igitur se Christi profitetur esse discipulum; per ea quæ facit, stet ne à Christo, intelligetur: quemadmodum in Proverbijs scriptum est, quia omnis qui odit fratrem pauperem, hic longè erit ab amicitia: vir autem prudens inveniet eam.* Et nonnihil inferius iterum dehortatur ab odio, quod iniquorũ illa sit consuetudo. *Hominum*, inquit, *mundi istius amatorum ea est & solennis consuetudo, vt alios persequantur, affligẽt, obloquantur. David testis: Locuti sunt*, ait, *adversum me lingua dolosa, & sermonibus odij circumdederunt me, & expugnaverũt me gratis. Quemadmodum & Dominus suis dixit discipulis: Si de mundo essetis, mundus quod suum esset, diligeret: quia autem de mundo non estis, propterea odit vos mundus. Et: Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Infert: Beati eritis, cùm vos oderint homines & separaverint, & exprobraverint, & eiecerint nomen vestrum tãquam malum propter filium hominis: gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cælis.* Et longè antè: *Diabolum porro indefessum salutis nostræ osorem odisse licet, communem omnium hominum hostem, maximè fidelium: illum, inquam, cum operibus ipsius malignis oderimus.*

Antioch.

Esa. 66.

13. Demũ considerandum est, pro confessione ritè faciendâ, vnum odium ab alio distingui respectu proximi. Primò ob diversam rationem formalem vtriusque, vt si vnus oderit proximum, quia creatura, aut imago Dei est, alter vero ob iniuriam ab eo acceptam. Secundò ratione diversi mali, quod proximo actu optatur; vt si vnus optet ei æternam damnationẽ, alter mortem præsertim valde crudelem, alter solùm amissionem status, &c. Sicut enim hæc velle inferre proximo, continet diversa specie peccata, ita etiam ea proximo optare. Quare omnino sũt explicanda in confessione, quia sic optimè natura ipsius odij explicatur, & ad hanc explicandam id videtur omnino necessarium.

Discursus XII.

Quatenus ira præcepto quinto prohibetur.

Matt. 5.

Psalm. 4.



CHristus Matth. 5. cap. dicit: *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicij.* Et Psalmista Ps. 4. dicit: *Irascimini & nolite peccare.* Hinc tractabo, an omnis ira sit illicita, & quænam propriè huic præcepto adversetur.

1. Ira quæ actum & habitum vitiosũ irascẽdi designat, per se nec bona est, nec mala, sed quoddam indifferẽs, quo benè & male vti possumus: sicut sunt reliquæ passiones. Vnde quandam esse licitam indicat Propheta cum Psal. 4. præcipit irasci sine peccato: quandam verò esse illicitã insi-

Psal. 36. insinuat, cum Psalm. 36. inquit: *Desine ab ira, & relinque furorē.* Licita est porro ira, quæ ratione regitur, quia ●os est virtutis, & instar militis armati, remedium contra malum, de qua dixit David: *Irascimini & nolite peccare*, id est iuxta quorūdam explicationem: Si Prælati alijque Præpositi estis, vitijs subditorum delinquētium iram, id est, severitatem correctionis adhibete. Vnde Eusebius in catenâ Græcorum in Ps. 4. ad litteram vult hæc esse verba Davidis ad inclytos suos, vt vertit Hieronymus; scilicet ad Ioab, Abisai, aliosque Duces & milites indignantes, & parantes se ad conflictum cum Absalone patricidâ. Quasi dicat David: O Ioab, vosque milites mei, irascimini Absaloni, pugnate contra eum, sed cavete ne ira vestra, & vindicta modum iustæ pugnæ, & belli excedat. Sic mitissimus Moyses Exod. 32. iratus fuit contra populum Israël, quod ipso apud Dominum impedito, vitulum adorasset. De quo ibidem sic habetur: *Cum appropinquasset ad castra, vidit vitulum, & choros, iratusque valde proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis, arripiensque vitulum, quem fecerant, combussit, & cōtrivit vsque ad pulverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israël.* Quod idem est ac si dicat: Moyses incitatus sancto zelo adversus publicam impietatem, absurdum ratus, si legem Dei populo ebrio, legemq; tam nefariè per idolum infringenti adferret, iratus vitulum vel admixtis herbis, alijsque rebus coniecit in ignem, vt liquaretur in massam, & quasi in carbonem redigeretur, ac in carbonem redactum, vel massam igne extractā igne contudit, & contrivit in minutum pulverem, eumque sparsit in aquam, seu torrentem, qui descendebat de Sina, & transibat per castra Hebræorum, eo tempore quo Hebræi veniebant inde haurire aquam: idq; eo fine iuxta D. Hieronymum epist. 138. ad Fab. vt coacti essent de ea bibentes idolum suum vorare; atque ediscerent contemnere, quod in secessum proijci viderent. Imò quod amplius est pro Deo aliam severitatem & iram induit, vt paucorum pœna Deum toti populo reconciliaret, vt patet ex vers. 27. vbi sic ait. *Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ponat vir gladium super femur suum, ite & redite de portâ vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum*, id est: Quisque ex mandato Dei occidat quemlibet occurrentem, etiamsi arctissimè sibi coniunctum. Hæc enim erat ira sancta, quæ sic irascebatur peccato, vt peccatoribus superstitibus post viginti tria millia occisa veniam impetraret.

Euseb. Hieronym. Exod. 32.

Audi desuper Gregorium lib. 20. Moral. cap. 8. vbi docens Rectoribus inesse debere circa subditos, & iustè consolantem misericordiam, & piè sævientem disciplinam, confirmat id primò exemplo Samaritani Luc. 10. sic inquiens: *Hinc est quod semiuiui illius vulneribus, qui à Samaritano in stabulum ductus est, & vinum adhibetur & oleum. vt per vinum mordeātur vulnera: per oleū, foueantur: quatenus vnusquisque, qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis, per vinum mundētur putrida, per oleum sananda foueantur.* Et paucis interiectis exemplo Moysis: *Intueri*, inquit, *libet in Moysis pectore misericordiā cum severitate sociatam. Videamus amantem piè, & districtè sævientem. Certè cum Israëliticus populus ante Dei oculos penè inueniabilem contraxisset offensam, ita vt eius rector audiret: Descende, peccavit populus tuus: ac si ei diuina vox diceret: Qui in tali peccato lapsus est, meus non est. atque subiungeret: Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam. Ille semel & iterum pro populo, cui præerat, obicem se ad impetum Dei irascentis opponens, ait: Aut dimitte eis hāc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Pensemus ergo quibus visceribus eundem populū amavit, pro cuius vita de libro vitæ deleri se petijt. Sed tamen iste, qui tanto eius populi amore constringitur, contra eius culpas pensemus quanto zelo rectitudinis accendatur. Mox enim vt petitione primâ, ne delerentur, culpæ veniam obtinuit,*

Gregor. Luc. 10.

 ad eun-

ad eundem populum veniens ait: Ponat vir gladium suum super fœmur suum, ite & redite de porta vsque ad portam, per mediũ castrorum, & occidat vnusquisq; fratrẽ, & amicum, & proximum suum. Cecideruntq; in die illo quasi viginti tria millia hominũ. Ecce qui vitã omnium etiam cum sua morte petijt, paucorum vitam gladio extinxit. Intus arsit ignibus amoris: foris accensus est zelo severitatis. Tanta fuit pietas, vt se pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret: tanta severitas, vt eos, quos divinitus feriri timuerat, ipse iudicij gladio feriret. Sic amavit eos quibus præfuit, vt pro eis nec sibi parceret: & tamen delinquẽtes sic persecutus est, quos amavit, vt eos etiam Domino parcente prosterneret: Vtrobique legatus fortis, vtrobique mediator admirabilis: causam populi apud Deum precibus, causam Dei apud populum gladijs allegavit. Intus amans divinæ iræ supplicando obstitit: foris sæviens culpam feriendo consumpsit. Succurrit citius omnibus, ostẽsâ morte paucorum. Et idcirco omnipotens Deus fidelem famulum suum citius exaudivit agentem pro populo: quia vidit quid super populum acturus esset ipse pro Deo.

Simili de causa Phinees Num. 25. *Num. 25.* zelo divino incensus quendam de filijs Israël, cum Deus plagam pestis, ignisve, aliamque similem immisisset in Hebræos fornicantes cum Moabitis & Madianitis, & consequenter cum ijsdem idololatrantes, adhuc peccare audentem, & ingredientem ad filiam Madianitidem, simul cum illâ perfodit, vt sic averteret plagã, vti re ipsa illam cessare fecit, & verum *Ioan. Papa.* reddidit illud Ioannis Papæ, *Zelus purgat facinus*: & alterum: *Vindicta Deum iratum lenit & placat.* Sic Elias 3. *3. Reg. 18.* Reg. 18. occidit quadringentos & quinquaginta Prophetas Baal, cum prius constitisset miraculo Deum Israël esse colendum. Sic Christus *Ioan. 2.* Ioan. 2. iratus fuit quando flagello eiecit vendentes & ementes è tem- *Marc. 3.* plo, & sic de ipso scribit Mar. 3. Quod cum Iudæi eum observassent an sabbatho curaret, & ipse illos interrogasset, an liceat sabbathis benefacere an malè, animam salvam facere, an perdere, ipsique tacuissent, *circũspiciens eos cum ira, contristatus est super cæcitate cordis eorum, dicit homini, extende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus illi.*

Sic alibi legitur graviter invexisse in Pharisæos, illos vocãs hypocritas, sepulchra dealbata, genimina viperarum. Sic Luc. vlt. cap. discipulos *Luc. vlt.* non credentes resurrectionem vocavit stultos, & tardos corde, idque studio paternæ gloriæ ac correctionis malorum, odioque vitiorũ, nullo erga eos motus affectu malo. Qua ratione D. Paulus videns Galatas audire falsos Prophetas, qui legem Moysis docebant simul cum Evangelio esse servandam, vocavit insensatos, Galat. 1. Sic etiam cum ira cõ- *Galat. 1.* pellavit Elymam Magum, resistentẽ ipsi ac Barnabæ, cum dixit ei: *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas.* Act. 13. *Act. 13.*

Breviter Moyses & Phinees irâ vsi sunt tanquam cote virtutis. Qui enim in tali occasione iram non habet, mentẽ non habet. Rursus Christus Dominus & Apostolus convitijs vsi sunt, non convitiandi animo, sed ex amore & zelo charitatis, vt duros animos Pharisæorum, Discipulorũ, & Galatarum respectivè ferirent, mollirent, & corrigerent, dum ille Scribas vocat hypocritas, hic Elymam filium diaboli, Galatas insensatos. Impudentes enim sic corrigẽdos esse docet Gregorius 3. parte pa- *Gregorius.* storali, admonit. 8. & confirmat exẽplo Dei erga Galatas, sic inquiens: *Impudentem quippe Iudæorum plebem Do- Hierem. 3. minus apertè increpans, ait: Frons mulieris facta est tibi, noluisti erubescere.* Et paulò post: *Impudenter quoque delinquentes Galatas apertè increpat, dicens: O insensati Galatæ, quis vos fascinauit?* Et rursum: *Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consumamini.*

Ex his patet, iram eiusmodi esse licitam. Si enim parentes filios verberibus castigare licet, multò magis illis & quibuslibet licet subditos verbis castigare, & convicio; & sic eorum vitia, quasi mordaci sale inurere. Confirmat hanc rem D. Basilius *Basilius.* hom. 10. vbi de ira sic loquitur: *Est*

pars

pars animi irascibilis, nobis ad multa virtutis opera necessaria. Quando veluti miles quidam apud ducem arma sumens, paratus est eius iussu auxilium prabere: sic iracundia rationi adiutrix contra peccatum furit. Neruus est animæ quidam indignatio, fortitudinem constantiamque, ac robur ad res bene, & ordine agēdas prabens: quæ animā forte voluptate delinitam ac lasciuientem veluti ferro quodam cohibens, austeriorem fortioremque ex molli, ac remissâ reddit. Nec enim si contra iniquitatem desit indignatio & ira, satis eam odio quo decet persequi poteris. Quamobrem sic existimo, aque circa diligendam virtutem studium habere, atque adversus vitium odium retinere oportere. Ad quod maximè vtilis indignatio: quoniam veluti canis pastori, sic ira rationi obediens, mitis quidem ac mansueta iuvantibus eam, & à ratione reuocabilis erit. Nam canis ad vocem & aspectum alienum toruus & agrestis, etiam si palpari se videat: notos verò, & amicè alloquentem timere admodum, & vereri videtur. Ira similiter optima est, & commens[illegible]a iracundia, opitulaturque animæ prudenti. Insuper cum insidiosis non facilè conciliatur, aut consuetudinem habet. Nullam denique beneuolentiam erga ea quæ nocent, retinet: sed aduersus voluptatem insidiantem veluti lupum quemdam allatrare continuò videtur. Et nonnihil inferius argumentum resumens, inquit, *Ira quando oportet, & vt oportet ex ratione dispensata, fortitudinem patiētiamque, ac constantiam parit: prater verò rectam rationem tractata, furor & insania efficitur. Idcirco nos Psalmus admonet: Irascimini, & nolite peccare.* Et paucis interiectis: *Illum vero qui tanquam pharmaco ad ea, quæ oportet irâ vtitur, minimè condemnat.* Hoc probat multis Scripturæ locis, dum subdit: *Dicitur namque, Ponam inimicitiam inter te & serpentem.* Et rursus: *Hostes sitis Madianitis. Doctē tis verba sunt, vt ira veluti armis vtamur.* Et postquam exemplo Moysis Exod. 32. id confirmasset subiungit eūdem dixisse *vituli idololatriam damnans, Levitarum manus in cadem fratrum armavit: Vnusquisque, inquit, vestrum gladium ad latus teneat, & transite à porta in portā, & flectite per circuitum castrorum, & suū quisque fratrem interimat, & quilibet proximum suum. Vestras hodie manus* DEO *consecrastis, quilibet in filio suo, & fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Et tum pergit, dicens: *Quid Phinees iustum reddidit? nonne iusta contra fornicantes ira? qui alioquin mitis ac mansuetus existens, postquam stuprum Zambri & scorti Madianitis palam in populo vidit, adeoque impudenter admissum, vt nec tam turpe spectaculum occultari vellent: minimè tam indignum facinus passus, ita vt oportebat vsus, protinus vtrumque trucidavit: Samuël autem Achab regem Amalech à Saüle contra mandatum Domini servatum, nonne iusta ira in medium trahens occidit? sic itaque fit ira sæpe bonarum actionum magistra. Helias vero zelotes quinquaginta supra quadringentos viros sacrorum nemorum, comedentes de mensa Iezabel iusta sapientique indignatione in totius Israël vtilitatem vt morte mulctarentur effecit.* (Num. 25.)

3. Confirmat idipsum D. Chrysostomus homil. 17. in Matth. alijs exemplis quibus vtilitas talis iræ ostenditur, dicens: *Considera quam ampla quondam bona ira operata sit Pauli: hanc enim ille aduersus Corinthios exercendo, à maxima illos peste liberavit. Per hanc etiam Galatarum gentem, quæ ferè & Christo iam exciderat, reformauit, aliosque his plures illius iræ censura correxit.* (Chrysost.)

Gregorij Magni, ex eo quod iram Dei placaverit, adscribam verba, quibus non solum illam licitam indicat, sed etiam necessariam: dum inquit: *Sed inter hæc solenter sciendum est, quod alia est ira, quam impatientia excitat, alia quam Zelus iustitiæ format. Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Sic enim nulla ira ex virtute surgeret, diuinæ animaduersionis impetum Phinees per gladium non placasset: hanc iram quia Heli nō habuit, motum contra se implacabiliter supernæ vltionis excitauit. Nam quo contra subditorum vitia texuit, eò contrà illam districtio æterni rectoris exarsit.* (Gregorius.)

Sanè Deus non solùm placatus fuit per iram Phinees sed etiam eandem remuneravit, perpetuo sacerdotio ipsum honorādo. Et Heli graviter indignatus fuit, quod iram satis non ostendisset in filios peccantes, & alios scandalizantes, dū dicit, quod (Num. 25. Gregorius.)

quòd graviſſimis plagis illum affliget, & quòd neque victimis, neque muneribus expiabitur iniquitas domus eius, eò quòd noverit indignè agere filios ſuos, & non corripuerit eos, cum tamen antea leviter illos corripuiſſet. Quod magnopere conſiderandum eſt Principi, qui gladiũ fert nomine Dei vindicem in iram; quin etiam patrifamilias. Nam ſic fovent malum, communicant peccatis alienis, & provocant iram Dei, quemadmodum fecit Heli.

Hieronym. Vnde S. Hieronymus magnopere miratur, quòd Epiſcopus (ſub cuius diæceſi Vigilantius in Sanctos iniurius degebat) ſecundum Sanctorum exempla rigorosè in illum non animadverteret. Sic enim ſcribit epiſtol. ad Riparium: *Miror ſanctum Epiſcopum, in cuius parochia presbyter eſſe dicitur, acquieſcere furori eius, & non virgâ Apoſtolicâ, virgaque ferreâ confringere vas inutile, & tradere in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat: nec meminerit illius dicti. Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Et in alio loco: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. Et iterum: Nonne odientes te Domine odio habui, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? perfecto odio oderam illos.* Hæc de irâ licitâ & vtili. (Epiſt. 53. 1. Cor. 5. Pſ. 49. Pſ. 100. Pſ. 138.)

4. Secundò eſt ira quædam illicita, ſed ſub peccato veniali, videlicet quando vindicta eſt exigua, qualis eſt puerum leviter percutere, vel per capillos trahere, aut ſi deliberatio rationis eſt imperfecta, tunc ſolum eſt peccatum veniale; de qua poſtremâ etiam intelligi poteſt illud Pſalmiſtę aliquoties citatum. *Iraſcimini & nolite peccare*, id eſt, ſi contingat vos prę maturâ fragilitate & proclivitate ad iram concitari, & ſubitò iraſci, nolite tamen peccare, id eſt, nolite iræ per voluntatem & rationem conſentire, vt illi inhæreatis & indulgeatis vindictam machinando & perficiendo, ſed quàm citiſſimè per rationis dominium. perque Dei metum iram abrumpite, & compeſcite: *ita vt ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram*, vt ait Paulus Epheſ. 4. proverbialiter ſignificans iram ſtatim eſſe compeſcendam: nec enim ad litteram permittit Apoſtolus, vt toto die quis irę indulgeat & ſe vindicet, modo ſole occumbente eam deponat: ſic enim per diem omnem vindictam machinari & perficere liceret: ſed vt dixi, proverbialis locutio eſt ſignificãs ſtatim comprimendam eſſe iram, ne, vt ſequitur, locum demus diabolo. Epheſ. 4.

5. Tertiò eſt quædam ira ſub peccato mortali prohibita, quæ rationem nimium excedit, de qua dicit Iacobus Epiſt. ſuæ c. 1. *Sit autem omnis &c. tardus ad iram. Ira enim viri iuſtitiam Dei non operatur.* id eſt, Vir iratus multa committit iuſtitiæ Chriſtianæ contraria propter libidinem vindictæ, quâ movetur. Ira enim eſt quaſi fera tigris, & quaſi indomabilis leæna: quis enim hominum furens irâ & cholerâ, eam domet & regat? Ira dominatur irato, eique habenas rationis & imperij excutit, imò verò eum quaſi mancipium ſibi ſervire & obſequi facit. Vnde Poëta: (Iac. 1.)

Ira furor breuis eſt.

Et Cicero Tuſcul. 4. *An*, ait, *eſt quidquam ſimilius inſaniæ, quam ira? Quam bene Ennius initium dixit inſaniæ: color, vox, oculi, ſpiritus, impotentia dictorum, atque factorum, quam partem habent ſanitatis? Quid Achille Homerico fœdius? Quid Agamemnone in iurgio? nam Aiacem quidem ira ad furorem mortemque perduxit.* Adeò enim immutat corpus, vt hominem furioſæ belluæ ſimilem efficiat. Vnde Prov. 27. *Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor; & impetum concitati ſpiritus quis ferre poterit?* Et Gregorius lib. 5. Moral. cap. 31. *Per iram ſapientia perditur, vt quid, quoue ordine agendum ſit, omnino neſciatur; ſicut ſcriptum eſt; Ira in ſinu ſtulti requieſcit, quia nimirum intelligentiæ lucem ſubtrahit, cum mentem permouendo confundit.* Et infra: *Nã ira ſua ſtimulis accenſum cor palpitat, corpus tremit, lingua ſe præpedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi, & nequaquam recognoſcuntur noti: lingua quidem clamorem format, ſed ſenſus quid loquatur, ignorat. In quo* (Cicero. Prov. 27. Gregor.)

itaque

itaque iste ab arreptitijs longè est, qui actionis suæ conscius non est? &c. Et divus Basilius loc. cit. *Quando semel iræ perturbatio mentem præcipitans imperium animæ sumpserit, hominem penitus in feram convertit, nec hominem qui rationis sit compos, esse sinit. Quod enim venenum virus emittentibus erit, hoc item & furor animo irritatis ac perturbatis. Impetu feruntur, insiliunt, rabie vt canes afficiuntur. punguntur vt scorpij, mordent vt serpentes. Novit & scriptura eos qui hoc vitio tenentur, ferarum appellatione vocare, quibus sese ob perversitatem similes ac familiares reddiderunt. Nam & canes & serpentes, & genimina viperarum, & his similia nominat. Qui enim ad mutua inter se eiusdem generis parati sunt inferenda incommoda iure feris, ac venenatis ascribi possunt, quibus ex natura continuum adversus homines odium inest. Effrenes linguæ, ora incustodita, incontinentes manus, contumeliæ, probra, accusationes, verbera, & alia eiusmodi quæcumque quis enumerare poterit, iræ sunt ac furoris fructus* Ratio est, quia sicut amori, desiderio, & gaudio deservit sanguis; odio, timori, tristitiæ melancholia; ita bilis deservit iræ. Hæc enim motu iræ surgente statim effervescit, & concitatur, tanquam in malum præsens factura impetum.

Basilius.

6. Quæres, quando iustitiam Dei non operando, ira ascendat ad peccatum mortale?

Respondeo quando præscriptum rationis nimiùm excedit: hoc autem tripliciter fieri potest. Primò ex parte obiecti, si iniustam vindictam appetas, vt ob causam non legitimam. Quemadmodum egit quidam Andronicus nomine, 2. Machab 4. Oniam summum Sacerdotem interficiens ad instantiam Menelai, quem Onias arguerat, eò quòd aurea quædam vasa è templo furto sublata, donasset Andronico, & alia vendidisset Tyri, & per vicinas civitates. Ille erat fructus Menelai, qui simoniacè ad sacerdotium pervenerat. De quo ibidem dicitur: quod plura Regi talenta pollicitus, *acceptisque à Rege mandatis venerit, nihil quidem habens dignum sacerdotio; animos verò crudelis tyranni, & feræ belluæ iram gerens.* Sic Herodes volens occidere Christum, Matth. 2. *videns quoniam illusus esset à Magis* (qui nempe adorato puero Iesu, oblatisque muneribus, iuxta monitum Angeli *per aliam viam reversi sunt in regionem suam*) *iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis.* Sic rursum Herodias instinctu matris, Marc. 6. petijt caput Ioannis Baptistæ, eò quod arguisset Herodem propter adulterium cum ea; vt clarè indicat Scriptura dicens: *Herodias autem insidiabatur illi*, supple Ioanni, *& volebat occidere, nec poterat*, scilicet tum temporis: vnde captabat occasionem, cum post tripudium Herodi placés, audivit ab illo. *Pete à me quod vis, & dabo tibi,* &c. *quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei.*

2. Mach 4.

Matth. 2.

Marc 6.

Vel denique, quando quis maiorem sumit vindictam, quam oportet, vt egit tempore Ambrosij Imperator Theodosius in cæde Thessalanicâ: Vel demum, quando quis appetit vindictam absque publicâ auctoritate exequendam. Horum ratio est, quod hæc sit contra proximi charitatem, & contra iustitiam.

7. Secundò potest præscriptum rationis non servari ex parte ipsius motus, vt si nimium intensus irâ exardescas, vel exterius eam per signa nimium patefacias. Hoc modo, non est quidem ex genere suo, potest tamen esse mortale, vel ratione affectus, & præparationis animi, quam inducit, vt si in tantum irâ accendaris, vt paratus sis aliquid facere, quod sit peccatum mortale, v. g. evomere graves iniurias in proximũ; vel cum quis iratus vxori, vel alicui de familia excurrit ad lupanaria, ad tabernas, vt consumat prodigaliter notabilem quantitatem pecuniarum in præiudicium vxoris, bona sua dissipando, cum eorundem dumtaxat sit administrator, & lucra sint communia, vel etiam ratione scandali, vt interdum accidere potest viris primoribus tam secularibus,

quàm Ecclesiasticis, qui irâ ita exardescunt, vt furiosi exteriùs appareant.

8. Tertiò, si quis immodicè ita irascatur vt blasphemet Deum, ad quam blasphemiam vxor Iob maritum suum incitabat; vel etiam si maledicat proximo, aut ei graviter vel extremè indigenti ideo non subveniat. Porrò de his iræ modis rectè intelligi possunt verba Apostoli ad Galat. 5. vbi dicit eam excludere à regno Dei, in verbis: *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, inimicitiæ, contentiones, simulationes, iræ, rixæ, dissensiones, &c. qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Galat. 5.

9. Verùm quæres; quænam earum huic præcepto aduersetur?

Respondeo illam repugnare præcisè, qua quis iniustam vindictam appetit, vel privata auctoritate proximi mortem optat: quod clarè patet Matth. 5. vbi Dominus volens legem adimplere dixit discipulis: *Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicij. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* In quem locum Iansenius: *Postquam*, inquit, *per superiora Dominus auditores paravit ad audienda, & recipienda sua præcepta, incipit iam quod promisit præstare, implere scilicet legem, & docere quomodo abundare debeat nostra iustitia. Incipit autem ab eo mandato, quod in Decalogo primum est inter mandata negativa secundæ tabulæ: docens non satis esse cavere ab homicidio, quemadmodum illo præcepto Scribæ & Pharisæi tantùm putabant esse prohibitum, sed ab omni irâ in fratrem abstinendum.*

Matth. 5.

Iansenius.

De qua re S. Augustinus libro 19. contra Faustum cap. 13. sic loquitur. *Quia enim non intelligebant homicidium nisi peremptionem corporis humani, per quam vitâ privaretur, aperuit Dominus omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidij genere deputari. Vnde & Ioannes dicit: Qui odit fratrem suum homicida est.* Atque ita *Dominus impleturus homicidij legem*, inquit Iansenius loc. cit. *tres facit gradus peccantium circa homicidium, per iram, indignationem, & tres item pœnarum gradus. Levius est enim irasci tantum fratri, & iram in corde retinere compressam, quam si erumpente irâ dicat quis fratri suo Racha vel fatue. Ita levius quid sonat reum esse iudicio, quam reū esse concilio: & hoc rursum levius quā reum esse gehennæ ignis. Quod autem trium istorum peccatorum levissimum sit, nēpe irasci fratri, par facit in condemnatione homicidij in lege, non quòd æquè grave sit peccatum, irasci tantùm & occidere hominem: sed vt doceret Evangelicæ doctrinæ perfectionem: sic Christiano studendum esse effugere omnem iram in fratrem, quomodo Scribæ & Pharisæi vitabant homicidium: Dicit autem: Ego dico vobis, & non sicut Prophetæ. Hæc dicit Dominus Deus insinuare volens suam auctoritatem æqualem auctoritati eius, qui veterem dederat legem.*

Augustinus.

Iansenius.

Vnde Augustinus lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 9. *Gradus itaque sunt in istis peccatis: vt primò quisque irascatur, & eum motum retineat corde cōceptum. Iam si extorserit vocem indignantis ipsa commotio, non significātem aliquid, sed illum animi motum ipsa eruptione testantem, qua feriatur ille, cui nascitur: plus est vtique quam si surgens ira silentio premeretur. Si verò non solùm vox indignantis audiatur, sed etiam verbum, quo iam certam eius vituperationem, in quem profertur, designet & notet: quis dubitet amplius hoc esse, quam si solus indignationis sonus ederetur.*

August.

Atque eiusmodi iram lethale esse peccatum propter locum Iacobi citatum, & Pauli Galat. 5. ostendit etiam gravitas pœnarum, de quibus sic etiam August. loco citato. *Vide nunc etiam tres reatus iudicij, concilij & gehennæ ignis. Nam in iudicio adhuc defensioni datur locus: in concilio, quamquam & iudicium esse soleat, tamen quia interesse aliquid hoc loco fateri cogit ipsa distinctio, videtur ad concilium pertinere sententiæ prolatio: quando non iam de ipso reo agitur vtrum damnatus sit, sed inter se qui iudicant, conferunt quo supplicio damnari opor-*

oporteat, quem constat esse damnandum. gehenna vero ignis, nec damnationem habet dubiam, sicut iudicium, nec damnati pœnam, sicut concilium: in gehennâ quippe ignis, certa est damnatio & pœna damnati.

10. *Sed forsan dubitabit aliquis quomodo per iudicium*, inquit Maldonatus in cap. 5. Matth. *& per concilium capitalem pœnam intelligat, cum manifestum sit tres pœnarum gradus velle distinguere.* Maldon.

Respondeo gradus quidem distinguere, non genus. Nam vtrobique capitalem, sed in iudicio leviorem, in concilio graviorem Iudices pœnam constituebant, quemadmodum graviores ad concilium quam ad iudicium causæ deferebantur. Scitum est apud Iudæos quatuor capitalium pœnarum fuisse genera, strangulationem, gladium, lapidationem, combustionem. Sic etiam Christus, & eum qui irascitur, & eum qui fratrem levem, & eum qui stultum appellat, eâdem inferni pœnâ, non eâdem pœnæ gravitate dignum docet.

Chrysost. 11. *Multi hoc grave*, inquit Chrysost. hom. 15. in Matt. *atque onerosum putant esse mandatum, vt scilicet pro vno nudoque sermone tanta nobis pœna subeunda sit. Vnde quidam istud ex aggeratione magis, sive per hyperbolen dictum esse voluerunt. Sed vereor ne nosmetipsos his verbis omnino frivolis, vel potius infidelibus seducentes ibi rebus ipsis supplicia extrema solvamus. Sed cur, quæso, mandatum istud videtur onerosum? An fortè nescis, quia plurima pars culparum atque pœnarum ex verbis sumat exordium? Nam & blasphemia per verba, & Dei negatio per verba, inde & maledicta & iniuria atque periuria, & falsa testimonia, & ipsa frequenter homicidia. Noli igitur aspicere, quod vnum verbum sit: sed quantum periculum habeat, expende. An ignoras inimicitiarum tempore incandescente irâ, animoque prorsus ardente, etiam minimum aliquid magnum videri? tunc quippe & quod non valde iniuriosum est, nimis tamen putatur onerosum. Nam hæc ipsa parvula & homicidia sæpè pepererunt, & vrbes crebro integras subruerunt. Sicut enim manente inimicitiâ, etiam quæ molesta sunt, levia ducuntur: sic inimicitijs obortis, levia quoque pro gravissimis audiuntur. Nam etsi simpliciter aliqua dicantur, de malo tamen animo prolata creduntur: atque vt in igne scintilla exigua est, etiamsi plurimorum lignorum admovens, non ea facile comprehendit: si vero satis in excelsum flamma consurgat, non iam ligna solum sed & saxa, & omnem prorsus incidentem materiam sibi vendicat: & per quæ extingui solet, per ea ipsa potius accenditur.*

Vtile erit audire, quę in hanc rem scribit Basilius hom. 10. *Ob iram*, inquit, *ensis acuitur, mors homini ex homine venit, fratres inter se ignorantur, parentes, ac liberi naturæ obliviscuntur. Sed & ante omnia seipsos haud agnoscunt irati, deinde neque quotquot habent necessarios. Quemadmodum enim torrentes ad curva loca decurrentes secum obvia quæque trahunt: sic & iratorum impetus violenti & instabiles omnia similiter percurrunt atque obruunt. Non eis senectus venerabilis, non vita virtus, non generis propinquitas, non accepta iam gratia, non denique quidquid aliud quamvis æstimandum in honore est.* Basilius.

Quæ omnia Christus comprimés, taliter irascentem prædictis pœnis condemnat. Ea propter sit ira, simul atque exorta est, in animo compescenda, iuxta illud Poëtæ. Ovidius.

Principijs obsta, sero medicina paratur.
Cum mala per longas invaluere moras.

Nam vt ait Hieronymus epistol. ad Salvinam: *Irasci hominis est, & iram non perficere Christiani.* Quod si statim iram non compescueris, saltem cave eam diutius fovere ac retinere. Hoc remedium est Apostoli in epistol. ad Ephes. 4. 26. dum ait: *Sol non occidat super iracundiam vestram: nolite dare locum diabolo.* Hieron. Ephes. 4.

Tertiò nihil statue vel discerne de vindicatione alicuius noxæ, nisi cum ira defervuerit: nihil enim æquo obscurat rationis vsum ac passio iracundiæ, secundum B. Gregorium congruenter illo dicto Psalmi: *Conturbatus est in ira oculus meus.* Atque hæc de ira dicta sufficiant. Gregorius.

Discursus

Discursus XIII.

In idem Præceptum: Non occides.

Quatenus invidia huic præcepto contrarietur.



Eccles. 21. Ecclef. 21. dicit Sapiens. *Non est sensus, vbi est amaritudo.* Quod evidenter patet in peccato invidiæ. Vnde tractabo quid sit Invidia, & quatenus huic præcepto adversetur.

1. Invidia autem sic describitur à Doctoribus Scholasticis; quòd sit *tristitia quadam de bono alieno, æstimato vt malo proprio, quatenus per comparationem quandam obscurat, & imminuit proprij boni excellentiam seu gloriam.* Ex qua definitione hoc nota, quòd non omnis tristitia sit invidia. Vt hoc melius intelligatur, adverte hominem tristari posse de bono alterius, quatenus timet sibi allaturum iniustè perniciem, vt si quis tristetur ob auctam potentiam, & opes inimici, quem ideo timeat plùs nociturum, aut sibi, aut alijs bonis. Hæc enim D.Thom. tristitia licita est, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 36. art. 2. citans Gregorium l. 22. Moral. cap. 11. dicentem *Evenire plerumq; solet vt non amissâ charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rursus eius gloria sive invidia culpa contristet, cum & ruente eo quosdam bene erigi credimus, & proficiente illo, plerosque iniustè opprimi formidamus.* Quamvis hęc verba eo loci non repererim.

2. Secundò potest quis tristari non propriè de ipso bono alterius, sed de suo potius defectu, idque potest aliquando esse laudabile, vt si doleas te non habere bona spiritualia maioris Fidei, Spei & Charitatis, ac devotionis, qualia vides in proximo: Nam ad illa hortatur Paulus 1. Cor. 14. Chorint. 14. cap. 1. Epistol. dicens: *æmulamini spiritualia.* Et alibi: *Aemulamini igitur charismata meliora.*

Talis etiam laudabilis esse potest, etiamsi sit circa aliquid bonum spirituale, modo sit in ordine ad bonum, exempli gratiâ. Si vides in proximo liberalem eleemosynarum elargitionem, fundare hospitalia, domos pauperum, & generaliter in opera misericordiæ expendi pecunias, & tristeris te similibus medijs non abundare, cum animum habes & ambis etiam in vsus pauperum ea expendere. Sic posset fieri, vt etiam quis doleret licitè emptores vicini similes merces vendentis officinam frequentare, & non suam: si doleret præcisè, quia illi suam officinam non æquè frequentarēt, vt alienam; præsertim cum magnis angustijs, & rerum necessariarum penuriâ premeretur. Eiusmodi tamen affectus communiter est valde periculosus, quia ita dolentes nisi valde sibi caveant, communiter excitantur, aut vt malis artibus, verbi causa detractionibus aut simili ratione conentur emptores ab alijs ad se avertere; aut etiam vt absolutè doleant eos frequentare, etiam eo casu, quo ideo non essent frequentaturi ipsorum officinam, vt scilicet hac ratione haberent socium in calamitate; qui affectus est vera invidia.

3. Est tertia tristitia, qua quis dolet officium indignis conferri, eò quòd multis peccatis se implicabūt, & bono publico sint nocivi. quæ etiam licita est, si intra limites sese contineat.

4. Est & quarta tristitia, qua quis dolet, quòd mali abundent fortunę bonis, & ideo movetur ad pietatem deserendam, & gressus iniquorum hominum imitandos. De qua David in persona iustorum Ps. 72. *Mei* Psal. 72.

penè

penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Quæ sanè illicita est: Nam, vt ait D. Thomas loco citato, desuper tristandum non est, *quod temporalia bona, quæ secundum doctrinam fidei, indignis proveniunt, ex iusti* DEI *ordinatione disponuntur, vel ad eorum correctionem, vel ad eorum damnationem: & huiusmodi bona quasi nihil sunt in comparatione ad bona futura, quæ servantur bonis.* Vnde Propheta in persona iustorum, vt dixi, fatetur se errare in eo, dum ait: *Si dicebam, narrabo sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.* id est, Si velim prosperitates impiorum in iniustitiam Dei referre, hoc ipso damnavi omnes filios Dei, Abraham, Isaac, Iacob, Moysen & cæteros, qui omnes confitebantur Deum habere providentiam rerum humanarum, & iusto iudicio peccatoribus interdum dare prosperitates, & iustis afflictiones: itaque remittam me ad extremum Dei iudicium. Et Psalm. 36. proinde strenuè monet iustos ne æmulentur in malignantibus, neque zelaverint facientes iniquitatem: *Quoniam*, inquit, *qui malignantur exterminabuntur, sustinentes autem* DOMINUM, *ipsi hæreditabunt terram.*

D. Thomas. Ps. 36.

5. Sed omnes hæ tristitiæ per se rationem invidiæ non attingunt. Nam illa est, vt initio posui, tristitia de bono alterius, tanquam malo proprio, quia diminuit propriam excellentiam, teste Basilio hom. 11. vbi sic ait: *Est inuidia, dolor de proximi prosperitate, ac rerum successu conceptus. Quapropter animo inuido nunquam tristitia, nunquam mæstitia deest. Abundat proximi ager, domus bonis omnibus repletur, ex voto denique eueniunt omnia, in rosa & viola viuenti. Cuncta hæc tristitiæ dolorisque occasionem inuido præbent. Ex quo nihil ab homine nudo, qui omnium iaculis petitur, differre videtur.* Similiter loquitur Gregorius Nyssenus de vitâ Moysis, sic aiens: *Inuidia mortifer stimulus, mucro reconditus, naturæ morbus, bilis venenosa, tabes sponte adhibita, telum amarum, figens animam clavus, flamma cordis, intestinorum ignis; hanc qui habet, non suis malis, sed alienis bonis infelix est, & contrà non suo bono, sed malis proximi felix est: invidus enim felicitate aliorum dolet, calamitatibus gaudet. Miluos cadaueribus pasci, & pretiosis vnguentis emori aiunt: Videtur enim natura sua ad putridum ac purulentum esse affinis: quando vero huic morbo subiectus est aliquis, amicorum commodis, quasi vnguento tabescit: & si quid calamitosum incidisse proximo intellexerit, ilicò advolat, posito invadit adunco, quo si qua latent, distrahit, atque dissipat, & in medium proponit omnibus.*

Basilius. Nyssenus.

Si libet particularius intelligere, tunc est invidere, quando quis tristatur, quòd proximus ad meliorem fortunam aut officium pervenerit, eo quod idcirco inferior ipso futurus sit; aut si gaudeat de ruina inimici, eo quod iam illi par erit, aut doleat quempiam divitias nactum esse, eo quod iustè illum compescet, qui iniustè rem ipsius detinuit, præcisè quòd aliàs non erat potens illum viâ iuris ad restitutionem compellere; quod est gravissimum peccatum.

6. Hoc vitium itaque si sit in re notabili, primò est peccatum mortale, iuxta D. Paulum ad Rom. 1. vbi inter peccata, quæ non conveniunt homini sensato, sed potius reprobato recenset invidiam, & dicit ex pœnâ peccati, hoc malo quempiam cōtaminatum iri, cum declarat eos, qui Deum cognoverunt, & non sicut oportuit glorificaverunt, traditos in reprobum sensum, vt facerent ea, quæ non conveniunt, repletos esse omni iniquitate &c. plenos invidiâ, homicidio, &c. Et ad Galat. 5. inter opera carnis, seu ea quæ excludunt à regno Dei, numerat invidiam. Quo vitio Cyprianus proinde dicit nihil esse perniciosius animæ, nihilque magis Christiano cavendum: *Quod si quis*, inquit, *penitus inspiciat, inveniet nihil magis Christiano cavendum, nihil cautius providendum, quam ne quis inuidia & liuore capiatur; ne quis fallentis inimici cæcis laqueis implicatus, dum zelo frater in fratris odia conuertitur, gladio suo nescius ipse perimatur: quod vt colligere plenius & manifestius perspicere possi-*

Rom. 1. Galat. 5. Cyprianus serm. de zelo & livore.

possimus, ad caput eius, atque originem recurramus. Videamus vnde zelus, & quando, & quo modo cœperit, faciliùs enim à nobis malum tam perniciosum vitabitur, si eiusdem mali & origo & magnitudo noscatur. Hinc diabolus inter initia statim mundi & perijt primus, & perdidit. Ille dudum Angelicâ maiestate subnixus, ille Deo acceptus & charus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in Zelum malevolo livore prorupit; non prius alterum deijciens instinctu zeli, quàm ipse zelo ante deiectus; captivus antequam capiens; perditus, antequam perdens; dum stimulante livore homini gratiam datæ immortalitatis eripit, qui ipse quoque id, quod prius fuerat, amisit. Quale malum est, fratres dilectissimi, quo Angelus cecidit, quo circumveniri, & subverti alta illa & præclara sublimitas potuit, quo deceptus est ipse qui decipit? Exinde invidia grassatur in terris, dum livore periturus, magistro perditionis obsequitur, dum diabolum, qui zelat, imitatur. sicut scriptum est. Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum. Sap. 2.

Chrysost. Similiter Chrysostomus hom. 45. ad populum: *Omnium vitiorũ*, inquit, *hoc est perniciosissimum, & ipsam salutem nostram super omnia vastat: improbi namque diaboli est inventum. Et propterea Sapiẽs dicebat: Invidiâ diaboli introivit mors in orbem terrarum*, Sapient. 2. *Hinc*, ait Cyprian. Cyprianus loco citato, *nova fraternitatis primò odia, hinc parricidia nefanda* Genes. 4. *cœperunt, dum Abel iustum Cain zelat iniustus. dum bonum malus invidiâ & livore persequitur. Tantum valuit ad consummationem facinoris æmulationis furor, vt nec charitas fratris, nec sceleris immanitas, nec timor Dei, nec pœna delicti cogitaretur. Iniustè oppressus est, qui iustitiam* Genes. 27. *primus ostenderat: odia perpessus est, qui odisse noverat: occisus est impiè, qui moriens non repugnabat. Et quod Esau fratri suo Iacob inimicus extitit, zelus fuit. Nam quia ille benedictionem patris acceperat, hic in odium persecutionis facibus livoris exarsit. Et quod Ioseph fratres sui vendiderunt, causa vendendi de æmulatione descendit; postquam id quod sibi in visionibus prosperum fuerat ostensum, simpliciter vt fratribus frater exposuit, in invidiam malevolus animus erupit.* Vbi plura vide.

Addere potuisset exemplum Core Numer. 16. quod Deum propterea ad horribilem plagam inferendã coëgit. Num. 16. Dum enim ille insurgeret in Moysen, non tam eius principatum ambiens, quàm Araonis sacerdotio invidens; quasi illud iniquè à se, vtpote primogenito (primogenitis enim in lege naturæ competebat sacerdotium) ablatum esset, etiam in solum Araonem à Moyse fratre translatum, eo quod Core primogenitus erat Isaar, vt patet Exod. Exod. 21. 21. & consobrinus Araonis; invidit eum sibi præferri, eumque electum esse in Sacerdotem, se vero esse Levitam. Moyses eum ambitus sacerdotij arguit: & Deus ipsum Core, Dathan, & Abyron eius partibus assentientes, voluit vivos à terrâ absorberi, & devorari cum tabernaculis suis, & vniversâ substãtiâ eorum, & descendere vivos in infernum opertos humo, quemadmodum habetur Numer. 16. Num. 16.

7. Secundò licet Deus plagam nõ immittat, hoc tamen peccatũ nocivum est corpori, nam vt ait Sapiens Prov. 15. *Vita carnium sanitas cordis, putredo ossium invidia.* Prov. 15. Hinc Chrysostomus hom. 31. in 1. ad Corinth. Chrysost. *Non ita vestem, non ita lignum insidens vermis, insidens tinea rodit, consumitque, vt illa invidiæ ardentissima febris ossa haurit, ipsiusque mentis sobrietatem depopulatur.* Et hom. 27. in eandem: *Melius esset habere serpentem in visceribus sese volutantem, quàm livorem intus depascentem. Nam illum sæpe pharmacorum vsu evomi contingit, & alimento mitigari: livor autem non volvitur in visceribus, sed in animæ sinu versatur, affectioque est difficilè curabilis. Et serpens quidem, cum intus sit, apposito alimento, humana corpora non contingit: livor autem licet plurimum illi edulia proponas; illam devorat animam, vndequaque mordens, disrumpens, distrahens, nec invenire potes vllam medicinam, per quam à suo furore liberetur.*

Similiter loquitur Antiochus Antioch. Monachus homil. 55. tomo secundo biblio-

bibliothecæ Patrum: *Inuidia*, inquit, *vehemens atque atrox malum ac omnibus modis crudele est. Qui enim cuipiam inuidet, animi angore discruciatur, contabescit miserè, eliquatur totus. Inuidia enim quasi vermis in ligno, & in vestimento tinea; ita cor denique & faciem eius conficit ac macerat hebeti pallore, qui semel in ipsius manus incidit.* Clarius vero D. Cyprianus: *Qualis vero est animæ tinea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo; Zelare in altero vel virtutem eius, vel felicitatem, id est, odisse in eo vel merita propria, vel beneficia diuina; in malum proprium bona aliena conuertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam, velut quosdam pectori suo admouere carnifices, cogitationibus & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta maliuolentiæ vngulis pulsent: non cibus talibus lætus, non potus potest esse iucundus, suspiratur semper & ingemiscitur & doletur: dumque ab inuidis nunquam liuor exponitur, diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur. Mala cætera habent terminum; & quodcumque delinquitur, delicti consummatione finitur. In adultero cessat facinus perpetrato stupro; in latrone conquiescit scelus, homicidio admisso; & prædoni rapacitatem statuit præda possessa; & falsario modum ponit impleta fallacia: zelus terminum non habet, permanens iugiter malum & sine fine pecatũ, quãtoque ille, cui inuidetur, successu meliore profecerit, tanto inuidus in maius incendium liuoris ignibus inardescit. Hinc vultus minax, toruus aspectus, pallor in facie, in labijs tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrenata conuicia, manus ad cædis violentiam prompta, etiam si à gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis armata.* Cyprian.

8. Tertiò, nocivum est fortunę bonis, quod testatur Sapiens Proverb. 17. dicens: *Qui ruinâ lætatur alterius, non erit impunitus.* Et 24. cap. *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum: ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.* id est, Ne Dominus iram, qua illum punire decreverat, transferat in te, & illum exaltet, te humiliet. Quod contigit Aman, qui Mardochæum patibulo affixum desiderabat, in foveam cecidit, quam fecerat, vt patet Esther 7. cap. Vel rursum idem est, ac si dicat: Ne gaudeas in alieno malo, ne illo punito, te etiam Dominus puniat. Nam *auferre* non significat semper in alium transferre, sed subinde, similem infligere, vt patet Numer. 11. vbi Dominus iubens Moysi congregare septuaginta viros de senibus Israël, qui ipsum subleuarent in populi regimine, in verbis: *Congrega mihi &c. & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi.* Eo enim loci non dicit Dominus, quod partem spiritus Moysi diminuet, & auferet, & in septuaginta illos transferet: hoc enim impossibile est, maxime in accidentibus & actibus vitalibus: illi enim à subiecto vno in aliud, puta ab anima vna in aliam, transferri nequeunt; illudque Moysi foret incommodum. Facilius enim mille magno, quam centum parvo & exili spiritu reguntur: sed *auferam*, id est, accipiam & noviter producam aliquid de spiritu, qui est in te; aliquid, inquam, non idem numero, sed specie; hoc est, aliquid spiritui tuo simile producam, & dabo illis septuaginta senioribus; ita tamen vt tuus spiritus tibi integer maneat: quia æquè vt prius, totius populi cura tibi deinceps incumbet, etiamsi hos tibi dem adiutores. Sic accipitur, & aufertur lux à lucerna, cum candela in eâ accenditur. Lux enim candelæ in lucerna accensæ, nil de lucernæ luce diminuit, sed potius eam adauget, & propagat. Nam spiritus in Mose erat quasi in lucerna, fonte, capite & exemplari, indeque quasi in alios septuaginta derivatus est. Sic spiritus Eliæ requievit super Helisæum, 4. Regum 2. 15. id est datus est Heliſço spiritus Dei, qui per eum talia operaretur, qualia per Eliam operabatur. Sic Ezechiel 35. cap. minatur excidium Esther. 7. Num. 11. 4. Reg. 2. Ezech. 35.

Idumæis, inter alia ob id quòd exultaverint in excidio Hierosolymæ: vnde ibidem legitur dictum à Propheta, *Hæc dicit Dominus Deus: lætãte vniversâ terrâ in solitudinem te redigam. Sicuti gavisus es super hæreditatem domus Israël, eò quòd fuerit dissipata, sic faciam tibi: dissipatus erit mons Seir, & Idumæa omnis: & scient quia ego Dominus.* id est: Redigam te in vastam solitudinem cum populorum omnium vniversali gaudio. Hæc vero faciam æquissimo iudicio, vt paria paribus ex adverso respondeant. Vt enim tu cum sternerētur Iudæorum vires, & civitas omniũ ornatissima æquaretur solo, gestiebas præ gaudio: sic etiam efficiam vt tu quoque exultãtibus alijs dissiperis, & pereas. Dissipabitur ergo mons Seir, & vniversa vastabitur Idumæa; & tunc me Dominum esse cognoscetis. Hinc etiam Sapiens cap. 28. Proverb. *Vir qui festinat ditari & alijs invidet, ignorat quod egestas superveniet ei.* Prov. 28.

Contra docet dictus Antiochus per exẽpla Scripturæ illos erigi quibus invidetur. *Contrà*, inquit, *is cui invidetur in hominũ prospectu miris modis promovetur ac proficit à Domino protectus. Exemplo est beatus ille Ioseph: Quò enim faces fraternæ invidiæ in illum exarserant acriùs; hoc ille sublimiùs à Deo provehebatur, quousque tandem ad regni gubernacula promotus est. Sic & Saul æstro extimulatus invidiæ, admirabilem illum David persequebatur, sicut scriptum est: Exierũt, quæ cum tripudio agebant triumphalem choream puellæ, ac dicebant: Saul percussit in millibus suis, & David in decem millibus suis. Dicto ocius parens ille invidiæ, omnis in Saulis corde sibi delegit vitæ domicilium; eique insusurravit, vt diceret: David dederunt decem millia, mihi autem mille? Et quidem domus David, cui sic invidebatur quotidianâ accessione crescebat, & confortabatur: ipse per hæc ad lyram melicum cantillabat carmen: Posuerunt adversum me mala pro bonis, & odiũ pro dilectione mea. Iterum: Maledicent illi, & tu benedices. Ego autem non proponebam ante oculos meos rem iniustam. Sed & Propheta Abacuc: Purus est oculus tuus, ne videat mala & aspiciat super labores doloris.* 1. Reg. 18. Ps. 108.

9. Verùm quæres; Quomodo invidia huic præcepto adversetur?

Respondeo, quatenus ex ea contingit homicidia nasci. Appositè in hanc rem præfatus Antiochus, sic Antiochus inquiens: *Invidia quam vehemens sit animi affectio, verius diabolica intemperies, vixque vllam admittens medelam; quis referat? Ab ipso enim diabolo vix dum traxerat originem; & ecce è vestigio in fratricidam Cainum transilivit, atque ordine deinceps prono cursu in Dominicidas Iudæos devoluta est.* Quo forsan respexit D. Paulus, quando declarat, ad Rom. Rom. 1. 1. traditos in reprobum sensum, repletos esse omni iniquitate, plenos invidiâ, homicidio, &c. quasi innueret post invidiam ordinariè sequi homicidium.

Audi desuper D. Basilium hom. Basilius. 11. de invidiâ disserentem. *Quid*, inquit, *hoc morbo perniciosiùs? Interitus vitæ, pestis naturæ, adversa omnibus bonis ex Deo venientibus, demum ipsi Deo contraria. Quid enim principem malorum Dæmonem ad bellum adversus hominem internecivum impulit? Nonne invidia? per quam & Deo adversari palam deprehensus est. Dolens enim ob præclara dona homini concessa, quando Deo nocere non valuit, ipsum insidijs petit hominem. Eadem & Cain visus est admittere primus diaboli discipulus, invidiam & cædem ab eo edoctus: quas & Paulus simul iungens, inquit: Plenos invidia, cæde, &c. Quid igitur ille admisit? Vidit ex Deo honorem fraternum & exarsit in invidiam, atque eum qui honoratus erat à Deo, occidit, vt irritaret Deum, qui illum honoraverat. Cum enim impar esset ad debellandum Deum in cædem incidit fraternam.*

Examinemus historiam quam attingit, illa est de Caino & Abel Gen. 4. Genes. 4. Sacrificia offerentibus, & Deo munera Abelis aspiciente, idque ob bonum animum & intentionem ipsius Abelis, sacrificia enim vetera non placebant Deo ex opere operato, vti placet sacrificium legis novæ, sed tantum ex opere operantis. Declaravit hoc Deus igne de cœlo misso in sacrificium Abelis, qui consumpsit illud: Caini verò intactum reli-

Hieron. Procop. Cyrill. reliquit, vti tradunt S. Hieronymus Procop.& Cyrillus in cap.4. Genes. vnde & Theodotion vertit ἐνεπύρισεν, inflammavit Dominus super Abel, & sacrificium eius super Cain non. Hoc enim eodem ignis & conflagrationis victimæ signo solet probare Deus,& acceptare sacrificia, vt Iud.6. Gedeonis Iud. c.6.v.21. Aaronis Levit. 4.v.24. Eliæ 8. Reg. 18. vers 38. Levit.4. Davidis 1. Paral.21.vers. 26. Salomonis 2.Paralip 7.v.1.Nehemiæ.2.Machab. 1.v.32.

Id displicuit Caino, qui videns fratrem prælatum forsitan veritus fuit iacturam primogenituræ, & ideò molitus fuit animo cædem ipsius. Verum patet ex S.Ioan. quod occiderit, *Quia opera eius maligna erant, fratris autem iusta*, id est, quia pravitas morum, quæ minus grata effecit, quæ offerebat Deo, orta est fraterna invidia, cum etiam ob dissimiles mores, & quia Deus Abelem sibi carum declaraverat dicto signo edito super eius sacrificia, tum etiam si benè coniectat Catharinus quia homicidij Catharin. huius instigator diabolus verebatur ne quia sanctus & Deo percharus erat Abel, ipse illud semen mulieris esset, & ex eo progigneretur, à quo serpentis caput contritum iri à Deo prædictum erat.

Exaggerat huiusmodi & similia facinora D. Chrysost. homilia 53. Chrysost. ad populum loquens de invidente spiritualia bona in proximo, interrogatione admirantis, dicens: *Cui talem aliquis animam cōparauerit? cui viperæ? cui aspidi? cui vermi? cui scarabæ? nihil eiusmodi scelestiùs anima, peius nihil: hoc enim Ecclesias subvertit, hoc hæreses peperit, fraternam manum armavit, & fecit vt dextera pio tingeretur cruore, & naturæ leges abstulit, & mortiferos aperuit, & in opus illam deduxit maledictionem, & neque partuum, neque parentum, nec vllius alterius illum permisit miserum reminisci.* Et paulo ante rationem reddit, cur in alijs optimus hoc vitio laborans sit latrone iniquior, *Licet*, inquit, *hostis esset & inimicus, si tamen per Deum glorificaretur, amicum fieri propter hoc oporteret: tu verò amicum facis inimicum, quoniam propter illius prosperitatem Deus glorificatur. Si quis corpus tuum malè se habens curauerit, licet sit inimicus ipsum iam de primis amicorum esse censebis: Christi verò corpus ornantem, id est, Ecclesiam, & amicum ducis inimicum, & quomodo contra Christum pugnam aliter præ te tulisses? Propterea sive quis signa faciat, siue virginitatem, siue ieiunium, siue humistratum excolat, siue ipsos Angelos virtute præueniat, omnium erit sceleratissimus hunc habens defectum, & adultero, latrone, ac fure iniquior. Et ne quis sermonis excessum redarguat illud à vobis libenter interrogaverim: Si quis ignem sumens & fossorium, hanc destruxisset domum & incendisset & hoc suffodisset altare nonne quilibet eum lapidibus obrueret, tanquam prophanum & impium? qui igitur voraciorem hoc igne flammam inferat, invidiam dico, non lapidum ædificia destruentem nec aureum suffodientem altare: sed quod parietibus & altari multò pretiosius est, dictorum ædificationem subvertentem & corrumpentem quali veniâ dignus esset?*

10. Hinc rectè D. Basilius loco citato vocat invidiam *pugnæ in Deum magistram, & homicidij matrem*, vti & Basilius. divus Chrysostomus homilia 44. Chrysost. ad populum, addens mala quæ indè oriuntur his verbis: *Hinc vrbes obsidentur, & mare piratas habet: hinc per orbem cædes, hinc genus nostrum dissipatum est. Quodcumque malum videris ex hac radice producitur, iam etiam in Ecclesias debacchata est, & prius innumera perpetravit mala.*

Id perspicuè deprehenditur in exemplis citatis, & Esau qui fratrem Iacob, quia benedictionem paternam præoccupaverat, insectari nunquam destitit, vt patet Genes. 27. cap. vbi habetur: *Oderat ergo semper Esau Iacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater: dixitque in corde suo: venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum*, adeo vt Rebecca mater eius cogeretur illum ablegare ad Laban avunculum suum, donec requiesceret furor fratris sui. Genes.27.

Idem patet in Iosepho Genes. 37. Genes.37. cap. quem fratres eius, eo quod

 à patre

à patre præ cūctis filijs amaretur, oderant, nec poterant ei quidquā pacificè loqui, & audito somnio, quòd parentibus & fratribus aliquando præponeretur, invidebant ei, ita vt non solùm cogitarent eum occidere, sed mutuo loquerentur: *Ecce somniator venit; venite, & occidamus eum, & mittamus eum in cisternam veterem, dicemusque: fera pessima devoravit illum; & tunc apparebit, quid illi profuerint somnia sua.*

1. Reg. 18. Quid dicam de Davide, quem populus ob victoriam quam contra Gigantem obtinuerat 1. Reg. 18. in magno amore & pretio habuit, ita vt illi magis faverent, quam regi Saüli, adeo vt puellæ psaltriç Davidi cantarent triumphale carmen:

Percussit Saul mille, & David decem millia.

Sicque illius efferrēt militarem gloriam, vt Saulis deprimerent. Vnde contigit ex eo die regem mortale in Davidem concepisse odium, ita vt statueret eum esse tollendum, ne sui nominis splendori, quod verebatur officeret.

11. Porrò libet eius malitiam planius explicare, vt virus invidiæ melius dignoscas, & quantopere ad cædem disponat. Primò enim ex illa causa voluit illum lanceâ configere 1. Reg. 18. Secundò per filiam coniugē emendam cētum Philisthinis, cogitabat eum neci exponere, quēadmodum Sampson per Dalilam deceptus fuit, quod expresè insinuat textus dicti capitis, his verbis. *Dixit Saül, dabo eam illi, vt fiat ei in scandalum, & sit super eum manus Philisthinorum.*

Tertiò mandat expresè servis Davidem è medio tollere, iam non clam, sed palam suam mentem in-
1. Reg. 19. sinuans. 1. Reg. 19. c. Et Ionatha causam Davidis agente iureiurando promittit quod non occidetur. Verum contempto religioso iuramento nititur lanceâ eum confodere; quin etiam mittit satellites in domum David, vt custodirent eum, & mane interficerent, sed salvatus est per vxorem Michol, iuxta eiusconsilium fugiendo; eadēque *Michol tulit statuam & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimentis. Misit autem Saül apparitores qui raperent David: & responsum est, quod ægrotaret; rursumque misit Saül nuntios vt viderent David, dicens: Afferte eum ad me in lecto vt occidatur. Cumque venissent nuntij, inventum est simulachrum super lectum, & pelles caprarum ad caput eius.* Idque fecit vt hac ratione patrem à prava mente diverteret. Et postea magis furorem in Davidem exacuit, ita vt filium Ionatham Davidis causam suscipientem lācea transverberare voluerit, vt videre est cap. 20. 1. Reg. 1. Reg. 20.
Quin etiam eos, qui quacumque ratione Davidi patrocinabantur ad necem conquisivit, vt patet cap. 22. 1. Reg. 22.
ibid. vbi Abimelechum sacerdotem, quia panem in necessitate concesserat Davidi & insuper gladium, cum alijs octoginta quatuor viris vestitis Ephod lineo trucidavit, & Nobe civitatem sacerdotum percussit in ore gladij, ita vt viros, & mulieres, & parvulos, & lactantes, bovemque & asinum, & ovem interfecerit, vt expresè habetur cap. 22. Postmodum 1. Reg. 23.
intelligens Davidem in Ceila vrbe muris & portis munita degere, intēdit illum ibidem concludere, sed David consulto Domino intellexit periculum, & aufugit ad loca deserta firmissima, quod idem Saül intelligens ita illum cinxit, vt nulla spes videretur salutis, sed Philisthinis terram ipsam invadētibus cogitur Davidem relinquere, & suas partes defendere. Verùm postea nihilominus crudelior Davidem iterum persequitur, quem David in certam speluncam venientem, vt naturam exoneraret, potuisset è medio tollere, sed oram chlamydis tātum abscidit, & tutiori loco existens ostēdit Saüli in quo periculo versatus fuisset, quā ob causam reconciliationis verba illi locutus est, dicens: *Nunquid vox hæc tua est fili mi David? & levavit Saül vocem suam, & flevit, dixitque ad David: iustior es tu, quam ego: tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. Et tu indi-*

indicasti hodie quæ feceras bona: quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam. & non occideris me. Quis enim cum invenerit inimicum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc pro eo, quod hodie operatus es in me. Et nunc quia scio quod certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israël: iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei. Et iuravit David Saüli. Abiit ergo Saül in domum suam: & David, & viri eius ascenderunt ad tutiora.

12. Sed verum in ipso deprehenditur, quod dixit Salomon Sap. 6. c. *Neque cum invidia tabescente iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ.* Nam non obstante priori reconciliatione Davidem à Ziphæis proditum tribus millibus hominum persequitur, sed David cum vno Abisai solo descendit in castra Saül, & invenit ipsum dormientem in tentorio, & hastam fixam in terra ad caput eius, vnde petiit Abisai licentiã illum occidendi, sed noluit David, iubens tãtum, vt scyphum & hastam secum tolleret. Quibus intellectis, Saül his verbis alloquitur: *Nunquid hæc vox tua fili mi David? & ait David: vox mea mi Domine rex. Et ait: quam ob causam Dominus meus persequitur servum suum? quid feci? aut quod est malum in manu mea? Nunc ergo audi oro Domine mi rex verba servi tui: Si Dominus incitat te adversum me, odoretur sacrificium: si autem filij hominum, maledicti sunt in conspectu Domini, qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes, vade servi Diis alienis. Et nunc non effundatur sanguis meus in terram corã Domino: quia egressus est Rex Israël, vt quærat pulicem vnum, sicut persequitur perdix in montibus. Et ait Saul: peccavi, revertere fili David; nequaquam enim vltra tibi male faciam eò quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quod stultè egerim, & ignoraverim multa nimis.*

Sap. 6.

Sed David illi non confidens coactus fuit se salvare in terra Philisthinorum, à quibus Saül aliquando superatus sibi necem intulit, ne manu incircumcisorum periret. Hic finis fuit invidiæ. Ex quibus implacabilem animum, & sine ratione insanientem ad oculum dignoscis. Divus Chrysost. id clare ostendit ex eo quod David nihil molitus fuerit cõtra Saülem, & quod omnia præmia ei debebantur. *Quæso,* inquit homil. de Davide & Saüle, *num hoc parũ videtur nulla necessitate compulsum suam ipsius vitam prodere, & in eorum vtilitatem à quibus nihil vnquam acceperat beneficij, in medios hostes irruere. An non par erat hunc post tale facinus ornari titulo Domini columnis inscripto, & publicũ civitatis servatorem appellari? qui & regni decus, & civitatis fundamenta, & omnium vitam opitulante* Dei *gratiã servarit? quod esse poterat aliud beneficium hoc maius? neque in gloriam aut potentiam, sed in ipsam ipsius vitam beneficium hoc contulit, & ab ipsis mortis portis revocavit.* Et paulò post: *Si quis perpendat præclarè gestorum magnitudinem, etiamsi rex à suo capite detractam coronam Davidis capiti imposuisset, nunquam parem retulisset gratiam: sed ampliorem debuisset. Hic enim & vitam & regnum donavit illi, ille vero huic regnum tantum erat cessurus.* Chrysost.

Idem videre licet in Caino, qui quibusvis non obstantibus furorem continuavit, de quo Chrysost. dicta homilia 53. dum ita furiavit (supple invidia) *& in tantum egit furorem, vt & Deo se commonente atque dicente: Sub te erit appetitus, & tu dominaberis illi: nec ita acquiesceret, licet & à crimine eum absolverit, & subdiderit fratrem: attamen tam insanabilis est iste morbus, vt & innumeris medicaminibus superpositis propriam scaturiat tabem.* Chrysost.

Idem videre liquet in Iudæis ergã Christum; de quorum invidia sic Basilius: *Sed ad magnam illam invidiam in rebus maximis versantem transeamus, quam Iudæi per insaniam adversus servatorem nostrum, ostenderunt. Quamobrem tãtis est petitus insidiis? Ob magna eius prodigia. Quænam hæc erant? Salus supplicum ac miserorum: pascebantur esurientes, & qui pascebat oppugnabatur. Reviviscebãt mortui, & auctor vitæ invidiam sustinebat. Dæmones fugabantur, & qui eis imperabat insidiis petebatur. Leprosi curaban-* Basilius.

tur, claudi ambulabant, surdi audiebant, cæci videbant: & is qui hæc beneficia conferebat fugabatur: Et demum vitæ munus tribuentem supplicio affecerunt, liberatorem hominum flagellis ceciderunt, mundi iudicem condemnavere. Sic itaque invidiæ, mala vsque ad omnes penetraverunt, quibus solis armis eversor vitæ nostræ diabolus à mundi exordio vsque ad sæculi consummationem omnes homines ferire, ac ad interitum deducere contendit.

Chrysost. 13. Hinc Chrysostomus hom. 54. in Ioannem: *Fera venenosa est invidia, fera & immunda, & morbus voluntatis, omni venia & excusatione indigna, omnium malorum mater & auctor.* Idem hom. 44. ad populum: *Omni venia caret istud peccatum. Nam fornicator quidem concupiscentiam prætendere potest, fur paupertatem, homicida furorem, frigidas quidem & irrationabiles, habent tamen quas prætendant excusationes. Tu vero quam dices causam, rogo? Nullam penitus, nisi tantum intensam nequitiam. Si enim inimicos diligere iubemur, cum & diligentes oderimus, quam pœnam luemus? Nam si diligens diligentes nihilo gentibus melius affectus est: nihil iniuriæ operatos infestans, quam habebit veniam? quam excusationem? Audi quid Paulus dicat: Si tradidero corpus meum vt ardeã: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Quod autem vbi livor & invidia, charitatis opera sublata sint, cuique patet.* Et paulò post: *Sive miserearis, sive vigiles, omnium es sceleratissimus, cum invideas fratri, & hoc illinc est manifestum. Quidam olim apud Corinthios fornicatus est, sed accusatus fuit, & brevi correctus. Abelis Cain invidit, sed sanatus non est: quin & Deo statim ipsius vlceri curam afferente, magis intumescebat, & fluctuabatur, & ad cædem properabat. Ita hoc vitium illo peius est, nec medicina, quamcumque adhibuerimus, facilè cedit. Funditus igitur eam evellamus, illud pensantes, quod quemadmodum offendimus Deum alienis tabescentes bonis, ita placemus gratulantes, & nosmetipsos participes facimus bonorum bene merenti repositorum. Et propterea Paulus dicit: Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus; vtrimque magnum lucremur emolumentum. Cogitantes itaque quod licet non laboremus, si laboranti collætemur, illius coronarum efficimur participes: omnem eijciamus invidiam, & in animabus nostris charitatem plantemus.*

Porro quia invidia, quæ ex odio nascitur, irà gravior est, & quanto occultius malum, in tantum aperto atrociùs est, propterea multo magis à Christianis alienũ esse debet. Apposita similitudine, quam adducit Gregor. Nyssenus lib. de beatitudinibus id fiet clariùs: Nyssenus. *Etenim ex canibus*, inquit, *eos magis cavemus, quorum neque latratus iram præsignificat: neque ex adverso incursus est, sed miti pariter ac mãsueto habitu nõ prævidentes, neque circumspicientes nos observant: tale est invidiæ atque simulationis vitium in ijs, quibus intrinsecus quidem in profundo cordis odium veluti ignis quidam latenter fumigat, externus verò vultus ad amicitiæ simulationem effingitur. Quemadmodum autem ignis, si sub paleis occultatus sit initio quidem proxima quaque cremãdo corrumpit, flamma verò palam non editur, sed fumus quidem gravis ac acris odoris intrinsecus violenter coarctatus evolvitur: quod si aliquem flatum permeãtem nactus fuerit, tunc in claram pariter & apertam flammam excitatur: itidem invidia quoque cor quidem veluti palearum quemdam acervum condensatum ignis in modum peredit & absumit: ac morbum quidem præ pudore occultat, non tamen penitus in perpetuum abscondi potest: sed veluti fumus quidam gravis & acerbus, acerbitas invidiæ in ijs, quæ circa habitum accidunt apparet.*

Discursus XIV.

An alium è medio tollens aut mutilans teneatur aliquando ad satisfactionem parti læsæ.



EGi hactenus de homicidio, & de vitijs, quæ illi viam sternunt, odio, irâ, & invidiâ. Iam restat inquirere quod in argumento ponitur.

1. Homicidium contra rectam rationem peccatum esse gravissimum satis superque liquet, tum ex verbis huius præcepti: *Non occides*, tum ex pœnis in homicidas constitutis; tum etiam ex eo, quòd vindictam exposcat atrocem à Deo, iuxta illud Genes. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Quia verò peccatum hoc est contra iustitiam, adeoquè ad restitutionem obligãs operæ pretiũ erit examinare, quinam ad illam obligentur. Potest enim aliquis occidi auctoritate Iudicis, vel etiam privatâ, vel defensionis causâ cum moderamine inculpatæ tutelę, vel in duello, vel casualitèr. Genes. 4.

2. His positis, dico primò Iudicem teneri ad restitutionem vitæ & aliorum damnorum occisi hæredibus, quotiescumque præter iuris ordinem, vel extorsit crimen dolo, metu, tormentis, & sic aliquem subiecit extremo supplicio, vel defecit in alijs substantialibus iudicij, puta quia non erat iudex competens; vel non habebat potestatem inquirendi, vel non servavit formam inquisitionis, & sic aliquem morte condemnavit. Vide dicta Discursu 3. in hoc Præceptum n. 1. 2. 3. Ratio est, quòd ex iustitiâ obligabatur suas partes debitè explere. Ita enim Iosaphat Reg. 2. Paralip. 19. præcepit iudicibus sedulò attendere ad iudicium quod exercerẽt, dicens: *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: & quodcumque iudicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentiâ cuncta facite: non est enim apud Deum nostrum iniquitas.* Quibus verbis edixit, vt vnum in omnibus Deum intuerentur, cuius in eo munere præstando personam sustinerent, & si contrà facerent, non solum apud Deum culpam contraherent, sed etiam ad damnorum restitutionem obligarẽtur. Illam enim Deus in omni peccato iniustitiæ requirit, vt patet Ezechiel. 33. in verbis: *Si dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque iudicium & iustitiam, & pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam iniustum, vitâ vivet, & non morietur.* Illis enim verbis insinuat Propheta æque divino præcepto necessariam esse restitutionem ad salutem, & ad vitam spiritalem animę, atque ex divino præcepto necessarium est pœnitentiam agere, & in mandatis vitæ ambulare, & nihil iniustum facere. Matth. etiam 22. omnibus ex divino præcepto reddi oportere quæ sua sunt, & ijs debentur, non secus ac Deo impendendum debitum obsequiũ, clare colligitur ex verbis Domini: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Adhæc Apostolus præcipit Rom. 13. *Reddite omnibus debita &c. nemini quidquam debeatis, nisi vt invicem diligatis.* Vnde non sufficit, quòd quis gladium nomine Dei portet, sed necesse est vt procedat iuxta conditiones loco citato allegatas, si velit conscientiam suam illibatam servare à culpa & restitutione. 2. Par. 19. Ezechiel. 33. Matth. 22. Rom. 13.

Confirmatur ex eo quòd Deus à tyrannis, quibus tanquam instrumento vti solebat ad castigationem Iudæorum, vindictam sumpserit, quod

quod limites vltionis à Deo designatos excederent, vt patet Isa. 10. vbi Dominus dicit per Prophetam: *Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea.* id est, Assyrij flagellum sunt, quo Iudæos castigabo; sed quia ipsi tyrannicè indignationem meam, quam posui in manu eorum, exequentur, nec Deo, sed suæ ambitioni servient, hinc væ illis dico, seu exitium intento. Rursum, væ illis dico, quia limites vltionis à me designatos transgredientur, plusque sævient in Iudæos, quam eis à me concessum, vt clarè patet ex verbis, quæ Propheta subiungit: *Et erit, cum impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion, & in Hierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius.* Vide dicta Discursu 7. n. 7. in 5. Præceptum. Si in hos ita animadvertat Deus, quidni magis in eos, quibus potestas iudicãdi nõ est?

3. Dico secundo: Similiter eum, qui privata auctoritate aliquem occidit, teneri ad restitutionem occisi hæredibus omnium damnorum, quę ex morte occisi sunt secuta: id est, primò ad restitutionem expensorum in curatione vulneris mortuo inflicti, ratione Medicorum, Chirurgorum Pharmacopolarum, aliorumq; sumptuum extraordinariorum, videlicet, impensarum funerum, quatenus excedunt morem suæ patriæ, vt quia mortuus est extra patriam. Rursum, quia occisus erat vtilis suis ob industriam, artem, officium, tenebitur restituere, quantum æstimabitur spes illa vtilitatis & lucri, quod allaturus erat, si non fuisset occisus: detrectatis ijs, quæ ipse consumpsisset pro victu & vestitu, vt v. g. si spes lucri æstimetur quingentis aureis, & quod ipse consumpsisset, ducentis, tunc erunt restituendi trecenti aurei. Nec excusatur ratione damni, quamdiu pars læsa non remittit, etiamsi non instet. Ratio est, quia pars læsa semper habet ius petendi in iudicio, tam punitionem delicti, quam compensationem damni.

4. Sed non inutiliter quæres, An quibusvis hæredibus sit facienda restitutio.

Respondeo negativè. Nam obligatio dumtaxat versatur circa hæredes, qui ita coniuncti sunt, vt reputentur vna persona cum defuncto, quales sunt parentes & filij, & vxor occisi: quia ijs damnum est illatum in re ipsorum. Vnde primò, si occisus est filius, & ei debeat succedere pater, quia is caret prole, restitutio damni temporalis, debet fieri patri; si tamen filius debuisset alere patrem. Secundò, si occisus sit pater, filijs eius facienda est restitutio. Tertiò, si maritus occisus est, erit restitutio facienda vxori regulariter: si tamen hæc nullum damnum accepisset, vel æquè commodè posset alteri nubere, probabile est, ad nihil teneri homicidam, iuxta plurium Doctorum sententiam.

5. Sed dices, Vita hominis liberi, membrorumque integritas & incolumitas alterius generis, altiorisque ordinis sunt, quam vt in commutationem pro pecunia venire, & quasi venalia fieri possint, vt ait Iureconsultus in l. vlt. & l. 1. §. *Sed cum homo.* ff. De his qui effud. &c. dicens: *In homine libero nulla corporis æstimatio fieri potest.*

Respondeo, id verum esse, quantum ad iustitiam commutativam; quia nihil æquivalens vitæ hominis dari potest. Verùm pars læsa, licet non possit petere restitutionẽ damni vitę temporalis, tamen potest exigere compensationem damni temporalis. Et Iudex potest & debet homicidam aut eius hæredes, quando bona sufficientia reliquit, in eam condemnare: imò si cõsuetudo permittat, mulctã pecuniariam exigere. Potest Iudex ex vindicativa iustitia homicidam condemnare ad mulctam pecuniariam hæredibus occisi applicandam: ad quam hæredes homicidæ etiam tenentur, etiamsi ipse occisor extremo supplicio esset affectus, vel princeps pœnam capitis remisisset. Ratio vtriusque est, quod homicida ferens pœnam capitis, satisfaciat

tisfaciat

tisfaciat tantum vindictæ publicæ, non autem damnum patientibus. Quodque Princeps non possit nec debeat pœnam alicui condonare cum damno alterius, nec ei ius iam quæsitum tollere: quamvis compensatio damnorum tunc ferme exigi non soleat.

6. Quæres iterum, quomodo facienda sit æstimatio lucri, quod ab occiso sperabatur. Ratio quęstionis est, quod æstimatio pendeat ex duratione vitę. At incertum est, quanta futura sit duratio vitæ; ergo &c.

Respondeo restituendum esse arbitrio boni viri omnibus circumstantijs consideratis, ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. Ratio est, quia quando non habemus rem definitam lege aliquâ positivâ, debet ea determinari arbitrio boni viri. Ille autem rationem debet habere particularium substantiarum, personę, ętatis, valetudinis, aliorumque omnium, scilicet periculorum, impedimētorum, & occupationum, per quæ lucra ista impediri potuissent. Si enim quis vel naturali, vel aliàs iustâ morte ex Iudicis sententia erat eodem fere tempore moriturus, non tenebitur is qui prævenit, ad restitutionem quamvis iniustè occiderit. Si verò periturus erat, sed iniusta morte, æque tenebitur. Hæc autem óbligatio sic restituendi sese extendit etiam ad illum, qui seipsum defendens notabiliter excedit fines inculpatæ tutelæ: ita vt excessus sit peccatum mortale.

7. Quæres tertiò, an nullo casu homicida liberetur ab obligatione restituendi. Respondeo affirmativè. Et primò dico Iudicem excusari à restitutione, quando aliquem iustâ subexistente causa condemnavit ad mortē, licet ex odio & vindicta. Ratio est quod in eo duntaxat peccet contra charitatē, non contra iustitiā, adeoque Dei vindictę sit relinquendum, qui excedentes terminos à Dei misericordiâ pręscriptos suo tempore puniet, vt patet Ezechiel. 28. vbi Dominus Regi Tyri excedenti terminos iustitiæ, & misericordiæ, pœnam hanc intentat: *Morte morieris incircumcisorum in manu alienorum.* id est: Gentiles, impij, barbari, crudeles mortēm tibi inferent, qualem merentur infideles & impij. q. d. iuxta Vilalpandum: Cum vltio, quam in alios exercebas, in te exercebitur, tunc apparebis pręputiatus in vindicta, id est, in ea superabundans fuisse, & omnino excedens terminos tibi à Dei iustitiâ & misericordiâ pręscriptos (Iudices enim & Principes ita reos punire debent, vt nihil propriæ indignationis admisceant: sed potius cum Christo Luc. 19. v. 41. imò & cum Tito, qui in iusto Hierosolymæ excidio illachrymarunt, fleant, & condoleant:) tibi verò morienti non condolebunt, sed insultabunt Chaldæi: quia tu pariter alios morte afficiens, eis non condoluisti, sed insultasti. Sicut ergo tu tuam vindictam in alios non circumcidisti, sed liberè grassari permisisti: sic & Chaldæi suam in te vindictam non circumcident, sed liberè grassari permittent.

Ezech. 28. Vilalpand. Luc. 19.

Secundò dico homicidam excusari à restitutione, quandocumque occisus morti proximus illi remittit delictum, & omnem obligationem satisfaciendi damna iniuriæ, & alia quævis temporalia: etiam quando occisus iustè erat occidendus à Iudice, vt dixi, quia nullum temporale damnum efficaciter intulit.

Dico tertiò, similiter excusari eum qui provocatus est ad duellum, licet etiam excesserit fines inculpatæ tutelæ. Ratio est, quia provocans videtur condonare, dat enim potestatem provocato faciendi contra se quantum potest. Idem dic, si se mutuo provocassent, vel provocatus acceptat liberè: censentur enim sibi invicem condonare iniuriam & damnum. Denique idem dicendum, quando provocatus in rixa occideret provocantem, vel occisus & occisor se mutuo provocarunt, ob eandem rationem.

8. Quæres quartò, quænam sit obligatio, quando quis aliquem casu occidit? Respon-

Discursus XIII.

In idem Præceptum: Non occides.

Quatenus invidia huic præcepto contrarietur.



Eccles. 21. Eccles. 21. dicit Sapiens. *Non est sensus, vbi est amaritudo.* Quod evidenter patet in peccato invidiæ. Vnde tractabo quid sit Invidia, & quatenus huic præcepto adversetur.

1. Invidia autem sic describitur à Doctoribus Scholasticis; quòd sit *tristitia quadam de bono alieno, æstimato vt malo proprio, quatenus per comparationem quandam obscurat, & imminuit proprij boni excellentiam seu gloriam.* Ex qua definitione hoc nota, quòd non omnis tristitia sit invidia. Vt hoc melius intelligatur, adverte hominem tristari posse de bono alterius, quatenus timet sibi allaturum iniustè perniciem, vt si quis tristetur ob auctam potentiam, & opes inimici, quem ideo timeat plus nociturum, aut sibi, aut alijs bonis. Hæc enim D.Thoma. tristitia licita est, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 36. art. 2. citans Gregorium l. 22. Moral. cap. 11. dicentem *Evenire plerumq; solet vt non amissâ charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rursus eius gloria sive invidiæ culpa contristet, cum & ruente eo quosdam bene erigi credimus, & proficiente illo, plerosque iniustè opprimi formidamus.* Quamvis hæc verba eo loci non repererim.

2. Secundò potest quis tristari non propriè de ipso bono alterius, sed de suo potius defectu, idque potest aliquando esse laudabile, vt si doleas te non habere bona spiritualia maioris Fidei, Spei & Charitatis, ac devotionis, qualia vides in proximo: Nam ad illa hortatur Paulus 1. Cor. 14. Chorint. 14. cap. 1. Epistol. dicens: *æmulamini spiritualia.* Et alibi: *Aemulamini igitur charismata meliora.*

Talis etiam laudabilis esse potest, etiamsi sit circa aliquid bonum spirituale, modo sit in ordine ad bonum, exempli gratiâ. Si vides in proximo liberalem eleemosynarum elargitionem, fundare hospitalia, domos pauperum, & generaliter in opera misericordiæ expendi pecunias, & tristeris te similibus medijs non abundare, cum animum habes & ambis etiam in vsus pauperum ea expendere. Sic posset fieri, vt etiam quis doleret licitè emptores vicini similes merces vendentis officinam frequentare, & non suam: si doleret præcisè, quia illi suam officinam non æquè frequentarēt, vt alienam; præsertim cum magnis angustijs, & rerum necessariarum penuriâ premeretur. Eiusmodi tamen affectus communiter est valde periculosus, quia ita dolentes nisi valde sibi caveant, communiter excitantur, aut vt malis artibus, verbi causa detractionibus aut simili ratione conentur emptores ab alijs ad se avertere; aut etiam vt absolutè doleant eos frequentare, etiam eo casu, quo ideo non essent frequentaturi ipsorum officinam, vt scilicet hac ratione haberent socium in calamitate; qui affectus est vera invidia.

3. Est tertia tristitia, qua quis dolet officium indignis conferri, eò quòd multis peccatis se implicabūt, & bono publico sint nocivi. quæ etiam licita est, si intra limites sese contineat.

4. Est & quarta tristitia, qua quis dolet, quòd mali abundent fortunę bonis, & ideo movetur ad pietatem deserendam, & gressus iniquorum hominum imitandos. De qua David in persona iustorum Ps. 72. *Mei* Psal. 72. *penè*

penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Quæ sanè illicita est: Nam, vt ait D. Thomas loco citato, desuper tristandum non est, *quod temporalia bona, quæ secundum doctrinam fidei, indignis proveniunt, ex iusti* Dei *ordinatione disponuntur, vel ad eorum correctionem, vel ad eorum damnationem: & huiusmodi bona quasi nihil sunt in comparatione ad bona futura, quæ servantur bonis.* Vnde Propheta in persona iustorum, vt dixi, fatetur se errare in eo, dum ait: *Si dicebam, narrabo sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.* id est, Si velim prosperitates impiorum in iniustitiam Dei referre, hoc ipso damnavi omnes filios Dei, Abraham, Isaac, Iacob, Moysen & cæteros, qui omnes confitebantur Deum habere providentiam rerum humanarum, & iusto iudicio peccatoribus interdum dare prosperitates, & iustis afflictiones: itaque remittam me ad extremum Dei iudicium. Et Psalm. 36. proinde strenuè monet iustos ne æmulentur in malignantibus, neque zelaverint facientes iniquitatem: *Quoniam,* inquit, *qui malignantur exterminabuntur, sustinentes autem* Dominum, *ipsi hæreditabunt terram.*

5. Sed omnes hæ tristitiæ per se rationem invidiæ non attingunt. Nam illa est, vt initio posui, tristitia de bono alterius, tanquam malo proprio, quia diminuit propriam excellentiam, teste Basilio hom. 11. vbi sic ait: *Est inuidia, dolor de proximi prosperitate, ac rerum successu conceptus. Quapropter animo inuido nunquam tristitia, nunquam mæstitia deest. Abundat proximi ager, domus bonis omnibus repletur, ex voto denique eueniunt omnia, in rosa & viola viuenti. Cuncta hæc tristitiæ dolorisque occasionem inuido præbent. Ex quo nihil ab homine nudo, qui omnium iaculis petitur, differre videtur.* Similiter loquitur Gregorius Nyssenus de vitâ Moysis, sic aiens: *Inuidia mortifer stimulus, mucro reconditus, naturæ morbus, bilis venenosa, tabes sponte adbibita, telum amarum, figens animam clavus, flamma cordis, intestinorum ignis; hanc qui habet, non suis malis, sed alienis bonis infelix est, & contrà non suo bono, sed malis proximi felix est: invidus enim felicitate aliorum dolet, calamitatibus gaudet. Miluos cadaueribus pasci, & pretiosis vnguentis emori aiunt: Videtur enim natura sua ad putridum ac purulentum esse affinis: quando vero huic morbo subiectus est aliquis, amicorum commodis, quasi vnguento tabescit: & si quid calamitosum incidisse proximo intellexerit, illicò advolat, posito invadit adunco, quo si qua latent, distrahit, atque dissipat, & in medium proponit omnibus.*

Si libet particularius intelligere, tunc est invidere, quando quis tristatur, quòd proximus ad meliorem fortunam aut officium pervenerit, eo quod idcirco inferior ipso futurus sit: aut si gaudeat de ruina inimici, eo quod iam illi par erit, aut doleat quempiam divitias nactum esse, eo quod iustè illum compescet, qui iniustè rem ipsius detinuit, præcisè quòd aliàs non erat potens illum viâ iuris ad restitutionem compellere; quod est gravissimum peccatum.

6. Hoc vitium itaque si sit in re notabili, primò est peccatum mortale, iuxta D. Paulum ad Rom. 1. vbi inter peccata, quæ non conveniunt homini sensato, sed potius reprobato recenset invidiam, & dicit ex pœnâ peccati, hoc malo quempiam cōtaminatum iri, cum declarat eos, qui Deum cognoverunt, & non sicut oportuit glorificaverunt, traditos in reprobum sensum, vt facerent ea, quæ non conveniunt, repletos esse omni iniquitate &c. plenos invidiâ, homicidio, &c. Et ad Galat. 5. inter opera carnis, seu ea quæ excludunt à regno Dei, numerat invidiam. Quo vitio Cyprianus proinde dicit nihil esse perniciosius animæ, nihilque magis Christiano cavendum: *Quod si quis,* inquit, *penitus inspiciat, inveniet nihil magis Christiano cavendum, nihil cautius prouidendum, quam ne quis inuidia & liuore capiatur; ne quis fallentis inimici cæcis laqueis implicatus, dum zelo frater in fratris odia conuertitur, gladio suo nescius ipse perimatur: quod vt colligere plenius & manifestius perspicere possi-*

[Margin notes: Thomas. — Psal. 36. — Basilius. — Nyssenus. — Rom. 1. — Galat. 5. — Cyprianus serm. de zelo & livore.]

possimus, ad caput eius, atque originem recurramus. Videamus unde zelus, & quando, & quo modo cœperit, faciliùs enim à nobis malum tam perniciosum vitabitur, si eiusdem mali & origo & magnitudo noscatur. Hinc diabolus inter initia statim mundi & perijt primus, & perdidit. Ille dudum Angelicâ maiestate subnixus, ille Deo acceptus & charus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in Zelum malevolo livore prorupit; non prius alterum deijciens instinctu zeli, quàm ipse zelo ante deiectus; captivus antequam capiens; perditus, antequam perdens; dum stimulante livore homini gratiam datæ immortalitatis eripit, qui ipse quoque id, quod prius fuerat, amisit. Quale malum est, fratres dilectissimi, quo Angelus cecidit, quo circumveniri, & subverti alta illa & præclara sublimitas potuit, quo deceptus est ipse qui decipit? Exinde invidia grassatur in terris, dum livore periturus, magistro perditionis obsequitur, dum diabolum, qui zelat, imitatur. sicut scriptum est. Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum. Sap. 2.

Chrysost. Similiter Chrysostomus hom. 45. ad populum: *Omnium vitiorũ*, inquit, *hoc est perniciosissimum, & ipsam salutem nostram super omnia vastat: improbi namque diaboli est inventum. Et propterea Sapiẽs dicebat: Invidiâ diaboli introivit mors in orbem terrarum*, Sapient. 2. *Hinc*, ait Cyprian. Cyprianus loco citato, *nova fraternitatis primò odia, hinc parricidia nefanda* Genes. 4. *cœperunt, dum Abel iustum Cain zelat iniustus. dum bonum malus invidiâ & livore persequitur. Tantum valuit ad consummationem facinoris æmulationis furor, ut nec charitas fratris, nec sceleris immanitas, nec timor* Dei, *nec pœna delicti cogitaretur. Iniustè oppressus est, qui iustitiam* Genes. 27. *primus ostenderat: odia perpessus est, qui odisse noverat: occisus est impiè, qui moriens non repugnabat. Et quod Esau fratri suo Iacob inimicus extitit, zelus fuit. Nam quia ille benedictionem patris acceperat, hic in odium persecutionis facibus livoris exarsit. Et quod Ioseph fratres sui vendiderunt, causa vendendi de æmulatione descendit; postquam id quod sibi in visionibus prosperum fuerat ostensum, simpliciter ut fratribus frater exposuit, in invidiam malevolus animus erupit.* Vbi plura vide.

Addere potuisset exemplum Core Numer. 16. quod Deum propterea ad horribilem plagam inferendã coëgit. Num. 16. Dum enim ille insurgeret in Moysen, non tam eius principatum ambiens, quàm Araonis sacerdotio invidens; quasi illud iniquè à se, utpote primogenito (primogenitis enim in lege naturæ competebat sacerdotium) ablatum esset, etiam in solum Araonem à Moyse fratre translatum, eo quod Core primogenitus erat Isaar, ut patet Exod. Exod. 21. 21. & consobrinus Araonis; invidit eum sibi præferri, eumque electum esse in Sacerdotem, se vero esse Levitam. Moyses eum ambitus sacerdotij arguit: & Deus ipsum Core, Dathan, & Abyron eius partibus assentientes, voluit vivos à terrâ absorberi, & devorari cum tabernaculis suis, & universâ substãtiâ eorum, & descendere vivos in infernum opertos humo, quemadmodum habetur Numer. 16. Num. 16.

7. Secundò licet Deus plagam nõ immittat, hoc tamen peccatũ nocivum est corpori, nam ut ait Sapiens Prov. 15. *Vita carnium sanitas cordis, putredo ossium invidia.* Prov. 15. Hinc Chrysostomus hom. 31. in 1. ad Corinth. Chrysost. *Non ita vestem, non ita lignum insidens vermis, insidens tinea rodit, consumitque, ut illa invidiæ ardentissima febris ossa haurit, ipsiusque mentis sobrietatem depopulatur.* Et hom. 27. in eandem: *Melius esset habere serpentem in visceribus sese volutantem, quàm livorem intus depascentem. Nam illum sæpe pharmacorum usu evomi contingit, & alimento mitigari: livor autem non volvitur in visceribus, sed in animæ sinu versatur, affectioque est difficilè curabilis. Et serpens quidem, cum intus sit, apposito alimento, humana corpora non contingit: livor autem licet plurimum illi edulia proponas; illam devorat animam, undequaque mordens, disrumpens, distrahens, nec invenire potes ullam medicinam, per quam à suo furore liberetur.*

Similiter loquitur Antiochus Antioch. Monachus homil. 55. tomo secundo biblio-

bibliothecæ Patrum: *Inuidia*, inquit, *vehemens atque atrox malum ac omnibus modis crudele est. Qui enim cuipiam inuidet, animi angore discruciatur, contabescit miserè, eliquatur totus. Inuidia enim quasi vermis in ligno, & in vestimento tinea; ita cor denique & faciem eius conficit ac macerat hebeti pallore, qui semel in ipsius manus incidit.* Clarius vero D. Cyprianus: *Qualis vero est animæ tinea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo; Zelare in altero vel virtutem eius, vel felicitatem, id est, odisse in eo vel merita propria, vel beneficia diuina; in malum proprium bona aliena conuertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam, velut quosdam pectori suo admouere carnifices, cogitationibus & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta maliuolentiæ vngulis pulsent: non cibus talibus lætus, non potus potest esse iucundus, suspiratur semper & ingemiscitur & doletur: dumque ab inuidis nunquam liuor exponitur, diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur. Mala cætera habent terminum; & quodcumque delinquitur, delicti consummatione finitur. In adultero cessat facinus perpetrato stupro; in latrone conquiescit scelus, homicidio admisso; & prædoni rapacitatem statuit præda possessa; & falsario modum ponit impleta fallacia: zelus terminum non habet, permanens iugiter malum & sine fine peccatũ, quãtoque ille, cui inuidetur, successu meliore profecerit, tanto inuidus in maius incendium liuoris ignibus inardescit. Hinc vultus minax, toruus aspectus, pallor in facie, in labijs tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrenata conuicia, manus ad cædis violentiam prompta, etiam si à gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis armata.* Cyprian.

8. Tertiò, nocivum est fortunę bonis, quod testatur Sapiens Proverb. 17. dicens: *Qui ruinâ lætatur alterius, non erit impunitus.* Et 24. cap. *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum: ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.* id est, Ne Dominus iram, qua illum punire decreverat, transferat in te, & illum exaltet, te humiliet. Quod contigit Aman, qui Mardochæum patibulo affixum desiderabat, in foveam cecidit, quam fecerat, vt patet Esther 7. cap. Vel rursum idem est, ac si dicat: Ne gaudeas in alieno malo, ne illo punito, te etiam Dominus puniat. Nam *auferre* non significat semper in alium transferre, sed subinde, similem infligere, vt patet Numer. 11. vbi Dominus iubens Moysi congregare septuaginta viros de senibus Israël, qui ipsum subleuarent in populi regimine, in verbis: *Congrega mihi* &c. *& duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi.* Eo enim loci non dicit Dominus, quod partem spiritus Moysi diminuet, & auferet, & in septuaginta illos transferet: hoc enim impossibile est, maxime in accidentibus & actibus vitalibus: illi enim à subiecto vno in aliud, puta ab anima vna in aliam, transferri nequeunt; illudque Moysi foret incommodum. Facilius enim mille magno, quam centum parvo & exili spiritu reguntur: sed *auferam*, id est, accipiam & noviter producam aliquid de spiritu, qui est in te; aliquid, inquam, non idem numero, sed specie; hoc est, aliquid spiritui tuo simile producam, & dabo illis septuaginta senioribus; ita tamen vt tuus spiritus tibi integer maneat: quia æquè vt prius, totius populi cura tibi deinceps incumbet, etiamsi hos tibi dem adiutores. Sic accipitur, & aufertur lux à lucerna, cum candela in eâ accenditur. Lux enim candelæ in lucerna accensæ, nil de lucernæ luce diminuit, sed potius eam adauget, & propagat. Nam spiritus in Mose erat quasi in lucerna, fonte, capite & exemplari, indeque quasi in alios septuaginta derivatus est. Sic spiritus Eliæ requievit super Helisæum, 4. Regum 2. 15. id est datus est Helisęo spiritus Dei, qui per eum talia operaretur, qualia per Eliam operabatur. Sic Ezechiel 35. cap. minatur excidium

Esther. 7. Num. 11. 4. Reg. 2. Ezech. 35.

Idumæis, inter alia ob id quòd exultaverint in excidio Hierosolymæ: vnde ibidem legitur dictum à Propheta, *Hæc dicit Dominus Deus: lætãte vniversâ terrâ in solitudinem te redigam. Sicuti gavisus es super hereditatem domus Israël, eò quòd fuerit dissipata, sic faciam tibi: dissipatus erit mons Seir, & Idumæa omnis: & scient quia ego Dominus.* id est: Redigam te in vastam solitudinem cum populorum omnium vniversali gaudio. Hæc vero faciam æquissimo iudicio, vt paria paribus ex adverso respondeant. Vt enim tu cum sternerētur Iudæorum vires, & civitas omniũ ornatissima æquaretur solo, gestiebas præ gaudio: sic etiam efficiam vt tu quoque e exultãtibus alijs dissiperis, & pereas. Dissipabitur ergo mons Seir, & vniversa vastabitur Idumæa; & tunc me Dominum esse cognoscetis. Hinc etiam Sapiens cap. 28. Proverb. *Vir qui festinat ditari & alijs invidet, ignorat quod egestas superveniet ei.*

Prov. 28.

Contra docet dictus Antiochus per exẽpla Scripturæ illos erigi quibus invidetur. *Contrà,* inquit, *is cui invidetur in hominũ prospectu miris modis promovetur ac proficit à Domino protectus. Exemplo est beatus ille Ioseph: Quò enim faces fraternæ invidiæ in illum exarserant acriùs; hoc ille sublimiùs à Deo provehebatur, quousque tandem ad regni gubernacula promotus est. Sic & Saul æstro extimulatus invidiæ, admirabilem illum David persequebatur, sicut scriptum est: Exierũt, quæ cum tripudio agebant triumphalem choream puellæ, ac dicebant: Saul percussit in millibus suis, & David in decem millibus suis. Dicto ocius parens ille invidiæ, omnis in Saulis corde sibi delegit vitæ domicilium; eique insusurravit, vt diceret: David dederunt decem millia, mihi autem mille? Et quidem domus David, cui sic invidebatur quotidianâ accessione crescebat, & confortabatur: ipse per hæc ad lyram melicum cantillabat carmen: Posuerunt adversum me mala pro bonis, & odiũ pro dilectione mea. Iterum: Maledicent illi, & tu benedices. Ego autem non proponebam ante oculos meos rem iniustam. Sed & Propheta Abacuc: Purus est oculus tuus, ne videat mala & aspiciat super labores doloris.*

1. Reg. 17. Ps. 108.

9. Verùm quæres; Quomodo invidia huic præcepto adversetur?

Respondeo, quatenus ex ea contingit homicidia nasci. Appositè in hanc rem præfatus Antiochus, sic inquiens: *Invidia quam vehemens sit animi affectio, verius diabolica intemperies, vixque vllam admittens medelam; quis referat? Ab ipso enim diabolo vix dum traxerat originem; & ecce è vestigio in fratricidam Cainum transilivit, atque ordine deinceps prono cursu in Dominicidas Iudæos devoluta est.* Quo forsan respexit D. Paulus, quando declarat, ad Rom. 1. traditos in reprobum sensum, repletos esse omni iniquitate, plenos invidiâ, homicidio, &c. quasi innueret post invidiam ordinariè sequi homicidium.

Antiochus. Rom. 1.

Audi desuper D. Basilium hom. 11. de invidiâ differentem. *Quid,* inquit, *hoc morbo perniciosiùs? Interitus vitæ, pestis naturæ, adversa omnibus bonis ex Deo venientibus, demum ipsi Deo contraria. Quid enim principem malorum Dæmonem ad bellum adversus hominem internecivum impulit? Nonne invidia? per quam & Deo adversari palam deprehensus est. Dolens enim ob præclara dona homini concessa, quando Deo nocere non valuit, ipsum insidijs petit hominem. Eadem & Cain visus est admittere primus diaboli discipulus, invidiam & cædem ab eo edoctus: quas & Paulus simul iungens, inquit: Plenos invidia, cæde, &c. Quid igitur ille admisit? Vidit ex Deo honorem fraternum & exarsit in invidiam, atque eum qui honoratus erat à Deo, occidit, vt irritaret Deum, qui illum honoraverat. Cum enim impar esset ad debellandum Deum in cædem incidit fraternam.*

Basilius.

Examinemus historiam quam attingit, illa est de Caino & Abel Genes. 4. Sacrificia offerentibus, & Deo munera Abelis aspiciente, idque ob bonum animum & intentionem ipsius Abelis, sacrificia enim vetera non placebant Deo ex opere operato, vti placet sacrificium legis novæ, sed tantum ex opere operantis. Declaravit hoc Deus igne de cœlo misso in sacrificium Abelis, qui consumpsit illud: Caini verò intactum reli-

Genes. 4.

Hieron. Procop. Cyrill. reliquit, vti tradunt S. Hieronymus Procop. & Cyrillus in cap. 4. Genes. vnde & Theodotion vertit ἐνεπύρισεν, inflammavit Dominus super Abel, & sacrificium eius super Cain non. Hoc enim eodem ignis & conflagrationis victimæ signo solet probare Deus, & acceptare sacrificia, vt Gedeonis Iud. c. 6. v. 21. Aaronis Levit. 4. v. 24. Eliæ 3. Reg. 18. vers. 38. Davidis 1. Paral. 21. vers. 26. Salomonis 2. Paralip. 7. v. 1. Nehemiæ 2. Machab. 1. v. 22. Iud. 6. Levit. 4.

Id displicuit Caino, qui videns fratrem prælatum forsitan veritus fuit iacturam primogenituræ, & ideò molitus fuit animo cædem ipsius. Verum patet ex S. Ioan. quod occiderit, *Quia opera eius maligna erant, fratris autem iusta*, id est, quia pravitas morum, quæ minus grata effecit, quæ offerebat Deo, orta est fraterna invidia, quin etiam ob dissimiles mores, & quia Deus Abelem sibi carum declaraverat dicto signo edito super eius sacrificia, tum etiam si benè coniectat Catharinus quia homicidij huius instigator diabolus verebatur ne quia sanctus & Deo percharus erat Abel, ipse illud semen mulieris esset, & ex eo progigneretur, à quo serpentis caput contritum iri à Deo prædictum erat. Catharin.

Exaggerat huiusmodi & similia facinora D. Chrysost. homilia 53. ad populum loquens de invidente spiritualia bona in proximo, interrogatione admirantis, dicens: *Cui talem aliquis animam cõparauerit? cui viperæ? cui aspidi? cui vermi? cui scarabæ? nihil eiusmodi scelestiùs anima, peius nihil: hoc enim Ecclesias subvertit, hoc hæreses peperit, fraternam manum armavit, & fecit vt dextera pio tingeretur cruore, & naturæ leges abstulit, & mortiferos aperuit, & in opus illam deduxit maledictionem, & neque partuum, neque parentum, nec vllius alterius illum permisit miserum reminisci.* Et paulo ante rationem reddit, cur in alijs optimus hoc vitio laborans sit latrone iniquior, *Licet*, inquit, *hostis esset & inimicus, si tamen per Deum glorificaretur, amicum fieri propter hoc oporteret: tu verò amicum facis inimicum, quoniam propter illius prosperitatem Deus glorificatur. Si quis corpus tuum malè se habens curauerit, licet sit inimicus ipsum iam de primis amicorum esse censebis: Christi verò corpus ornantem, id est, Ecclesiam, & amicum ducis inimicum, & quomodo contra Christum pugnam aliter præ te tulisses? Proptereà siue quis signa faciat, siue virginitatem, siue ieiunium, siue humistratum excolat, siue ipsos Angelos virtute præveniat, omnium erit sceleratissimus hunc habens defectum, & adultero, latrone, ac fure iniquior. Et ne quis sermonis excessum redarguat illud à vobis libenter interrogaverim: Si quis ignem sumens & fossorium, hanc destruxisset domum & incendisset & hoc suffodisset altare nonne quilibet eum lapidibus obrueret, tanquam prophanum & impium? qui igitur voraciorem hoc igne flammam inferat, invidiam dico, non lapidum ædificia destruentem nec aureum suffodientem altare: sed quod parietibus & altari multò pretiosius est, dictorum ædificationem subvertentem & corrumpentem quali veniâ dignus esset?* Chrysost.

10. Hinc rectè D. Basilius loco citato vocat invidiam *pugnæ in Deum magistram, & homicidij matrem*, vti & divus Chrysostomus homilia 44. ad populum, addens mala quæ indè oriuntur his verbis: *Hinc vrbes obsidentur, & mare piratas habet: hinc per orbem cædes, hinc genus nostrum dissipatum est. Quodcumque malum videris ex hac radice producitur, iam etiam in Ecclesias debacchata est, & prius innumera perpetravit mala.* Basilius. Chrysost.

Id perspicuè deprehenditur in exemplis citatis, & Esau qui fratrem Iacob, quia benedictionem paternam præoccupaverat, insectari nunquam destitit, vt patet Genes. 27. cap. vbi habetur: *Oderat ergo semper Esau Iacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater: dixitque in corde suo: venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum*, adeo vt Rebecca mater eius cogeretur illum ablegare ad Laban avunculum suum, donec requiesceret furor fratris sui. Genes. 27.

Idem patet in Iosepho Genes. 37. cap. quem fratres eius, eo quod Genes. 37.

 à patre

à patre præ cũctis filijs amaretur, oderant, nec poterant ei quidquã pacificè loqui, & audito somnio, quòd parentibus & fratribus aliquando præponeretur, invidebant ei, ita vt non solùm cogitarent eum occidere, sed mutuo loquerentur: *Ecce somniator venit; venite, & occidamus eum, & mittamus eum in cisternam veterem, dicentusque: fera pessima devoravit illum; & tunc apparebit, quid illi prosuerint somnia sua.*

Quid dicam de Davide, quem populus ob victoriam quam contra
1.Reg.18. Gigantem obtinuerat 1. Reg. 18. in magno amore & pretio habuit, ita vt illi magis faverent, quam regi Saüli, adeo vt puellæ psaltriç Davidi cantarent triumphale carmen:

Percussit Saul mille, & David decem millia.

Sicque illius efferrẽt militarem gloriam, vt Saulis deprimerent. Vnde contigit ex eo die regem mortale in Davidem concepisse odium, ita vt statueret eum esse tollendum, ne sui nominis splendori, quod verebatur officeret.

11. Porrò libet eius malitiam planius explicare, vt virus invidiæ melius dignoscas, & quantopere ad cædem disponat. Primò enim ex illa causa voluit illum lanceâ configere 1.Reg. 18. Secundò per filiam coniugẽ emendam cẽtum Philisthinis, cogitabat eum neci exponere, quẽadmodum Sampson per Dalilam deceptus fuit, quod expresè insinuat textus dicti capitis, his verbis. *Dixit Saül, dabo eam illi, vt fiat ei in scandalum, & sit super eum manus Philisthinorum.*

Tertiò mandat expresè servis Davidem è medio tollere, iam non clam, sed palam suam mentem in-
1.Reg.19. sinuans. 1. Reg. 19. c. Et Ionatha causam Davidis agente iureiurando promittit quod non occidetur. Verum contempto religioso iuramento nititur lanceâ eum confodere; quin etiam mittit satellites in domum David, vt custodirent eum, & mane interficerent, sed salvatus est per vxorem Michol, iuxta eiusconsilium fugiendo; eadẽque *Michol tulit statuam & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimentis. Misit autem Saül apparitores qui raperent David: & responsum est, quod ægrotaret; rursumque misit Saül nuntios vt viderent David, dicens: Afferte eum ad me in lecto vt occidatur. Cumque venissent nuntij, inventum est simulachrum super lectum, & pelles caprarum ad caput eius.* Idque fecit vt hac ratione patrem à prava mente diverteret. Et postea magis furorem in Davidem exacuit, ita vt filium Ionatham Davidis causam suscipientem lãceâ transverberare voluerit, vt videre est cap. 20. 1. Reg. 1.Reg. 20.
Quin etiam eos, qui quacumque ratione Davidi patrocinabantur ad necem conquisivit, vt patet cap. 22. 1.Reg.22.
ibid. vbi Abimelechum sacerdotem, quia panem in necessitate concesserat Davidi & insuper gladium, cum alijs octoginta quatuor viris vestitis Ephod lineo trucidavit, & Nobe civitatem sacerdotum percussit in ore gladij, ita vt viros, & mulieres, & parvulos, & lactantes, bovemque & asinum, & ovem interfecerit, vt expresè habetur cap. 22. Postmodum 1.Reg.23.
intelligens Davidem in Ceila vrbe muris & portis munita degere, intẽdit illum ibidem concludere, sed David consulto Domino intellexit periculum, & aufugit ad loca deserta firmissima, quod idem Saül intelligens ita illum cinxit, vt nulla spes videretur salutis, sed Philisthinis terram ipsam invadẽtibus cogitur Davidem relinquere, & suas partes defendere. Verùm postea nihilominus crudelior Davidem iterum persequitur, quem David in certam speluncam venientem, vt naturam exoneraret, potuisset è medio tollere, sed oram chlamydis tãtum abscidit, & tutiori loco existens ostẽdit Saüli in quo periculo versatus fuisset, quã ob causam reconciliationis verba illi locutus est, dicens: *Nunquid vox hac tua est fili mi David? & levavit Saül vocem suam, & flevit, dixitque ad David: iustior es tu, quam ego: tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. Et tu indi-*

indicasti hodie quæ feceras bona: quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam. & non occideris me. Quis enim cum invenerit inimicum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc pro eo, quod hodie operatus es in me. Et nunc quia scio quod certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israël: iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei. Et iuravit David Saüli. Abijt ergo Saül in domum suam: & David, & viri eius ascenderunt ad tutiora.

12. Sed verum in ipso deprehenditur, quod dixit Salomon Sap. 6.c. *Neque cum invidia tabescente iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ.* Nam non obstante priori reconciliatione Davidem à Ziphæis proditum tribus millibus hominum persequitur, sed David cum vno Abisai solo descendit in castra Saül, & invenit ipsum dormientem in tentorio, & hastam fixam in terra ad caput eius, vnde petijt Abisai licentiã illum occidendi, sed noluit David, iubens tãtum, vt scyphum & hastam secum tolleret. Quibus intellectis, Saül his verbis alloquitur: *Nunquid hæc vox tua fili mi David? & ait David: vox mea mi Domine rex. Et ait: quam ob causam Dominus meus persequitur servum suum? quid feci? aut quod est malum in manu mea? Nunc ergo audi oro Domine mi rex verba servi tui: Si Dominus incitat te adversum me, odoretur sacrificium: si autem filij hominum, maledicti sunt in conspectu Domini, qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes, vade servi Dijs alienis. Et nunc non effundatur sanguis meus in terram corã Domino: quia egressus est Rex Israël, vt quærat pulicem vnum, sicut persequitur perdix in montibus. Et ait Saul: peccavi, revertere fili David; nequaquam enim vltra tibi male faciam eò quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quod stultè egerim, & ignoraverim multa nimis.*

Sap. 6.

Sed David illi non confidens coactus fuit se salvare in terra Philisthinorum, â quibus Saül aliquando superatus sibi necem intulit, ne manu incircumcisorum periret. Hic finis fuit invidiæ. Ex quibus implacabilem animum, & sine ratione insanientem ad oculum dignoscis. Divus Chrysost. id clare ostendit ex eo quod David nihil molitus fuerit cõtra Saülem, & quod omnia præmia ei debebantur. *Quæso,* inquit homil. de Davide & Saüle, *num hoc parũ videtur nulla necessitate compulsum suam ipsius vitam prodere, & in eorum vtilitatem à quibus nihil vnquam acceperat beneficij, in medios hostes irruere. An non par erat hunc post tale facinus ornari titulo Domini columnis inscripto, & publicũ civitatis servatorem appellari? qui & regni decus, & civitatis fundamenta, & omnium vitam opitulante* Dei *gratiâ servarit? quod esse poterat aliud beneficium hoc maius? neque in gloriam aut potentiam, sed in ipsam ipsius vitam beneficium hoc contulit, & ab ipsis mortis portis revocavit.* Et paulò post: *Si quis perpendat præclarè gestorum magnitudinem, etiamsi rex à suo capite detractam coronam Davidis capiti imposuisset, nunquam parem retulisset gratiam: sed ampliorem debuisset. Hic enim & vitam & regnum donavit illi, ille vero huic regnum tantum erat cessurus.*

Chrysost.

Idem videre licet in Caino, qui quibusvis non obstantibus furorem continuavit, de quo Chrysost. dicta homilia 53. dum ita furiavit (supple invidia) *& in tantum egit furorem, vt & Deo se commonente atque dicente: Sub te erit appetitus, & tu dominaberis illi: nec ita acquiesceret, licet & à crimine eum absolverit, & subdiderit fratrem: attamen tam insanabilis est iste morbus, vt & innumeris medicaminibus superpositis propriam scaturiat tabem.*

Chrysost.

Idem videre liquet in Iudæis ergâ Christum; de quorum invidia sic Basilius: *Sed ad magnam illam invidiam in rebus maximis versantem transeamus, quam Iudæi per insaniam adversus servatorem nostrum, ostenderunt. Quamobrem tãtis est petitus insidijs? Ob magna eius prodigia. Quænam hæc erant? Salus supplicum ac miserorum: pascebantur esurientes, & qui pascebat oppugnabatur. Reviviscebãt mortui, & auctor vitæ invidiam sustinebat. Dæmones fugabantur, & qui eis imperabat insidijs petebatur. Leprosi curabantur,*

Basilius.

tur, claudi ambulabant, surdi audiebant, cæci videbant: & is qui hæc beneficia conferebat fugabatur: Et demum vitæ munus tribuentem supplicio affecerunt, liberatorem hominum flagellis ceciderunt, mundi iudicem condemnavere. Sic itaque invidiæ, mala vsque ad omnes penetraverunt, quibus solis armis eversor vitæ nostræ diabolus à mundi exordio vsque ad sęculi consummationem omnes hominès ferire, ac ad interitum deducere contendit.

Chrysost. 13. Hinc Chrysostomus hom. 54. in Ioannem: *Fera venenosa est invidia, fera & immunda, & morbus voluntatis, omni venia & excusatione indigna, omnium malorum mater & auctor.* Idem hom. 44. ad populum: *Omni venia caret istud peccatum. Nam fornicator quidem concupiscentiam prætendere potest, fur paupertatem, homicida furorem, frigidas quidem & irrationabiles, habent tamen quas prætendant excusationes. Tu vero quam dices causam, rogo? Nullam penitus, nisi tantum intensam nequitiam. Si enim inimicos diligere iubemur, cum & diligentes oderimus, quam pœnam luemus? Nam si diligens diligentes nihilo gentibus melius affectus est: nihil iniuriæ operatos infestans, quam habebit veniam? quam excusationem? Audi quid Paulus dicat: Si tradidero corpus meum vt ardeā: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Quod autem vbi livor & invidia, charitatis opera sublata sint, cuique patet.* Et paulò post: *Sive miserearis, sive vigiles, omnium es sceleratissimus, cum invideas fratri, & hoc illinc est manifestum. Quidam olim apud Corinthios fornicatus est, sed accusatus fuit, & brevi correctus. Abeli Cain invidit, sed sanatus non est: quin & Deo statim ipsius vlceri curam afferente, magis intumescebat, & fluctuabatur, & ad cædem properabat. Ita hoc vitium illo peius est, nec medicinæ, quamcumque adhibuerimus, facilè cedit. Funditus igitur eam evellamus, illud pensantes, quod quemadmodum offendimus Deum alienis tabescentes bonis, ita placemus gratulantes, & nosmetipsos participes facimus bonorum bene merenti repositorum. Et propterea Paulus dicit: Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus; vtrimque magnum lucremur emolumentum. Cogitantes itaque quod licet non laboremus, si laboranti collatemur, illius coronarum efficimur participes: omnem eijciamus invidiam, & in animabus nostris charitatem plantemus.*

Porro quia invidia, quæ ex odio nascitur, ira gravior est, & quanto occultius malum, in tantum aperto atrociùs est, propterea multo magis à Christianis alienū esse debet Apposita similitudine, quam adducit Gregor. Nyssenus lib. de beatitudinibus id fiet clariùs: *Etenim ex canibus*, inquit, *eos magis cavemus, quorum neque latratus iram præsignificat: neque ex adverso incursus est, sed miti pariter ac māsueto habitu nō prævidentes, neque circumspicientes nos observant: tale est invidiæ atque simulationis vitium in ijs, quibus intrinsecus quidem in profundo cordis odium veluti ignis quidam latenter fumigat, externus verò vultus ad amicitiæ simulationem effingitur. Quemadmodum autem ignis, si sub paleis occultatus sit initio quidem proxima quaque cremādo corrumpit, flamma verò palam non editur, sed fumus quidem gravis ac acris odoris intrinsecus violenter coarctatus evolvitur: quod si aliquem flatum permeātem nactus fuerit, tunc in claram pariter & apertam flammam excitatur: itidem invidia quoque cor quidem veluti palearum quemdam acervum condensatum ignis in modum peredit & absumit: ac morbum quidem præ pudore occultat, non tamen penitus in perpetuum abscondi potest: sed veluti fumus quidam gravis & acerbus, acerbitas invidiæ in ijs, quæ circa habitum accidunt apparet.* Nyssenus.

Discursus

Discursus .XIV.

An alium è medio tollens aut mutilans teneatur aliquando ad satisfactionem parti læsæ.



EGi hactenus de homicidio, & de vitijs, quæ illi viam sternunt, odio, irâ, & invidiâ. Iam restat inquirere quod in argumento ponitur.

1. Homicidium contra rectam rationem peccatum esse gravissimum satis superque liquet, tum ex verbis huius præcepti: *Non occides*, tum ex pœnis in homicidas constitutis; tum etiam ex eo, quòd vindictam exposcat atrocem à Deo, iuxta illud Genes. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Quia verò peccatum hoc est contra iustitiam, adeoquè ad restitutionem obligãs operæ pretiũ erit examinare, quinam ad illam obligentur. Potest enim aliquis occidi auctoritate Iudicis, vel etiam privatâ, vel defensionis causâ cum moderamine inculpatæ tutelę, vel in duello, vel casualitèr. *Genes. 4.*

2. His positis, dico primò Iudicem teneri ad restitutionem vitæ & aliorum damnorum occisi hæredibus, quotiescumque præter iuris ordinem, vel extorsit crimen dolo, metu, tormentis, & sic aliquem subiecit extremo supplicio, vel defecit in alijs substantialibus iudicij, puta quia non erat iudex competens; vel non habebat potestatem inquirendi, vel non servavit formam inquisitionis, & sic aliquem morte condemnavit. Vide dicta Discursu 3. in hoc Præceptum 12. 1. 2. 3. Ratio est, quòd ex iustitiâ obligabatur suas partes debitè explere. Ita enim Iosaphat Reg. 2. Paralip. 19. præcepit iudicibus sedulò attendere ad iudicium quod exercerẽt, dicens: *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: & quodcumque iudicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentiâ cuncta facite: non est enim apud Deum nostrum iniquitas.* Quibus verbis edixit, vt vnum in omnibus Deum intuerentur, cuius in eo munere præstando personam sustinerent. & si contrà facerent, non solum apud Deum culpam contraherent, sed etiam ad damnorum restitutionem obligarẽtur. Illam enim Deus in omni peccato iniustitiæ requirit, vt patet Ezechiel. 33. in verbis: *Si dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque iudicium & iustitiam, & pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam iniustum, vitâ vivet, & non morietur.* Illis enim verbis insinuat Propheta æque divino præcepto necessariam esse restitutionem ad salutem, & ad vitam spiritalem animę, atque ex divino præcepto necessarium est pœnitentiam agere, & in mandatis vitæ ambulare, & nihil iniustum facere. Matth. etiam 22. omnibus ex divino præcepto reddi oportere quæ sua sunt, & ijs debentur, non secus ac Deo impendendum debitum obsequiũ, clare colligitur ex verbis Domini: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Adhæc Apostolus præcipit Rom. 13. *Reddite omnibus debita* &c. *nemini quidquam debeatis, nisi vt invicem diligatis.* Vnde non sufficit, quòd quis gladium nomine Dei portet, sed necesse est vt procedat iuxta conditiones loco citato allegatas, si velit conscientiam suam illibatam servare à culpa & restitutione. *2. Par. 19.* *Ezechiel. 33.* *Matth. 22.* *Rom. 13.*

Confirmatur ex eo quòd Deus à tyrannis, quibus tanquam instrumento vti solebat ad castigationem Iudæorum, vindictam sumpserit, quod

tisfaciat tantum vindictæ publicæ, non autem damnum patientibus. Quodque Princeps non possit nec debeat pœnam alicui condonare cum damno alterius, nec ei ius iam quæsitum tollere: quamvis compensatio damnorum tunc ferme exigi non soleat.

6. Quæres iterum, quomodo facienda sit æstimatio lucri, quod ab occiso sperabatur. Ratio quęstionis est, quod æstimatio pendeat ex duratione vitę. At incertum est, quanta futura sit duratio vitæ; ergo &c.

Respondeo restituendum esse arbitrio boni viri omnibus circumstantijs consideratis, ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. Ratio est, quia quando non habemus rem definitam lege aliquâ positivâ, debet ea determinari arbitrio boni viri. Ille autem rationem debet habere particularium substantiarum, personę, ętatis, valetudinis, aliorumque omnium, scilicet periculorum, impedimẽtorum, & occupationum, per quæ lucra ista impediri potuissent. Si enim quis vel naturali, vel aliàs iustâ morte ex Iudicis sententia erat eodem fere tempore moriturus, non tenebitur is qui prævenit, ad restitutionem quamvis iniustè occiderit. Si verò periturus erat, sed iniusta morte, æque tenebitur. Hæc autem obligatio sic restituendi sese extendit etiam ad illum, qui seipsum defendens notabiliter excedit fines inculpatæ tutelæ: ita vt excessus sit peccatum mortale.

7. Quæres tertiò, an nullo casu homicida liberetur ab obligatione restituendi. Respondeo affirmativè. Et primò dico Iudicem excusari à restitutione, quando aliquem iustâ subexistente causa condemnavit ad mortẽ, licet ex odio & vindicta. Ratio est quod in eo duntaxat peccet contra charitatẽ, non contra iustitiã, adeoque Dei vindictę sit relinquendum, qui excedentes terminos à Dei misericordiâ pręscriptos suo tempore puniet, vt patet Ezechiel. 28. vbi Dominus Regi Tyri excedenti terminos iustitiæ, & misericordiæ, pœnam hanc intentat: *Morte morieris incircumcisorum in manu alienorum.* id est: Gentiles, impij, barbari, crudeles mortẽm tibi inferent, qualem merentur infideles & impij. q. d. iuxta Vilalpandum: Cum vltio, quam in alios exercebas, in te exercebitur, tunc apparebis pręputiatus in vindicta, id est, in ea superabundans fuisse, & omnino excedens terminos tibi à Dei iustitiâ & misericordiâ pręscriptos (Iudices enim & Principes ita reos punire debent, vt nihil propriæ indignationis admisceant: sed potius cum Christo Luc. 19. v. 41. imò & cum Tito, qui in iusto Hierosolymæ excidio illachrymarunt, fleant, & condoleant:) tibi verò morienti non condolebunt, sed insultabunt Chaldæi: quia tu pariter alios morte afficiens, eis non condoluisti, sed insultasti. Sicut ergo tu tuam vindictam in alios non circumcidisti, sed liberè grassari permisisti: sic & Chaldæi suam in te vindictam non circumcident, sed liberè grassari permittent.

Ezech. 28 | Vilalpand. | Luc. 19.

Secundò dico homicidam excusari à restitutione, quandocumque occisus morti proximus illi remittit delictum, & omnem obligationem satisfaciendi damna iniuriæ, & alia quævis temporalia: etiam quando occisus iustè erat occidendus à Iudice, vt dixi, quia nullum temporale damnum efficaciter intulit.

Dico tertiò, similiter excusari eum qui provocatus est ad duellum, licet etiam excesserit fines inculpatæ tutelæ. Ratio est, quia provocans videtur condonare, dat enim potestatem provocato faciendi contra se quantum potest. Idem dic, si se mutuo provocassent, vel provocatus acceptat liberè: censentur enim sibi invicem condonare iniuriam & damnum. Denique idem dicendum, quando provocatus in rixa occideret provocantem, vel occisus & occisor se mutuo provocarunt, ob eandem rationem.

8. Quæres quartò, quænam sit obligatio, quando quis aliquem casu occidit? Respon-

munda es : ergo per vindictam emundabo te. Sic Salomon ait Banaię 3. Reg. 2. (3. Reg. 2.) *Amovebis sanguinem innocentem, qui effusus est à Ioab, à me, & à domo patris mei.* Amovebis vindicādo eius homicidia, quibus occidit Abner & Amasam, eumque pari modo occidendo, Ezech. 7. (Ezech. 7.) *Terra plena est iudicio*, id est reatu, *sanguinum*. Isaiæ 26. (Isa. 26.) *Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum, & revelabit terra sanguinem suum, & non operiet vltrà interfectos suos*. Ad quem locum videtur alludere ibidem Ioël: idem enim dicit.

Quod singulariter notandum est Principibus & iudicibus, ad quos spectat sontes de medio tollere. Cum enim patiuntur innocentes opprimi, terram polluunt, & seipsos contaminant, mortisque reos constituunt, testis est Propheta, qui 3. Reg. 20. (3. Reg. 20.) dixit Achab Regi: *Quia dimisisti virum dignum morte* (Benadad Regem Syriæ, homicidam & hostem Israëlis) *de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.* Durum sanè oraculum, ideo partim prædictum, quòd, vt ait Seneca, (Seneca) *delictorum impunitas homines audaciores facit ad malum*; & vt Cicero lib. 3. (Cicero.) Offic. *impunitas peccandi maxima est illecebra.* Veterem enim quis ferendo iniuriam, invitat novam. Cum verò puniunt homicidas & sontes, emundant sanguinem innocentium, qui clamat vindictam in cœlum, ac simul expiant terram suam eo pollutam, eiusque vindictam divinam à suo capite & domo avertunt. Ad hæc innocentibus occisis, quasi manibus iusta persolvunt, & parentant: ac divinæ iustitiæ & vindictæ placabilem & gratissimam hostiam offerunt. Denique imitantur, imò præveniūt iudicium rigidum Christi, quo omnes omninò sontes plectet in valle Iosaphat. Demum non tantum sanguinem fusum, sed & fundendum emundant: dum enim homicidas plectunt, terrent maleficos, eorumque audaciam, iras & rixas frænant, itaque multas multorum cædes inhibent. Nam vt ait Apostolus, Magistratus *non sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit*, (Rom. 13.) Rom. 13.

Demum rectè quæres, An eadem obligatio restituendi sit erga mutilatum. Respondeo in veteri lege circa quosdam casus has decisiones reperiri. Prima est, quòd viri rixantes, & quovis telo alterutrum percutientes, si percussus surrexerit, & ambulaverit foris super baculum suum, percutiens liber erit à talione & pœnę mortis, vt indicant verba Exod. 21. (Exod. 21.) *Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum vel lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed iacuerit in lectulo; surrexerit, & ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit, qui percusserit.* Ratio est, quòd illo indicio præsumatur mors eius, si sequatur, non ex percussione, sed aliunde obvenisse: nihilominus tenebatur restituere lucrum laborum, quod lęsus perdidit, & impensas in Medicos, vt exprimūt verba sequētia: *ita tamen vt operas eius & impensas in Medicos restituat.* Secūda est, quòd percutiens servum vel ancillam virgâ; si vno die vel duobus supervixerit, non subiacebit pœnæ homicidæ, *quia pecunia illius est.* q. d. Quia possidetur ab hero percutiente servus tanquam pecuniâ emptus, non erit reus homicidij. Vnde patet miseram fuisse servorum & servarum conditionem illo tempore, præsertim apud duos heros, quia lex percussionis pœnam illi moderabatur, ita vt si herus non tam enormiter percussisset servum vel ancillam, vt statim certa sequeretur mors, pœnæ non subiaceret, quia occidisset suum mancipium, quod ipse possidebat, sicut bovem vel equum. Et hinc etiam modo iura civilia dicunt corpus servi perinde ac corpus animalis esse pretio ęstimabile: corpus autem liberum nullam recipere ęstimationem, vt patet dictâ l. vlt. ff. de his qui effuder. vel deiec. Tertia decisio est erga rixantes, qui mulierem prægnantem inter

rixantes intercedentem, vel maritum suum iuvare volẽtem, percusserint, ita vt quidem abortum faciat prolis inanimatæ: sed tamen supervivat mulier. Illo casu qui percusserat, pœnâ mortis non veniebat puniendus, sed subiacebat damno, quantum quidem maritus mulieris exigebat, & arbitri æquum iudicabant.

Verum hæ leges iudiciales sunt, & eatenus illum populum dumtaxat obligãtes. Vnde dico breviter Christianum, qui proximum læsit in sanitate, vel integritate membrorum, vulnerando scilicet vel mutilando, teneri ad hæc tria. Primò ad expensas factas in curatione vulneris, vel mutilatione partis. Secundo, ad æstimationem spei illius lucri, quod facere poterat, si sanus fuisset, vel si mutilatus non esset. Tertiò, ad æstimationem damni, quod inde in posterum natum est sequi.

Quæres vltimò, an mutilans, casu quo aliunde sequatur mors mutilati, tenebitur ad restitutionem, vt homicida.

Respondeo primò eum, qui aliquem mutilavit, ex quo non soleat ordinariè sequi mors, sed tamen aliunde, & per accidens secuta est, vel ex malitia Medici, qui venena miscuit, vel ex negligentia eiusdem; vel etiam ex temeritate vulnerati, qui non curavit adhiberi medium cuivis in promptu, non teneri ad restitutionem vt homicidam, sed tantum vt vulnerantem.

Dico secundò, mutilantem eo loco quempiam, vbi non est Medicus qui possit vulnus curare, & læso debitam diligentiam adhibente, teneri ad restitutionem vt homicidam, si sequitur mors. Ratio diversitatis est, quod vulnus tali tempore & loco censeatur mortale.

DISCVR-



DISCVRSVS PRIMVS IN SEXTVM PRÆCEPTVM.

Non Mœchaberis.

De Adulterio.



Levit. 18. EVit. 18. cap. statuit Dominus legẽ prohibentem adulterium, in verbis: *Cum vxore proximi tui non coibis, nec feminis commistione commaculaberis.* Hinc quæram quid sit, & quale peccatum.

1. Adulterium igitur est, alieni thori violatio, peccatum mortale, in omni lege strictissimè prohibitum. Et primo in lege naturæ, vt patet Genes. 39. vbi Ioseph solo lumine naturali illustratus, tentatus ab hera vt cum ea dormiret, omnibus modis renuit illi acquiescere: quod Scriptura testatur, dicens: *Nequaquam* (Ioseph) *acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua: nec quicquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Neque eam tentationem semel passus est, sed sæpius, & continuo restitit, vt sequitur: *Huiuscemodi verbis per singulos dies, & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum.* Invicta sanè constantia, quæ non cessit humanæ naturæ infirmitati, nec iuvenilis ætatis in libidinem proclivitati, non assiduæ sollicitationi heræ suæ, non opibus & promissis, quæ illa offerebat, non minis & periculis gravissimis, quibus, si facinus recusaret, sese exponebat. Iam ingentes arbores magnis crebrisque percussæ ictibus concidunt; etiam durissima saxa guttis minutissimis assiduè cadentibus excavantur: quanto magis homo assiduitate & magnitudine tentationum superabilis est, cuius *caro non est ænea*, vt inquit Iob, *nec fortitudo* eius, *fortitudo lapidum?* Iob 6. nisi divina gratia eum corroboret, quâ adiutus Ioseph nõ cessit: sed apprehensus per laciniam vestimenti, maluit illud deserere, & aufugere, carcerisque periculum subire, quam in Deum peccare.

Hinc etiam Iob sub eadem lege vivens, & malitiam huius peccati perpendens, dum suam innocẽtiam defendit contra amicos, non dubi-

 tat

rixantes intercedentem, vel maritum ſuum iuvare volētem, percuſſerint, ita vt quidem abortum faciat prolis inanimatæ: ſed tamen ſupervivat mulier. Illo caſu qui percuſſerat, pœnâ mortis non veniebat puniendus, ſed ſubiacebat damno, quantum quidem maritus mulieris exigebat, & arbitri æquum iudicabant.

Verum hæ leges iudiciales ſunt, & eatenus illum populum dumtaxat obligāt. Vnde dico breviter Chriſtianum, qui proximum læſit in ſanitate, vel integritate membrorum, vulnerando ſcilicet vel mutilando, teneri ad hæc tria. Primò ad expenſas factas in curatione vulneris, vel mutilatione partis. Secundo, ad æſtimationem ſpei illius lucri, quod facere poterat, ſi ſanus fuiſſet, vel ſi mutilatus non eſſet. Tertiò, ad æſtimationem damni, quod inde in poſterum natum eſt ſequi.

Quæres vltimò, an mutilans, caſu quo aliunde ſequatur mors mutilati, tenebitur ad reſtitutionem, vt homicida.

Reſpondeo primò eum, qui aliquem mutilavit, ex quo non ſoleat ordinariè ſequi mors, ſed tamen aliunde, & per accidens ſecuta eſt, vel ex malitia Medici, qui venena miſcuit, vel ex negligentia eiuſdem; vel etiam ex temeritate vulnerati, qui non curavit adhiberi medium cuivis in promptu, non teneri ad reſtitutionem vt homicidam, ſed tantum vt vulnerantem.

Dico ſecundò, mutilantem eo loco quempiam, vbi non eſt Medicus qui poſſit vulnus curare, & læſo debitam diligentiam adhibente, teneri ad reſtitutionem vt homicidam, ſi ſequitur mors. Ratio diverſitatis eſt, quod vulnus tali tempore & loco cenſeatur mortale.

DISCVR-

DISCVRSVS PRIMVS IN SEXTVM PRÆCEPTVM.

Non Mœchaberis.

De Adulterio.



Levit. 18. LEvit. 18. cap. ſtatuit Dominus legē prohibentem adulterium, in verbis: *Cum vxore proximi tui non coibis, nec ſeminis commiſtione commaculaberis.* Hinc quæram quid ſit. & quale peccatum.

1. Adulterium igitur eſt, alieni thori violatio, peccatum mortale, in omni lege ſtrictiſſimè prohibitum. Et primo in lege naturæ, vt patet Genes. 39. vbi Ioſeph ſolo lumine naturali illuſtratus, tentatus ab hera vt cum ea dormiret, omnibus modis renuit illi acquieſcere: quod Scriptura teſtatur, dicens: *Nequaquam* (Ioſeph) *acquieſcens operi nefario, dixit ad eam: Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua: nec quicquam eſt quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Neque eam tentationem ſemel paſſus eſt, ſed ſæpius, & continuo reſtitit, vt ſequitur: *Huiuſcemodi verbis per ſingulos dies, & mulier moleſta erat adoleſcenti, & ille recuſabat ſtuprum.* Invicta ſanè conſtantia, quæ non ceſſit humanæ naturæ infirmitati, nec iuvenilis ætatis in libidinem proclivitati, non aſſiduæ ſollicitationi heræ ſuæ, non opibus & promiſſis, quæ illa offerebat, non minis & periculis graviſſimis, quibus, ſi facinus recuſaret, ſeſe exponebat. Iam ingentes arbores magnis crebriſque percuſſæ ictibus concidunt; etiam duriſſima ſaxa guttis minutiſſimis aſſiduè cadentibus excavantur: quanto magis homo aſſiduitate & magnitudine tentationum ſuperabilis eſt, cuius *caro non eſt ænea*, vt inquit Iob, *nec fortitudo* eius, *fortitudo lapidum?* Iob 6. niſi divina gratia eum corroboret, quâ adiutus Ioſeph nō ceſſit: ſed apprehenſus per laciniam veſtimenti, maluit illud deſerere, & aufugere, carceriſque periculum ſubire, quam in Deum peccare.

Gen. 39. Hinc etiam Iob ſub eadem lege vivens, & malitiam huius peccati perpendens, dum ſuam innocētiam defendit contra amicos, non dubi-

tat imprecari suis agris & fructibus tenerioribus ignis incendium, quo res omnes ipsius deflagrent, si deceptum fuerit cor eius super muliere, etsi ad ostium sui amici insidiatus fuerit, imo petit, si vnquam adulterium perpetravit, gravissimam illam æque ac iustam pœnam adulterij subire, & æqualitate quadam ab alio quopiam eius thorum pollui, & vxorem ipsius in adulterium illici, in verbis: *Scortum alterius sit vxor mea, & super eam incurventur alij.* Et addit duplicem rationem, priorẽ: *hoc enim nefas est, & iniquitas maxima*, id est, vt Pineda interpretatur in sua Paraphrasi, *Nefarium scelus, grandeque piaculum, non nisi acerbissimâ expiãdum morte.* Alteram, quod *ignis sit vsque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.* Hinc rursum Genes. 38. Iudas filius Iacobi paterfamilias existens, & more prisci illius sæculi iudex suę familiæ, intelligens Thamar nurum suam desponsatam Selæ ipsius filio, vterum gestare, & sic sponsalia violasse per alterius concubitum, indeque esse adulteram; illicò sententiam dedit: *Producite eam vt comburatur*, insinuans illud scelus illo tempore per combustionem vindicari solitum.

Pineda. Genes. 38.

Porro apud Arabes, Parthos, aliasque nationes, adulteris semper pœna capitis fuit; quod plerique Philosophi prodidere, qui adulterium periurio gravius crimen cẽsuere, testis est Alexand. ab Alexand. l. 4. c. 1. Et hinc Imperatores Ethnici, Iulianus Cæsar, Augustus, Tiberius, Domitianus, Severus, & Aurelianus instinctu luminis naturalis gravissimas pœnas in adulteros sanxerunt. Libet vnum Aureliani Edictum recensere. Is in adulteros id excogitavit, vt duarum arborum inflexis capitibus, ac ad pedes religatis, moxque dimissis intervulsus vtrimque propenderet. testis est Cœlius lib. 10. cap. 6.

Alexan. ab Alexand. Cælius.

Saxones adhuc Pagani, adulteram cogebant se suspendio necare, & super bustum illius incensæ & cõcrematæ adulterum suspendebant. Testis est S. Bonifacius apud Guilielmum Masmesbur lib. 1. cap. 64. de Anglis. Quin & Mahomet adulterum publicè fustigari ad centum ictus sanxit. Brasilienses adulteras vel occidunt, vel tanquam servas vendunt, teste Ozorio lib. 2. de gestis Emmanuelis. Et similes horribiles pœnas varij statuerunt. Hæc de lege naturali.

Bonifac. Osorius.

2. In lege verò Mosaica idipsum deprehenditur esse grave crimen; quia morte punitur per lapidationem. Sic enim ait Moyses Levit. 20. *Si mœchatus quis fuerit cũ vxore alterius, & adulterium perpetraverit cum coniuge proximi sui, morte moriantur & mœchus & adultera.* Eã autẽ fuisse lapidationis causam patet Ioã. 8. vbi adulterę iuxta legem Moysis dicuntur esse lapidandæ. Cœterum tanti ęstimatum fuit hoc peccatum, vt vndecim tribus Israël Iud. 20. zelo ductæ, bellum gesserint contra tribum Beniamin, eò quòd noluissent tradere puniendos viros qui abusi erant infami modo vxore cuiusdam Levitæ; idque Deo consulto, imo fautore: ita vt propterea viginti quinque millia hominum miserabiliter interierint. Dominus quoque Hierem. 5. cap. Iudæis minatur tum ob alia scelera, tum ob hoc, quod adducet Chaldæorum gentem robustam & immitem, quæ in genus & fortunas Iudæorum crudeliter, & pro sua libidine grassabitur, dum ait: *Super quo propitius tibi esse potero? filij tui reliquerunt me, & iurant in his, qui non sunt Dij: saturavi eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores, & emissarij facti sunt: vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus? & in gente tali non vlciscetur anima mea?* Quod idem est ac si dicat: Et quid, ô Hierusalem, est, propter quod in te placatus esse queam? neque enim vnus est in tanta multitudine; neque in tot vitiorum proluvie virtus vna, quæ ardentem ad vindictam animum emolliat. Filij tui defecerunt à me, & in iurisiurandi sacramentum falsos advocant

Levit. 20. Ioan. 8. Iud. 20. Hierem. 5.

vocant Deos. Cumque à me forent saturati, accumulati bonis, illa in nefarium luxum, & carnis blandimenta contulerunt: nam cum alienis mœchati, & in meretricijs lustris scortati sunt. Vsque adeo se in omnem intemperantiam proiecerunt, vt tanquam equi sint emissarij, qui in Venerem impotenter ruunt. Nam quemadmodum equi, vrgente libidine, ad feminas adhinniunt; sic Iudæi hinnitu suo, atque procaci blandimento ad nefarium libidinis opus alienas vxores interpellant. Quanta autem sit equorum libido, & in equas ardor docet Aristoteles lib. 6. de hist. animal. cap. 22. Et hinc homines in venerem proiecti vocătur ἱππομανεῖς, & dicuntur ἱππομανεῖν, id est, instar equi ardere & furere. Inde etiam S. Basilius lib. de Virgin. docet hominem creatum esse quasi centaurum, vt superâ parte sit homo & rationalis, inferâ equus concupiscens & ardens cupiditate. Nunquid impunè hæc abire patiar, dicit Dominus? nec vlciscar populum vsque adeo intemperanter in omnem libidinem effusum? Omnino vlciscar me: agite igitur, ô milites ad vrbem diripiendam conscripti: *Ascendite muros eius, & dissipate.* id est, Hierusalem evertite: ita tamen vt non penitus eam destruatis, sed sublatis improbis Iudæis, qui se idolis, & dœmonijs tradiderunt, ideoque à Deo deserti sunt: reliquias servate, vt salvæ fiant, Isa. 10. v. 20. Improbi vero sentiant oracula Prophetarum, non fuisse meras nugas, sed divina respŏsa, imò efficacia instar ignis, dum efficio, vt ore tuo, ô Hieremia, prædicas certo certius venturum Nabuchodonosorem, qui efficaciter quasi ignis cŏsumet populum, quem deseram, & quasi ligna igni, Chaldæis consumendum exponam: Evocabo enim contra eum à regione longinquâ gĕtem robustam, quæ perferre possit temporum, ac bellorum incommoda, quæ iam pridem à multis sæculis bellatrix est, ac potens; cuius animum precibus ad miserationem non inflectet, quia illum precantem non

Aristot. Basilius. Isa. 10.

intelliget, cum ei cum illa, sicut neque rerum, sic etiam neque verborum communitas sit, quod indicant verba. *Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo domus Israël, ait Dominus, gentem robustam, gentem antiquam, gentem, cuius ignorabis linguam, nec intelliges, quid loquatur.* Adeoque prædicit quod adducet adversus Hierosolymitanos, Chaldęos gentem barbaram, nŏ intelligibilem, inexorabilĕ, quæ Hierosolymitarum preces non intelliget, neque vicissim ipsi eius postulata. Quod diu antè minatus Iudæis fuit Moyses, Deuteron. 28. vers. 49. Insuper talem adducet, cuius pharetra erit quasi sepulchrum, seu quæ non sanabitur occisione, sicut sepulchrum patens non saturatur cadaveribus.

Insuper per Malachiam Prophetam cap. 3. minatur ijs, qui existimabant Dominum circa cardines cœli versari, hæc scelera floccipendere, se cito eos puniturum, dicens: *Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.* id est. Nunc ab Ecclesię felicissimo sæculo ad tempus hoc vestrum, vaticinium, quod est tantisper interruptum, refero. Dixeratis in me, neque iudicium esse; neque humana commoda pro hominum meritis æquitate servatâ dispensari. Quò nomen meum ab hac alienâ suspicione vindicem, efficiam statim, vt quanto fueritis in errore, experimento cognoscatis. Accedam igitur ad vos Iudex, vt vestra merita cognoscam, & iudicem, idque quamprimum, contra maleficos & adulteros, contra periuros, & qui mercenarios callidè mercede fraudant; qui pupillos & viduas spoliant, & vexant; qui peregrinos opprimunt, neque timent Deum; & tunc cognoscent me testem fuisse illorum, quæ ipsi fecissent, aut cogitassent in tenebris, quæque latere putabant divinos oculos: & de illis nullam in cœlis esse providentiam.

Malach. 3.

Hinc Susanna in lege Dei bene instituta gravitatem huius vitij perpendens, appetita à duobus senibus ad concubitum, adiectâ comminatione calumniæ, ingemuit, & ait: *Angustiæ sunt mihi undique: si enim hoc egero mors mihi est: si autem non egero non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini. Homines enim cum occiderint corpus*, vt inquit Bernardus sermon. 3. de Annuntiatione, *animæ non habent vltra quid faciant*: ille autem timendus est qui potestatem habet & corporis & animæ, mittere in gehennam, vt dixit Christus Luc. 10.

Daniel. 13. Bernard. Luc. 10.

3. In lege gratiæ peccatum hoc esse gehennâ dignum clarè insinuat Apostolus dum 1. Corinth. 6. dicit illud hominem excludere à regno Dei, his verbis: *Nolite fornicari: neque fornicarij, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt*, id est, pœnam damni sustinebunt & consequenter etiam sensus, quod omnibus eiusmodi peccatis actualibus commune est, Ad hæc illud ipsum in foro exteriori huius sæculi magnopere ponderatum fuisse colligitur ex pœna gladij, quâ illud punitũ fuit vsque ad tempora D. Hieronymi, patet ex Epistola ipsius ad Innocentium, in qua scribit iuvenem innocentem de adulterio accusatum, iniquâ sententiâ gladio peremptum; mulierem verò id strenuè negãtem, septies ictam, occidi non potuisse. In his etiam Provincijs Philippus II. gubernante Duce Albano, adultero pœnam gladij statuit. Dum verò mitius cum illis agi cœpit, malum ita succrevit, vt reptilium non sit numerus: sed manet verbum Domini Proverb. 6. *Qui adulter est propter cordis inopiam perdet animam suam, turpitudinem & ignominiam congregabit sibi.* Quibus verbis indicat non solum futuram eius pœnam, nempe animæ damnationem, sed etiam præsentem, videlicet turpitudinem & infamiã, quâ omnis adulteri voluptas evacuatur: si voluptas dici potest. Nam vt rectè Chrysost. citatum loc. expendens, hom. 3. de verbis Isaiæ, nulla voluptas esse potest, vbi sequentia, quæ refert, adsunt mala. Cum enim dixisset nullã alicui huius criminis reo apud homines, aut apud Deum suffragari excusationem, etiamsi decies millies allegaret naturæ voluptatem; subiungit; *Imò quæ possit illic esse voluptas, vbi metus, vbi discrimen, vbi periculum, vbi tantorum malorum expectatio, vbi tribunalia, vbi accusationes, vbi iudicis ira, vbi gladius & carnifex, vbi barathrum, ac deportatio? Omnia pavet metuitque qui talis est, vmbras, parietes, lapides ipsos, tanquam vocem emittentes: omnia observat, omnes habet suspectos, famulos, vicinos, amicos, hostes, eos qui noverũt omnia, eos qui nihil norunt. Quin potius si voles, tollantur hæc omnia, ponamus nulli notum esse flagitiũ, præterquam ipsi vni, & mulieri quam adulteravit: quo modo feret consciẽtiam redarguentem, acerbam, & amarulentam accusatricem vbique secum ferens? Quemadmodum enim nemo seipsum potest effugere, ita nec illam eius curiæ sententiam. Hoc enim tribunal non pecunia corrumpitur, non adulationibus acquiescit, eò quòd divinum est, & à Deo nostris impensum mentibus.* Adeoque insinuat Chrysostomus hanc perpetuum incutere horrorem, neque animam sinere esse quietam, licet leges executioni non mandentur.

1. Cor. 6. Prov. 6. Chrysost.

4. Quæres, quare tam rigorosè animadversum à Deo in huiuscemodi crimen.

Respondeo ob diversas rationes. Prima est, quòd prẹter offensam Dei contra legem naturalem, homo peccet in seipsum. Vnde Augustinus sermon. 16. de verbis Domini, *Vide, quid facias de templo Dei. Si eligeres in Ecclesia facere adulterium intra istos parietes, quid te foret sceleratius? Modo autem, tu ipse es templum Dei; templum intras, templum exis, templum in domo tua manes, templum surgis, vide quid agas, vide ne offendas templi habitatorem, ne deserat te, & in ruinam vertaris, Nescitis, inquit, quia corpora vestra templum sunt*

August. 1. Cor. 6.

sunt Spiritus sancti? non ergo estis vestri, sed illius: absit igitur tanto scelere contaminare templum Spiritus sancti. Et rursum lib. de honestate mulierum cap. 30. *Quanta iniquitas, quanta perversitas est, vt animam, quam Christus suo sacro redemit sanguine, adulter, aut quisque luxuriosus, propter vnius momenti delectationem libidinis, diabolo pessimo inimico suo vendat ac tradat? Verè nimium miseranda & plangenda conditio est, vbi cito præterit quod delectat, & permanet sine fine, quod cruciat.*

Secunda est, quòd peccet contra fidem ex iustitia debitam iuxta illud Pauli 1. Cor. 7. *Vxori vir debitum reddat. similiter autem & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* — *1. Cor. 7.*

Tertia, quòd sit cõtra sanctitatẽ Sacramenti; de quo Paulus Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico vobis in Christo & in Ecclesia.* Quomodo sacramentum magnum? quomodo in Christo & in Ecclesia magnum? significans vtpote, sanctissimas tres vniones, & velut in mysterio repræsentans. Vnionem Verbi cum carne in vna persona: *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Vnionem Christi mysticam in vno mystico corpore, quod est eius Ecclesia; & vnionem cum anima per gratiam, in eodem spiritu. *Nam qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo.* Cernuntur hæ vniones, & significantur in ea vnione, quæ est inter virum & feminam in vna carne legitimè consociatos. Vult Deus illas indissolubiles esse. Vult ergo & carnalem istam & sacramentalem copulam indissolubilẽ permanere. O impium ergo, ô sacrilegum adulterij crimen! Tu magnum hoc sacramentum polluis, tu quod Deus coniunxit separas, tu quod æterno fœdere constabilivit, dissocias, tu quod perpetuò & immortali nexu obfirmavit, impiâ libidine tua labefactas, dissipas, evertis. — *Ephes. 5.* *Ioan. 1.* *Rom. 12.*

Quarta, quòd causet gravem iniuriam in proximum. Nam vt Philo Iudæus lib. de Decalogo apertè docet: *Adulterium lædit tres familias, adulteri nimirum, adulteræ & legitimæ coniugis; quæ si amplæ fuerint, facilè tota civitas conturbatur. hinc adulterorum homicidia; hinc infaustæ prolis recenter natæ infanticidia. Et aliquando,* vt loquitur S. August. lib. de nupt. *fœtus vix concepti abortio, ne lucem aspiciat; idque partim scelestorum medicorum, partim opera personarum infamium. Hinc furta hæreditatũ, patrimoniorum, affinitatum alienarum à stemmate, infandi incestus, illicita matrimonia, & atroces iniuriæ, quæ personis, alioquin famâ, dignitate, opibus, vitæ integritate conspicuis, inferuntur.* Vt mille alia incommoda sileantur. — *Philo.* *August.*

5. Quæres iterum, quandoquidem tantum peccatum sit alieni thori violatio; quî contingat matrimonio iunctos, tam facile in illud scelus ruere.

Respondeo, omissis plurimis motivis vnicuique notis, id fere contingere in pœnam peccatorum præcedentium. Probatur ex illo Proverb. 22. *Fovea profunda os alienæ, cui iratus est Dominus incidet in eam.* q. d. Perniciosus est lapsus, alienum thorum violare; nec vlli fere contingit, nisi cui Dominus meritò irascitur ob alia peccata: alijs enim Deum timentibus, vt Iosepho & Susannæ, Dei gratia præsto est. Audi, si placet, Iansenium verba Sapientis magis enucleantem. *Cæterum,* inquit, *vt intelligamus singularis esse gratiæ divinæ, ab hac fovea præservari, & contrà peculiaris cuiusdam esse vindictæ divinæ in illam incidere. Cui iratus est Dominus, inquit, incidet in illam. Quo significat neminem facile in hanc præcipitari foveam, nisi qui alijs fuerit prius contaminatus vitijs, meruitque deseri à Deo, vt iam iuxta Theologos peccatum posterius pœna sit peccati præcedentis, & peccatum peccatum trahat vt ansa ansam. Primum enim iusto Dei vindicantis iudicio fit, vt quis incidat in colloquium & familiaritatem mulierum impudicarum. deinde vt earum convictu & colloquio capiatur, & in dicta mala præcipitetur.* — *Prov. 22.* *Iansen.*

Quod Sapiens generatim dicit, hoc speciatim ostendit Amos Propheta 7. cap. vbi prædicit & inten- — *Amos 7.*

tat Amasiæ falso Prophetæ, qui ipsi invidebat, & propterea apud Ieroboam, quasi seditiosum accusaverat; vxoris stuprum, liberorum necem, expilationẽ, exilium, totique Israëli captivitatem & exitium in pœnam peccatorum. Dicam clariùs: Amasias Pontifex idolorum, puta vitulorum aureorum in Bethel, timens ne populus Israël oraculis & minis Amos perculsus idola abijceret, & cultum veri Dei amplecteretur, itaque sibi oblationes & victimæ vitulis offerri solitæ decederent, ipseque Pontificatu, fortè etiam vitâ privaretur; tanquam pseudopontifex & pseudopropheta hac de causa accusat Prophetam Amos apud Ieroboam Regem, tanquam seditiosum & regni perturbatorem, quasi qui populum à Ioroboam avocare, & ad sceptrum Iuda traducere & revocare moliretur. Vt faciunt hodie hæretici & politici in Anglia, Hollandia, Bohemia. &c. qui Catholicos & sacerdotes insectantur, eosque apud Magistratus accusant & calumniantur, reosque perduellionis agunt, quasi qui prætextu religionis reges & principes solio suo deturbare, aliosque reges & principes inducere moliantur, & ad id plebem sollicitent, (omnes enim congregationes ad verbum Dei, & ad Missę sacrificium æstimant esse coniurationes contra Migistratum & statum politicum.) Quod autem illi imponit, est quod dicitur v. 11. his verbis: *Hæc enim dicit Amos: In gladio morietur Ieroboam.* Quod falsũ erat: non enim dixerat Amos: *In gladio morietur Ieroboam*, sed: *Consurgam super domum Ieroboam in gladio*, scilicet occidendo non ipsum Ieroboam, sed eius filium Zachariam. Porro cum videret Amasias pseudopropheta, Regem Ieroboam suis criminationibus contra Amos non moveri, eumque vt Prophetam habere ac revereri, aggreditur ipsummet Amos, levi oratione & adulatione suadens ei, vt relicta Bethel transeat in Iudam dicens. *Qui vides, gradere, fuge in terram Iuda: & comede ibi panem, & prophetabis ibi.* q. d. Noli mihi hanc facere iniuriam, cum ego tibi non sim iniurius: noli invadere parochiam, & diæcesim meam, ego non invado tuam: noli populum meum à me avocare, ego non avoco tuum. Ego Pontifex & propheta sum in Israël & Bethel: tu ex Thecua vrbe Iudæ oriundus Iudæus es; vade ergo ad tuos Thecuitas, age Prophetam in Iuda: nil tibi cum meis Bethelitis, & assumè fugam, quam ego tibi vt amicus amico suadeo, quia in Bethel & Israël, vtpote vrbe & regione idolorum, Rex ipse, cœteriqne idololatræ tibi parant insidias, necemque machinantur: eò magis quòd Bethel sit locus sanctus, dicatus vitulis aureis, quem Rex sibi suisque idolis segregavit & sanctificavit: contra quem vaticinaris, adeoque periculo te exponis carceris & necis. Ad hos sermones respondit illi Amos, se neque sponte venisse vt prophetaret in Israël, sed ab armentis, quibus pastoralem dabat operam, in illud ministerium sumptum fuisse à Deo; neque arbitratu suo in Iudæam, quò ab Amasia cogitur, posse remigrare. Et tum addit quas prædixi plagas ipsi adventuras, dicens: *Nunc audi verbum Domini: Tu dicis: Non prophetabis super Israël, & non stillabis super domum Idoli. Propter hoc hæc dicit Dominus: Vxor tua in civitate fornicabitur, & filij tui, & filiæ tuæ in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur, & tu in terrâ pollutâ morieris, & Israël captivus migrabit de terra sua.* id est. Et tu, ô Amasia, qui obiectis terroribus linguam meam cohibere vis à prophetando contra Bethel, id est, idolorum domicilium, audi durum de tuo capite vaticinium: Quia ob quæstum & lucra tua populum ad idololatriam impellis, mihique eam impugnanti resistis, idcirco congruè & iustè punieris hac ignominiâ, & indignatione, vt videas, licet fremens & frendens vxorem tuam in civitate te derelicto fornicari, vel cum amasijs suis, vt vult Arias, vel Arias. cum hostibus tuis, videlicet Assyrijs, à quibus captâ vrbe violabitur, vt vult Hieronym. & alij. Filios tuos Hieronym. ac filias

ac filias hostilis conficiet mucro, & agros tuos hostes inter se funiculo distribuent, & tu in alienâ & pollutâ terrâ, apud Gentiles videlicet vbi idololatria grassatur, morieris, & totus denique Israël captivus migrabit ad alienos. Itaque quinque plagæ ipsi in pœnam peccatorum prædicuntur, quarum prima erit, quod vxor adulteriũ cõmissura sit, vel formaliter, si cum amasijs id cõtingat, vt supponit Arias, adeoque in etiam pœnam peccatorum ab vxore commissorum: quia nemo spiritualiter punitur propter peccata aliena, licet textus id nõ exprimat. vel quod materialiter & invita violenter passura sit in se adulterium ab hostibus, iuxta sẽtẽtiam Hieronymi. Vt vt est, quomodocumque id contingat, futurum tamen in oculis ipsius Amasiæ frementis & frendentis, vt sic ob pœnam peccatorum præcedentium gravius puniatur in vxore, quam si ipsemet ignominiam pateretur. Nam vt ait Hieronymus, *Grandis dolor incredibilisque ignominia, quando maritus in media civitate vxoris iniuriam prohibere non potest. Non est tantus dolor in filia constuprata, quantus in vxore polluta: maritus enim libentius audit vxorem interfici, quam pollui.*

Hieronym.

9. Quæres denique in quo coniuge hoc peccatum graviùs sit. Respondeo quodam respectu gravius esse in viro. Primò, quod vxorem habeat ad vitandum hoc peccatum, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 7. *Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat* Hinc Chrysostomus hom. 3. de verbis Isaiæ, ad obiectionem, quòd aliquis naturali concupiscentia ad hoc impellatur, respondet: *At non permittit elabi illum vxor, quæ ei forte obtigit: sed instat potius eripiens illi veniam: ob id enim matrimonium, & vxoris legitimus vsus conceditur, ne quid horum excusare possit maritum. Hanc ob causam data est ei mulier adiutrix, vt effervescentem naturã coërceat, & concupiscentiæ fluctus sedet. Itaque quemadmodum gubernator in portu faciens naufragium, nequaquam excusatur; sic nec is, cui cum per coniugium concessum sit, quo lapsum effugiat, tamen aliena perfodit matrimonia, habere quidquam potest, quo semel excuset, nec apud homines, nec apud Deum. Etiamsi decies millies allegarit naturæ voluptatẽ.* Et paucis interiectis: *Verè adulter per inopiam cordis exitium suæ ipsius animæ conciliat.*

1 Cor. 7.

Secundò, quia vt plurimum vsu rationis viget, & melius resistere potest, & vxorem suam virtute vincere, exemploque suo regere debet. Vnde S. Augustinus lib. 2. de Adulterio Coniug. cap. 8. & refertur in c. *Indignantur* 32. q. 6. *Indignantur mariti, si audiant adulteros viros pendere, id est, sustinere similes adulteris feminis pœnas, cum tanto gravius eos puniri oportuerit, quantò magis ad eos pertinet, virtute vincere, & exemplo regere feminas.* Hinc idem Augustinus libro de decem chordis, taxat virum vxorem in hoc reprehendentem, ipso reo existente. *Cum debeas*, inquit, *in virtute præcedere vxorem tuam (quoniam castitas virtus est) & tu sub vno impetu libidinis cadis, & vis vxorem tuam victricem esse, & tu victus iaces? Et cum tu caput vxoris sis, præcedit te ad Deum, cuius caput es, vis domum tuam capite deorsum pendere? Caput enim mulieris vir est; vbi autem melius vivit mulier, quam vir, capite deorsum pendet domus. Si caput est vir, melius debet viuere, quam mulier, & præcedere in omnibus bonis factis vxorem suam.*

August.

7. Vxor verò, omnibus circumstantijs bene trituratis, graviùs peccat, tum quia facit prolem de suo patre incertam, tum quia maius scandalum generat, tum quia maiorem infamiam tàm sibi quam marito & filijs, ac alijs de cognatione inurit; tum quia maiora damna exinde consequi solent, vt constat, cum succedant exinde filij illegitimi in paternis bonis; & legitimi hæredes bonis illis priventur, ob quæ omnia simpliciter dicendum est mulierem adulteram plus peccare: tantò magis, quòd notorium sit, ideo licuisse viro in veteri Testamento habere plures vxores, non autem vxori plures maritos.

8. Verùm enimverò dices si in veteri Testamẽto licuit marito plures habere

habere simul vxores, cur tantum peccatum est cum alterius vxore cõmisceri. Hac enim ratione solent adulteri mulieres in suam libidinem pellicere, dicentes ex illo capite non esse peccatum.

Respondeo illos gravissimè errare, nam polygamia tunc temporis ex divinâ dispensatione erat licita, & verum matrimonium. Illam verò abolevit Christus, cum reduxit matrimonium ad priorem statum legis naturę. De quo Matt. 19. dixit Christus: *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio masculum, & feminam fecit eos? & dixit propter hoc, dimittet homo patrẽ & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna: itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Dicunt illi, quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudij, & dimittere? Ait illis, Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem non fuit sic.* Matt. 19.

Verùm quantumvis tunc licita erat polygamia, seu plurium vxorum vsus; tamen non licuit vnquam absque peccato mortali vlli ad solutam accedere; multo minus coniugato ad solutam, & damnabiliùs ad cõiugatã. Quod evidentissimè constat in Davide, quem Deus gravissimè punivit propter adulterium cõmissum cum vxore Vriæ, quãvis aliàs maximus Dei cultor esset; idq; varijs pœnis: Primo prolem susceptam magno eius dolore è vita auferendo: Sic enim dixit illi Nathan Propheta, condonatâ culpa 2. Reg. 12. *Veruntamen quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini: propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Rursũ filiam eius pulcherrimam permittendo à primogenito eius filio Ammone infami incestu violari, eundéque primogenitum à fratre proditoriè interfici, 2. Reg. 13. Ipsum etiam Davidem ab altero filio Absalone turpiter è regno deijci permittit, 2. Reg. 15. Adhæc perpetuò eius posteros funestari, & vxores ipsius publicè à filio constuprari, sicut ei minatus fuerat Nathan, dicens: *Vriam Hethæum percussisti gladio, & vxorem ipsius accepisti in vxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum, eò quòd despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethæi, vt esset vxor tua. Itaque hæc dicit Dominus: Ecce ego, suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis solis huius.* 2. Reg. 12. 2. Reg. 13. 2. Reg. 15.

9. Perpendant hæc illi, quorum oculi adulterio pleni sunt: Si enim ita esset, vt ipsi nugantur, ad quid tot pœnis subijcere, in aliorum exemplum, Regem alioquin virum secũdum cor Dei? Rursùm si ita est, vt ipsi mulierculis persuadent, cur Deus testem velocem se dicit ad puniendum, Malach. 3. Cur tantopere dehortatur Salomon Proverb. 23. *Prabe,* inquit, *fili mi cor tuum mihi, & oculi tui vias meas custodiant: Fovea enim profunda est meretrix, & puteus angustus aliena. Vtraque similitudine,* inquit Iansenius eò loci, *significans eum qui irretitus esset consortio & amore impudicæ mulieris, & in grave periculum tum corporis tum animæ incidisse, & ex eo non facile extricari posse, quemadmodum lapsus in profundam foveam non facilè ascendere, aut emergere potest.* Cur, inquam, dicit Sapiens Prov. 22. cap. *Fovea profunda os alienæ: cui iratus est Dominus incidet in eam?* 2. Pet. 2. Malach. 3. Prov. 23. Iansenius. Prov. 22.

Si ita, inquam, est, cur ita horruit hoc piaculum Susanna, vt ostensum est ex Danielis cap. 13. Si ita est, cur Deus, vbi varias hostias pro peccatis in veteri Testamento ordinavit, nullam constituit pro peccato adulterij? Cur Sapiens Proverb. 6. c. dicit, quòd vir iniuriâ ex adulterio vxoris affectus, non recipiet pro redemptione dona plurima? Hoc est secundum Iansenium, *Deprehensus in adulterio nullius intercessione, nullaque redemptione satisfacere poterit læso, quin iusto furore & zelo iuxta legis præscriptum sit supremum suppliciũ exacturus, & illaturus cum perpetua adulteri ignominia. Nec mirum cum illata iniuria nullâ re temporali possit compensari.* Daniel. 13. Prov. 6. Iansenius.

10. Dices iterum peccatum hoc iam esse commune. Illo enim argumento

mento solent adulteri mulieres facilius pertrahere ad suam libidinẽ, dum credunt consuetudinem hoc peccatum excusare?

Respondeo hoc absurdum esse. Nam ea quæ prohibita sunt, quia à natura sua mala sunt, nullâ consuetudine licita fieri possunt: sed potius provocant Deum ad supplicium & vindictam accelerandam, vt manifestè constat ex loco Hierem. citato, & Oseæ 4. cuius tempore etiam hoc vitium erat commune, vt ipse testatur dicens: *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguinem sanguis tetigit.* Verum ob hoc ita illos Oseas nomine Dei compellat: *Audite verbum Domini, filij Israel, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ.* Et paulò post: *Lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cœli: sed & pisces maris congregabuntur.* id est: maledictum, convitium, contumelia, mendaciũ, & fucus, adulterium, & furtum sic compleverunt civitates, publicosq; conventus, vt instar fluminis, quod ripas excedẽs latè campos oblimat, & inundat: sic ipsa vbique locorum, & in omni hominum conditione, atque ordine latè, atque impunitè grassantur. Sunt verò peccata quæ è carne & sanguine nascuntur, vsque adeo frequentia, vt nullum sit tempus, nullus locus tam abditus, aut publicus, tam religiosus & sacer, quem non inundet, atque contaminet illorum immensa, & nunquam intermissa proluvies. Propter hoc habebit populus gravem lugendi causam, cum omni pecore, atque armento atque adeo omni cœli volucri communem: quia regio illa, quæ omnibus ad victum, & humanis cõmodis abundabat, deficiẽte pluviâ, sic arescet, vt non homines solum, sed etiam volucres, ac pecora deficiant. Quæ etiam calamitas ad pisces quoque maris Tiberiadis pertinebit, in quo ipsi quoque, aut corrupti aut deficientibus aquis extinguẽtur. Hoc ipsum quod Oseas hoc loco intimat, prædixit postea etiam Hieremias suæ genti loco citato.

Osea.4.

11. Dices demum: Potestne tantum esse peccatum quod amicitiam generat?

Respondeo detestandam esse amicitiam, quæ hominem constituit Dei inimicum. Vnde in tales invehitur Apostolus Iacob. 4. cap. dicẽs: *Adulteri nescitis, quia amicitia huius mundi inimica est Dei?* Abeant igitur illi, qui dicunt peccatum carnis minimum esse peccatorum mortalium; cum satis grande sit quod in gehennam impellit. Abeant illi, qui liberè in hoc incidunt, & Deum latere autumant, quod homines latet: quorũ vesaniam ridet Sapiens Eccles. 13. *Omnis homo, inquit, qui transgreditur lectum suum, contemnens animam suam, & dicens, quis me videt? tenebræ circumdant me, & nemo circumspicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur altissimus. Et non intellexit, quia omnia videt oculus eius, quoniam expellit à se timorem Dei, & non cognovit, quoniã oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Et Iob cap. 24. *Oculus adulteri observat caliginẽ, dicens: Non me videbit oculus: & operiet vultum suum. Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, & ignoraverunt lucem:* Hæc est enim amẽtia eorum hominum: Vnde Isidorus clarius orat. 105. *Nihil ita obruit animũ, vt lascivia carnis. Avaritia enim, tantum abest vt obruat animum, quatenus pertinet ad solertiam, & malitiam, & prudentiam huius sæculi, vt etiam faciat astutissimos. In eundem modum ambitio, quid non circũspicit? quam lynceos habet oculos? quid non cavet? quid non tentat? at quisquis lascivia & carnis vitijs deditus est, etiã illud naturæ acumen & lumen, quo cælesti etiam homines vti consueverunt, amittit.*

Iacob.4. Eccles.13. Iob.24. Isidorus.

11. Porro his decisis rectè quæres, ad quid teneatur adulter & adultera, prole ex adulterio natâ, quantum ad iniuriam proximi.

Respondeo & dico primò, adulterum si ei persuadentem ex assertione adulteræ, alijsque sufficientibus argumentis prolem ex se genitã esse,

esse, teneri in conscientiæ foro restitutionem facere, in primis patri putativo, qui spurio alimenta præstitit: & vlterius compensare damnum reliquis liberis legitimis, quod per obtrusi illegitimi successionem patiuntur. Ratio est, quòd adulter moralis causa talis damni exstiterit, exercēs iniustam actionem, ex qua suapte naturâ consequi solet prolis generatio vt plurimum coniuncta cum damno mariti, & legitimorum eius liberorum.

Dico secundò adulterum in vtramque partem probabiliter dubium, vtrum proles à se genita sit, nec ne, ex probabiliori sententia teneri in conscientiæ foro damnum resarcire pro dubij quantitate. Cum enim dubium est, vter duorum pater sit alicuius prolis, profectò æquitas non patitur, vt vnus eorum omnia ipsi alimenta præstare teneatur, alter verò immunis sit: sed oportet eos contribuere secundum proportionem probabilitatis: quod etiam in externo foro, si causa eò deferatur, obseruari conuenit.

13. Quantum verò ad adulteram spectat, tenetur deficiente adultero in satisfactione, operam dare, vt marito legitimisque prolibus, quatenus fieri potest, damnum compensetur. arg. cap. officij de pœnitent. & remission. vbi Innocentius III. scribit cuidam Presbytero Cardinali, Apostolicæ Sedis legato, mulieri sibi partum supponēti alienum, non esse denegandam pœnitentiam, sed competētem satisfactionem iniungendam, his verbis: *Sed competens satisfactio per discretum Sacerdotem ei debet iniungi.* Qualis esse potest, vt rem familiarem diligentius administret; vel de cultu corporis sui & sumptibus detrahat; aut si habeat bona propria, veluti parapharna, aut alia ex propriâ industriâ parta, tanto amplius liberis legitimis, quàm spurio relinquat. Sin verò talibus modis damnum compensari non possit, debet spurio suadere, vt renuncians hæreditati vel in totum, vel secundum partem, statum Ecclesiasticum, vel religiosum amplectatur, si idoneus sit.

Innocent.

14. Sed quæres: Posito quod hoc modo non posset satisfacere, an teneatur marito facinus manifestare.

Respondeo ad hoc non teneri, quotiescumque res est occulta, & sufficientibus indicijs probari non possit, vt colligitur ex c. Officij cit. Vbi Pontifex respondens ad casum propositum de alieni partus suppositione, vtitur hoc argumento, dicens: *Quoniam postulas edoceri, vtrum ei hac fraude durante sit pœnitentia iniungenda: respondemus, quod sicut mulieri, quæ ignorante marito de adulterio prolem suscepit: quamvis id viro suo timeat confiteri, non est pœnitentia deneganda.* Et ratio est, quod hæc obligatio sit valde difficilis, parum vtilis, multùm noxia. Nam adultera tristitiam atque odium mariti sui excitaret: denique infamaret seipsam, & adulterum, ipsamque prolem, quæ publicè censetur legitima: Atqui communiter Doctores aiunt, restitutionem bonorum fortunæ ordinariè faciēdam non esse cum detrimento altioris boni, videlicet famæ, vti videre est apud Navar. in man. c. 17. num. 89. & seq.

His accedit quòd filius & filia, qui hactenus fuerunt in possessione legitimæ natiuitatis, matri asserenti ex adulterio conceptos esse, fidem habere non teneantur, nisi liquidis seu indubijs probationibus id ostendat; puta quia tempore conceptionis maritus absens fuit sicuti docet Gl. in cit. c. Officij, ver. deneganda, Abb. c. per tuas, n. 5. de probat. & in c. transmissæ, n. 4. Qui filij sint legitimi. Aliàs enim filius matris etiam iuratæ testimonio fidem habere non tenetur, etiamsi fide digna appareat: quia iure Gentium & boni cōmunis causa, introductum esse videtur, ad multas hominum astutorum fraudes vitandas, vt nemo vnius, quamvis minimè suspecti hominis, testimonio credere teneatur in suū præiudicium, iuxta Gl. in l. Titio fundus, ff. de condit. Et in simili docet Navar. c. 22. n. 81. quòd coniux nō tenea-

teneatur credere vni testi, quamvis iurato, amico, dicenti subesse impedimentum matrimonij dirimēs, nisi id demonstret. Similiter excusatur sæpenumero adulter, vel in totum, vel ex parte à restitutione, sive quòd damnum ab adultera compensatum fuit, vel compensatum iri creditur; sive quod restitutio fieri non potest absque periculo vitæ, & gravi dispendio famę, &c.

Hæc vero quę dixi ordinariè locū habent, nisi rarus casus contingat, videlicet cum agitur de successione in Regno, Ducatu; & filius spurius sit hæreticus, vel pessimis moribus præditus, à quo Respub. grave nocumētum acceptura videatur: legitimus autem filius, cui reipsa hæreditas debetur, Reipub. vtilis futurus speretur; tunc adultera, posthabito famæ suæ, imo etiam vitę dispendio, rem palam significare debet, si spes sit illegitimi successionem tali ratione impediri posse.

Discursus II.

De Incestu.



Augu?. DIvus Augustinus nomine Mæchiæ, quæst. 72. super Exod. dicit, omnem illicitum cōcubitum, atque illorum membrorum non legitimū vsum prohibitum debere intelligi, cuius variæ sunt species, nempe incestus contra naturam, sacrilegium, raptus scurrum & fornicatio. Vnde nunc de incestu tractabo, quod sit, & quale peccatum.

1. Est igitur Incestus congressus cum sanguinea vel affine intra gradus prohibitos iure divino naturali, positivo & Ecclesiastico, id est, vsque ad quartum gradum consanguinitatis & affinitatis inclusivè in matrimonio; & vsque ad secundum inclusivè extra matrimonium per actū fornicarium iuxta ordinationem Concilij Trident. sess. 24. c. 4. Is verò est omni lege sub peccato mortali prohibitus, vti colligitur ex gravitate pœnarum, quibus Deus illum punire voluit.

2. Primum in lege naturæ Genes. 49. vbi Iacob prophetisans, quæ posteris bona, malaque sint eventura, dicit: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis, maior in imperio. Effusus es sicut aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* id est: Quia libidine & incestu defluxisti, profusaque fuit libido tua, ita vt incestaveris Balam vxorem patris tui, indeque principium doloris mei; quem primò genueram in robore ætatis meæ, punieris sterilitate à Deo, vt non crescas numero proliū, & nepotum, nec etiam excellentia, opibus, & gloria: & qui prior in donis, maior in imperio esse debebas tanquam primogenitus, & sic sacerdotio & regno frui, hæc non accipies: sed prærogativis fere omnibus carebis: quas octo recēset Pererius. Pererius. Prima, quod primogeniti essent Sacerdotes. Secunda, primogenitus sedebat primus in mensa, maiorque portio ei dabatur, Genes. 43. 33. Tertia, benedicebat ille alios fratres, ipsi submittebant se illi, & adorabant eum, Genes. 27. 29. Quarta, habebat imperium & dominatum in fratres, ibidem. Quinta, accipiebat duplicem partem hæreditatis paternæ, Deut. 21. 17. Sexta, primogeniti redimebantur quinque siclis, alij vero filij minimè, tanquam illi specialiter essent Deo consecrati & addicti. Septima, vtebantur, inquit, singulari quodam vestitus genere, id est, præ cœteris fratribus delicato & pretioso: quamobrem Iacob ambiens primogenituram Esau, eius vestes induit: quāquam hoc non satis concludat. Octava, primogenitus singulariter benedicebatur à patre iam moribundo.

Margin notes: Genes. 49. (beside "49. vbi Iacob"); Genes. 43. (beside "portio ei dabatur, Genes. 43. 33."); Genes. 27. (beside "eum, Genes. 27. 29."); Deut. 21. (beside "Deut. 21. 17.").

bundo. atque has fere prærogativas perdidit Ruben.

3. Secundò in lege Moysis, Levit. 20. cap. vbi statuitur pœna mortis in eum, qui dormierit cū noverca sua, in verbis; *Qui dormierit cum noverca sua, & revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo; sanguis eorum sit super eos.* Eadem lex est de socero incestum committente cum nuru: *Si quis*, inquit Moyses, *dormierit cum nuru sua, vterque moriatur: quia scelus operati sunt.* Rursum: *Qui coierit cum vxore patrui vel avunculi sui, & revelaverit ignominiam cognationis suæ, portabũt ambo peccatum suum, absque liberis moriẽtur.* id est: portabunt pœnam iniquitatis suæ, scilicet mortem, quia incestuosi non sinentur in scelere permanere, donec liberos habere possint: sed statim vt scitum fuerit, per iudicis sententiam occidentur. Quod signum est, scelus hoc grave esse coram Deo: Non enim solet nisi ob gravia peccata sterilitas à Deo infligi, vt patet Genes. 20. vbi domus Abimelech sterilitate percussa mansit, quòd rapuisset Saram vxorem Abrahæ. Et 2. Reg. 6: vbi Michol sterilitate punitur, quod Davidem corā arca Domini ludentem irriserit: Et Oseæ 9. vbi Deus idololatris Israëlitis intentat filiorum necē, & orbitatem præ cæteris ærumnis, quia ipsi in ijs gloriabantur, & præsidebant, quasi ob eorum, & civium copiam essent inexpugnabiles: tum quia filijs suis abusi erant, non tātum ad fastum, sed ad idololatriam, cum illos immolabāt idolo Moloch, his verbis: *Da his Domine, Quid dabis eis? Da his vulvam sine liberis, & vbera arentia.* id est, Da eis pœnas & supplicia, quæ merentur. Dic quas pœnas in particulari decet me eis imprecari, & te, ô Domine, ijs infligere, quatenus filios, quos perditè amant, perdant, & hac ratione crucientur; *Da eis vulvam* &c. puni vxores earum sterilitate, vt liberos nō concipiant; aut si quos conceperint & pepererint, lactare & nutrire nequeant: vbera enim arentia, sunt quæ lacte carent

Cæterum Amos 2. cap. Deus minatur exitium Israëlitis tum ob alia scelera, tum etiam ob incestum, dum ait Propheta v. 6. *Hæc dicit* DOMINUS: *Super tribus sceleribus Israël, & super quatuor non convertam eum: pro eò quòd vendiderit pro argento iustum, & pauperem pro calceamentis. Qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum, & viam humilium declinant. Et filius ac pater ierunt ad puellam, vt violarent nomen sanctum meum.* id est: Admisit Israël, dicit Dominus, quàm multa, quæ divinum instimulant furorem, & provocant ad cædem, sed illud præcipuè, quòd pauperis iusti causā prodidit & evertit corruptus muneribus: quod perinde est, atque si iustum ipsum venderet, cum à suo iure ac possessione deiectus, cogatur iniquo creditori servire. Quod facit avarus, & infidelis iudex, ne sibi pereat vile aliquod lucrum, quale est pretium, quo emi calceamenta possunt, &c. Quibus accedit omnibus commune flagitiū, quod filius socro, id est, vxore patris, vel pater nuru, id est vxore filij abutatur; aut certè eādem puellam, aut meretricem habeat vterque pro concubina: adeoque violent nomen sanctum Dei, exponendo illud infamiæ, & ludibrio Gentilibus dicentibus: Ecce quam spurci & obscœni sunt Israëlitæ; quam spurca ergo eorum fides, & religio eorum sit oportet, & qualis eorum Deus, qui ista tolerat, nec punit! Adeoque sensus est, Deum ex iustitia cogi ad vindictam. Ezechielis quoque 22. c. enumerātur crimina Hierusalem, & inter alia adulterium & incestus: Et ob ea docet Propheta Iudæos quasi versos esse in scoriam, ideoque igne cōflandos. Primum dicitur v. 11. in verbis: *Et vnusquisque in vxorem proximi sui operatus est abominationem, & socer nurum suam polluit nefariè, frater sororem suam, filiam patris sui oppressit in te.* id est: Tam ardens fuit omnibus in venerem furor, tam præceps atque impudens in omnem turpitudinem intemperantia, vt vxori se quisque proximorum immisceat: neque socer à nuru, neque à sorore frater, à sorore, inquam, quæ ab eodem est suscepta

Levit. 20.
Genes. 20.
2. Reg. 6.
Oseæ 9.
Amos 2.
Ezech. 22.

susceptа parente, motus cohibeat prurientes: quod postremum est huius loci. Alterum dicitur vers. 19. dum ait Propheta: *Propterea hac dicit Dominus Deus: Eò quòd versi estis omnes in scoriam, propterea ecce ego congregabo vos in medio Hierusalem congregatione argenti & aris, & stanni, & ferri, & plumbi in medio fornacis: vt succendam in ea ignem ad conflandum, sic congregabo in furore meo, & in ira mea, & requiescam: & conflabo vos.* Id est, vt commentatur Theodoretus in hunc locum, *Quando scelerum colluvionem admisistis, & argēto improbo similes per omnis generis improbitatem adulterinos vos ostendistis, fornacem vobis constituam ipsam Hierusalē, & carbonum instar hostes inijciam, meamque vim & voluntatem, veluti quoddam sufflatorium commovebo, & simul vos cōflabo, vt eos qui insanabili morbo laborarint, aeque atque aliam materiam, conficiā; eos vero qui curationem admiserint, veluti quoddam purgatum argētum reddam.* Inde subdit Propheta: *Et requiescam, & conflabo vos* id est: Dimittam in fornacem, seu gladio, fame, & peste puniemini, vt eis purgemini, vel consumamini.

Theodor.

Hoc crimen tanti æstimavit Absalon, vt patre remissius agente, cum fratre Ammone, qui sororem Thamar constupraverat, & nolente contristare spiritum eius, quia diligebat eum, quia primogenitus erat, vt manum à fraterna cæde non putaret continēdam, 2. Reg. 13. Hoc rursum, tanti fecit Achitophel, vt nullo alio modo commodiùs & certiùs putaret Absaloni præcludendam veniæ viā, quâ patri reconciliaretur, quam ingressu ad cōcubinas patris sui: Cum enim Absalon Achitopheli mandaret, inire consiliū, quo alliceret sibi populares animos, inquit ille: *Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum: vt cum audierit omnis Israël, quod fœdaveris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum.* Licet rē latius explicare, vt dignoscas aciem Achitophelis eò respexisse. Achitophel, vt erat vafer, considerabat Absalonem iuvenili quadam ambitione atque æstu suscepisse cōsilium illud occupandi regni; insuper non rarò contingere, vt iuveniles impetus facile frangātur, præsertim cum aliquid incidit difficile: adeoque incertos & suspensos hærere, qui illius votis atque studijs favebant, cum existimare poterant illum mutaturū animum, & gratiam inventurum apud patrem satis exorabilem, & ad ignoscendum facilem. Ex quo sequeretur, vt populus nihil in Absalone haberet præsidij, & magnam apud parētem Regem offensionem, cum adversus illius caput, & regnum infideles manus, & animos armasset. Quare vt spem omnem veniæ à parentis benignitate sibi præcideret Absalon, atque obstinatiùs negotiū prosequeretur inchoatum, ad illud scelus illum est adhortatus Achitophel, quo nullum excogitari poterat gravius; nullum, quod magis regium animum pudore, atque dolore compungeret; nullum indignius veniâ, vt populus inde prudentem caperet coniecturam, nunquam fore vt adolescens, licèt natura lenis, aut pudore, aut metu violati parentis, in suscepta cogitatione lāgueret. Et ideo addit Achitophel, *vt roborentur tecum manus eorum.* quia illa suspicio de conciliāda pace debilitaret animos, & arma prorsus è manibus excuteret. Quare consilium illud & Absalonem Regem constituere, & illius asseclas fortunatos reddere putabatur. Hæc de tempore legis Mosaicæ.

2. Reg. 13.

2. Reg. 16.

5. Quantum ad legem gratiæ attinet, eo damnabilius hoc crimen creditum est, quāto religio fuit sanctior, vt vel ex vnius Pauli loco manifestum evadit, qui 1. ad Corinth. 5. gravissimè reprehendit totam Ecclesiam Corinthiorum, quòd non luxisset incestū vnius Corinthij: *Auditur*, inquit, *inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis vt tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* Ecce quantâ curâ satagebat, vt Prælati, & fideles etiam quique scandala de Ecclesia tollerent. *Tanta erat*, inquit Bellarm. de 1. Cor. 5.

Bellarm. Gemitu columbæ lib. 1. c. 9. *in prima illa nascente Ecclesia sollicitudo puritatis, vt vitia præsertim ad luxuriam pertinentia, ne nominari quidē vellent inter Christianos. Sic enim loquitur idem Apostolus* Ephes. 5. *scribens Ephesijs: Fornicatio, inquit, & omnis immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Cum igitur vnus quidam ex Corinthijs in incestum cum noverca lapsus esset, & hoc apud reliquos Christianos innotuisset, optabat Apostolus, vt tota Ecclesia peccatum illud publicè lugeret. Quod quia facere neglexerant, acriter illos reprehendit, &, vt ipse idem refert in Epistola posteriore, non solum per litteras eos graviter corripuit, sed multas lachrymas fudit, dum reprehensionem illam ad eos misit. *Ex multa*, inquit, *tribulatione* 2. Cor. 2. *& angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas.* Ait igitur: *Auditur inter vos fornicatio* q. d. Multa sunt in vobis reprehensione digna; ac primum illud, quod nominetur inter vos fornicatio, & fornicatio iam istic perpetrata: cùm tam procul ab hac immunditia abesse vos æquum fuerit, vt ipsum etiam nomen ignoraretis. *Et talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat.* Hoc est alterum peccatum, inquit Bellarminus, quòd fornicatio istic perpetrata, non fuerit simplex fornicatio, sed fornicatio incestuosa, & apud ipsos etiam Gentiles inaudita. Quāvis enim olim apud varias gentes incestus non puniretur, tamen paulatim intelligere cœperunt Gentiles, eam coniunctionē cum natura pugnare, & iam Apostoli temporibus, etiam apud Gentes vix audiebatur. *Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis.* Hoc est peccatum tertium Corinthiorum, quod inflati superbiâ, ita contenderent inter se, vt occupati in dissentionibus suis, nō cogitaverint de remedio tanto sceleri adhibendo. Debuissent enim tanto flagitio cognito, congregari in Ecclesiam, negotijs alijs intermissis, & publicum luctum indicere, & communibus lachrymis misericordiam Domini implorare, & facinorosum illum nisi mox resipisceret, de cœtu suo eijcere.

Vnde vult illum Paulus excommunicari communi Ecclesiæ consensu, vt sic emendetur: non quòd aliorum consensus ad hoc sit necessarius, cum Prælati nomine Ecclesiæ illa potestate fungantur, eamque exerceant: sed quia res odiosa est excommunicatio, volebat Paulus eam ex communi Ecclesiæ consensu & spiritu fieri, vt sic omnes sibi conciliaret, ne quis fornicarium virum, alioquin potentem inter Corinthianos tueretur, & Paulum nimiæ severitatis accusaret; vnde sponte sua defert illis tacitè quasi iudicium, & ex modestia Corinthios sibi asciscit, quasi iudices, id est approbatores & executores sententiæ à se latæ, vt fornicarium hunc publicè excommunicent per Ecclesię præpositum.

Sic enim solēt modesti Principes, & Duces exercitus in causa ardua & periculosa, si primarius aliquis miles plectendus sit, ne exercitum exacerbent, primariorum militum sententiam exquirere, imò illis quasi iudicium deferre.

6. Porro singulariter notandū est, quod incestus committatur non solum per copulam forniceariam in cōiugio in primo & secundo gradu: sed ex ordinatione Ecclesiæ vsque ad quartum gradum inclusivè: & per copulam fornicariam extra coniugium vsque ad secundum gradum inclusivè vt dixi.

Quæres quare Deus; quare Ecclesia respective tam rigorosè, & sub gravibus pœnis incestū prohibuerit?

Respondeo Deum, quantum ad primum gradum attinet, tam severè prohibuisse incestū, quòd sit contra ius naturæ: ita vt matrimonium inter patrem & filiam, matrem & filiū nulla ratione consistere possit; quin etiam sit indispensabile. Quæ causa est, quòd quævis Gentes liberaliter instructæ à tali coniugio naturaliter horruerunt; & huiusmodi matrimonijs indulgentes feros & barbaros iudicaverunt: vti patet ex Tertull. Apolog. cap. 9. vbi Tertull.

Chri-

Christianos à calumnia incestus vẽdicans, dicit quasdam Gentes istius flagitij esse reos; *Persas*, inquit, *cum suis matribus misceri Ctesias refert: sed & Macedones suspecti, quia quum primum Oedipum tragœdiam audissent, ridentes incesti dolorem, ἤμειν dicebant εἰς τὴν μητέρα*. id est: Ctesis etiam Cnidius, qui Persica omnia vndecim voluminibus complexus est, narrat eius gentis homines cum matribus ipsis concumbere. De Macedonibus verò quid? Nonne suo dicterio admittere facinus, probareque videntur? Cum enim dolere tantopere Oedipum propter incestum riderent illatum Iocastæ matri, in Sophoclis tragœdia ἤμειν dixerunt εἰς τὴν μητέρα, id est, in matrem evomebat excreabatque, quid est cur tantum se cõficiat? Pergit deinde confirmare mirum nõ esse, quòd inter Gentiles incestus vigeat, ex eo quòd infantes in solitudinibus, aut noctu exponerentur in trivijs, vt ab aliqua prætereunte susciperentur, qui succedente tempore adulti facilè cum patre misceri, aut fratribus cognatisque nubere poterant. Secundò, quia per adoptionem aliqui in aliam familiam emancipati, & patriâ potestate liberi transibant, quibuscum paulò post tanquam cum extraneis agebatur. Tertiò, quòd Gentiles veluti pecora quàm maximè possent, re venereâ occupabantur; nullus erat illis virginitatis odor, nullum castitatis pretium, nulla coniugij fides, aut ratio fornicationis, vbique, semper dum licebat semen, in quodcumque incitarentur, profundebant: ita vt ijs facilè miscerentur, quæ à suis patribus compressæ, aut genitæ fuerant, aut liberos procrearent, qui vt commercio hominum fit, sequenti tẽpore, pro vxore vel nuru, vel pellice haberentur. Hæc Tertullianus in Gentiles Africanos retorquet, qui tanquam innocentes, Christianos sine ratione incestus accusabãt, cum ab eo essent alienissimi, quos ipse proinde defendit, dicens: *Nos ab isto eventu diligentissima & fidelissima castitas sepsit, quantumque stupris & ab omni post matrimonium excessu, tantum & ab incesti casu tuti sumus. Quidam multo securiores totam vim huius erroris virgine continentia depellunt, senes, pueri.* id est: Christiani, cum ijs præscriptũ sit in castitate cœlibatus vivere, aut coniugij metas non transilire, in eiusmodi erroris eventum non offendunt; atque vt in primâ iuvẽtute cavent à stupris, ita post contractas nuptias ne quo modo fidem eius sacramenti excedant. plerique etiam omnis ætatis perpetuæ se virginitati propter Christum devovent. Vnde est, vt nec in fortuitum incestũ, neque in voluntarium incurrant. Hæc erat castimonia primitivæ Ecclesiæ. Verùm mirum non est, quòd Christiani ab his abhorruerint, cum etiã bruta, vt cameli & equi, non potuerunt adigi vt cum matribus miscerẽtur, teste Aristotele lib. 9. de histor. animal. c. 47. vbi duo exempla planè admirabilia refert, vti & Plinius lib. 8. naturalis histor. cap. 42. *Aristot. Plinius.*

8. Atque eadem est ratio ex probabiliori sententiâ Doctorum, de secundo & vlterioribus gradibus lineæ rectæ: quia nepotes non minus per se dependent ab avo, tanquam principio generationis suæ, quam à proprio parente, cum causa causæ sit etiam causati causa; cõsequenter nepotes avis suis, alijsque maioribus descendentibus non minorem reverentiam, & filialem submissionem (cui vsum cõiugalem adversari certum est) naturali iure debent, quam proximis parentibus. Quamobrem omnes bene institutæ gentes eiusmodi matrimonium tanquam scelestum abominatæ sunt, sicuti constat ex l. nuptiæ, ff. de ritu nuptiarum: *Nuptiæ consistere non possunt inter eas personas, quæ in numero parentum, liberorũve sunt, sive proximi, sive vlterioris sint, vsque in infinitum*. Et l. vlt. ff. eod. *Iure Gentium incestum committit, qui ex gradu ascendentium, vel descendentium vxorem duxerit.*

Simili de causa, ex probabiliori sententiâ iuri naturali repugnat, & irritum est matrimonium inter fratres & sorores: adeo vt

plerǽque etiam gentes tale matrimonium detestatæ sint, teste Aristotele lib. 2. Polit. cap. 2. Quamobrem Abraham Genes. 12. satis putavit suspicionem coniugij à se remotum iri apud Aegyptios, si diceretur Sara eius soror esse. Nam inter fratres & sorores ob sanguinis coniunctionem est quidam naturalis pudor ac reverentia, cui valde adversatur actus coniugalis, turpitudinem alterius revelans. Accedit eos ab incunabulis simul habitátes, valde ad concubitum inflammandos fore, nisi coniugia sibi à naturæ auctore interdicta esse persuasum haberent. Excipio tamen casum necessitatis. quádo nulli præter fratres & sorores ad humani generis propagationem superessent. Sic S. Augustinus lib. 15. de civit. cap. 16. vbi tradit matrimonia inter fratres & sorores solo mundi exordio licita fuisse, humani generis propagádi necessitate compellente. Idem iudicium esse de primo gradu affinitatis lineæ rectæ, puta inter vitricum & privignam, novercam & privignum, socerum & nurum, socrum & generum: quia omnes gentes bene institutæ talia quoque matrimonia abominatę sűt, sicuti colligitur ex l. si adulterium, ff. ad l. Iuliam de adulter. l. vlt. §. noverca, ff. de condictione sine causa, & cap. 2. Amos, vbi Deus inter alia scelera exprobrat Israëli, quòd *filius & pater eius ierunt ad puellam* constuprandam, eaque re *violasse nomen sanctum Dei*, reddendo illud detestabile gentibus, quæ videlicet talem copulam pro detestabili haberent. Item ex Apostolo 1. Corinth. 5. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat.* Neque enim Apostolus id scelus exaggerare videtur propter illatam iniuriam patri (si ille adhuc in vivis fuerat) sed propter insolitæ fornicationis atque libidinis turpitudinem.

Aristot. Genes. 12. August. Amos. 2. 1. Cor. 5.

10. Quod autem Dominus in secundo gradu consanguinitatis lineæ transversæ matrimonium prohibuerit per legem iudicialé Levit. 18. id factum crede, quia turpe est cum cognatâ matrimonium contrahere, siquidem ipsa natura dictat reverentiam quamdam ipsi deberi, quacum pugnat copula carnalis, teste Bellarm. loc. cit. adeoque propter indecentiam. Vnde iure naturali nó est irritum eiusmodi matrimonium, quandoquidem in lege naturæ talia validè & licitè contracta leguntur: & olim lege iudiciali, nunc vero Ecclesiasticâ sanctione prohibita fuerint: atque adeo permitti ob rationabilem causam, præsertim publicâ accedente auctoritate possunt.

Levit. 18. Bellarm.

11. Quantum vero ad Ecclesiam attinet, quæ *columna est, & firmamentum veritatis*, & potestatem habet condendi leges de gradibus cognationis, vide Conc. Trident. sess. 24. c. 3. & 4. Vbi prohibuit matrimonium cum consanguinea, & affine vsque ad quartum gradum inclusive; & ex fornicaria copula vsque ad secundum gradum inclusive. Ratio ducitur ab honore qui consanguineis & affinibus debetur. Docet enim ipsa natura, parentibus, & consequenter alijs consanguineis, & affinibus deberi peculiarem verecundiam, reverentiam, seu cultű & observantiam. Huic autem reverentiæ repugnat maximè coniugalis actus, qui sine turpitudine quadam, & irreverentia exerceri nó potest. Hinc Augustinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 16. *Nescio quomodo inest humanæ verecundiæ quiddam naturale, atque laudabile, vt cui debet propinquitatis causa verecundiam, ab eâ contineat quamvis generatricem tamen libidinem, de qua erubescere videmus & ipsam pudicitiam coniugalem.* Hæc auté ratio eousque valet, quovsque habetur notitia cognationis: solent autem homines ordinariè vsque ad quartam generationem se cognatos agnoscere, deinceps autem vix vlli sunt, qui se pro cognatis habeant.

August.

Altera ratio ducitur à consuetudine, & familiaritate, quæ inter cósanguineos & affines esse debet. Nam parentes, & filij, fratres, & sorores

rores, avi, & nepotes, noverca & privigni in eadem domo habitant, & assidue noctu, & interdiu simul versantur: cœteri etiam propinqui, crebrò & frequenter propinquos adeunt, & cum illis manent. Vt autem ista intima consuetudo innoxia esset, oportuit omnino inter istas personas coniugia prohibere: alioqui enim tria mala ex ista assidua conversatione nascerentur. Vnum, quòd nimis facilè, & nimis etiam citò, ac temerè matrimonia conciliarentur. Deinde maxima præberetur incestibus occasio: faciliùs enim peccata committuntur cum eis, cum quibus ius est matrimonij contrahendi, quàm cum alijs. Denique essent omnia plena malis suspicionibus; & affabilitas, blanditiæque, & oscula, quæ nunc inter propinquos pietatis sunt, tunc libidinis esse non temerè crederentur. Atque hanc rationem amplificat S. Ambros. in epist. 66. ad Paternum. Ambros.

Tertia ratio sumitur à studio charitatis inter extraneos dilatandæ. Nam per matrimonia coniunguntur, & colligantur homines vinculo necessitudinis. Quod si inter propinquos matrimonia contrahantur perit hic fructus amplissimus propagandæ necessitudinis: nam ad vnam personam multa vincula inutiliter restringuntur, quæ in multas vtilissimè spargi potuissent. Si enim frater, exempli causâ, sororem ducat vxorem; idem erit frater & maritus respectu vxoris; & idem erit filius, & gener respectu patris; & ille erit simul pater, & socer respectu filij. Itaque duo vincula dilectionis reducũtur ad vnum, quæ duos vnire potuissent. Hinc rationem adfert idem Ambrosius in eadem epist. & Augustinus lib. 15. civit. c. 16 August.

Quarta ratio sumitur ab vsu moderato officij coniugalis. Cum enim naturaliter consanguinei diligãtur, si adderetur etiam amor coniugalis, cresceret plus debito carnalis amor. Quæ ratio ex Aristot. in 2. lib. deprompta est. Aristot.

12. Quæ singulariter notanda veniunt ijs, qui hoc etiam tempore, cũ de singulis accuratissimè populus instruitur, audent prætendere matrimonia absque scrupulo in primo gradu affinitatis, v. g. cũ altera duarum sororum, cum quibus peccarũt; aut è contra cum altero duorum fratrum; quasi in hoc nullus foret scrupulus: tum quòd inter illos matrimonium consistere sine Pontificis auctoritate nequeat: tum quod peccatum incestus graviter Deum offendat, vt constat ex dictis; & frequentia eiusdem mensuram peccatorum adimpleat, Deumque ad vindictam compellat, vti videre est Levit. 18. v. 27. vbi dicitur gens Chananæa inter alia è terrâ optimâ eiecta ob hoc crimen, in verbis: *Omnes enim execrationes istas fecerũt accolæ terræ, qui fuerũt ante vos, & polluerunt eam. Cavete ergo ne & vos similiter evomat, cum paria feceritis, sicut evomuit gentem, quæ fuit ante vos.* id est: Gens illa Chananæa incestus, adulteria, idololatriam, Sodomiam, & similia commisit, cuius scelera visitabo eousque donec terra evomat habitatores suos, illos ad alias sedes compellendo, vel interficiendo. Cavete ergo à similibus peccatis ne eadem pœnâ plectamini. Levit. 18.

13. Ad maiorem intelligentiam nota verbum *evomere* esse hyperbolicum, illudque terræ non convenire sed mari. quod conchas, testas, & similia naturalia eijcit: sed vitam & actionem animalem tribui rei inanimæ, sicut dicitur Sapient. 1. *Excandescit in illos*, supple improbos, *aqua maris.* Et Rom. 8. *Omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc.* Vt hisce tropis Scriptura significet enormitatem criminum, ac ipsas creaturas irrationales suo Creatori semper obedientes, & pro illo pugnantes, detestari peccatores tales, terramque horum criminum reos quasi evomere, eum illos ab eâ expellit, aut de medio tollit. Cũ enim tria sint quibus humana societas coalescat, contineatur, & conservetur, nempe religione erga Deum, æquitate, & iustitiâ erga homines; ac demum rectâ Sapient. 1. Rom. 8.

vivendi disciplinâ, & rationabili quadam morum institutione, & compositione, hinc fit vt promiscuè atque indifferentes mulierum ac virorum coniunctiones, sine vlla distinctione ac respectu cognationis, vel affinitatis frequenter mensurā impleant peccatorum, & Dei iram provocent ad vindictam.

14. Rursum hæc notanda veniunt, eò quòd coniugati incestum committentes, reatu mortis æternæ ante dispensationem debitum petere prohibeantur. Adhæc quòd prohibeantur viri mortuâ vxore aliam ducere, & etiamsi duxerint, debitum petere, licet non sit de consanguineis vxoris. Inducit enim hoc peccatum, quod attinet ad aliam ducendam, impedimentum, non quidem dirimens, sed impediens, quod colligitur cap. *Transmissa*, de eo qui cognovit consanguineam vxoris. Et 32. q. 7. multis capitulis.

Demum hęc scitu necessaria sunt, quia ad confessionis integritatem non sufficit dicere, incestum commisi: sed exprimendum est, iuxta quorundam Doctorum sententiam, in quoto gradu consanguineam aut affinem cognoveris, & secundum omnes, extra controversiam necessariò exprimendus est primus gradus, cum in eo contingit prępvaricari, si quis velit confessionem esse integram.

Discursus III.

In idem Præceptum: Non Mœchabris.

De peccato contra naturam.



SAnctus Tobias cum putaret sibi mortem imminere, monuit filium suum ab omni illicitâ copula abstinere, dicens *Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, & præter vxorem nunquam patieru crimen scire.* Quibus verbis indicat omnem luxuriam, præterquam quæ in coniugio est, esse criminalem, quod partim ostendi, dum de adulterio, & de incestu latiùs egi. Nunc verò inquiram, quæ luxuria dicatur contra naturam, & quale illa sit peccatum. (Tob. 4.)

1. Vitium igitur contra naturam sub genere luxuriæ definitur, *Actus ex quo non potest sequi humana generatio; sive quo pervertitur ordo, quem natura in cæteris animantibus præscripsit, & quo conceptio fieri nequit.* Isque contingit quatuor modis. Primò, quando concubitus fit cum personâ eiusdem speciei ac sexus, maris cum mare, feminæ cum feminâ, quæ dicitur Sodomia. De qua Apostolus ad Rom. 1. deplorans dicit: *Feminæ eorum* (traditorum à Deo passiones ignominiæ) *immutaverunt naturalem vsum, in eum vsum qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali vsu feminæ, exarserunt in desiderijs suis in invicem, masculi in masculos operantes.* Secundò, cum inter personas eiusdem speciei & diversi sexus, nō servatur naturalis concumbendi locus. Tertiò quando concubitus fit cum alterius speciei supposito, videlicet cum bestia, quæ proinde dicitur bestialitas. De qua dicitur Levit. 18. *Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo; Mulier non succumbet iumento, nec miscebitur ei, quia scelus est.* Quo etiam revocatur concubitus cum dœmone in forma hominis vel bruti. Quarto cum absque concubitu profusio seminis procuratur, quæ mollities dicitur, & peccatum pollutionis. (Rom. 1.) (Levit. 18.)

De hoc vitio acturus Chrysostomus coram populo apud quem flagrans illa libido dominabatur, (correptis illis, qui Circensibus ludis, & reli- (Chrysost.)

reliquis spectaculis interesse iugiter, vrbanitatem & facetias vocabant; taxatis etiam ijs, qui irreconciliabiles fiebant inimici eius, qui vel mulierem adulteram, vel stupratum puerum ex actu ipso vocaverat, quasi maximis iniurijs illos affecisset; alijsque vitijs refutatis) subdit tandem: *Nondum supremum verticem, & culmen malorum omnium dixi, necdum summam totius calamitatis revelavi: quã cum sæpe dicere instituerem, verecundiæ ac ruboris magnitudine superatus destiti. Quid vero istud est? Audiendum enim iam, ac dicendum est. Nam esset profectò incredibilis ignaviæ & imperitiæ, si pestem aliquam resecare cupientes, ne mutire quidem adversus illam auderemus, silentioque nostro morbum illum eccusare, & graviorem constituere vellemus. Non itaque silebo amplius, etiamsi millies & pudendum mihi & erubescendum fuerit. Neque enim Medicus, cum putredinem exprimere & extergere parat ex vulnere, ferrum manibus arripere devitat, aque in ipsum, vt ita dixerim, vulneris fundum digitos dimittere. Et nos itaque, si sit ista longe gravior & molestior putredo, non tamen de hisce loqui recusabimus. Quod ergo tandem istud malum est? Amor quidam novus & nequissimus nostrâ ætate, atque in nostrum genus irrupit, & latè dominatur. Morbus irruit acerbus atque insanabilis. Pestis teterrima, atque omni pernicie immanior & gravior invecta est. Non enim scripta & constituta modo, verum ipsæ quoque naturæ pervertuntur leges.*

2. Quæres, quale illud sit peccatum. Respódeo peccatum esse mortale, idque gravissimum, prohibitum Levit. 18. in verbis: *Cum masculo non commiscearis coitu femineo, quia abominatio est.* Et hinc Loth Genes. 19. cum Sodomitę vellent peccare cum Angelis, quos in domum suam sub specie hominis ingredientes susceperat, perturbatus, & in re ancipiti perplexus, volens omnibus modis hospitum talium, tamque venerandorum indemnitati, honori, & pudicitiæ consulere, filias obtulit, tanquam minus malum suadens ad evitandum maius, dicens: *Nolite, quæso fratres mei, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum: educam eas ad vos, & abutemini eis sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub vmbra culminis mei.* non advertens se hac ratione iniuriam facere filiabus suis.

Levit. 18. Genes. 19.

Hoc ipsum patet ex gravi pœna, quâ hoc peccatum Dominus ibidem punivit, nempe ignis, quo Sodomã & Gomorrham aliasque duas civitates voluit conflagrare, & habitatores earundem consumi, ac subitâ flamma corripi, vt nec tempus, nec sensum haberent pœnitendi, vt insinuant illa verba: *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo.* Id est, non ex causis naturalibus fecit pluere ignem & sulphur, sed suâ omnipotentiâ, vt colligeretur cœlestis & divina esse plaga, quâ *subvertit civitates has, & omnem circà regionem, vniversos habitatores vrbium, & cuncta terra virentia.* Mira profectò & inaudita libidinis Sodomiticæ plaga & vltio. Pentapolis antea fertilis erat, & amæna instar paradisi; post peccatum & cœlestem conflagrationem, tota effecta est squalida & putida: nam pars extima mansit cremata & cinerulenta. hîc natæ arbores pulchra dant poma, sed si ea tangas, in favillam vertuntur: reliqua interior pars putidissimis aquis è terrâ erumpentibus tecta, quibus passim innatant moles bituminis, has putei, quibus vallis hæc erat plena, ex imo evomuere; vnde hic lacus dictus est Asphaltites, & quia pisces non fert, nec aliquid vivum, dicitur mare mortuum, & à salsedine salsissimum; à loco verò campestri & deserto dicitur mare solitudinis, quod per 72. milliaria in longum, & per sex in latum excurrit. influit in hunc locum Iordanis, & pisces cum eo, qui mox vt lacum ingrediuntur, emoriuntur. Si quod verò animal vivum, puta equus, bos, homo in eum inijciatur, supernatat, nec mergitur. ita Tertul. in carm. de Sodoma, Iosephus, Orosius, Tacitus, Solinus, Plinius & alij, vbi agunt de Asphaltite.

Tertull. Iosephus. Orosius. Tacitus. Solinus. Plinius.

Addit

Philo. Addit Philo lib. de Abraham, mare hoc, siue lacum continuum fumum & sulphur, quasi reliquias huius incendij exhalare. Et Borchardus oculatus testis in descriptione terræ sanctæ. *Mare mortuum*, inquit, *semper est fumans & tenebrosum, sicut ego oculis meis vidi, vt videatur esse os inferni; adeo tetrum vaporem fumat, vt vicina ad mediam diatam, scilicet ad quinque vel sex leucas, sterilia reddat, ita vt ne germen quidem producant.* Quin & Sapiens Sapient 10. 7. *In testimonium*, inquit, *nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, & incerto tempore* (intempestivos, immaturos, imperfectos, evanidos) *fructus habentes arbores.* Si hæc in Sodomis facta sunt, quid fiet in gehenna? videte mortales, videte carnales exemplum & typum vestrum, 2. Pet. 2. v. 6. *Civitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens* (Deus) *eversione damnavit, exemplũ eorum qui impiè acturi sunt ponẽs.* Et,

Sap. 10.

2. Pet. 2.

Virgil. 6. Æneidos.

Discite iustitiam moniti, & non temnere Divos.

Quis ex vobis habitare poterit cum igne devorante corpora & animas? habitare cum ardoribus sempiternis? hoc igne, ignisque meditatione suffocate ignem concupiscentiæ vestræ. Nam omnes ignes, omnesque pœnæ huius mundi respectu ignis & cruciatus inferni, sunt tantum quasi ignis pictus ad verum & magnum ignem, ait S. Polycarpus presbyter in vita S. Sebastiani.

3. Hæc porro pœna in lege naturæ inflicta est à Deo, quod passim omnes huic vitio obnoxij essent, vel actu, vel affectu, vel consensu. Cæterum Levit. 20. præscribitur Iudici pœna, quâ puniendus venit huic crimini in particulari obnoxius, his verbis: *Qui dormierit cum masculo coitu femineo, vterque operatus est nefas: morte moriantur, sit sanguis eorum super eos.* Hanc pœnam Abulensis existimat fuisse lapidationis, quòd in initio dicatur: *Populus lapidabit eum*, Et in fine capitis: *lapidibus obruent eos*, eaque sic ad omnes casus & crimina istius capitis referri videtur, excepto incestu, pro quo pœna ignis ibidem specificatur.

Levit 20.

Abulensis

4. Iure civili crimen hoc iam gladio, iam igne puniri solet. Prius patet ff. ad legem Iuliam de adulteris vbi gladio puniri iubet Constantinus: *Cum vir nubit in feminam, viris porrecturam, quid cupiatur, vbi sexus perdidit locum? vbi scelus est id, quod non proficit scire? vbi venus mutatur in alteram formam? vbi amor quæritur, nec videtur? iubemus insurgere leges, armari Iura gladio vltore; vt exquisitis pœnis subdantur infames, qui sunt, vel futuri sunt rei.* Posterius ex C. Theodosiano l. 9. tit. 7. vbi sic habetur: *Imperatores Valentinianus, Theodosius, & Arcadius A A A. Orontio vicario vrbis Rom. Omnes, quibus flagitij vsus est, virile corpus muliebriter constitutum alieni sexus damnare patientia (nihil enim discretum videtur habere cum feminis) huiusmodi scelus spectante populo flammæ vindices expiabunt.* Eidem flagitio iure communi constituta est ipso facto confiscatio bonorum, iuxta Glossam in c. *Cum secundum.* 12. vers. Naturæ contrarias. de hæret. in B.

5. Posteriori pœna hoc tempore flagitium hoc adhuc punitur. Nec excusat quod id fiat cum coniuge, quod certè non omnes, vt par est, condemnant, cum plerique sibi omnimodam licentiam cum vxore concessam existiment. Longè aliter D. Paulus 1. Thessal. 4. monet coniugatos, non solum abstinere à fornicatione: sed etiam vt vxore sua honestè & castè vtantur, dum ait: *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum, vas suum possidere in sanctificatione, & honore; non in passione desiderij, sicut & Gentes quæ ignorant Deum.* id est: Hæc est voluntas Dei, vt non solum abstineatis ab adulterio & incestu, quæ nomine fornicationis Scriptura comprehendit, vt clariùs patet Matth. 5. vbi dicitur: *Qui dimiserit vxorem suam, exceptâ causâ fornicationis* (id est, adulterij) Et 1. Cor. 5. *Auditur inter vos fornicatio; qualis nec inter Gentes*, id est incestus: sed etiam vt noveritis propriâ vxore vti cum sanctitate & honore, id est,

1. Thessal. 4.

Matth. 5.

1. Cor. 5.

id est, castè & honestè. Nam & natura nos monet honorem adhibere inhonestis, ipso Apostolo teste 1. Cor. 12. *Quæ putamus*, inquit, *ignobiliora esse membra corporis. his honorem abundantiorem circumdamus, & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent.* id est: Inhonestiora, in quibus maximè peccatum regnat concupiscentiæ, diligentiùs & honestiùs tegimus, atque vestimus: non autem eiusmodi libidine, qua dignitas coniugalis dehonestetur. hoc enim est eorum qui ignorant Deum, & *qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ*, vt dicitur Ephes. 4.

1. Cor. 12.

Ephes. 4.

Apposite in hanc rem D. Augustinus serm. 105. in novis: *Si immoderatiùs, ait, vxore tuâ vsus fueris, tametsi re tua vtaris; tamen re concessa immoderatiùs vtendo, corrumpis templum Dei. Nam & vinum de Apotheca tua bibis, & tamen si sic bibis vt inebrieris, non quia re tua vsus es, ideo non peccasti; donum enim Dei ad corruptionem tuam convertisti.*

August.

6. Quin imò docet Thomas Sanchez non solum esse Sodomiæ peccatū abuti propriâ vxore, sed etiam adulterij. Et probatur verbis Ambrosij lib. de Patriarchis, & habentur c *Nemo sibi* q. 4. vbi dicit: *Nec hoc solum est adulterium cum aliena peccare coniuge, sed omne quod non habet potestatem coniugij.* quasi dicat: Omne id ad quod potestas corporum per matrimonium concessa minime se extendit, adulterium est; quod fit quando talis est copula extra vas legitimum cum propriâ vxore.

Sanchez lib. 9. de Matr. disp. 18.

Ambros.

Omitto pœnam futuri seculi, quæ huius sceleris reos affliget. De qua sic Chrysost. lib. cit. *Immittet in illos*, supple Deus, *penitus manum illam validissimam & plagam non ferendam, doloremque cruciatuum sempiternorum adeo gravissimum, vt si Sodomorum clades illi conferatur, ludus puerorum esse existimetur.* Rationem addit, quod tales etiam bruta impietate superent: *Quam enim*, inquit, *barbarorum feritatem isti non sua improbitate transcenderunt? Quod belluarum genus congressu suo impurissimo non superaverunt? Est in quibusdam mutarum animantium à natura insitus libidinis ardor incredibilis, cupidoque intolerabilis, & in nullo ab insania differens: quæ tamen hunc amorem non norunt, sed intra leges à natura præstitas permanserunt; neque si millies libidine vrantur, naturæ vnquam præterlabuntur legem.*

6 Quæres vnde contingat hominem in vitium tam enorme ruere. Respondeo varias esse causas. Aliquas exprimit Ezechiel cap. 16. vbi Dominus Hierosolymitarum scelera ostēdens longè superare, & transcendere crimina Sodomitarum, inquit: *Vivo ego dicit Dominus Deus, quia non fecit Sodoma soror tua ipsa, & filiæ eius, sicut fecisti tu, & filiæ tuæ.* Hoc ex me, ô Hierosolyma, iurato accipe: neque sororem tuam Sodomam, neque eius filias eò fuisse olim in peccando progressas, vt scelerum tuorum mensuram adæquaverint. Et tum subiungit: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius: & manum egeno & pauperi non porrigebant.* id est: Hæc fuit Sodomæ sororis tuæ (nempe tibi similis in malitia) impietas, & funesti casus certa materies; superbus spiritus, & inflatus animus, splendida, ac cibis onerata mensa; saturitas & abundantia, & tam ipsius, quam filiarum eius otium, & quies. Adde his animum inclementem, & durum; cùm enim rebus omnibus ad satietatem affluerent, nihil tamen ex ea bonorum abundantia indigenti, ac pauperi porrigebant.

Ezechiel. 16.

7. Prima itaque illius incendij fax fuit superbia, quæ iram Dei inflammat contra se, & pestem invehit civitatibus, quæ diu stare nullo modo possunt, quia Deum habent in suum exitium armatum, & intentum. Prov. c. 16. *Contritionem præcedit superbia; & ante ruinam exaltatur spiritus.* Et cap. 15. *Domum superborum demolietur Dominus.* De Moab Hieremias cap. 49. *Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui, qui habitas in cavernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collium, cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, ait Dominus.*

Prov. 16.

Prov. 15.

Hier. 49.

nus. id est arrogantia tua, & inflatus spiritus tot te calamitatibus implicuit: nam cùm belluarum more in cavernis habites, terræque voraginibus, sic te insolẽter effers, vt summa appetas montium fastigia, & locum deberi tibi principem putes. Si in altum ascenderis, & sicut aquila in rupibus nidum tibi construxeris, inde te ad infima deijciam.

8. Secunda fuit, saturitas panis, id est, ciborum & deliciarum: In pane enim omne, quod esculentum est, significatur: hinc Luc. 14. cap. dicitur Dominus ingressus ædes cuiusdam Principis Pharisæorum sabbatho manducare panem: cum potatio & commessatio Dei oblivionem induxit. In quam rem appositè D. Hieronymus in Ezech. scribens, dicit: *Superbia, saturitas panis, rerum omnium abundantia, otium, & deliciæ, peccatum Sodomiticum est, & propter hoc sequitur Dei oblivio, quæ præsentia bona putat esse perpetua, & nunquam sibi necessarijs indigendum. Quapropter & lege Deutr. 8. præcipitur: Attende ne comedens & bibens, & saturatus, ædificatis domibus optimis, habensque oves & boves, argentum & aurum, obliviscaris Domini Dei tui. Et in alio loco, Deuteron. 32. de Israël scriptum est: Manducavit & bibit, & saturatus est, & impinguatus, & calcitravit dilectus. Quod sciens sapientissimus omnium Salomon in Prov. cap. 30. deprecatur: Tribue mihi necessaria, & quæ sufficiant, ne saturatus mendax fiam, & dicam: Quis me videbit? aut pauper effectus furer, & peierem nomen Dei mei.* Id autem facilè edocti erant, exemplo Sodomorum, qui cum habitarent in regione omnibus rebus abundante, quæque esset instar paradisi, in omnia se turpitudinis genera laxarunt. Vnde rursum Hieronymus epist. ad Furiam: *Non Aetnæ ignes, non Vulcania tellus, Vesuvius & Olympus tantis æstuant ardoribus, vt iuveniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ.*

9 Tertia fax fuit otium, quo necesse est multa commitantur vitia, teste Ecclesiastico cap. 23. Et Bernardus lib. 2. de Consid. ad finem. *Otiositas mater est nugarum, & noverca virtutum omnium. Ipsa enim est, quæ virum fortem fortissimè præcipitat in reatum, facit ei suffocare virtutem, & viam construere ad gehennam.* Vnde de Moabitis, qui prope mare mortuum habitabant Sodomæis vicini, dixit Ieremias cap. 48. *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, & requievit in fæcibus suis, nec transfusus est de vase in vas, idcirco permansit gustus eius in eo, & odor eius non est immutatus.* Qua allegoriâ significat Propheta, quid otium, & inertia in Moabitarum animis aluerit; nempe quòd fœcem olet, & aliquid à situ turpidum, & putre. Vt autem Moab gustum illum gravem, & austerũ deponeret in transmigrationem abijt; sic vt Iudæorum populus otiosus iam & segnis propter abundantiam, gravem peccatorum halitum cum fœcibus deponeret, iactandus est variè, & tandem in exilium, tanquam in lagenam aliam transfundendus. Illustrat hãc rem Chrysostomus hom. 7. in 2. Corinth. pulchris similitudinibus: *Sicut, inquit, terra non occupata semente aut consitione, quamlibet herbam producet: sic & anima quoties non habet quod agat rerum necessariarum. cum omnino cupiat aliquid agere, pravis actionibus semet tradit. Et quemadmodum oculus non desinit cernere, atque ab hoc cernit mala, si quando bona non sint obiecta: sic & cogitatio quoties se abducit à necessarijs, circa inutilia iam versatur; nam vndequaque perspicuum est, quod occupatio ac solicitudo valet primum incursum repellere. Hinc S. Antonius à Deo audivit: Antoni, quæris Deo placere? ora & dum orare non poteris, manibus labora, & semper aliquid facito. Quamdiu David exercuit se in militia, non insultavit illi luxuria, sed postquam otiosus in domo remansit, laboravit adulterio, & homicidium commisit. Samson dum cum Philistæis pugnavit, non potuit capi ab hostibus, sed postquam dormivit in sinu feminæ, & otiosè cum ea remansit mox capitur, & cæcatur ab hostibus. Salomon dum occupatus esset in ædificatione templi, non sensit luxuriam, sed mox recedens ab opere persensit insultum luxuriæ, & adoravit vitulum aureum.*

Rursum

Luc 14. Hieron. Deut. 8. Deut 32. Prov. 30. Hieron. Eccles 23. Bernard. Ierem. 48. Chrysost.

Idem. Rursum Chrysostomus homil. 53. in acta Apostolorum sic philosophatur: *Quis, inquit, vtilior est, is qui in delicijs, vel qui exercetur? Quæ navis, ea quæ navigat, vel ea quæ in littore manet? Quæ aqua, eane quæ fluit, vel quæ stat? Quod ferrum, an quod movetur, vel quo nemo vtitur? nonne illud quidem splendet, ac argento simile est, hoc autem rubigine consumitur, & vbique inutile est? Tale quiddam fit etiam in otiosâ animâ. Rubigo enim quædam apprehendit illam, & consumit splendorem, ac alia omnia.* Deinde pergit graphicè otiosi hominis inertiam & turpitudinem depingere.

10. Quarta fax fuit, immisericordia in pauperes, vt indicatur illis verbis, *Manum egeno, & pauperi non porrigebant.* Qui enim crudeles sunt in proximum, crudeles quoque sunt in naturam, violando eius generationem. Cum enim fœcundos colunt agros, & glebam vberem, quo maior est segetum, plantarumque proventus, eo putant gulæ, atque voluptati plura esse impendenda: & hinc rebus omnibus affluentes alios fame perire patiuntur, alijs transitum negant innoxium, vt patet Numer. 20. Num. 20. vbi Idumæi obnixè pro eo rogantibus Israëlitis minantur arma, imò de facto armis impediunt, etiamsi pro aquâ quam fortè babituri erant, pretium offerrent. Res clarè indicatur verbis Textus: *Misit intereà nuntios Moyses de Cades ad Regem Edom, qui dicerent: Hæc mandat frater tuus Israël: Nosti omnem laborem qui apprehendit nos, quomodo descenderint patres nostri in Aegyptum, & habitaverimus ibi multo tempore, afflixerintque nos Aegyptij, & patres nostros: & quomodo clamaverimus ad Dominum, & exaudierit nos, miseritque angelum, qui eduxerit nos de Aegypto. Ecce in vrbe Cades, quæ est in extremis finibus tuis, positi, obsecramus vt nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas, nec bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemur viâ publicâ, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos. Cui respondit Edom: Non transibis per me, alioquin armatus occurram tibi. Dixeruntque filij Israël: Per tritam gradiemur viã: & si biberimus aquas tuas, nos & pecora nostra, dabimus quod iustum est: nulla erit in pretio difficultas, tãtùm velociter transeamus. At ille respondit: Non transibis. Statimque egressus est obvius, cum infinitâ multitudine, & manu forti. nec voluit acquiescere deprecanti, vt concederet trãsitum per fines suos; quam ob rem divertit ab eo Israël.* Iam verò qui crudeles sunt in alimoniam, & vitam proximi, crudeles itidem sunt in eius corpus, vt eo per pudendas libidines probrosè abutantur. Sic Sodomitæ, quia erant crudeles in hospites & peregrinos, idcirco angelos corpore indutos, & quasi peregrinos divertentes in Sodomam ad Lot, appetierunt ad nefarium concubitum, Genes. 19. 5. Immisericordia enim & Genes. 19. crudelitas faciunt, vt qui eâ laborat, non respiciat pudicitiam, nec famam, nec corpus, nec vitam proximi, præsertim exteri, aut peregrini; sed ijs omnibus quasi mancipijs crudeliter ad suam libidinem abutatur, eaque quasi res viles, & nullius pretij prodigat, & profundat. Ita crudelis Ammon nihili fecit pudicitiam, & famam sororis suæ Thamar, sed eâ quasi vili scorto abusus est, 2. Reg. 13. 2. Reg. 13.

11. Quinta verò & præcipua igitur est, quod in pœnam peccatorum meruerunt à Deo deseri, & deserti in nefanda crimina impingere, vt apertissimè exprimit Apostolus ad Roman. 1. dum de illis, qui Deum, vt par est, non glo- Rom. 1. rificaverunt, dicit: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam*, id est, Permisit eos suæ concupiscentiæ, dæmoni, & occasionibus peccati, vt fornicatione, adulterio, sodomiâ & similibus peccatis corpus suum dedecorarent, *mercedem (quam oportuit) erroris sui in semetipsos recipientes*, inquit Scriptura, seu compensationem pro meritis. q. d. Quia contra naturę ordinem cũ ignominiâ Creatoris, eo relicto ad creaturæ idololatriam se con-

verterunt, hac de causa iustè à Deo permissi sunt naturæ ordinem pariter in actu generationis invertere, & pudendâ libidine se dedecorare, & appetere ea, quæ bruta etiam aversantur. quod propriũ estDei legem prævaricantium: *Quidquid enim*, inquit Chrysostomus, *terminos à Deo statos transgreditur id absurdarum, ac minimè legitimarum rerum appetens est. Quemadmodum enim fieri sæpe videmus, vt qui ciborum appetitionem amiserint, terram ac lapillos comedant: quique impotenti siti correpti fuerint, ij & cœnum quoque nonnunquam ad bibendum appetant: ita & illi ad huiusmodi amorem illegitimum efferbuerunt.* Chryſoſt. hom. 4 ad Rom.

Hinc docent Theologi peccata sequentia præcedentium peccatorũ esse pœnas; ita Magister Sentent. in 2. dist. 36. & S. August. lib. 5. contra Iulian. cap. 5. vbi sic ait: *Crimina criminibus vindicantur, & supplicia peccantium non tantum sunt tormenta, sed & vitiorum incrementa.* Et in Psalm. 57 in illud: *Supercecidit ignis. Inter primum*, ait, *peccatum apostasiæ & vltimam pœnam ignis æterni, media quæ sunt, & peccata sunt, & pœna peccati*; & paulò superius, in illud eiusdem Psalmi: *Iniquitatem manus vestræ connectunt*, docet quamdam peccatorum inter se colligationem, & velut catenam, in qua alia sint causa sequentium peccatorum alia pœnæ præcedentium. Auguſt.

Pulchrè hac de re Gregor. lib. 25. Moral. cap 9. dicens: *Peccatum quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit: Vnde fit vt non solùm peccatum sit, sed peccatum & causa peccati. Ex illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex qua cæcata mens ducitur, vt peius ex alio ligetur. Sed peccatum quod ex peccato oritur, non iam peccatum tantummodo, sed peccatum est & peccati pœna: quia iusto iudicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, vt præcedentis peccati merito in alijs cadat. Quem enim liberare noluit, deserendo percussit. Non ergo immerito pœna peccati dicitur, quod iustâ desuper irrogatâ cæcitate, ex præcedentis peccati vltione perpetratur. Quod videlicet agitur dispositione superius ordinata, sed inferius iniquitate confusa, vt & præcedens culpa sit causa subsequentis: & rursum culpa subsequens, sit pœna præcedentis. Quod bene in infidelibus & lubricis Paulus quasi quoddam semen erroris aspexerat, cum dicebat: Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis. Sed quod ex huius erroris semine pullulavit, illico adiungit, dicens: Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam: vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis. Quia enim cognoscentes Deum peccatum superbia intelligendo commiserunt, cæcantur etiam ne intelligant, quod committunt. Et qui intelligentiam suam sequi nolunt in peccato & causa peccati, & ipsum lumen intelligentiæ perdunt in peccato, & pœna peccati.* Gregor.

12. Verùm enimverò hæc satis quoad tres priores modos, quibus dixi peccari contra naturam. De quarto aliquid dicendum restat. Nam huiusmodi crimen à regno Dei excludit, dicente Apostolo 1. Corinth. 6. *Neque molles regnum Dei possidebunt.* Et non raro committi solet, vel in matrimonio, ne vxor morbo laboret, dum concepit in vtero, vel ne numerus prolium nimium succrescat: vel extra matrimonium, vt libido sic cesset titillare. Nostis quid velim. Volo me coarctare, & hoc dumtaxat depromere, quod Scriptura suppeditat: ita enim iubet verecundia. Genes. 38. duo filij Iuda successive iuncti fuerunt matrimonio Thamar. Primus nomine Her sese in matrimonio retraxit, vt semẽ extra naturale vas vxoris profunderet: idque fecit ex libidinis intemperãtia, ne scilicet puerperia, & liberorum educatio aliquid de pulchritudine suæ vxoris, ac consequenter de sua delectatione venerea decederet. Ipso mortuo Onan frater eius debebat suscitare semen fratri suo, vnde illam duxit in vxorem iuxta legem Deut. 25. cap. Verùm ex alio motivo, eoque graviore & scelestiore, id est, 1. Cor. 6. Genes. 38. Deut. 25.

id est, ex invidia profudit semen in terram vt habetur v. 9. *Ille sciens non sibi nasci filios, introiens ad vxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur.* Hinc dicitur de Her, *quod nequam erat in conspectu Domini, & ab eo occisus est.* De Onan vero vers. 10. dicit textus: *Idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem fecerat.* Itaque tam Her quam Onan, ob peccatum mollitiei occisi sunt à Deo per angelum malum, vt videtur, puta per Asmodæum. Hic enim occidit libidinosos maritos Saræ, Tobiæ 3. vers. 7. Rursum Deus, inquit Abulensis, occidit eos, immittendo eis terribilem plagam, ita vt liqueret eos non naturaliter, sed à Deo fuisse sublatos in pœnam iniquitatum suarum.

Tob 3.

13. Sed dices: Deus in lege gratiæ magis ad misericordiam propensus est, nec ita rigorosè huiusmodi vitium punire solet.

Respondeo id verum esse, sed nihilominus peccatorem periculosè differre pœnitentiam: quia licet ordinariè eiusmodi pœnam non infligat, in arbitrio tamen eius positum est, vel misereri, vel procedere ad vindictam. Vnde Sapiens Eccles. 5. *Ne dicas: miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Si autem differat, tarditatem graviori pœnâ compensat. Hinc Chrysostomus homilia 27. ad pop. Antioch. alludens ad locum Zachariæ 5. cap. de falce volante, vt ipse interpretatur, qua designabantur supplicia, sic ait: *Ne igitur quod tunc falcis mala patiatur nemo respicias: sed illud cogita, si talia fecit, quoniam multa nunc fiunt, qualia in diluvio, sed diluvium factum non est, gehenna enim & vltio promissa est. Multi perpetrant qualia Sodomorum cives, sed ignis pluvia non descendit: igneus enim paratus est fluvius. Multi Pharaonis scelera commiserunt, sed Pharaonis pœnas non dederunt; nec in mari rubro sunt submersi, quoniam pelagus eos exspectat abyssi, vbi non cum insensibilitate supplicium, nec licet suffocari: sed amplius est necesse torqueri, assari, strangulari, consumi. Multi Israëlitica sunt aggressi, sed eos serpentes non momorderunt; manet autem eos vermis qui non moritur. Multi Giezi peccata perpetrarunt, neque tamen lepra respersi sunt: eos enim manet pro lepra in binas partes secari, & poni cum hypocritis. Multi quoque iurarunt & peierarunt: si vero fugerunt quoque ne confidamus, imminet enim dentium stridor. Et hic quidem multa patientur incommoda, licet non confestim, sed post alia peccata, vt & gravior sit vltio. Quoniam & nos frequenter à minimis occasionem capientes, & pro magnis totum luimus.*

Eccles. 5.

Chrysost.

Zachar. 5.

Et paulò supra: *Quid cæteris,* inquit? *quot post Ananiam & Sapphiram eadem quæ illi, sunt ausi? quomodo igitur eadem non sunt passi? Non quoniam ipsis ignotum sit, sed quoniam maiori differuntur malo. Multa namque perpetrantes, nec dantes pœnas terreri magis & timere debent: augebuntur enim eis supplicia propter impunitatem, & Dei longanimitatem. Ne hoc itaque videamus, quod non punimur, sed ne peccaverimus: si vero peccantes pœnas non damus, potius pavere debemus. Dic mihi si quem habeas servum, & illi tantum mineris, & verbera non infligas: quando magis timet, quando fugit, quando pedibus elabitur, nonne quando dumtaxat illi minaris?* Hæc Chrysostomus. Idem.

14. Quapropter nemo se arbitretur excusatum, quòd mitigandę libidinis causa, aut sanitatis ad hoc vitium processerit: teste enim Apostolo ad Roman. 3. *Non sunt facienda mala, vt eveniant bona.* Quod amplius est nemo potest cum morali periculo consensus, aut incidendi in hoc peccatum, etiam in bonum finem, verbi gratia, alios docendi, aut confessiones excipiendi illi materiæ studere: quia exponit se formali periculo peccandi, quod est illicitum, iuxta illud Eccles. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Rom. 3. Eccles. 3.

15. Dices iterum: Dominus videtur insinuare Ezech. 16. quod miserebitur Sodomitarum eos liberando è captivitate Babylonica & reducendo in patriam, dum ait: *Et convertam restituens eas conversione Sodomorum cum filiabus suis, & conversione Samariæ, & filiarum eius: & convertam reversionem tuam in medio earum.* Verba sunt, quæ Propheta dixit ad Hierosolymitanos, & idem sonant ac si diceret: Convertam proculdubio, restituamque Sodomam, & regiones illi ante subiectas: convertam item cum filiabus suis Samariam, quas à suis sedibus expuleram, & cũ illis in tuos te fines, ô Hierusalem, aliquando restituam. Sic quasi vt illos non propter te, sed te propter illos liberare videar.

Ezech 16.

Respondeo Dominum his verbis non significare, quod reducet Sodomitas peccatores: illi enim igne cœlesti consumpti erant: nec prærea locus remanserat, in quem aliquando converterentur, cum, quòd antiquas sedes oppleviſſet mare, & si quę essent adhuc pristinæ molis vestigia, illa essent, aut in aquis demersa, aut sic hostiliter de cœlo tacta, vt gravi anhelitu procul à se abigerent accedentes. Vnde illa quæ dicuntur in ęternum non restauranda, cum Sodoma comparantur, nẽpe Hierem. 49. vbi Dominus exitium minatur Idumæis à Chaldæis, & alijs: *Sicut subversa est Sodoma & Gomorrha, & vicina eius, ait Dominus; non habitabit ibi vir, & non incolet eam filius hominis.* id est: Sicut Sodoma, vicinæque civitates sic subversæ sunt, vt nullus in ea habitator manserit: sic etiam nullus Idumæam incolet homo, nullus in ea filius hominis habitabit. Et Esaiæ cap. 13. de excidio Babylonis dicitur: *Sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorrham: non habitabitur vsque in finem, & non fundabitur vsque ad generationem, & generationem.* Id est: Erit illud orbis miraculum, illa amplissima, atque florẽtissima imperij sedes, in eam speciem, & solitudinem redacta: in quam olim Sodoma, & Gomorrha; quas ignis è cœlo ita subvertit; vt antiquæ amœnitatis & gloriæ nec tenue quidem vestigium reliquum sit. Neque ad breve tempus durabit illa tãtæ molis ruina; sed erit vsque adeo diuturna: vt ad finem vsque non excitetur, neque ad multa sæcula è redivivo lapide resurgat.

Hier. 49.

Isaiæ 13.

Sermo ergo est de Sodomitis, qui evaserunt incendiũ ob preces Loth, v.g. qui habitabant in vrbe Sechor eiusque villis & pagis. Rursùm sermo est de vicinis Ammonitis & Moabitis, qui sub Sodoma intelliguntur: orti enim sunt ex incestu Sodomitico filiarum Loth cum parẽte in Sodomis, puta Sechor; quos omnes origine & nativitate Sodomitas in captivitatem Babylonicam abduxerat Nabuchodonosor, eorumque liberationem & reditum Propheta, de more tristibus læta subiungens, prædicit.

Discursus

Discursus IV.

De Sacrilegio, Raptu, & Stupro.



Tob. 4. SAnctus Tobias, cum putaret iam sibi mortem instare monuit filium suum ab omni illicitâ copulâ abstinere, dicens: ***Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, & præter uxorem nunquam patieris crimen scire.*** Quibus verbis indicat omnem luxuriā, præterquam quæ in coniugio est, esse criminalem, quod partim ostendi dum de adulterio, incestu, & peccato contra naturam egi. Iam de alijs speciebus luxuriæ in argumento positis dicendum est.

1. Propheta Zacharias 5. cap. habuit visionem, quâ vidit Amphoram egredientem, & in amphoræ medio mulierem sedentem, quam Angelus dixit designare impietatem. Cuius rationem reddit Cyrillus Alexand. quod mulier subiectum æquè ac symbolum sit infirmitatis, & concupiscentiæ, quæ mater est, & fons omnis peccati, & impietatis. Et hinc Eusebius lib. 2. de præpar. Evang. c. 2. vocat voluptatem, hydram multorum capitum, quòd in ea sint principia, & capita omnium scelerum. Quod evidenter cognoscitur in speciebus luxuriæ iam propositis, quandoquidem omnis respectus rerum summopere curandarum in eis contemnitur. Vt hoc manifestum evadat, definitionem ascribā cuiusque speciei, eiusque gravitatem.

Zachar. 5. Cyrillus. Eusebius.

2. Sacrilegium igitur est peccatum luxuriæ, quo locus sacer, vel persona Deo dicata fœdatur per actum venereum. Priori modo fit, cum quis in templo, vel cœmiterio benedicto se polluit volūtariè, vel habet copulam carnalem in ijsdem locis, sive illicitam, sive licitam quandoque, vt mox dicam. Posteriori modo contingit, cum quis sive vir, sive fœmina committit peccatum luxuriæ contra votum castitatis, sive id fiat polluendo, sive per copulam carnalem naturalem, vel contra naturam; sive etiam per oscula, amplexus, aut tactus libidinosos. Vtrumque esse grave peccatum nemo sanæ mentis ambiget. Prius, quia est contra loci sanctitatē, quę omnem reverētiam exigit, vt patet Exod. 3. vbi Moyses iubetur solvere calceamenta de pedibus suis, id est, extremè se humiliare instar servi propter præsentiam Angeli nomine Dei de rubo ardente & non comburente loquētis. Idipsum constat Iosue cap. 5. vbi Archāgelus Michaël illi apparens cum evaginato gladio in manu, adeoque instar Ducis ad præliū parati, idipsum Iosue imperat, dicens: *Solve calceamentum de pedibus tuis; locus in quo stas, sanctus est.* Deinde id manifestius evadit ex 2. Machab 3. vbi Onias Sacerdos ostēdit Heliodoro (qui venerat Hierosolymam, vt pecunias quæ non pertinebant ad rationem sacrificiorum, è templo auferret) copias immensas, (quas ad Regem Seleucum Simon Beniamita detulerat, sub potestatem ipsius cadere posse;) & dixit ei deposita esse, & victualia viduarum & pupillorum; quædam vero esse Hircani Tobiæ viri valdè eminentis: vniversa autem talēta argenti esse quadringenta, & auri ducenta. Insuper addidit nefas esse depositores vllâ iniuriâ afficere, & eiusmodi quid tentantes impunè vel à Deo, vel Dei zelum habētibus tolerari, quodammodo esse impossibile, propter loci venerationem & sanctitatem, vt indicant verba, ***Decipi vero eos, qui credidissent loco & templo, quod per vniversum mundum honoratur, pro sui veneratione & sanctitate omnino impossibile esse.*** Vti eventus etiam docuit. Nam hæc contemnens à Deo percutitur Heliodorus, & postea per divinam virtutem iacet mutus, ***atque omni***

Exod. 3. Iosue 5. 2. Machab. 3.

omni spe, ac salute privatus. Demum hostiâ per Oniam Deo oblatâ, & vitâ ei concessâ, recepto exercitu repedat ad Regem testans omnibus ea, *quæ sub oculis suis viderat, opera magna Dei.* Et Regi ipsum interroganti: *quis esset aptus adhuc semel Hierosolymam mitti, ait: Si quem habes hostem, aut regni tui insidiatem, mitte illuc, & flagellatum eum recipies, si tamen evaserit: eo quod in loco sit verè Dei quædam virtus. Nam ipse qui habet in cælis habitationem, visitator & adiutor est loci illius, & venientes ad malefaciendum percutit ac perdit.* Hęc verò seriò notanda veniunt ijs, qui intempestivo tempore non verentur fornicando maximè in cœmiterio Deũ sine metu offendere. Imò notanda sunt à coniugatis, qui absque necessitate, id est, extra bellum vel concussionem militarem, nullo periculo incontinentiæ existente, aut alibi opportunitatem habentes, in loco sacro absque delectu debitum reddunt. Nam iuxta veriorem sententiam, cum tale quid publicum fit, locus in tantum prophanatur, vt non minus reconciliari debeat, quam locus profanatus à Gentilibus, de quo videre licet cap. 1. lib. 2. Machab. Hæc de priori sacrilegio. 2. Mach. 1.

3. Posterius satis grave peccatum esse insinuat Scriptura, cum Ps. 104. inhibet contra Reges & Prophetas oleo vnctos aliquid mali perpetrare, in verbis: *Nolite tangere Christos meos: & in Prophetis meis nolite malignari.* Et 1. Reg. 24. allegans exemplum Davidis, qui iniquum persecutorem Saul, cum prompta illi esset facultas, ita vt laciniam chlamydis eius potuerit abscindere, noluit occidere, considerans, quod à Domino in Regem esset vnctus. Sic enim ait ad ipsum Saul egressum speluncâ, vbi laciniam absciderat: *Quare audis verba hominũ loquentium, David quærit malum adversum te? Ecce hodie viderunt oculi tui, quòd tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca: & cogitavi vt occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus. Dixi enim: Nõ extendam manum meã in Dominum meum, quia Christus Domini est. Quin potius pater mi, vide & cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea: quoniam cum præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te.* Quod amplius est scrupulum fecit in eo, quod decurtasset chlamydem, existimans sic temeratam Regis personam quam Deus sacro delibutam oleo ad Regni culmen destinasset: vnde ait Scriptura: *Percussit cor suum David, eò quòd abscidisset oram chlamydis Saul.* id est, Tristis quædam cogitatio, & angor conscientiæ percussit animum Davidis, quo cõsilium suum ipse damnavit, & infectum voluit, quòd nimis præcipitanter & imprudenter fecerat.

Ps. 104.

1. Reg. 24.

Et clarissimè hoc ipsum damnabile esse Scriptura exprimit. 1. ad Timoth. 5. vbi dicit Apostolus viduas, quæ post votum continentiæ volunt nubere, damnationis esse reas, quia irritant votum continentiæ Deo factum, hoc ipso quo volunt nubere. Vnde inhibet Timotheo deinceps iuniores viduas ad collegium viduarum Deo dicatarum admittere, his verbis: *Adolescentiores autem viduas devita. rationẽ addit: Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* q. d. Viduas iuniores non admitte, quia cum in domo Dei bene alitæ & pastæ fuerint, quasi vituli saginati recalcitrant, & Christi iugum, ac professionem castitatis excutiunt, ruptisque votis, quasi vinculis nubere volunt; idque in Christi iniuriam, cui per votum castitatis iam antè se desponderant. Vnde non tantum coram hominibus, sed etiam coram Deo reæ & damnabiles sunt, relicto Christo Satanam & Asmodæum libidinis & sacrilegarum nuptiarum incentorem secutæ sunt: adeoque primam fidem irritam fecerunt. Hæc autem monuit Timotheum Apostolus, quia id in quibusdam iunioribus admissis expertus fuerat, vt satis insinuant verba versus 15. *Iam enim quædam conversa sunt retro post Satanam* 1. Tim. 5.

Dein-

Deinde quis dubitabit horrendum esse, mulierem Deo dicatam tangere, aut religioso commisceri, cum Ios. 7. Dominus voluerit Achanem occultum furem, qui aliquid de anathemate, id est, de ijs, quæ Deus sibi reservari decreverat in Ierichontinâ expugnatione vsurpaverat, funesta morte publicè puniri. Et Numer. 1. decreverit quempiam de tribu Levi non existentem, & figere castra cum Levitis iuxta atrium, aut tabernaculum deponere, & erigere, vel portare ausum, occidi, in verbis: *Cum proficiscendum fuerit, deponent Levitæ tabernaculum, cum castra metandum, erigent: quisquis externorum accesserit, occidetur*, puta vel à iudice, vel à Deo, peculiari vindictâ: idque ob reverentiam loci sacri, videlicet tabernaculi, quod erat quasi templum mobile Hebræorum per desertum. Quod amplius est 2. Reg. 6. cap. Oza morte percussus est à Deo, quod temerè, & sine reverentia manum admoveret arcæ Dei, cùm boves nonnihil recalcitrarent: ita vt necessitas non exigeret festinatò advolare, & inconsideratè ad sustentandam arcam manum admovere. Et quod pręterire non licet, 1. Reg. 5. nullatenus passus est, quod Dagon idolum Philistinorum subsisteret coram arcâ Dei, quam captam in eius templum intulerant Philistini: sed illud prostravit, ita vt Azocij altera die illud compererint pronum iacere in terra. Cuius rei ratio redditur ab Authoribus, quòd non solùm fuerit idolum, sed idolum Veneris; neque fas fuerit, vt sordidum illud nomen, imo dœmonum prodigiosum simulachrum, eâdem cum vero Deo statione consisteret. Hęc de Sacrilegio paucis perstrinxi.

Ios. 7.
Numer. 1.
2. Reg. 6.
1. Reg. 5.

4. Est & alia luxuriæ species, quę raptus dicitur, & tum vocatur peccatum luxuriæ, quando persona aliqua abducitur cum violentia ad turpem actum venereum exercendum cum ea. Et versatur tum circa masculum, tum & magìs circa feminam, sive nuptam, sive innuptam, sive viduam. Neque tunc solum raptus est, quando vis iniusta exercetur in ipsam puellam, quæ invita & repugnans abducitur: sed etiam quando vis iniusta committitur erga parentes, vel tutores, sub quorum cura & potestate existit; quamvis ipsa in abductionem consentiat, vti constat ex cap. *de raptoribus* 36. quæst. 1. vbi dicitur: *Si vero qui rapitur, patrem habere constiterit, & puella raptori consenserit: potestati patris excusata reddatur, & raptor patri superioris conditionis satisfactione teneatur obnoxius.*

5. Illam autem luxuriæ speciem constituere peccatum mortale, etiam ex lege naturali patet exemplo Abimelec, cui Deus Genes. 20. non solum minatus est mortem, quòd vxorem Abrahæ, invitam suo imperio abstulisset, licet crederet esse sororem Abrahæ, non vxorem; sed etiam eum flagellavit sterilitate communi, & morbo gravissimo medicis ignoto, quo impediebatur Sarâ abuti. Insuper conclusit omnem vulvam domus Abimelec, ne possent mulieres concipere, vel fructum antea conceptum edere aut parere, ex quo necesse erat gravidas acerbissimis doloribus cruciari. Singula respectivè insinuantur vers. 3. in verbis: *Ecce morieris propter mulierem quam tulisti.* Et vers. 17. ac 18. vbi sic habetur: *Orante autem Abraham sanavit Deus Abimelec, & vxorem, ancillasque eius, & pepererunt. Concluserat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelec, propter Saram vxorem Abrahæ.* Genes. 20.

Deinde idipsum patet ex iure civili, quod honestæ mulieris raptum morte punit, l. vnica C. de raptu Virginum, iuncta authenticâ de raptu mulierum, quæ raptoribus nubunt. Et in aliquibus locis atrociori supplicij genere illud crimen deprehenditur punitum, videlicet in his partibus, vt constat ex tabulis legum Brabantiæ, vulgò **Den Lantcharter** / Ioannis Ducis

anno 1312. vbi habentur hæc verba. **Men soude hem dē hals afhouwen/ oft saeghen met eender plancke.** id est, Raptori amputandum est assere caput, tanquam serrâ. Quod signum est valde exosum fuisse hîc illud crimen, & simul indicium singularis castimoniæ; eò magis quòd raptores, & adiutores, si fugitivi in Brabantiam reverterentur, privatâ auctoritate à consanguineis raptæ impunè occidi poterant, ex litteris quas Wencessaus Dux, Bruxellensibus dedit anno 1375. 19. Iunij.

6. Denique liquet atrocitas istius criminis ex alijs pœnis tum iuris civilis, tum iuris canonici. Ex iure enim civili permittitur impunè parentibus mulierum raptarum, & consanguineis, tutoribus, & curatoribus occidere raptores & comites, & socios, sed deprehensos in ipso delicto. Secundo omnia bona raptoris ingenuæ, & comitum raptoris applicantur mulieri raptæ; aut monasteriò si rapta monialis sit, modò non consentiat in matrimonio cum raptore: casu autem consensus applicantur parentibus raptæ; si verò etiam illi consenserint, applicantur fisco. Iure vero Canonico ex cap. *Raptor.* & c. *Statutum.* 17. q. 2. duæ pœnæ statutæ sunt. Prima vt raptor alienæ sponsæ, publicâ pœnitentiâ mulctetur. Secunda, vt maneat sine spe coniugij, ex impedimento impediente. Et iure novissimo Concilium Tridentinum irritum declarat Matrimonium inter raptorem & raptam, dum rapta manet in potestate raptoris, etiamsi ipsa liberè consentiat, donec sæparata, & in loco tuto reposita consensum liberè explicet. Deinde raptor, & omnes illi consilium, auxilium, & fovorem præbentes ipso iure sunt excommunicati, aliasque pœnas incurrunt, quas Concilium sess. 24. de reformat. Matrimonij capite 6. recenset his verbis: *Decrevit sancta Synodus inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matromonium. Quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in virum habere consenserit; eam raptor in vxorem habeat, & & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes, sint ipso iure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatem incapaces.* Adhæc tenetur, si rapta illi nolit nubere, eam dotare arbitrio iudicis, vt declarat idem Cōcilium, dum ait: *Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam vxorem duxerit, sive non duxerit, decenter eam dotare arbitrio iudicis.* Conc. Trid.

7. Quæres quare tam graviter hoc peccatum puniatur? Respondeo, Quia gravissima iniuria æstimata est apud homines quampiam rapi, ac violari. Colligitur ex Dynæ exēplo filiæ Iacob, Genes. 34. quæ rapta à Sichem filio Hemor principis, ab eo vim passa est. Quod fratres Dynę ægerrimè tulerunt & ita vt in vindictam eiusmodi iniuriæ, nullum non peccatum veriti fuerint admittere, vt enim facilius illud crimen vindicare possent, dolosum cum Hemor Principe ineunt fœdus, vt ipse cum suis circumcidatur, & ita Dynam ducat: eoque non obstante Simeon & Levi Sichemitas ex circumcisione laborantes, invadunt & trucidant. Vnde ex huius vindictæ causâ non vnum, sed plura peccata commiserunt. Genes. 34.

Primo enim peccarunt peccato doloso, pernicioso, quod tam grave est, vt Propheta dicat, quod Deus *perdet omnes qui loquuntur mendacium.* & Sapiens: *Os quod mentitur, occidit animam.* Secundò perfidiâ, iam enim iniuriam condonarant, acceptâ iustâ satisfactione, fidemque dederant fæderis, immo connubij ob quam solet Deus vitam in medio cursu abrumpere, teste Prophetâ Psalm. 54. dicente: *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Tertiò: imprudentiâ, & inobedientiâ, quòd iuvenes irâ fervidi rem tam arduam & periculosam aggressi sunt, sine consilio, & auctoritate patris, cui sciēbant machinationem hanc omnino displicituram. Ps. 5. Ps. 54.

Peccarunt quoque iniustitiâ belli bellum

bellum enim hoc intulerunt Sichemitis privatâ auctoritate, non publicâ. Hæc enim erat in Iacob quasi in capite & principe familiæ, non autẽ in hisce duobus eius filijs. Quartò, sacrilegio: circumcisione enim ad dolum suum, & iniustam cædem abusi sunt. Quintò, crudelitate, quòd die tertio doloribus affectos, & quasi moribundos invaserint. Sexto, excessu vindictæ, cum non solùm Sichem, sed & omnes vrbis masculos, in quibus multi erant insontes, necaverunt; pueros & feminas captivarunt; agros omnes, & greges prædati sunt; imò & mœnia vrbis diruerunt, vti satis insinuatur Genes. 49. v. 6. Septimò, temeritate, & impietate, quòd patrem suum Iacob totamque eius familiam odio, neci, & prędę exposuerint Chananæorum, ita varij Doctores. vnde Iacob ipse Genes. 49. v. 5. se purgat ab illo crimine, & prædicit filijs maledictionem sic inquiens: *Simeon & Levi vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea: quia in furore occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum; maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura.* q. d. Ego hoc eorum consilium & scelus olim aversatus sum, & etiamnum aversor, & abominor tale decus, ac gloriam; imo prædico maledictionem non evasuros, quòd Sichemitas cum suo Principe sic interemerunt.

Genes. 49.

Ibidem.

8. Porro singulariter notandum est, gradus raptus à Doctoribus distingui, nempe raptum fæminæ meretricis minimè gravem esse; graviorem verò viduæ; multo graviorem virginis; & rursum graviorem coniugatæ, vel consanguineæ, aut affinis; gravissimum autem monialis, vel quæ voto dicata est Deo. Hic est ordo inter raptus feminarum; at omnium gravissimus esset raptus pueri. Sicut enim peccata contra naturam graviora sunt naturalibus in materia luxuriæ, ita raptus ad exercendum peccatum contra naturam, gravior est raptu ad exercendum peccatum mortale.

9. Quæres iterum rationem, quarè Concilium Trident. habeat raptum tanquam impedimentum dirimens, si rapta in loco libero, & tuto non constituta matrimonium inverit.

Respondeo, Quia præsupponitur rapta non liberè consentire in matrimonium ex metu cadente in constantem virum, qui irritat matrimonium. Porro metus gravium malorum ad huiusmodi irritationẽ sufficit, non solùm quando timentur proprię personę; sed etiam quando parenti, liberis, vxori, aut alteri, tantà nobis necessitudine coniuncto, vt eius mala omnino tanquam nostra apprehendamus. Patet ex l. Isti quidem 8. ff. quod metus causa, vbi dicitur: : *Hæc, quæ diximus ad edictum pertinere nihil interest, in se quis veritus sit, an in liberis suis, cum pro affectu magis in liberis parentes terreantur.* Vbi etsi loquatur de solis liberis, tamen ex ratione, quæ in supradictos omnes æqualiter convenit, patet ad eos omnes debere extendi: quia nimirum tam eorum malo, quam nostro terremur.

10. Restat paucula adiungere de stupro, quod tribus modis sumi solet. Primò, generatim pro omni concubitu legibus prohibito, vnde non solùm pro coitu cum vidua honesta, sed etiam pro adulterio, incestu, & præposterâ etiam libidine accipi solet. l. *inter liberas.* §. lex. Iulian. & lege *stuprum.* ff. ad l. Iul. de adult. l. *inter stuprum* ff. de verb. signif. & passim constat ex Cicer. Plauto & alijs. Cicero. Plautus.
Secundò, strictè pro concubitu cum virgine; quo eius integritas, corrũpitur. Tertiò, strictius pro eodem concubitu, si per vim fiat: de quo tantum nunc dicendum.

11. Illud autem crimen est, quod malitiam continet mortalem contra iustitiam, & differt à raptu, quòd fiat sine abductione. De quo 2. Reg. 13. *Thamar dixit Ammoni fratri, eam opprimere volenti: Noli, frater mi, noli opprimere me; neque enim hoc fas est in Israël: noli facere stultitiam hanc, ego enim ferre non potero opprobrium meum, & tu* 2. Reg. 13.

& tu eras quasi vnus de insipientibus in Israël, Id autem apud Iudæos lege iudiciali diversam habuit pœnam. Si enim quis virginem desponsatam constuprasset in agro, extremo supplicio afficiebatur, vt indicat verba Deuteron. 22. *Sin autem in agro reperit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum ea, ipse morietur solus, puella nihil patietur, nec est rea mortis: quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, & occidit animam eius, ita & puella perpessa est; sola erat in agro; clamavit, & nullus adfuit qui liberaret eam.* Si verò quis puellam virginem liberam vi constuprasset, tenebatur eã ducere & retinere, ac insuper patri eius solvere quinquaginta siclos argenti, nec poterat eam vnquam dimittere, vt ibidem expresse dicitur his verbis: *Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad iudicium venerit: dabit qui dormivit cum illa, patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam vxorem, quia humiliavit illam: non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ.* Illa verò gravis erat pœna apud Iudæos, quibus libellus repudij permissus aliàs erat, quo vxorem ex causa dimittebant.

Deut. 22.

Posterioribus etiam temporibus morte dignum recensitum fuit, vti colligere licet ex facto Absalonis, qui 2. Reg. 13. intuens sororem Thamar aspergentem cinerem capiti suo, scissâ talari tunicâ, impositisque manibus super caput suum, procedere & clamare, in signum gravis doloris, & patrem valdè contristatum hoc peccatum inultum relinquere, eò quòd nollet contristare *spiritum Amnon filij sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei*, animo concepit grave odium, quo quærebat morte Amnon scelus illud vindicari; vti reipsa post biennium datâ occasione solemnioris convivij, per servos iam temulentum ad mortem perduxit. Et credendum est, quod ad illam necem properaverit, non tantopere quòd soror esset, sed quod vi oppressisset, quia Thamar matre gẽtili nata existimabat legitimum coniugium, & perpetuam vitæ societatem inter ipsam & Amnonem patre annuente posse consistere, eò quòd non esset omninò germani: Vnde dicebat impium fratris conatum reprimens: *Potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi.* Postea autem per leges illud crimen morte punitum fuit, sive ea, cui vis illata erat, esset virgo, sive corrupta; licet gravius in virgine ob deflorationem; quod hodie adhuc est in viridi observantia.

2. Reg. 14.

12. Quæres ad quid teneatur stuprator eiusmodi in conscientia, si res ad iudicem non pervenerit. Respondeo eum obligari, omne damnum quod inde provenit, tam ipsi, quam parentibus eius, in conscientiæ foro restituere. Ordinariè autem compensatio damnorum ita facienda est, vt vel stuprator puellam in vxorem ducat, si ipsa velit; vel tantam illi dotem offerat, vt æque honestas nuptias sortiatur, ac si corrupta non fuisset. Et cum in alternativis debitoris sit electio, si malit tali modo dotare, non tenetur eam in vxorem ducere ante Iudicis sententiam, etiamsi ipsa, & parentes cupiant; modò nulla promissio matrimonij intercesserit.

13. Dices, posse fieri, vt puella, aut parentes nullum damnum patiantur, præter iniuriam virgini stupro inflictam. Respondeo stupratorem, cum puella ob illatum stuprum per vim nullum aliud damnum passa fuit, quia facinus occultum mansit, & æque honestum virum sortita est, ad nullam restitutionem probabiliter obligari ante Iudicis sententiam, vt varij authores docent. Nam pro iniuria, secluso damno, nulla restitutio fieri debet, sed vindicari potest morte, quando ad forum contentiosum causa protracta fuerit.

Discursus

Discursus V.

De simplici fornicatione. & quale sit peccatum?



Act. 15. ACtor. 15. cap. iubent Apostoli per decretum suum necessariò abstinendum esse à fornicatione: hinc quæram quod in argumento ponitur.

1. In sacrâ Scripturâ luxuriæ quædam species nominatur fornicatio: verùm hoc nomen quadruplicem habet significationem. Primò enim significat idololatriam, & infidelitatem, vt patet Ozeæ 4. vbi Dominus dicit Iudæis inhabitantibus Regnum Iuda, *si fornicaris tu Israël, non delinquat saltem Iuda*. id est, Si Israël paternam prodidit religionem, & cum Gentium idolis fornicatus est, tu saltem ô Iuda, quem proprius intueor, maioribusque beneficijs quotidie amplector, noli ad illius exemplum in eandem fornicationis ignominiam abduci, vt videlicet relicto Deo, colas Beelphegor, aliosque Deos, id est, dœmones. Et Hierem. 3. cap. vbi Dominus dicit Synagogę idololatranti: *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis*. Iud. 8. quoque dicitur de idololatriâ: *Fornicatusque est omnis Israël in eo*. & infra: *Fornicati sunt in Baalim*, quod erat idolum Gentium 2. Paral. 5. *Fornicati sunt post Deos populorum terræ*. Et Sap. 14. *Initium fornicationis est exquisitio Idolorum*.

Ozeæ 4. Hierem. 3. Iud. 8. 2. Paral. 5. Sap. 14.

Secundò, significat omnem actum peccati mortalis, per quem quis recedit à Deo legitimo sponso animæ: sic intelligenda sunt verba Psal. 72. *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te* Et Oseæ 2. *Auferat fornicationes suas à facie suâ*.

Ps. 72. Osea 2.

Tertiò significat omnem actum luxuriæ, vt 1. Corint 5. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes*, & loquitur de incestu, subdit enim, *ita vt vxorem patris sui aliquis habeat*.

1. Cor. 5.

Quartò significat simplicem fornicationem, id est concubitum naturalem soluti cum soluta. quod etiam stuprum vocari solet apud Gratianum, qui in c. *Lex*. 36. q. 1. inquit: *Stuprum propriè virginum est illicita defloratio*, quæ videlicet contingit vtrâque parte volente ac consentiente. Gratian.

2. Hanc autem fornicationem quidam docuerunt non esse peccatum. Sic refert Epiphanius lib. 1. contra hæreses, hæresi 25. De Nicolao vno de septem Diaconis electis ab Apostolis, Actor. 6. Ille, vt ait, Antiochenus erat origine, & proselytus. Qui cum ad vxorem redijsset formosam, à quâ se religionis causâ continuerat, erubescens se victum fuisse libidine, affirmare cœpit, nisi quis Veneri se singulis diebus daret, participem vitę ęternæ fieri non posse: Atque ex eo orti sunt hæretici turpissimarum libidinum auctores, Gnostici Ebionitæ, & Epiphanis sectatores, de quibus Apostolus ait Ephes. 5. *Et nolite cōmunicare operibus infructuosis tenebrarum, sed magis redarguite. Quæ enim ab occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere*. Vnde sectatores habuit Nicolaitas vocatos, de quibus Dominus Apocal. 2. Episcopo Ephesiano: *Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi*.

Epiphanius Act. 6. Ephes. 5. Apocal. 2.

Deinde fuit quædam mulier sub Episcopo Thyatiræ Ecclesiæ, quæ prophetis videri volebat, vt eo nomine plures deciperet, cum re verâ prophetis non esset, sed impura mulier & libidinosa, & Nicolaitarum sectatrix: docebat enim fornicari,

& edere de idolothytis. Ea autem putatur nobilis, & potens fuisse, & sanctorum persecutrix ex nomine Iezabel, de quâ Christus dicto Episcopo scribit: *Sed habeo aduersus te pauca, quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit propheten, docere, & seducere seruos meos, fornicari, & manducare de idolothytis.* id est, Hoc mihi displicet in te, quod Iezabelis hypocrisim, & scelera, in quæ multos illiciet, non præuideas, nec redarguas, adeòque per imprudentiam tuam decipiaris, existimans te conniuendo illam ad frugem traducturum; cum id fiat interea summo fidelium periculo, exiguâ eius conuertendæ spe existente. Quid enim potentius ad propagandam hæresim, quam mulier hæretica, eaque nobilis, ac potens, quæ prophetissam se mentiendo, propagavit sectam Nicolaitarum, docens licere fornicari, & edere idolothyta. Vt enim serpens per Euam perdidit Adam, omnesque posteros; Iezabel vxor Achab propagavit cultum Baal: ita hæc idolothyta comedere, & fornicari, à quibus necessum erat abstinere; quantùm ad idolothyta propter scandala, & ob præceptum Apostolorum, Act. 15. demum ob periculum idololatriæ: quantùm autem ad fornicationem, quia lege naturali est interdicta, eique accessit præceptum Apostolicum; hoc enim pondus imponit vers. 14.

Iidem

Act. 15.

De alijs etiam refert Epiphanius hæres. 26. & Guido de Græcis schismaticis in catalogo. Verum nostro tempore horrendiora monstra, videlicet Anabaptistas habemus, qui non solum fornicationem, sed etiam promiscuè concubitum, spiritu instigante permittunt, & patrant.

Epiphan. Guido.

His missis, dico fide tenendum esse, fornicationem simplicem esse peccatum mortale, in tantum, vt oppositum asserens pertinaciter, sit hæreticus. Nam talis error condemnatur Clementinâ *ad nostrum.* de hæreticis. per Clementem V. Cuius ratio est, quod in scripturâ sacrâ, tanquam mortale peccatum prohibeatur, vt Deuteron. 23. in verbis: *Non erit meretrix de filiabus Israël, nec scortator de filijs Israel. Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis, in domo Domini Dei tui, quidquid illud est, quod voverint, quia abominatio est vtrumque apud Dominum Deum tuum.* Qui locus insinuat tam fœdam esse fornicationem coram Deo, vt mercedem meretricis prohibeat in templo offerri: quin etiam victimam vel aliquid simile ipsi pretio comparatum, quod ex voto aliàs reddi & offerri Deo oportebat. Rursum insinuat, pretium canis, & meretricis æque sordescere coram Deo, & vti canis pro vilissimâ bestiâ habetur in Scripturis, ita meretricem. Inde enim Abner 2. Reg. 3. qui optimè de Saülis domo meritus erat, cum illi obijceret Isboseth libidinem, & copulam cum concubinis patris sui Saülis, respondit: *Numquid caput canis ego sum?* id est homo vilissimus, qui hanc merui obiectionem. Libet addere quod ait Hieronym. in Isa. cap. 66. *Pulchrè*, inquiens, *canis & meretrix copulantur, quia vtrũque animal pronum est ad libidinẽ.* Et rectè: vtrũque enim ob impudẽtiam, vilitatem, turpitudinem, & fœtorem, abominantur homines, præsertim Hebræi. Et quia canis non veretur publicè congressum, & præ cæteris in coitu est impudens, hinc pro symbolo impudentiæ canis depingi solet. Et Tobiæ 4. vbi vir pius, sciens hoc crimen esse pergrave,, dixit filio: *Attende tibi ab omni fornicatione: & præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire.* Deinde Actor. 15. definivit Petrus in Concilio Hierosolymitano, ab eâ necessario abstinendum esse dicens: *Visum est nobis, & spiritui sancto, nihil vltra ponere vobis oneris, quam hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione; & à quibus custodientes vos benè agetis.* Ex quo Apostolus Paulus diversis nationibus hoc singulariter expressit, docens illam excludere homines à regno Dei. Primò Corinthianis in primâ ad ipsos epist. cap. 6. cum dicit: *An nescitis, quia iniqui regnum*

Deut. 23.

Tob. 4.

Act. 15.

1. Cor. 6.

regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: Neque fornicarij, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, &c. regnum Dei possidebunt. Secundò Galatis, 5. cap. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi: quia qui talia agũt, regnũ Dei non consequentur.* Tertiò, Colossensibus cap. 3. dicit iram Dei descendere super fornicarios. Et Hebræis cap. 13. quod *fornicarios & adulteros iudicabit Deus.* Hinc rursum Corinthianos monebat 1. ad Corinth. 5. ne commiscerentur fornicarijs, quin etiam vt fugerent fornicationem. Et Ephesianos cap. 5. monet ne tale quid nominetur in ipsis, dicens: *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos,* id est Christianos factos per Baptismum. His adde, fornicationem non esse illicitam dumtaxat, quia prohibita est, sed quia naturâ suâ mala; & hinc Apostolus 1. Cor. 6. iungit fornicationem adulterio, mollitiei, & idololatriæ, quæ manifestum est naturâ suâ esse mala.

Galat. 5. — Coloss. 3 — Hebr. 13 — 1. Cor. 5. — Ephes. 5. — 1. Cor. 6.

Sed dices; quomodo potest tantum esse peccatum simplex fornicatio, cùm, vt plebecula dicere solet, generet amicitiam, & vtraque parte consentiente nemini fiat iniuria.

Respondeo ad primum. Quamvis sufficere debeat verbum divinum, pronuntians iram Dei descendere super fornicarios, nihilominus volens me accommodare captui plebis, dico attendendum esse ad verba Iacobi cap. 4. *Adulteri nescitis, quia amicitia huius mundi, inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituitur.* vbi sub nomine adulterorum, quosvis intelligit fornicarios.

Iacob. 4.

Quantùm ad secundum, error est intolerabilis, nemini propter consensum vtriusque fieri iniuriam; nam, vt inquit Apostolus 1. ad Cor. 6. *corpus nostrum non fornicationi, sed Domino, & Dominus corpori.* id est, corpus nostrum non est nobis, vt fornicemur, sed vt Domino casto corpore serviamus, Christumque vt caput castis & sanctis moribus sequamur: quia is corpori nostro datus est in caput, vt illi quasi immineat. Et vt doceat ea ratione, quam sit indignum corpora nostra fornicatione commaculari, vrget analogiã membrorum, & capitis inter nostra corpora, & Christum, dicens: *Nescitis quoniam corpora nostra membra sunt Christi.* q d. Scire debetis corpora vestra esse Christi membra, quatenus scilicet Christus caput mysticum est non modo totius Ecclesiæ, sed etiam singulorum fidelium, nec solum secundum animas, verum & secundum corpora: quoniam & corpus & animam de nostro genere suscipere dignatus est. Deinde ostendens quemlibet Christum caput suum contumeliâ afficere fornicando, inquit: *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis, quia qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur?* id est: Nescitis, quòd quis per fornicationem desinat esse membrum Christi; per corporum vnionem & commixtionem cum meretrice vnum corpus fiat? ita vt sicut mercatores in societate vnas habent opes, quia communes; sic fornicarij vnum habeant corpus, quia corpus vtrique est commune, sed Christo quasi furto sublatum.

1. Cor. 6.

Secundò, docet Apostolus ibidẽ hominem fornicantem corpori suo esse iniuriũ, dum ait hominem maximè in corpus suum peccare fornicando, in verbis: *Omne peccatum quodcumque effecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur in corpus suum peccat.* quasi diceret Apostolus: Si iniuria Christi te non movet, tua saltẽ ipsius iniuria te retrahat ab hoc vitio: nam omne genus peccatorũ, quod communiter & ordinariè committunt homines, tale est quod proximũ maximè lædit. sed qui fornicatur, corpori suo graviorem iniuriam infert, Primò, quia corpus suum polluit, coinquinat, & maculat, dum illud purũ liberum, nobile vilissimæ meretricis iuri, servituti, & potestati subijcit,

vt cum ea quasi vnum quid fiat: perinde enim ac si quis corpus nobile, sanum, & speciosum colligaret corpori alicuius putidi leprosi, diceretur iniuriam gravem facere corpori tam nobili, & pulchro: ita qui corpus suum liberum, purum, ac nobile à Deo creatum, & sanguine Christi redemptum & ablutum meretrici sordidæ, abiectæ, & infami commiscet, gravem iniuriam corpori suo irrogat: hanc enim iniuriam omnibus hisce versibus exaggerat Apostolus.

Secundò fornicator in corpus suum peccat, & iniurius est: quia in corpore fœtidam & pudendam libidinem excitat, quæ ita mentem absorbet, vt in illius actu nihil aliud homo cogitare possit. Facit ergo fornicator corpus suum mancipium libidinis & concupiscentiæ, vt in eo fœda libido dominetur, illudque totum sibi vendicet. nec gula, nec aliud vitium in corpore tam pudendam & tam vehementem concupiscentiam excitat, quæ ita sibi corpus mancipet, vt libido. Sola ergo libido dominatur corpori, illudque sua concupiscentia, & peccato inficit,
Osea. 4. subiugat, & corrumpit. Hinc Oseæ 4. cap. dicitur: *Fornicatiò, & vinum, & ebrietas auferunt cor* id est, mentem, rationem, iudicium, animum; adeoque hominem dementat, vt perdere faciat opes, famam, sanitatem, conscientiam, vt patet respectivè filij
Luc. 15. prodigi exemplo, Luc. 15. vbi dicitur dissipasse *substantiam suam vivendo luxuriosè*. Rursum exemplo Dalilæ, quę
Iudic 16. Iudic. 16. cor, vires & vitam eripuit Samsoni: item Moabitidarum puellarum, quæ Hebræos per fornicationem eo pellexerunt, vt idolum ipsarum Beelphegor colerent, Deique iram & plagam in se provocarent, & asciscerent: septingentarum
Numer. 25 quoque concubinarum, quæ Salomonem dementarunt Regem sapientissimum, eumque ad sua idola colenda pertraxerunt, & perdiderunt,
3. Reg. 11. 3 Reg. 11. Hinc Salomon sua experientia & periculo edoctus, dixit: *Vinũ & mulieres faciũt apostatare sapientes.*

Laërtius. Hinc etiam Diogenes, teste Laërtio lib. 6. dicebat *scorta esse regum reginas*; quòd Reges dementarent, ac ab illis quidquid collibuisset, peterent & impetrarent, ideoque in ipsos Reges quasi regnum, immò tyrannidem exercerent. Reges enim à populo non semper obtinent quod exigunt: at scorto nihil negatur. Idem Diogenes dicebat scorta similia esse mulso lethalibus venenis temperato: eò quòd afferrent quidem initio voluptatem, sed quam perpetuus dolor consequeretur. Quocirca Demosthenes Corinthi postulans à Laide famosâ meretrice corporis copiã, cũ illa pro nocte stipularetur drachmarum decem millia, deterritus magnitudine pretij, mutavit sententiã, dicens: *Non emo tanti pœnitere*, significans inhonestæ voluptati comitem esse dementiã, æque ac pœnitentiã.

Xerxes iratus Babylonijs, quod à se defecissent, postquam illos in suam potestatem redegit, vetuit ne ferrẽt arma; sed psalterijs, tibijsque canerent, scorta alerent, cauponas haberent, quò voluptatibus evirati & excordes, non molirentur denuo defectionem. testis est Plutarch. in Apoth. Regum.

Tertiò fornicator in suum corpus peccat, quia illud fornicando debilitat, exhaurit, & sępe lue venereâ, alijsque morbis inficit & consumit, vt rectè Athanasius apud Oecumeniũ Athanas.
conforme illi Eccles. 19. *Qui se iungit* Eccles. 19.
fornicarijs, erit nequam, putredo & vermis hæreditabunt illum. id est, fornicarius per illicitum concubitum efficitur nequam, & ad maiora facinora perpetranda audacior, veluti furtũ, despectum parentum, & similia. vitali succo exhausto varijs repletur corruptionibus, vitam suã abbreviat, & ante tempus moritur: ita vt hęreditario quodam iure obtineat putredinem & vermes; idque & in corpore & in anima, in qua vermis conscientiæ eam semper arrodens nunquam morietur, intellige nisi eam ante mortem expurgaverit. Omitto quod fornicaria multa adhibere soleat homini nociva, vnde hæc inconvenientia sequuntur. Qua de re sic Chry-

Chrysost. Chrysostomus hom. de muliere & pulchritudine: *Multi quidem ex his, qui meretricibus adhærent, non modo æternam mortem inde subierunt: sed & hic mali malè perierunt, ærumnas à meretricantibus mulieribus perpessi: cum enim contenderent illæ, vt adhærentem sibi atque amore sui penitus adstringerent, magicas artes excitarunt, amatoria pocula appararunt, multasque præstigias consarcinarunt. Ita deinde in gravem morbum coniectum, & lui, tabique lentæ traditum ex hac vita sustulerunt. Si igitur homo gehennam non metuis, at præstigias earum metue. Cum enim per hanc lasciviam Dei te lasciviâ privaveris, & supernam opem tibi præcideris, excluso omni metu meretrix, cum dæmones suos invocaverit, cum folia scripserit, & insidias struxerit facilè sanè salutem tuam opprimet, probrum, & ludibrium omnibus, qui vrbem habitant, te constituens.*

Denique est alia ratio, quæ singularem deformitatem causat in fornicatione, nempe quòd ex ea non possit sequi commoda institutio, & promotio prolis vsque ad perfectum statum, quæ est gravis inordinatio & peccatum mortale. Nec refert, quòd extra matrimonium aliquando posset adhiberi conveniens educatio prolis, reperto aliquo, qui ad id se ex contractu obligaret quia illud esset per accidens, nec posset habere locum in omnibus, sed solum in divitibus, quod esset absurdum: neque semper certo ac apto modo proli consuli posset, sicut oportet ex rei naturâ, & gravissimâ necessitate prolis humanæ, quandoquidem videamus in quibusdam animantibus vtriusque parentis curam requiri, videlicet in feris quibusdam & avibus; & humana natura vt est sublimior, ita perfectiorem institutionem requirat.

Et hinc Apostoli dum Gentiles ad Christianismum conversi difficilè avelli poterant à sinistra opinione, quòd fornicatio simplex propter vtriusque consensum non esset peccatum, coacto concilio Hierosolymis Spiritu sancto inspirante definierunt, sub pœnâ salutis æternæ à fornicatione simplici esse abstinendum. Quod exprimunt verba Act. 15. *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum &c. & fornicatione; à quibus custodientes vos bene agetis.* Et hinc Paulus loc. cit. præcipit fugere fornicationem, fugiendo videlicet feminas. obiecta, occasiones libidinis, divertendo oculos ac mentem, vt alia videat & cogitet: & efficaciùs rem vrgens inquit: *Empti estis pretio magno, glorificate & portate eum in corpore vestro.* q. d. Video vos in Venerem propensos, & hinc vsus sum varijs rationibus, vt vos dehortarer à solita fornicatione. Prima, quia corpus non est nostrum, sed Domini. Secunda, quia si castum sit, resurget in gloria. Tertia, quia corpus nostrum membrum est Christi. Quarta, quia corpus nostrum templum est Spiritus sancti, vt per castitatem Deo adhærens fiat vnus spiritus cum Deo. Quinta, quia libido corpus dedecorat, & contaminat. Iam addo sextam, quam ad vltimum reservavi, vtpote magis vrgentem, videlicet, *Empti estis pretio magno &c.* id est: Si prædicta vos non moveant, recogitate, quòd non sitis vestri iuris, sed emptitij, vtpote pretio redempti sanè permagno, & inæstimabili, nempe sanguine filij Dei: adeoque vos non solùm obligari, vt corpora vestra, tanquam rem pretiosam, intemerata servetis: sed in ijs Deum glorificetis, exhibendo membra vestra, arma iustitiæ Deo, vt habetur ad Rom. 6. Absit autem vt diabolo illa mancipetis pro turpi & brevi corporis voluptate. Rom. 6.

Act. 15.

In quam rem longè ante Sapiens Prov. 5. *Longè fac ab ea* (nempe fornicariâ) *viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius, ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli. Ne forte impleantur extranei viribus tuis: & labores tui sint in domo aliena. Et gemas in novissimis, quando consumpseris carnes tuas, & corpus tuum. Et dicas: cur detestatus sum disciplinam & increpationibus non acquievit cor meum? Nec* Prov. 5.

audivi vocem docentium me: & magistris non inclinavi aurem meam. Ne prives te honoribus tuis, nec præbeas alijs facultatem adeundi eos Reipublicæ honores qui tibi contigissent, nisi meretricibus te addixisses. Secundò, ne des decorem & pulchritudinem, & primævum ætatis florem meretrici, & *annos tuos crudeli*, id est, primum diabolo, qui nullis prœmijs te afficiet, sicut Christus continentem, sed tormentis æternis subijciet, & Christo subsannabit, quod nihil promittens plurimos habeat sectatores. Tertiò, *ne des annos tuos crudeli*, id est, immanissimæ meretrici, agresti & efferæ.

Porro hæc in tantum cordi impresserunt Virgines quædam Christianæ, vt mori, quàm violari voluerint, vt patet in D. Euphrasea quę à milite amasio deprehensa, cum non posset evadere, dixit se doctam cum artem, qua in bellis lædi non posset, si sibi parceret, vtque eius experimentum in se sumeret. Collum ergo suum inunxit, quod feriens ille statim amputavit, ita dolo pio castitatem redemit suâ morte. Ita Cedren. & Nicephor. lib. 7. cap. 13. Patet item in Sancta Digna, quæ Aquileiæ capta ab Attila, à barbaro ad stuprum rapta, quasi secreti cupida in tabulatum fluvio Natisoni imminens conscendit. Inde ad Hunnum sequentem conversa: Sequere me, inquit, si vis me potiri, ac mox in flumen se præcipitavit. ita Olaus in vita Attilæ & alij. Sanctus Ambrosius lib. de Virginitat. scribit Sanctam Pelagiam cum matre & sororibus præcipitem se dedisse in fluvium, ne à persequente milite violaretur, eamque vt Martyrem ab Ecclesia coli.

Cedrenus. Nicephor.

Olaus Ambrosius.

6. Quæres an nulla ratione fornicans excusetur à mortali peccato.

Respondeo neminem excusari posse à mortali, nisi ignoret invincibiliter fornicationem esse peccatum mortale, qualem ignorantiam insinuavi Discursu 3. prævio in Præcepta Decalogi num. 8. dari posse apud certas Gentes destitutas Doctoribus, & scientiâ rerum moralium. Quamvis enim præcepta Decalogi deducantur ex principijs per se notis; vt bonum amplectendum, malum fugiendum, & huiusmodi tamen quia non ita evidenter deducuntur, aliqua potest in ijs cadere ignorantia probabilis. Quòd enim fornicatio inferat damnum proli nascituræ, non ita facilè ab omnibus perspicuè cognoscitur, quòd inferatur iniuria in corpus mulieris, quando saltem ipsa liberè consentit; vix æstimari potest in soluta. Deinde, quòd prostibula publica permittantur, omnibusque promiscuè ad ea pateat accessus, non omnes capiunt ea dumtaxat tolerari, non vt licita, sed ad maius malum vitandum, perversitate hominum id exigente, quæ facile defectu talium in graviora prolaberetur crimina: Non enim noverunt multi vulgares distinguere inter peccata permissiva, vel non prohibita quoad pœnam, sed quoad culpam.

7. Dico secundò apud Christianos incredibile esse, posse dari ignorantiam invincibilem: quia apud eos frequens est puerorum institutio in doctrina Christiana, divini verbi enunciatio, vitiorum reprehensio, quibus fornicationes edocentur ad sextum Præceptum Decalogi reduci: adeo vt ne peccans cum vna, cui soli adhæret, à peccato mortali immunis sit, neque meretrices accedens, nec etiam concubinarius, qui aliquam feminam, vt vxorem domi retinet; vel si in aliena alat, habet consuetudinem cum ea se commiscendi; quod amplius est, graviùs peccat cœteris, & periculosiùs. Non enim solummodo peccat, verùm manet etiam semper in statu peccati mortalis, & in continuo proposito saltem virtuali peccandi. Ideo talis non est absolvendus, nisi antè concubinam eijciat, etiam in articulo mortis, si tempus adsit, & non sit magna necessitas eam retinendi citra scandalum, tunc enim sufficeret propositum.

Vnde

Conc. Trid. Vnde Concilium Trident. graviter vitium illud in laicis reprehendit, & severè puniri iubet, sess. 24. de reformat. matrimon. c. 8. his verbis: *Grave peccatū est homines solutos concubinas habere; gravissimum verò vxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi, etiam cum vxoribus alere, & retinere. Quare, vt huic tanto malo sancta Synodus opportunis remedijs provideat, statuit huiusmodi concubinarios, tam solutos, quam vxoratos, cuiuscumque status, dignitatis, & conditionis existant, si postquam ab ordinario etiā ex officio, ter ea de re admoniti fuerint concubinas non eiecerint, seque ab earum consuetudine non seiunxerint, excommunicatione feriendos esse, à qua non absolvantur, donec reipsa admonitioni factæ paruerint. Quod si in concubinatu per annum, censuris neglectis, permanserint, contra eos ab ordinario severe pro qualitate criminis procedatur. Mulieres sive coniugatæ, sive solutæ, quæ cum adulteris, seu concubinarijs publicè vivunt, si ter admonitæ, non paruerint, ab ordinario locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum, vel diœcesim, si opus fuerit, brachio seculari eijciantur, alijs pœnis contra adulteros, & concubinarios inflictis, in suo robore permanentibus.*

Antoninus. Libet ex S. Antonino adijcere flebile exemplum ficti propositi cuiusdam concubinarij, qui cum esset infirmus, & confessarius eum absolvere nollet, nisi concubinam de domo deijceret; ille assensit, sicque sumptis cum lachrymis Sacramentis decessit. Cumque postea confessarius, qui vir sanctus erat, pro eo oraret, existimans ad purgatorium transisse propter pœnitentiam, apparuit quadam vice ei, asserens se damnatum esse, eò quòd fortè pœnituit, intendens concubinam reassumere, si evasisset.

8. Quæres denique, an mater non excusetur, quæ ex necessitate filias prostituit, vt inde victitet. Respondeo negativè; *non enim sunt facienda mala, vt eveniant bona*: & alia media suppetunt honestè victitandi ex charitate Christi fidelium, etiam sine dispendio honoris. Vnde addo eiusmodi matri graviores pœnas divinitus imminere; quandoquidem filiarum curam non habens, *fidem negavit*, (teste Apostolo 1. ad Timoth. 5.) *& est infideli deterior*. 1. Tim. 5. Quod satis colligitur ex minis, quas Deus intentat Apocalyp. 2. cap. erga mulierem Iezabel, in verbis: Apocal. 2. *Et dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione sua. Ecce mittam eam in lectum, & qui mœchatur cum ea in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint: & filios eius interficiam in mortem, & scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes, & corda*. id est: Quia pœnitere non vult diuturno ac gravissimo morbo illam affligam, eiusque consortes; insuper liberos eius ac domesticos, qui nempe sceleribus eiusdem præ cœteris faverunt, morte dira feriam, omnino interficiam, & perdam; ita vt nullus ex eis superstes maneat. Geminatio autem illa, *interficiam in mortem*, more Hebræorum ad amplificationem ponitur. Cumque supplicium de his omnibus sumpsero, & occultissimè etiam peccātes puniero, omnes Ecclesiæ reipsa cognoscent, nihil esse tam occultum, quod mihi manifestum non sit. Hæc addidit Dominus, quia mulier ea, & eius comites, vt magis suos errores alijs persuaderēt, sanctitatem simulabant, & de aliorum pernicie cogitabant: alij autem non se prodebant, etsi animo & facto assentirentur. Acris profectò admonitio non solum pro matribus, sed pro quibusvis mediatoribus, & mediatricibus ad eiusmodi effectum. Et ex eo, quod dicat Episcopo Pergamensis Ecclesiæ: *Habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter pœnitentiam age: si quo minus, veniam tibi citò, & pugnabo cum illis in gladio oris mei. Qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat Ecclesijs*, id est: Veniam vt te ob negligentiam puniam, & destituam, & tuos qui doctrinam sequuntur Nicolaitarum sententiā meā feriam, & supplicio afficiam.

Quæres demum; An cum virgine honestorum parentum liberè consentiente peccans, teneatur illam ducere in vxorem, aut ipsi, vel parẽtibus eius restitutionem damni facere in foro conscientiæ.

Respondeo per se non teneri ad vllam restitutionem virgini liberè consentienti: quia habet libertatem in membra ac corpus suum: & licet faciat contra pietatem parentibus debitam, quãdo in stuprum consentit, cum illorum dedecore coniunctum (quemadmodum stuprator interdum contra charitatis legem) tamen parentibus nihil debet, quia nullam iniuriam ipsis intulit. Deinde, etsi intulisset iniuriam patri, non tamen damnum: quia damnum corporis filiæ volenti illatum, non redundat in patrem, eò quòd filia non sit possessio patris, sed liberum sui corporis vsum habeat, quo potuit abuti contra temperantiam, sicut comedens ex horto fructus intemperatè, vel immoderatè bibens ex dolio vinum, sibi iniuriam facit.

10. Dico secundò stupratorem, cum facinus est occultum, puellam, quacum peccavit, non sine iniuria infamantem, vt multi faciunt, teneri damnum inde secutum filiæ, & parenti eius resarcire, illi maiorem solito dotem assignando, vt honesto matrimonio locetur; imò si iudex propter communem æstimationem qua practicè tenetur peccando cum virgine consentiente, peculiarem deformitatem committi vltra fornicationem, quâ iniuria infertur parentibus, in externo foro stupratorem condemnet ad pœnam illis solvendam, obtemperare debet.

11. Sed dices, vnde ergo iudex Ecclesiasticus, cum, stupratore silente, & aliunde prole natâ, negotium ad forum contentiosum deducitur, cõdemnat fornicatorem ad dotandam stupratam, aliasque pœnas. Respondeo id fieri ex iustitia vindicativa, quâ illi huiusmodi pœnam iustè imponit, Et fundatur in l. pœnali, quæ habetur c. 1. de adulterio. & obligat post iudicis sententiam, desumpta ex lege Iudiciali Exod. 22. vbi sic habetur: ***Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea: dotabit eam, & habebit eam vxorem.*** Verũ in externo foro non solet stuprator cogi ad matrimonium, quando illud non promisit, sed ad alterutrũ eorum quæ dicta sunt.

12. Dico tertiò eum, qui impetravit vsuram corporis promissione cõiugij, teneri matrimonium inire cum eadem; neque sufficere, quod eam dotet, vel largis donationibus damnum resarcire velit, quamdiu illa non vult acquiescere. Ratio est, quòd puella consentiendo bonâ fide in copulam pro matrimonio futuro, ius acquisierit ad stupratoris matrimonium, cui iuri ipse non potest satisfacere, nisi consentiendo in matrimonium. Et eadem sit sententia de illo, qui animo ficto cum puella per verba de præsenti contraxit, ad hoc vt illâ potiretur: Etsi enim matrimonium illo casu sit nullum, manet tamen obligatio eam ducendi, si ipsa velit ratione iniuriæ, & damni secuti.

13. Quæres vltimò, an hæc obligatio post promissum matrimoniũ, & copulam secutam, ducendi in vxorem infallibiliter semper locum habeat. Respondeo negativè. Varij enim casus assignantur à Doctoribus, in quibus cadit excusatio. Primus est, quando est aliquod impedimentum legitimum solemnizationem non admittens, vt si sit puella affinis, si ducat aliam per verba de præsenti, si sacros ordines interim suscipiat non obstante promissione, si grave aliquod damnum vel scandalum ex tali matrimonio sequeretur; in quibus casibus sufficit damnum sarcire.

Secundus casus est, cum vita & status conditione longè dispares sunt, idque ipsa sciverit. Tertius est, cum ex coniecturis facile potuit virgo cognoscere eum non seriò promittere; vt si verbis ambiguis, exaggeratorijs, & inconstantibus vsus fuisset. Ratio est, quòd tunc puella satis

satis potuerit advertere, vel suspicari ipsum nihil serio promittere, sed se ludificari. Cœteros, qui etiam sponsalia dissolvunt videre licet apud Authores.

14. Verùm enimverò attentis pœnis in fornicarios etiam non promittentes coniugium constitutis, & deformitate fornicationis, forsitã quęres, quare meretricum prostibula publicè admittantur

Respondeo eiusmodi non tolerari tanquam licita per se, sed ad evitanda maiora mala, veluti vsurarij permittuntur ad evitanda furta.

Quæres iterum, quare ergo Dominus Deus Deutron. 23. prohibuit prostibula & meretrices, quæ pretio vulgarent corpora, in verbis: *Non erit meretrix de filiabus Israël, nec scortator de filijs Israël*, cum hac additione, *Non offeres mercedem prostibuli in Domo Dei tui.*

Respondeo peculiare quid fuisse, quare Deus publicam scortationem noluit tolerari inter Iudæos, videlicet: nec Iudæi Gentiles imitando publicas meretrices in Dei honorem introducerent, vti colligitur ex editione Septuaginta Interpretum, vbi aliquid huic sententiæ additur. Sic enim habetur: *Non erit ferens teletas de filiabus Israel, & non erit initiatus. de filijs Israël.* Vnde Theodoretus ponit hanc quæstionem 28. in Deuter. *Quid significãt hæc initians, initiatus, & initiata*, & respondet: *Quemadmodum nos appellamus eos fideles, qui sunt mysteriorum divinorum participes: ita gentes vocabant initiatos, qui dæmonum quorundam imbuti erant mysterijs* τελίσφορον *igitur dicit eum qui sacris imbuit,* τελισκόμενον *verò, qui sacris imbuitur.*

Dicam clariùs. Existimo eo loci initiationem quampiam significari, quia apud Ethnicos mulieres initiabantur Veneri ad quæstum meretricium in honorem idolorum, quæ & viros admittentes censebantur eos quodammodo Veneri vel alteri idolo initiare. Scribit de hac re Herodotus lib. 1. de Babylonijs in hæc verba: *Omnibus mulieribus indigenis commune est semel in vita ad Veneris templum desidentibus, cum externis viris consuetudinem habere.* Et paulò post: *Cum semel illic consederint, non prius domum regrediuntur, quam hospitum aliquis pecuniam mulieri in sinum iniecerit & cum eadem à fano seorsum abducta rem habuerit. Hospitem autem illum qui pecuniam obtulit, dicere oportet: Tanti ego tibi Deam Mylittam imploro. Mylittam enim Assyrij Venerem appellant. At vero pecuniam illam, quantulacumque sit, non est fas reijcere, siquidem in sacrum convertitur vsum. Neque mulieri etiam permittitur hospitem aliquem repudiare, sed quicumque is est qui pecuniam obiecerit primùm, hunc illa sequitur citra delectum,* Quibus non absimilia de ijsdem Chaldæis habet Baruch Propheta cap. 6. v. 43. *Mulieres autem circumdatæ funibus in vijs sedent, succendentes ossa olivarum. Cum autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte dormierit cum eo, proximæ suæ exprobrat, quòd ea non sit digna habita, sicut ipsa, neque funis eius diruptus sit.* Cuius loci sensus est, quod mulieres cingulo vel funiculo corpus vinciebant, vt significarent se virgines, & Veneris religione atque amore captas detineri, hocque signo quasi Veneri sacras, primo obvio sui copiam facere, & petere vt funem solvat, & nefaria sacra Veneri faciat; sicque incesta copulatione, cesto, sive zonâ diruptâ, matrimonium inibant. Idem faciebant coniugatæ, si Veneri se dicare vellent. ita ex Herod. Strabo, & Curtio lib. 5. à Castro. Hinc cestus, sive zona priscis signum erat virginis & virginitatis, quam tunc primum solvebant mariti, cum nova nupta primò eorum thalamum subibat. Sic Romani in philtro amasij statuam ternis funiculis colligabant, testis est Virgilius Eclog. 8. Deinde quod additur: *succendentes ossa olivarum*, significat philtrum, sive veneficium magicum, quo diabolares istæ, quas nec divitiæ, nec forma, nec genus commendabat, cremando ossa, id est nucleos olivarum, flammam concupiscentię testabantur, & procorum duritiem mollire, & incantare studebant, ne diu desiderent, sed citò amasium

masium allicerent, Vnde simul cum hac crematione precabantur, vt sic hospites earum amore torrerentur. Demùm sic adusta, & in cineres redacta spargebant in ventum, iacta trans caput. Sic enim Theocritus in Pharmaceutria docet hoc à Babylonijs didicisse Græcos, scilicet Smithæam veneficam, quæ Delphidem iuvenem deperibat. Sic enim ait: *Sicut ego hanc ceram Deo iuvante liquefacio, ita præ amore statim diquefiat Myndius Delphis, vtque volvitur hic æneus orbis ope Veneris, sic ille volvatur ad nostras fores. Iynx trahe tu illum meum virum ad domum nostram, nunc sacrificabo, vel succendam pityra.* Et Virgilius Eclog. 8.

Fer cineres Amarylli foras, rivoque fluenti, Transque caput iace.

Et cum finem optatum assequebantur, tunc proximæ suæ exprobrabant prout in Textu est. Adfert autem in mediũ Hieremias obscœnitatem hanc Idololatrarum quam à Gentilibus didicerant, vt efficacius eos corrigat. q.d. O Hebræi advertite obscœnitatem idololatriæ, videte an hic sit Deus, cui quasi lenoni stupra, & stupri pretia Gentiles offerunt, contra legem Deuteron. 23. rursum cui ne olivas quidem aut oleum, sed tantum ossa olivarum contrita, scilicet sordes & excrementa dedicant. Nimirum talibus gaudet dœmon, hoc eius est thymiama. Deus autem vester & verus gaudet castitate, victimis purissimis & optimis, ac thymiamate odoratissimo.

Cœterum hæc Gentilium stoliditas ex pluribus Historicis confirmari posset, quos brevitatis ergo omitto. Hoc tantum addam æque absurdum, quod Polydor. Virgil. & Hector. Boët. in hist. Scotorum æternitati mandarunt, nempe Scotos dum adhuc Gentiles essent filias suas sponsas, antequam à sponsis suis cognoscerentur, primò Regi suo violandas tradidisse, & iam Christianos effectos eius loco & vice induxisse, vt novæ spõsæ certum nummum Regi penderent. Itaque existimo prostibula publicè apud Iudæos tam strictè fuisse prohibita, ne ad imitationem & exemplum Gentilium mos aliquis similis introduceretur. Et confirmatur ex eo, quòd inter Iudæos hic & ibi meretrices innotuerint. vt clarum est ex cap. 38. Genes. vbi Thamar volens dolosè concipere ex Iuda qui promissũ & pactum illi non servarat, negando ei matrimonium Sela filij sui, *depositis viduitatis vestibus*, vt inquit Scriptura, *assumpsit theristrum, & mutatò habitu sedit in bivio itineris* (vbi videlicet vtrimque transeuntes venari & captare liceret) *quod ducit Thamnam, eò quòd crevisset Sela, & non eum accepisset maritum*; & cum ea, tanquam cum meretrice peccavit, nesciens esse nurum suam. Et cum mitteret Iudas, quod pro congressu illi promiserat, eaque secessisset, homines loci illius interrogati de ea, responderunt omnes: *Non fuit in loco isto meretrix.* Rursum Lev. 21. Deus nõ prohibuisset Sacerdotibus ne scortũ, & vile prostibulũ ducerent in vxores: nec specialius Pontifici iniunctũ esset, vitiatã & pollutã vitare, & puellam accipere de populo suo. Neque Scriptura commemoraret Iud. 11. Iephte fuisse filium meretricis, neque Salomonis de meretricibus iudicium 3. Reg. 3. Neque Salomon tantopere Prov. 5. & 23. dehortaretur à commercio meretricum. Denique apud Prophetas meretricis nomine Iudæos idololatrantes non pupugisset. Nec Matt. 21. dixisset: *Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei, venit enim ad vos in via iustitiæ, & non credidistis ei, Publicani & meretrices crediderunt ei.* Ex quibus evidenter colligitur conventum meretricum tanquam Deo sacrum speciali de causa Magistratui tolerare non licuisse. Iuvat ad hanc rem, quod additur: *Non offeres mercedem prostibuli in domo Domini Dei tui.* q. d. Deus: Non solum veto publicam & & certo loco fornicationem, sed etiam si id contingeret, non obstante meo præcepto, ad morem Gentium idololatrantium, quæ ex meretricio

Deu. 23. eio quæstu collectas pecunias vel donaria idolis offerebant; similiter ex communi meretricio quæstu quidquam mihi offeratur: & consequenter ne Sacerdotes eiusmodi donaria admittant, eamque mercedem admittendo sordes meretricias, & Gentium idola probare, & dœmones omnis puritatis hostes in re tam pudenda imitari videantur.

Discursus VI.

De Osculis & Tactibus.

Ephes. 5. Paulus ad Ephes. 5. dicit: *Fornicatio autem, & omnis immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos.* Quibus verbis vult omnem obscœnitatē quæ in osculis & tactibus cōsistit, alienissimam esse à Christianis. Quia tamē apud varias gentes osculorum & tactuum aliquis vsus, tractabo quæ oscula sint licita, & quæ illicita, & similiter de tactibus.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam prænotandum est tria esse osculorum genera, nempe, osculum, basium, & suavium, vt obiter animadvertit Donatus Grammaticus in Terent. Ex his duo sunt licita, quando ad bonum finem referūtur; tertium illicitum: Licita autem sunt oscula, quę fiunt venerationis ergo, vt patet Genes. 47. vbi Iacob adoravit fastigium virgæ Ioseph, id est, cūrvando se reverentiam exhibuit, ac veneratus est sceptrum, seu regiam potestatem Iosephi illi à Pharaone, vel potius à Deo datam, cum voti compos factus esset, lætusque ob tantam sibi à Iosepho promissionem, quòd se sepeliret in Chanaan apud patres suos, vt versum vltimum dicti capitis Septuaginta, & ex ijs S. Paulus Hebręor. 11. vertunt. Illa autem veneratio solet fieri per osculum vt patet Estheris cap. 5. vbi Assuerus videns Estherem regalibus vestimentis indutam, sibique placentem, *extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu, quæ accedens osculata est summitatem virgæ eius*, seu venerata est in osculo sceptri Regem.

Donatus

Genes. 47.

Hebr. 11.

Esther. 5.

Et hinc Idololatræ in signum venerationis & adorationis solebant osculari idolum: idque ita frequenter, vt etiam simulachra tererent, teste Cicerone in actione 4. in Verrem, vbi dicit simulachrum Herculis æreum vsque adeo Agrigentinis fuisse religiosum, *vt rictus eius, & mentum paulo sit attritius, quod in precibus, gratulationibus non solum id venerari, verum etiam osculari solent.* Cum vero simulachrum tam longe abesset, vt tangi non posset, ad illud saltem vel ramum, vel manum extendebant, cui deinde tanquam rei quodammodo sacræ osculum imprimebant. Priorem modum de ramo arboris idolo sacro, prodit Ezechiel c. 8. vbi dicit de Idololatris: *Ecce applicāt ramos ad nares suas.* q. d. Ecce quomodo ramos, qui nefaria aut profana, & impura simulachra contigerunt, ad nares referunt, vt ex illis aliquid, quod ab illo abominabili contactu contraxerunt, odorentur. Adeoque indicat Iudæos ramos lauri gestasse manibus, atque eos ob suaveolentiā admovisse naribus, quasi gratias agentes Apollini conditori lauri, & authori suavis eius odoris, & sic osculando adorasse Apollinem. Sicut enim Gentiles Iovi sacrificabant coronati æsculo, Minervæ oleâ, Veneri myrto, Herculi populo, Baccho hederâ, 2. Machab. 6. 7. vel pampinis, Pani pino, Silvano & Diti cupresso, Isidi abrotano, sic Apollini, id est,

Cicero.

Ezech. 8.

2. Mach. 6

id est Soli, sacrificabant redimiti tempora lauro: quia laurus Soli sacra erat, & sic osculando adorabant eum. Posteriorem modum insinuat Iob, dum ait cap. 21. *Si vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clarè, & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo: quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* q. d. Maximi apud Deum & homines flagitij, & criminis reus fiam, nisi veram fidem atque religionem semper coluero sine vlla idololatriæ specie aut suspicione. Nunquam enim me pulcherrimus iste, atque iucundissimus Solis, Lunæ, cœterorumque fulgentissimorum siderum conspectus in errorem aliquem abduxit: neque vnquam exorientis Solis iubar, vt laudem illi, honoresque divinos tribuerẽ, splendoris illecebris, & oculorum lenocinio quodam persuasit. Si cum Lunam aspicerem argenteâ luce conspicuam, pompatico, imo femineo incedentem gressu, veluti cœterorum luminum Reginam, atque ductricem, vanâ aliquâ lætitiâ illectus, mecum tacitus cogitavi, divinum illi numen inesse; atque interna animi persuasio in externum aliquem adorandi habitum me impulit, vt manum versus cœlum porrigens, statim reverenter ad osculum referrem, atque hac cæremonia divinitatem, veri vniusque Dei (quoad in me esset) impudens, insanusque auferrem, divinosque creaturæ honores impenderem; (adoro enim idem est quod ad ora applico, scilicet manum osculando, vt ait Plinius lib. 28. cap. 2.) quod & flagitium maximum est, & flagitiorum omnium cumulus, atque mendaciorum omnium turpissimum, impudentissimumque in abneganda vnica Divinitate mendacium. Hæc dicebat Iob se à calumnia vendicans.

Iob. 21.

2. Huius consuetudinis meminit Plinius loc. cit. dicens: *Inter adorandum dextram ad osculum referimus.* Et Minutius in Octavio, cũ ait: *Cecilius simulachro Serapydis viso, vt vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens osculum labijs impressit.* Vnde etiam Propheta Oseas cap. 13. insaniam populi Iudaici in publicum proferens, dicit illum ad tantũ stuporem pervenisse, vt tam ij qui ex ipsis idola formaverant artifices, quam qui sacris præsunt, edicant hominibus, vt adorent vitulos, & illorum aris victimas imponant, nempe vers. 2. in verbis: *Hisce ipsi dicunt: Immolate homines vitulos adorantes*, vbi Hebraicè pro *adorantes* est *osculantes*.

Plinius. Osee 13.

Cœterum dum mores antiquos venerationis recenseo, præterire non licet consuetudinem Gentilium, quâ casu quo nec osculari liceret idola, nec manum admovere, conformabant labia, quasi osculum absentibus impressura, observantiæ atque amoris ergo: ad eum morem quo ij, qui plusquam familiariter invicem amant, non tam re quam imagine, & significatione osculantur absentes. Vnde est illud Tertulliani in Apolog. cap. 6. contra Gentiles sic Solem adorantes: *Plerique vestrum in affectatione aliquando vt cœlestia adorandi, ad Solis ortum labia vibratis.*

Tertull.

3. Porro ex Priscorum licito vsu credo natum morem apud Christianos religiosè ac piè osculo venerandi reliquias sacras, altare, & si quid eiusmodi: tum etiam familiarem osculandi manum, dum alicui honor civilis exhibetur, vel pravum morem in pium vsum commutatum.

4. Licita etiam sunt oscula, quæ fiunt in signa benevolentiæ, & amicitiæ in causa honesta fundatæ. Qualia familiaria fuerunt tam Gentilibus, quam Iudæis, Gentiles enim sibi invicem obviantes solent invicem idcirco osculari, teste Xenophonte lib. 1. pædiæ Cyri, & Herodoto in Clio; idque consuetudine ita invaluerat, vt Suetonius dicat Tiberium Cæsarem id frustra vetare conatum. Apud Iudæos eundem morem fuisse patet ex osculo Amasæ & Ioab, 2. Reg. 20. Item ex osculo, quo Iudas Christum de more osculans eum prodidit Matth. 26.

Xenoph. Herodot. 2. Reg. 20. Matt. 26.

5. Tertiò non solum licita, sed etiam pia & religiosa fuerunt oscula apud

apud Christianos, quibus pacem, & communionem Catholicam indicabant. De quo Paulus ad Rom. 16. & 2. ad Corinth. 13. *Salutate vos invicem in osculo sancto*, signo nempe communionis Catholicæ, vnius fidei, cordis & animi vnius. De quo Baronius anno Christi 45. n. 23. *Quod enim idem Apostolus in fine epistolæ, illos ad quos scribit, admonet, vt salutent se invicem in osculo sancto: nostri instituti ratio postulat, vt de antiqua ab Apostolis institutâ Christianâ salutatione osculo sancto impartiendâ (quod pertinet ad antiquos Ecclesiæ mores) paulò fusiùs agamus. Non enim id Petrus tantum, sed & Paulus faciendum præcepit, vt cum ad Romanos, vel ad Corinthios iterum, aut ad Thessalonicenses scripsit epistolas. Id ipsum etiam facere suis epistolis consuevit Ignatius, cum diversas ad suos daret. Cum vero ijdem Principes Apostolorum salutationem mutuam non osculo tantum, sed sancto planè dandam esse præscripserint; diversam sanè eam ab illa fuisse, quam Gentiles inter se consueverunt impartire, certum est. Quodam enim vsu receptum erat, quoties sibi obviarent inter ambulandum amici, se invicem osculo salutare. quam quidem consuetudinem vt permolestam, & frequentius occursionibus fastidium afferentem, Tiberius lege sancitâ tollendam curavit: sed (quod probavit eventus) plus lege valuit inolitus vsus.* Et paulo post: *Erant quidem eiusmodi oscula pacis & amoris symbola; quæ non tollenda, sed moderanda inter Christianos curarunt Apostoli, dum eos se invicem salutare debere osculo sancto sæpe admonuerunt. Illa plane sancta oscula dicta esse reperiuntur, quæ in sacris conventibus illorum verborum adiunctâ salutatione. Pax tecum, adhiberi consueverunt. Agens de his Iustinus Martyr hæc ait: Precibus finitis mutui nos invicem osculo salutamus. Post osculum sequi administrationem Eucharistiæ fusius tradit. Origenes de eiusmodi Apostolicâ institutione & Ecclesiæ vsu hæc scribit: Ex sermone Pauli (scilicet cum dicit: Salutate vos invicem osculo sancto) mos in Ecclesia traditus est, vt post orationes osculo se invicem suscipiant fratres. hoc autem osculum sanctum appellat Apostolus: quo nomine illud docet primum, vt casta sint oscula, quæ in Ecclesijs dantur; deinde vt simulata non sint, sicut fuerunt Iudæ. Osculum vero fidele primò castum sit, deinde pacem in se simplicitatemque habeat in caritate nõ ficta. Hucusque Origenes.* Agens de eodem Tertullianus, illud appellat signaculum orationis. Cum enim reprehenderet eos, qui ieiunarent & oratione habitâ cum fratribus, subtraherent osculum pacis; inquit, lib. de orat. cap. 14. *Alia iam consuetudo invaluit, ieiunantes habitâ oratione cum fratribus subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis. Quando autem magis conferenda cum fratribus pax est, nisi cum oratione commendabilior ascendit, vt ipsi de nostra operatione participent, quam audeant de sua pace fratri transigere? Quæ oratio cum divortio sancti osculi integra, quem Domino officium facientem impedit pax? Quale sacrificium est, à quo sine pace receditur.*

Rom. 16. 2. Cor. 13. Baronius. Rom. 16. 1. Cor. 16. 1. Thess. 5. epist. ad Antioch. Sueton. in Tib. c. 34. orat. ad Anton. Imp. in epist. ad Rom. 16. Tertull.

Cyrillus vero Hierosolymitanus discriminans sacrum osculum à profano, sic ait: *Nec hoc ita accipias, quasi osculum illud sit huiuscemodi, quale in foro inter omnes amicos esse consuevit, neque enim tale est. Hoc igitur osculum animos mutuò conciliat, & omnem malorum oblivionem illis spondet: signum igitur est hoc osculum reconciliationis animorum vniversæque iniuriarum memoriæ deletæ.* Et post aliqua: *Igitur osculum hoc, quo in sacris vtimur, reconciliatio, atque idcirco sanctum, de quo & Paulus dicit: Salutate vos invicem in osculo. Et Petrus inquit: in osculo dilectionis.* Chrysostomus post multa in hanc sententiam dicta, hæc addit: *Quin de osculo sancto aliud quoque afferri potest. Quid tandem? Templum Christi sumus: itaque templi vestibula & aditum osculamur, cum alij alios osculamur. An non cernitis, quotnam homines etiam huiusce templi vestibulis osculum figunt, partim inclinato capite, partim manu tenentes, atque ori manum admovẽtes. Ac per has portas, & iannas ingressus est Christus, & ad nos ingreditur, cum communicamus. Nostis enim vos qui mysteriorum participes estis, quid dicam. Neque enim vulgari quodam honore os nostrum afficitur, cùm corpus Dominicum excipit; eaque præsertim de causa tum mutua oscula iungimus. Audiant qui obscœna loquuntur*

Catech. 5. hom. 30. in epist. 2. ad Cor. c. 13.

loquuntur & qui convicia proferunt, & horrescant cogitantes, quale os deturpent, ac dedecorent. Audiant qui obscœnè osculantur &c.

6. Et hac de causa olim solebant hospitem osculo recipere: hinc enim Christus pluris fecit Magdalenam, Luc. 16. quam Pharisęum murmurantem, dicens: *Osculum non dedisti mihi*, quod scilicet hospitalitati operi religioso, adiunctum esse debebat; *hac autem vt intravit non cessavit osculari pedes meos.* Tertullianus etiam Apolog. cap. 7. asserit feminas coactas fuisse, temperantiæ indicandæ causa, propinquis osculum dare, dum ait: *Osculum propinquis offerre, necessitas erat. vt spiritu indicarentur.* Quod Tertullianus vult dicere, est olim Romanas mulieres non potuisse recusare osculum propinquis, ne, si negassent, putarentur vinum bibisse, quod tam fœdum erat, vt matronam (sicut ipse loquitur) ob resignatos cellæ vinariæ loculos sui inediâ enecarint. Sub Romulo vero, quæ vinum attigerat impunè à Mecenio marito trucidata sit. Vnde deplorat feminas cecidisse ab institutis maiorum, quæ modestię, sanitati patrocinabantur, & inter alia, quòd præ vino nullum liberum esset osculum, subinsinuans, vt mihi videtur infame fuisse mulierem temulentam osculari, aut sine periculo libidinis non posse libari. Hæc de osculis.

7. Basium vero signum affectuum apud varias gentes in vsu fuisse, tam in receptione, quam dimissione amicorum ostendit, quantum ad receptionem, caput 29. Genesis, vbi Iacob videns Rachelem filiam avunculi sui consobrinam suam, *osculatus est eam, & elevata voce flevit, & indicavit ei, quod frater esset patris sui, & filius Rebeccæ: at illa festinans nunciavit patri suo. Qui cum audisset venisse Iacob filium sororis suæ, occurrit obviam ei, complexusque eum, & in oscula ruens, duxit in domum suam.* Et caput 33. vbi Esau fratrem suum Iacob sibi obviantem *amplexatus est, stringensque colla, & osculans flevit.* Rursus caput 45. vbi de benigna receptione fratrum Ioseph dicitur: *Osculatusque est Ioseph fratres suos, & ploravit super singulos.* Denuo Exod. 4. vbi Aaron ex mandato Dei *perrexit obviam Moysi in montem Dei, & osculatus est eum.* Simile quid habetur cap. 18. v. 7. & 8. Tobiæ 11. v. 10. & 11. de parentibus Tobiæ, cum ad eos rediret; vti & Luc. 15. vbi filium prodigum iam ad se revertentem in typum veræ pœnitentiæ pater sibi osculando reconciliavit, & in pristinam gratiam recepit.

Istius autem vsus non erat dissimilis in recessu, hinc enim Genes. 31. conquestus est Laban, quod furtim se subtraxisset Iacob, addendo: *Non es passus vt oscularer filios meos, & filias, stultè operatus es.* Et Act. 20. cap. Ephesiani Paulum ab illis recedentem, procumbentes super collum eius osculabantur cum fletu, affectum ostendentes, quo erga ipsum ferebantur. Et 1. Reg. 20. idem accidit inter Davidem, & Ionatham qui invicem osculabantur, cum necessum erat illos seiungi ob furorem Saulis, qui Davidem persequebatur ad mortem. Et Tob. 10. Tobia recessum vrgente apprehendentes parentes filiam suam *osculati sunt eam, & dimiserunt ire, monentes* &c. Et 3. Reg. 19. vbi Helisæus vnctione designatus Propheta, & per pallij communicationem ab Elia ad eandem societatem & vitę communionem vocatus (hoc enim significant verba: *posuit pallium super illum*, vti confirmatur ex Ruth. 3. cap. vbi Ruth expetens nuptias Booz dixit, *Expande pallium tuum super famulam tuam.* Id est: declara me domus thalamique tui consortem expansione pallij) facultatem ab illo petijt parentibus suis valedicendi, his verbis: *Osculer, oro, patrem meum & matrem meam, & sic sequar te*, vel, da veniam vt parentibus osculo dicam extremam salutem, vtpote qui statui, novus Propheta effectus, repudiatis omnibus tibi adhærere, & me totum tui obsequio atque tutelæ tradere. Et hac ratione sponsa in Canticis ostendens spiritualem affectum erga sponsam, inquit,

quit: *Osculetur me osculo oris sui.* q. d. Quemadmodum puella noviter nupta, seu nova sponsa, quæ amore, ac desiderio sui sponsi flagrat, & impatiẽter amat, quantumvis aliàs sit pudica, casta, & verecunda, & fidem thori servans: tamen præ amoris magnitudine non veretur oscula, id est, signa, vel tãquã signa, & testimonia quędam certa, vel pignora mutui, ac legitimi amoris desiderare, ac iure suo petere: nec enim osculum amans amanti denegat. Ita etiam ego, quæ amore, ac desiderio cœlestis sponsi, cui per fidem & charitatem quodammodo nupta sum, tota flagro, & ex abundantiâ quadam amoris, & fiduciâ nuptiali, seu coniugali non vereor ab eo signa quædam expressa, manifesta, & solida istius mutui ac divini amoris, quasi oscula plura expetere. Osculis enim videmus tam parentes erga tenellos, quàm sorores erga parvulos fratres affectũ exprimere: Vnde est illud Cantic. 8. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inveniam te solum foris, & deosculer te?* Cantic. 8.

8. Denique sequitur vsus suavij, quod libidinis ac obscœni amoris causâ vsurpari solet, & peccatum mortale constituit, teste Apostolo, qui talia oscula non vult nota esse inter Christianos, cum dicit Ephes. 5. *Omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* id est: Sanguine Christi renatos, & ablutos. Et cũ Galat. 5. inter manifesta opera carnis recenset immunditiam, & impudicitiam, sub quo posteriori verbo intelligit oscula, tactus, aliosque gestus libidinosos, ac de illis operibus enunciat: *Quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Ephes. 5. Galat. 5.

9. Sed quæres, quando suavia seu oscula sint peccata mortalia. Solent enim plebei parum etiam oscula libidinosa curare, & turpissimum modum stultitiam quandam nominare. Et hinc liberè diaboli laqueis irretiuntur, nec de ijs dolorem, multò minus exomologesin cogitant.

Respondeo tribus modis ex libidine procedentia oscula ad mortalia ascendere: videlicet primò; cum quis vtitur osculo, tanquàm dispositione ad concubitum, nimirum cum animo per illas blanditias ad concubitum excitandi; & de hoc est res manifesta, nam ordinatur ad finem mortiferum: vnde pertinebit ad speciem illius actus; ad quem ordinatur, & disponit; sive ille sit fornicatio simplex, sive incestus, sive adulterium, sive alterius speciei.

Secundò, cum quis vtitur osculo tanquam signo, quo phantasiæ repræsentetur ipse concubitus, vt sic in signo voluntas concubitu fruatur. Ratio est, quòd exhibeat voluptatem actus illiciti, tanquam præsentis, simili modo corpus commoventis & ad seminationem spiritus concitantis.

Tertiò oscula, quæ contingunt ob solam delectationem sensibilem carnis, licet speculativè à mortali excusari posse videãtur, revera tamẽ practicè vitanda sunt sub mortali, præsertim inter formosiores. Primò propter periculum, & quòd moraliter impossibile sit eiusmodi vsurpare absque delectatione morosâ concubitus, vel consensu etiam in ipsum, adeoque sistere in solâ illâ delectatione sensibili paradoxum est. Vnde rectè Basilius lib de vera Virginit. *formosorum*, inquit, *oscula cavere oportet, non secus quam animalium venenatorum morsus.* Et rationem addit: *Diffunditur enim virus ex osculo per omne corpus.* Quod in ipsis convivijs, vbi hæc oscula ex more patriæ sæpe vsurpari solent, aliquando à conviviantibus deprehenditur, dum oculi immutationem corporis manifestant. Et hinc S. Thomas 2.2.q.154.a. 2. in corpore, de eiusmodi osculis: *Si ista*, supple oscula, *fierent sine delectatione libidinosâ, id est, sine motione spirituum circa libidinosas partes, quæ motio non fit sine delectatione, & sine intentione talium, tunc acciperentur secundum se, & non essent mortalia, sed hoc est difficile, & periculosum, & ideò cavendum.* Basilius. S. Thomas.

Secundò, quia hac viâ proceditur ad oscula, quæ stultitiæ nomine appellitant, & actum venereum repræsentant. Vnde Tertullian. lib de velandis Virginibus cap. 14. invehitur in virgines, quæ non velato capite in publicum prodibant, & dicit necesse esse illas periclitari, dum inter amplexus & oscula assidua concalescunt. Loquitur de more, quo in Ecclesia viri etiam à mulieribus distincti furtim irrepentes eas osculabantur, non osculo religioso, casto, & syncero, vt debebant, sed sensibili. Adijciam eius verba: *Quantum velis*, inquit, *bona mente conetur, necesse est publicationis suæ periclitetur*, supple virgo, *dum percutitur oculis incertis & multis, dum digitis demonstrantium titillatur, dum inter amplexus, & oscula assidua concalescit: sic frons duratur, sic pudor teritur, sic solvitur, sic discitur aliter iam placere desiderare.* Quod dixit Tertullianus de virgine, experientia docuit frequentiùs, & liberaliùs contingere inter coniugatos, qui dum videntur benevolentiam animi per osculum ostendere, libidini fræna laxant. Quò videtur tendere illud Clementis Alexandrini lib. 3. Pœdag. cap. 11. *esse aliud quoque osculum incestum veneno plenum, sanctitatem simulans.* Rursum ibidem: *oscula impudicitiæ sæpe virus immittunt.* Et ne quis miretur oscula hæc mala parere, rogat: *An nescitis, quod etiam phalangia, si ore tantum tangant, graves dolores hominibus afferunt?*

Tertull.

Clem. Alexand.

Res maxime notanda ijs, qui hoc flocci pendunt, & propterea nec illud in Confessione detegendum autumant: nam stultitia hæc pro ioco non habebitur apud Deum; sed pro simili, atque Thamar dehortata est fratrem suum Amnon, cum dixit 2. Reg. 3. *Noli, frater mi, facere stultitiam hanc.*

2. Reg. 13

Hinc enim prælati Ecclesiæ volentes omnem ansam horum tollere, instituerunt laudabilem vsum osculandi tabellam tempore Missæ, quod considerarent, non obstante omni cautelâ inter viros & feminas, oscula libidinosa fraude aliquâ, & diaboli arte irrepere.

10. Sed dices, inter sponsos & sponsas de futuro oscula excusantur à mortali, licet fiant causâ delectationis sensitivæ.

Respondeo id verum esse, quando abest periculum pollutionis, aut consensus in copulam, & per se turpia ac libidinosa non sunt Ratio diversitatis est, quòd sponsalia sint initium matrimonij, adeoque sponsi ius habeant ad id, quod est dispositio, & præparatio ad actum matrimonij, vt varij Doctores docent. Si verò contingat prævideri periculum pollutionis; quod sæpe contingit, non veniunt excusandi à mortali, etiamsi nolint vlterius progredi, nec delectari de concubitu, nam etsi maximè nolint, exponunt se morali periculo illa admittendi, & experientia docuit plurimos reipsa labi in actum venereum.

11. Quæres, quid censendum de tactibus. Respondeo, vel sunt tactus partium honestarum, vel verendarum. Si priorum, & fiunt ex levitate, ioco, absque animo turpi: vt si quis manum feminæ, vel pedem, vel brachium premat, vellicet, aut digitos intorqueat ex levitate animi, ioco, non causâ delectationis, dico venialem tantùm continere culpam per se loquendo. Secundò, si fiant ex amore pravo & libidinoso, mortalem culpam continere. Probatur ex cap. 5. ad Galat. vbi inter opera carnis, quæ excludunt à regno Dei, ponitur *impudicitia*, quæ propriè consistit in turpibus contactibus. Et Ephes. 5. vbi dicit Apostolus: *Hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator, & immundus &c. non habebit hæreditatem in regno Christi, & Dei.* Nec refert, quòd expressè de tactu non fiat mentio: non enim fuit Apostolo curæ, omnes libidinum species à fornicatione, & adulterio distinctas proprijs nominibus exprimere; sed satis ei fuit verbis generalibus eas insinuare. vt notat D. Hieronymus in cap. 5. ad Galat. *Secundum opus carnis, immundicia nuncupatur, & eam comes luxuria sequitur. Quomodo in veteri lege*

Galat. 5.

Ephes. 5.

Hieronym.

lege de nefandis criminibus, quæ in occulto fiunt, & ea nominare turpissimum est, ne & dicentis os, & aures audientium polluerentur, generaliter Scriptura complexa est, dicens: Verecundos vel reverentes facite filios Israël ab omni immunditiâ: sic in hoc loco cæteras extraordinarias voluptates, ipsarum quoque opera nuptiarum, si non verecundè, & cum honestate, quasi sub oculis Dei fiant, vt tantùm liberis serviatur, immundicitam & luxuriam nominavit. Et quamvis fœda hæc mens Deo nota sit, difficile est eam discernere, nisi in modo agendi se exteriùs prodat, aut vlterius media tentet honestam in libidinem pertrahendi. Tale est, quod scribit Hieronymus de quodam, qui virginis cuiusdam pudicitiam tactibus & iocis tentarat: *Virginem*, inquit, *Dei vicinus iuvenis deperibat, qui cum frequenter tactu, iocis, nutibus, sibilis, & cæteris huiusmodi, quæ solent moritura virginitatis esse principia, nihil profecisset, perrexit Memphim, vt confesso vulnere suo magicis artibus rediret ad virginem, &c.* (Idem in vita Hilarionis.)

12. Dico tertiò, vitandos etiam esse tactus honestarum partium, cum quis sentit periculum pollutionis, aut vlterioris consensus in concubitum. Huc tendunt monita D. Basilij lib. de virginit. (Basilius.) *Tactum verò, vt sensuum omnium perniciosissimum, & sævissimè blandientem, sensusque reliquos in sua ad voluptatis illecebras pellicientem, immaculatum, & perturbationibus minimè pervium, semper quàm maximâ poterit cura servabit.* Et longè post: *Itaque quoniam in membris omnibus ignis hic ardet, his qui corpus adustione liberum servare instituunt, membrorum omnium contactus cautè vitandus est, ne ardentem ignis operationem in membrum per tactum, non in ea solum parte, quam tetigit, sed in toto corpore, atque in anima ipsa suscipiant.* Deinde rem pulchris similitudinibus illustrat: *Si enim*, inquit, *dum caudam quis tantùm serpentis attingit, caput magnâ licet corporis prolixitate disiunctum, ad caudæ tactum repentè convertitur, & si digito pedis nostri impingente, capilli capitis mox in sublime feruntur: & vitiosus profectò contactus etiamsi manu tantum fiat; à capite tamen vsque ad extremos vngues ad consensum voluptatis pro eius, qui tetigit, nutu pertrahit corpus. Ac sicut lapis in aquam cisternæ coniectus non solùm adiacentem aquæ partem, in quam cecidit agitat: verùm orbes alios perpetuis vicibus excitans, eos interdum ad vltimos lacunæ margines agitando perducit.*

13. Quæres, quandoquidem Hieronymus loco citato dicat tactus moritur æ virginitatis esse principia; an quis possit permittere aliquando tactus alterius absque peccato, etiamsi sciat alterum affectu libidinoso id facere.

Respondeo tunc licere, quando tactus fiunt secundum morem patriæ, vt prehensando, seu contrectando manus, osculum figendo, vel in adventu, vel recessu amicorum, manus conserendo in choreis, & similibus modis; idque dumtaxat, quando alter non potest se retrahere sine scandalo aliorum, qui non suspicantur de libidine. Et ratio cur tunc liceat est, quòd quando duo ad vnum opus concurrunt, alter possit facere vel pati bonâ intentione, quod alter facit malâ. Hæc de partibus honestis.

14. Restat inquirere quale peccatum sit, tactus secretiorum partium, & an aliquando etiam excusabilis à peccato eas contingere!

Respondeo crimen esse mortale, quandocumque talis tactus fit causâ voluptatis, quæ præcisè ex ipso nascitur, etiamsi desit vlterior intentio. Probatur ex Scripturis citatis. Omitto periculum copulæ, quæ ordinariè subsequi solet, etiamsi partes præviâ stipulatione id caveant. Et fortè dixit ideo Apostolus 1. Cor. 7. (1. Cor. 7.) *Bonum est homini, mulierem non tangere.* Certè D. Hieronymus lib. 1. contra Iovinianum hoc insinuat dicens: (Hieronymi) *Non dixit, bonum est vxorem non habere, sed bonum est mulierem non tangere, quasi & in tactu periculum sit; quasi qui illam tetigerit, non evadat, quæ virorum pretiosas animas rapit, quæ facit adolescentium evolare corda. Alligabit quis in sinu ignem, & non comburetur? aut ambulabit super carbones ignis, &*

non ardebit? Quomodo igitur qui ignem tetigerit, statim aduritur; ita viri tactus, & feminæ sentit naturam suam, & diversitatem sexus intelligit. Narrant & Gentilium fabulæ Mithram, & Erichtonium vel in lapide, vel in terra, de solo æstu libidinis esse progenitos. Vnde & noster Ioseph, quia tangere eum volebat Aegyptia, fugit ex manibus eius; & quasi ad morsum rabidissimi canis, ne paulatim virus serperet, pallium quod tetigerat abiecit.

Quæ singulariter notanda veniunt iuvenculis, quæ iuvenes subinde ad lectum admittere non verentur, propter præviam stipulationem abstinendi à copulâ; Nam esto, verbo staret iuvenis, quod rarum, & pænè impossibile, tamen ratione voluptatis libidinosæ, quæ ex illa coniunctione sumitur, non excusantur à mortali, teste Cypriano epist. 62. vbi sic ait: *Certè enim ipse concubitus, ipse complexus, ipsa confabulatio, & osculatio, & coniacentium duorum turpis & fœda dormitio, quantum dedecoris & criminis fatetur?* Et similis sit censura de ijs tactibus, qui inter impudicos tantum fieri solent, vt oscula furtiva, morosa, tactus mamillarum. Notant enim Physici & medici, vt Hippocrates 5. Aphoris. & Galenus in eius Commentar. mammas respondere vtero, ac proinde in illis voluptatis esse sedem: venas enim, & arterias ab vtero in mammas protendi: ideoque pro qualitate fœtus mammas aut intumescere, aut languere, & deijci: tempore conceptionis venas iterum oppleri, & turgere: *Communes*, ait Galenus in 6. Hippocrat. de morbis vulgaribus Commentar. 5. *sunt vberibus & vtero venæ, & vbi ad alterutram partium sanguis defertur, altera siccessit.*

Cyprianus

Hippocra.

Galenus

Hinc in Script. mammæ & vbera symbolum amoris & libidinis; vt Ezechiel. 23. vbi de idololatria tam decem quam duarum tribuum sub parabola duarum meretricum dicitur: *Duæ mulieres filiæ matris vnius fuerunt, & fornicatæ sunt in Aegypto, in adolescentiâ suâ fornicatæ sunt: ibi subactæ sunt vbera earum, & fractæ sunt mammæ pubertatis earum.* Et v. 17. *Cumque venissent ad eam filij Babylonis ad cubile mammarum, polluerunt eam stupris suis.*

Ezech. 23.

Dico secundò, Si fiant ex causâ honestâ, vt medicandi, vel aliâ, quæ censeatur necessariò iusta, nullum in ijs esse peccatum: tales enim contactus sunt honesti moraliter, quia consentanei rectæ rationi.

Hoc tamen addo, mulieres, præsertim virgines, non teneri eiusmodi genus medicandi in locis secretioribus à viris admittere, vt rectè docet Navarrus d. cap. Si cui num. 13. Ratio est, quia nemo tenetur admittere curationem, à quâ non minus abhorret, quam ab ipso morbo, vel morte: at multæ virgines pudicæ malunt tolerare morbum, vel mortem, quàm à viris contingi. Deinde nemo tenetur admittere id, cui coniunctum est periculum turpis motus, aut delectationis carnalis: imò ad heroicum castitatis gradum pertinet malle mori, quàm permittere in se turpes imagines, aut sensum vllum libidinis. Sed eheu dolendum est tales plerisque, in locis, paucas reperiri; & malum est omen, quasdam nullam vim in eo ponere, sed vltrò ex vesanâ libidine pudorem & ignominiam nudare, quasi venalem illam haberent, iuxta illud Ezech. 23. de Ooliba, seu duabus tribubus Davidi adhærentibus: *Denudavit quoque fornicationes suas, & discoopervit ignominiam suam.* Ezech. 23.

Sed dices: Si ita sese res habet, quid censes de Ruth, quæ cap. 3. lib. Ruth. ambiens matrimonium cum Booz, legitur ex consilio Noëmi suæ socrus vncta, & induta cultioribus vestimẽtis, discooperiens stragulum secretò, se composuisse ad pedes Booz dormientis post ventilatum hordeum, noctu in agro tempore messis, iuxta morem patriæ. Ruth. 3.

Respondeo, D. Ambrosius lib. 3. de fide c. 5. hæc facta refert ad figurã, dicens: *Historia simplex, sed alta mysteria: aliud enim gerebatur, aliud figurabatur,* Ambrosius

tur, nam si secundum litteram sensum torqueamus, prope quidem pudor, & horror in verbis est: si ad commixtionis corporeæ consuetudinem sententiam, intellectumque referamus. Designabatur autem futurus ex Iudæis, ex quibus Christus secundum carnem, qui proximi sui, hoc est, populi mortui semen, doctrina cœlestis semine suscitaret, cui calceamentum nuptiale Ecclesiæ copulandæ præscripta legis spiritualia præferebant. Alludit ad legem Deutron. 25. vbi frater tenebatur fratri defuncto sine prolibus semen suscitare, quia Ruth vidua erat ex Iudæo sine prolibus mortuo. Deut. 25.

16 Author operis imperfecti vult factum hoc fuisse ex inspiratione Dei, sic enim loquitur homil. 1. in Matt. *Ruth inspiratio est appellata; nam nisi inspiratio Dei fuisset in ea, non dixisset, quæ dixit; fecisset, quæ fecit. Quid primùm laudatur in ea? Dilectio generis Israël, aut simplicitas, aut obedientia, aut fides? Dilectio quidem generis Israël, quia sic desiderabat filios suscipere ex semine Israël, & vna fieri ex populo Dei. Si enim communicationem viri desiderasset, quasi puella lasciva, aliquem iuvenum, potius appetijsset. Quoniam autem non lasciviæ suæ, sed religioni satisfacere cupiens fuit, familiam potius sanctam elegit, quàm iuvenilem ætatem. Simplicitas autem, quia vltronea sub pallium eius ingressa est; nec cogitavit, ne forte sperneret eam, quasi vir iustus lascivam puellam; ne deluderet eam, & quod gravius erat, contemneret delusam, sicut faciunt multi: sed obediens facta socrus suæ consilijs confidenter credidit, quòd prosperaturus fuerat Deus actus ipsius, sciens conscientiam suam, quia non libidò ad hoc eam compulerat, sed religio erat hortata.*

Suadent hæc omnia, quòd aliàs periculo sese exposuisset, quod periculum obedientia, quà socrui paruit, & fides de prudentià Dei, sub cuius alas confugerat, videntur removisse.

Secundò, quòd matrimonium sic clandestinè tunc temporis potuerit peragi: quòdque verba eius insinuent subitũ matrimonij contractum. Cum enim Booz medià nocte excitatus mulierem deprehenderet iacentem ad pedes suos, expàvit, & conturbatus est; cumque interrogaret illam, quæ esset? respondit: *Ego sum Ruth ancilla tua, expande pallium tuũ super famulam tuam, quia propinquus es.* id est. nuptijs me tibi iunge, vt dicar vxor Boozi. Id patet, quia consuetudo nuptialis erat, vt sponsus contrahens sponsalia, vestis extremum imponeret sponsæ. Inde Propheta Ezech. 16. describens Dei in Synagogam beneficia, quòd nimirum eam in Ægypto afflictam, nudam, & miseram collegerit, honestarit, vxorem duxerit, vtitur his verbis: *Expandi amictũ meum super te.* id est: orã mei vestimenti super te expandens, desponsavi te mihi in vxorem; iuxta ritum videlicet Hebræorum, qui tali signo feminas accipiebant in coniuges, & in vitæ societatem. Tale quid etiam colligitur ex facto Heliæ, qui postquã Heliseum iuxta verbum Domini vnxerat in Prophetam, *posuit pallium super ipsum.* id est: in suam societatem illum ascivit, quasi eiusdem secum instituti participem. Et hinc Heliseus petijt osculo valedicere parentibus, licet ratione sui muneris ad hoc teneretur: Propheta enim factus non tenebatur ad vitam communem. Confirmatur ex Vatablo, qui sic exponit dicta verba ex Chaldæo: *Vocetur nomen tuum super ancillam tuam ad accipiendum me in vxorem.* Conforme illi Isaiæ 4. vbi Propheta in ruinis excidij Hierosolymitani pergens, dicit tantã fore virorum stragem, vt septem mulieres vnius viri nuptias ambiant, offerentes de suo victitare, in his verbis: *Et apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa dicentes: panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: tantummodo invocetur nomen tuum super nos: aufer opprobrium nostrum.* q. dicant. Ne prætendas inopiam, quòdque non possis nos alere; nos ipsæ nos alemus, & vestiemus; tantùm esto noster maritus, nosque vocemur vxores tuæ; vt auferatur à nobis opprobrium sterilitatis, quod ingens erat in veteri lege. Sic Romanæ feminæ assumebant nomen maritorũ: dicebatur enim Caia, Tullia, Ezech. 16. Vatablus. Isa. 4.

Cornelia, Lucia, Publia; à marito Caio, Tullio, Cornelio, Lucio, Publio, teste Valerio lib. 10. Sic apud Hebræos vocatur Maria Cleophæ, Maria Iacobi, Zebedæi, &c. scilicet vxor: & in Canticis sponsa vocatur *Sulamitis* q. d. Salomonia, à Salomone marito, & passim apud varias nationes vsus id obtinuit. Atque adeo non venit, vt formam suam vendat, sed rogare Booz vt susciperet illã in suam tutelam, & quia mariti est favere, & tueri vxorem, non secus ac proprium corpus, quod pallio suo tegit, ideo ad matrimonij contrahendi indicium, & fortè etiam ex illa consuetudine fuit orta.

Tertiò suadent hoc ipsum, quod Booz illam laudaverit tanquam benedictam à Domino, & mulierem virtutis, omnibus pro tali notam, in verbis: *Benedicta es à Domino filia, & priorem misericordiam posteriore superasti: quia non es secuta iuvenes pauperes, sive divites. Noli ergo metuere, sed quidquid dixeris mihi faciam tibi. Scit enim omnis populus qui habitat intra portas vrbis meæ, mulierem te esse virtutis.*

Deindè quod nõ abnuerit se propinquum esse eius, nec matrimonium; sed alium esse propinquiorem iudicavit, cuius animus esset priùs tendandus, nempe iuxta legem, & quod illo recusante illam acciperet coniugem, iuramento id contestans.

Quartò quod illam reliquerit intactam, quod plus quam humanum est, cuius virtutem proindè prædicat Theodoretus, dicens: *Tanta erat viri virtus, quod cum formosa iuvencula noctu ad eum venisset, conservarit temperantiam, & legi rem conservaverit; & neque ad nuptias præter legem convolarit: sed cum propinquiori de matrimonio verba fecerit: deindè cum ille recusasset, tunc de cætero cum muliere laude digna fuerit coniunctus.*

Quintò quod Ruth manè referente Noëmi socrui suæ, quæ illi noctu contigerant, dixerit: *Exspecta filia, donec videamus quem res exitum habeat, neque enim cessabit homo, nisi compleverit quod locutus est.* Hoc enim postremum illa asserere non potuit ex se, quandoquidem hominis voluntas est ambulatoria.

17. Quibus perpensis, Dico hoc exemplum non esse trahendum in consequentiam, & verum manere peccatum mortale esse, tum corpora nuda promiscui sexus coniacere, tum tangere libidinosè; & tactus huiusmodi permittere, ex causis supra declaratis.

Discursus VII.

In idem Præceptum:

Quatenus Aspectus huic Præcepto adversetur?

Marc 7. 1. CHristus Dominus Marci 7. cap ait, aspectum mali esse initium; cùm recenset inter ea, quæ hominem coinquinant, oculum malum. Sic enim ibidem habetur: *Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes &c. impudicitia, oculus malus. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & coinquinant hominem.* Vnde inquirã quod in argumento ponitur.

D. Basilius lib. de vera virginit. dicit aspectum animam fallere: *Iactis enim,* inquit *luminum radijs, veluti quibusdam incorporeis manibus, quæcumque voluerit, eminus tangit: & quæ corporeis manibus attingere in potestate non habet, ea oculorum iactibus passivè complectens, per eas quas impressit animo formas corpus omne* *Basilius.*

omne ad invectas imagines voluptatis æstibus iactat. Sed quia id non semper ex quovis aspectu evenire solet: hinc ad clariorem huius quæsiti intelligentiam,

2. Dico triplicem ex aspectu creaturarum Dei posse percipi delectationem; & primò spiritualem: de qua David Ps. 91. *Delectasti me Domine in factura tua.* In quem locum putatus Hieronymus: *Quodcumque aspexero, delectat me. Intelligo enim factorem, & benedico Deum. Et in operibus manuum tuarum exultabo. Video arborem, & considero quomodo cortex arboris est quasi tunica, quâ vestitur; & quasi germen viret. Et deinde video quomodo flos sit: quomodo flos cadat, & ipse flos vertatur in pomum. video paulatim per singulos dies, in singula tempora mihi naturam operari, & in meos cibos crescere. Video quomodo Deus in omnibus mihi laborat, vt mihi nihil desit. Propterea exulto in te Domine.* Sic aspiciens mulierem, vt exurgat in laudem Creatoris, laudabiliter facit: sed id perfectorum est, adeoque valde rarum. Nam solent ferè homines pulchritudini alicuius intuendæ oculos applicare, donec pulchriorem contingat occurrere, non autem ad Creatorem mente evolare. Quod perpendens Chrysostomus exemplo tali nostræ fragilitatis, hortatur ad mundi contemptum. Sic enim ait hom. 66. in Ioannem: *Si quis cælum suspiceret, & quæ illic bona sunt contemplaretur, statim hæc contemneret, tanquam nullius momenti. Nam & corporum pulchritudo quoad pulchrius non deprehenditur, in admiratione habetur: cum vero melius apparuerit, illa prior despicitur. Quod si igitur in illam pulchritudinem etiam nos intueri voluerimus, & cælestis regni speciem considerare, confestim nos huius sæculi vinculis dissolverimus.*

Ps. 91.

Hieronym.

Chrysost.

3. Secundò, percipi potest delectatio rei visæ secundum se, & quoad qualitates naturales convenientes rei, & debitam qualitatem, proportionem, pulchritudinem, colorem, motum & similia, quæ potest dici naturalis vel sensitiva tantùm. Hinc aspicere mulierē ex curiositate dumtaxat, indeque delectationem naturalem & sensitivam tantùm percipere, sublato vlteriori periculo & scandalo, venialem tantùm facit culpam. Ratio est, quòd talis aspectus per se consideratus non habeat tantam vim ad commovendam naturam, neque quærat voluptatem libidinosam, sed tantum curiosæ cognitionis delectationem.

3. Tertiò, potest percipi delectatio venerea & carnalis, quam attingit Dominus Matth. 5. dum ait: *Audistis quia dictum est antiquis: Non mæchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mæchatus est eam in corde suo.* Matth. 5.

4. His positis, quæres, quando quis aspiciens honestas partes mulieris aut viri præsertim spectatę formæ, vt faciem, manus &c. peccet mortaliter? Respondeo duobus modis id fieri posse. Primò, quando ex delectatione morosa eiusmodi partes intuetur: ait enim Dominus Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mæchatus est eam in corde suo.* Sic senes illi Daniel. 13. videbant quotidiè ingredientem & deambulantem Susannam *in pomario viri sui, & exarserunt in concupiscentiam eius: & observabant quotidie sollicitius videre eam.* Rursum ijdem cùm falsò Susannam accusassent adulterij, & ad iudicium perducta esset, nec spes esset eius concubitu fruendi, iusserunt vt discooperiretur, *vt vel sic satiarentur decore eius.* Idque locum habet, sive quis desistat ab vlteriori peccato, quòd non potuerit ad vsum pervenire, vt hi senes, sive quòd ob mundi honestatem, aut scandalum omittat, aut etiā statuat cum tali numquam commisceri, sed in delectatione morosa per aspectū imaginariè ortā sistere. Secundò, cum quis periculo peccandi se exponit per nimis intentum & diuturnum visum personæ pulchræ, licet non intendat: quia vt rectè Salomon Eccles. 3. *Qui amat periculum, peribit in eo.* Et hinc idem à tali aspectu dehortatur, dicens: *Averte faciem à muliere*

Daniel. 13.

Eccles. 3.

comptâ, & ne circumspicias speciem alienam. id est: Averte faciem à muliere comptâ vltro occurrente, sive naturali pulchritudine ornatâ, sive ascititiâ, Græcè enim est εὔμορφον, id est, formosa: nec diligenter & curiosè animadvertas alienæ mulieris pulchritudinem: *Non dixit*, inquit Chrysostomus, *ne videas; id enim nonnunquam fit vltro, sed ne cognoscas, illud tollens, ne studio animadvertamus, ne curiosè intuearis, ne contemplationi immoreris*: quia nempe aspectus talis ex nostro vitio incitare solet ad impudicitiam saltem mentis. facit enim, vt phantasia apprehendat rem illam, non solùm vt delectabilem visui, sed etiam vt delectabilem tactui & carni: ex qua imaginatione naturaliter sequitur in affectu complacentia & delectatio, in spiritibus & sanguine commotio; & hinc in membris rebellio.

Chrysost. hom. 3 de verb. Isa.

Vnde Augustinus reg. 3. cap. 21. salubriter monet: *Oculi vestri, etsi iaciantur in aliquam feminarum, figantur in nulla. Neque enim quando proceditis, feminas videre prohibemini: sed appetere, aut ab ipsis appeti velle, criminosum est. Nec solo tactu & affectu, sed & aspectu quoque appetitur, & appetit femina. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Et cum se invicem sibimet, etiam tacente linguâ conspectu mutuo corda nuntiant impudica, & secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam ab intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus.* Deinde notans in eo etiam verti aliorum scandalum, addit: *Neque putare debet, qui in femina figit oculum, & illius in se diligit fixum, ab alijs se non videri, cùm hoc fecerit: videtur omnino, & à quibus se videri non arbitratur. Sed etsi lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo superno inspectore, quem latere nihil potest?* & quem scilicet timere debet propter oraculum divinum, *Abominatio est Domino defigens oculum.* Quem locum dicit quidem Pineda, in cap. 31. Iob Augustinum citare ex versione Septuaginta, sed non citat authorem scripturæ

August.

Pineda

5. Multa verò suppetunt exempla Scripturæ, quibus constat ex aspectu in graviora prolapsos, nempe Genes. 6. vbi dicitur: *Cum cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent: videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchra, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas, elegerant.* id est: Cum posteri Seth dicti filij Dei propter virtutem & pietatem quam studiosissimè coluerant, vidissent feminas ex Cham propagatas, cuius tota posteritas propter impietatem, & divinam maledictionem infamis, & ignobilis existebat nihil aliud, quàm terrena spectans, solâ pulchritudine moti eas duxerunt in vxores, non curantes perversionis periculum, vt lex naturæ dictabat; neque mala inde oritura, neque etiam Dei & parentum suorum inhibitionem, quam credunt authores verisimiliter præcessisse, vti ex ipso textu colligitur, licet non satis clarè. Vnde Chrysostomus hom. 2. in Genes. *Oculi*, inquit, *est videre; male autem videre à mente est. Postquam autem hac negligens esse, & habenas laxare cœperit: quemadmodum auriga nesciens indomitorum equorum ferociam compescere: & equos currum trahentes, & seipsum in præceps ire facit: sic & voluntas nostra.*

Genes. 6.

Chrysost.

Et vnde quæso stuprata Dina fuit, Genes. 34. nisi quòd spectatum concedens, ipsa conspecta, & nimium adamata fuerit? Rursum nonne 2. Regum 11. David videns mulierem pulchram se lavantem, in adulterium cum ea incidit. Vnde Chrysostomus hom. 3. de verbis Isaiæ, *Vt ignis, vbi fœnum arripuerit, nihil moratur: sed simul vt attigit materiam, accendit flammam: itidem & ignis concupiscentia, simul atque per oculorum intuitum elegantem attigerit formam, protinus exurit animum.*

Genes. 34.

2. Reg. 11.

Chrysost.

Denique experta id est pulcherrima Iudith, cum ad Holofernem accessit: statim enim captus fuit in oculis suis, vti & satellites eius, qui dixerunt ad eum: *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habet, vt non pro his meritò pugnare contra*

Iudith. 12.

contra eos debeamus. Sciverunt apprimè Moabitæ quantùm mali ex aspectu pulchro oriatur; & hinc vitæ suę volentes consulere, submiserunt filias pulcherrimas, ne ab Hebræis superarentur, & occiderentur, ad castra Hebræorum, quæ eos ad luxuriam, & deinde ad idololatriam pellicerent, vt sic Deus illis irasceretur, eosque desereret, ac à Moabitis & vinci & trucidari permitteret. Idque fecerunt ex consilio Balam falsi Prophetæ, quem Origenes Numer. 25. sic loqnentem inducit: *Non virtute militum, sed mulierum decore pugnandum est, nec armatorum vigore, sed mollitie feminarum. procul amove armatorum manum, & electam congrega speciem puellarum. forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captivat. vincentur specie, qui non vincuntur prælio.* Et sic plerique omnes Hebræi hac fraude, & illecebrâ puellarum capti sunt, & indignationem Dei incurrerunt: ita vt viginti quatuor millia hominum partim à Deo plagâ pestis, & ignis è vivis sublata fuerint, partim à Moyse suspensa, propter fornicationem, & subsecutam idololatriam. Puellæ enim primò suâ pulchritudine & blāditijs pellexerunt eos ad concubitum, indeque eos sibi devinctos habentes pellexerunt ad idolothyta, & tandem ad idola, seu ad suum Beelphegor colendum, vti expressè indicat Scriptura, dicens: *Morabatur autem eo tempore Israël in Settim, & fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt & adoraverunt Deos earum. Initiatusque est Israël Beelphegor.* Sic Salomon à complexu ad idola, ab ijsdem deductus est. Hinc Plato in Symposio dixit: *Amor inter flores habitat; at in eo, quod defloruit, nunquam libenter insidet.* est quippe, *decor natura sua, libidinis invitator & incitator*, vt Tertull. de cultu feminarum dixit.

Origenes. Num. 25.

Plato.

Quare, qui ex legum præscripto res ponderant, levius, & venia magis dignum censent flagitium, quod pulchritudo sua fecit, quàm quod deformitas attulerit. Certe Chrysost. homil. 3. in cap. 1. ad Timoth. *Illum, inquit, magis adulterum dixerim, qui quamlibet ex vulgo, quam qui Reginam violaverit. Illic enim plurima irritamenta sunt, puta opes, elegantia formæ, & huiusmodi cætera, quorum hic nihil invenias. Eâdem profectò ratione illum magis ebrium dixerim, qui quolibet vino, quàm qui optimo inebriatur. Ita & cupidum eum potissimum censeo, qui ne minima quidem rapere omittit: nam qui maxima diripit, minima fortaße contemnet: qui autem parva non despicit, quomodo his maiora despiciet? Fur igitur hic magis, quam ille est. nam qui non aspernatur argentum, nunquam profectò aurum aspernabitur.*

Chrysost.

Quare Ecclesiasticus illum apellat hominem fornicarium, non qui delicato tantum pane vesci concupiscat, sed cui nullus panis insuavis existat, cap. 23. *Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur transgrediens vsque ad finem.* Sunt enim turpissimi scortatores, qui vagâ libidine delectantur nullo delectu, & vt Plato in Convivio dixit: hi vere *non amant, sed ad explendum tantum desiderium inhiant, & quodcumque sors illis offert, exequuntur.* Isti igitur magis ex affectu improbi, magisque turpes, non solum virginum, sed quarumcumque aliarum corruptores. Quapropter idem Ecclesiasticus hominem bene moratum beneque institutum monet vlterius, ne ad virginis alicuius conspectum, per imprudentiam incautus labatur. *Virginem, inquit, ne aspicias, ne forte scandalizeris in decore eius.* Ecclef. 9. Nam qui nimium se continuerunt inter præscriptum, & terminos sanctioris, atque purioris vitæ; conspectâ virginum formâ, aliquando se fœdæ alicuius cogitationis maculâ deturparunt, & vt de Salomone dicitur: *Dederunt maculam in gloria sua.*

Ecclef. 23.

Plato.

Ecclef. 9.

Ecclef. 47.

6. Quod dixi de periculo respectu virorum, hoc magis cavere debet femina, ne videlicet aspiciat intento oculo virum sibi placentem. Ipsius enim amor tantus est, vt sine ratione insaniat, & vix honoris aut decoris habeat rationem. Quod liquidè constat examinanti concupiscentiam

piscentiam vxoris Putiphar, quæ, vt habetur Genes. 39. *iniecit oculos suos in Ioseph*, (videlicet pulchrum facie, & decorum aspectu) *& ait: dormi mecum.* Et licet id omnino recusaret, graves obijciens rationes, nempe, beneficium mariti sui, & timorem Dei, in verbis: *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo suâ: nec quidquam est, quod non in meâ sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Nihilominus *per singulos dies, mulier molesta erat adolescenti*, ipseque persistebat contra: tandem illum solum nacta, apprehensâ laciniâ vestimenti, efficaciter intendit ad crimen perducere: sed ille Dei gratiâ adiutus, *relicto in manu eius pallio fugit.*

Genes. 39.

Ezech. 23.

Hoc ipsum indicat Dominus Ezechiel. 23. cum de Samariæ idololatriâ sub nomine meretricis Oollę, dicit: *Fornicata est super me Oolla, & insanivit in amatores suos, in Assyrios propinquantes, vestitos hyacintho, principes, & magistratus, iuvenes cupidinis vniversos, equites, ascensores equorum.* id est: & Oolla quidem, ita gessit se impudenter, vt cum videri vellet me suum sibi virum agnoscere; adulteros tamen in lectum, quem mihi castum servare debuit, advocaret, eo amore instimulata, & ardens in suæ pudicitiæ vexatores, vt non tam illos deperire, quàm in eos insanire videretur. Sic sanè animata fuit in Assyrios, quibuscum vt fœderis fuit, sic etiam vt sacrorum societas esset, studebat. Ideo verò præter cæteros amabat Assyrios, quia in illis aliqua apparebant blandimenta libidinis. Addebat namque pulchritudinis aliquid hyacinthinus color, & quæ à principe loco, & à publico migistratu, atque ordine splendet maiestas. Accedat quòd ætate erant iuvenili, & ad Venerem excitandum idonei; quique equos ascendunt, & equestri delectantur studio. Quia enim hi iuvenes Chaldæi egregiâ formâ erant, & habitu Babylonico insignes, Iudæi ad ipsos, eorumque Deos amandos fuerunt illecti.

Maiolus.

Horrendum est, quod scribit Maiolus sub titulo, *Fortunæ ludibria*, nempe viduam quamdam illustrem ita affectasse matrimonium iunioris cuiusdam Principis, vt liberos suos, puellum scilicet, & puellam propriâ occiderit manu, quòd intellexerat illos esse impedimento, quò minus præfatus Princeps illam duceret in vxorem. Rem ascribam eius verbis: *Requiescunt, inquit, in templo cœnobij Calicorona duo infantes, puellus videlicet, & puella patre Comite Orlemundensi, matre vero Ducissâ Merania nati, crudeliter ac miserè trucidati, annos ferè ante ducentos (cum nondum essent boni) ab ea ipsa Matre sua Merania Ducissa, Blassenburgi tunc temporis habitante, quæ cum esset vidua procax, & lasciva, forma vero elegantiâ vbique celebris, non amavit ipsa tantum Albertum quendam illustrem iuvenem, ac fortissimum Principem Bruchgravium Noribergensem, Frederici Comitis à Zollern, primi Bruchgravij filium, sed ab eo etiam vehementer est redamata. Hunc suum amorē fassus aliquoties Bruchgravius, publicè dixisse fertur: se (nisi prohiberent quatuor oculi) libentissimè ducturum viduam illam Blassenburgensem: quæ verba cum relatu clancularij alicuius internuncij, & quasi pronubi, pervenissent ad aures libidinosæ, ac iam tum vehementissimè prurientis in Albertum feminæ, mox furore & amore magis incensa, liberos suos propriâ occidit manu, capitibus eorum vel capitum verticibus adhuc teneris acu contusis, & præfractis, ne facilè talis perfidia agnosci, & ipsa liberos morbo, aut contagio sublatos esse commodiùs ac verisimiliùs fabulari posset. Cæterum exitus (minimè felix) & catastrophe huius tragœdiæ prolixè extat in monumētis cœnobij Grunlacensis.*

7. Vnde David volens exprimere ingentem amorem, quo afficiebatur erga Ionatham interfectum in prælio, non putavit illum meliùs posse insinuari, quàm amore mulierum, dicens: *Doleo super te, frater mi Ionatha, decore nimis, & amabilis super amorē mulierum: sicut mater vnicum amat filium suum, ita ego te diligebam.* Vtitur autem hac formulâ loquendi, vel quod

2. Reg.

quòd ardentissimus mulieribus sit amor à naturâ suâ erga viros; vel quòd vnicè, id est amore ingenti ament vnicum filium, adeoque de illius morte gravissimum capiant dolorem; ita vt abierit in proverbium, aut certè proverbialem obtineat speciem. vt patet Hierem. cap. 6. vbi Propheta, postquam intentaverat Iudæis excidium, inquit: *Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere, luctum vnigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repente veniet vastator super nos.* Similiter Amos 8. cap. prædicens atrox Israëlis exitium dicit: *Et ponam eam quasi luctum vnigeniti.* id est, affligam terram Israël, & efficiam vt acerbissimè lugeat, sicut parentes vnicum filium, & maximè mater luget inconsolabiliter. Tale quid dicit etiam Zacharias cap. 11. v. 10. de planctu maximo, quem fideles facturi erant super Christi morte, in cruce clavis, lanceâque transfixi. Solent autem mulieres ita excedere in amore, vt in dolore.

Hier. 6.

Amos 8.

8. Eheu quantùm hoc malum grassatur! Propheta Isaias suo tempore deplorabat, quòd quædam mulieres *ambularent extento collo, & nutibus oculorum irent.* obliquè scilicet oculos iaciendo in iuvenes, & amasios, & petulanter eis annictando; illicis & meretricis, teste Chrysostomo, certissimũ signũ. Petrus verò Apostolus scribit suo tempore fuisse pseudoapostolos, qui in ipsis oculis adulteram gestabant, seu nihil aliud, quàm adulteras explendæ libidinis gratiâ spectantes, oculosque habentes intentos indesinenter & continuò a dvidendum id, quod libidinẽ provocat, dum ait illos corruptionem æternam recepturos, *Delicijs affluentes, in convivijs suis luxuriantes vobiscum, oculos habentes plenos adulterij, & incessabilis delicti, pellicientes animas instabiles*, seu nondum firmas in fide: *voluptas enim esca malorum est*, vt Plato dicebat, quòd eâ videlicet homines mali capiantur, vt hamo pisces, teste Cicerone in lib. de seneċt. Et S. Ioannes monens non esse diligenda ea, quæ in mundo sunt, ea recenset, dicens: *Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo est.* vbi inter vitia, quæ multorum causant damnationem, ponitur concupiscentia oculorum, distincta à concupiscentiâ carnis, id est, ab ea cupiditate, quâ malè & inordinatè expetuntur, quæ secundum carnem delectabilia sunt: & significat inordinatam cupiditatem videndi, & contuendi vana & lasciva spectacula, & quidquid ad carnem provocat. Conforme loco Ezechiel. 23. vbi de Hierusalem sub nomine Oolibę meretricis prostituentis se Chaldæis dicitur: *Insanivit super eos concupiscentia oculorum suorum.* S. Chrysostomus gravissimè invehitur in eos, qui à spectaculis didicerant Ecclesiæ nullum habere respectum: *Multi*, inquit, *ad formas mulierum aspiciendas, ad adolescentulorum pulchritudinem curiosius intuendam in Ecclesiam veniunt: deinde non miraris, quomodo vndique fulmina non deferuntur, quomodo cuncta funditus non evertuntur. Hæc enim non fulminibus solùm, sed etiam gehennæ supplicio dignissima. Verùm Deus cum longanimis & misericors sit, vt in pœnitentiam te adducat, iram suam interea retinet. Quid facis homo? mulierum speciem curiosius perscrutaris nec horrescis tantâ templum Dei afficiens contumeliâ? prostibulumne tibi videtur Ecclesia, & foro ignobilior? Nam in foro erubescis, etiam times, ne quis te videat mulierem sectari: in Ecclesia verò Dei, cum ipse Deus te alloquatur, & ab istis deterreat: eo ipso tempore maximè fornicatione, ac adulterio vteris, quo tibi magnâ voce intonatur, vt ab his fugias: nec horrescis, nec stupes. Verũ hæc ab impudicissimo theatro didicisti, hæc vos illa contagiosissima pestis docuit, virus illud pestiferum, inevitabilis negligentium laqueus, incontinẽtium voluptuosa perditio. Quocirca Propheta quoque id accusans dicebat: neque oculi tui, neque cor bonum est. Sanè melius esset cæcos, aut aliter ægrotos esse, quam oculis turpiter abuti.*

Isaia 3.

2. Pet. 2.

Plato.
Cicero.

1. Ioan. 2.

Ezech. 23.

Chrysost. hom 74. in Matth.

9. Profectò multò detestabilius est hoc tempore post tot miracula, enunciationes verbi Dei, institutiones

nes iuventutis, palã videri in Ecclesijs quibusdam hoc malũ ita grassari, & succrescere, quasi extrema tẽpora instarent, & fidẽ nullam invenire esset super terram. Verum enim est, quod ait Bellarminus lib. 2. de Gemitu Columbæ cap. 12. formosam mulierem, formosumque virum respectivè magnum esse laqueum; & Christianum nulli occurrere venustati, in quam oculos non defigat, imò vltro ire, vbi sperat se talem laqueum inventurum, nec deesse qui quærant in sacrâ æde. Non omittam Lectori verba communicare, vt intelligat tantum virum merito recensuisse hunc inter laqueos, & tentationes impedientes iter vitæ: *Venio*, inquit, *ad laqueos sensuum corporalium. Magnus laqueus est formosa mulier ad oculos virorum, & formosus vir ad oculos feminarum. Audi Ecclesiasten, virum sapientissimum: Lustravi, inquit, vniversa animo meo, & inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius: vincula sunt manus eius: qui placet Deo, effugiet illam, qui autem peccator est, capietur ab illa. Et quod de muliere dicitur ad viros, idem dici potest de viro ad mulieres: non enim minus arctè capta est vxor Putipharis laqueo concupiscentiæ ad aspectum S. Ioseph, quam senes ad aspectum Susannæ. Sed illud omnino miserabile, & multis lachrymis dignum est, quod iste laqueus non solùm non declinatur, nisi à paucis sapientibus, sed quæritur diligenter, & sæpe etiam multis pecunijs emitur. Quis hanc cæcitatem, vt par est deplorabit? Christus clamat, & dicit: Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eã in corde suo. & rursùm addit: Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce eum abs te, expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. Et Christianus vel non credens Christo, vel eius verba contemnens, nulli occurrit venustati, in quam oculos non defigat. Et parum esset, si solùm in occurrentes oculos defigeret, nisi etiam vltro iret, vbi speraret se talem laqueũ inventurum. Sed quis tolerandum putet, quod non desunt, qui in ipsa sacrâ æde, dum tremenda mysteria celebrantur, vel dum sacra concio habetur ad populum, laqueos oculis quærunt, oculis loquuntur, & iuxta Domini sententiam, oculis & corde mœchantur? S. Ioannes Chrysostomus, cum aliquando apud Antiochiam quosdam de populo inter sacrorum solemnia collocutos inter se, & subrisisse cognovisset; ita excanduit, vt diceret, mirari se, quod fulmine de cœlo cadente, omnes qui in illâ Ecclesiâ erant, non interijssent. At si fulmine digni sunt, qui tempore sacrorum colloquuntur, aut rident; quo supplicio digni erunt, qui tempore eodem, oculis & corde fornicando vel mœchando templum violant?*

Bellarmin. Eccles. 7. Genes. 39. Daniel. 13. Matth. 5.

10. Sed forsitan obijcies, Christus Dominus non prohibuit aspectum simpliciter, sed qui tenderet ad concupiscendum. hoc enim clarè exprimunt verba eius Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Matth. 5.

Admitto, neque ego simplicem aspectum culpam inducere dixero: potest enim mulier aspici vel casu sine præmeditatione; vel ex causa rationabili, vt eam v. g. agnoscat ex effigie; vel vt considerata eius vanitate, & ornatu, posset melius reprehendere; vel ex honesto amore, & in his nullum peccatum est; vel etiam ob solam delectationem sensitivam, quando intra limites sese sistit, & in hoc veniale peccatum est. Rursum potest aspici ex delectatione venereâ, vel cum periculo istius; & in hoc peccatum mortale est, ac cardo prædictorum maximè versatur: quia in his, præsertim dum spectatior forma occurrit, parum abest sensus à consensu. Manifestum est hoc in Eva, quæ in paradiso terrestri videns pomum vetitum, *quod esset bonum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile*, sine morâ *tulit, & comedit*. D. Bernardus de gradibus humilitatis, quemdam cum Eva dialogum instituens, sic illam affatur: *Quid tuam mortem tam intentè intueris? Quid spectare libet, quod manducare non licet? Oculos, inquis, tendo non manum: non interdictum, ne videam: sed ne comedam.* Et iterum Bernard. *Etsi culpa*, inquit, *non est, culpa tamen occasio est.*

est. Et statim de serpente: *Latenter in cor tuum serpens illabitur. Auget curam, dum incitat gulam. Acuit curiositatem dum suggerit cupiditatem. Offert prohibitum, & aufert concessum. Porrigit pomum, & surripit paradisum.* Vides, quam facile à sensu in consensum prolapsa sit vel illa omnibus nominibus virago? Merito igitur D. Hieronym. in c. 3. Thren. ex casu Evæ argumentatus *Hinc ergo*, inquit, *pensandum est, quanto debemus moderamine erga illicitum visum restringere nos, qui mortaliter vivimus, si & mater viventium per oculos ad mortem venit.* Nam matre tam generosâ corruente, quo pacto leviores filiæ stabunt?

Apposité in hanc rem Chrysostomus adducit exemplum Davidis, 2. Reg. 11. & ex eo vanos spectatores redarguit: *Contigit*, inquit, *vt meridie deambularet in solario domus regiæ. Qui curioso oculo eminus vidit mulierem lavantem se ex adverso super solario suo. Erat autem mulier pulchra valde: sed pulchritudo non est in culpa, quia pulchritudo Dei est donum. Vidit, inquam, mulierem lavantem se, vxorem militis, aperuit itaque in vano oculos, & suscepit sagittæ ictum.* Et immediatè post subiungit; quod meo intento congruit: *Audiant curiosi, qui pulchritudines considerant alienas, audiant qui ex spectaculis insaniunt theatralibus, qui ad excusandas excusationes in peccatis dicunt: Spectamus quidem, sed nihil nocemur. David talis ac tantus læsus est, & tu putas te non posse lædi? Ille nocitus est, qui tantam habebat spiritus gratiam: & tibi quo modo credere potero te sine vulnere evasisse? Et ille quidem vidit meretricem, sed in solario domus suæ: tu autem in theatro, vbi & locus condemnat animam sapientis. Ibi enim non solum vides rès infaustas, sed etiam audis sparciloquia, & ex ipso incessu meretricis, habituque molliris, vbi & auditu & cãtu diabolico læduntur aures, & vndique percutitur mens tua, visus de eo, quod vides, auditus de eo quod audis, & reliqui læduntur sensus, dicente Propheta: mors intravit per fenestras nostras: Quia oculi nostri tanquam fenestræ sunt animæ. Et cum tantæ fiat corruptelæ, tanta præcipitia, quomodo possum tibi credere, quòd à talibus bestijs vulneratus non sis? Nunquid lapideus es, aut ferreus? Homo communis naturæ, subditus infirmitati, igni colloqueris, & non ardebis? Pone lucernam in fœnum, si poteris dicere, quoniam non exuritur fœnum? Quod ergo fœnum est, hoc est nostra natura. Vidit, inquit lavantem se, & pulchram nimis. Suscepit sagittæ ictum, diffusum est venenum.*

Seraphini coram Deo duabus alis velabant oculos suos, Isa. 6. v. 2. vt ostenderent eos, qui in patria visuri essent, oculos in hac vita cum debita verecundia clausuros, ne liberè vagari permitterentur. Vnde D. Bernard. serm. 2. de verbis Isaiæ: *Vtinam*, inquit, *nihil vnquam vidisset oculus meus: si illâ, quod avertat Deus, frustrandus est visione.* Olim Deus ad Abraham: *Leva*, inquit, *oculos tuos in directum, & vide à loco in quo nunc es, ad Aquilonem & meridiem, ad orientem & occidentem*, Gen. 13. Hortabatur Patriarcham ad oculos erigendos: quia sciebat eum semper oculos humiliter demissos gestare solitum. Vtinam eius nepos ex fratre Lot, eadem oculorum modestia vsus fuisset: tantam profectò non incidisset in pestem, seu potius in flammam. Nihilominus ipse sua sponte *elevatis oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis*; nempe, Sodomam & Gomorrham: & amœnitate delectatus, erat enim *sicut Paradisus Domini*, eam sibi regionem elegit habitandam, Genes. 13. Eligens, nempe flores, incidit in vepres: quęrens irrigua, incendia invenit, erigens oculos, affectus præcipitavit. Vnde rectè monet Clemens Alexand. lib. 3. pædag. cap. 11. demittendos esse oculos. & claudendos, His verbis: *Videtur super omnia esse aversandus mulierum aspectus: non solum enim, si tangantur, peccari potest. Etsi enim fieri potest, vt qui viderit, se fortiter gerat: verum tamen ne cadat, cavendum est: fieri enim potest, vt qui viderit labatur; sed fieri non potest, vt qui non viderit concupiscat. Dum enim lasciviunt oculi, calescunt appetitiones. Melius est labi pedibus, quam oculis. Dominus itaque quam fieri potest compendiosissime medetur huic vitio. Si te tuus* (inquiens) *scandalizat oculus, exscinde eum, ex imo evellens cupidita-*

Isa. 6.

Bernard.

Genes. 13.

Clem. Alex.

ditatem: cum per oculos cupiditas ineat prima pugnæ præludia. Ante totum enim corpus corrumpuntur oculi.

Aptissimum de hac re etiam narrat exemplum D. Augustin. lib. 6. Confess. cap. 8. Alipius, quo amico familiariter vtebatur, à theatralibus spectaculis, sive vnius studio modestiæ, sive ipsius ingenio naturæ maximè abhorrebat. Aliquando tamen coactus ab amicis, eò se trahi passus est: testatus nihilominus se affuturum corpore, vt illis morem gereret, animo defuturum, ne suum solenne ac propositum violaret: immò ad spectacula cœcum fore spectatorem, clausis semper oculis; ne admitteret oculus, quod animus respuebat. Non renuunt amici pactionem; partim eius constantiam periclitari cupientes; partim non dubitantes, si corpus adesset, & oculos & affectus in spectaculo detinendos. Itur igitur in theatrum: dantur ludi: fervent omnia immanissimis voluptatibus. Aderant spectatores oculati: vnus inter omnes Alipius clausis oculis, cœco cœcior consistebat. Ecce tibi in fervore digladiandi vnus ab altero cæditur, adijcitur antagonista. Fit plausus, cietur strepitus, tollitur in cœlum clamor: totum resultat faventium studijs, & concrepantium vocibus amphitheatrũ. Quid Alipius? victus curiositate videndi; sed victurus statim, vt sperabat, voluptatem rei, quamcumque spectasset, ad priorem se revocando cœcitatem: *Aperuit oculos*, inquit Augustinus, *& percussus est graviore vulnere in anima, quam ille in corpore, quem cernere concupivit: ceciditque miserabilius, quam ille, quo cadente factus est clamor.* Et paulò post exponens mentis vulnera suscepto ab vno ictu oculorum: *vt enim*, inquit, *vidit illum sanguinem, immanitatem simul ebibit, & non se avertit, sed fixit aspectum, & hauriebat furias, & nesciebat, & delectabatur scelere certaminis, & cruentà voluptate inebriabatur. Et non erat iam ille, qui venerat: sed vnus de turba, ad quam venerat; & verus eorum socius, à quibus adductus erat. Quid plura? spectavit, clamavit, exarsit. Abstulit inde secum insaniam, quâ stimularetur redire, nec tantum cum illis, à quibus prius abstractus est, sed etiã præ illis, & alios trahens.* Vides, quàm multa per vnũ obtutum in animo iacula infigantur? Et quidẽ, si is, qui semel aperuit oculos, tam multos suscepit ictus: quanto plures suscipiet, qui numquã claudit? — *August.*

Hinc S. Iob quamvis obfirmatissimum contra omne vitium animum gestaret, tamen etiam minimam per oculos irruptionem præcavebat: *Pepigi*, inquit, *fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Alijs vitijs Iob bellum inferebat, cum incontinentia pactũ inibat. Huius Iobi cautionem admiratus Chrysost. in serm. de Ioseph dicens: *Iob quidem diabolum videns accedentẽ non fugit, sed mansit sicut leo viribus fidens: virgine autem visâ non stetit, neque moratus in contuenda pulchritudine, sed statim secessit. Ne prius*, inquit Hieron. Thren. 3. *incautè aspiceret, quod postmodum invitus amaret. Nã semel species formæ cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu solvitur. Intueri non debet, quod non debet concupisci. Vt munda mens in cogitatione servetur, deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam. Non enim*, teste Ambrosio, *vidisse crimen est, sed cavendum ne origo criminis sit*, hoc autem fit intento & diuturno intuitu, præcipuè in personam pulchram. — *Iob. 31.* — *Chrysost.* — *Hieron.* — *Ambros. serm. 16. in Ps. 118.*

Et hinc Dominus omnem visum struentem viam ad delectationem venereã inhibuit teste Salviano, qui lib. 3. de Provident. sic ait: *Sciens Salvator fenestras quodammodo esse nostrarum mentium lumen oculorum, & omnes improbas cupiditates in cor per oculos, quasi per naturales cuniculos introire, extinguere eas penitus foris voluit, ne intus orirentur, & lethaliter crescentibus fibris convalescerent fortasse in animo, si germinassent in in visu.* Conspirat in eandem quoque rem Chrysostom. hom. 17. in Matth. vbi explicans verba: *Qui viderit mulierem &c.* inquit: *Hoc est dicere: Qui dat operam in venusta corpora curiosius intueri, & decoras aucupari facies, talique animam spectaculo pascere, & obscœnos pulchris etiam vultibus oculos afficere*, relinquens alijs supplendum: Struit — *Chrysost.*

viam

viam ad concupiscentiam, sensum relinquit imperfectũ: sed immediatè post seipsum explicat, dicens: *Non enim idcirco Dominus advenisse contentus est, vt solũmodo corpus à malis actibus, sed vt prius animam quoque ab huiusmodi cogitationibus averteret.* Et nõnihil inferius: *Qui enim studet elegantes facies inspicere, ipse præcipuè fornacem sibi istius passionis accendit, & captivã faciens animã ad opus quoque celeriter abducit.* Et præoccupans illos, qui seipsos excusatos autumãt, quòd inspiciant absque periculo, inquit longè post: *Semel quidẽ & secũdò, & tertiò sic videns, possis fortasse animum continere: si verò frequenter id feceris, fornacemque istam sponte succendas, profectò capieris. Neque enim extra naturam, aleamque humanam consistis. Sicut enim nos, cum gladium teneri videmus à puero, etiamsi nondũ vulneratum inde esse cernamus, verberamus tamen, ac sæpe minantes denuntiamus, ne quãdo illum rursus attingat: ita enim Deus inverecundum coërcet aspectum, eumque ante opus tollit, ne quandoque in ipsam quoque incidat actionẽ Qui enim in se flammam cupiditatis accenderit, etiam absente muliere, quam vidit, iugiter apud semetipsum turpium rerum simulachra depingit. Et necesse est huiusmodi nonnumquam ad flagitium ipsum etiam opere pervenire. Propterea illos quoque, qui in solo fiunt corde complexus, Christus interimit.* Cui consonat Gregorius lib. 21. Moral. c. 2. dicens: *Semel species formæ cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu solvitur. Præceps quippe anima, dum ante non prævidet, ne incauta videat, quod concupiscat, cæca post incipit desiderare, quod vidit.* Et quia huiusmodi aspectus non solum lædit solutos, sed etiã coniugatos, hinc salubrem hanc dat admonitionem loc. cit. Chrysostomus, dicẽs: *Neque propterea tibi Deus oculos effinxit, vt per illos ad animum adulteria transmittas, sed vt creaturas eius aspiciens, mireris authorem. Sicut ergo est temerè irasci, ita etiam temerè videre, si id ad libidinem facias. Si enim vis videre, atque ex visu capere voluptatem, aspice propriam coniugem, & illius vsque amore perfruere. Hoc enim nulla lex prohibet omnino. Si verò erga alienum curiosus sis decorem, tuam despicis: & ipsam profectò lædis, à qua in aliam oculos avertis, & istam etiam quam illicitè contingis. etsi enim nequaquam illam attrectasti manu, oculis tamen, ac voluntate palpasti: propterea enim hoc procul dubio adulterium esse reputatur, & antè futura illa tormenta non leve iam in præsenti invenitur afferre supplicium. Nam perturbationibus, ac tumultu intrinsecus cuncta complētur: & multus quidem æstus, plurimus etiã sentitur dolor. Nec omninò huiusmodi homo melius affectus est, quã qui affligũtur vel captivitate, vel vinculis. Et illa quidem, quæ lethalem hanc eiecit sagittam, eâ emissâ sæpe evolat; at ictus remanet: imò verò non illa spiculum torsit, sed tu tibiipsi plagam illam mortiferam intemperanter spectans inflixisti.* Et hom. 3. de verbis Isaiæ idem dicit de omnibus curiosis spectatoribus, elegantẽ adducens similitudinẽ, quâ rem declarat: *Quemadmodum*, inquit, *cerva cõfixa iaculo in vitalis partis parte, etiamsi venatorum effugiat manus, nihil inde fert lucri: sic & animo accepto concupiscentiæ iaculo, è lascivo, curiosoque aspectu: etiamsi cum iaculo permittatur abire, tamen ipse per se corrumpitur, ac perit vbique videns hostem, & insequentem habens.* Hoc dicit, vt nemo in primo congressu vel illæsus, vel saltem leviter tantùm vulneratus, de sua sibi securitate blandiatur, cum intus in animo servet, aut favillam paulo post in incendium prodituram, aut iaculum venenatum, quo virus propagetur & sanguis exhauriatur. Quare ab oculis ad cor statim malitia transfertur. Chrysost.

Vt vt est, constat tam periculosa initia cavenda esse: quia vt rectè ait Glossa in illud Iob. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis: Visum sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus; opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio.* Hæc de partibus honestis, dicta sint. Iob. 31.

12. Sed quæres, quale ergo peccatum sit in aspectu secretiorum partium.

Respondeo peccatum esse mortiferũ, si quis partes secretas deserviẽtes generationi cum aliquâ morâ intueatur, advertenter & plenâ deli-

berātione; in illis, videlicet, quos ætas puerilis, aut senilis & frigidæ complexionis non excusat. Cuius rei duplex est ratio: prima, quòd valde adversetur naturali honestati, vt videre est in primis parentibus, Genes. 3. qui cum ante peccatum ob nuditatem non erubescerent, post peccatum (quantumvis matrimonio coniuncti) *statim consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perisomata*, consulentes scilicet pudori; quod ipsum omnes gentes quantumvis barbaræ semper imitatę sunt. Vnde D. August. lib. 14. de Civitate Dei cap. 17. *Quod itaque*, inquit, *adversus damnatam culpam inobedientiæ, voluntatem libido inobedienter movebat, verecundia prudenter tegebat.* Et hoc omnes gentes, quoniam ab illa stirpe procreatæ sunt, vsque adeo tenent insitum velare pudenda, vt quidam barbari illas corporis partes, nec in balneis nudas habeant, sed cum earum tegumentis laventur. Per opacas quoque Indiæ solitudines cum quidam nudi philosophentur, vnde Gymnasophistæ nominantur, adhibent tamen genitalibus tegumenta, quibus per cœtera membrorum carent. Testatur etiam Cicero lib. 1. Officior. tantum fuisse apud Romanos pudoris studium, & observantiam, vt ne scenici quidem in publicum sine subligaculis prodirent: *Scenicorum quidem*, inquit, *mos tantam habet à vetere disciplina verecundiã, vt in scenã sine subligaculis prodeat nemo. Verentur enim, ne si quo casu eveniret, vt corporis partes quædam aperiantur, aspiciantur non decorè.* Hinc etiam eiusmodi partes in balneo velari solent, & & in flumine natantes cooperculis vti. Et hinc Dominus per Prophetam Abacuc vehementer arguit Nabuchodonosorem, eò quòd Sedeciam, aliosque Principes inebriarit hoc fine, vt ebrij & vino ęstuantes discingerẽt tunicas (fœmoralibus enim non vtebantur Hebræi & Chaldei) suas, itaque verenda nudarent, & hac ratione probro eos illuderet, omnibusque convivis ridendos proponeret, vti Noe ebrius illusus est à filio Cham, Genes. 9. in verbis: *Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians vt aspiciat nuditatẽ eius.* His enim verbis varij auctores censent dictũ Nabuchodonosorẽ redargui.

Altera ratio est, quòd talis aspectus valde periculosus sit, & nimium efficax ad provocandam libidinem veneream, vti experientia docuit in Davide, viro alioquin sanctissimo, qui inspectâ muliere nudâ lavante se, ita in illius concupiscentiam exarsit, vt nullo Dei metu revocaretur à flagitio non tantum adulterij, sed etiam homicidij, ex lib. 2. Reg. cap. 11. Quare hoc exemplum sæpe nobis proponunt Patres, ne vana nos superioris vitæ cõsideratio decipiat; Augustinus hac de re multa atque præclara tom. 8. in Ps. 80. in principio: *Dicam ergo*, inquit, *non quod volo, sed quod cogor, dicam non exhortans ad imitationem, sed instruens ad timorem. vxoris alienæ pulchritudine captus rex David, ex cuius semine secundum carnem Dominus venturus erat, eam adulteravit.* Et longiusculè ab hoc loco, exemplo Davidis monet ne etiam procul mulierem intueamur; quia in nobis est, quod etiam è longinquo feminarum species inflammat: *De longè vidit David illam, in qua captus est, libido propè: Alibi erat quod videret, in eo quod caderet.*

13. Sed dices; nonnihil differor, propter exemplum Isaiæ viri nobilis, quem Deus triduò iussit omnino nudum & concionabundnm incedere per plateas, vt indicant hæc verba capitis 20. videlicet, *Solve saccũ de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic vadens nudus & discalceatus.* id est, Exue cicilium nempe contextum ex pilis caprarũ & camelorum, quo vestiris super nudâ carne, imo etiam calceamenta.

Respondeo hoc exemplũ non excusare, quia extraordinarium fuit, & ex volũtate, & iussu Dei, vt triduanâ sua nuditate, ipso facto, & incessu suo repræsentaret ternariũ captivitatis, scilicet, quod per triennium vastãda, omnibusq; rebus nudãda esset Ægyptus, & Æthiopia, ac homines inde nudi abducendi essent ad ignominiã. Hoc clarè exprimunt verba: *Et dixit Do-*

Genes. 3. August. Genes. 9. Abacuc. 2. 2. Reg. 11. Isa. 20.

Dominus: Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus & discalceatus, trium annorum signum erit, & portentum super Aegyptum, & super Aethiopiā, sic minabit Rex Assyriorum captivitatem Aegypti, & transmigrationem Aethiopiæ, iuvenum & senum, nudam & discalceatam, discoopertis natibus ad ignominiam Aegypti. Adeòque non minus portentum erat Isaias sic incedens, quam Ezechiel factus est portentum, comedens fimum boum, & dormiens 340. dies in vno latere: & Ieremias, qui cum catenis onustus incessit: & Zacharias, cum sumpsit vasa, id est, instrumenta stulti pastoris: & Osee, cum duxit fornicariam. Iubebat enim subindè Deus Prophetis, vt quædam planè exotica facerent, ad hoc vt duras Iudæorum mentes, alioqui immobiles, & inflexiles ferirent & flecterent. Insuper Christi in cruce nuditatem repræsentabat, quę fuit plena & omnimoda ad expiandum Adæ peccatum & concupiscentiam, indeque prognatam verecundiam & erubescentiam: erubescebant enim, quòd viderēt se omnino nudos in membris illis, in quibus dominatur libido, & concupiscentia rebellans rationi.

14. Dices, Quid tum? Incedere enim plane nudum est turpe, & scandalosum, ac incentivum libidinis.

Respondeo id verum esse, si spontè, & ex petulantiâ fiat, non autem si fiat ex necessitate, vt cum quis nudus fugit ex incendio, aut excidio vrbis; aut si fiat ex voluntate & iussu Dei: tum enim Dei mandatum omnem ab hac nuditate fœditatem abstergit. Hîc autem Iudæis constabat Isaiam esse Prophetam Dei, & ex iussu Dei nudum incedere, idque ad hoc, vt populum pari modo ab hoste nudandum repræsentaret; vnde eum magis ad metum, & pavorem, quam ad libidinem hac sua nuditate incitabat: præsertim quiâ corpus eius iam effectum hirsutum, macie & inediâ confectum, horrorem potius movebat, quàm concupiscentiam. Sic Deus iubens Oseæ viro honorato, ducere vilem meretricem (quod turpe erat & indignum) omnem ab hac re fœditatem abstersit: Sic Deus concedens polygamiam Abrahæ, Iacob, & alijs, omnem ab eâ turpitudinem hac suâ dispensatione ademit. Sic Iudæis iussit non tantum nudari, sed & circumcidi partes genitales. Atque adeo in hoc facto S. Hieronymus, & alij non notant hanc nuditatem, sed potius agnoscunt insignem obedientiam, & mortificationem Isaiæ, quod vir nobilis è regiâ stirpe, non erubuerit per triduum celeberrimâ vrbe concionabundus, mediâ die planè nudus incedere: licet enim hoc in se indecorum, & fœdum esset, tamen honestabatur, eratque actus insignis virtutis per Dei mandatum. *Nihil enim honestius est Dei praeceptis,* inquit Sanctus Hieronymus.

Hieronym.

Discursus VIII.

Quatenus ornatus, seu luxus vestium huic Præcepto adversetur.

1.Tim. 2.  Paulus 1. ad Timoth. 2. vult mulieres esse in habitu ornato, cum verecundiâ, & sobrietate ornantes se, & nō intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosâ, sed quòd decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Hinc tractabo: An, & quatenus luxus vestium huic Præcepto adversetur.

1. In Scripturâ sanctâ diversimodè fit sermo de vsu vestimentorum. Genes. 3. nam Genes. 3. cap. describuntur primi parentes, post peccatum se cognovisse esse nudos, & consuisse sibi folia ficus, ac fecisse perizomata. Cuius rei ratio erat, quòd ex peccato natus esset pudor, qui in statu innocentiæ non erat, cū iustitia originalis rebellionem carnis comprimeret. Prov. 31. cap. Proverb. etiam 31. cap. laudatur mulier ex sedulitate, quòd stragulatam vestem sibi fecerit, byssus, & purpura indumentum eius fuerit. Contrà Salvator noster Matth. 11 Matth. 11. docet sibi servientes non esse mollibus vestitos, sed tales in Luc. 6. domibus Regum esse, Luc. 16. condemnatur dives purpurâ & bysso in Isa. 3. dutus. Et Isa. 3. cap. describūtur pœnæ temporales, quibus luxus vestiū quarumdem mulierum illo tempore puniretur. Et S. Patres graviter invehuntur, tum in luxum vestium, tum in fuci, & pigmentorum vsum.

2. Ad huius quæsiti intelligentiam, Dico primò vestes necessariò assumi ad tegendam nuditatem ratione originalis peccati, ex quò nuditas verecundiam peperit. Hinc e- Genes. 3. nim Dominus Genes. 3. *fecit Adæ & vxori eius tunicas pelliceas*, vt illis nuditatem tegerent, & aëris iniuriam arcerent, pœnitentiæ gestarent symbolum, & mortis se reos profiterentur. Porrò has vestes vnusquisque pro status sui decoro potest pretiosiores laudabiliter induere, quatenus hoc externo splendore, & apparatu, subditis sibi populis sit honori, timori, ac reverentiæ, & Dei omnipotentis, cuius in terris personam sustinet, quodā pacto maiestatē inter homines referat. Filius enim Dei, qui & ipse vnà cum Patre vnus Deus est, scribitur accepisse *coronam aure-* Apoc. 6. *am in capite suo*: & Sanctis, qui cum i- & 14. pso in perpetuum regnabunt, *datas* *fuisse coronas aureas*, in signum procul Apoc. 1. 3. 4. dubio honoris, & gloriæ. In Regum quoque historiâ recitatur virum 2. Reg. 1. Amalechitam post cæsum bello Saülem, diadema, quod fuerat in capite eius, & armillas de brachijs illius, tanquam signa regia attulisse Davidi. Rursumque eundem Davidem, velut his minimè contentum capiti suo coaptasse coronam auream Regis Ammonitarum, quando Raab civitas eius regia ab ipso capta, 1. Paral. & populata fuit. Ioiada quoque 20. constituens Ioas Regem pro Athaliâ, *posuit super eum diadema, & vnxit* 4. Reg. 11. *eum*, publico scilicet inaugurationis Regum Iudæ ritu, & solennitate. Scribitur quoque Ionathæ summo Iudæorum Pontifici, & Duci missam esse purpuram, & coronam auream ab Alexandro Rege Syriæ, in si- 1. Machab. gnum certum amicitiæ, & potesta- 10. tis. &c.

3. Hinc illi, qui Regum familiaritatem merebantur, purpuram receperunt, & alia ad corporis ornatum spectantia, vt patet in Iosepho

viro

viro sanctissimo, qui postquã explicasset Pharaoni sua somnia, Genes. 41. recepit libenter ab eo annulum, stolam byssinam, & torquem auream, vt insinuant verba Pharaonis ad Ioseph: *Ecce constitui te super vniversam terram Aegypti. Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius: vestivitque eum stolâ byssinâ, & collo torquem auream circumposuit, Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante pracone, vt omnes coram eo genu flecterent, & prapositum esse scirent vniversa terra Aegypti.* Et similiter in Daniele, quando explicuit Balthasari Regi oraculum scriptũ in superficie aulæ regiæ, *Mane Thecel, Phares*; Daniel. 5. Danielis enim hic 5. c. sic legitur. *Tũc iubente Rege indutus est Daniel purpurâ, & circumdata est torques aurea collo eius; & pradicatum est de eo, quòd haberet potestatem tertius in regno.*

Hoc autem ornamentum licitum fuisse etiam ab idololatris acceptare, (quandoquidem nihil commune haberet cũ idololatria) probat Tertullianus lib. de Idol. cap. 18. his verbis: *Simplex purpura illa nec iam dignitatis erat, sed ingenuitatis apud Barbaros insigne. Quemadmodum enim & Ioseph, qui servus fuerat, & Daniel, qui per captivitatem statum verterat, civitatem Babyloniam, & Aegyptum sunt consecuti per habitum barbarica ingenuitatis: sic penes nos quoque fideles, si necesse fuerit, poterit & pueris pratexta concedi, & puellis stola, nativitatis insignia, non potestatis; generis, non honoris; ordinis, non superstitionis.* Significat *pratexta* genus togæ ita dictæ, quòd purpura prætexeretur, quâ vtebantur pueri ad 17. annum. *Stola* verò peplum videtur fuisse sericum, & subtile, à capite ad talos quodammodo demissum, quo se totas operiebãt virgines, & meretrices, quę se virgines mẽtiebantur: coniugatæ verò eo omnia velabant præter faciem. Hoc vti solent Hebreæ mulieres, & etiam aliarum nationum, sed diversimodè; illæ à collo dependente vsque ad talos; aliæ vsque ad cingulum; aliæ verò à cingulo retrorsum vertentes.

Tertull.

Domesticis verò Regum ornatũ fuisse familiarem ostendit Dominus, cum Matth. 11. Ioannem vendicans à levitate, dixit: *Qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt.* Vti etiam facit Sapiens Proverb. 31. quoad Iudices. laudans enim mulierem industriam, dicit: *Stragulatam vestem fecit sibi, byssus & purpura indumentum eius.* id est. Hæc mulier ex telis, quas ipsa suis manibus elaborabat, non modo servis, ac domesticis rudiora vestimenta parabat, sed etiam multam vestem stragulam, ad lectos pulchros sternendos, domumque appensis tapetibus ornandam. insuper in bysso & purpurâ operabatur, vt sibi pretiosas vestes consueret: Et quod amplius est, *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum Senatoribus terra.* id est, non sibi soli vestes elegantes & pretiosas texit, byssinas, & purpureas; sed etiam viro suo, quibus in Optimatum concessu, conspicuus & clarus incedit. In portis enim vrbium erant tribunalia, vbi & lites agitabantur. Matt. 11. Prov. 31.

Talem etiam ornatũ pro status sui decoro Reginæ assumere solebant, vt patet Estheris cap. 15. vbi Esther describitur ingressa ad Regem regio fulgens habitu. Et Iudith. 10. ad Holophernem iter parans exuit se vestimentis viduitatis suæ, & lavit corpus suum, *& vnxit se myrto optimo, & discriminavit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis iucunditatis sua, induitque sandalia pedibus suis, assumsitque dextraliola, & lilia; & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ornavit se. Cui etiam Dominus contulit splendorem: quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat, & ideo Dominus, hanc in illa pulchritudinem ampliavit, vt incomparabili decore omnium oculis appareret.* Esther. 15. Iudith. 10.

4. Dico secundò, quibusvis mulieribus coniugatis licitum esse vltra ordinarium habitum sui status, aliquid superaddere ornamenti, vt placeant viris suis. Quod probatur ex Apostolo 1. Cor. 7. vbi dicit, quòd mulier nupta *cogitat qua sunt mundi, quomodo placeat viro.* Et quia pulchri- 1. Cor. 7.

tudo propria dos est mulieris, & ad delectabilem conversationem spectat. Eam existimo à Domino vocatam, desiderabile oculorum mariti. Cum enim Deus vellet Hebræis annunciare eversionem vrbis Hierosolymæ, dixit Ezechiel. cap. 24. *Ecce ego tollo à te desiderabile oculorum tuorum in plaga.* id est, vxorem tuam gratiosam, & amabilem, per cuius mortem subitaneam adumbrabo. Hierusalem violatam à Chaldæis, subitò evertendam. Et hinc meritò D. August. epist. 199. reprehendit mulierem quandam Ediciam, quod marito neglecto, etiam devotionis causâ habitum mutasset. Sic enim ait: *Si de faciendis eleemosynis, & in pauperes impendendis rebus tuis* (in quibus etiam limites excesserat) *de quo bono opere, & magno, tã evidentia præcepta sunt Domini, cũ viro tuo fideli, & tecũ sancta continentiæ pacta servante consiliũ communicare deberes, eiusdemque non spernere voluntatem; quantò magis de habitu, & vestitu nihil tibi præter eius arbitrium mutandũ, vel vsurpandum fuit; vnde nihil divinitus legimus imperatum. Scriptum est quidem, mulieres esse debere in habitu ornato: aurique circumpositio, & intorsio crinium, & cætera huiusmodi, quæ vel ad magnam pompã, vel ad illecebram fermè adhiberi solent, meritò reprehensa sunt, Sed est quidam pro modulo personæ habitus matronalis, à veste viduali distinctus, qui potest fidelibus coniugatis salvâ religionis observantiâ, convenire. Hunc te maritus si deponere noluerit, ne te velut viduam illo vivente iactares, puto quia non fuerat in hac re vsque ad dissensionis scandalum perducendus, magis inobedientiæ malo, quam vllius abstinentiæ bono. Quid enim est absurdius, quàm mulierẽ de humili veste viro superbire, cui te potius expediret obtemperare candidis moribus, quam nigellis vestibus repugnare? Quia etsi te indumentum monachæ delectabat, etiam hoc gratius posset marito observato, exoratoque sumi, quàm illo inconsulto, cõtemptoque præsumi.* Deinde ostendit, quòd etiam, marito illud non permittente, æquè potuisset servire Deo, sic aiens: *Quod si omnino non sineret, quid tuo proposito deperiret? Absit vt hinc displiceres Deo, quod coniuge tuo nondum defuncto, non indueretis sicut Anna, sed sicut Susanna. Neque enim & ille qui tecum iam cœperat custodire tam magnum continentiæ bonum, etiamsi coniugale, non viduale voluisset vt acciperes indumentum, ad indecentem quoque te compulisset ornatum. Quò etsi aliquâ durâ conditione cogereris, posses habere in superbo cultu cor humile. Nempe apud patres, Hester illa regina Deum colens, Deum timens, Deo subdita, marito regi alienigenæ non eundem secum colenti Deum, tamen subiecta serviebat: quæ cum extremo periculo, non suo tantum, sed etiam gentis suæ, quæ tunc erat populus Dei, domino prosterneretur orando, in ipsa oratione sua dixit, ita sibi esse ornatum regium, sicut pannum menstrualem: & ita orantem, confestim exaudivit, qui cordis inspector eam verum dicere scivit. Et vtique maritum habebat multarum mulierum virũ, & Deorum alienorum, falsorumque cultorem. Tu autem si & ille in proposito, quod tecum susceperat, perduraret, nec à te offensus in flagitium corruisset, maritum habebas non solum fidelem, & verum Deum tecum colentem, sed etiam continentem, qui proculdubio propositi vestri non immemor, etsi ad coniugalia te cogeret indumenta, ad superba tamen ornamenta non cogeret.* Et Doctores vxorem notant, domi sordidam, viro nauseam causare, & splendidè tantùm in publicum prodeuntem (vt passim solent) magis esse alterius oblectamentum. Et Ethnicus quidam Hipperides, *Domi*, inquit, *coram viro liceat se ornare vt libet; ornamenta autem quæ sumit egressura domum, non ad maritum, sed alios spectat.*

5. Dico tertiò, Aspirantes ad statum matrimonialem eâdem de causâ, licitè se ornare. Exemplum habemus in Scripturis Ruth. 3. vbi socrus eius volens ipsi de marito providere, tale ei dedit consilium: *Filia mea, quæram tibi requiem, & providebo vt benè sit tibi. Booz iste cuius puellis in agro iuncta es, propinquus noster est, & hac nocte aream hordei ventilat. Lavare igitur, & vngere, & induere cultioribus vestimentis, & descende in aream.* Eandem sententiam pro Christianis tenet D. August. cum epist. 73. hæc præscribit:

Margin notes: August. — 1. Tim. 2. — Hipperides — Ruth. 3. — August.

bit: *Nolo de ornamentis auri, vel vestis praeproperam habeas sententiam: nisi in eos, qui neque coniugati, neque coniugari cupientes cogitare debent, quomodo placeant Deo.* Et ratio est, quòd iusta illis suppetat causa ornandi, vt placeant in ordine ad matrimonium viris. Addo veniale tantum esse peccatum, si femina se ornet, vt censeatur inter pulchras, & laudetur vt pulchra: quia id per se non continet magnam deordinationem, sicut neque excessus in apparatu communiorum aedificiorum, & similium. Quando enim aliquid non est per se malum, sed indifferens, excessus in appetitu, vel vsu illius, sepositâ omni malitiâ extrinsecâ, non est nisi peccatum veniale.

6. His positis quaeres; Quare ergo Scriptura, & Patres subinde reprehendunt sub peccato mortali ornatum vestimentorum?

Respondeo id fieri ob pravas circumstantias extrinsecas; quarum vna est, exempli gratiâ, cum quis ob ornatum proximum in necessitate contemnit; quod expressum est vi-
Luc. 16. tium divitis Epulonis, qui Luc. 16. dicitur dives, purpurâ, & bysso indutus; non quòd purpura, & byssus aliquem per se condemnet, sed contemptus Lazari in summâ necessitate constituti ob purpuram & bys-
Sap. 11. sum. Hinc rectè monuit Sapiens cap. 11. *In vestitu ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris,* supple vt proximum superbiendo contemnas. Simile est cum quis propterea se impotentem ad solvenda debita reddit.

Altera circumstãtia est, cum quis ex erroneâ conscientiâ existimans mortale esse peccatum, fucos, & pigmenta addere faciei, nihilominus illa adhibeat; aut etiam in contemptum Dei sese quibusvis modis ornet. dicens: Potuisset me aliter creare, aut: Cur pulchriorem me non fecit Deus, vti potuisset? vrget me necessitas fucis vti, & vestibus pretiosis, ac adaptatis aliter crinibus faciẽ venustare. Huiuscemodi congruit il-
Tertull. Tertull. lib. de cultu Femin. cap. 7. *Mirum, quòd contra Domini praecepta contenditur. Ad mensuram neminem sibi adijcere posse pronuntiatum est.* Et illud Cy- Cyprian.
priani lib. de Discip. & hab. Virgin. *Manus Deo inferunt, quando id, quod ille formavit, reformare & transfigurare contendunt, nescientes quia Dei opus est omne quod nascitur; diaboli, quodcumque mutatur.* Quod illustrat exemplo periti pictoris, qui iure indignatur, si quis imperitus opus eius iam perfectum emendare velit.

Tertia est, quando quispiam per ornatum Spiritum Dei vult extinguere, & desiderium castitatis, religionis, ac vitę perfectioris suffocare. Hac enim de causâ gravissimè legitur punita nobilis quaedam femina, quae ex mandato mariti in virgine quadam idcirco habitum mutavit. Exemplum refert Hieronym. epist. Hieron.
ad Laetam: *Praetextata*, inquit, *nobilissima quondam femina, iubente viro Hymetio, qui patruus Eustochij virginis fuit, habitum eius, cultumque mutavit, & neglectum crinem mundano more pexuit, vincere cupiens & virginis propositum, & matris desiderium: & ecce tibi eadem nocte cernit in somnis ad se venisse Angelum terribili voce minitantem poenas, & haec verba fundentem: Tune ausa es viri imperium praeferre Christo? Tu caput virginis Dei, tuis sacrilegis attrectare manibus; quae nunc arescent, vt sentias excruciata, quid feceris: & finito mense quinto ad inferna duceris, sin autem perseveraveris in scelere, & marito simul orbaberis & filijs. Omnia per ordinem expleta sunt, & seram miserae poenitentiam velox signavit interitus. Sic vlciscitur Christus violatores templi sui, sic gemmas & pretiosissima ornamenta defendit.*

Attendant haec parentes, qui filios suos, ac filias suas Deum per consilia Evangelica meditantes, studere cogunt ornatui corporis, tripudijs, convivijs, alijsque mundi vanitatibus, vt Spiritum Dei in ipsis extinguant; & exemplo Praetextatae horreant Dei vindictam, & se plagis varijs etiam in prolibus puniendos sciant, quas coëgerunt suę voluntati Dei vocationem postponere.

7. At dices: Velim scire quatenus

nus huic præcepto iam dictus ornatus repugnet. Respondeo tunc illum adversari huic præcepto, quando assumitur ad alios pelliciendos ad luxuriam. In hunc enim finem solere se quasdam mulieres ornare prodit Sapiens, cum Proverb. 7. describit modum, quo meretrix vecordi iuveni transeunti per plateas solet esse offensioni, dicens: *Occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula, & vaga; apprehensumque deosculatur iuvenem, & procaci vultu blanditur.* Et Ioannes in Apocalyp. 17. cap. nominans Romam suo tempore ethnicam, plenam idololatriâ, & vitijs carnis, mulierem circumdatam purpurâ. &c. in verbis: *Et mulier erat circumdata purpurâ, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius.* id est: Roma ethnica superbiebat luxu, opibus instar meretricis, quæ auro & gemmis vestita superbè incedebat, habens poculũ aureum, seu mundanam felicitatem, imperij maiestatem, terrorem & splendorem, opumque & rerum omnium abundantiam, quibus illiciebat ad idololatriam & scelera; sicut meretrices externâ specie, & pompâ in cõvivijs per calices aureos, & gemmeos, perque epulas splendidas & magnificas, dementant amasios, & ijs propinant sua philtra, quæ vere plena sunt abominationis & immunditiæ. Philtra enim veneficarum fiunt ex cineribus bufonum, ranarum, serpentum, aliarumque rerum immundarum, & abominandarum.

Prov. 7.

Apoc. 17.

8. Et hac de causa Dominus partim taxat Isaiæ 3. ornatum filiarum Sion, in verbis: *Elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant; ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant.* id est: Vt viris eminerent, & ab omnibus spectarentur, subijciebant sibi cothurnos, vt ijs proceræ incederent, & quasi reginæ, & Deæ esse viderentur, superbissimè cervicem extendentes instar gruum, vel cygnorum, oculos obliquè iacientes in iuvenes & amasios, seu vt Chaldæus vertit, *stibio linitis oculis ibant*, & crinibus circumvolutis, & pedibus suis provocantes, seu vestibus sericis inter se, & ad pavimentum allisis, sonitum edentes, vt se significarent sericis vestiri, seque magis ostentarent: partim etiam taxat illas Dominus, quod ob ornatum viros adegerint ad iniustitiam, seu ad iniustas pronuntiandas sententias, vt colligitur ex v. 12. vbi dicitur: *Populum meum exactores sui spoliaverunt, & mulieres dominatæ sunt eis.* id est: Principes, & Magistratus non tam Prætores fuerunt, quàm prædatores populi, quem vsque ad vltimum racemarunt; vti enim vinea racematur, cum peractâ vindemiâ paucula vuæ, quæ hinc inde remanserunt, studiosè rursum perquiruntur & colliguntur: sic ipsi populi opes compilabant, & deglubebant; idque instinctu vxorum, quæ maritis suis, vt pote mulierosis dominabantur, & exactiones magnas imperabant ad sui, & familiæ ornatum: ita vt in illis verum fiebat illud Catonis, *Mulieres regunt nos, nos Senatum, Senatus Romam, Roma orbem.* Ingens profecto plaga. Vnde propterea gravissimas plagas Deus (quod notatu dignum est) ijsdem comminatur; & primò quòd *decalvabit verticem filiarum Sion*, id est, superbiam Sidoniarum puniet maximâ earum ignominiâ; ornamentum, puta capillitiũ, tollet & decalvabit, tum per Chaldæos (hostes enim solent captivos decalvare) tum per seipsum percutiendo capita earum alopeciâ, tineâ, & leprâ, quæ non modo capillis, sed & carnibus eas nudabit. Quantum autem feminæ ornamentum (in quo proinde ita sibi placent) sit capillitium, & quanta deformitas calvitium, docet Apuleius lib. 2 Metamorph. & ex eo Ambrosius lib. 6. Hexam. 9. *Si*, inquit Apuleius, *cuiuslibet eximiæ & pulcherrimæ feminæ caput capillo spoliaveris; licet illa cælo deiecta, licet omni gratiarum choro stipata, & toto cupidinum populo comitata, & balteo suo cincta, cinnama fragrans, & balsama rorans,*

Isa 3.

Ambros.

Apuleius.

rorans, calva processerit, placere non poterit.

Secundò *auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & theristra. Et erit pro suavi odore fætor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine calvitium, & pro fascia pectorali cilicium.* id est: Auferet ab illis ornamenta iam specificata; & pro suavi odore ex musco, & alijs aromatibus sentient fœtorem ex illuvie, & sordibus captivitatis & carceris, & pro zona aurea funiculum, quo quasi iumenta captivè trahentur in Babylonem; pro fascia pectorali, quâ constringere solent mamillas, ne turpitudinem ingererent suâ magnitudine, habebunt cingulum ex sacco.

Tertiò, vti pulcherrimę filiæ Sion pretioso atque eleganti cultu spoliatæ, ab illuvie erunt fœtidæ, sic quoque iuvenes in eo populo pulcherrimos, & quibus maius erat ad pugnandum robur, audacia; diuturna fames in obsidione, aut hostile ferrum in prælio conficiet: firmissima etiam vrbis præsidia vastabuntur, & civitas tota iam deserta, & complanata solo, quasi vidua silens, & mœrens humi sedebit, vti declarant verba: *Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio. Et mærebunt, atque lugebunt portæ eius, & desolata in terra sedebit.*

9. Cœterum nihil refert, an sic ornata quępiam irretiverit, nec ne, sufficit ad mortalem culpam, quod illam habuerit intentionem, teste Chrysostomo homil. 17. in Matth. vbi sic ait: *Si qua ideo ornatur, & comitur, vt in se oculos omnium irritet; etiamsi nullum pulchritudine suâ potuerit vulnerare, dabit tamen extrema supplicia. Paravit quippe virus, temperavit venenum, porrexit poculum, etiamsi nullus qui biberit inventus est*, Quo etiam tendunt verba Hieronymi in Isa. 3. *Si vir aut mulier se ornaverit, & vultus hominum ad se provocaverit, etsi nullum inde sequatur damnum, iudicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit, si fuisset qui biberet.* Hinc D. Paulus legem statuit suo tempore, quâ voluit mulieres in Ecclesia esse velato capite. Cum enim mulieres Corinthiæ essent, non tantum luxui, sed & cultui Veneris addictissimæ, adeo vt quotidie mille puellas in honorem Veneris ad ipsius templum lenonibus, & lenocinio exponerent, idque sibi pietati, & honori ducerent, putarẽtque se hoc modo Deam Venerem sibi, suisque ad felix matrimonium ineundum, vel continuandum conciliaturas, erant simul impudentes, & amasiorum illices, quos vt ad sui amorem allicerent, aperto vultu, oculis, & capite incedebant, suam formam ostentantes, adeo vt hic mos Corinthi honestus, decens, & elegans haberetur, & Christianæ mulieres eiusdem morem, quasi patrium, sibi retinendum censerent. Hinc Paulus hac de re monitus, & rogatus, an Christianis feminis id liceret, vel conveniret capite nudo incedere, & versari maximè in Ecclesia, respondit negativè, & idipsum probat quinque rationibus. Prima est, quod hoc exigat honestas & verecundia muliebris. Secunda, quod velamen illis competat tanquã signum subiectionis erga virum. Tertia, quod id exigat reverentia Angelorum, præsertim in templo, in quo videlicet Angeli oberrant, & singulorum habitum, gestus, & vota explorant. Quarta, quia natura dedit illis comam pro velamine. Quinta, ob Ecclesiæ consuetudinem, quæ habet vt mulieres orent velato capite, viri non velato, in verbis: *Si quis autem videtur contensiosus esse: nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Hoc autem præcipio.* q. d. Apostolus: Hoc quod dixi mulieres debere velatas orare, quodque argumentis tum à ratione ductis, quàm à cõsuetudine Ecclesię probavi: nunc etiam præcepto meo confirmo; & volo vt ita fiat.

Vnde etiam Chrysostom. in cap. 2. 1. Ti-

Chrysost. — Hieronym. — 1. Cor. 11. — Chrysost.

1. Timoth. & ex eo Theophylactus nimium ornatum & luxum mulieris in templo maximè redarguit, sic eiusmodi feminam compellans: *An saltatura ad Ecclesiam pergis? nunquid hic nuptias & lasciviæ oblectamenta requiris? num vt tui spectaculum præbeas advenisti? num tibi nunc instruendus est thalamus? non iste supplicis est habitus; accessisti vt Deum pro peccatis tuis depreceris, vt cum gemitu & lachrymis veniam petas, quid teipsam ornare improbo & intempestivo studio contendis?* Et Gentilis Lycurgus fucandi artificium Spartâ eiecit; idque primò, eo quod malis artibus vrbem corrumperet: Vnde tanta tunc Spartæ fuit mulierum pudicitia, vt adulterium pro incredibili haberetur. Secundo, vt quivis in mores puellæ intuens, virtutem in delectu sequeretur, cum vxorem quæreret; non vero fuco illiceretur. Lycurgus.

10. Ex quibus sequitur ornatum seu habitum corporis admodum turpem, ac per se & directè ad libidinem provocativum, sub mortali vitandum esse. Nam tenui velo partes libidinis provocativas tegere, magis irritamentum est libidinis, quam tegumentum pudoris, Gentilium potius feminarum vsu, quàm Christo credentium comparatum. Secundò consuetudinem de novo introducere alicuius vestimenti, cuius occasione probabile fit multos scandalum passuros esse, v. g. quo pectora nuda, vel non nisi tenuiter tecta aspiciantur, grave peccatum esse. Eiusmodi enim novitas solet esse maxima illecebra libidinis, quã inveterata consuetudo facile abolet. Quam credo esse rationem, cur Doctores feminas ita incedentes in locis, vbi talis consuetudo viget, à peccato mortali excusent.

11. Sed dices, si mortale est, quando quæpiam ornatur, vt alium ad libidinem pertrahat, cur Apostolus Petrus mandat mulieribus à capillatura, auro, & pretiosiori vestimento abstinere, dicens: *Similiter & mulieres subditæ sint viris suis: vt et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore sanctam conversationem vestram. Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples.* 1. Pet. 3.

Respondeo id factum fuisse, vel vt excessum vitarent, vel certè quia propter ædificationem Ethnicorum expediebat illo tempore præcipi. Sicut enim Apostoli ob aliorum infirmitatem præceperunt Act. 15. abstinere à sanguine, suffocato, & idolothytis ad tempus, donec melius instructi noviter Christiani ex Iudæis crederent legem veterem non magis obligare: ita verosimile est, Apostolos Petrum & Paulum ob hanc causam vetuisse nimium ornatum. Et hoc videntur innuere verba, *vt etsi qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes &c.* vult enim vxorum sanctam conversationem esse viris incredulis tacitam quamdam ad credendum suasionem. Confirmatur, quia tempore adhuc Tertulliani æstimatum fuit signum prostitutionis in luxu vestium meretrices imitari, dum ait Apolog. cap. 7. *Video inter matronas atque prostibula nullum de habitu discrimen relictum.* Act. 15. Tertull.

12. Dices iterum: Si tunc temporis ex præcepto apostolico ob infirmitatem aliorum abstinendum fuit à nimio cultu, quomodo excusabile est, quod Iudith. cap. 12. ingressura ad Holophernem, cuius sciebat libidinosum animum, sese tam singulariter exornaverit. Iud. 12.

Respondeo, quia non tenebatur cum gravissimo incommodo suæ gentis (ob cuius liberationem petitioni Holophernis annuerat, scandalum ex malitia vitare. Vide dicta Discursu 10. prævio in 4. Præceptum. Accedit quod ornatus sicut & naturalis pulchritudo per se ac directè non provocet ad luxuriam.

13. Cæterum etsi nemo sub peccato mortali aliàs ornatum occulere debeat, aut vitare nisi in casibus prædi-

prædictis, aut quando scit particularem personam exinde peccaturam; tamen censeo magnopere dissuadendum esse in genere ornatū mulierum. Primò, quia Apostoli locis citatis modestum habitum tantopere commendant. Secundò quod sit lenocinium & indicium meretricum, cum inter ancillas Dei, & diaboli debeat esse discrimen, & non secundum Gentilium placitum Christianos incedere oporteat. Audi, si placet, Tertullianum de cul. femin. cap. 12. *Optemus*, inquit, *tantummodo, ne iustæ blasphemationis causa simus. Quanto autem blasphemabile est, si quæ sacerdotes pudicitiæ dicimini, impudicarum ritu procedatis culta, aut expicta? Aut quid minus habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ? quas si quæ leges à matronis, & matronalibus decoramentis coërcebant, iam rectè seculi improbitas quotidie insurgens honestissimis quibusque feminis vsque ad errorem dignoscendi coæquavit, quamquam lenocinia formæ, nunquam non prostituto corpori coniuncta & debita, etiam Scriptura suggerunt. Illa civitas valida, quæ super septem montes, & plurimas aquas præsidet, quum prostitutæ à Domino appellationem meruisset, quali habitu appellationi suæ comparata est? Sedet certè in purpura cum coccino, & auro, & lapide pretioso, quæ maledicta sunt, sine quibus non potuit maledicta & prostituta describi. Thamar illa, quia se expinxerat & ornaverat, idcirco Iudæ suspicioni visa est quæstui sedere, adeo, quia sub velamento latebat habitus qualitate quæstuariam mentiente, & fecit vt quæstuariam, & voluit, & compellavit, & pactus est. Vnde addiscimus adversus congressus etiam, & suspiciones impudicas providendum omni modo esse. Quid enim castæ mentis integritas in alterius suspicione maculatur? quid speratur in me, quod aversor? cur non mores meos habitus pronuntiat, ne spiritus per aures ab impudentia vulneretur? Liceat videri pudicam, certè impudicam non licet.* Et præoccupans obiectionem, dicit; *Aliqua forsan dicat: Non est mihi necessarium hominibus probari: nec enim humanum testimonium requiro. Deus conspector cordis est. Scimus omnes; cum tamen quid idem per Apostolum dixerit recordemur: Probum vestrum coram hominibus appareat. Ad quid, nisi vt malitia ad vos accessum omnino non habeat, & vt malis & exemplo, & testimonio sitis? Aut quid est: Luceant opera vestra? Aut quid nos Dominus lumen terræ vocavit? quid civitati supra montem positæ comparavit, si non relucemus inter tenebras, & extamus inter dimersos? Si lucernam tuam sub modium abstruseris, in tenebris relictæ à multis incuseris necesse est. Hæc sunt quæ nos luminaria mundi faciunt, bona scilicet nostra. Bonum autem dumtaxat verum, & plenum non amat tenebras, sed gaudet videri, & ipsa denotatione sui exultat. Pudicitiæ Christianæ satis non est esse, verùm & videri. Tanta enim debet esse plenitudo eius, vt emanet ab animo in habitum, & eructet à conscientia in superficiem, vt & foris inspiciat quasi supellectilem suam, vt conveniat fidei continendæ in perpetuum. Discutiendæ enim sunt deliciæ, quarum mollitiā & fluxu fidei virtus effeminari potest.*

Tertull. | Apocal. 17 | Genes. 38 | 1. Reg. 16. | Philip. 4. | Matth.

14. Eo magis id faciendum est, quod per huiusmodi ornatum, virgines seipsas castitatis periculis exponant, & lenonum fraudibus sese indies objiciant: ita vt crebro pudicitiæ naufragia videantur & audiantur. Huic convenit censura Cypriani lib. de dis. & hab. virgin. vbi materialem ornatum ob hanc causam redarguit impudicitiæ, dum ait: *Illarum pretiosior est cultus, quarum pudor est vilis. Si tu te speciosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuventutis illicias, vt etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te atque venenum videntibus præferas, excusari non potes quasi mente casta sis & pudica, redarguit te cultus improbus, & habitus impudicus.* Cyprian.

15. Tertiò, quod mulier & ornatui & luxui addicta, concupiscentiæ & supervacanei studij ita marito stimulos acuat & augeat, vt necessum sit, si requiem velit, salutis curam deponere, vt rectè notavit Basilius homil. in divites avaros, vbi sic ait: *Circa margaritas, smaragdos, hyacinthos, aurum eius, supple vxoris, cura omnino ver-* Basilius.

versatur. Hoc digitis aptat, illud vestibus intexit, malumque viri per omnia probra exaggerat. Neque successiva huic studio tempora, verum ordinaria noctes atque dies tradit. Mille insuper assentatores illius adsunt desiderijs adducentes. fullones, aurifices, vnguentarios, textores, discriminatores, qui ex illius imperijs nullo tempore virum respirare sinunt. Nullus item muliebri concupiscentiæ satis thesaurus, non si è fluminibus fluxerit: quandoquidem vnguentum exoticum ex barbaris ita quærunt, vt oleum è foro, & ex mari conchylia; purpuram, variosque colorum flores, plusquam ex ove lanam habere contendunt. Præterea pretiosi lapides vndique petiti auro innectuntur. Alij ad ornandam cervicem, alij collo adaptantur: alij zonas locupletant, alij manus pedesque ornant. Gaudent auri cupidæ feminæ manicis ligari, dumtaxat ex auro sit vinculum. Et immediatè post subiungit: *Vir igitur muliebrem sequens appetitum, quando animæ curam geret? Sicut enim debilia navigia procellæ ac tempestates dispergunt atque inundant, sic pravi vxorum affectus, virorum debiles animas corrumpunt atque pessumdant.*

Denique quod mulieri potius conveniat habitu lugere, & expiare ignominiam, & peccatum Evæ matris; si ad mercedem respiciat, quæ in cœlis exspectatur, vt inquit Tertullian. cap. 1. de habitu muliebri. Hinc Sancta Paula recogitans pristinos dies, quibus se ornaverat, vt viro & sæculo placeret, multis lachrymis luxum licet levem expiavit, etiam Hieronymo monente vt oculis parceret, & abstinere vellet: respondit, *Turpanda est facies quam contra Dei præceptum purpurissa, & cerussa, & stibio sæpe depinxi; affligendum est corpus quod multis vacavit delitijs, longus risus perpeti compensandus est fletu; mollia linteamina, & serica, & pretiosa, asperitate cilicij commutanda: quæ viro & sæculo placui, nunc Christo placere contendo.* [Tertull.] [Hieronym.]

Omitto tempus pretiosum & breve, quod mulieres ornando terunt. Memorabile est quod aliquando dixit Thomas Morus nobili cuidam puellæ, quæ multo cum labore, & dolore crines complicabat, vt frons latior esset, pectusque & tunicam constringebat, vt gracili esse corpore videretur, nempe: *Nisi Deus pro hoc tuo tanto labore tibi infernum reddat, magnam profectò facies tibi iniuriam.* Insuper notatu dignissimum, quod idem affirmabat seriò, videlicet persuasum sibi esse, quamplurimos in hac vita eo labore infernum mercari cuius vel dimidio cœlum lucrati fuissent. [Thomas Morus.]

Discursus IX.

Quid sit Ebrietas, & quatenus huic præcepto adversetur.

[Ephes. 5.] D. Paulus ad Ephes. 5. cum omnem impudicitiam apud Ephesianos voluisset exulare, monuit eos ab ebrietate abstinere, quod ex ea sequeretur luxuria, in verbis: *Nolite inebriari vino in quo est luxuria.* Hinc tractabo, quod in arguměto ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiã, notandum est ebrietatem varia significare in Scripturis, & primo cõsolationem. Sic dicit Propheta Ps. 22. *Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians, quam præclarus est.* Id est, E regione tribulationum, quas mihi ingerunt hostes mei spirituales, vnguento pretioso caput meum perfudisti, & sic exhilarasti faciem meam in oleo. (Solebant enim veteres in magnis convivijs adhibere [Psal. 22.]

inter magnas delicias vnguenta pretiosa; quod etiam servatum videmus in Evangelio Matth. 26. à S. Maria Magdalena erga Dominum) insuper dedisti mihi gratiam tuam significatam per calicem vini ebriantem, & præclarum, qui lætificet cor meum. Hinc est illud Ps. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Et illud Apostoli Pauli 2. Corinth. 7. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Dicit autem Propheta, *calix meus*, quia homini à Deo datur calix consolatorius.

Psal. 93.

2. Cor. 7.

2. Secundò significat abundantiam, vt patet Ps. 64. vbi Propheta recensens laudes bonitatis, sive beneficentiæ Dei, quæ maximè ostenditur in admixtione terræ & aquæ, ex qua oriuntur omnes fructus, dicit: *Visitasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam.* id est: terram, quæ per se erat inanis & vacua, visitatione tuâ fecisti fœcundam & plenam, irrigando eam aquis ad satietatem: & sic copijs omnibus refertam reddidisti. Et hinc Ioël. ca. 1. vocat Propheta locupletes & rebus affluentes, quas natura aut morum intemperantia desiderat, ebrios, dicens: *Expergiscimini ebrij, & flete, & vlulate* id est: Viri opulenti ac divites excutite tandem gravem istum soporem, qui vobis mentem & iudicium eripuit. Vt enim ebrij neque sentiunt mala, quę patiuntur, aut impendent; sic qui rebus abundant, quæ voluptates aut fovẽt, aut advocant, quasi ebrij forent, omnem videntur sensum, aut mentem amisisse. Dixit sanè acutè, & verè, quicumque dixit, divitias, & opes non solum superbos, sed etiã fatuos, & insipientes efficere. Audi Gregor. lib. 33. Moral. cap. 40. *Ebrij vocati sunt, qui mundi huius amore confusi mala non sentiunt, quæ patiuntur. Quid est ergo dicere: Expergiscimini ebrij, & flete, & somnum vestræ insensibilitatis excutite, & in devastatione cordis tot sibi succedentibus vitiorum pestibus, vigilantibus lamentis obviate.* Huiusmodi iubet Propheta flere & vlulare, quod plagæ non sint longe ab eis. Hinc rursum David Ps. 35. loquẽs de gloria cœlesti, quam iusti adipiscentur, inquit: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Psal. 64.

Ioël. 1.

Gregor.

Psal. 35.

3. Tertiò, significat grave Dei supplicium. Sic Ezech. 23. dicit Propheta Israëlitis, qui idololatriam Samariæ imitati erant: *Hæc dicit Dominus Deus: Calicem sororis tuæ bibes profundum & latum: eris in derisum, & in subsannationem, quæ est capacissima. Ebrietate & dolore repleberis: calice mæroris, & tristitiæ, calice sororis tuæ Samariæ. Et bibes illũ, & epotabis vsque ad faces, & fragmenta eius devorabis, & vbera tua lacerabis: quia ego locutus sum ait Dominus Deus* id est: Quia imitati estis idololatriã Samariæ, hinc eisdẽ pœnis vos afficiam. & pro meritis pœnam dabitis gravẽ & duraturam ad septuaginta annos, cum maxima cõfusione vestri. Totũ autem calicem pœnarum haurietis, atque extrema mala patiemini, exhaustoque calice & fracto, etiã guttulas, quæ in fragmentis manserint, lambere cogemini. Aut sicut aliqui potores vini intemperantes, & vecordes vitra fracta glutiunt cum vitæ periculo, ita vos calicem pœnarũ sumetis integrum vt nihil imminuatur vobis de pœna à me decreta. Et hoc indicant verba: *Vbera tua lacerabis* nempe præ dolore. Et idem insinuatur Hierem. 25. c. vbi Dominus prædicens Iudæos & omnes Gentes servituras Babylonijs per septuaginta annos, ostendit Hieremiæ in visione calicem iræ suæ, & dicit ei: *Sume calicem vini furoris huius de manu mea: & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. Et bibent, & turbabuntur, & insanient à facie gladij, quem ego mittam inter eos.* Et hinc Propheta Michæas intonans Israëlitis captivitatem, dicit cap. 2. *Vtinam non essem vir habens spiritum, & mendacium potius loquerer: stillabo tibi in vinum, & in ebrietatem: & erit super quem stillatur populus iste.* q. d. Vellem non habere spiritum Prophetiæ tibi, ô Israël, minacem & tristem: sed tamen eò vel invitus corripior, cogorque verum stillare,

Ezech. 23.

Hierem. 25

Michae. 2.

ſtillare, id eſt enũciare: ſcilicet imminentia tibi plurima mala, & clades acerbiſſimas, quæ inſtar vini te inebriabũt, & implebunt vſq; ad guttur. Alludit ad ſymposiarcham, ſive pręfectũ convivij, qui cuiq; convivę ſuũ admetiebatur & miſcebat calicem, ſtillans in eum tantum vini, & tantũ aquæ, quantũ eius ætati, complexioni, & ſtomacho cõgruere videbat.

4. Quartò ſignificat exceſſũ in potu inebriãte causâ voluptatis, donec vſus rationis adimatur. Idque peccatum mortale eſſe oſtendit Iſa. c. 5. in verbis: *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem, & potandum vſque ad veſperũ vt vino æſtuetis.* id eſt: Væ vobis, quibus nihil aliud videtur in ſtudio, quã vt in omnẽ luxũ otio prorſus illiberali, diffluatis; Cum enim poculis, inſtructiſque menſis ad crapulã vſque ante lucanum tempus impendatis, iners illud, atque languidum otium vſque ad veſperam producitis, donec tandẽ calor à vino intemperanter hauſto ſternat, atq; conficiat. Addit: *Qui conſurgitis manè ad ebrietatem*, nõ quod circa id maximè cardo rei verſetur, ſed quod id magis culpam augeat, vt ait Apoſtolus 1. Theſſal. 5. *Qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt.* Deinde idipſum tradit Apoſtolus 1. Cor. 6. dum ait: *Nolite errare, neque fornicarij* &c. *neque ebrioſi* &c. *regnũ Dei poſſidebunt.* Et Galat. 5. vbi rurſus ebrietates ponit inter opera carnis, quæ excludunt à regno Dei. Idque verum eſt etiam cum quis necdum ebrius pergit bibere, poſteaquam advertit periculum ſecuturę privationis, niſi deſiſtat. Eſto, quod mentis ſpoliatio poſt vnam aut alteram horam, cum in liberum aërẽ progrediendum erit, proventura ſit. Ratio convincit, nã ſic homo ad brutorum ſe abijcit ſtoliditatem, quod maximum malum eſt, & gravis inordinatio: quia præcipuũ hominis bonum, & quo à brutis diſtinguatur, eſt poſſe vti ratione. Vnde D. Baſil. hom. in Ebriet. *Qua in re, dic homo miſer, à brutis differs? nonne rationis munere, quã à Deo omnium conditore accepiſti, reliquæ creaturæ factus Dominus & imperator? hoc igitur te mentis lumine per ebrietatem privans, inter beſtias ratione carentes numerari poteris, & illis ſimilis videri.* Hæc ſanè eſt præcipua iniuria, quam ebrietas per ſe, & proximè dignitati naturæ rationalis, qua parte eſt imago Dei infert. Rursũ D. Chryſ. hom. 58. in Matth. *Quantò melior aſinus ebrioſo eſt? quanto canis præſtantior? omnes certè animantes, quæ rationis expertes ſunt, cum bibunt, aut comedũt vltra quã ſatis, etiamſi mille homines cogerent, nunquam elabuntur. Peiores igitur irrationabilibus vos eſtis, qui ebriamini.* Quod ebrioſos perpendere vult Auguſt. ſerm. 231. *Conſiderent ebrioſi, ſi non peiores animalibus iudicandi ſint: cũ enim animalia amplius, quã eis opus eſt, bibere nolint, illi & duplum, & triplum quàm eis expedit, potum accipiunt; & vnde trium vel quatuor dierũ refectionem poterant habere, vno die cum grandi peccato contendunt perdere potius, quam expendere. Et vtinam potum tantummodo perderent, & non etiam ipſi perirent.*

Iſa cap. 5.

Theſſal. 5.

1. Cor. 6.

Galat. 5.

Baſilius.

Chryſoſt.

Auguſt.

Eſt vero in hoc tantum malum, vt ſi alius quiſpiã alteri ad aliquot horas eripuiſſet poteſtatem vtendi ratione, graviſſimam, & nulla venia dignam ſibi crederet illatã iniuriam.

5. Secundò, non ſolũ officit animę, ſed etiam corpori, teſte Salomone Prov. 23. cum interrogat: *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui fovea? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, & qui ſtudent calicibus epotandis?* q. d. Quemnam omne calamitatum, & infortunarũ genus manet? non alium certè niſi ebrium. Cœterum ſi huius vocis *Væ* in Scripturis vſum conſideres, plane invenies illam fletus, gemitus, atque lachrymas ſępius innuere. Ezech. 2. de libro, qui Prophetæ devorandus traditus, ſic habes: *Scripta erant in eo lamentationes, carmen, & væ.* Et. 1. Reg. 4. *Ingemuerũt dicẽtes, væ nobis*, Hier. 34. *Væ Domine, plangent te*, & paſſim alibi: ergo ſenſus eſt, *cui væ?* ad quem lachrymæ, & gemitus pertinent niſi ad ebrium? Eſt autem illo ſcelere perquam digna hæc plaga: nam illis, qui inter calices lætitiam ſuadentes, & inſpirãtes, toties in cachinnos ſoluti rident ac geſtiunt, fletus, ac lachrymæ apte decernuntur pro meritis

Prov. 23.

Ezech. 2.

Reg. 4.

Hier. 34.

ritis

ritis; imo præsens risus futurorum gemituum sponsio est.

Deinde ebrietas facit os, oculos, nares, omniaque sensuum organa, amarissimas & fœdissimas voluptatis cloacas, ita vt ebrij non homines sed sues sint, imò suibus tetriores. S. Augustinus sermon. 231. de tempore, ebriosos ait similes esse paludibus sordidis, in quarum aquâ sordidâ serpentes, ranæ, vermesque nascuntur. Sic enim ait: *Omnes ebriosi tales sunt, quales paludes esse videntur: quod enim in paludibus nascitur, nullum fructum habere cognoscimus. nascuntur ibi serpentes, sanguisugæ: nascuntur tibi ranæ, & diversa genera vermium, quæ magis horrorem possint generare, quam aliquid ad victum exhibere. istæ enim herbæ, vel arbores, quæ aut in ipsis paludibus, aut circa ripas nasci solent, nihil vtilitatis habere videntur, in tantum vt annis singulis incendio concrementur. Videte quod ebrietate nascitur, igni præparatur.* Eandem similitudinem attingit Chrysostomus loco citato. D. Basilius homil. in ebrietatem: *Periculum, ô miser, est, ne pro homine cœnum lutumque fias: sic penitus vino deditus marcescis, ac quotidianâ crapulam haud aliter, quam vasa putida oles.* August. Basilius

6. Tertiò excitat ad mores absurdos, de quibus sic Hieronymus in cap. I. epist. ad Titum, explicans illud, *Non vinolentum: Longum est ire per singula, & insanias, quas ebrietas suggerit, explicare. Videas alios pocula in tela vertentes, scyphum in faciem iacere convivæ: alios scissis vestibus in vulnera aliena proruere, alios clamare, alios dormitare. qui plus biberit, fortior computatur: accusationis occasio est, adiuratum per Regem, frequentius non bibisse. Vomunt vt bibant, bibunt, vt vomant, digestio ventris, & guttur vno occupantur officio.* Hieronym.

Hinc gesta Romanorum symbolica, symbolicè fingunt, Noë miscuisse viti, & vino sanguinem quatuor animalium, puta simiæ, leonis, porci, & agni: quia vinum inebriat, & ebrios alios facit moriones, quasi simias; alios pugnaces, & crudeles, quasi leones; alios lubricos & fœdos quasi porcos; alios mites, blandos, & pios quasi agnos. Et hinc Doctores signa dignoscendæ ebrietatis præteritæ hæc constituunt. Primò, si commisit quæ integrâ mente nunquam solet, vt si locutus, aut fecit turpia & absurda, cum aliàs sit castus & prudens: si iuravit, blasphemavit, vxorem & familiam turbavit, cùm alias sit modestus & benignus: indicia enim hæc sunt rationem, & prudentiam fuisse consopitam, & hos insolitos motus ex vino perturbatâ imaginatione processisse.

Secundò, Si non meminerit postridie quis quid dixerit, egerit, quomodo domum venerit, aut cubitum concesserit, à quo deductus, & adiutus, cum aliàs id probè meminisse solitus sit. Vnde Anacharsis censuit optimum remedium ebrietatis esse ebriorum indecoros & fœdos mores intueri; qui tales sunt, vt S. Chrysost. hom. I. ad populum ebrietatem vocet humani generis opprobrium. Hinc quoque Lacedæmones pueris ostendebant servos temulentos, vt viderent, quam deforme sit spectaculum homo ebrius, quàmque is insanienti sit similis. Pergo mala ebritatis recensere. Chrysost.

7. Quartò igitur causat graviora mala, teste Sapiente Eccles. 19. vbi ait: *Vinum & mulieres faciunt apostatare sapientes*, seu à virtute & sapientia recedere, & ab ipso Deo. Vnde Oseas, 4. cap. dicit: *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* Quibus verbis designat originem idololatriæ, omnisque mali fuisse commessationes, & compotationes: hæc enim eripiunt mentē, & iudicium rectæ rationis, simulque libidinem inflammant, itaque hominem præcipitant in fornicationem, aliaque scelera, ac tandem in infidelitatem & idololatriam; eius enim Deus est venter. Id ita esse patet ex prima hominum post diluvium propagatione. Cum enim vinum inventum fuit à Noë, mox ipsi, & multò magis eius posteris cor ad se rapuit, & mentem eripuit, adeo vt plerique omnes ad vitia, imo ad idololatriam deflexerint. Noë enim moriens gemens, fremensque vidit pæne totum orbem, id est, omnes Eccles. 19. Oseæ 4.

suos posteros impios, & idololatras. Et hinc Salomon, quando meliora meditabatur, dicit Ecclesiastæ 2. cap. *Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animam transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiã.* Ita abstinentes Enos, Henoch, Mathusalẽ, Noë, sapientissimi fuerunt. Noë enim totius mundi fuit reparator, instructor, & gubernator. Ita Nazaræi & Rechabitæ à sapientia, æquè ac abstinentiâ commendantur. Ita Moyses, & Elias ieiunio 40. dierum sapientiam, & visionem Dei meruerunt. Ita Daniel per abstinentiam meruit celebrem illam visionem & revelationem Angeli, quæ habetur cap. 10. suæ prophetię, de qua proinde ibidem mentionem facit, antequam visionem enarrat, dicens: *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarũ diebus, panem desiderabilem non comedi: & caro, & vinum non introierunt in os meum, sed neque vnguento vnctus sum: donec complerentur trium hebdomadarum dies.* Ita Iudith, Ester, Machabæi, sapientiam illam & fortitudinem, qua Holophernem, Aman, & Antiochum prostraverunt, adepti sunt. ita Ioannes Baptista abstinentiâ quasi Angelus evasit. ita Paulus primus Eremita, Antonius, Hilarion, & tot Anachoretarum, & Monachorum examina vitam, quasi Angeli terrestres in abstinentia, contemplatione, & sapientia longævam duxerunt, vixeruntque centum & amplius annos. ita cœnobitæ olim, teste S. Hieronymo perpetuo ieiunabant, aquam bibentes, & solum panem cũ leguminibus, & oleribus manducantes. Et è contra insulsos & indociles facit ebrietas. hinc Propheta Isaias c. 28. cum reprehendisset immoderatum vini vsum, ac ebrietatem Hebræorum, quæ illos abire fecerat in varios & impios errores, rogat: *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, avulsos ab vberibus.* q. d. Deus docere solet scientiam & sapientiam eos, qui avulsi à delicijs puerilibus, à vita imperfecta, & carnali, quasi viri capaces sunt solidi cibi, id est, veræ scientiæ: hi autem Iudęi hisce delicijs vini & ebrietatis gaudent, nec supernas & solidas capiunt; ergo quasi pueri indociles sunt doctrinæ, & monitionis divinæ, ac veræ sapientiæ incapaces. Huc allusit Paulus dicens ad Hebr. 5. *Omnis enim qui lactis est particeps expers est sermonum iustitiæ.*

Eccles. 2.

Vnde mirum non est quod ebrietas tam sit ruinosa, vt quævis mala pariat, imo secretum prodat maximi momenti, nec etiam, quod Sapiens Proverb. 31. ab immoderato vini vsu Reges dehortatur, his verbis: *Noli Regibus, ô Lamuel, noli Regibus dare vinum: quia nullum secretum est, vbi regnat ebrietas,* cum tamen Regibus id sit maximè necessarium. Hac de causa Basilius Imperator Leoni filio quædam dictans capita exhortatoria, quæ habentur in 5. tomo Bibliothecæ Patrum cap. 25. de luxu, & ebrietate sic scribit: *Refuge commessationes, in quibus indulgetur poculis, ebrietas enim inimica est prudentiæ. Vbi enim mens à vino opprimitur, idem contigit Principi, quod imperitis aurigis, qui cum regere currum nesciant, se, ac suos equos huc, atque illuc circumagunt, & spectatoribus magnos risus excitant, ac deniqu e in præcipitia feruntur.* Et hinc Clemens Alexandr. lib. Pœdag. ebrios & gulosos cum Pythonibus ventriloquis comparat, nimirum cum his ex quorum ventre dœmon oracula & responsa refert. Seneca licet Ethnicus epist. 85. ad Lucilium mala ebrietatis describens, dicit: *Omne vitium ebrietas & intendit, & detegit, obstantem malis conatibus verecundiam removet. Vbi possedit animum nimia vis vini, quidquid mali latebat emergit.* Et paulò post: *Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hac acerrimas gentes, bellicosasque hostibus tradidit: hac multorum annorum pertinaci bello defensa mœnia patefecit: hac contumacissimos & iugum recusantes in alienum egit arbitrium: hac invictos acie mero domuit.* Et ibidem inquit, *Refer Alexandri Macedonis exemplum, qui Clytum carissimum sibi ac fidelissimum inter epulas transfodit, & intellecto facinore mori voluit, certe debuit,* &c.

Basil. Imp.

Clem. Alex.

&c. *Quem tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quas victâ temporum locorumque difficultate transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria, tutum dimiserunt; intemperantia bibendi, & ille Herculaneus ac fatalis scyphus condidit.* Inter alias etiam leges, quas Solon, teste Laërtio, tulit Lacedemonijs, altera sic habebat. *Princeps si deprehendatur ebrius morte mulctetur.* Item Alexand. ab Alexan. lib. 3. cap. 1. tradit apud Indos lege similiter cautum, vt *concubina, vel alia qualibet mulier, Regem temulentum occidens, hoc donaretur munere, vt successori nuberet.* Et fortè permisit Deus, vt huius vitij fœditas notaretur, & abstinentię bonum magis elucesceret, temulentos sæpe è medio tolli; Holophernes enim feminę manu iam temulentus, & ingloriè moritur. Amnon iussu fratris in convivio occiditur, Ela. 3. Reg. 16. vino obrutus servi manu regno & vitâ spoliatur, Simon Machabæus & filij in convivio confossi miserè interierunt. Appositè in hanc rem Petr. Chrysologus serm. 12. abstinentiam prædicans eiusque commoda, intēperantiam deprimit, dum sic inquit. *Ieiunium fratres, scimus esse Dei arcem, Christi castra, murum spiritus, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum. Hoc Adam servavit in paradiso, quem inde traxit gula. Hoc in arca custodivit Noë, mundum ebrietas cum demersit. Per hoc Loth Sodomiticum restinxit incendium: qui per ebrietatem incesti est adustus incendio. Hoc Moysen divini furoris fecit lumine perlucere, quando commessatio & ebrietas Israëliticum populum simulachrorum tenebravit erroribus. Hoc Eliam pervexit ad cælum: quando Achab impium ebrietas ad inferna deiecit. Hoc Ioannem in natis mulierum fecit esse maiorem, quando temulentia Herodem principem imperio mulierum reddidit homicidam*

Laërtius. Alex ab Alex.

8. Quintò facultates exhaurit: vnde Sapiens Prov. 21. *Qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.* vnde cap. 23. maximè dehortatur ab ijs iuvenes, dicens: *Noli esse in convivijs potatorum, nec in commessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt: quia vacantes potibus, & dantes symbola, consumentur, & vestietur pannis dormitatio.*

Prov. 21. Prov. 23.

9. His ita deductis quæres, an simile peccatum sit, ad huiusmodi ebrietatem iussu, aut consilio invitare, atque iuducere.

Respondeo affirmativè. huc enim spectat illud Isaiæ, *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem*, id est. Gravis vobis imminet vltio, qui solum valetis ad miscendos varios liquores, & potus inebriantes, vel potius varia vina fortia (vti & nunc aliqui solent) miscetis, quæ per se, & per commixtionem magis cerebrum feriunt, turbant, & inebriant. Et vt intelligas verbum, *miscere*, intelligi de mixtione ad inebriandum, attende Isaiam percellentem populum Iudaicum sic loqui cap. 29. his verbis: *Obstupescite & admiramini: fluctuate, & vacillate, inebriamini, & non à vino: movemini, & non ab ebrietate. Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros; prophetas & principes vestres, qui vident visiones, operiet.* id est: Ostupidi, fluctuantes, cœci, & non vino sed vesaniâ ebrij, illusores Iudæi obstupescite, quia Deus vobis miscuit, seu paravit altissimū soporem, qui quasi veternum homini oculorum, & aurium vsum, omnemque sensum adimit: qualis fuit ille immissus Adæ. ita vt non senserit sibi costam detrahi, ex qua formata est Eva, Genes. 2. & sopor immissus Ionæ cap. 1. ex quo altum nimis stertebat, & Abrahæ, Genes. 15. quo videlicet exsiccabit corda vestra; velabit & operiet vobis Prophetas, ne eos intelligatis. Sic inquam dicit: væ miscentibus ebrietatem. Nec mirum: sic enim faciendo, eum, quem vt amicum invitaveras, inimicū Dei dimittis. vnde in huiusmodi graviter invehitur D. Ambros. serm. de Elia & ieiunio, recensens pravos mores in convivijs vsurpari solitos, dicit cap. 14. *Nec vos excusamini, qui vocatis vt amicos, & emittitis vt inimicos, quantò melius in terram tua vina fudisses? quid te delectant damna sine gratia? rogas ad iucunditatem* cogis

Isa. 29. Ambros.

cogis ad mortem; invitas ad prandium, efferre vis ad sepulchrum, cibos promittis, tormenta irrogas; vina prætendis, venena suffundis. Quod clarius inculcat D. August. ser. 231. vbi primò adfert excusationem alios ad hoc inducentium, his verbis: *Sed illi, qui tales esse volunt miserabiliter se excusare conantur, dicentes: Ingratum habeo amicum meum, si quoties illum ad convivium vocavero, potum ei quantum voluerit, non dedero.* Deinde illam sic refutat: *Et non sit tibi amicus, qui te Deo vult facere inimicum, qui & tuus & suus est inimicus. si & te & alium inebriaveris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum, & ideo sapienter considera; si iustum sit, vt te à Deo separes, dum te ebrioso coniungis, Ad extremum, tu eum noli adiurare, noli cogere, sed in potestate illius dimitte, vt quantum sibi placuerit, bibat, & si sic se inebriaverit, vel solus pereat, & non ambo pereatis. O infelicitas generis humani!* Idem Doctor serm. 232. refellit excusationem, quam aliqui prætendunt ab ebrietate, eo quod persona potens ipsos coëgerit, sic aiens: *Solent ebriosi, ita se excusare, vt dicant: Persona potens coëgit me vt amplius bibam, & in convivio Regis non potui aliud facere. Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus, & quod implere nolumus, non potuisse nos dicimus. nolle in culpa est nostra, & non posse prætenditur. Etiamsi ad hoc veniretur: Aut bibas, aut morieris, melius erat vt caro tua occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur.* Insuper nota, vt peccatum est sic inducere, ita etiam cuipiam materiam inebriantem ministrare ob eandem causam.

August. *Idem.*

10. Quæres, an videns eum, quem invitavit, certo inebriandum, si vlterius illi materiã subministret, possit illi apponere, relictâ libertate bibendi quantum velit, etsi putet illum vsque ad ebrietatem bibiturum.

Respondeo id per se non licere, nemo enim debet alterius peccato cooperari: excusari tamen potest, quando sine periculo gravioris mali non potest impediri, v. g. cum subtrahendo materiam, credis inde vel homicidum, vel grave dissidium, aut odium alterius erga te nasciturum, aut alias iuxta prudentis viri arbitrium melius esse iudicas illum relinquere in libertate, quam alterius maioris mali, quam sit ebrietas, dare occasionem, ad quod nosti illum denegato vino esse propensum. Quæ dixi, dumtaxat locum habent circa eos, in quos tibi non est imperium; nam erga subditos nihil est, quod excusat.

11. Sed ad rem. Quæres quatenus ad hoc præceptum spectet. Respondeo, quia immodicè sumptũ ad luxuriã naturaliter disponit. Docet hoc Sapiẽs Prov. 20. dicens: *Luxuriosa res est vinũ.* hinc idem, postquam dehortatus esset à vino, & dixisset novissimo morsurũ vt colubrũ, & sicut regulum venena diffusurum, subiungit: *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur perversa.* id est: Cum vino immadueris inflammatâ libidine ad ea, quæ ab omni ratione aliena sunt, impetu quodam belluino æstuabis ad illicitam venerem. Hinc etiam Apostolus ad Ephes. 5. ab ebrietate dehortatur, his verbis: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* q. d. Attende, ne tantum vini sumas, vt inebrieris, quia inde naturaliter ad luxuriam disponeris: nihil enim certius, quam vino venerem nutriri. Vnde Hieronymus in cap. 1. ad Titum. *Vbicumque saturitas & ebrietas, ibi libido dominatur, specta ventrem & genitalia, qualis ordo membrorum, talis & vitiorum. Nunquam ego ebrium castum putabo, qui etsi vino consopitus dormiverit, tamen potuit peccare per vinum. Dicat quisque quod volet, ego loquor conscientiam meam. Scio mihi abstinentiam & nocuisse intermissam, & profuisse repetitam* Et epistol. ad Oceanum: *Vinolentia scurrarum est, & commessatorũ, venterque mero æstuans citò despumat in libidines.* Et Augustinus ad sacras virgines, *Ebrietas est omnium flagitiorum mater, procella corporis, naufragium castitatis.*

Prov. 20. *Prov. 23.* *Ephes. 5.* *Hieronym.* *August.*

Eius rationem penitius indicat D. Ambrosius serm. de Elia & ieiunio, sic aiens: *Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incentivum insaniæ, ebrietas venenum*

Ambros.

nentum insipientia: hæc sensus hominum mutat, & formas; per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes, siquidem naturali vapore corporis calidi, & præter naturam vini calore inflammati cohibere se non queunt, & in bestiales libidines excitantur. Vnde Basilius loc. cit. *Quid,* inquit, *pecus, per Deum immortalem ita, vt ebriosus visu, & auditu delinquit? nam vino obrutus familiarissimos suos non agnoscit, & sæpe etiam ad extraneos, tanquam ad necessarios accurrit.* &c. Et rursum ibidem: *Ipsa incontinentia apertè ex vino, velut ex quodam fonte manat; quæ brutorum omnem in feminas insaniam longè superat; siquidem bruta animantia naturæ terminos non excedunt: at hi, qui vino obruuntur, in masculo feminam, in femina rursus masculum quærunt.* — Basilius.

Confirmatur exemplis Scripturæ: inde enim Exod. 32. legitur Iudaicus populus sedisse manducare, & bibere, & surrexisse ludere. lusus autem ille impudicus fuit in honorem Vituli, quod maximè lascivum & libidinosum est animal: quapropter Rabini crassè exponunt *ludere* esse, *fornicari.* Sic enim Gentiles Romani, ac Græci in honorem Deorum suorum ludos agebant, & quidquid libuisset, ac obscœnissima quæque dicebant, & agebant. Hieremias etiam 5. cap. cum dicit iustitiam divinam non posse ad misericordiam propendêre, rationem addit: *Saturavi eos, & mæchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur, equi amatores, & emissarij facti sunt, vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat.* id est: Saturati, benè pasti, indeque lascivi facti, æstu libidinis irruunt, & hinniunt in quasvis feminas. Ezech. etiam 16. cap. fax, & occasio propinqua peccati Sodomorum dicitur superbia, saturitas panis, & abundantia. & idipsum etiam satis insinuant loca Oseæ 4. Et Ecclesi. 19. n. 7. citata. Et Apostolus Paulus ad Rom. 13. eosdem monet abijcere opera tenebrarum, induere arma lucis, ambulare sicut in die, quando homines solliciti sunt de tegenda nuditate, ac cultu & habitu corporis honesto: *non autem in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs.* Cuius rei ratio erat, quod Gentiles Baccho noctu sacra facerent per commessationes, & consequenter per effrænes libidines, teste Plutarcho & Pausania. Et hac de causa commessationes inter cœtera Gal. 5 ponuntur inter opera carnis, quæ excludunt à regno Dei; non quod commessationes id per se mereantur, sed cum in illum finem vsurpantur. — Exod. 32. Hierem. 5. Ezech. 16. Rom. 13. Galat. 5.

12. Et hæc etiam est ratio, quare Sapiens Prov. 14. nolit iuvenes interesse convivijs potatorum, neque in commessationibus eorum, qui collatis symbolis magnificas cœnas indies construunt, quod non solum scortatio ex ebrietate sequatur plerumque, sed etiam paupertas in verbis: *Quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio.* Versio huius loci per septuaginta Interpretes rem clarius insinuat, ita enim habet: *Omnis enim ebrius & scortator mendicabit, & induetur disruptis, lacerisque omnis somnolentus:* ita vt ebrietas, & commessatio bibaces & helluones non modo socordes, & desides, sed etiam libidinosos, & scortatores reddat ac pauperes. Ex quo eruditè in hunc locum Clem. Alexand. *Omnis enim ebriosus, & fornicator mendicabit, & induetur laceris & pannosis omnis somnolentus; Somnolentus enim est, quisquis ad sapientiam non vigilat, sed ab ebrietate in somnum demergitur. Et laceris,* inquit, *induetur debacchator, & per ebrietatem pudore afficietur propter eos, qui aspiciunt.* Exemplum est Luc. 15. vbi propterea filium illum degenerem, ac prodigum, qui acceptam à patre hæreditatem profuderat vivendo luxuriosè, cum primum ad parentis oculos venit, iubet pater pannosa deponere (eo enim redegerat illum luxus, & libido) & honeste induere: *Cito,* inquit, *proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius.* Et hinc D. Hieronymus ridet aliquem sine parsimonia volentem esse castum. Sic enim scribit epist. ad Furiam: — Prov. 14. Clem. Alex. Luc. 15. Hieronym.

Quid

Quid necesse est nos iactare pudicitiam, quæ sine comitibus, & appendicijs suis, continentiâ, & parcitate, fidem sui facere non potest? Apostolus macerat corpus suum, & animæ subijcit imperio, ne, quod alijs præcipit, ipse non servet: & adolescentula fervente cibis corpore de castitate secura est? Neque vero hæc dicens condemno cibos, quos Deus creavit ad vtendum cum gratiarum actione, sed iuvenibus & puellis incentiva aufero voluptatum, non Aethnæi ignes, non Vulcania tellus, non Vesenus, & Olympus tantis ardoribus æstuat, vt iuveniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ. Avaritia calcatur à plerisque, & cum marsupio deponitur. Maledicam linguam indictum emendat silentium. Cultus corporis & habitus vestium, vnius horæ spatio commutatur. Omnia alia peccata extrinsecus sunt, & quod foris est, facile abijcitur. Sola libido insita à Deo ob liberorũ procreationem, si fines suos egressa fuerit, redundat in vitium, & quadam lege naturæ in coitum gestit erumpere. Et de iuvenibus, & viris, & mulieribus eodẽ loco subtexuit. *Aiunt medici, & qui humanorum scripsere naturas, præcipueque Galenus in libris quorum titulus περὶ ὑγιεινῶν, puerorum & iuvenum, ac perfectæ ætatis virorum, mulierumque corpora insito calore fervere, & noxios esse cibos illis ætatibus, qui calorem augeant, sanitatique conducere frigida quæque in esu & potu sumere: sicut è contrario senibus, qui pituitâ laborant, & frigore calidos cibos, & vetera vina prodesse. Vnde & Salvator, Attendite, inquit, vobis, ne forte graventur corda vestra crapulâ, & ebrietate, & curis huius vitæ. Et Apostolus: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Nec mirum hoc figulum sensisse de vasculo, quod ipse fabricatus est; cum etiam comicus, cuius finis est humanos mores nosse, atque describere dixerit: Sine Cerere & Libero friget Venus.* Idem Auctor epist. 22. ad Eustochium: *Si quid in me potest esse consilij; si experto creditur; hoc primum moneo, hoc obtestor, vt sponsa Christi vinum fugiat pro veneno. hæc adversus adolescentiam prima arma sunt dæmonum. Non sic avaritia quatit, inflat superbia, delectat ambitio. facilè alijs caremus vitijs: hic hostis nobis inclusus est. Quocumque pergimus, nobiscum portamus inimicum, vinum, & adolescentia duplex est incendium voluptatis. Quid oleum flammæ adijcimus? quid ardenti corpusculo fomenta ignium subministramus?*

Luc. 21

Ephes. 5.

Teren. in Eunucho

Horribile testimonium huius rei refert August. serm. 33. ad fratres in Eremo, ob quod audiendum convocavit populum, cui nimiam indulgentiam patris erga filium, & mala inde exorta proposuit. Quæ eius verbis libet recensere: *Ecce,* inquit, *Cyrillus vester, (scilicet civis Hypponensis) filium habebat, vt scitis, quem corrigere negligebat, & luxuriose vivendo consumpsit partem bonorum suorum, sed ecce hodie ebrietatem perpessus matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, & duas sorores vulneravit ad mortem. O magna diaboli dominatio! patrem, quem post Deum revereri debebat, occidit, matrem à qua portabatur prægnantem oppressit, sorores quas tenerrimè diligere debebat, voluit violare, & duas vulneravit ad mortem. O dolorosa ebrietas omnium malorum mater! omnis luxuriæ soror, omnis superbiæ pater! O ebrietas tu mentem cæcas, iudicio recto cares, consilium nullum habes, blandus dæmon es, venenum dulce es, peccatum suave es.* August.

13. Porro non solum adolescentibus & iuvenculis vinum propterea vetari, sed etiam viris, revincunt loca Scripturæ n. 11. citata. Imo Tertullianus satis insinuat mulieribus ea de causa abstinentiam à vino fuisse necessariam, cum asserit vino vtentes morte fuisse punitas. Sic enim scribit Apolog. cap. 7. *Cum mulieres vsque adeo vino abstinerentur: vt matronam ob resignatos cellæ vinariæ loculos sui inedia necarint. Sub Romulo vero quæ vinum attigerat, impune à Macenio marito trucidata est. Idcirco & oscula propinquis offerre necessitas erat, vt spiritu indicarentur.* Deinde invehitur in depravatos gentilium mores dicens: *Vbi est illa felicitas matrimoniorum de moribus, vtique prosperata, quæ per annos fere sexcentos ab Vrbe cõdita nulla repudium domus scripsit? At nunc in feminis præ auro nullum leve est membrum, præ vino nullum liberum est osculum; repudium vero iam & votum est, quasi matrimonij fructus.* In quæ verba Tertull.

Pamelius

Pamelius: *Quæ enim lex magis est necessaria in ciuitatibus, quam quæ luxuriam comprimit, qualis Licinia, quæ Cētussis etiam dicebatur, quod in cænam centum tantum asses subscribi iubebat. qualis etiam Censoria, quæ nobilissimo cuique Senatori libras decem argenti in supellectili habere non concedebat; quod si à Censoribus ea summa deprehenderetur, è Senatorum albo eradebatur. Quin (vt Plutarchus retulit) Cornelius Ruffinus vir consularis, quia cauati æris plus decem libras contra legem possidebat, senatu motus est à Censoribus, qui cum mores illegitimos ciuitatis taxarent, tum lasciuiā theatralem ex lege maximā curā comprimebāt, non ignari quantum moribus ciuium obesset publica illa spectaculorum immodesti a licentia.* Insinuans abundantiam ad ebrietatem, & luxuriam viam struere.

Chrys. Et ebrietatem in femina fœdam esse turpitudinem docet Chrysostomus in Matth. homil. 16. & hom. 71. ad populum: *Quid enim*, inquit *turpius ebria muliere: quanto namque vas est imbecillius, tanto maius est naufragium.*

Hieronym. Et Hieronym. in Regula Sanctimonial. ad Eustochium cap. 36. ebrietatem in femina sacrilegium appellat. Quæ causa est cur multis locis feminis vini vsus sit interdictus. Præter Tertullianum docet apud Romanos hoc severè cautum Valer. Maximus lib. 2. cap. 1. Plinius lib. 14. cap. 13. Optimè vero Aul. Gellius lib. 10. cap. 23. vbi docet non levius in femina temulentiam, aut vini vsum, quam adulterium puniri. De viduis patet 1. ad Timoth. 5. vbi dicit: *Quæ autem* (supple vidua) *in delitijs est, viuens mortua est.* In quæ verba Chrysostom. *Quid oro hoc sibi vult, etiamne mulier vidua delitijs arcenda est? & nimium quidem necessario.* Exemplum admirabile de nutrice ebrietati addicta in medium affert Hieronym. epistol. 132 ad Vitalem; quod vide Discursu 16. in quartum Præceptum n. 9.

Valer. Maxim. Plin. A. Gell. 1. Tim. 5. Chrysost. Hieronym.

14. Quapropter si potum quis sumat in finem malum, nempe luxuriandi, evidentius mortaliter peccat. Secundò, si ex nimio potu probabiliter hoc timeat, veluti sciens tunc se esse in luxuriam procliviorem, simile peccatum committit. Tertiò, si aliàs expertus erat in simili dispositione tale quid à se commissum, quantumvis non habeat propositum, imputabitur illi ad culpam. Nam de eo dubitans tenetur sibi adhibere custodem, vel aliam cautionem.

15. Verùm meritò quæres, An semper sit peccatum mortale, dum quis per ebrietatem in luxuriam incidit? Ratio dubitandi oritur ex eo, quod filiæ Loth, ipsum inebriarint, & de luxuria nihil penitus cogitantem, ad incestum impulerint.

Respondeo ea, quæ homines in ebrietate committunt non esse peccatum, si ebrietas non fuerit voluntaria, aut malum inde secuturum non poterat prævideri. Talis fuit nuditas Noë, quæ ex ebrietate inculpata processit, nam ignorabat vini efficacitatem. Incestum autem Loth videntur D D. tantum venialem existimare, eo quod plane consternatus, & ob coniugis, bonorumque amissionem tristissimus erat, & exinde paulo largius biberat ad leniendam mæstitiam; non tamen ita vt putaret se temulentum fore. sed vinum ipsi forte insuetum, aut solito potentius, mox cerebrum labore & mœrere debilitatum occupavit, & oppressit; tristes enim illico capiuntur vino. Et quod sensus in eo fuerit confusus, sopitus, & perturbatus, qualis esse solet in dormientibus, maxime semisopitis, & semivigilantibus. Nihilominus Ambrosius ad instructionem aliorum eius exemplum existimat in Scripturis commemorari, inquiens: *Multi se fortes putant, num fortiores quam Loth? num continentiores, quam Noë? Non vtique vitia Patriarcharum Scriptura exposuit, quos victos vino legimus, sed vt tu disceres, quid caveres. Ille nudus iacuit, iste filiarum errori patuit; & Noë iustus deceptus est, quia vini vis adhuc ignorabatur: sed in illo instructus es, ne tu ignorares. Loth filiabus se credidit, & per senectutem madidam vino solutus commisit incestum ignarus. tu sic bibe ne capiaris. Instruant nos* Ambros.

Patri-

Patriarcha non solum docentes, sed etiam errantes. Ideo iteratum exemplum ebrietatis, vt confirmaretur magisterium cautionis. Sic Ambrosius. Vide Discurs. 1. in quintum præceptum n. 10,

16. His discussis, quæ ad hoc præceptum pertinent, libet inquirere, quandoquidem in genere sub initium de ebrietate egi, an nunquam ebrietas excusetur à mortali.

Respondeo affirmativè; idque in duobus casibus. Primus est quando quis ex præscripto medicorum excedit in potu, etiam vsque ad interceptum vsum rationis, vt si in subito pestis terrore, alijs remedijs æque commodis non suppetentibus, magnus haustus vini generosi sumatur, vel adversus venenum frigidum (vt opium, solanum, cicutam, hyoscyamum; aut contra cantharides magna vini copia bibenda, ex qua rationis vsus sit impediendus, præscribitur. non enim est excessus respectu talis subiecti; & ad talem finem: neq; causa delectationis gustus, vel tactus, palati, vel œsophagi sumitur: Vnde non repugnat temperantiæ, quæ circa tales delectationes versatur.

Secundus casus est, quando quis coactus ab altero se periculo ebrietatis exponit vitæ salvandæ causâ. Quibusdam enim in locis dicuntur esse adeo barbari, vt nisi æquali cyatho respondeas, provocent ad duellum, vel invadant gladio. Tum enim licet, modo scandalum absit, & coactio non tendat in contemptum virtutis temperantiæ à Christianis servandæ. Et ratio est, quod hæc privatio vsus non fiat ex voluptate, quodque vt ad redimendã vitam à tyranno fas est sibi ipsi manũ vel pedem amputare; ita non minus licitum sit rationis vsum ad breve tempus sibi adimere ex causa prædicta.

17. Verum dices: modo dixisti ex D. Augustini serm. 232. etiamsi moriendum esset, melius tali casu mortem perpetiendam. Respondet ad hoc Lessius, nempe illud *esse intelligendum, quando quis cogit bibere in contemptum virtutis, vt sobritatem, & modestiam sugillet &c. Vel certè quando is, qui initio coactus bibit, postea causa delectationis sponte pergit in potando, vt sæpe fieri solet: vel quando facile potest se subducere, vt ad ebrietatem non perveniat: talis enim si inebrietur, non potest excusari.* Lessius.

DISCVR-

DISCVRSVS PRIMVS IN SEPTIMVM PRÆCEPTVM.

Non Furtum facies,

De furto simplici.



Obias inter alia monita, quæ filio dedit dixit: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Hoc ipsum etiam pręcepto cavit Deus per Moysem dicens: *Non furtum facies.* Vt enim inhibuit noxam corporis, & alterius vxorem tangere, sic etiam pręcepit bona fortunę, quibus homo vitam sustētat intacta relinquere. Furtum autē tripliciter dividitur in furtum simplex, rapinam, & sacrilegium. De quibus ordine dicturus, inquiram quid sit furtum simplex, an, & quale peccatum.

1. Furtum itaque simplex describitur, ***Contrectatio rei alienæ occulta Domino rationabiliter invito.*** De furto vero dubitare aliquis posset, num esset peccatum, quod apud gentes quasdam teste Gellio lib. 11. cap. 18. furta prorsus fuerint impunita, nimirum apud Ægyptios, nec non Lacedæmonios, his existimantibus furandi solertiâ, & assuetudine acui excitarique animos adolescentium, reddiq; ad disciplinam bellicam, cœteraque negotia aptiores. Deinde quod Iustinianus olim furta leviter punierit.

2. Verum dico resolutè furta sub peccato esse prohibita; & quod illa non puniantur apud quasdam Gentes, nihil efficere. nam mala non sunt, quia prohibita, sed naturâ suâ. hinc enim in Decalogo prohibentur, qui leges naturales continet. Id manifestius evadit exemplo eorum, qui sub lege naturali viventes furtum notabile, gravissimum crimen censuerunt. Iacob enim Genes. 31. cum avunculus Laban eum clam fugientem cum totâ familiâ insequeretur, eique imponeret furtum idolorum suorum, sic aiens: ***Esto, ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi domus patris tui, cur furatus es Deos meos?*** consensit in publicum supplicium istius, qui reus deprehenderetur. Sic enim respondit Iacob, ***Quod inscio te profectus sum, timui ne violenter auferres filias tuas. Quod autem furti me arguis: apud quemcumque inveneris Deos tuos, necetur coram fratribus suis. Scrutore, quidquid tuorum apud me inveneris aufer.*** Deinde Genes. 44. cum Dispensator Ioseph scyphum argenteum ex causa posuerat in ore sacci Beniamin, ex mādato

Gen. 31. Gen. 44.

dato eiusdẽ Iosephi fratres insequẽs, sic eos affatus est. *Quare reddidistis malum pro bono? scyphum quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus &c. pessimam rem fecistis*: tum illi sese excusantes noxium parati subire supplicium, si tale quid commisissent, his verbis: *Quare sic loquitur Dominus noster, vt servi tantum flagitij commiserint? Pecuniam quam invenimus in summitate saccorum, reportavimus ad te de terra Chanaan: & quomodo consequens est, vt furati simus de domo domini tui aurum vel argentum? Apud quemcumque fuerit inventum servorum tuorum, quod quaeris, moriatur, & nos erimus servi domini nostri.*

3. Secundò prohibetur lege Mosaica, dum Lev. 19. dicitur: *Non decipiet vnusquisque proximum suum.* Et rursum v. 35. vbi dicitur: *Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura.* Et iterum. *Statera iusta, & aequa sint pondera; iustus modius, aequusque sextarius.* Et Lev. 24. vbi secundũ ius naturale, simpli restitutio praescribitur in verbis: *Qui percusserit animal, reddet vicarium, id est, animam pro anima*, seu animal vivum vice animalis à se occisi. Exod. vero 22. per legem iudicialem populum Iudaicum solum concernentem praescribitur restitutio quadrupli, & quintupli respectu ovis & bovis. Sic enim ibidem habetur: *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit, aut vendiderit, quinque boves pro vno restituet, & quatuor oves pro vna ove.* Et hinc Propheta David, cum Nathan peccatum eius proprium in alieno exprimeret inductâ parabolâ hominis, qui, vt suis parceret, vnicã pauperculi cuiusdam ovem occiderat, vt peregrino cuidam convivium extrueret, eiusque censurã expectabat, hinc inquam, David respondit: *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc: Ovem reddet in quadruplum, eo quod fecerit verbũ istud, & non pepercerit.* Sic adumbrabat Propheta Nathan eius adulterium, cum Bethsabee, quam ovem vocat de sinu, seu legitimo Vriae thalamo adductã, cum ipse plures haberet. Hęc autem poena subeunda erat, quando occiderat, aut vendiderat quis animalia, vt indicant verba Textus. Si vero vivens bos aut ovis, aut asinus apud eum inventus fuisset, dupli erat mulcta, ibidem v. 4. Vnde colligitur furtum rei notabilis magni fuisse aestimatum. Et ex hoc credo Tobiam virum timoratum tantopere furtum exhorruisse, vt vxori dixerit, postquam detulisset hoedum domum, vocemque eius balantis audierat: *Videte ne forte furtivus sit: reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.*

Levit. 19. *Exod. 22.* *2. Reg. 12.* *Ibidem.*

4. In lege vero Evangelica id strictè prohibitum esse clarum est ex lege Decalogi, quae naturalis est, & omnes concernit. Et confirmatur, quia Dominus Mar. 10. interrogatus à quodã genu flexo quid faceret, vt vitam aeternam perciperet, respondit: *Praecepta nosti; ne adulteres, ne occidas, ne fureris &c. ne fraudẽ feceris*: tum etiam quia Apostolus Corinthianis edixit furtũ excludere à regno Dei, in verbis: *Nolite errare, neque fornicarij, &c. neque fures &c. regnum Dei possidebunt*; ac proinde Ephesian. monuit ab eo abstinere, dum ait: *Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, vt habeat, vnde tribuat necessitatem patienti.*

Marc. 10. *1. Cor. 6.* *Ephes. 4.*

5. His positis quaeritur, quãdo furtum mortalem culpam constituat, nam constat in multis peccatis parvitatẽ materiae à mortali excusare.

Respondeo mortalem culpam generaliter dignosci, quando dicitur res aliqua exosa, aut abominabilis coram Deo, vt Deuter. 22. vbi ex lege iudiciali *abominabilis apud Deum*, decernitur mulier vtens veste virili, & vir vtens veste muliebri. Prov. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Eccles. 11. *Odibilis coram Deo est, & hominibus superbia, & execrabilis omnis iniquitas Gentiũ*, quae scilicet Dei timore destituta aliena rapit, quęcũque fortitudine suâ obtinere valet. Secũdò. quando Scriptura aliquid dignum morte dicit, aut mortem mereri, vt Rom. 1. Levit. 24. & alibi. Caeterũ ex alijs rationibus latius deductis Discurs. 2. in Praecepta n. 6. vsq; 11. Quarũ illa hic congruit, quę n. 9. habetur, nempe

Deut. 22. *Prov. 11.* *Eccles. 11.* *Rom. 1.* *Levit. 24.*

nempe furtum iudicandum esse veniale, vel mortale iuxta arbitrium viri gravis, docti, & timorati, quia aliter [illegible]erni non potest. Furti autē gravitas pensanda est, tum ex damno iniustè illato, tum vero ex voluntate domini inique ferentis rē suā ibi auferri: siquidem furtum aliud non est, quā ablatio rei alienę, domino eius rationabiliter invito. Certū autem est, ob eandem pecuniæ quantitatē furto ablatam, maius damnum accipere, & meritò plus angi atque dolere pauperem, quam mediocriter divitem; & plus hunc, quam valde divitem.

6. Ad huius quæsiti clariorem intelligentiā constituo triplicē hominum statum, primò divitū & magnatum; secundò mediocrū; tertiò pauperū, qui suis laboribus victitant. Et dico respectu primi status, notabilē censeri quantitatē, adeoque constituentem mortalem culpam, summā sex aut septem florenorū. Ratio est, quod sit communis hominum persuasio, valorē duos aureos excedentem, non esse modicum. quod etiam Labeo agnovit apud Vlpian. Iureconf. in l. si quis affirmavit, & seqq. ff. de dolo. Adeoque, vt vix aliquis etiā potentissimus reperiatur, qui spectatis omnibus impendiorum oneribus, tantæ pecuniæ iacturam non graviter ferre censendus sit: cum ad stipendiū famuli pro bimestri, aut militis pro mense sufficiat. Respectu vero mediocrum, seu mercatorum, & civium communium valorem trium florenorum. Respectu autem tertij status, trium aut quatuor regalium. Ratio vtriusq; est, quod talis quantitas sufficiat ad commodum victum vnius diei, seu etiā ad mercedē diurnam: quodque quantitas, quæ in vnū diem sufficit ad victum eius hominis, cui fit iniuria, à viris prudentibus censeatur notabilis.

6. Quæres iterum: An furtū nunquam in re modica mortalem culpā contineat? Respondeo affirmative; idque in diversis casibus. Primus est, quando ex ablatione rei modicæ grave damnum, vel iactura lucri cessantis oritur, veluti cum quis à sartore acum furatur, à sutore subulam, à scriptore calamum, quem scit aliud instrumentum ad opera sua præstanda vnius diei spatio acquirere non posse. Ratio est, quod modicū illud accipiendo, victum vnius diei illi auferat: sicut enim Domini testimonio Marc. 12. vidua quæ duo minuta in gazophylacium misit, plus omnibus *Marc. 12.* dedit, quando totum victum suū dedit. Sic similia instrumenta auferens non modicū, sed totum victū aufert,

Secundus casus est, cum aliquis transiens cum multis per vineam, & paucos racemos accipiendo causa fit, vt alij exemplum eius secuti, ingens damnum inferant. Hinc num. 5. lex *Num. 5.* partim naturalis, partim iudicialis erat: *Vir sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere*, seu cum fecerint aliquam iniuriam proximo, in quale peccatum labi solent homines; *confitebuntur peccatum suum, & reddent ipsum caput, quintamque partem desuper ei, in quem peccaverint*. Et Exod. 22. *Si læserit quispiā agrum, vel vineam, & dimiserit iumentum suum, vt depascatur aliena, quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni restitutione restituet*. vbi additur: *Si egressus ignis invenerit spicas, & comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum, qui ignem succenderit.* Cuius loci sensus est: Si quis iuxta spinas, quæ segetē, aut linū, aut canabē, aut arbores, aut alia, quæcumque sepiebant, ignē struxerit & ex negligentia igni à se excitato malè advigilaverit, ita vt ipsam segetem, linum, aliavè corripuerit, tenebitur de damno. Hæc vero lex quāvis inter iudiciales constituta, naturalis tamen est, adeoque omnes concernit. vnde etiam in Iure alij sunt tituli de furtis, alij de iniurijs, alij de damno dato. Tertiò, modicum facit peccatum mortale, quando eo turbatur Respublica; v.g. quando propterea aliquis effringit domum. vnde videmus aliquibus in locis non solum tertium furtum notabile iuxta legem Carolinam morte puniri: sed etiam modicum, [illegible]ut forte nullum;

lum; modò animo furandi quis modicum effregerit, vt aliquid argillæ disrumpens, quò pessulum possit retrahere. Et hoc iuri civili conforme est, nempe l. *Aut facta.* ff. *de pœnis*, vbi Claudius Saturninus in criminibus puniendis septem consideranda esse admonet, quæ sunt: *causa, persona, locus, tempus, qualitas, quantitas, eventus.* & in fine ait: *Evenit, vt eadem scelera, in quibusdam provincijs gravius plectantur, vt in Africa messium incensores, in Mysia vitium; vbi metalla sunt, adulteratores monetæ. Evenit quoque vt aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur, quoties nimirum multis personis grassantibus exemplo opus est.* Quin etiam iuri divino, quod altiori respectu rem modicam solet gravius punire; vt patet Genes. 2. in Adamo, Numer. 15. in colligente ligna in sabbatho; in Davide numerante populum 2. Regum 24.

Claudius *Genes. 2.* *Numer. 15* *2. Reg. 24.*

Rursum modicum furtum culpam facit mortalem propter animũ furandi repetitis vicibus quantitatem notabilis pretij, etiamsi nihil effringatur. Probatur ex illo Deuter. 25. vbi Dominus dicit: *Non habebis in sacculo diversa pondera, maius & minus &c. abominatur enim Deus eum qui facit hoc.* Et Prov. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Experientia enim docet id fieri minutis furtis. Et Scriptura per verbum *abominationis*, insinuat esse mortale. Et sic intelligendum est quod dicit D. Hieronymus in epist. ad Titum: *Fur autem non solum in maioribus, sed in minoribus etiam iudicatur. non enim* (in foro conscientiæ) *id quod furto oblatum est; sed mens furantis attenditur.* Quod refertur 14. q. 5. c. final. Quod amplius est, si quis non intendat minutis furtis surripere quantitatẽ notabilem, quia contingit tamẽ paulatim ascendere illũ ad eiusmodi quantitatẽ, efficit peccatum mortale, ex plurimorum Doctorum sententi i, v. g. si quis à mercatore non divite per duos menses quotidie furetur assem, vltimo die notabile ei damnum infert, adeoque mortaliter peccat.

Deuter. 25. *Prov. 11.* *Hieronym.*

7. Porro singulariter notandum est, furtum non solum noxium esse animæ sed etiã corpori, fortunęque bonis, quod manifestum evadit ex c. 5. Zachariæ, vbi vidit visionem admirabilem, quæ meritò quemvis percellere debet; de qua dicit: *Et conversus sum, & levavi oculos meos, & vidi: & ecce volumen volans.* id est, excitante me Angelo vt novam visionem ab eo oblatam aspicerem, & exciperem oculis phantasiæ & mentis, eò me direxi: & interrogatus ab Angelo quid viderem, respondi me videre volumen, sive pellẽ per aera volantem, longam viginti cubitis, & latam decem, vti exprimunt verba v. 2. Erat autem liber ille non compactus ex multis paginis, qualis cõmuniter hoc tempore, sed vel multæ chartæ adglutinatæ in longitudinẽ, quæ instar telæ cuiusdam circa bacillũ circumvolvuntur, vel pellis oblonga, cuiusmodi nunc vsus est apud Chinas, & Iaponios frequens. Cœterum dixit illi Angelus: *Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ; quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur: &c. Educam illud dicit Dominus exercituum: & veniet ad domum furis &c. & commorabitur in medio domus eius, & consumet eam, & ligna eius, & lapides eius.* id est: Edoctus est ab Angelo contineri in eo maledictionẽ, id est divinę severitatis supplicia, seu potius fulmina, quæ in vniversam terrã invehuntur, in eos præsertim, qui furaces habẽt manus. Liber enim huiusmodi qualis hîc visus, & qualem etiã vidit Ezechiel cap. 2. in quo scriptæ erant *lamentationes, carmen, & va*, significat Dei mentem, voluntatem, & decretum, in quo, quasi in libro descripsit pœnas cuique peccato, & peccatori debitas, v. g. quali & quantâ sit puniendus fur. Rursũ edoctus est ab Angelo, quod volumen istud oneratum nimis, celerẽ furibus indicet vindictã, quodq; irruet in eorũ dominia, qui aliena rapiunt, nec cito egressura sit ex ea domo, quã furta contaminaverũt; sed sic in illa, & tamdiu debacchabitur, vt nihil reliquũ faciat à vastitate, non ligna, non lapides, non denique prioris status nuda vestigia.

Zach. 5. *Ezech. 2.*

8. Hic

8. Hic nonnihil sistite Auditores & penitus masticate hæc verba. volumen enim volans dicitur, eo quod supplicium semper immineat capiti sceleratorum, semperque in aëre pendeat, Dei tantum præstolans annutum, vt sibi peccatores timeant, & caveant flagellum acerrimi vindicis: sicut Ieremias cap. 1. v. 11. vidit virgam vigilantem, seu baculum populo imminentem, quo Deus eum erat percussurus per Chaldæos. Vindicta ergo Dei volat, & involat in peccatores: perinde ac aquilæ, milvi, accipitres volant per aërem quærentes prædam, eaque visâ rapacissimè & rapidissimè in illam involant: perinde ac scintillæ ignis volant in horrea plena stipulâ, eaque in momento absumunt: perinde ac volant fulmina, fulgura, & sagittæ cœlestes in turres, domos, & arbores, easque subitò afflant & incinerant. Secundò, mensurâ longitudinis ac latitudinis notari in vniversam Iudæã (in quam, vtpote vbique rapinis, & pauperum oppressionibus contaminatã, volabat hoc pœnarũ volumen) duplo & amplius longiorem, quam latam, hæc maledicta grassatura. Tertiò per maledictionem exaggerationem insinuari divinæ vindictæ, quæ sic grassatur in sceleratorum domibus, sicut ignis in arida materia, vbi totum comburitur.

Ierem. 1.

9. Accommodat vero se divinus Spiritus hominum consuetudini, qui in magnis criminibus, præsertim vbi læsa maiestas est; ita domos sternunt complanantque solo, vt ex eis nihil sit reliquum præter scelerum monumenta. Eo consilio domus impiorũ à Domino conversæ sunt, & quasi seminatæ sale, vt patet in Pentapoli, in qua durat adhuc divina maledictio, à qua sterilis est, & infelicis soli regio olim vber, & amœna sicut Paradisus Dei. Delevit Dominus propter peccata, & inductâ aquâ, quasi insperso sale sterilitatem induxit, plurimum certè ademit vbertatis antiquæ, Abulens. in cap. 9. Iud. q. 45. & Ps. 106. *Posuit terram frugiferam in salsuginem à malitia habitantium in ea.* Et eodem consilio secutus illorum temporum consuetudinem Abimelech Iud. 9. vrbem Sichimorum, quæ regium iugum excusserat, non solum delevit, sed etiam seminavit sale. Quod fieri in criminibus læsæ maiestatis docuit ibid. Abulens. Et vt propius accedamus, domum suam Deus, id est, quam suo nomini & cultui consecrarat, propter peccata hominum evertit; &, vt ita dicam, seminavit sale. De Silo constat Ierem. 7. *Spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum. Ite ad domum meam in Silo, vbi habitavit nomen meum à principio, & videte quid fecerim ei propter malitiam populi mei Israël.* Templum à Salomone constructum, vt eversum fuerit, redactumque in sylvam, & vt Thren. cap. 5. dicatur factum vulpium latibulum, satis constat. (Fuit enim ibi per multos annos commorata Domini maledictio, Thren. 2. *Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ, tradidit in manus inimici muros turrium eius.* Et rursus cap. 4. *Succendit ignem in Sion, & devoravit fundamenta eius.* Et hoc ipsum templum, de quo Zacharias, in cuius fabricam tantopere omnium penè Iudæorũ sedulitas incubuit, sic est deletum, vt, quod Christus prædixit, Matth. 24. non sit relictus lapis super lapidem, adeo seminatis, vt ita dicam, fundamentis sale, vt, cũ sæpe improborum impietas templũ eo situ tentaverit erigere, nihil tamẽ promoverit, quia in imis etiam fundamẽtis hærebat divina maledictio.

Abulens. Psal. 106. Iud. 9. Abulens. Ierem. 7. Thren. 5. Thren. 4. Matt. 24.

Adeoque concordat hic liber cũ illo Ioannis Apocalyp. 10. qui devoratus fecit amaricari ventrem ipsius, id est, indolere, & ingemiscere Ioannem, quando cœpit ruminare calamitates ac multitudinem reproborum, fortè etiam lapsus & casus multorum Sanctorum in persecutione Antichristi, quæ illo libro & revelatione continebantur: quod dicit his verbis: *Accepi librum de manu Angeli, & devoravi illum: & erat in ore meo tanquam mel dulce: & cum devorassem eum, amaricatus est venter meus.* q. d. Revelatio & præ-

Apoc. 10.

notio futurorum sub Antichristo, quam accepi à Christo per Angelum, in ore, id est primâ facie, & primo gustu erat mihi dulcis, mentemque pascebat, & delectabat, quia erat mira, nova, arcana, & divina cognitio, & prophetia, sed vbi cœpi discutere pœnas reproborum, ingens me quoque cepit dolor.

10. Sed dices: Credo quidem hoc grave peccatum esse, si quis notabile quid surripiat iusto; sed à quibus accipio divites sũt, qui bona sibi à Deo concessa intemperanter dilapidant, abliguriunt, & in peccatis consumunt.

Respondeò hoc nihil referre, nec quidquam excusare; quandoquidem peccatum non auferat rerum dominium, quas Deus voluit iustis, & iniustis esse communes: vnde solius Dei est bona temporalia alicui adimere ob peccatum, aut eius nomine Iudici ob delictum. Ad prius spectat illud Eccl. 10. *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diversos dolos*, nempe à Deo. Et illud Oseæ. 2. cap. *Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal. Idcirco convertar, & sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius.* id est: Hæc verò adultera (quo nomine populum Iudaicum describit idola colentem) cum ad idolorum cultum, quidquid bonorum habuit, tam effusè contulerit, ignoravit planè, aut ignorasse censeri potuit, accepisse se à liberali manu, frumentum, vinum, oleum, vim auri atque argenti magnam: quę omnia in cultum atque obsequium impẽderat Baal. Quapropter vt iam tandem intelligat, in quẽ vsum hæc omnia conferri debeant: resumam frumentum meum, ac vinum meum, cum eorum vsus maximè necessarius advenerit, & linum, ac lanam, quibus suam nuditatem atque ignominiam tegebat, quasi ab alieno possessore, cui iniustè serviebant, liberabo.

Eccles. 10.

Oseæ 2.

Ad posterius spectant leges Civiles, & Canonicæ, quæ tum ob crimen læsę maiestatis, tum ob alia, possessores bonis iustè privant.

11. Dices denique, non ita esse iudicandum de crimine furti, quod passim illud committatur, & fere consuetudo obtinuerit, plurimos hac ratione statum fovere. Respondeo hanc non esse consuetudinem, sed esse corruptelam; insuper consuetudinem in ijs, quæ naturâ suâ mala sunt, non alleviare, sed aggravare crimen, adeoque accelerare & provocare subitò vindictam divinam, vt constat Oseę 4. vbi Deus per Prophetam recenset varia crimina, inter quæ est furtum; ob quæ gravis sit Deo disceptatio cum habitatoribus istius terræ, & causa cur non amplius iudicium suum suspendat, aut temperet gravitatem ac severitatẽ, in verbis: *Audite verbum Domini filij Israël, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ. Maledictum &c. inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit.* id est, Addunt peccata peccatis, scelera sceleribus accumulant. Audi S. Gregorium homil. 11. in Ezech. *Sanguis sanguinem tangit, quando peccatum peccato additur, vt ante Dei oculos adiunctis iniquitatibus anima cruentetur. Paulus Apostolus ait: vt impleant peccata sua semper, Ioanni quoque per Angelum dicitur: Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Vocat autem peccatum sanguinem, quia occidit animam, eiusque quasi sanguinem, & vitam effundit. Ideoque subiungit Propheta v. 3. quid subsequetur: *Propter hoc, inquit, lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cæli: sed & pisces maris congregabuntur.* id est: vastata luctum incolis inducet, & omnis inhabitator fame conficietur, tabescet, & morietur. Idque illo modo, vt non solum homines, sed etiam volucres, & pecora deficiant, atq; ad pisces quoque maris Tiberiadis sese extendat, in quo ipsi aut corruptis, aut deficientibus aquis extinguentur. Notabile documentum ijs, quibus dum honorarium dumtaxat

Oseæ 4.

Gregorius.

Oseæ 3. 4.

taxat annuum est quadringentorum plus minus florenorum, ex furto statum ita magnificant, vt præter necessaria ad decentiam status, vxores mundo muliebri exornent, rheda vehantur, aliaque exerceant, quæ pios gravissimè scandalizant.

Discursus II.

An ob aliquam necessitatem liceat occultè contrectare rem alienam? aut propriam apud aliam existentem?

Tob. 2.



TObias cap. 2. audiens vocem balantis hædi verebatur ne ex furto vxor eum aquisivisset; hinc illi dicebat: ***Videte, ne fortè furtivus sit &c. quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.*** evidens signum viros pios magnopere furtum exhorruisse; vnde examinabo, quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam, notandum est triplicem esse necessitatem extremam videlicet, gravem, & communem. Extrema est, quando alicui deficiunt necessaria vitæ sustentandæ, ita vt sit in evidenti periculo mortis, aut gravissimæ miseriæ corporalis, quæ morti comparari possit: qualis est valde gravis, & perpetuus morbus, & similis miseria. Gravis vero dicitur, cum quis ex defectu rerum necessariarum in certo periculo est incidendi in gravem morbum, aut diuturnam infirmitatem, longamque incarcerationem, aliasque similes miserias. Communis sive ordinaria est passim occurrens in pauperibus ostiatim mendicantibus.

2. His positis, Dico primò in extrema necessitate existentem licitè auferre rem alienam ad vtendum, fruendum, & absumendum, nec furtum committere, nec peccare. Ratio est, quod rerum communium divisio iure gentium introducta cum tacita conditione facta censeatur, vt in extrema necessitate omnia cõmunia sint; ac ius naturale cuilibet integrum maneat, ad accipiendum, vel vsurpandum ea, quibus extremè indiget. Et sic intelligendus est. S. Thomas 2. 2. q. 65. a. 7. ad 2. cum ait: *Per talem necessitatem* (extremam) *efficitur suum id, quod aliquis accipit ad sustentandam propriam vitam.* Et fortè eò respexit Sapiens, quando Prov. 6. dixit: *Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit: furatur enim vt esurientem impleat animam.* Vnde sequitur eiusmodi non teneri ad restitutionem, etiamsi prius non petierit: illum enim ordinem prævertere non est peccatum mortale, modo scandalum absit, quia non peccatur quoad rem ablatam, sed tantum quoad modum auferendi. Cui suffragatur D. Ambrosij auctoritas, cap. *Sicut hi.* vbi sic ait: ***Non minus est criminis habenti tollere, quam cum possis, & abundans sis, indigentibus denegare; esurientium panis est, quem tu detines; nudorum indumentum est, quod tu recludis; & miserorum redemptio, & absolutio pecunia, quam tu in terra defodis. tantorum te ergo invadere scias bona, quantis possis præstare, quod velis.***

S. Thomas.

Prov. 6.

3. Dico secundò, ob gravem, multò minus communem necessitatem id non licere. Ratio diversitatis est, quod in extrema necessitate cõstitutus ius habeat accipiendi, reique ita acceptę dominium sibi comparet; alter non item. quamvis enim dives rogatus ex charitate obligetur tribuere pauperi constituto in

1. Ioan. 3 necessitate gravi, iuxta illud 1. Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & videat fratrem suum necesse habere*, &c: tamen illa obligatio non parit ius accipiendi;

Matt 21. 4. Sed dices, Dominus Matth. 21. cap. licet non laboraret gravi necessitate, misit tamen duos discipulos ad castellum quoddam, eosque iussit adducere asinam alligatam, & pullum cum ea: & si quis obsisteret, dicerent: *Dominus his opus habet.* ergo & nobis licet cum opus habemus apprehendere rem alienam similiter.

Respondeo ineptè hæc verba eo torqueri, cũ ex ijs non liceat ab alio quid auferre ad subveniẽdum communi suæ indigentiæ. Non enim Christus Dominus petijt rem alienam, sed propriam, cum sit Dominus cœli & terræ: adeoque declarans suam omniscientiam prædicit, mox eos in introitu Castelli inventuros iumenta prædicta: supremum quoque in omnes homines & creaturas dominium declarans, commovit corda dominorum, vt libere consentiret dimissioni, vt insinuat responsum ad verba, *Si quis vobis aliquid dixerit, dicite: quia Dominus his opus habet. & confestim dimittet eos.* Chrysost. Divus Chrysostomus hoc negotium examinans ostendit non exiguam fuisse rationem Christo, quare ascensurus Hierusalem asinam & pullum eius sibi adferri petierit: *Sæpe quidem*, inquit, *etiam antea, nunquam verò ita clarè in Hierusalem ascendit. Quænam huius rei igitur causa est? In dispensationis exordio, cum neque ipse ita clarus esset, nec passionis tempus appropinquaret, indifferenter cum illis versabatur, ac potius occultans seipsum. Nam nec ipse mirabiliter patefaciendo se, admirationi fuisset, & illi maiore invidiæ incendio flagrassent: nunc autem cum virtutis suæ multis signis periculum fecerat, & crux in ianuis adesset, clariùs seipsum revelat, & cum maiore, ac congruente omnia facere authoritate videtur, sed propter hæc maioribus invidiæ stimulis tabescebant: quæ quamquam sic ab initio agere poterat, commoditatem tamen ordinati progressus conservavit.* Et immediatè post lectorem magis erigit ad intelligentiam eorum, quæ mox dixi, sic aiens: *Tu vero diligenter expende quot mirabilia peragit, & quot prophetias adimplet: asinam inventuros prædixit, neminem prohibiturum, & omnes tacituros affirmavit, quæ Iudæorum culpa non parva esse videtur: siquidem qui nunquam eum viderunt, sua ipsi sine controversia tradunt, cum Iudæi etiam per discipulos signa facientem videntes non receperunt. Non fuit res ipsa parva. Quis enim illis persuasit, cum res ipsorum auferentur, præsertim pauperibus, ac forsan agricolis, nullo modo adversari? Cur dixi, Non adversari, sed nec interrogare quidem, aut interrogantes responso audito tacere, atque cedere? Nam vtraque ista pariter mihi mirabilia, & inaudita videntur. Non enim parvum est, cum traherentur iumenta, nihil dixisse: & si dixerunt, cum audissent quia Dominus illis indigeret, cessisse, maximè cum non ipsum, sed discipulos eius viderent,* Ex his vero mirabilibus quædam elicit documenta dum ait: *Hinc omnes docet, Iudæos in ipsum irruentes solo nutu reprimere potuisse. Hinc etiam discipulos docet, quidquid ipse peteret, etiamsi animam dare iuberet, absque vlla controversia esse parendum. Nam sic esserunt ignoti, quid discipuli facere debent?*

Verum libet alias non minus graves causas adiungere, vt intelligatis, quam ineptè hiscè verbis plerique excusent nequitiam suam. Prima est, quod Christus, qui Rex erat, & veniebat vt quatuor quadrigas, id est, monarchias, de quibus cap. 6. Zacharias, ac consequenter Tyrum, Zach. 6. Gazan, Azotum, totamque Palæstinam, Phœniciam, & Syriam, de quibus ait Zacharias cap. 9. sibi subigeret, Zachar. 9. iuxta eiusdem prædictionem asinis insidens regiæ suæ potentiæ, & magnificentiæ indicium quoddam & specimen daret; & sic Iudæi eum non aversarentur, & despicerent vt pauperem: ac Phariseis & Scribis sublata esset omnis tergiversandi ratio, quandoquidem prædixerat Zacharias: *Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & salvator ipse pauper, & ascendens super asinum, & super pullum filium asinæ.* Ad cuius clariorem intelligentiam, nota in Palæstina magnificum fuisse asinis

sinis inequitare: illi enim ibidem veloces, & fortes erant vt equi, & proinde Iudæi præ equis & camelis ipsis vtebantur, vt patet Iud. 10. vers. 4. & 12. v. 14. vbi principes eorum asinis inequitasse leguntur, eoque magis, quod Regibus equorum vsus, vt aliqui volunt, vel veriùs equorum copia vetita fuerit ex lege iudiciali, quæ habetur 17. cap. Deuteronom. v. 16.

Iud. 10.
Iud. 12.

Altera vero est, vt responderet typo agni paschalis. ille enim die decimo mensis primi solemni pompâ inducebatur in vrbem, immolandus die decimo quarto: Ita Christus quasi agnus Dei, qui tollit peccata mundi, die decimo, puta in die palmarum, ingressus est Hierusalem immolandus die decimo quarto: ingressus est autem cum pompa, & faustis turbæ acclamationibus, vt quia certus erat de victoria mortis, peccati, inferni, & dœmonum, triumphum duello præciperet, & triumphans duellum iniret.

5. Sed dices: Adhuc scrupulus restat, quare opus habuerit asinâ, & pullo asinæ: cum vtrique insederit: seu quid opus fuerit tam brevi spatio ac itinere iumentum mutare?

Respondeo id fuisse opus non ob Christi mollitiem aut fatigationem, sed ob mysterium: illi enim omnis hæc pompa serviebat; cui tamen Christo facile fuit occasionem aliquam incidentem prætexere. Asina enim subiugalis significabat populũ Iudæorũ, qui tolerarat iugum legis veteris: pullus super quem nemo sederat, repræsentabat indomitos & exleges Gentiles, qui nulli legi colla submiserant. Vtrumque enim populum, tam Gentium, quam Iudæorum ad se, & Ecclesiam, ac deinde in cœlestem Ierusalem adducturus erat Christus. Ita S. Iustinus contra Tryphon. Origen. & Cyrill. in Ioan. c. 12. Hinc S. Bernardus, serm. 3. in in Ramis palmarum, tractans illa verba, *Dicite quia Dominus his opus habet*, inquit: *Opus magnum, opus salutis, nempe homines & iumenta salvos facere venerat: multiplicans misericordiam suam Deus. Initium nostræ conversationis fovet ista dignatio.*

Iustinus.
Origenes.
Cyrill.
Bernard.

6. Quæres, an peccatum furti sit, si creditor sibi rem, quam scit certò sibi deberi, quâque opus habet, propriâ auctoritate vendicet. Respondeo & dico primò, non committere furtum, neque iniustitiam, sed peccare quia prætermisso ordine iuris aliquid sibi vendicat propriâ auctoritate, etiamsi certò sciat sibi deberi; quamdiu operâ iuris, aut aliâ viâ eã potest recuperare, propter l. vnicam C. *Ne quis in sua causa.* quæ prohibet ne quis suæ rei sibi vsurpet iudicium.

7. Dico secundò, alicui licitum esse ea via rem suam, vel sibi debitam recuperare vel vendicare, aut compensatione vti, quando aliter non potest: videlicet, cum Respublica est turbata, nullusque iuris ordo servatur. tunc enim ad legem naturæ recurrendum est. Probatur exem. Rachel, quæ Genes. 31. *furata est idola patris sui.* vt, sicut aliqui Doctores existimant, quia erant pretiosa, videlicet ex auro, ex ijs acciperet dotem marito suo debitam. Pater enim tradiderat eam & sororem nudas Iacobo, vt declarat ipsorum querimonia: *Nonne quasi alienas reputavit nos, vendidit, comeditque pretiũ nostrum?* Vnde illud improprie eo loci furtum dicitur, nempe ad externam tantum speciem, & opinionem hominum, non autem ad veritatem. Solet enim Scriptura aliquid appellare tale, non quod tale sit, sed quod tale vulgo putetur. Exempli causâ: post longam disceptationem vltro citroque habitam inter Iob, & amicos eius, tandem Scriptura sic ait: *Omiserunt autem tres viri isti respondere Iob, eo quod iustus sibi videretur.* Super quibus verbis B. Gregorius disserens: *Hoc*, inquit, *quod de Iob dicitur, quod iustus sibi videretur, sacræ huius scriptor historiæ ad amicorum illorum iudicium retulit, non autem beatum Iob de elationis tumore reprobavit.*

Genes. 31.
Iob.
Gregorius.

Confirmatur idipsum clarius exemplo Iacob, qui cũ à Laban homine avaro & iniquo violenter opprimere-

meretur, & iustam laborum suorum mercedem aliter extorquere non posset, miro artificio vsus est, vt eam obtineret, inijt nempe contractum cum Laban, vt omnes fœtus ovium & caprarum Labani, quas ipse pascebat, deinceps nascituros, si essent vnicolores, puta toti albi, vel toti nigri cederent Labano: sin verò nascerentur sparsi, & varij coloris, vel furvi, id est, subnigri, puta partim albi, partim nigri, cederent ipsi Iacobo. Sed industriam & stropham, quam ab Angelis edoctus erat, subticens exercuit: posuit enim in canalibus, vbi effundebatur aqua, virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, quas ex parte decorticavit. vbi cum greges veniebant ad bibendum, in ipso calore coitus eas aspicientes pepererunt postmodum maculosas, varias, & diverso colore dispersas oves. & sic mercedem obtinuit, & illusit hominē, qui solas oves, & capras vnicolores tradiderat pascendas Iacobo, credens ex eis similes fœtus vnicolores nascituros; Idque instinctu Dei fecit Iacob. vt testatur ipse cap. 31. dicens: *Dixitque Angelus Dei ad me in somnus: Iacob. Et ego respondi, Adsum. Qui ait: Leva oculos tuos, & vide vniversos masculos ascendentes super feminas, varios, maculosos, atque respersos. Vidi enim omnia, quæ fecit tibi Laban.* Denique simili compensatione vsi sunt Israëlitæ, quando sine mercede Ægyptijs laboriosissimè serviebant. Petierunt enim commodatò ab Ægyptijs, cum inde discederent, vasa argentea & aurea, quasi ijs indigerent ad sacrificia, in ijsque sanguinem hostiarum, similam, salem, ignem, thus, aliaque quæ ad sacrificium pertinerent, essent excepturi: quæ facile ipsis concesserunt; vt indicant verba Exod. 12. post occisionem primogenitorum dicta, *Feceruntque filij Israël, sicut præceperat Moyses, & petierunt ab Aegyptijs vasa argentea & aurea, vestemque plurimam; Dominus autem dedit gratiam populo coram Aegyptijs, vt commodarent eis, & spoliaverunt Aegyptios.* id est: Dominus cooperatus fuit concedēs populo Israëlitico gratiam coram Ægyptijs, vt libēter eis sua commodarent, & facile dimitterent eos, vt expressè indicāt verba, quę Pharao dixit ad Moysen, & Araonem horrore perculsus ob occisos primogenitos: *Surgite & egredimini à populo meo, vos & filij Israël: ite, immolate Domino, sicut dicitis. Oves vestras & armenta assumite, vt petieratis, & abeuntes benedicite mihi. Vrgebantque Aegyptij populum de terra exire velociter dicentes: Omnes moriemur.*.

Gene. 31.

Exod. 12.

Illa autem gratia vel fuit, vt ait Tostatus, quędam qualitas producta à Deo in Hebræis, mirificè lucens vultu totoque corpore, & in verbis moribusque eorum, quæ Hebræos faciebat amabiles, iucundos, & gratiosos Ægyptijs: talem enim gratiam & eximiam pulchritudinem dedit Deus Iudith. cap. 10. Vel potius fuit gratia quā Deus inflexit corda Ægyptiorum (omnium enim corda sunt in manu, & arbitrio Dei) ad tenerum quemdam amorem Hebræorum, eisque benevolendum & benefaciendum, ita vt Hebræi viderentur Ægyptijs non solum commiseratione, verum amore, honore, quin etiam quibuslibet officijs, muneribusque dignissimi; quo factum est, vt libenter sua eis commodarint, imò obtulerint, ait Caietanus, incitantes eos, vt confidenter peterent, quidquid vellent. Nam pro eo quod nos habemus, vt commodarent eis, hebraicè est, *Vaiascilum*, id est, *& fecerunt petere eos*, scilicet vasa, quibus vsuri erant in sacrificio, ad quod eos evocari à Deo dixerat Moyses, vt nimirum hac ratione Deum sibi offensum placarent Ægyptij.

Tostatus.

Iud. cap. 10.

Caietanus

8. Atqui sic licet Principibus, vel Reipublicæ litteras dare represaliarum, quibus subditis aut militibus suis damnum iniustum passis, potestatem facit invadendi terram eorum, qui damnum intulerunt, & occupandi bona incolarum, etiam innocentium, donec iusta damni compensatio fiat: dummodo prius Communitas, vel is qui Communitati præest admonitus, compensationem facere, aut imperare neglexerit: *Vt si Galli,*

Victor. *Galli*, inquit Victor. de iure belli, num. 41. *fecerint prædas in agrum Hispanorum; & rex Francorum nolit cogere illos ad restitutionem, cum possit, possunt Hispani auctoritate Principis spoliare mercatores Gallos, aut agricolas quantumcumque innocentes, quia, licet fortè à principio Respub. aut Princeps Gallorum non fuerit in causa, iam est in culpa, quia negligit vindicare.* In his tamen cavendum est, ne sine necessitate concedantur, cum sint periculosæ, & occasionem præbeant rapinarum, ait Victor. ibid. Insuper ne contra personas Ecclesiasticas, vel bona eorum represaliæ concedantur, aut extendantur, prohibitum est sub pœna excommunicationis ipso iure latâ in personas singulares; interdicti verò in Communitatem, nisi talem præsumptam licentiam intra mensem post diem concessionis, aut extensionis revocent, c. vn. de iniurijs in 6.

9. Quod dixi fieri posse in Republica turbata, hoc extendo etiam ad Rempub. bene ordinatam, quando videlicet, neque factâ petitione debitori, neque iudicis auctoritate meritò existimas rem tibi debitam non esse recuperabilem: quod contingit, cum desunt probationes, aut quando absque magnis sumptibus ad debitum non potest perveniri; aut timetur iactura amissionis amicitiæ initæ cum debitore, aut alterius damni notabilis. Verum enimvero, vt privata hæc occultaque compensatio rite fiat, requiritur primò in omni casu, vt omnino certus sis rem tibi deberi. Secundò vt absit omne periculum scandali, vel infamiæ, ne tanquam fur habeatur vel puniatur. hoc enim fidelibus inculcavit D. Petrus 1 Petr. 4. in verbis:

1. Pet. 4. *Nemo autem vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus non erubescat, glorificet autem Dominum in isto nomine.* Denique vt caveat sedulò, ne debitor, aut ipsius hæredes postmodum secundò solvant. Atque hoc modo vxor potest occultâ vti compensatione accipiendo ex bonis mariti, vel quorum habet administrationem, vt sibi & liberis consulat, suamque partem salvam habeat, cum maritus ea dissipat, & in compotationes ac mulieres profundit; ipsaque postea difficultates metuat.

10. Quæres: An ergo alijs de causis sine peccato furti liceat vxori quid accipere ex bonis viri, vel quorum ille habet administrationem?

Respondeo, & dico primò licitè posse accipere, quæ rebus familiæ, vel ipsi necessaria sunt, v. g. pro vestibus, pro victu, pro medicamentis: maritus enim non potest iustè recusare. quin etiam ea, quibus ad recreationes, & eleemosynas faciendas secundum aliarum suæ conditionis mulierum consuetudinem opus habet. Ratio est, quod vir teneatur vxori præstare decentem sustentationem spectatâ eius conditione, suisque opibus; in qua continetur non solum victus, vestitus, ornamenta, & famulatus, sed etiam alia quæ feminæ similis conditionis illis locis habere, & facere consueverunt. Altera est, quod vxor non sit mancipium viri, sed socia, habens etiam auctoritatem administrationis, sed sub viro, ne quid inordinatè aut profusè faciat.

Secundò potest accipere quantum opus est ad indigentiam patris vel matris suæ sublevandam; idque ex bonis communibus, vel ex sua dote.

Ratio est, quod iure naturæ teneatur eis succurrere. Verum in hoc variant Doctores, quod hi obligatam dicant vxorem hæc sic data referre in suam partem, quando ad partitionem cum hæredibus viri ventum erit: Illi verò ex bonis communibus sumere concedant absque illo onere, quando matrimonium celebratum fuit contractu medietatis bonorum; quin etiam contractu arrharum, & dotis ex lucris communibus. quod vti probabile videtur concedi posse, sed ex arbitrio prudentis Confessarij, vt excessus vitetur; solent enim pleræque mulieres ob affectum nimium laxare habe-

nas

nas, Prior vero sententia licet securior, difficilè practicatur.

Tertiò, potest accipere ad impediendum damnum mariti temporale, sicut fecit Abigail 1. Reg. 25. Cum enim maritus eius Nabal recusasset Davidi subsidium petenti, necessitati eius vllatenus succurrere: & quod amplius est, legatos non solum ab omni subsidio vacuos, sed etiam convitijs oneratos dimisisset, dicens: *Quis est David? & quis est filius Isai? hodie increverunt servi, qui fugiunt dominos suos. Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris, quos nescio vnde sint?* id est: Quis est David? Nunquid filius vnius è populari turba, qui vitam agebat rusticam & pastoritiam, & in qua nihil agnoscebatur eximium? & vos legati nunquid estis servi fugitivi, qui facitis latronum infensum, immensum, ac copiosum agmen? meisne subtraham, vt vestræ necessitati succurram? quasi dicat, nullo pacto. Abigail illud intelligens per servos suos, qui responsum illiberale, & durum Domini audierant; & timens grave aliquod malum inde secuturum, quandoquidem David bene meritus erat de ipsius familia; *Festinavit, & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque arietes coctos, & quinque sata polentæ, & centum ligaturas vuæ passæ, & posuit super asinos.* ijsque obviam ivit Davidi procidens, coram eo *super faciem suam, & adoravit super terram*, dicens: *In me sit Domine mi, hæc iniquitas: loquatur, obsecro, ancilla tua, in auribus tuis, & audi verba famulæ tuæ. Ne ponat, oro, Dominus meus rex cor suum super virum istum, iniquum Nabal: quoniam secundum nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo: ego autem ancilla tua, non vidi pueros tuos, Domine mi, quos misisti. Nunc ergo Domine mi, vivit Dominus, & vivit anima tua, qui prohibuit te ne venires in sanguinem, & salvavit manum tuam tibi: & nunc fiant sicut Nabal inimici tui, & qui quærunt Domino meo malum. Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo: & da pueris, qui sequuntur te Dominum meum. Aufer iniquitatem famulæ tuæ.* Et multa alia in medium produxit, quę Davidis animum nimis infensum lenire possent. Idque magno cum fructu: respondit enim David Abigail; *Benedictus Dominus Deus Israël, qui misit te hodie in occursum meum, & benedictum eloquium tuum. Et benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu meâ. Alioquin vivit Dominus Deus Israël, qui prohibuit me ne malum facerem tibi: nisi citò venisses in occursum meum, non remansisset Nabal vsque ad lucem matutinam mingens ad parietem. Suscepit ergo David de manu eius omnia, quæ attulerat ei, dixitque ei: Vade pacificè in domum tuam, ecce audivi vocem tuam, & honoravi faciem tuam.* Cuius factum etiam imitari possunt mulieres largiendo secundum statum suum eleemosynas, quandocumque viderint mariti vitam vsque adeo flagitiosam, vt meritò credendum sit Dei vindictam familiæ imminere; aut quando ad conversionem mariti necesse est facere amicos de mammona iniquitatis; tales enim vtilissimè gerunt negotium mariti, nec in eo possunt cum ratione esse inviti.

Quartò potest de his bonis accipere, quando administratio bonorum ad illam est devoluta, veluti, cum maritus est amens, vel absens. Huc vsque facultas mulieris sese extendit, quâ à furto excusetur.

11. Restat edicere, quando peccet. Dico itaque vxorem peccare mortaliter, quotiescumque notabilem quantitatem accipit ex bonis mariti, vel quorum habet administrationem, quando ipse cum ratione est invitus, & teneri ad restitutionem. Ratio est, quod verum furtum sic committat. Fit autem illud, quando vxor expendit notabilem pecuniæ summam in ornatum muliebrem statui suo indecorum, quando marito absente symposia assiduat, vinum saccaro mistum cum sociabus suis clanculum vsurpat, in filios & filias præter statum ornandas expendit, aut debitis propterea maritum secretò gravat, dum illi persua-

persuadet ex industria filiarum, aut aliunde hæc provenire: quin etiam cũ pauperibus ex stulta devotione, & indiscretione bona communia nimis largiter erogat, hac via contingit vel viros ad pauperiem redigi, vel ex impatientia in graviora mala prolabi, filiorum promotioni nihil reliquum manere, & serius deplorare ortam ex contubernali miseriam. Hinc D. August. epist. 199. mulieré quamdam Ediciam nomine merito graviter increpat, cuius maritus in adulteriũ proruperat, eo quod duobus pauperibus inscio marito facultates omnes elargita esset, nullâ habitâ ratione filij, quem ex eodem viro genuerat: & quia illud contigerat cum maritus votã Deo continentiam servare ipsam permisisset, eaque fortè existimaret administrationem bonorũ ad se pertinere: primũ ei inculcat, quod propter consensum continentiæ non destiterit esse maritus, quodque de veste auro, argẽto, pecunia, aut reb⁹ vllis terrenis sine illius arbitrio nihil disponere debuisset, ne scãdalizaret hominẽ, qui cũ ipsâ Deo maiora voverat. Deinde sic contra illã expostulat: *Nunquid tantũ bonum est, quod pauperũ carnem largioribus eleemosynis refecisti, quantum malum est, quod viri tui mentem à tam bono proposito subruisti? An cuiusquã tibi vita temporalis salus charior esse debuerat, quã huius æternæ? Nonne si ampliorem misericordiam cogitans, ideo pauperibus res tuas erogare differres, ne scãdalizatus maritus tuus Deo periret, vberiores eleemosynas tibi Deus imputaret? Proinde si recolis, quid acquisieras, quando lucrata fueras virum tuũ, vt tecum Christo sanctiore castitate serviret, intellige per illas eleemosynas tuas, quibus cor eius eversum est, quanto graviore damno percussa fueris, quam sunt illa lucra, quæ cœlestia cogitabas. Si enim ibi magnum habet locum panis fractus esuriẽti, quantum locum ibi credenda est habere misericordia, quâ homo eripitur diabolo, tãquam leoni rugienti, & quem devoret inquirenti. Neque hoc ita dicimus, vt si quisquam scandalizatus fuerit de bonis operibus nostris, ab eis desistendum putemus: sed alia causa est alienarum, alia necessariarum in societate aliqua personarum: alia fidelis, alia infidelis: alia parentum erga filios, alia filiorum erga parẽtes. alia postremo ea, quæ in his rebus vel maxime intuenda est viri, & vxoris, vbi mulierem coniugatam non licet dicere: facio quod volo de meo, cum & ipsa non sit sua, sed capitis sui, hoc est viri sui.* Insuper incertũ ostendit ad quẽ statũ filius propẽderet, proinde impertinens fuisse sic bona profundere, vt alijs esset refectio, ipsis angustia. Addam eius verba: *Quid autẽ*, inquit, *mirum, si pater communem filium nolebat huius vitæ sustentaculis à matre nudari, ignorans quid secłaturus esset, cum in ætate grãdiuscula esse cœpisset; vtrum monachi professionẽ, an Ecclesiasticum ministerium, an coniugalis necessitudinis vinculum? Quamvis enim ad meliora excitandi, & erudiẽdi sint filij Sanctorum, vnusquisque tamen proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic; nisi fortè talia prospiciens & præcavens reprehendendus est pater, cum B. Apostolus dicat: Quisquis autẽ suis, & maximè domesticis non providet, fidem denegat, & est infideli deterior. Cum vero de faciendis ipsis eleemosynis loqueretur, ait: Non vt alijs refectio sit, vobis autem angustia. Pariter ergo consilium de omnibus haberetis, pariter moderaremini quid thesaurizandum esset in cœlo, quid ad vitæ huius sustentationem vobis, & vestris, filioque vestro relinquendum, ne alijs esset refectio, vobis autem angustia. Et in his disponendis atque faciendis si quid tibi fortè melius videretur, suggereres viro reverenter, eiusdemque authoritatem tanquam tui capitis sequereris obedienter: vt omnes qui sanum sapiunt, ad quos posset hoc bonum vestrum fama perferre, de domus vestræ fructu ac pace gauderent, & adversarius revereretur, nihil habẽs de vobis dicere pravi.* Bone Deus, quot familiæ pereunt propter hanc intemperantiam mulierum, quam serius communiter mariti percipiunt, & frustra corrigere satagunt.

August. | Idem. | 1. Cor. 8.

12. Quæres, Quænam censeatur notabilis quantitas in furto vxoris. Respondeo illam maiorem habere latitudinem, quam furtũ aliorũ, eamque prudentis Confessarij arbitrio esse definiendam, tam ex quantitate rei ablatæ, quam ex circumstantijs coniugum. Amplius enim potest

expendere, quæ sua industriâ simul cum marito necessaria familię lucratur, quam illa, quæ solum familię dirigendæ totam se impendit. Rursum plus illa potest, in honestos tamen fines, cuius opera sunt vtiliora rei familiari, quam opera viri, (vt aliquæ inveniuntur, sed rarius) vt rectę animadvertit Tostatus Abulēsis q.57. in cap.6. Matth. vbi coarctans facultatem vxoris circa hanc rem dicit: *Ista omnia vera sunt, nisi vxor sit valde lucrosa, scilicet quia fortè opera eius sunt vtiliora rei familiari, quam opera viri, & tunc potest vxor sine viri licentia, dare eleemosynam secundum conditionem lucri moderatè, ita vt vir non egeat, cum etiam ipsa teneatur laborare ad sustentationem onerum matrimonij.* Sic ille.

Abulensis.

13. Quæres iterum; Vnde mulier restituet si in his excesserit. nam parum est insinuare illam ad restitutionem teneri, nisi addatur, ex quibus illi restituere liceat?

Respondeo, olim vxoris bona fuisse triplicia; primò dotalia, secundò parapharnalia, tertiò ex industria, sive industrialia. Dotalia nota sunt. Parapharnalia erant, quæ iuxta dotem concedebātur noviter nuptis. Industrialia, quæ ipsa separatim lucrabatur, exercendo mercaturam aliquot feminis familiarem: qualis nunc fere est, vēdere fimbrias textiles, quæ ad ornatum personarum & multarū rerū applicari solent, aut acu sarciendo rem familiarem augere. Huiusmodi enim mulieres duorum posteriorum bonorū habent liberam administrationē, præsertim quando attulerunt sufficientem dotem, aut bona ad se alendas, & familia ijs non indiget, saltem iure communi Cæsario. Vnde illo casu ex his restitutionem facere potest vxor: his vero deficientibus tenetur satisfacere rem familiarem diligentius administrando, quam communis vrget obligatio, vel de cultu corporis simul & sumptibus detrahendo. Rara avis in terris.

14. Quæres, quandoquidem res tam anxia & perplexa est, inter virū & vxorem, quid de filiofamilias iudicandum sit, si contingat ipsum occultè ex bonis parentum notabilem summam accipere.

Respondeo præmittendum esse quantitatē non debere censeri eandem notabilem respectu omniū parentum, sed variam pro conditione status, ætatis personarum, locorū, & aliarum circumstantiarum, & vt dixi præcedenti Discursu esse diversitatē ratione statuum; sic in his ratione rei familiaris angustę vel abūdantis proportionabiliter maiorē esse debere: atque adeo in prædivite summam trium aut quatuor aureorum facile censeri notabilem.

15. His positis dico primò, filiū familias peccare mortaliter, qui sūmā huiusmodi capit ex bonis, quorū dominium, vel vsusfructus est parentū, nempe adventitiorū, quę ipsi impuberi & minorenni relicta sunt, ex testamento aliorum, & teneri ad restitutionē, ex communi sententia Doctorum: quia est verum furtū in materia notabili. Probatur Prov.28. vbi dicit Sapiēs: *Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps est homicida.* Id est: filius qui patris vel matris suæ fortunas clanculum furatur, quasi id licitum sibi sit, falsa quidem opinione illuditur, nā revera paticeps homicidæ, id est, socius prędonis est, quasi diceret: Nihil dissidet à latrone, deprędatore qui in aliena bona manus mittit. nā simile est, ac par vtriusq; peccatum: imo etiam maius filij furacis crimen, quia ab eo aufert propria bona, cui etiam sua ipse debebat. Et confirmatur per homicidā nō quemlibet passim interfectorem accipiendum, sed prædonem ex verbis Iob. c. 24. *Manè cōsurgit homicida, & interficit egenum & pauperem, per noctē vero erit quasi fur.* Et Isa. 1. vbi de Hierusalē civitate olim plena iudicij & iustitiæ, & quę tum abundabat iniustitiâ & rapinâ, in hūc modum loquitur: *Quomodo facta est meretrix, civitas fidelis, plena iudicij? iustitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.* id est, latrones & prædones. Addo verè dici subinde tales filios homicidas, imò patricidas quia hac ratione parentes tantâ afficiunt tristi-

Prov.28. Iob.24. Isai.1.

tristitia vt inde tabe, & pthisi pereat.

Notent hæc filij, qui sine scrupulo & singultu cordis liberaliter parentis arcam evacuant, in ludum, compotationes, & meretrices audacter expendunt; quin etiam ij qui pecunias à parentibus ad vsus honestos collatas, videlicet ad emẽdos libros, vestes, mensam, ad solvendum didactra Magistris, in commessationes. & vsus meretricios abliguriunt & dilapidant: Et sciant se coram Deo obligatos ad faciendam restitutionem ex bonis castrẽsibus, vel ratione militiæ, aut beneficij partis, quorũ liberã habẽt administrationem; aut si talia nõ habent, restitutionem faciendam quando ad statũ competentẽ pervenerint, aut aliàs ad vsum proprietatis adventitiorum, cum talia illis bona contigerint: his vero deficientibus post mortem patris adferenda esse sic sumpta in divisionem hæreditatis, nisi pater restitutionem expresse aut tacitè dimiserit vel constet alios fratres cohæredes tantundẽ expendisse. Ad hæc meminerint filij familias se non posse securos esse; quando à matre marito rationabiliter invito, aut inscio pecunias expiscati sunt in vsus inhonestos: non enim illa habet bonorum administrationem, sed graviter peccat, & causa peccati est filio, vti sæpe fit, dum in vniversitatibus, vel in longinquis regionibus filij discendi causa existunt, & hac ratione enormibus excessibus, pravisque consuetudinibus assuefiunt, ex quibus suo & publico bono diu maneant inutiles. Insuper tenetur ad restitutionem, & eius defectu filij, qui hæc dilapidarunt.

16. Sed dices: Quomodo subsistit, filium tam graviter peccare, & ad restitutionem teneri, quandoquidem filij etiam parentibus superstitibus rerum paternarum quodammodo domini esse dicãtur, vti colligitur ex Glossa in c. *Adrianus* 63. d. in c. fin. 24. q. 1. vnde in Adelphis filius bonorum particeps appellatur à Terentio: *Donec filius*, inquit, *redierit bonorum meorum particeps.* Terentius

Respondeo, qualecumque hoc dominium sit, quod in paterna bona filijs contingit, habere tamen impeditum vsum, & dispositionem non liberam, donec pendet patris vita. Licet enim filius, vt pars quædam, seu membrum patris, patriarum fortunarum consors sit, quia tamen est pars subiecta, non habet vtendi libertatem, atque adeo illi in parentis fortunas nihil licet.

Discursus III.

De Rapina.

Quid sit, & quale peccatum?

Basilius.  Basilius hom. 8. dicit multa inconvenientia per appetitum divitiarum oriri: *Propter opes*, inquit, *propinqui, cognati naturam negant, fratres inter se digladiantur, loca deserta grassatoribus refarciuntur: marè piratis, civitates calumniatoribus complentur.* Quibus verbis fructus rapinæ insinuat; hinc quæram quod in argumento ponitur.

Psal. 61. 1. Propheta David Psal. 61. dicit: *Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere.* q. d. Cavete à lucro iniusto, tum ex occulta iniustitia, quale est calumniantium, tum ex manifesta, quale est rapientium, quia non licet quidem affectum ponere erga opes iusto titulo acquisitas; quod insinuant verba sequentia: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* hinc necessum scire quid Rapina.

2. Ad huius itaque quæsiti intelligentiam prænotandum est, rapinam

 diver-

diversimodè sumi. Aliquando enim significat vsurpationē illius, quod sibi non debetur. Sic sumitur ad Philipp. 2. cum Apostolus ad tollendam ambitionem, qua laborabant Philippenses vtitur his verbis; *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formā servi accipiens*, q. d. Ille sensus humilitatis, misericordiæ, pacis, charitatis sit, & sentiatur in vobis, quem in Christo fuisse comperimus. Is enim cū esset, & sit verus Deus, nō existimavit æqualitatē Dei esse rapinam, seu rem alienā, & ex rapto vsurpatā, vt propter hoc tantopere semet humiliaverit, velut agnoscēs se vsurpasse aliquid non suum, quod humiliando se deponere voluerit: sed cū esset in æquali cū Patre gloria, ita se demisit, vt naturā servi, id est, hominis assumeret, fieretque servus Deo Patri obediens vsque ad ignominiosissimam mortem crucis, suam altitudinem, maiestatem, humanitate assumptā, nō imperio, aut aliā vi cogēte, sed sponte sua velando vel occultando. Sic è contra primi parētes volentes scire bonum & malum ex comestione vetiti fructus, *voluerunt rapere divinitatem, & perdiderūt felicitatē*, inquit August. Et Propheta Psal. 68. sic dicit in persona Christi, qui sine merito culpæ pœnas dedit: *Quæ non rapui, tunc exolvebam*.

Philipp. 2.

August. Psal. 68.

2. Secundò sumitur, vt comprehendit furtum, & quamcumque iniustam acceptationē. Sic intelligendū est, quod ait Ambros. lib. de bono mortis: *Si quis vsuram accipit, rapinam facit*. Et quod Augustinus dicit: *Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti*. quod refertur c. *Si quid* 14. q. 5.

Ambros.

August.

3. Tertiò modo rapina sumitur pressè & propriè, vt distinguitur cōtra furtum & contra alios iniustitiæ modos, de qua nunc agendum est, & describitur sic: *Rapina est iniusta acceptio boni externi per vim*. Iurisconsulti volunt eam tantū versari erga acceptionem rei mobilis, puta pecuniæ, vini, equi, & similis; non autē immobilis. Verum à Theologis & in conscientiæ foro non est in ea discrimen. Hæc vero constituit in re notabili peccatum mortale. Probatur ex Paulo, qui 1. ad Cor. 6. dicit: *Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis serviētes, &c. neque rapaces regnum Dei possidebunt*. Et ex illo Pharisæi dicto Luc. 18. qui se iustificare volens, hæc verba protulit: *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus*. quasi diceret ipsi cœlum competere, à quo procul erant illa crimina recitata, quæ à regno cœlorum excludunt. Deinde ex pœnis, quas Dominus Michææ 2. raptoribus intentat, his verbis: *Væ, qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus vestris: in luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorū. Et concupierunt agros, & violenter tulerunt, & rapuerunt domos: & calumniabantur virum, & domum eius; virum, & hæreditatem eius. Idcirco hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito super familiam istam malum*. id est: Væ vobis, quorum cogitationes sunt ad omne peccatorum genus intentæ; qui noctu in lectis excogitatis, & machinamini fraudes, & oppressiones pauperum, quas summo manè, & avidè & festinanter expletis. Et ita contra Deum armatam habetis manū, & ad omne flagitiū expeditam atque audacem. Rapuistis enim domos æque ac agros proximi, vi vel fraude, & calumniā oppressistis alios falsò accusantes, vt bona eis eriperetis. Vnde ego qui pauperū sum patronus & vindex, & spiritus insolentes humilans, talia in vos familiamque vestrā consilia meditor, qualia vos in aliorum tenuem humilemque fortunam. Et post nonnulla, quibus decē tribus Israël inexhaustam benignitatem Dei, eiusque beneficia magnificabant, quasi iisdē eos prosequeretur, & nō fulmina intorqueret, quę minatur, Propheta dicit: *Verba mea bona sunt cū eo, qui rectè graditur. Et è contrario populus meus in adversarium consurrexit: desuper tunicē pallium sustulistis: & eos, qui transibant simpliciter convertistis in bellum. Mulieres populi mei eiecistis de domo deliciarum suarum: à parvulis earū tulistis laudem meam in perpetuum*. id est: Vos autem ô Israëlitæ

1. Cor. 6.

Luc. 18.

Michææ 2.

litæ, tantum abest, vt meis obsecuti mandatis rectâ incederetis viâ, vt in me, (qui & alia contra me flagitia commisistis) & in proximos quoque vestros sitis iniurij: adeo enim rapinis fuistis addicti, vt obvio viatori raperetis palliũ, id est, extimam vestem, cum intimam tunicam corpori eius nimis adstrictam rapere non possetis: atque hoc modo coëgistis eum publicè seminudum, vt rusticanum hominem indecorè incedere. Idcirco spoliabunt & nudabunt vos Assyrij, tum quia alios spoliastis, tum quia opes vestræ non sunt vestrę, sed prædę, & rapinę oppressorum. Vnde à vobis ipsæ opes quasi iniustis possessoribus avolabunt ad Assyrios. Insuper fidentes, & nihil mali timentes, in transitu, bello, rapinã fecistis, quasi hostes invasistis, pugnis contudistis, contumelijs vexastis, vestibus, alijsque rebus suis spoliastis, quasi prædones & grassatores publicarum viarum. Neque satis vobis fuit in viros armasse manus violentas, & avaras; in mulieres etiam & parvulos (à quibus etiã ipsi hostes abstinere solent) sævitum est. Vxores enim plebeiorum expulistis suis ædibus, in quibus cum maritis in amore, pace, & suavitate coniugali, quasi in domo deliciarum vivebant, vt ædes earum & prædia occuparetis: & parvulos eò deduxistis, vt superstitiosam & vanam complexi, veram abijciant religionem, & à suis faucibus, atque conventibus divinæ laudis officium exterminent. Vnde subiungit: *Surgite & ite, quia non habetis hic requiem: propter immunditiã eius corrumpetur putredine pessimâ.* q. d. Ob has rapinas & scelera vestra, ô Israëlitæ, abite in captivitatem Assyriacam, & vos Iudæi in Babylonicam, nam in regione vestra non ducetis diu tranquillũ & securum otium, seu quia terræ incolas vexastis, pariter non habebitis in ea quietem, sed Assyrius vexabit vos & abducet: & terra, quã vestris sordibus & sceleribus fœdastis, evomet vos, & tradet mactandos Assyrijs, vt sanguine & tabe cadaverum vestrorum infecta per iustam vindictã quasi eluat sordes, quibus illam contaminastis, eique quasi vim intulistis.

Ius civile etiam severissimis rapinã plectit pœnis, vt ex supplicijs raptorum vnicuique notum est. Quæ omnia insinuant gravitatẽ huius mali, quæ tanta est, quod Divus Augustinus lib. 2. contra Gaudentium dicat se magis deplorare in Donatistis, quod Catholicorũ domus diripiendo æternum pereant, quam quod damnum temporale Catholici patiantur, allegans exemplũ Davidis, qui lugebat funestam mortem rebellis filij sui Absalonis, optans pro ipso mortem obijsse. Addam ipsius Augustini verba: *Quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Vnde quanto maior in nobis est charitas, tanto maiori cum dolore animi nos videmus separari homines à membris Christi. Vnde quando vos Donatistæ heretici in hoc vestro errore vitam finitis, multo amarius nos dolemus. dici non potest quanto nos mærore cruciatis, plus quippe impius Absalõ patrem suum David extinctus, quam rebellis afflixit, vivum namque eum comprehendi cupiebat, vt qui malitiâ grassabatur, pœnitentiâ sanaretur. Erat ergo ille persecutor patris, non solum contra legitimum patris regnum arma capiendo atque bellando, sed multo amplius persecutus est cor paternũ in illa impietate moriendo. Vnde si Catholicorũ domus Donatistæ non diripuissent, si Catholicorum membra non pracidissent, si denique Catholicos crudeliter non occidissent, hanc solam nos à vobis gravissimam persecutionẽ perpeti verissimè diceremus, quia videmus vos insensatos, & tabescimus; quia infirmatos, & infirmamur, quia scandalizatos & vrimur; quia perditos, & lugemus: hæc malá vestra, quæ vos in æternum interitũ mittunt, amarius nos persequuntur, quam illa, quæ à vobis nostris corporibus inferuntur.* Augustin.

4. At dices: Quid hæc ad nos? ista spectant ad latrones, & piratas terra mariq; grassantes, non autem ad huiusmodi confessum. Respondeo hæc gratis obijci. Multi enim huius criminis rei sũt, qui externè pietatẽ prę se ferunt. Vnde Christus dixit Pharisæis, qui se iustos esse credebant, eos plenos esse rapina & iniquitate, cum ait: Matth. 23 Luc. 11.

ait: *Væ vobis Scribæ, Pharisæi hypocritæ, qui mundatis, quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem estis pleni rapinâ, & immunditiâ.* Et iterum: *Quod intus est vestrum, plenum est rapinâ & iniquitate.* Cœterum vix invenies aliquem statum, in quo omnes verè possint dicere, sicut falsò ille Pharisæus Luc. 18. *Non sum sicut cæteri hominum, raptores* &c. Primo enim nobis suggerit sacra Scriptura Magnates subinde hoc vitio contaminari, nempe 3. Regum 21. vbi Iezabel vxor Achab intelligens Naboth propter legem Levit. 25. nolle vendere Achabo vineam relictam à parentibus hæreditario iure, ad laxandum animum, & domesticos vsus ipsi opportunam, inductis sceleratis quibusdam hominibus, qui reum blasphemiæ facerent Naboth, legitur eundem populari frequentiâ ac manu lapidari curasse, & sic vineam tanquam à possessore vacuam, & regio addictam fisco adijsse, licet non gratis; statim enim audivit à Propheta Elia graves hasce minas: *Occidisti insuper & possedisti* &c. *Hæc dicit Dominus: In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* Et paulo post *de Iezabel locutus est Dominus, dicens: Canes comedent Iezabelin agro Iezrabel.*

Luc. 18. 3. Reg. 21. Levit. 25

Secundò impingunt in hoc crimen sæpe Officiales & ministri Regum, cum sine fundamento petunt aliorum bona, quę gratis suspicãtur vacantia, aut Regi competere ex delicto, & concussionem intentantes alios ad compositionem cogunt. Quod crimen concussionis vocatur, scilicet cum quis terrore potestatis aliquid illicitè à privatis extorquet, quod extra ordinem vindicari solet l. vnica ff. de concus.

Tertiò alij publici ministri, cum aliquid sibi postulant, quod rogati ob metum recusare non audent. Ad rapinam enim pertinet, cum quis per metum iniustè incussum aliquid alteri extorquet, vti faciunt sæpe militum Duces, qui non contenti ijs, quæ ad victum sufficiunt, notabiles summas à rusticis hac viâ emungunt. Quibus congruit illud Augustini 19. sermon. de verbis Domini: *Quicumque sibi stipendia publicè decreta consequitur, si amplius quærit, tanquam calumniator & concussor Ioannis sententiâ condemnatur,* Sic enim legitur Luc. 3. respondisse ad milites interrogãtes, quid salutis causa facto opus esset: *Neminem concutiatis, neque calumniã faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.*

August. Luc 3.

Quartò contingit id inter privatos, quando cogunt alterum ad inæqualem contractum secum ineundum, qui raptores etiam censentur arg. l. qui cœtu §. ad l. Iuliam de vi publica. Imo sępe vxor ab hac vi non est immunis, videlicet cum maritus illam cogit testamentum condere ad libitum ipsius, & simile est de patre erga filium, cum eum vrget ad suum commodum disponere de bonis, in quibus est sui iuris.

Quintò his annumerandus venit, qui cum abũdat, pauperem propter debita medijs necessarijs ad vitam, etiam iudice interveniente per executionem privat, seu cum solvendo non est, cum vxore & prolibus, vt ita loquar, vult venundari: vt enim habet Glossa in c. 58. Isaiæ, *qui repetit non habentem, Deo facit violentiam.* Res fiet clarior ex ipso Scripturæ loco. Illic enim contendebant Iudęi, quare Deus, cum ieiunarent, differret adventum Messiæ; quare permitteret populum suum in Babylone detineri, & indigna pati, & promissam eis pacem, & bona non præstaret. Verum quia in die ieiunij debitores suos pauperes rigidè & inhumanè compellebant solvere, quod debebant, etiam cum non essent solvendo iubetur Isaias Propheta clamare tubali voce ieiunium Iudæorum mixtũ, & contaminatum immisericordiâ, scilicet litibus, contentionibus, & pugnis non placere Deo. vnde hoc facit Propheta, & mirantibus ac murmurantibus, quod Deus eos non exaudiret, neque prædictis satisfaceret, respondet: *Ecce in die ieiunij vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites, & contentiones. & ieiunatis percutitis*

Isaiæ 58.

pugno

pugno impiè. Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem: vt audiatur in excelso clamor vester. q. d. Ieiunatis à cibo, & carnem maceratis, sed interim indulgetis avaritiæ, fastui, iracundiæ, impudicitiæ, alijsque vitijs carnis, ad quæ rescecanda ieiunium institutum est; & vt alia taceam nudis vestem vultis exuere, dum rigorosè compellitis ad solvendum, quod non habent: adeoque non sic ieiunandum est, ne clamor, quo scilicet cogitis pauperes clamare, quos ad persolvendum vrgetis & percutitis, in excelso audiatur. Nam Scriptura nomine clamoris significat violentias, rapinas, fraudes, & ea omnia, quæ læsâ charitate faciunt gemere & clamare iniuriam passos & afflictos: idemque clamor cælos & Dei aures penetrat. Vnde rursum illos instruit Propheta, quodnam sit verum ieiunium, Deoque gratum, quo obtineant promissa, scilicet ieiunare ab iniquitate, cibare pauperes, nudos vestire, dicens: *Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi? &c. dimitte eos, qui confracti sunt liberos, & omne onus dirumpe.* id est: Hæc est ieiunij Deo placiti conditio, vt debitum eis condonetis, qui conquassati sunt tum paupertate, & ære alieno, vt foro cedere cogantur, tum duritie, & servitute, aut carcere quibus vos creditores illos afficitis; adeoque omne onus sic disrumpatis. Adhæc altera conditio, quâ quid promereri possitis ex ieiunio, vt condiatis illud pietate, & eleemosyna. hoc clarissimè significant verba versus 7. *Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce ego adsum.* Dicit ergo illis Deus per Prophetam, quod abstinendo ab immisericordia tempore ieiunij, & misericordiam miscendo è captivitate Babylonica in lucem libertatis, lætitiæ, & felicitatis facile emergent.

Cœterum Dominus alibi prædicit graviora mala imminere ijs, quibus res familiaris est ex rapina, cum Prov. 21. dicit: *Rapinæ impiorum detrahunt eos.* q. d. Copiæ rapinis & fraudibus cumulatæ decident tandem, ac dilabentur, atque Dominum suum illis toto animo adhærentem, è sublimi sede deiectum, impetu etiam suo devolvent. Et cap. 61. Isaiæ dicit se odisse bona per rapinam parta, etiamsi in suum vertantur holocaustum, in verbis: *Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocausto.* his enim taxat avaritiam & impietatem Pharisæorum tempore Christi, qui prætextu sacrificij & oblationis Dei, expilabant viduas, orphanos & pauperes, & iubebant filijs, vt parentes debitâ alimoniâ privarent, & idem est ac si dicat teste Hieronymo, *Iustorum, licet pauperum, munera plus diligo, quam munera horum divitum, quæ fiunt de rapina & iniquitate.* illa enim etiam in holocaustis meis execror & detestor. Quapropter necesse est huiusmodi hominibus saluti suæ consulere, & imitari exemplum Zachæi Luc. 19. qui iuxta legem iudicialem vocatus à Christo reddidit ad quadruplum, quod fraude acquisierat, & dimidium bonorum suorum dedit pauperibus. Quo tendunt etiam verba Salvatoris nostri ad Pharisæos plenos rapinâ & iniquitate, Luc. 11. *Veruntamen quod super est date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* id est: Restituite prius quæ ex rapina lucrati estis, & ex bonis, quæ supersunt date eleemosynam, quâ etiam pœnas temporales post remissam culpam manentes possitis avertere.

Prov. 21. — Isa. 61. — Luce 19. — Luc 11.

5. At dices: Quare Deus non præcepit bona tẽporalia manere communia, quemadmodum in statu innocentiæ? velut constat Genes. 1. & 8. & Psal. 8. vbi Dominus genus humanum constituit rerum corporalium sublunarium dominatorem. Nã ex illa divisione bonorũ orta videtur omnis cupiditas rei alienæ. Et Chrysostomus hom. de S. Philogonio,

Genes 1. & 8. Psal. 8.

nio, & hom. 12. in 1. ad Timoth. existimat *Meum & Tuum* esse causam totius mali. Sic enim ait in priori homilia agens de vita beata: *Auferentur ibi adversa valetudo, morbi, peccandi materia, vbi non est meum ac tuum frigidum illud verbum, & quidquid est malorum in vitam nostram invehens, innumeraque gignens bella.*

Respondeo Deum permisisse primis parentibus libertatem vtendi bonis in communi, quemadmodum pater intestatus moriens relinqueret suis filijs, vt ipsi dividant si velint. Idque in statu innocentiæ erat conveniens, quia per donum iustitiæ originalis appetitus rationi subiectus erat, & ratio Deo, & homines solâ ratione & lege divinâ ducebantur, vnde nullus seipsum inordinato amore diligebat, sed omnes mutuo amore & charitate seinvicem complectebantur, & communia proprijs bonis præponebant, prout recta ratio, & lex divina requirunt.

Rursus in illo statu non indigebãt homines vestibus, iustitia originali omnium oculos pudore & honestate replente, nec domibus aut ædificijs opus habebant. Ad hæc labor tantũ fuisset in cultura pro voluptate iuxta illud Gen. 2. *Collocavit Deus hominẽ in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Atqui ita nulla fuisset causa invidiæ. Verum post peccatum originale longè aliter sese res habuit: hinc divisio bonorum necessaria fuit, sicut ex malitia hominũ vsus iuramenti requiritur. & inde videmus in Cain & Abel Genes. 4. statim post lapsum primorum parentum bona fuisse separata; vnus enim in agris, alter in bestijs possessionem habebat. Secundò contentionẽ fuisse ortam inter pastores Abraham & Loth, quia in cõmuni greges & possessiones habebant, eo quod quisque pastorum meliora pascua suo gregi assignaret. Quapropter dixit Abraham ad Loth. *Ne, quæso, sit iurgium inter me & te, inter pastores tuos & meos, fratres enim sumus: ecce vniversa terra coram te est &c.* Et sic iure gentium, seu consensu omnium populorũ divisio bonorum est approbata; & in Scripturis colligitur Deo fuisse grata. Nam præter exempla citata, & Abraham, Isaac, David, alijque bona separata habuerint. Id constat etiam ex novo Testamẽto, vbi Martha dives & rerum suarum domina deprehenditur Luc. 11. & Zachæus Luc. 19. Imo de Christo id patet per Iudam, qui loculos ferebat rebus eidem necessarijs. Atque hoc fuisse necessarium natura etiam dictat. Si enim omnia fuissent communia, qui robustiores fuissent, alijs sine dubio prævaluissent, & plura consumpsissent. vnde plus mali succrevisset ratione bonorum in communi, quam nunc exurgit bonis divisis.

Gen. 2. Genes. 4. Luc. 11. Luc. 19.

6. Quæres: Quare ergo Deus non diviserit æqualiter hominibus bona temporalia. Respondeo hoc spectare ad occultam Dei providentiam, & in futurum servari incertum. Hoc satis insinuavit Propheta David Ps. 72. vbi cum in persona infirmorum miratus fuisset, cur peccatores abundarent divitijs, in verbis: *Ecce ipsi peccatores, abundantes in seculo obtinuerunt divitias*; respondet sibi ipsi, *Existimabam, vt cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum.* id est: Sperabam quidem rerum tam difficilium me posse cognoscere causas, sed deprehendi me id assequi non posse absque magno labore, nec aliter, quam cum animum prorsus à creaturis abstractum, ipsimet Deo coniungerem, eiusque vnius per sanctam contemplationẽ discerem voluntatem, & arcanorum consiliorum secretum. Quod sanè non citius percipiam, quam certa fide confirmatus, spe corroboratus expectando extremam iustorum & peccatorum mortem, iudiciumque vniversale: tunc enim clarissime intelligam, quam sit *iustus Dominus, & rectum iudicium eius*, & quo pacto illius providentia in sui dispositionem non fallatur, & plena merces ac pœna reserventur in futurum. Et rectè. Nam in hoc mundo, vt ait Ecclesiastes cap. 9. *omnia in futurum servan-*

Ps. 72. Ecclesi. 2.

servantur incerta, eo quod vniversa æque eveniant iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti. Adeoque inutile est hoc discutere.

Primò, quod Deus vti omnia constituit in pondere, numero, & mẽsura, Sap. 11. ita divisit bona temporalia secundum suum beneplacitum, *cuius est terra & plenitudo eius.* Et hinc Salomon in persona iustorum loquens, non petebat à Deo, cur huic multa, huic pauca relinqueret, *sed mendicitatem & divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam, Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Domini mei.*

Sap. 11.

Prov. 30.

Secundò, quia Deus quodammodo ostendit ab homine dependere, quod minus abundet, cum docet modum & viam obtinendi bona tẽporalia ad vitam necessaria, esse pietatem. Hinc David Psal. 36. dicit: *Spera in Deo, & fac bonitatem, & inhabita terrã, & pasceris in divitijs eius.* Imò Salvator noster, Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & cætera adijcientur vobis.* Et Apostolus 1. Tim. 4. dicens: *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* Quia autem hæc est directa via obtinendi etiam temporalia, hinc Christus omnem sollicitudinem procedentem ex defectu fidei, voluit procul ab homine abesse, eo magis quod volatilibus cœli de necessarijs provideat, & Deo nota sit nostra necessitas, dum ait: *Nolite esse solliciti, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt,* nempe fide destitutæ; *& novit pater vester cælestis, quod his omnibus indigeatis.* Vnde appositè Chrysostomus hom. 23. in Matth. *Quam tu opinaris causam tibi curandi, hanc ego idoneam esse dico, quæ te ab omni liberet intentione curarum. Si enim dixeris, propterea me oportet esse sollicitum, quia sunt necessaria: ego è regione respondeo, propterea non oportet te esse sollicitum, quia sunt vtique necessaria. Si enim essent superflua, non ita deberes de eorum præstatione confidere: nunc vero quia necessaria sunt, prorsus non oportet ambigere. Quis enim pater invenitur aliquando, qui liberis suis ne necessaria quidem se non præstare patiatur? Igitur ob hoc quoque procul dubio Deus ista præstabit, quia naturæ Creator ipse est, & satis plenè quorum ipsa indigeat, agnoscit.* Sic Chrysostomus; & rectè. Nam si Rex aliquis terrenus hæc homini pollicitus fuisset, fortè diffidere liceret: sed Deus vsque adeo servat promissa, vt homini suas partes implenti potius per miraculum provideret, quam necessitati non occurreret, vt patet in Elia, cui necessaria procuravit per corvos. Sic enim habetur 3. Reg. 17. *Corvi quoque deferebant ei panẽ & carnes,* videlicet, cum tempore maximæ famis nihil illi suppeteret ad necessitatem, quod magnopere notandum. Nemo enim ignorat, quã sit voracitate corvus, qua aviditate, & studiò carnes quærat, à quibus, etiamsi maximè fœteant, non continet voracissimam rabiem: quodque avis sit inhumana, & in filios etiã, vt notavit Chrysostomus homil. 2. de Elia, crudelis, quos è nido deturbat implumes, & omninò morituros, nisi Deus speciali quadam providentia foveret, atque aleret, de quibus est illud Psal. 146. *Et pullis corvorum invocantibus eum.* Et Iob 38. v. 41. *Quis præparat corvo escam suam, quando pulli eius clamãt ad Deum vagantes, eo quod non habeant cibos?* Hi ergo qui filios despiciunt, quos tam arcto vinculo, natura coniunxit, qui tam avide sibi cibos vndecunque venantur, neque à putridis abstinent carnibus, quo suam sibi rabiem voracissimam expleant; abstinent tamen stimulante fame ab optimis carnibus, easque illibatas afferunt ad Prophetam, Deo naturam comprimente.

Psal. 36.

Matth. 6.

Chrysost.

3. Reg. 17.

Chrysost.

Ps. 146.
Iob 38.

Item in Daniele, qui cum cap. 14. detexisset dolum sacerdotis Belis, Belemque evertisset, ac propterea missus esset in lacum leonum, Deus illi prandium procuravit, & hominem inter feras esurientes, illæsum miraculosè pavit: Sic enim rem totam refert Scriptura: *Erat autem Habacuc*

Daniel. 14.

bacuc Propheta in Iudaa, & ipse coxerat pulmentum, & contriverat panes in alveolo; & ibat in campũ vt ferret messoribus. Dixitque Angelus ad Habacuc: Fer prandium, quod habes in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum. Ec dixit Habacuc: Domine, Babylonem non vidi, & lacum nescio. Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui. Et clamavit Habacuc dicens: Daniel serve Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus. Et ait Daniel: Recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te. Surgensque Daniel comedit. Porro Angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo. Cœterum hoc ipsum clarissimè patet Exod 16. vbi Deus quotidie tantum mannæ depluebat, quantum tribus hominum millionibus alendis sufficiebat, vnicuique præscribẽs certam mensuram, Gomor dictam, vt indicant verba: *Colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum, Gomor per singula capita, iuxta numerum animarum vestrarum, qua habitant in tabernaculo, sic tolletis.* Et quantumvis amplius colligerent, quam mensura illa ferret, tamen singuli domum venientes, cum manna à se collectum metirentur, omnes tantum vnum, idemque Gomor reperiebant, Angelo scilicet invisibiliter addente si minus quam Gomor, demente si amplius collegissent. Idque fecit Deus, vt hoc continuo miraculo testaretur, suam cuique sufficientem victus mensuram à Domino paratam esse, etiamsi ex laboribus suis minus consequi posse videatur: vt cum assidemus mensæ, cogitemus Deum nobis pluere manna è cælo. sic enim & hodie non divitibus modo, sed & pauperibus, ægris etiam & debilibus, & licet multâ prole oneratis quotidianam tamen annonam, quæ satis sit vitæ omnium tuendæ, Deus suppeditat. quæ res consideranti mirabilis & incredibilis videtur, si censum & lucrum exiguum, quod faciunt, cum sumptu tanto, & expensis tot capitum familiæ conferat; vt vel ex hoc solo experimento colligere liceat suavem & miram Dei in omnes providentiam. Vnde S. Chrysost. homil. 40. in 1. ad Cor. *Avarus, inquit, dives à paupere tantum differt curis, neglectu Dei, corporis inquinatione, & animi perditione: nam ventrem vterque aque satiant.*

Exod. 16.

Chrysost.

7. Adhæc non reliquit Deus divitibus simpliciter bona temporalia, sed vt ex ijs meritum bonæ dispensationis sibi acquirerent, vt rectè notavit D. Basilius hom. 6. in ditescentes avaros super illud Luc 12. *Destruam horrea mea*, vbi sic ait: *Quod si ex Deo te illa*, supple bona temporalia, *habere fateris, dic mihi, quamobrem hæc sortitus es? Non enim iniustus est Deus, qui ea quæ sunt ad victum, inaqualiter nobis diviserit. Cur tu dives es, ille pauper? Profectò non ob aliam causam, nisi vt tu benignitatis, ac fidelis administrationis mercedem accipias, ille verò patientia maximis pramijs honoretur.* Et paulo post: *Esurientis est panis quem tu retines: nudi est vestis, quam in arca custodis: discalceati calceus, qui apud te marcescit: egentis argentum, quod tu terra infossum possides. Quare tot iniurius es hominibus, quot poteras opem conferre?* Huc ducit exhortatio Pauli monentis Corinthianos ad eleemosynam pauperibus Hierosolymitanis liberalem faciẽdam varijs rationibus: quarum illa hîc congruit, quod per eleemosynam fiat æqualitas divitum & pauperum, qui pro temporalibus bonis rependunt spiritualia, dum sic ait: *Non vt alijs sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex aqualitate. In prasenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat: vt & illorum abundantia vestra inopia sit supplementum, vt fiat aqualitas sicut scriptum est. Qui multum, non abundavit; & qui modicum, non minoravit.* q. d. Non impero tantam eleemosynam, qua fiat vobis res angusta domi, pauperibus ampla, & laxa: sed quâ superflua (hæc enim sunt propria eleemosynę materia, quam ipse erogare in pauperes non tantum suadet, sed etiam præcipit) quibus abundatis, eis communicando, suppleatis eorum inopiam, vt vtrique habeatis vitæ necessaria, neutri nimis angusta, vel nimis

Basilius. Luc 12.

mis laxa; sicque vtrique inter duo extrema inopiæ & abundantiæ ad mediocritatem quandam & æqualitatem redigamini, vt & dantium copiæ nihil supersit, quasi superfluum, & accipientium inopiæ nihil desit, quasi necessarium. Rursum sic impero eleemosynam, vt illorum abundantia in fide, spe, & omni gratia *sit vestræ inopia* spiritualis *supplementum*, dum oratione & meritis suis eam apud Deum sublevant in hac vita: in altera vos morientes recipient in æterna tabernacula, pauperum enim Christi est regnum cœlorum, *vt fiat æqualitas, sicut scriptum est*, nempe Exodi 16. secundum versionem Septuag. Probans Paulus ex illo exemplo collectionis & comestionis manna, Deum velle vt homines in communione bonorum quãdam colant ęqualitatem. Et hęc sufficiant ad compescendum murmur humanæ fragilitatis adversus Dei providentiam. Exod. 16.

Discursus IV.

De Sacrilegio,

Quid sit, & quale peccatum?

Ios. 7.  IOsue 7. dixit Dominus oranti Iosue ob interfectionem tringinta sex hominum, vt magno nomini suo consuleret: *Peccavit Israël, & prævaricatus est Israël pactum meum, tuleruntque de anathemate, & furati sunt atque mentiti, & absconderunt inter vasa sua.* Quo loco furti nomine appellat Dominus sacrilegium; vnde tractabo, quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti clariorem intelligentiam, nota variam esse significationem vocis *sacrilegij*. Primò enim dicitur sacrilegium, quando locus sacer, vel persona sacra fœdatur per actum venereum. de quo dixi Discursu 4. in sextum Præceptum.

2. Secundò, quando violatur immunitas loci sacri, quod fit, quando iudex secularis sine legitima Prælati Ecclesiastici licentia reum invitum, extra casus iure vel consuetudine receptos ac permissos, à loco Ecclesiasticæ immunitatis extrahit. Hæc enim immunitas reis ad Ecclesiam confugientibus concessa est tum legibus civilibus Christianorum Imperatorum, C. de his qui ad Ecclesiam confugiunt. Et Auth. de mandatis principum §. *Sed nec homicidis*: tum multo magis canonicis statutis, quibus etiam dictæ leges civiles approbatæ, & stabilitæ fuerunt, sicuti constat ex c. *Inter alia.* de immunit. Ecclesiast. ibi: *Iuxta sacrorum statuta canonum, & traditiones legum civilium.* Et c. *Id constituimus.* 17. q. 4. ex Concil. Aurel. 1. cap. 3. *Id constituimus observandum quod Ecclesiastici Canones decreverunt, & lex Romana constituit, vt ab Ecclesiæ atrijs, vel domo Episcopi reos abstrahere omnino non liceat.* c. eos qui d. 87. ex Concil. Arausi. 1. can. 5. *Eos, qui ad Ecclesiam confugiunt, tradi non oportere; sed loci sancti reverentia, & intercessione defendi.* Adeo vt Ecclesiastici resistere possint Iudici volenti immunitatem violare; idque primò claudendo fores Ecclesiæ, & alia media externa adhibendo ad impediendam violentiam, sed sine armis. Secundò, per censuras Ecclesiasticas cogendo Iudicem, nisi reum extractum restituat, iuxta c. *Miror* 17. q. 4. quod est S. August. epist. 187. ad Bonifac. *Ecclesiæ illæsum reveca, quem vel irreligiosissimus rapuisti: oblatio vero do-* Conc. Aurel. Conc. Arausi. Augustin.

mus

mus tua à Clericis ne suscipiatur, indixi; communionemque tibi interdico, donec &c. Atque ita notavit Covar. c. 20. in fine, Abb c. *inter alia*, n. 62. Suarez c. 13. n. 6. l. 3. de reverentia debita locis sacris, & alij communiter. Et casu quo neque his se conformet, & contra illegitimè extractum vlterius procedat, obligatur ex iustitia ad compensationem damnorum reo faciendam, vt rectè Suarez loc. cit. n. 19. & Valent. tom. 3. disp. 6. q. 15. p. 1. ad 1. argum.

Covar. Abbas. Suarez. Valent.

3. Tertiò, quando exercetur in eo profana actio, quæ vel ex sua natura, vel canonici iuris prohibitione, loci sanctitati repugnat; licet per eam Ecclesia violari non censeatur. Talis actio est cognitio, aut placitum, sive sententia iudicij sæcularis, sicuti habetur in c. *decet* de immunit. Ecclesiarum, in 6. *Omnis in Ecclesijs secularium iudiciorum strepitus conquiescat; nulla inibi causa per laicos, criminalis maximè, agitetur: sint loca eadem à laicorum cognitionibus aliena.* Et paulò post: *Processus Iudicum secularium, ac specialiter prolata sententia in eisdem locis omni careant robore firmitatis.* Talis etiam actio est negotiatio, seu mercatura, de qua sic dicitur c. cit. *Decet: Cessent in Ecclesijs, earumque cœmiterijs negotiationes, & præcipuè nundinarum, ac fori cuiuscumque tumultus.* Est enim gravis irreverentia, cum quis templum per se, & ex instituto deligit tanquam locum mercaturæ officinam ibi erigendo, vt patet ex reprehensione Christi erga Iudæos, de qua dixit Ioan. 2. *Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis*: tum etiam quia, vt inquit Leo epist 90. ad Rusticum, *difficile est inter ementis vendentisque commercium non intervenire peccatum.*

Ioan. 2. Leo.

4. Quartò sacrilegium dicitur indigna rerum sacrarum tractatio, qualis fuit illa Balthasaris Daniel. 5. cum grandi convivio instructo *præcepit iam temulentus, vt afferentur vasa aurea & argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Hierusalem, vt biberent in eis Rex & optimates eius, vxoresque eius, & concubinæ*: Vti etiam factum in honorem Deorum suorum ex auro & argento confectorum, quos ad imitationem Gentium in mensa statuebant; de quarum consuetudine sic Arnobius ad Gentiles: *Sacras facitis mensas, salinorum appositu & simulachris Deorum.* & Athenæus lib. 8. cap. 13. vbi asserit apud veteres, Deos inter convivas fuisse dispositos. Et ibidem ad illorum honorem pocula siccabant, laudantes eos, quod illorum potentiæ aliarum Gentium idola succubuissent, quod à Iudæorum Deo, ipsorum virtute superato, spolia detraxissent, & domum excidissent. Cuius rei argumentum coram prostabat, vasa nempe sacra, quæ quondam è Solymitano templo trãstulerat Nabuchodonosor, & ex idolio ad convivium illud inauspicatum, & impium produci iusserat. Sed quam abominabile illud esset coram Deo edocuit manus scribentis in pariete, *Mane thecel Phares.* id est: Deus suo decreto statuit ô Balthasar, vt anni regni tui, & imperij iã complebantur & finiantur. Secundò explorata est à Deo vita tua severo examine quemadmodum adhibitâ staterâ, & trutinâ rerum momenta & pondera examinari solent: & inventus es habere minus probitatis & bonorum operum; plurimum vero habere superbiæ, crapulæ, & iniquitatis, ita vt merearis in robore ætatis violentâ morte abripi. Tertiò iam iã, puta hac nocte, regnum tuum à te separatum, & ablatum dividetur inter Medos & Persas. Hæc est significatio vocularum, *Mane thecel Phares* quę effectum suum eadem nocte sortitæ sunt. Occisus quippe tum fuit Balthasar Chaldæorum imperator, & eodem, quo Rex ipse, vulnere extinctum est Chaldæorum Imperium.

Daniel 5. Arnobius. Athenæ.

5. Quintò, Sacrilegium dicitur Ecclesiasticorum bonorum iniqua vsurpatio: ita enim passim appellatur in iure canonico, sicut annotavit Glossa c. *Cum sit*, verbo *Malefactores*, de foro competenti, Tolosanus lib. 33. syntag. c. 17. num. 2. & videre licet cau. 12. q. 2. c. *Nulli liceat*, & cau. 17.

q. 4. can. 4. *Sacrilegium, & contra leges est, si quis, quod venerabilibus locis relinquitur pravæ voluntatis studio, suis tentaverit compendijs retinere.* quod est dictum Gregorij Primi lib. 8. epist. 6. ad Sabinum Diaconum. Similia habentur in c. *Sicut qui*, & c. *Qui rapit*, c. *Quisquis*, eadem quæst. Ratio vero est: quia bona ista ex prima sui institutione, atque offerentium voluntate, eam conditionem habent, vt quia ad Dei, & Christi honorem oblata, ac destinata sunt, non in alium vsum nisi piũ convertantur. Quare certũ est eos, qui legata pia, aliaq; iura & bona Ecclesiastica iniquè supprimunt, detinent, occupant, defraudant, non simplicem iniustitiã committere, sed qualificatam, quæ qualitas necessariò in confessione explicanda est. Accedit, quod invasio, vel spoliatio bonorum Ecclesiasticorum fit contra immunitatem Ecclesiasticam: cuius violatio ad sacrilegij crimen spectat. Gregor.

6. Denique Sacrilegium, de quo hic agendum est, secundum primævam acceptionem idem est, quod rei sacræ furtum. Dicitur enim sacrilegus, quasi sacrum legens, sive compilans, sicuti notavit Paulus Iureconsultus in l. *sacrilegi*, ff. ad l. Iuliam *Peculatus*. Isidorus lib. 10. orig. lit S. D. Thomas q. 99. a. 1. Committitur autem, vt discernit Ioannes Papa VIII. relactus c. *Quisquis*, 17. q. 4. auferendo *sacrum de sacro; vel non sacrum de sacro; sive sacrũ de non sacro.* Prioris membri exemplum habes 1. Machab. 1 vbi de Antiocho hæc leguntur: *Et convertit Antiochus, postquam percussit Aegyptum in centesimo, & quadragesimo, & tertio anno: & ascendit ad Israël, & ascendit Ierosolymam in multitudine gravi. Et intravit in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & vniversa vasa eius, & mensam propositionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velum, & coronas, & ornamentum aureum, quod in facie templi erat: & comminuit omnia. Et accepit argentum, & aurum, & vasa concupiscibilia: & accepit thesauros occultos quos invenit, & sublatis omnibus abijt in terram suam.* Secundi membri exemplum habes 2. Mach. 3. vbi legitur Heliodorus à Rege Seleuco missus ad rapiendos thesauros depositos in templo Hierosolymitano non pertinentes ad rationem sacrificiorum. Tertij verò exemplũ extat Ios. 7. vbi Achan Israëlita furatus est in vrbe Hiericho de anathemate, seu de ijs quæ Dominus sibi cõsecraverat (iuxta verba c. 6. *Sitque civitas hac anathema, & omnia quæ in ea sunt Domino* pallium coccineum valde bonum, ducentos siclos argenti, regulamq; auream quinquaginta siclorũ Et quodvis horum notabilis quantitatis, peccatũ mortale est, gravius furto. Redundat enim hæc iniuria in Deum, & si fiat cum effractione violenta, incurritur excommunicatio ipso iure, vt colligitur ex c. *Conquesti*, de sentent. excommunicat. & notat ibi Glossa ver. *excommunicatos*. Cuius exemplum videre licet 1. Machab. 9. vbi de Alcimo hoc dicitur: *Præcepit Alcimus destrui muros domus sanctæ interioris, & destrui opera Prophetarum; & cæpit destruere* scilicet ipse. 1. Mach. 1. 2. Mach. 3. Iosue 7. Iosue 6. 1. Mach. 9.

7. Hoc autem peccatum furto gravius esse, non solum colligitur ex ratione, quandoquidem rei sacræ violatio ad iniuriam Dei spectet: sed etiam ex gravissimis pœnis, quibus Deus huius criminis reos punire solet: *Pro mensura enim delicti debet esse mensura plagæ*, vt dicitur Deuteronom. 25. Itaque Antiochum cælesti iudicio apprehendit dolor dirus viscerum, amara internorum tormenta: ita vt è corpore impij scaturirent vermes, ac viventes in doloribus carnes eius avellerent, odorem eius atque fœtorem nemo ferre posset, imo ne quidem ipse, vt habetur 1. Machab. 9. Et quamquam promitteret se vasa sancta in templo multiplicaturum, Deum tamen non placabat, sed tristibus & diris repletus miserijs peregrè in montibus desperans interijt, vt ibidem videre est. Heliodorus vero tentans deposita, & victualia viduarum & pupillorum, ac Hircani Tobiæ viri valde eminentis Deutr. 25. 1. Mach. 9

nentis (quæ aſcendebant ad argenti talenta quadringenta, & auri ducẽta) è templo Hieroſolymitano auferre, non obſtante ſeria admonitione ſummi Pontificis Onię, quâ declarabat omnino id impoſſibile eſſe propter venerationem & ſanctitatẽ loci, poſt fuſas Iudæorũ orationes à Deo percutitur, iacẽs mutus omni ſpe, & ſalute privatus, donec Onię Põtificis ſacrificio ac precibus liberatus eſt: iactiſq; Deo, & Oniæ gratijs, re infecta coactus fuit Regi ſuo, ac cœteris omnibus narrare Dei templũ ſuũ tuentis magnalia. Achan ſacrilegus, licet occultus, iuſſu Dei per ſortẽ deprehenſus, coactus fuit confiteri culpã ſuam, & inſuper extremũ ſubire ſupplicium, cum filijs, & filiabus, bobus, aſinis, & ovibus, ipſiuſque domo, & cunctâ ſuppellectile per lapidationẽ & incendium, poſito ad memoriale perpetuum ingenti lapidum acervo, vt videre licet Ioſue c. 7. De Alcimo ſic legitur 1. Mach. 9. *In tẽpore illo percuſſus eſt Alcimus, & impedita ſunt opera illius, & occluſum eſt os eius, & diſſolutus eſt paralyſi, nec vltra potuit loqui verbum, & mandare de domo ſua; & mortuus eſt Alcimus in tempore illo cum tormento magno.* Hæc ex Scriptura ſacra: de alijs pauca addam.

Ioſ. 7.

1. Mach. 9

Chryſoſt.

Sanctus Ioannes Chryſoſtomus homil. 4. in Matth. oſtendens Deum, cum mala ad cumulum venerint, divinitatis ſuæ potentiam per ſigna declarare, recenſet inter alia miracula in Ægypto patrata, quædam, quæ huic propoſito congruunt, ſubiungens: *Cum idem profanus*, ſupple Iulianus, *ſacrata Deo vaſa temerando, ebrietatem ſuæ mentis oſtendit, quæſtor regalis ærarij per medium repentè diruptus eſt. Tunc etiam eiuſdem regis avunculus, nominis quoque illi communione coniunctus, vermibus exeſus interijt.* Scribunt quoque Cedrenus, & Zonaras Leonem filium Conſtantini Copronymi, cum abſtuliſſet è templo inſignem coronam, quam Mauritius Imperator donaverat ad ornatum templi, mox ſenſiſſe in capite ſuo ignotos carbunculos, indeque conceptâ febri ardentiſſimâ interijſſe.

Cedrenus. Zonaras

Et praxis criminalis ex divino fõte ortũ habens, Ioſue 7. eiuſmodi ſacrilegos ſolet per incendium de medio tollere. Idque magna cum ratione. non enim hoc delictum ſolos reos afficit, ſed etiam Rempub. magnis calamitatibus involvit, vt prodit caput 7. Ioſue, vbi ob peccatũ Achan ex tribus millibus virorum, qui conceſſerant ad expugnandam civitatẽ Hai, percuſſi corruerunt triginta ſex homines: reliqui vero perſecuti terga verterunt, & ceciderunt *per prona fugientes, pertimuitq; cor populi, & adinſtar aquæ liquefactum eſt.* Et Ioſue veſtimẽta ſcindẽti, & vſque ad veſperũ cum ſenibus coram arca Domini oranti, quatenus Deus magno ſuo nomini conſuleret, iiſque victoriã largiretur reſpondit Dominus: *Peccavit Iſraël, & prævaricatus eſt pactum meum: tuleruntq; de anathemate, & furati ſunt, atq; mentiti, & abſcõderunt inter vaſa ſua. Nec poterit Iſraël ſtare ante hoſtes ſuos, eoſq; fugiet: quia pollutus eſt anathemate: nõ ero vltra vobiſcũ, donec conteratis eum, qui huius ſceleris reus erit.* Et hinc in valle Achor ad ſuppliciũ ductus, audivit ex Ioſue Achã: *Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac.* Aliter enim victoriæ ſpes affulgere non poterat. Et hinc Dominus Oſeę 2. poſt grave ſupplicium, quod minatus fuerat populo ſuo, vt ab amentia, & errore reſipiſceret, & ad eum, quẽ deſeruerat rediret, benevolentiam promittit, dicens: *Dabo ei, &c. vallem Achor ad aperiendum ſpem,* quæ amœna erat, compaſcua, & fœcunda, vt patet Iſa. 61. Et idem eſt ac ſi dicat: Sicut ex pœna Achã, & conturbatione Iſraël, in valle Achor ob furtum intellexit, & didicit Iſraël timere Deum, eiuſque plagas, & vindictam; ita pariter ex captivitate Babylonica didicit eundẽ revereri, eique obedire, nam ex adverſis eruditur anima fidelis, & devenit ad conſolationem ſperatam. Vnde per illa verba ſimul ſignificat ad moralẽ inſtructionem, Eccleſiam ob ſcelera impiorum, præſertim ſacrilegorum puniri & turbari; ideoque illam impios plectere & expellere debere, tumque fore ei omnia proſpera:

Ioſ. 7.

Iſa. 61.

ra: sic enim punito Achan, Israël habuit maximas victorias contra Chananços. Sic ergo ait S. August. q. 8. in lib. Iosue. *Disciplina sancitur, vt non se solum quisque curet in populo; sed invicem adhibeant diligentiam, & tanquam vnius corporis & hominis, alia pro alijs sint membra sollicita.* Sicut enim manu furis peccante & furante, totum eius corpus plectitur: ita fit & in corpore politico, puta in Ecclesia, vt scilicet Deus eam castiget ob membrorum, id est, fidelium paucorum, & subinde vnius enormia peccata. Vallis ergo Achor, est vallis iustitiæ & vindictæ, ac consequenter spei.

August.

8. Sed dices: Vulgus non existimat tantum peccatum esse, è templo quippiam eripere. Iudicant enim melius esse pauperes ex ijs vivere, quam templa inde ornari.

Respondeo hoc non excusare, sed signum esse furacis animi. Quamvis enim multi pauperes essent tempore Christi, & Iudas murmuraret, quod vnguento pretiosissimo Christus vngeretur, dicens: *Quare hoc vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum est egenis?* Ioan. 12. ideo in aliũ vsum cõversum est, sed Iudas vt fur habitus est. Addit enim Evangelista: *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat & loculos habens ea, quæ mittebantur portabat.* Et tum subiungit Salvatoris verba: *Sine illam, vt in die sepulturæ meæ servet illud: Pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis.* Idem vero repetijt, cum discipuli Matth. 26. indignati de hoc dixerũt, *Vt quid preditio hæc? potuit enim illud venumdari multo, & dari pauperibus.* iungens hanc increpationem: *Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me &c. Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Evangeliũ in toto mundo dicetur & quod hæc fecit, in memoriam eius.* In veteri etiam Testamento plurimi erant pauperes, & tamen Deus voluit tabernaculum ornatissimũ esse, ita vt omnia ferè instrumẽta sanctuarij aurea essent, vsq; ad emunctoria lampadũ cortinas autẽ tabernaculi, & vestes Sacerdotis esse voluit pretiosissimas, ex serico, bysso, purpurâ, gẽmis, &c. & ne deessent artifices, donavit sapientiã, & artẽ ad omnia illa facienda certis quibusdã viris. Similiter templũ à Salomone instructum sumptuosissimũ fuit & exornatissimũ, vt videre licet 3. Reg. 6. & 7. Quod amplius est Christus Marc. 12. laudavit viduã, quę in gazophilacium templi misit duo minuta, id est, omnẽ victũ suum.

Matth. 26

Marc. 12.

9. Dices iterum: Quid ergo vult Chrysostomus, cum hom. 51. & 81. in Matth. docet melius esse dare eleemosynam, quam ornare templum?

Chrysost.

Respondeo Chrysostomũ non refellere ornatũ templi, alioquin Deo repugnaret, & rationi, quæ dictat melius esset honorare Deũ in seipso, quã in pauperibus; nam caritas Dei semper prẹferri debet caritati proximi: sed loqui de illo casu, quo Ecclesijs bene erat, & homines proni ad offerẽda Ecclesiæ donaria, & negligentes in cura pauperum eorum, qui notabiliter patiebantur egestatẽ, vt clarè exprimunt hæc verba, quæ habentur dictâ hom. 51. *Dic, oro, si quẽ fame pereuntẽ videres, nec cibo solvere ipsius famem curares, sed multo argento ac auro mensam solummodo exornares: quas putat illum gratias tibi habiturum, ac non potius indignaturum? Quid porro si vestibus detritis ac pertusis vestitum, & frigore congelatum hominem aspiceres, nec vestem aliquã ei præparares, aureas statuas ad laudem eius erigeres, nonne contemnere, atque irridere ipsũ videreris? Ita te oportet in Christo etiam cogitare, cum errabundus & peregrinus circumvagetur tecto indigens, tunc tu ipsum quidẽ non suscipis.* Et nonnihil superius: *Hæc dico nõ quia vetare velim talium vasorum oblationem, sed quia dignum putem ante omnia misericordiæ, ac benignitati esse incumbendum: nam & vasa Deus suscipit, sed illa multò magis sibi gratiora sunt.* Idque conforme est verbis Domini Oseæ 6. *Misericordiam volo, non sacrificiũ*, seu malo misericordiã, quam sacrificium. & præcisius Matt. 15. vbi reprehendit Pharisæos, qui docebãt filiosfamilias offerre templo donaria in præiudicium parentum, eti ãcum egestate premerentur, vt aliquoties dixi. Et in hoc casu nõ solum Chryso-

Oseæ 6.

Matt. 15.

sostomus bene dixit melius esse pauperum curam gerere; sed etiam Ambrosius asserens licitum esse vasa Ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, & vendere. Sic enim ait lib. 2. Officior. cap. 28. *Sanè si in sua aliquis derivet emolumenta, crimen est: Sin vero pauperibus erogat, captivum redimit, misericordia est. Nemo enim potest dicere: cur pauper vivit? Nemo potest queri, quia captivi redempti sunt: nemo potest accusare, quia templum Dei ædificatum est; nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquijs spacia laxata sunt: nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum requies defunctorum est. In his tribus generibus vasa Ecclesiæ etiã initiata confringere, conflare, vendere licet.*

Ambros.

Cœterum quod Deus extra hunc casum, templi ornatum præferat communi pauperum necessitati, cõstat ex cap. 1. Aggæi, vbi Deus reprehendit Iudæos, quod in suas quisque domos ædificandas incumberet, easque non ad vsus tantum opportunos, sed etiam ad ambitiosum luxum extrueret, & templi fabricam postponeret. Et pauperum nullam faciens mentionem declarat ex illo tempore, quo fabricam intermiserunt etiam ex Persarum Regis severo decreto, sterilitatẽ magnam super eos inductam, in verbis: *Quia domus mea deserta est, & vos festinastis vnusquisque in domum suam. Propter hoc super vos probibiti sunt cœli, ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum: & vocavi siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & quacumque profert humus, & super homines, & super iumenta, & super omnen laborem manuum.* Illam autem sterilitatem fuisse tantam exprimit caput secundum, vt ex acervo frugum, ex quo viginti exspectabant modios, decem tantum referrent, & cum ex torculari exprimere putabant quinquaginta lagenas vini, viginti dumtaxat reciperẽt, his verbis: *Cum accederetis ad acervum viginti modiorum, & fierent decem: & intraretis ad torcular, vt exprimeretis quinquaginta lagenas, & fiebant viginti.* At ibi nulla est de paupertate communi

Aggæi 1.

Aggæi. 2. 16.

querela, vt proinde certo sibi persuadere deboant pauperes hoc furtum non licere; & si gravem necessitatem patiantur, conveniendos esse præfectos Ecclesiarum, qui dum necesse erit, libenter eiusmodi vasa, aliaque ornamenta in pauperum vsum expendent.

10. Sed quæres, quid iudicem de illis, qui turbulentis his temporibus quandoque in hoc Belgio è fæce populi sub prætextu idololatriȩ, sacras imagines ex auro & argento confectas fregerunt, sustulerunt, & in vsum proprium converterunt, vti & sacra vasa, aliaque ornamenta; an videlicet à sacrilegij crimine, & restitutione excusentur?

Respondeo negativè, idque ob varias rationes. Prima sit, quod per Christũ, & Apostolos sublata erant tunc temporis vbique idola, iuxta vaticinium Zacharię Prophetæ, qui cap. 13. prædicit Christũ fore fontem gratiæ, iustitiæ, & salutis, ideoque abolẽda esse idola, & Pseudoprophetas, in verbis: *In die illa erit fons patẽs domui David, & habitantibus Hierusalẽ in ablutionẽ peccatoris, & menstruata. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituũ, disperdã nomina idolorũ de terra, & non memorabuntur vltrà: & pseudoprophetas, & spiritũ immundum auferã de terra.* id est. In die illa, in qua ab ingrato populo in cruce configetur Christus, fons erit apertus tam plebæis, quam principibus, nempe Iesus Christus, qui est fons, vena, scaturigo perenniter in quosvis homines quovis seculo scaturiens aquas omnis gratiæ, ad abluendum quidquid à peccato, & à mẽstruo sordidum & impurum est; eoque tempore Gentium idolis fidem & authoritatẽ adimam vbi illa fuerint: pseudoprophetas etiam aut divinos aut spiritus pythonicos, si qui fuerint, omnes penitus tollam de terra. Quod prędixit Propheta, hoc patet ex historijs omnibus per Christum & Apostolos esse adimpletum. Speciatim ex historijs clarum est multis centenis annis Belgium imbutum fuisse religione Christiana, reiectis idolis.

Zach. 13.

Secun-

Secunda sit quod, licet ex erronea conscientia arbitrati fuissent Belgas idolorum fuisse cultores, ipsis incubuerit illos convincere idololatriæ, tum ex cordibus funditus eradicare. Sic enim solent Prophetæ, & viri sancti facere, vti Samuel 1. Reg. 7. Elias. 3. Reg. 18. Isaias cap. 41. Hieremias cap. 10. Baruch. cap. 6. Sic S. Paulus Actor. 17. cum venisset Athenas, & videret idololatriæ deditam civitatẽ, dixit: *Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. Præteriens enim, & videns simulachra vestra, inveni & aram, in qua scriptum erat: Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.* Eosque ita instruxit, vt plurimos Ecclesiæ adiungeret, nominatim Dionysium Areopagitam, & Damarim. Historia Ecclesiastica existimat aram istam fuisse consecratã, ex quo miraculosa contigit Eclipsis in passione Domini: nam cum eius nulla ratio inveniri posset à Philosophis, pati crediderunt naturæ Deum. Nam licet ante tempus illud ignotorum & peregrinorum Deorũ aræ excitatæ fuerint, de quibus Pausanias lib. 1. & Philostratus lib. 6 cap. 2. tamen verisimile est ignoto illi Deo, quem pati suspicati fuerãt, Dionysij operâ illustriorem aliquam aram excitatam fuisse ab Atheniensibus, apud quos, vt ait Chrysostomus, nullus Deus erat sine honore. Ille vero magnus putabatur, cui natura admirabili mutatione parentasse videbatur.

1. Reg. 7. 3. Reg. 18. Isa. 41. Hier. 10. Baruch. 6. Actor. 17. Pausanias Philostrat.

Vt vt est, Paulus non fuit idoloclasta, sed idololatras docuit, & vt verbis vtar Ionę Aurelianensis lib 1. de cultu imaginum. *Aras ab illis honoratas non destruxit, sed ratione ignorantiam redarguit, veritatis iura monstravit.* D. Augustinus idem insinuat epist. 154. vt mox dicam. D. quoque Gregorius lib. 9. epist. 9. propterea rectè reprehendit Augustinum Anglorum Episcopũ, quod indiscreto zelo, propter quorumdam perniciosam imaginum adorationem, pręcipitanter easdem fregisset. Vide dicta Discursu 56. in 1. Præceptum. nu. 15. Porro imagines non erant idola, vt dixi Discursu 54. in 1. Præcept. num. 9. vbi addidi magno sacrilegio se astringere, qui imagines cum idolis confundunt. Et Discursu 55 per totum docui piè illas in templo collocari.

Ion. Aurel. August. Gregor.

Tertia igitur sit causa, quod, esto fuissent idola, non licuerit ipsis ea destruere privatâ auctoritate, sed opus fuerit auctoritate publicâ, qua destituti erant Hinc Iudæi nihil intentarunt in Chananæos, nisi ex mandato Dei, qui Exod. 23. dixit: *Non adorabis Deos eorũ, nec coles eos: non facies opera eorum, sed destrues eos, & confringes statuas eorum. Servietisque Domino Deo vestro, vt benedicã panibus tuis, & aquis, & auferam infirmitatem de medio tui.* Et Deuteron. 7. omne commercium cum illis prohibens addit: *Quin potius hæc facietis, aras eorum subvertite, & confringinte statuas, lucosque succidite, & sculptilia comburite.* Neque etiam Ezechias, licet Rex esset, adeoque publicâ polleret auctoritate, iussit serpentem æneum confringi (quem Dominus præceperat Numer. 21. erigi) nisi cum publicè constaret divinos honores illi tribui. Vide dicta Discursu 56. in 1. Præceptum num. 14.

Exod. 23. Deuter. 7. Num. 21

Quarta denique ratio sit, quod absque legitimi Iudicis sententiâ vindicativa sic confracta, & sublata in proprios vsus converterint. Hoc enim requirebatur, vt salvâ conscientiâ illa sibi vendicarent. Audi desuper August. qui loc. cit. sic ait: *Cum templa, idola, luci & si quid eiusmodi datâ potestate evertuntur, quamvis manifestum est, cum id agimus, non ea nos honorare, sed potius detestari: ideo tamen in vsus nostros privatos dumtaxat, & proprios non debemus inde aliquid vsurpare, vt appareat nos pietate ista destruere, non avaritiâ. Cum vero in vsus communes, non proprios ac privatos, vel in honorem Dei veri convertuntur, hoc de illis fit, quod de ipsis hominibus, cum ex sacrilegis & impijs in veram religionem mutantur. Hoc Deus intelligitur docuisse illis testimonijs, quæ ipse posuisti, cum de luco alienorum deorum iussit ligna ad holocaustum adhiberi. Et de Hiericho, vt omne*

August. Iudic. 6. Iosu. 6.

omne aurum, argentum & aramentum inferretur in thesauros Domini. Quapropter etiam illud, quod in Deuteronomio scriptum est: Non concupisces argentum vel aurum illorum, nec accipies inde tibi, ne excedas propter illud, quoniam abominatio est Domino Deo tuo: & non conferes execramentum in domum tuam, & eris anathema; sicut & illud est, & offensione offendes, & coinquinatione coinquinaberis abominatione illi, quia anathema est. Satis apparet aut ipsos vsus privatos in talibus esse prohibitos; aut ne sic inde aliquid inferatur in domum, vt honoretur. Tunc enim est abominatio & execratio, non cum talibus sacrilegijs honor apertissimâ destructione subvertitur. At hi planè contrarium fecerunt; vnde fuerunt extra controversiam sacrilegi & restitutioni obnoxij. Et vere illis congruit illud Pauli ad Rom. 2. *Qui abominaris idola, sacrilegium facis*, scilicet, dum res sacras suffuraris, vendis, profanas, maximè in tuum vsum. Hoc enim est sacrilegium, & qui hoc facit est sacrilegus.

Deuter. 7.

Rom. 2.

11. Quæres, quare Deus ergo permiserit sæpe vasa sacra, tum à Chaldæis, tum ab hæreticis diripi, ac profanari, vti constat Daniel. 1. & alibi in Scripturis, ac historijs ab vtrisque respectivè factum esse.

Daniel. 1.

Respondeo Scripturam duas eiusdem permissionis suppeditare causas. Prima est, quod Deus id permiserit in vindictam & pœnam peccatorum. Magna enim populi, si verè æstimetur, pœna est rebus sacris privari, vti indicat in oratione sua Azarias vnus ex tribus pueris Daniel. 3. in fornace constitutis, sic orans: *Ne auferas misericordiam tuam à nobis, &c. quia Domine imminuti sumus plusquam omnes gentes, sumusque humiles in vniversa terra hodie propter peccata nostra. Et non est in tempore hoc Princeps, & dux, & propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, vt possimus invenire misericordiam tuam: sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur. Sicut in holocausto arietum & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi: quoniam non est confusio confidentibus in te.* Imo Deus ipse apud Iudæos hoc significavit, cum propter Iudæorum scelera, etiam res sibi dicatas, quodammodo repudiavit & abiecit; & apertissimè edixit se relinquere domum suam, & hæreditatē suam Hierem. 12. Et 2. Machab. 5. dicitur Deus non elegisse gentem propter locum sacrum, sed locum propter gentem, adeoque infensus genti nonnumquam adversus res sacras iram & indignationem suam ostendere, quasi res illę sceleribus populi infectæ, & flagitiorum eius participes essent. Vnde Walfridus Strabo lib. de Rebus Ecclesiasticis cap. 13. sic philosophatur. *In vanum ligna & lapides poliunt, qui mores non componunt. Frustra dona & pecunias comportant, qui interius divinæ subtilitatis oculum non placant. Nam quia Iudæi Dominum interius non audierunt, exterius non audierunt, exteriora eorum contempsit & abiecit, per Prophetam dicens: Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam. Et per seipsum: Relinquetur vobis domus vestra deserta. Ergo propter peccata hominum loca sacra à Deo negligi, testis est arca ab Allophylis capta, templum toties profanatum & eversum, & multæ Christianorum Ecclesiæ nunc à barbaris vastatæ vel subversæ, nunc ignibus, vel fulminibus desolatæ, nunc terræ motibus, vel imbribus dirutæ.* Et Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 73. *Mirari*, inquit, *te dixisti, qui fiat, vt Deus, cum terræ motum immittit, templis suis minime parcat? At certam huius rei declarationem in Scripturis habes. Nam, vt sancta arca minimè pepercit: verum eam vnà cum ipsis Sacerdotibus qui deliquerant, Barbaris dedidit, & vrbem sanctificationis & Cherubim gloriam, stolam, & prophetiam, & vnctionem, & Thumim in conculcationem, & contaminationem Gentibus addixit: ita ne nunc quidem ab omni labe puris mysterijs parcit. Vt dum suis aulis minimè parcit, terrorem ijs, qui peccant, inijciant, atrociorem videlicet pœnam ob ea, quæ agunt, expectantibus. Vlulet enim abies, quia cecidit cedrus. Fortibus cadentibus, imbecilliora erudiantur.* Alludit ad locum Zachariæ 11.

Daniel. 3.

Hiere. 12.

2. Mach. 5.

Strabo.

Isid. Pelusiota.

vbi

vbi Propheta prædicens excidium Hierosolymæ, vrbis videlicet & templi faciendum à Tito & Romanis ob Iudæorum peccata, vtitur his verbis ad incolas Hierusalem cuiuscumque status: *Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas, vlula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt: vlulate quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus.* quasi dicat primũ. O Hierusalem & templum iam recens extructum tabulis cedrinis ex Libano allatis, aperi Romanis venientibus portas tuas, quia illis non poteris resistere: Frustra enim illis eas claudes, quia ipsi sua vi & robore omnia perfringent. Deinde particularius ad summos Principes & Pontifices: *Comedat ignis cedros tuas,* seu, ignis huius vastitatis & incendij afflabit & consumet omnes tuos Principes. Denique se convertens ad Senatores, Consules & Præfectos minores vult illos vlulare, quia videlicet certo cadent occidẽdi, vel capiendi à Tito & Romanis: quia principes ceciderunt, qui ipsos alebant & protegebant, & similiter divites & opulentos vult plorare. Sub his enim vocabulis, cedrorum, abietis, & quercus respective significat principes, præfectos minores, potentes, & opulentos, qui inter Iudæos eminebant, sicut quercus in in Basanitide; Et rationem addit, quare velit illos vlulare: *Quoniam succisus est saltus munitus.* puta Ierusalem munita, quam vocat saltum vel silvam, quia persistit in metaphora Libani, montis & silvæ. Vult ergo Pelusiota fortibus cadentibus imbecilliores erudiri, & dum sancta profananantur, homines terreri: Eius vero locum disertis verbis refert sanctus Anastasius Nicenus q. 15. in Scripturam, vbi agit de supplicijs, quæ fidelibus per infideles inferuntur. Quasi diceret: Si domus sancta Deo destruitur; profana quo non infortunio involvetur? Iam vero templum Salomonis, quo nihil erat apud Hebræos sanctius, vel augustius, non sacrificiorum oraculorum quæ sanctitas defendit; sed potius sacrificantium frequentantiumque iniquitas labefecit.

Vnde D. Chrysostomus hom. 17. ad pop. *Vt discas, inquit, quod virtus sola inhabitantes ornat; Dei templum in medium afferens, hoc demonstrare conabor. Hoc enim templum, in quo sacrificia, & orationes, & cultus; vbi Sancta Sanctorum, & Cherubim, & testamentum, magna indicia divinæ circa genus illud providentiæ; vbi oracula supernè continua ferebantur; vbi Prophetæ divini fiebant; vbi non humanæ artis apparatus, sed divinæ sapientiæ expressio erat, Vbi multo parietes vndique fulgebant auro, & supra omnem modum, tum materiæ preciosissima species, tum artis diligentia coniuncta singulare super terram templum huiusmodi tunc fuisse demonstraverunt: immò vero non artis tantum diligentia, verum & Dei sapientia simul illud ornavit ædificium. Non enim ex proprio, nec à semetipso, sed à Deo cuncta Salomon discens, & descriptionem cœlitus capiens, sic ipsum designavit, & erexit. Veruntamen templum tam pulchrum & mirabile, & sanctum, vtentibus ipso perditis, tanta ignominia habitum est, sicque contemptum & profanum redditum, vt ante captivitatem quidem spelunca vocaretur latronum. & spelaeum hyenæ: post hæc vero, barbaricis & immundis & profanis manibus traditum sit.* Sic ille: Hinc etiam per Prophetam Ieremiam cap. 7. cum Iudæi putarent ob templi sanctitatem, & sacrificiorum frequentiam excidium evadere, neque Deum passurum templi destructionem, remittit illos ad locum Silo, his verbis: *Ite ad locum meum in Silo, vbi habitavit nomen meum à principio: & videte quæ fecerim eo propter malitiam populi mei Israël &c. Faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam: & loco, quem dedi vobis & patribus vestris, sicut feci Silo. Et proijciam vos à facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros, vniversum semen Ephraim.* id est: Recole quæ contigerunt in Silo & certus esto, quod sicut tabernaculum meum in Silo everti, cum arcam permisi capi tempore Heli à Philistinis ob scelera Silonitarum & Israëlis; & deinde sub Ieroboam totum

Chrysost. Matth. 21. 13. Hierem. 7.

tum regnum, seu Israëlem, ac consequenter Ephraim, in qua erat Silo, deserui, neque & mei cultum cum arca transtuli in Iuda & Sion, ac tandem omnes decem tribus ob idololatriam in Assyriam captivas duci permisi: ita multo magis vobis, ô Iudæi, qui habuistis Dei cultum, quique graviora, quàm Israëlitæ scelera perpetratis, idem excidium & captivitatem Babylonicam infligam, atque tam templo huic, quam vrbi & incolis eius, vastitatem afferam. Potuisset autem Deus sicut pueros in Babylonica fornace liberavit, ita templa & sacra vasa ab incendio, destructione, furto, ac direptione æque servare.

12. Altera ratio est, quod Deus passus sit aliquando illa auferri, vt per ea vasa sanctissimum suum nomen, & incomparabilem potẽtiam, & maiestatem admirandis signis apud sacrilegos declararet. Sic Daniel. 5. in Balthasarem sacra vasa profanantem, per articulos manus scribentis in pariete, sententiam mortis Deus pronuntiavit, eademque nocte vitæ, vrbis, & monarchię excidio punivit. Et Philisthæos, cum arcam cepissent, varijs lacessivit plagis, ostendens se idola secum non pati. Deducta enim in Philisthinorum provinciam arca magna edidit divinæ virtutis, atque furoris documenta: cum enim inducta foret in templum Dagon, ipsum ab arca, vbi religiosè colebatur ab Azotijs, deturbavit: & ad aram, vnde ceciderat, iterum relatus; iterum cum maioribus detrimentis excutitur, sine capite, ac manibus, quæ à reliquo trunco diffracta dissiluerunt. Neque tantum in mutum illud, & saxeum simulachrum sævitum est; sed etiam in populum idololatram, quẽ Arca Dei fœdo, & acerbo percussit vulnere: imo & in agros, quos enati repentè mures infinito numero, & ranæ pestilentes, & noxiæ populabantur. Ita vt Azotij cum tot afficerentur incommodis, neque in posterum leviora metuerentur, consilium ceperint, deque re summa inter se deliberarint. Ac tandẽ ex vsu communi fore iudicarint, vt Arca cũ dignitate per totam provinciam traduceretur. Sed non successit ex voto consilium: nam eodem modo, quo Azotios, civitates alias, quas Arca perlustrabat, secreto quodam, ac fœdo vulnere percussit. Statuerunt tandem Arcam in suum locum continuò reducere, quia maior in dies gliscebat morbus ille turpis, & morientium, atque laborantium vlulatu omnis vbique civitas personabat: quæ omnia latius habentur 1. Reg. 5. Hæc ex Scriptura sufficiant.

Daniel. 5. | 1. Reg. 5.

Scribit Baronius anno 556. ex Gregorio Turonensi de gloria Martyrum, tempore quo Chrannus Arvernum abijsset, diversa scelera ab eius ministris perpetrata esse: & ex ijs quinque milites sacrosanctum oratorium domus Iciacensis furtim appetijsse: eoque interrupto ablatis palliolis, vel reliquis ministerij ornamentis, nocte regente, discessisse Sed quid? Protinus inter sacrilegos (qui in Aurelianense territorium aufugerant) ob rei divisionem seditione ortâ, quatuor interficiuntur: quintus vero superstes obrectis sanguine oculis excæcatur. Simile quid evenit anno 1007. militibus Henrici Cęsaris dum Flandriam vastaret. Hi divini Levini sacellum, Adalberti sacerdotis prohibitione spretâ, spoliare conantes, luminibus privantur. Narrat quoque Baronius anno 1011. militem quemdam ex bonis S. Clementis vi ablatis tectum facere volentem, à muribus, frustà fugæ instrumenta adhibentem, ad mortem vsque corrosum miserè interijsse. Notatu etiam dignum est, quod scribit Nicol. Sanderus de schismate Anglicano, anno Domini 1543. de Henrico VIII. Anglorum Rege. qui, cũ monasteriorũ, cœnobiorum, aliorumque locorum sacrorũ, thesauros omnes cruces aureas, argenteas, omniaque sacra vasa, altarium ornamenta, omnemque deinde Ecclesiarum supellectilem in suam sacrilegus redegisset potestatem, ad tantam, Deo iustissimâ voluntate,

Baronius. | Baronius. | Nicol. Sand.

luntate,

luntate, pervenit inopiam, vt longè pauperior intra paucos annos fuerit, quàm vnquam aut antè ipse, aut maiores eius fuerunt. Quin ille solus plura tributa & vectigalia civibus suis imposuit, quam omnes simul Reges per quingentos ante annos fecerant.

13. Verum his ita decisis, dices adhuc scrupulum restare ex definitione sacrilegij, quæ rem non sacram ex Ecclesia sublatam sacrilegium declarat: videlicet cur ergo Magistratus nõ animadvertat acriùs in eos, qui res etiam non sacras in loco sacro furantur, vt deposita aliorum, candelas, crumenas fidelium, aliaque per accidens ibi existentia.

Respondeo causam esse, quod ius civile non existimet sacrilegium, nisi cum res sacra de loco sacro aufertur ex l. *Divi* ff. ad l. Iuliam. Et Legistæ in eandem l. *Divi*, & l. *Sacrilegi* eodem, aiunt ad sacrilegium propriè dictum requiri, & quod res sacra ablata sit, & è loco sacro: ex quo inferunt, si quis calicem consecratum ex oratorio privato surripiat, non propriè, sed quasi sacrilegum esse, arg. cit. l. *Sacrilegi*. Item qui res privatorum in ædem sacram depositas subripuerit, furem & non sacrilegum censeri, iuxta cit. l. *Divi*.

Verum hæc inserviunt quidem ad externum forum, vt tales mitius puniantur, quam ij, qui vtramque malitiam vno actu coniungunt, rem sacram è loco sacro surripientes; tamen audiendi non sunt, cum negant illos etiam verè ac propriè sacrilegos esse: partim quia non ad leges civiles, earumque interpretes, sed ad sacros canones pertinet definire, quidnam sacrilegij crimen sit: id autem clare definitum est in cit. cap. *Quisquis*, 17. q. 4. partim vero, quia illæ leges, quas adducunt, parum probant, sicuti rectè notavit Petrus Tholosanus lib. 33. syntagmatum cap. 14. n. 8. Nam in l. *Sacrilegi*, ait Paulus Iureconsultus; Sacrilegum esse, qui publica sacra compilaverit; qui vero privata sacra, amplius, quam furem, minùs quam sacrilegum promereri. Atqui calix, v. g. ab Episcopo ad Missę sacrificium, quod semper publicum censeri debet, consecratus, inter publica sacra procul dubio numerandus est. Quæ autem privata sacra censeantur, explicat Gloss. ibi. ver. Compilarunt. Ad l. *Divi*, respondeo rectè rescriptum fuisse, *res privatorum, si in ædem sacram deposita, subreptæ fuerint furti actionem esse*, ad recuperationem rei; sacrilegij tamen etiam ad publicam vindictam. Nam *locus facit, vt idem vel furtum, vel sacrilegium sit*, ait Claudius Saturninus in l. *aut facta* ff. de pœnis. Et clarè Cicero lib. 2. de legibus, *Sacrilegij pœna est, neque ei soli, qui è sacro abstulerit, sed etiam ei, qui sacro commendatum*. Quare hanc sententiam, quod furtum rei non sacræ ex loco sacro, sacrilegij crimen sit, docet Glossa, & Canonistæ in cit. cap. *sacrilegium*, & c. *Quisquis*, 17. q. 4. Angelus Sylvester, Armilla verb. Sacrilegium, Navar. c. 6. n. 4, Suarez. t. 1. de relig. tract. 2. lib. de reverentia debita locis sacris. cap. 5. Eaque certa esse videtur, quod attinet ad res depositas in templo: quia aliquo modo pertinent ad Ecclesiam, in cuius fidem atque immunitatem susceptæ sunt: idque satis confirmatur ex lib. 2. Machab. cap. 3.

Tholosanus *Claud. Saturn.* *Cicero.* *Navar.* *Suarez.* *2. Mach. 3*

Discursus

Discursus V.

An, & quanam illicita bonorum acquisitio sit contra iustitiam proprie dictam?



FVrtum non solum comprehendit occultam rei detrectationem, invito Domino, sed etiam latissimè sumptum, omnem iniustitiam. hinc tractabo quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam, prænotandum est vocabulum iustitiæ tripliciter sumi in sacra Scriptura. Primò pro iustitia legali quæ nempe circa omnia virtutum opera ob Reipublicę fęlicitatem versatur.
Sap. 1. Sic sumitur Sap. 1. vbi Salomon invitans ad iustitiam Iudices dicit: *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.* Iudicibus enim hæc necessaria, si velint dominari. Nam remotâ iustitiâ: *Quid*
August. *sunt regna*, inquit Augustinus lib. 4. de civitat. cap. 4. *nisi magna latrocinia?* Et hinc Salomon in initio sui regni petijt à Deo gratiam bene admini-
3. Reg. 3. strandi iustitiam, 3. Reg. 3. in verbis: *Dabis ergo servo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter*
Esa. 11. *bonum & malum.* Et Propheta Esaias cap. 11. de regno Salvatoris nostri prædicens, inquit: *Iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ: & erit cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.* id est: Causam suscipiet abiectorum & pauperum, & potentium fraudem, & fucatam conscientiam sceleris coarguet: & qui futurus Iudex esse dicitur, recolet virtutes, quæ valde sunt ad iudicandi munus necessarię, fidelitatem scilicet & iustitiam, quæ illi quasi baltheus erunt, atque cinctorium, quæque & valde chara sunt, & nunquam deponuntur. Di-
Polidor. gna sanè sententia, quę in regia aula, vt admonet Polydor. Virgil. adagio 272. in cubiculi parietibus in sella, in solio, in foro, in tribunali circumscribatur: vt quocumque Princeps, Prętor, ac quisquis est iudex, se verterit, illam ob oculos habeat; periturus haud dubio, si mandatū violaverit. Hinc enim spoliari cingulo dicebantur, qui ex Magistratu, aut alio honesto munere cadebant.

Secūdò, pro quovis virtutis opere, quatenus per illud divinę legi ac voluntati conformamur. Sic sumitur
Deutr. 4. vbi Moyses dicit: *Scitis quod* Deutr. 4.
docuerim vos præcepta, atque iustitias, quas ego præcipio tibi. Et Ps. 17. vbi ait
David: *Iustitias eius non repuli à me.* Ps. 17.
Rursum 2. Paralip. 7. vbi Dominus 2. Paral. 7.
dicit Salomoni post dedicationem templi: *Tu quoque si ambulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus, & feceris iuxta omnia, quæ præcepi tibi, & iustitias meas iudiciaque servaveris: suscitabo thronum regni tui, sicut pollicitus sum David patri tuo, dicens: Non auferetur de stirpe tua vir, qui sit princeps in Israël. Si autem aversi fueritis, & dereliqueritis iustitias meas, & præcepta mea, quæ proposui vobis, & abeuntes servieritis dijs alienis, & adoraveritis eos: evellam vos de terra mea, quam dedi vobis, domum hanc quam sanctificavi nomini meo, proijciam à facie mea, & tradam eam in parabolam, & in exemplum cunctis populis.* Quin etiam in
Evangelio Matth. 5. vbi Dominus Matth. 5.
inter beatitudines dicit, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*, Et, *Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.*
In quæ verba Chrysostomus homil. Chrysost.
16. in Matth.: *Hic iustitiam universam dicit profectò virtutem. Sicut etiam de S.*
Iob loquens, ait: Erat homo iustus irrepre- Iob. 1.
hensi-

1. Tim. 1. *hensibilis. Iuxta hunc modum etiam Paulus signanter iustum vocabat, cui nec legem positam esse dicebat. Iusto, inquit, lex non est posita. Sæpissime quidem in Scripturis pro generali virtute positum hoc nomen invenies.*

Et hinc è contra omne peccatum, iniustitia appellari solet. Sic sumitur illud Pauli Rom. 1. *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum.* q. d. Revelabitur in die iudicij omnes homines, qui fide Evangelij destituti fuerunt, veritatem Dei in iniustitia detinuisse, ideoque esse peccatores, impios, & iniustos, ac consequenter Dei iræ, & vindictæ æternæ esse obnoxios. Et Ioan. 7. vbi Dominus ipsum vindicans à calumnijs Iudæorum dicit: *Qui quærit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, & iniustitia non est in eo.* id est, mendax non est, vt vos Iudæi, qui propriam quærentes gloriam, hominum traditiones divinæ legi contrarias populo obtruditis, nec iniustus vt vos, qui mandata divina transgredimini, iuxta illud Matth. 15. *Quare & vos transgredimini mandata Dei propter traditiones vestras?*

Rom. 1.

Ioan. 7.

Matt. 15.

Tertiò sumitur, vt est particularis virtus in ordine ad alterum; cuius obiectum est iustum pressè ac propriè sumptum, vt est idem quod æquum. Et de hac ait Salomon Sap. 8. cum sapientiam laudans dicit: *Et si iustitiam quis diligit, labores huius magnas habent virtutes: sobrietatem enim & prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem, quibus nihil est in vita vtilius hominibus.* Accipitur enim hîc pro speciali virtute, cuius oppositum est iniquum, quod iniuriam alterius comparatione involvit. Atque hoc modo sumpta computatur inter virtutes cardinales, & eandem Deus Ezechiel. 45. opponit iniquitati & rapinæ. Vnde post reditum è Babylone, sectâ Hierosolymâ in quatuor portiones, primum sanxit leges iustitiæ, his verbis: *Hæc dicit Dominus Deus: sufficiat vobis, Principes Israël: iniquitatem & rapinam intermittite, & iudicium, & iustitiam facitè; separate confinia vestra à populo meo, ait Dominus Deus.* id est: sufficiat vobis, ô Principes, effusè, ac diu habenas avaritiæ laxasse; pudeat iam tandem iniquæ prædæ, alium instituite vivendi modum, æquitatem, atque iustitiam in iudicando servate, & ne agrorum vicinitas rapinæ vobis occasio, aut occultatio sit, curate ne fundi vestri popularibus prædis permixti sint.

Sap. 8.

Ezech. 45.

2. His positis dico primò (quamvis ad hoc Præceptũ non pertineat.) satis constare Magistratus incumbẽtes ad Reipub. commodum, non solum omnia virtutum officia præcipere: & ea quæ ad virum fortem pertinent; vt non deserere locum in acie, non fugere, non arma abijcere. item quæ sunt temperantis, vt non committere adulterium, non libidine vti. etiam quæ sunt mansueti; vt non pulsare, non convitia dicere. & in cœteris identidem virtutibus, atque vitijs illa iubere, hæc vetare. sed etiam sollicitè advigilare, vt nullus lædatur, vnicuique suum tribuatur. Sic enim ait Iureconsultus in l. *Iustitia.* ff. de iustit. & iure, cum ait: *Iuris* (id est, iustitiæ legalis) *præcepta sunt honestè vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere.* prout videlicet natura dictat, lex & consuetudo iubet. Etenim Respublica quævis triplici iure nititur; videlicet naturali æquitate, scriptâ lege, consuetudine vetustâ, sicuti colligitur ex. l. 2. ff. de aqua pluviæ arcenda.

3. Dico secundò illicitam esse omnem bonorum acquisitionem contra iustitiam secundo loco positam, quâ quis ijs neglectis, quæ ad salutem pertinent, temporale lucrum quærit, postponens regnum Dei, eiusque iustitiam. Qualis est illa quæ describitur Luc. 14. vbi vocati ad cœnam magnam sese excusarunt omnes. Primus dixit servo monenti, vt venirent: *Villam emi & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Quâ parabola significantur primùm, qui ex occupatione circa honores in seculo Luc. 14.

lo

lo isto divina negligunt adimplere præcepta. Secundò, qui circa divitias terrenas congregandas vsque adeo intenti sunt, quasi in ijs summum bonum versaretur. Rursum, qui vxoris causa divina negligentes existimant se excusari. *Quoties*, inquit Chrysost. *cum de quibusdam de vulgo disserimus dicentes: Cur non rectè vivis? quamobrem non præstas mores absolutos? Qui possum, inquiunt, nisi divertam ab vxore, nisi valedixero liberis, nisi valere iussero negotia?* Sed hoc esse declinare in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, expressè Dominus his verbis indicat: *Dico autem vobis, quod nemo virorum istorum, qui vocati sunt, gustabunt cænam meam.* Et hinc Christus Luc. 12. dum quidam de turba magis terrenis opibus, quam spiritualibus & æternis inhians, ab ipso peteret, vt fratrem cogeret substantiam & hæreditatem, quam cum illo communem & indivisam habebat, suâ auctoritate ad eiusdem divisionem in verbis: *Magister, dic fratri meo vt mecum dividat hæreditatem.* Respondit illi: *Homo, quis me constituit iudicem, aut divisorem super vos?* Hoc modo illum interrogās, quia postpositis à Christo petendis, quærit quæ minima sunt, quæque ad Christum non pertinent. Et hinc rem indecisam relinquens ad discipulos, aliosque de turba simul sermonem convertit dicens, *Videte & cavete ab omni avaritia.* q. d. iuxta Cardinalem Toletum in hunc locum: *Considerate hoc præsens factum, nempe fratrum discordiam ob hæreditatis possessionem: Vnus enim retinet non sua, alter à me petit temporalia sua, spiritualis suæ salutis oblitus, quæ præcipuè quærenda est. Vtrumque à nimia, & immodica cupiditate profectum est; videte ergo, & perpendite hæc, & ab omni cupiditate, & avaritia abstinete, tam ab ea, qua quod alienum est, retinetur, quam ab ea, qua quod suum est, homo plus nimio quærit.*

Chrysost. hom. 4. de verbis Esaiæ: vidi Dominum

Luc. 12.

Toletus.

D. Chrysostomus huiusmodi homines perstringens hom. 31. in Genes. perpensâ obedientiâ Abrahami, ad primam Domini vocem egredientis de terra sua, & de cognatione. de domo patris, & concedentis in terram Chanaan, moralem hanc subnectit invectivam: *Nos qui non de terra in terram vocamur, sed de terra in cælum, non eandem, quam ille iustus alacritatem obediendo exhibemus, sed frigidas plerumque & inutiles præteximus causas. Et neque nos promissorum magnitudo, neque visibilium rerum vilitas, neque quod terrena sunt, & momentanea, neque vocantis dignitas attrahit: sed tantæ sumus negligentiæ, vt præferamus momentanea semper manentibus, terram cælo: ea quæ avolant antequam habeantur, ijs quæ nunquam finem habere possunt* Et immediatè post subiungit, quod huic proposito congruit: *Quousque enim, dic quæso, ita insanimus in colligendis pecunijs? quæ rabies cogit quotidie à tam molesta concupiscentia infestari, & nunquam satiari, sed deterius habere, quam ebrij: Nam sicut illi quanto magis mero se distendunt, tanto magis flagrant siti, & caminum succendunt minus tolerabilem: ita nimirum & isti, qui sese tyrannidi avaritiæ subiecerunt, nullum concupiscentiæ finem sciunt: sed quanto plura affluunt, eo magis flamma crescit, & caminus ardet validius. Non videmus, quod ij qui ante nos fuere, quamvis totius orbis, vt ita dicam, victores essent, nudi & solitarij ex hac vita abrepti sunt? hoc solum inde consecuti, quod rationes & pœnæ pro omnibus illic ab eis exigerentur. Et sæpenumero facultates eorum inimici inter se distribuerunt: peccata autem quæ ex illis contracta, ipsi solum secum ferentes, abire, & pro ijs magnæ indignationis supplicia sustinentes, consolatione vndique destituuntur. Quare igitur, dic oro, tam negligentes salutis nostræ, ita consultamus de anima nostra, quasi aliena esset & non nostra? Non audis Christum dicentem? Quam dabit homo commutationem animæ suæ? Et iterum: Quam vtilitatem accipit homo, si totum mundum lucrifacit, animæ vero detrimentum patiatur? Num habes quod pro hac pendatur dignè? Etiam si totum orbem dixeris, nihil dices.*

Chrysost.

Propterea D. Paulus rectè dixit avaritiam esse idolorum servitutem; & Corinthianos monuit erga hæc temporalia cor non appponere, dum 1. ad Corinth. 7. inquit: *Reliquum*

1. Cor. 7.

quum est vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: praterit enim figura huius mundi.

Verba enim illa eo tendunt, vt hominem expediant ab omni amore minus ordinato erga vxores, & filios, & res omnes mundi huius caducas, & fluxas, quibus non decet possessorem à vita æterna impediri. Hinc pulchrè S. Augustin. tractatu 40. in Ioannem, cuivis diviti modum vtendi pecunijs præscribens: *vtere*, inquit, *nummo, quemadmodum viator in stabulo* (in hospitio. hinc olim hospes vocabatur stabularius, vt patet Luc. 10. v. 35.) *vtitur mensa, calice vrceo dimissurus, non permansurus.* Hoc ipsum vt Iudæos efficaciter doceret Deus, instituit annum quinquagesimum iubilęi, sanxitque, vt illo anno omnes agri, & prædia coëmpta ab emptore redirent sine pretio ad priorem dominum, qui ea vendiderat: cuius sanctionis causam dat Levit. 25. dicens: *Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos advenæ & coloni mei estis: vnde cuncta regio possessionis vestra, sub redemptionis conditione vendetur.* q. d. Ego Deus altum, transcendens, verum, ac proprium in terram vestram habeo dominium; quare licet mihi quas volo conditiones venditioni eius apponere, maximè cum in eam vos, tanquam advenas & colonos induxerim, talesque semper manere velim. Quare volo & statuo, vt possessiones quælibet anno iubilæi redeant ad priores dominos. Idque vt sic perpenderemus habitum, speciem, ac statum mundi fugacem, & bona temporalia ab vno ad alium transire, vti & honores; & hominem nudum ad aliud seculum transmitti.

August.

Levit. 25.

Hinc Sapiens Proverb. 23. *Noli laborare, vt diteris*, seu ne anxius & solicitus sis, vt divitias consequaris. Et subdit: *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere: quia facient sibi pennas sicut aquila, & volabunt in cælum.* id est. Ne concupiscentiam tuam eâ contentione ac velocitate post divitias moveas, quâ aves ad prædam volant: quandoquidem illas diu possidere non potes. mox enim habentur, & mox abeunt; nam cum eas obtinueris, *assument sibi pennas sicut aquila, & volabunt in cælum.* Hæc verba per comparationem sic edisserit Caietanus. Sicut enim aquila cœlipeta cum se infernè deposuit obtutibus nostris patet, mox vero vbi in altum revolat, oculorum aciem fugit, adeo vt dicere possis videri ipsam & non videri, quia necdum perspicuè apparuit, cum statim evanescit. Sic etiam de opum instabilitate, & temeritate decernendum est, ipsas quidem esse & non esse, quia cum apud aliquem sunt, nequaquam diu permanent, sed ocius diffugiunt; & ab oculis se subripiunt; Accipe verba Chrysostomi in Genes. homil. 1. ad illa verba Amos 6. *Tanquam stantia arbitrati sunt, & non tanquam fugientia*, quæ sic expendit: *Et hæc quidem quasi stantia arbitrati sunt & remanentia, & non quasi fugientia, & avolantia, & ne ad momentum quidem apparentia. Talia enim sunt omnia humana, & carnalia. nondum rectè advenerunt & avolarunt: tale quiddam est vniversa huius vita prosperitas, nihil firmum habens, nihil subsistens, nihil fixum, &c.* Et homil. in illud. *Astitit Regina à dextris tuis. Cur*, inquit, *divitias tot captas obsequijs, quæ hodie penes te sunt, evolaturæ crastino ad alium? cur tantopere demereri studes divitias, quæ detineri non possunt?* Vnde vir quidam huius temporis singulariter doctus, sic philosophatur: *Dic mihi, o villa, o domus, o præbenda, o pecunia quot dominos habuisti, & quot adhuc habitura es? Dic vbi Salomon ille Rex sapientissimus, vbi Samson fortissimus, vbi Absalon pulcherrimus, vbi Cicero disertissimus, vbi Aristoteles acutissimus? Tot clari proceres, tot rerum spatia, tot ora præsulum, tot membra fortia, tot mundi Principes, tanta potentia? in ictu oculi clauduntur omnia. O esca*

Prov. 23.

Caietan.

Chrysost.

Amos. 6.

vermium, ô massa pulveris! o res, o vanitas, quid sic extolleris? quid quæris? quid ambis? felix qui potuit mundum contemnere. Hæc latius deduxi, non quod huic præcepto sint propria, sed quod plurimum conducant ad vitanda crimina, quæ hoc præcepto prohibentur.

4. Pergo itaque, & Dico tertiò, acquisitionem bonorum contra iustitiam commutativam hoc præcepto vetari. Illud enim omnem iniustitiam erga alterum, & commutationes involuntarias expressè inhibet cum obligatione ad restitutionem: quia videlicet Dominus, vt ait Moyses Deuteronom. 25. *aversatur omnem iniustitiam*, quæ nempe ex furto, rapina, sacrilegio, aut quovis iniusto privationis modo procedit, vt vi, dolo, & similibus. Vnde & huiusmodi hominibus gravissimas pœnas intentat, vt patet Isa. 5. vbi Dominus conquerens de Synagoga, quasi de vinea, quæ ritè exculta pro vvis dedit labruscas, scilicet, avaritiam, crapulam, iniustitiam, aliave vitia. inter alia sic ait per Prophetam, *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci, nunquid habitabitis vos soli in medio terræ?* id est: Væ vobis avari, qui omnia per fas & nefas vultis occupare, qui agros agris, domos domibus copulatis, donec totum possideatis vrbis, aut regionis spacium, quod vestræ cupiditati, vel ambitioni præfinistis. Et subiungit: *In auribus meis sunt hæc.* quod idem est ac si dicat: Audio clamosas vestras lites, fraudes, rapinas, oppressiones pauperum, eorumque vicissim lamenta, & clamores: nec surdas sed patulas eis aures præbeo; vt vindictam meam excitent, eaque in vos furibunda prosiliat: *Nisi domus multæ desertæ fuerint, grandes & pulchræ absque habitatore. Decem enim iugera vinearum facient laguncul am vnã, & triginta modij sementis facient modios tres.* id est: Non solum aio ad me scendere lamenta & clamores pauperum, sed iuro per deitatem & veracitatem meam, quòd domos & agros vestros, quos tam cupidè & avarè sine mensura & termino accumulatis, exscindam, redigamque in solitudinem & sterilitatem; ita vt ex decem vinearum iugeribus tam paucas colligatis vvas, vt ex ijs vnam tantum vini lagenam exprimere possitis; & ex copiosa triginta modiorum semente, vix tres modios, id est, decimam sementis partem, in messe colligatis.

Deut. 25.

Isa. 5.

Hæc autem omnia contingere ob aliorum oppressionem & iniustitiam colligitur tum ex verbis: *copulatis vsque ad terminum loci.* tum ex eo quod Propheta cap. 1. dicit. *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena iudicij: iustitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.* id est: Quomodo Hierusalem, quæ antea fidelis Deo, ei quasi marito fidem pudicæ servavit, illique soli adhæsit, indeque fuit plena iustitiæ, seu pios & iustos habuit iudices, nunc facta meretrix, quæ vndecumque quæstum facit, ad idola quasi adulteros, indeque ad fraudes & iniustitias deflexit; & *iustitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ,* seu talis facta est Hierusalem, quæ omnes gentes, eorumque vitia & mores, præsertim fraudes & iniustitias in se recipit: ita vt omnium nationum scelera, quasi proluvies quędam, in illud commune diversorium influant.

Rursum Abacuc 2. vbi Propheta audiens à Deo Chaldæos excisuros Ierusalem ob eius scelera, indoluit, excidiumque deprecatus est, conquerens non decere, vt fidelibus dominentur infideles, eosque disperdant. Cui respondet Deus se Chaldęorum, postquam per eos punierit Iudæos, aliasque gentes, illicò perditurum, ac puniturum tyrannidem, quam in populum Dei exercuerunt. Vnde pangens Nabuchodonosori carmen lugubre, multiplex væ eius arrogantiæ, avaritiæ, & rapinis intentat, dicens: *Væ ei qui multiplicat non sua! Vsquequo & aggravas contra se densum lutum?*

Abac. 2.

lutum? id est: Densat opes, vt ex ijs copias, & robur suum conflet, ex quibus perniciem & exitium conflabit: *Opes enim*, vt inquit Remigius, sunt densum lutum, quia sinceritatem mentis confundunt, & gravissimo pondere iniquitatis mentem premunt, præsertim quando cum iniustitia cumulantur. Hinc paulo post subdit Propheta: *Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat de manu mali. Cogitasti confusionem domui tuæ, concidisti populos multos, & peccavit anima tua. Quia lapis de pariete clamabit: & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit. Væ qui ædificat civitatem in sanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate.* q. d. Nabuchodonosor rapit opes Gentium, vt ijs domum sibi construat, in qua quasi in nido securè ac molliter conquiescat, sed revera eas colligit in malum, & excidium domus suæ. Nam propter hanc rapinam puniet eum Deus, & domum ex rapinis ædificatam disturbabit. Rursum prædæ eius congestæ in hanc domum irritabunt Cyrum, & Persas ad eam invadendam, vt prædas hasce prædentur. Et ne miretur hæc illi adventura; tam enim enormis est eius iniuria, tyrannis: & violentia, vt celari nequeat, seu tam manifesta est, vt etsi homines tacerent, ô Nabuchodonosor, tamen lapides ipsi, & ligna etiam abdita in iuncturis, quæ rapuisti, vel raptâ pecunia emisti, ad palatia tua, & muros in Babylone erigendos; cum illa à Cyro capientur, incendentur & vastabuntur, velut pari aut alterno concentu, coram Deo & toto mundo palam testatura & clamatura sint, te improbum esse raptorem & tyrannum; itaque tibi conviciabuntur & insultabunt, ac Dei vindictam, omnesque diras hostiliter imprecabuntur; eò quod illis vim intuleris, auferendo ea è loco suo. naturali enim appetitu desiderabunt, & quasi clamabunt, poscentia iustitiam à Deo, vt suo loco restituantur. Est prosopopæia, similis illi Isaiæ 14. 7. *Abietes quoque lætatæ sunt super te, & cedri Libani.* Et cap. 33. *Luxit & elanguit terra, confusus est Libanus.* Inducit enim Propheta quasi in comœdiam lapides, & ligna Babylonis, instar chori alternis concinentia, & proclamantia tyrannidem Nabuchodonosoris, eiusque stragi, & cladi insultantia, & dicentia: *Væ qui ædificat civitatem*, &c.

Remigius

Isa. 14. Isa. 33.

Notatu dignum est, quod Chrysost. hom. 30. in Genes. in illos torquet, qui vt perpetuam memoriam consequantur, cum aliorum iniuria splendidas domos, balnea, porticus ædificant: *At enim*, inquit, qui sunt huiusmodi, *illis rebus non tam laudem, quam probrum & crimen sibi parant: nam illa opera spectantes, contumeliose eos nominant. Aedificium hoc, inquiunt, est illius avari, illius raptoris, illius viduarum, & orphanorum spoliatoris. Igitur hoc non est memoriam assequi, sed perpetuis obijci criminibus, & infamari etiam post mortem, & spectatorum linguas in sui accusationem, & blasphemiam acuere. Quid quod huiusmodi opera nomen & memoriam eius, qui fecit, aut possedit, non diu custodiunt? Etenim sic res habet: subinde ab hoc ad alium transeunt, & ab illo item in alium. Et hodie quidem domus dicitur huius, cras dicetur alterius. Itaque nos ipsi vehementer decipimus, dum putamus nos dominium quasi perpetuum habere, cum vsu tantum fruamur: & sive velimus, sive nolimus, & alijs, & nonnunquam ijs, quos minime amamus, aut etiam odimus relinquere cogamur.*

Chrysost.

5. Bone Deus! quot sunt qui ex iniquo splendidè epulantes: quot, inquam, qui terminos pupillorum, Ecclesiæ, & pauperum his turbulentis temporibus invaserunt, eorumque proventibus hactenus sine iusto titulo, tanquam proprijs gavisi sunt! idque tam liberè, quasi non respiceret Deus, qui non solũ Iudæis Deuteron. 19. posuit hanc legem, *Non assumes & transferes terminos proximi tui:* sed etiam per Sapientem omnibus, dicens: *Ne attingas parvulorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas.* id est: ne attingas terminos parvulorum, orphanorum, ad transferendũ eos, & dilatandos proprios agros:

Deut. 19.

Prov. 23.

neque ingrediaris eos, ad invadendum,& occupandum,aut ad metendum,&colligendum fructus eorum: *Propinquus enim illorum fortis est, ipse iudicabit contra te causam illorum.* q. d. Persuasum est hominibus, pupillos defensore ac vindice carere, ideoque eos audacter multi invadunt. Non ita est: sed Deus ipse illorum patrocinium sibi sumit, vt eorum res sartas, tectasque ab ingressoribus iniustis præstet. Et ipse redemptor,& iudex fortis est, qui non derelinquet eos, sed iudicabit, & redimet agros è manibus vendicantium illos iniustè. Propinquus enim in Scriptura significat sæpe redemptorem, vt Ruth cap. 3. & 4. cum dicit ad Booz: *Expande pallium tuum super ancillam tuam, quia propinquus es.* & dum Booz dicit: *Nec abnuo me propinquum.* Et provenit ex eo, quod Levit. 25. cum quis attenuatus apud Israëlitas vendiderat possessionem suam, propinquior poterat redimere quod venditum erat. Rursum in iure civili, redemptor litis aut causæ is dicitur, qui pretio aliquo, aut mercede pactâ, litis periculum in se suscipit, eiusque periculum præstat, vlpian. l. 5. & 7. §. 6. ff. mandat. & leg. etiam 5. C. de procur. & l. 22. C. Mandat. & l. 9. §. 1. ff. de offic. proconf. Hinc vides quam aptè Salomon Deum pupillorum redemptorem fore affirmet, qui videlicet litem illorum litiget, id est, redemptoris in morem vniversum illius periculum in se suscipiat, & eiusdem cautionem præstet: qui scilicet perinde causam eorum agat, ac si sua ipsius interesset, & ipsius bonis fraus fieret.

Ruth. 3. & 4.

Levit. 25.

Vlpianus

6. Verum quæres: An ille, qui res inventas sibi vendicat, iniustitiam committat?

Respondeo res inventas varij esse generis, iuxta doctrinam D. Thomæ 2.2. q. 66. a. 5. ad 2. Et primo quædam sunt, quæ nunquam dominum habuerunt, vt insula mari nata, gemmæ, & lapilli in maris littore: & hęc primo occupantis fiunt. Quod enim ante nullius est, naturali iure occupanti conceditur, l. adeo, §. insula. ff. de acquir. rer. dominio. Porro de alveo derelicto à flumine, cum ad aliam partem defluere cœperit; item de insula in flumine nata, respondetur cit. §. Insula, & §. quod si toto, ff. eod. ad eos pertinere, qui propè ripam prædia possident, pro modo latitudinis cuiusque prædij. Venæ tamen metallicæ, & lapicidinæ, quæ in proprio fundo natæ sunt, ad fundi dominum iure gentium, & seclusâ speciali consuetudine, aut lege spectant. De quibus, si placet, vide latius Ludovic. Molinam, tom. 1. tract. 2. q. 54. aliosque auctores.

D. Thom.

Molina.

7. Secundò, sunt res quædam, quæ inveniuntur, vt merces, quæ vi tempestatis iactantur in aquam; aut ea quæ fluminum inundationibus auferuntur, vt vini, vel olei dolia, vel arcæ, vel vascula, aut alia quę de incendijs eripiuntur. De his dico resolute eas neminem absque iniustitia sibi posse vendicare. Ratio est, quod eo ipso quo in aquas proijciuntur, non habeantur pro derelictis. Vnde quamdiu ex circumstantijs probabilis præsumptio non potest colligi, eas pro derelictis habitas, puta, quia Dominus longè abcessit, neque reversurus, iactumque requisiturus putatur, vel si præsens sit, & cum facile recuperare possit, dissimulat & contemnere videtur, non licet eas sibi retinere; sed restituendæ sunt, non obstante quod dominus eas nunquam recuperasset, nisi alter singulari industriâ, cum vitæ etiam periculo ab interitu vindicasset, sicut ex §. alia sanè, instit. de rer. divisione, & ex l. Pomponius de acquir. rer. domin. constat. vbi dicitur, *Et si naufragio quid amissum sit, non statim nostrum esse desinere: denique quadruplo teneri eum, qui rapuit.* Et immediatè post. *Et sanè melius est dicere, & quod à lupo eripitur, nostrum manere, quamdiu recipi possit, id quod est ereptum.* Adeoque quælibet res quantumcumque periclitetur, manet nostra quamdiu non est consumpta. Sic enim ovis

vis ex faucibus lupi erepta, & domus ab incendio salvata, quamdiu eam cupimus nostram manere.

Idemque censendum est de ijs, quę fluminum inundationibus asportantur, vel hostium direptione liberantur, aut ab incendio diripiuntur. Ratio est manifesta, quia dominus rei dominium non amittit, nisi consentiat, sive eam pro derelicta habeat. Hinc iniustæ leges meritò censentur, quibus statuitur, vt huiusmodi proiecta naufragio fiant domini, ad cuius locum appulerint: nam prȩterquàm quod sit contra ius naturale, vtpore alieni occupatio, & magna in miseros crudelitas, est etiam contra ius civile. *authentica Navigia* C. de furtis. Et si sint bona Christianorum, occupantes ea in excommunicationem Bullæ cœnæ Domini incidunt. Neque quidquam facit lex *Falsus*, §. *si iactum*. ff. de furtis. Illa enim locum dumtaxat habet, quando pro derelictis à Domino habentur, sine animo & spe recuperandi, seu quando longo temporis cursu naufragio amissa vel iactata in fundo maris iacent, & inde casu aliquo vel arte extrahuntur. Hoc tamen addo eum qui res non derelictas tanto periculo ab interitu vindicavit, vt dixi, compensationem laboris & periculi æstimationem iure exigere posse, quia domini negotium ita vtiliter gessit. Et interea dum res pendet, veluti pignoris loco rem salvatam detinere posse.

8. Tertiò, sub rebus inventis comprehenditur thesaurus, qui dicitur *vetus quædam depositio pecuniæ cuius non extat memoria, vt iam dominum non habeat*. Quo comprehenduntur quævis opes mobiles, vt catenæ, gemmæ, vasa, nummi aurei & argentei. De quo dico primò eiusmodi inventum spectato solo naturali, & gentium iure ad inventorem spectare. Quæ enim nullius sunt, fiunt primò occupantis. Sed quia illud non observatur; Dico secundò iuxta ius Cæsareum, thesaurum in proprio fundo repertum ad inventorem spectare, §. *thesauros instit.* de rer. divis. vbi dicitur: *Thesauros quos quis in loco suo invenerit D. Adrianus naturalem æquitatem secutus ei concessit, qui eos invenerit.* Et l. vnica C. de thesauris, vbi additur ratio, *Ne Dei beneficium invidiosa calumnia prosequatur*. Quod intellige verum esse, cum arte magicâ non est quæsitus: tunc enim in pœnam criminis fisco adiudicandus venit per Iudicis sententiam: atque adeo non tenetur inventor illum tradere antequam compellatur. Ratio est, quia lex illa pœnalis est, & quidem sententiæ ferendæ, non latæ. Nihil enim aliud dicit Imperator, quam *se cuique in suis locis tribuere facultatem quærendi thesaurum, & invento fruendi; dummodo sine sceleratis ac puniendis sacrificijs, aut aliâ qualibet arte legibus odiosâ quærat.*

Dico tertiò, Si quis in alieno fundo thesaurum casu invenerit, v.g. mercenarius conductus, terram fodiat, eam excolendi gratia, non autem thesauri quærendi causâ, dimidium ad inventorem, alterum dimidium ad fundi dominum pertinere; idque secundum æquitatem naturalem obligantem in conscientia, ante Iudicis etiam sententiam. Si vero aliquis de industria, seu sine consensu domini foderit & invenerit in fundo alieno thesaurum, is integer ad domini fundum spectabit, non iure naturæ, sed ex dispositione iuris civilis l. vn. C. de thesauris; cum hac tamen limitatione, vt ex conscientia obligetur ipso invento in conscientia domino fundi dimidiam dare partem, alteram retinere possit, vsque ad Iudicis sententiam. Ratio est, quia hæc dispositio Iuris non est pœnalis, sed definitiva proprietatis rerum, vt rectè docet Navarr. cap. 17. num. 175. & Caietan. infrà. q. 66. a. 5. & alij passim. Navar.
Secunda pars, *vt totus sit domini, si de industria quæsivisti*, non videtur obligare in conscientia ante sententiam Iudicis; sed sufficit dare dimidiam partem domino fundi parte alterâ dimidiâ retentâ. Ratio est, quia ista dispositio est pœnalis, ad pu-

 nien-

niendam iniuriam, quam inventor domino loci intulisse videtur, quærendo absque eius consensu in eius fundo. Probatur ex d. l. vn. vbi sic dicitur: *In alienis vero terminis nemo audeat invitis, id est, nec volentibus, vel ignorantibus dominis, opes abditas suo nomine perscrutari. quod si nobis super hoc aliquis crediderit esse supplicandum, aut præter huius legis tenorem in alieno loco thesaurum scrutatus invenerit, totum hoc locorum domino reddere compellatur.* Rursum nota. Si quis invenisset arte magicâ in alieno fundo thesaurum, dominum fundi ob alterius maleficium dimidiâ parte non venire privandum, sed solum delinquentem.

9. Sed quæres: Si quis sciens in alieno agro thesaurum esse reconditum, eundemque emeret tali pretio, ac si nihil in agro reconditum, ad quem thesaurus spectabit?

Respondeo integrum spectare ad emptorem ex duplici ratione. Prima quod Christus Dominus hoc ipsum insinuet, Matth. 13. dicens: *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniversa quæ habet, & emit agrum illum.* Secunda, quod nullam domino ignoranti eo facit iniuriam, quandoquidem thesaurus pars, sive fructus fundi non censeatur; quod in eo non natus, sed positus fuerit: adeoque stando in solo iure naturali & gentium fiat primò occupantis, quod domino priori non tenebatur indicare.

Matt. 13.

Verum enimvero singulariter notandum, ex definitione thesauri tãtum dici veterem depositionem, seu potius defossionem pecuniæ; atque adeo pecuniam nuper defossam ab incolis metu belli, si inveniatur, proprijs dominis restituendam esse quin etiam pecuniam in angulo domus repertam, & diu absconditam, sed si dominus eius vel hæredes ignorentur, ad inventorem spectat.

Quartò aliqua inveniuntur in via publica, vt loculus, vel crumena argento plena, cuius dominus ignoratur. De his dico primò omnem diligentiam adhibendam, vt Dominus inveniatur, eoque invento, illi quod repertum est, esse restituendum. Quo sensu illud Augustini intelligitur hom. 9. ex quinquaginta: *Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti.*

August.

Dico secundò: Quando post diligẽtem inquisitionem dominus non reperitur, inventa pauperibus eroganda esse, vel ad alium vsum pium applicanda. Ratio est, quòd rerum inventarum non desinat esse Dominus, qui eas amisit; ideo si ipsimet restitui non possint, restitui debent, quibus ille vult. Est autem præsumendum, velle eum, vt hoc casu in pauperum, aliumve pium vsum erogentur, in satisfactionem pro peccatis suis. Et hæc mihi videtur consuetudo esse apud viros cordatos habens vim legis. Si autem contingat post longum tempus rem prius inveniri, quod rarum est, & Dominum diu quæsitum non comparuisse, res inventa habebitur pro derelicta, & fiet primò occupantis.

Sunt plura, quæ ad hanc rem spectant, quæ expediet occasione exigente à prudenti Confessario inquirere. Longum enim esset omnes casus huc reducere, præsertim cum iura municipalia, & consuetudines locorum sæpe contrarium dispositioni iuris communis præscribant.

Discursus

Discursus VI.

An, & quatenus in emptione & venditione furtum latissimè sumptum interveniat?

1.Thessal.4  Paulus 1. ad Thessal. 4. dicit: *Hæc est voluntas Dei* &c. *ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus.* Hæc verba dicebat Paulus ad Thessalonicenses ad hoc, vt ab iniustitia, & fraude thori alterius abstinerent, *quoniam*, inquit, *vindex est Dominus de his omnibus.* Ego eadem verba applico secundum sensum tropologicum ad omnem fraudem, avaritiam, opumque iniustitiam, præsertim ne in emptione, venditione fratrem quis circumveniat: proinde discutiam, quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam prænotandum est emptionem & venditionem contractum esse onerosum, quo mutuo consensu datur pro certo pretio merx, & originem habuit à rerum permutationibus. Olim enim cum non erat nummus; neque aliud merx, & aliud pretium vocabatur, vnusquisque secundum necessitatem temporum, ac rerum, vtilia inutilibus permutabat: quandoquidem plerumque evenit, vt quod vni superest, alteri desit: v. g. qui vino abundat, & panno indiget, is vinum cum panno permutare potest. Sed quia non semper, nec facilè concurrebat, vt cũ tu haberes, quod ego desiderarẽ, nec invicem haberem, quod tu accipere velles; insuper etiam rerum permutandarum non æqualis esset valor; nam si v. g. bos commutandus sit cum generoso equo, pluris æstimatur equus, quam bos: Ideo electa est materia, cuius publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniret, sicuti habetur l. 1. ff. de contrah. empt. & docuit Aristoteles lib. 1. Politic. cap. 6. Diciturque numus, sive nummus ἀπὸ τοῦ νόμου Aristot. quia publicâ lege æstimationis suæ quantitatem consecutus est. Item pretium, quia aliarum omnium rerum, sive mercium, quæ in commutationem venire possunt, publica mensura, sive æstimatio existit, teste Arist. 5. Et hîc c. 5. denique pecunia, eò quod primum æs pecudis notâ signari solebat, teste Plinio lib. 33. c. 3. Plinius.

2. Porro emptio & venditio tripliciter dividitur. Primo enim alia est naturalis, quâ emuntur necessaria ad sustentationem suæ familiæ, & superflua venduntur. Alia vero artificialis, qua emitur aliquid, vt per industriam revendatur v. g. cum quis emit lanam, vt inde conficiat pannum, quem deinde vendat, vel ferrum, vt efficiat gladios, catenas, aliaque instrumenta ad vsus humanos necessaria. Et sub hac comprehenduntur mechanici, qui ex quavis materia quid conficiunt, vt ex industria sua victitent. Hæc ex se bona est; hinc sic intelligi potest illud Davidicum: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit:* Vnde olim & D. Paulus artem scenofactoriam exercuit. Act. 18. de Act.18. cuius exercitio sic habetur: *Post hæc egressus ab Athenis,* scilicet Paulus, *venit Corinthum: & inveniens quemdam Iudæum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam vxorem eius (eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Iudæos à Roma) accessit ad eos. Et quia eiusdem erant artis,*

manebat apud eos, & operabatur: erant autem scenofactoriæ artis. Et ex hoc gloriabatur apud Ephesianos, dum ipsis valedicens, diceret: *Argentum & aurum & vestem nullius concupivi, ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ*, scilicet cum non obligarer, sed altari serviens, de altari poteram vivere, vt latè ostendit 1. Cor. 9. Sic etiam olim quidam Religiosi sportas & storeas texebant vt venderent, & ex eo pretio se sustentarent. Et ad hanc speciem emptionis & venditionis reduci potest agros colere, exercere opera rustica, greges alere, vt fructus vendant, & ex ijs, & fœtu, lacte, & lana pecuniam conficiant, atque ex animalibus adultis vel saginatis victum sibi quærant.

1. Cor. 9.

Tertiò est emptio quædam & venditio, quæ dicitur negotiatio, videlicet cum quis rem emit eo animo vt integram, & non mutatam carius vendat ad lucrum comparandum.

3. Huiusmodi vero sive emptio, sive negotiatio per se est necessaria, vt patet ex prædictis. Addit Divus Chrysostom. hom. in 1. ad Cor. etiam esse vtilem, videlicet quando quis in illis respicit vtilitatem proximi. Sic enim adhortans fratrum saluti invigilare, rem magis vrget, quod proximi vtilitatem respiciens, suam sibi comparet: *Si quidem*, inquit, *Deus cum invicem omnes colligare vellet, talem rebus vtilitatem imposuit, vt in proximi vtilitate alterius etiam colligata sit, & vniversus mundus hoc pacto constitutus est. Propterea si in mari tempestate exortâ, gubernator omissâ multorum salute, suam tantum quæreret, & seipsum, & cæteros quamprimum obrueret, & vniuscuiusque artis, si sua tantum quæratur vtilitas, nunquam neque vita constaret, neque ars, quæ sui ipsius quæreret vtilitatem. Propterea agricola non tantum frumentum seminat, quantum sibi satis sit. nam iampridem, & se & alios perdidisset, sed quod multis sufficiat, terræ mandat: & miles, non vt suæ dumtaxat consulat saluti, se periculis obycit, sed vt civitates in securitate constituat: & mercator non eas tantum merces transportat, quæ sibi ipsi satis sint, sed multis alijs.*

Chrysost.

4. Quę dicit Chrysostomus, per se quidem vera sunt, sed attentâ hominum fragilitate, pravaque inclinatione propter nimiam lucri cupiditatem, multis conscientiæ periculis exposita est non solum emptio & venditio, sed & maximè negotiatio. quod exprimit Sapiens Ecclesi. 26. dicens: *Duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerunt. Difficile exuitur negotians à negligentia; & non iustificabitur caupo à peccato labiorum.* q. d. Duo hominum genera ob quæstum & lucri studium difficulter se à peccatis expediunt, nempe negotiatores, & caupones. Illi enim pro lucro faciendo multa omittunt & dicere, & facere, quæ dicenda & facienda erant; vt cum mercium suarum vitia reticent, & tegunt, festos dies non servant, & id genus alia delinquunt. Caupones vero quod esculenta, & poculenta vitient, plurisque iusto vendant, multa mentientes, & ad gratiam hominum captãdam quidvis dicentes, vt quæstum faciant. Sub his vero quosvis intelligit: sunt enim particulæ explanantes, sicut apud Paulum ad Ephes. 4. *Vinum*, dum vetat ebrietatem; vino enim omne inhibet, quod inebriare potest, & ad luxuriam disponere: Cæterum non dicit illas duas species officiorum esse malas, vt quę Reipublicæ sint necessariæ, sed eas difficulter sine peccato perfici: quomodo Christus divitias non dicit esse malas, sed difficile esse, vt dives ingrediatur regnum cœlorum, quod difficile sit eis non abuti, aut non nimis eis affici. Quod magis exprimit similitudine cap. 27. Sapiens dicens: *Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur; sic & inter medium venditionis & emptionis angustiatur peccatis. Conteretur cum delinquente peccatum.* Quod sic explicat Iansenius: *Sensus huius parabolæ*, inquit, *est: Sicut in medio lapidum sibi coniunctorum palus sic figitur, vt eximi nequeat & extrahi, dum ab omni parte lapidibus sibi fixè adhærentibus*

Eccles. 26.

Ephes. 4.

Eccli. 27.

Iansenius.

tibus premitur: ita & inter emptionem & venditionem sic peccatum angustiatur & premitur, vt agre fieri possit, quin inter illa concludatur: dum & ab vna parte emptor fallere studet, ab altera parte venditor, & ille quidem vilius rem emere laborat, iste vero carius vendere: atque ita fit vt ipsum peccatum conteratur, comprimatur, ac quodammodo vim vndique simul cum delinquēte patiatur. Huius rei causam Sapiens ibidem insinuans, inquit: *Propter inopiam multi deliquerunt, & qui querit locupletari, avertit oculum suum,* seu per inopiam plerique multa scelera committunt, & qui quærit avidè fieri dives, avertit oculum suum, ab eo scilicet, in quem oculos suos intentos habere debebat, hoc est, à Deo, mandatis eius, atque iustitiâ. Sicut & de iniquis senioribus, in historia Susannæ dicitur, quod *everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.* Simile huic loco est quod dicit Paulus: *Qui volunt divites fieri incidunt in desideria multa nociva, & inutilia. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Et hinc videtur natum proverbium,

Daniel 13

1.Tim.6.

Vnusquisque fur est in negotiatione sua.

Speciosus sanè titulus, quo fraudulenti sibi abblandiuntur, struentes viam non ad cœlum, sed ad perditionem.

5. His positis, quæres præcisiùs quanam ratione contingat in emptione & venditione iniustitiam committi.

Respondeo triplici modo id fieri. Primò ratione pretij; secundo ex parte rei; tertiò ratione temporis: de singulis ordine dicēdum. Quantum ad primum modum attinet (de quo nunc solum agam) necessarium scitu est, duplex esse rerum venalium pretium, teste Aristot. 5. Ethic. c. 7. vnum legitimum, quod nempe lege Principis, vel Reipublicæ, vel eorum authoritate taxatum est. Alterum naturale, quod sine humana lege, aut decreto ex rerum naturis, conditionibus, & circumstantijs consurgit, & à vulgo, vel foro definitur, ad quod reducitur, quod mercibus, quæ in provinciam aliquam, in qua vendi non consueverant, asportantur, imponitur. nam prudentis arbitrio definitur. Ita Molina tom. 2. disput. 348. Tolet. lib. de septem peccatis c. 47. Sylvester verb. empt. §. 7. Illud autem non consistit in indivisibili, sed latitudinem habet supremi, medij, & infimi, seu rigorosi, vel regidi, moderati, pij, & minimi, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 77. art. 5. ad 1. alijque auctores. Cuius rei ratio est, quod æqualitas mathematica inter rem & pretium sciri non possit (nisi ex revelatione Dei) sed moralis, quâ plura inter se inæqualia vni alteri æquari possunt; & ad hanc æqualitatem constituendam ordinatur iustitia, quæ humana, & moralis est virtus: vnde & medium virtutum moralium latitudinem habere dixit Aristot. 8. Eth. cap. 8.

Aristot.

Molinâ
Toletus.
Sylvester
D. Thomas
Aristot.

6. His attentis dico pretium legitimum & iustè taxatum sic servandum esse; vnde si taxatum sit in vtilitatem ementium, peccatum est rem pluris vendere, quamvis possit minoris emi, vt in taxatione frumēti. Si in vtilitatem vendentium, non licet rem minoris emere, quamvis possit pluris vendi, vt in taxatione censuum. Si vero in vtilitatem ementium & vendentium, non licet pluris aut minoris emere aut vendere, vt in taxatione vini: & recedens notabiliter ab illo pretio, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. Ratio est, quod leges civiles possint obligare in conscientia sub mortali, ad ea etiam, quæ non sunt de lege naturæ, propter commune bonum, ne cives præsertim pauperes gravissima incommoda patiantur.

Confirmatur duplici ratione. Prima est, quod legitimus Magistratus vtatur potestate sibi à Deo traditâ, iuxta illud Sapientis cap. 6. *Audite Reges, &c. quoniam data est à Dominò potestas vobis.* Et illud Pauli ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo,*

Sap 6.
Rom. 13.

Deo. Quæ autem sunt (potestates, dominia, gubernationes) *à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt* (ordinationi, ac voluntati divinæ) *ipsi sibi damnationem acquirunt.* Ibi etiam præcipit non solum timore pœnæ humanæ; sed etiam peccati evitandi causâ illi obediendum esse, in verbis: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram; sed etiam propter conscientiam.* Altera ratio est, quod iure naturæ, & in iustitia teneamur non excedere iustum pretium in venditione: at iustum pretium est, quod lege taxatur, iuxta illud Sapient. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Ergo sequitur transgressores legis teneri ad restitutionem, quia violatio iustitiæ commutativæ obligat ad restitutionem, & quia emptor patitur iniustum nolens, & invitus.

Sap. 8.

Idque verum est, nisi ex iudicio prudentum constet taxationem esse manifestè iniustam: vnde quamdiu illud evidens non est, necesse est subditos se conformare legi. neque licet vllâ ratione ei contravenire per circuitum ambulando, vt fit, quãdo emptor simul cogitur à venditore iuxta triticum, oleum, ligna, aliave pretio taxata, emere hordeum, avenam, vel aliud simili pretio non taxatum, quin contraveniens committat peccatum iniustitiæ cum onere restituendi. Idque non solum quando res emptori est inutilis, vel non ita necessaria, aut quando rem maiori pretio vendit quam valet: sed etiam cum cogit emere simul rem sibi vtilem, & necessariam. Ratio est, quod illa obligatio sit pretio æstimabilis. Nec refert quod illa merx maiori pretio constet venditori, quam sit lege taxatum, modo tempestivè sciverit. Ratio est, quia lex commune bonum respicit, ac communiter accidentia: nec semper mercatores lucrari debent, sed interdum etiam perdere, propter suam ignorantiam, vel infœlicitatem.

Rursum non est, quod quis hac in re Principi, aut Magistratui succenseat: tenetur enim sub peccato mortali communis boni habere rationem, nec potest alicui etiam privilegium concedere, vt sibi soli liceat aliquod genus mercis invehere ad politicam vitam necessarium, nisi simul pretium taxet, quantumvis pecunijs egeret pro bono publico. debet enim pro officio suo impedire, ne cui cum notabili damno Reipub. occasio detur iniquo aliquid pretio vendendi. Hæc quoad legitimum pretium.

7. Quantum ad naturale attinet, dico eum, qui rem vendit supra triplicem latitudinem notabiliter amplius, etiamsi non lædat intra dimidium, peccare mortaliter contra iustitiam, & teneri ad restitutionem. Probatur, quia Dominus Levit. 25. cap. hoc inhibuit, dicens: *Quando vendes quidpiam civi tuo vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum.* videlicet vt contra legem à me præscriptam velis pluris rem vẽdere, aut minoris emere quam valeat res, sive vsus & fructus rei vsque ad iubilæum. Hoc est enim quod sequitur: *Sed iuxta numerum annorum iubilæi emes ab eo, & iuxta supputationem frugum vendet tibi*: ita scilicet, vt, si pauci anni supersint vsque ad iubilæum, minoris res vendatur; si plures pluris: vendi enim res debet, iuxta supputationem fructuum, & frugum suarum. ergo si paucos paucorum annorum fructus emptor percepturus est, minoris rem emat, si plures; pluris. Hoc est enim quod sequitur; *tempus frugum vendet tibi* ex D. Paulo 1. ad Thessal. 4. vbi inhibet, ne quis *supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum: vindex est enim Dominus de his omnibus.* Et l. *iure naturæ.* ff. reg. iuris, dicitur: *Iure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento, & iniuriâ fieri locupletiorem.* Simile quid dicitur l. iure succursum §. fin. ff. de iure dotium. & Cicero 3. de Officijs. & l. 1. ff. de empt. & vendit. dicitur non licere carius vendere hospitibus, quam incolis. Et Matt. 7. atque in procœmio Decreti. & in Glos recepta l. semper in

1. Thess. 4.

Cicero.

Matth. 7.

in contract. ff. de reg. iuris dicitur; *quod tibi non vis fieri, alteri ne facias*. Sed quisque non vult lædi in contractibus: ergo nec lædere debet.

Confirmatur, quia iustitia commutativa postulat æqualitatem, quę hac ratione non minus læditur, quam si quis iustitiam violaret in pondere, & mensura; quod tamen dicit Sapiens Prov. 20. *vtrumque abominabile* esse *coram Domino*. Nec vnquam excusari potest, nisi liberalis datio, vel remissio eius, qui deceptus fuit, saltem præsumpta præcesserit: quod præsumi non debet, quando notabilis inæqualitas intervenit, nisi alter ille sit, cui benefacere soleat.

Prov. 20.

8. Sed dices, In foro externo seu iure civili, non datur actio ad repetendum, nisi læsi pretij sit vltra dimidium, id est, nisi merx, cuius iustum pretium venditionis tempore minimum erat decem florenorum, vendita sit minus quinq;, aut è contra minus quinque sit empta, quę emi debebat decem.

Respondeo id verum esse ex l. 2. C. de rescindenda vendit. & iure canonico c. Dum dilecti de emp. & vendit. sed nihilominus obligari in conscientia quempiam sub mortali pretij defectum supplere, si citra dimidium aut vltra pretium rigorosum aliquem notabiliter deceperit. Ratio est, quod illa actio dumtaxat denegetur ob publicam quietem, ne cives repleantur litibus, & Magistratus obruatur ijsdem dirimendis. Confirmatur quia iure Canonico quantumvis denegetur actio iudicialis, conceditur tamen eis denunciatio Evangelica, per quam deceptores de iniquo damno resarciendo frustra admoniti, tandem Ecclesiastico Prælato denuntiantur; vt ad id, quod sub peccato mortali præstare debent compellantur, sicuti colligitur ex c. *Novit*, de iudic. vbi ob difficultatem quamdam, quę erat inter Regem Franciæ & Angliæ sic dicitur: *Novit ille qui nihil ignorat*: & infra, *Non putet aliquis quod iurisdictionem illustris Regis Francorum perturbare, aut minuere intendamus, cum ipse iurisdictionem nostram, nec velit, nec debeat impedire. Sed cum Dominus dicat in Evangelio: Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, si te audierit lucratus eris fratrem tuum: si te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Et Rex Angliæ sit sufficienter paratus ostendere, quod Rex Francorum peccat in ipsum: & ipse circa eum in correptione processit secundum regulam Evangelicam, & tandem, quia nullo modo profecit, dixit Ecclesiæ: Quoniam nos qui sumus ad regimen vniversalis Ecclesiæ supernâ dispositione vocati, mandatum divinum possumus non exaudire, vt non procedamus secundum formam ipsius; nisi ipse forsitan coram nobis vel legato nostro sufficientem in contrarium rationem ostendat. Non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum spectat iudicium: nisi fortè iuri communi per speciale privilegium, vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum: sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus, & debemus.*

9. Porro prætermittendum non est, quod illa denegatio actionis in foro externo in pretio naturali tantum locum habeat; non autem in pretio legitimo. In hoc enim læso etiam citra dimidium tenetur Iudex subvenire. Ratio est, quod in eo facilè cognoscatur læsio, neque multiplicentur lites: & alioquin frustrà pretium taxaretur. Notandum etiam est, actionem non denegari in foro externo contra læsorem, quando intra dimidium læsit per dolum seu deceptionem propriè dictam, in qua mendacium aut falsitas intervenit, sed actionem dari in foro externo contra læsorem. Patet l. 1. §. *persuadere*. ff. de servo corrupto l. & *eleganter*. 7. C. *Si quis affirmaverit*. ff. de dolo l. *Iulianus* ff. de actionibus empt l. & *ideo*. ff. *locati* l. *vniversorum*. ff. de rerum permutatione.

Vt vt est, *quid prodest homini*, vt ait Salvator, *si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur*? Quid dico? vel non lucrabitur quidem

dem, quod contra Deum operetur, quia, vt ait Psalmista, Psal. 126. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Et Apostolus 1. ad Cor. 7. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus.* In cuius signum Apostoli totâ nocte piscantes Luc. 5. nihil ceperunt: mox autem vt Petrus in nomine Christi laxavit rete, conclusit piscium ingentem multitudinem. Vel si lucrum contingat, certum est quod nihil proficiet. Audi desuper Sapientem Eccles. 27. vbi sic ait: *Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.* In quem locum sic Iansenius: *Hanc sententiam rectè superioribus subiunxit, vt ostendat, quâ ratione peccandi occasiones & pericula, quæ in emptionibus & venditionibus esse dixit, vitari possint, nempe si quis se firmum servaverit in timore Dei, quo qui destitutus est, facilè quavis in re labitur, & qui in eo se non studiosè & diligenter retinet, etiamsi studeat rem facere, & domum suam ædificare, opibusque replere, subitò eveniet, vt Deo conatus eius non fortunante, domus eius subvertatur, & ipse cum sua familia ad inopiam & miseriam redigatur.* Nam vt est in Proverb. *Vir qui festinat ditari, ignorat quod egestas superveniet ei.* Et: *Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit.*

Psal. 126. 1. Cor. 7. Luc. 5. Eccles. 27. Iansenius. Prov. 28. Prov. 20.

10. Quæres: Quandoquidem res est tam angusta, an casu quo sciam pretium mercis meæ minuendum, emptori id ignoranti possim eam vendere pretio currente? v. g. accepi litteras, magnam copiam aliunde advehi, vel brevi in lucem proferendam, quæ hactenus suppressa fuit, vtrum possim id dissimulare, & vendere pretio vsitato? Disputatur hoc apud Ciceronem 3. Officiorum inter Antipatrem, & Diogenem Babylonicum. Antipater vult esse contra officium boni viri: Diogenes negat. Vtrum autem sit contra iustitiam, non clarè exprimunt; Cicero vero id clarè affirmat.

Cicero.

Verum respondeo resolute cum Diogene licitum esse vendere pretio currenti. Ratio est, quia res iustè vendi potest, iuxta communem æstimationem pro tempore vigentem: & privata scientia venditoris communem æstimationem non mutat; sicut nec privata scientia emptoris, alioquin emptor non posset pretio currenti emere, si sciret pretium esse augendum: quod tamen falsum esse constat exemplo Iosephi Genes. 41. qui sciens postea futuram maximam caritatem, omne frumentum Ægypti pretio currenti comparavit. Et Thales Milesius apud Aristotelem 1. Polit. cap. 7. per Astronomiam sciens futuram olivarum sterilitatem, emit magnam copiam olei. Vnde sequitur mercatorem scientem cras civitatem hanc obsidendam, posse celeriter suas merces pretio currenti divendere; non monitis emptoribus de impendenti periculo. Item scientem aulam cito discessuram, ac proinde elocationum esse minuenda pretia, posse domum locare pretio currenti: item posse vendere triticum pretio currenti, etiamsi sciret brevi promulgandum decretum de imminuendo pretio: quin etiamsi sciret pauco post tempore minuendam, vel exauthorandam pecuniam, posse hodie omnem illam cambire, mutuo dare, vel ex ea res emere. Atque huius doctrinæ praxis est apud mercatores timoratos sine vlla contradictione confessariorum: quia rerum pretia non ex privata vnius vel alterius hominis notitia, aut affectatione; sed ex communi civium æstimatione ac sensu accipienda sunt, iuxta l. pretia ff. ad l. falcidiam. Quod amplius est, iuxta Molinam disp. 354. ne quidem contra charitatis virtutem talis peccabit: vtitur enim iure suo vendendi merces pretio iusto currente. Quo simili iure vti potest, qui pro assecuratione mercium, aut pecuniæ, pretium consuetum exigit; licet privatim cognoscat, v. g. ex amici literis, non esse tantum navigationis periculum, quantum vulgo existimatur, quia v. g. mare iam à piratis securum est.

Genes. 41. Aristot. Molina.

Hoe

Hoc tamen cavere debet, ne de hac re non interrogatus mendacio inducat alterum ad emendū. Si enim per mendacium, fraudem, dolū quis alterum induxerit ad emendum, vel plus emendum, quam aliàs esset empturus, tenetur ad restitutionem, nō minus quàm D. Tho. 2.2. q. 66. a. 2. ad 4. docet eos, qui per vim, dolum, aut fraudem alios impediunt à consecutione boni, peccare contra iustitiā, & teneri ad restitutionē; vt contingit, quando scit futuram maiorem copiā frumenti, ex quo pretium minuetur, & aliàs non empturo asserit se certò scire in notabili termino nullam copiam adventuram. D. Thom.

11. Quæres iterū, ex quibus causis liceat pretium naturale, seu vulgare augere. Respondeo varias esse causas, ob quas id est licitum. Prima est penuria mercium: *quod enim rarum est, pretiosum est*, vt habet Hieron. epist. 85. ad Evagrium, & habetur c. *Legimus*, dist. 23. Cuius rei ratio est, quia id, quod rarius, difficilius haberi potest; Et è contra, teste Tertul. lib. de habitu mulierum, *semper abundantia in seipsam contumeliosa est*. Hieron. Tertull.

Secunda causa est novitas, vel antiquitas rei, quia omnia nova placent, & fructus præcoces amplius appetuntur: vel quia antiquissima: sic statuæ, vel monetæ antiquissimæ pluris æstimantur ob raritatem, vel curiositatem, & domus antiquissimę propriæ familię ad ostendendam generis nobilitatem, & antiquitatem, & ob reverentiam plurimi æstimantur. Sic Iaponij pro ollis & tripodibus vetustissimis atavorum multa aureorū millia exsolvunt, & Æthiopes pro vestibus rubri coloris, & alijs ludicris, quæ apud illos nova, & rara sunt, magnum pretium pendunt, neque illud recipere iniquum putat Rebell. quia ex cōmuni gentis ignorantia hæc apud illos penduntur magni, & non ex privato alicuius errore. Vnde Covar. 2. *Variarum* cap. 3. n. 4. ait pretium sumi ex communi hominum æstimatione, etsi insanâ. Covar.

Tertia augendi pretium est, communis vtilitas, vel necessitas. Vnde in loco vel tempore, quo res communiter vtilior, vel magis necessaria, maiorem valorem habet. Dico, *quando communis est vtilitas, vel necessitas*, nam si sit singularis emptori, ob eam non debet augeri pretium, vt docet D. Thom 2.2 q. 77. a. 1. His fere de causis licitum est pretium augere. D. Thom.

12. Quæres tertio, quibus modis illicitum pretia rerum ad vsus necessariarum augere. Respondeo tribus præcipuè modis. Primus est, cum vnus, vel pauci de industria coëmunt copiam rerum ad communem vsum necessariarum, vt inducant inopiam & caritatem: tales enim peccant contra iustitiam, quandoquidem rerum divisio, negotiationes, & commercia iure gentium introducta non ita permitti possint, vt his etiam in Reipublicæ detrimentum, & communem inopiam invehendam, abuti fas, & iustum sit: & hinc tanquā Reipub. perniciosi legibus, ac pœnis coërceri possunt, & cogi in annonæ caritate merces suas viliori pretio divendere. Illud enim iuri primævo, ac naturali quam maximè adversatur. Vide Doctores in l. *Annonam* ff. de extraordinarijs criminibus.

Cœterum constat ex sacra Scripiura, huiusmodi hominibus maledictionem imminere: vt enim ait Sapiens Proverb. 11. *Alia dividunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Anima quæ benedicit, impinguabitur, & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Qui abscondit frumentum, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium.* Quorum verborum sensus est, quod per eleemosynas quis benedictionem Dei consequatur, & abundantiam: rapientes autem aliena per egestatem flagellabuntur à Deo. Rursum quod nolentes vendere iusto pretio annonam, quâ abundant, sub spe maioris lucri eam reservantes cum magno Reipub. malo, à populo maledicentur: fausta vero ac felix apprecatio illis accidet, qui frumenta sua exponunt, & publicè divendunt inopiam communem sublevantes. Prov. 11.

Hhhh 13. Di-

13. Dices; Quid ad me? maledicat populus quantum velit. Audi desuper Sapientem Ecclef. 4. vbi docet populi imprecationes non esse contemnendas, in verbis: *Ab inope non avertas oculos tuos, propter iram; & ne relinquas quærentibus tibi retro maledicere. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius. Exaudiet autem eum, qui fecit illum.* id est: Ne des occasionem homini post tergum tibi maledicendi: & occultam imprecationem merito time, quia maledictionem, quam quis ex amaritudine animæ tibi imprecatur, quamque tu iniquè in illo provocasti, tanquam iustam iustus Deus, & pauperum protector exaudiet, qui eum æque atque te creavit: vnde malè peribunt avarè conservata, aliave gravior vltio capiti tuo incumbet, quia maledictionem populi maledictio Dei ordinariè sequitur. Hinc Divus Basilius homil. in ditescentes avaros. *Ad horrea tua aperienda noli annonæ caritatem expectare: nam qui auget pretium annonæ, publicæ execrationi obnoxius redditur. Famem ob aurum ne operitor. Noli ob vtilitatem privatam communem inediam affectare: noli, inquam, institor, caupove humanarum fieri calamitatum, ne per occasionem cumulandarum opum iram in te accersas Dei.* Et Divus Ambrosius lib. 3. Officior. cap. 6. sic huiusccemodi homines aggreditur: *Cur ad fraudem convertis naturæ industriam? Cur invides vsibus hominum publicos partus? Cur populis minuis abundantiam? Cur affectas inopiam? Cur optari facis à pauperibus sterilitatem? Cum enim non sentiant beneficia fœcunditatis, te auctionante pretium, te condente frumentū, optant potius nihil nasci, quam te de fame publica negotiari. Ambis frumentorum indigentiam, elimentorū penuriam, vberis soli partus ingemiscis, fles publicam fertilitatem, horrea frugum plena deploras, exploras quando sterilior proventus sit, quando exilior partus. Votis tuis gaudes arrisisse maledictum, vt nihil vsquam nasceretur. Tunc messem tuam venisse lætaris, tunc tibi de omnium miseria congeris opes, & hanc tu industriam vocas, hanc diligentiam nominas, quæ calliditatis versutia, quæ astutia fraudis est, & hoc tu remedium vocas, quod est commentum nequitiæ. Latrocinium hoc, aut fœnus appellem? Captantur tanquam latrocinij tempora, quibus in viscera hominum durus insidiator obrepas. Augetur pretium tanquam sorte cumulatum fœnoris, quo periculum capitis acervatur. Tibi conditæ frugis multiplicatur vsura, tu frumentum quasi fœnerator occultas, quasi venditor auctionaris. Quid imprecaris male omnibus quia maior futura sit fames, quasi nihil frugum supersit, quasi infæcundior annus sequatur? Lucrum tuum damnum publicum est. Ioseph sanctus omnibus aperuit horrea, non clausit; nec pretia captavit annonæ, sed perenne subsidium collocavit: nihil sibi acquisivit sed quemadmodum fames etiam in posterum vinceretur, provida ordinatione disposuit,* quasi dicat: hoc homini vtile, Deo gratum est; illud inutile & Deo invisum, sicut clarissimè patet Amos 8. vbi Deus per Prophetam prædicit Israëlitas ab Assyrijs abducendos, eo quod nimis carè asservata frumenta vendiderant, in verbis: *Audite hoc, qui conteritis pauperes, & deficere facitis egenos terræ, dicentes: Quando transibit mensis, & venundabimus merces; & sabbathum, & aperiemus frumentum,* seu optantes vt transijsset tempus messis, quo ob copiam vilius soleat esse frumentum; pariter & mensis septimus, quo feriari solent Iudæi, & liberaliter fruges suas consumere, vt mense octavo & sequentibus, cum frumentum iam deficere incipiet, vos illud pretio caro ad libitum vendere possitis. Et vers. 8. *Nunquid super isto non commovebitur terra?* seu: Numquid scelus illud tam horrendum est, vt omnes incolę terræ, plangere & eiulare debeant? Omnino.

Et hinc Ambros. loc. cit. dictum Salomonis locum allegans, inquit: *Rectè igitur Salomon: Qui continet, inquit frumentum, relinquet illud nationibus, non hæredibus: quoniam avaritiæ emolumentū ad successorum iura non pervenit. Quod non legitimè acquiritur, quasi ventis quibusdam, ita extraneis quibusdam diripientibus*

Ecclef. 4. — Basilius — Ambrof. — Genes. 41. — Amos 8. — Ambrof. Prov. 11.

tibus dissipatur. Et addidit: Captans annonam maledictus in plebe est, benedictio autem in capite eius qui participat. Non est omittendum quod vtiliter notat S. Chrysostomus homil. 39. in Matth. vt eum citat Salasar Proverb. 11. Deum non permittere in multum tempus durare frumentũ, vt eius timore huiusmodi homines, vel inviti pauperibus illud communicent, in verbis: *Quoniam plures legis Dei magnam non habentes rationem omnia tenent intus inclusa, aliter eos Deus adducit ad benignitatem, & humanitatem, vt vel ex necessitate aliquid boni faciant: maioris damni inijcit metum non sinens in multum tempus durare fructus terræ, vt velox eorum interitus damnum timentes ea etiam inviti addant egentibus, quæ domi infossa malè servant.* Et ibidem quosdam ratione nimiæ tenacitatis coactos fuisse frumentum sic asservatum in flumen proijcere, his verbis: *Alij rursus, cum ne offam quidem esurienti impertierint, integras frumenti capsas in fluvium proiecerunt: & quia Deum non audierunt iubentem dare egenis, iubente curgulione, vel inviti quidquid erat intus, effuderunt ad exitium, & extremum interitum: multum quidem risum, & multas execrationes simul cum hoc damno in caput suum attrahentes.* Neque hoc satis: *Sicut enim isti à curgulione exesum, & inutile redditum frumentũ in fluvios iaciunt: ita eos, qui hoc fecerunt, propter hoc ipsum factos inutiles proijciet Deus in fluvium ignis: Sicut enim frumentum curgulio, & vermis, ita istorum animas exedit crudelitas, & inhumanitas.*

Chrysost.

Idem.

Secundus verò modus illicitus est, quando mercatores inter se paciscuntur, vt merces ad vsum necessarias non infra summum pretium iustum vendant: id enim est contra iustitiam. Ratio est, quod hac ratione spolient emptores iure suo, quo non solum Cæsarijs, sed omnium gentium legibus concessum est licitari, vt emant pretio etiam mediocri, & infimo.

Tertius denique modus illicitus est, quando quis impedit, ne maior mercium copia aliunde apportetur, vt ipse suas merces carius vendat. In quo casu si vi, aut fraude id impediat, vt maneat caritas in Repub. tenetur ad restitutionem tum Reipublicæ, quatenus ei iniustè causa fuit maioris pretij: tum mercatoribus, quos impedivit, quatenus privavit eos probabili lucro. Tale enim lucrum vetatur Isaiæ 5. cap. vbi væ dicitur illis, qui ex tali lucro coniungunt domum ad domum, id est, extrema illis intimatur damnatio. Infert enim alijs, qui facit huiusmodi, iniustum damnum. Isa. 5.

Discursus VII.

Qualiter venditor quoad rei materiam se gerere debeat.

1. Cor. 7.



D. Paulus 1. Corinth. 7. dicit tempus breve esse, vt qui emunt sint tanquam non possidentes, & qui vtantur hoc mundo, tanquam non vtantur. Quibus verbis vetat Apostolus immodicum rerum vsum & affectum. Et quia ille maximè se prodit in emptione & venditione, hinc tractabo quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam prænotandum est, præter fraudes ad pretij deceptionem ordinatas, de quibus egi discursu præcedenti, aliud malum deceptionis

ac fraudis ex corporali rei defectu in venditione posse provenire. Secundò, vitium rei censeri quemcumque defectum, qui vel pretium imminuere, vel ementis voluntatem ab emendo retardare, vel mutare posset. quod D. Thomas 2. 2. q. 77. a. 2. scribit tribus modis contingere posse. Primus est, quoad rei substantiam, quando videlicet aurichalcum pro auro venditur, vinum dilutum aquâ pro mero. Secundus quoad rei quantitatem, quando videlicet minor quantitas, aut mensura pro maiori venditur. Tertius quoad rei qualitatem, cum videlicet domus pestilens vel larvarum infectione laborans, aut ruinosa, pro salubri, quieta, aut firma venditur, aut ager herbas venenosas gignens pro vtili, vel equus periculosè recalcitrans, & sternax pro vtili. Rursum potest illud esse occultum vel manifestum.

2. Quibus positis dico primò, Si vtrique innotuerit eiusmodi defectus rei, certum esse apud omnes nullam intervenire fraudem aut iniustitiam, etiamsi istius non fiat mentio, modo diminuatur ea de causa pretium iuxta æstimationem defectus. Ratio est, *quod volenti ac consentienti non fiat iniuria* vt habet regula iuris Bonifacij Octavi in sexto.

3. Dico secundò extra hunc casum teneri venditorem etiam non interrogatum vitia rei occulta detegere, aut aliàs dolum & peccatum contra iustitiam committere. quin etiam ad totum interesse, lucri scilicet cessantis, & damni emergentis teneri. Sic vendens emptori ignoranti ovem occulto & contagioso morbo laborantem, quæ alias ipsius oves inficiat, vel domum ruinosam, quæ corruendo etiam damna alia inferat, si emptor gnarus istius vitij ovem aut domum non emisset, nihil efficit, & tenetur non solum ad excessum pretij restituendum, si carius iusto vendidit: sed etiam si iustum fuit ad omnia damna subsecuta. nam teste Ambrosio Ambros. lib. 3. Officior. cap. 11. *Regula iustitiæ manifesta est, quodà vero declinare non deceat virum bonum, nec damno afficere quemquam, nec dolo aliquid annectere, fraudisve componere.* Et eodem lib. cap. 10. *In omnibus decora est fides, iustitia grata, mensura æquitatis iucunda. Quid autem loquar de contractibus cæteris, ac maxime de coëmptione prædiorum, vel transactionibus, atque pactis? Nonne honestatis formulæ sunt, dolum malum abesse: eumque, cuius dolus fuerit deprehensus, duplici pœna obnoxium fore? Vbique igitur honestatis præponderet consideratio, quæ dolum excludit, fraudem eijcit. Vnde rectè generalem David Propheta prompsit sententiam, dicens: Nec fecit proximo suo malum.* Psal. 14. *Non solum itaque in contractibus, in quibus etiam vitia eorum, quæ veneunt, prodi iubentur: ac nisi intimaverit venditor, quãvis in ius emptoris transcripserit, doli actione vacuantur sed etiam generaliter in omnibus, dolus abesse debet, aperienda simplicitas, intimanda veritas est.*

4. Quod dicit Ambrosius hoc non solum manifestum est, ex iure civili l. Iulianus, & l. 2. ff. de periculo, & l. 1. C. de ædilitijs actionib. alijsque legibus, quibus datur actio redhibitoria, per quam auctoritate Iudicis contractus omnino rescinditur, si emptor gnarus istius vitij non emisset: & vterq; contrahens quod prius habebat, iterum acquirit sive mercem, sive pretium, & ad pristinum statum, in quo vterque erat antequam contraheret, restituitur: quia vero id reddendo fit, dicitur redhibitio, quasi redditio, iuxta l. *Redhibere*. ff. de ædilitio edicto. Vnde redhibitio perinde est, ac venditionis resolutio, iuxta l. *Pomponius* §. *Præterea*. ff. de acquirenda possessione. Si vero rem æque bene emisset vitium cognoscens, sed non tanti, actio datur emptori decepto repetendi omne id, quod extra latitudinem iusti pretij exegit venditor, qui ad hanc etiam redhibitionem tenetur. Hoc dico non solum manifestum esse ex legibus citatis, sed etiam ex sacra Scriptura, quæ pluribus locis

locis hanc simplicitatem in homine iusto requirit, & omnem dolum detestatur, vt Psal. 14. vbi dicitur habitaturus in tabernaculo Domini, *qui non egit dolum in lingua sua.* Et Prov. 11. v. 20. vbi sic ait Sapiens: *Abominabile Domino cor pravum: & voluntas eius in his, qui simpliciter ambulant.* id est: Valde invisus est Deo qui per astum, & fraudem aliquid agit: qui vero simplices, & doli expertes sunt, nec aliud promunt, palamque pronuntiant, quam quod animo claudunt, hi perplacent ei. Ratio est, quod vt in Deo nihil est simulatum & fictum, sic in homine ad imaginem suam condito simplicitatem requirat, & simulationem, ac fictionem omnem detestetur. Vnde vlterius illis felicitatem addicit, alijs ruinam, dum vers. 3. sic ait: *Simplicitas iustorum diriget eos, & supplantatio perversorum vastabit eos.* q. d. Integritas, & doli fraudisque expers synceritas, qua iusti præditi sunt, illos deducet inter dolos, & astus perversorum securos, & ab omni incommodo immunes reget. Res clara est, etiam quoad intentum nostrũ in Iacob, cui Deus contra dolos Laban miraculose benedixit, Genes. 31. & in Iob, cui post tentationem & vexam amicorum reddidit duplicia, Iob. cap. 42. Fraus autem perversorum illos obruet. Quod alijs Scripturæ locis sæpe Dominus insinuat, nempe Psal. 7. vbi de huiusmodi dicitur. *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam quam fecit. Convertetur dolor eius in caput eius, & in verticem illius iniquitas eius descendet.* Et Eccles. 27. *Plaga dolosa dolosi dividit vulnera, & qui foveam fodit, incidit in eam: & qui statuit lapidem proximo suo, offendet in eo: & qui laqueum alij ponit, peribit in illo.* Quæ loca clarè insinuant hoc ipsum quod dixi, nempe quod supplantatio perversorum, seu fraus perinde spoliabit, ac nudabit eos, sicut agri fœno, frugibus à pabulatoribus militibus denudantur. Vel ad eum modum capietur, seu captivus ducetur à sua ipsius fraude, & dolo: sicut pabulatores ex insidijs adorti captari solent, vel sicut ipsi captant alios, & in prædam referunt: atque adeo dolum dolo luet. Quod alijs verbis repetit Sapiens, dum ait: *Iustitia rectorum liberabit eos, & in insidijs capientur iniqui.* Et rursum: *Iustitia simplicis diriget viam eius, & in impietate sua corruet impius,* seu divitiæ iniustè partæ impiò ruinam & casum afferent. Vnde Eccles. 30. dicit idem Sapiens: *Beatus vir, qui ingreditur sine macula, & qui post aurum non abijt, nec speravit in pecunia thesauris, &c.*

Psal. 14. Prov. 11. Ibi vers. 3 Genes. 31. Iob. 42. Ps. 7. Eccl. 27. Prov. 11. 6 vers. 5. Eccl. 30.

Nec mirum, nam vt habetur Proverb. 10. v. 9. *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter: qui autem depravat vias suas, manifestus erit.* id est: Qui conversatur candidè sine dolo & astu, is tutissimus incedit, securus de conscientia, audacter omnia facit, non metuit in simulatione ac fraude deprehendi: qui vero astutè & callidè agit fraudes ac dolos simulans, veritus ne tandem aliquando in astu suo deprehendatur, & fraudibus detectis scelera illius evulgentur, nunquam se tutum ac securum ducit, sed assiduo metu concutitur, per quem se manifestat. Pulchrè sanctus Hieronym. super Oseam. *Simplicitas sua puritate contenta, non quærit alienum, neque abrodit, nec se in artes vanas sæpe commutat, sicut astutia, quæ vt quomodo sit cauta, timet omnia, nec suis fidet consilijs, versatque ipsa suas sententias: simplicitas autem timere non novit.*

Prov. 10. Hieronym.

Deinde mirum non, quod simplex securus ambulet, quia non solũ Deus illi, sed & filijs ipsius promisit felicitatem. Hoc testatur Sapiens Proverb. 19. his verbis: *Iustus qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios derelinquet* q. d. Vir iustitiam servans in contractibus necessariam, & ab omni dolo & iniuria abhorrens, felices, & copijs omnibus affluentes filios post se relinquet: parens enim qui integritatem vitæ servat, filijs à Deo felicitatem, & fortunam exorat; constat enim ex sacra Scriptura parentum merita liberis multa bona à Deo impetrare. Hinc est illud Psalmi 111.

Prov. 19. Ps. 111.

Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. Potens in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur. Gloria, & divitiæ in domo eius, &c. Nuper retulit mihi vir amplissimus patrem moribundum filijs ad se convocatis dixisse verba hæc bene notanda: Filij, relinquo vobis parum temporalium bonorum; sed quod relinquo, proficiet. Et vidi filios tres ad summum statum evectos. Hęc latius deduxi, vt parentes in ditandis filijs desistant à dolo: & adhæc recogitent tempus breve esse, & quod breve est, talibus esse dimidiatum. nam teste Prophetâ Psalm. 54. *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.*

Ps. 54.

5. Dico itaque tertiò: Quamvis venditor secundum Doctores & iura non obligetur ad declarandum vitium manifestum; vt quod equus, quem vendit, sit monoculus, cum debeat præsumere non latere emptorem; si tamen illi constaret talẽ vitium non esse emptori notum, vel quod nõ advertit, vel quod in ea negotiatione versatus non sit, sub mortali, & obligatione restituendi venditorẽ teneri in conscientia aperire vitium, vt ex l. 1. ante medium, ff. de ædilitio edicto, colligitur: astruuntque Armilla, ver. empt. n. 19. ex Panor. & Tab. ibidem §. 11. ex D. Antonino, alijsque communiter. Quod autem de venditore mercis cum latente defectu in incommodum emptoris dictum est, pari iure de emptore mercis cum latente bonitate in venditoris incommodum asserendum est. Quò fit, vt quamvis in vtroque foro, quando de contrario non constat, præsumi potius debeat venditorem rei vitium ac bonitatẽ nosse, quam emptorem, si tamẽ constaret venditorem rem vitio carentem tanquam vitiosam, ac proinde vilius vendidisse, vt si vendat servũ sanum pro infirmo, tenebitur emptor, sive sciens, sive non sciens emerit, defectum pretij compensare, idque sub mortali, nisi ex parvitate materiæ excusaretur. Ita D. Thomas dictâ q. a. 1. & plurimi Doctores. Et

D. Thom.

fatio est, quod tacita quodammodò subsit conditio in hoc contractu, vt sicut moneta, ita res vendita talis sit, qualis ab emente, & vendente creditur. Vnde sicut venditor tenetur ad restitutionem excessus monetæ, si moneta maioris valoris, tanquam minoris solvatur, ita emptor ad satisfactionem mercis melioris, tanquam vilioris venditæ, tenebitur.

In pari autem dubio, de latente bonitate rei licitus erit ex vtraque parte contractus, neuterque ad satisfactionem alteri tenebitur, etiamsi plus, vel minus valere comperiatur: quia ambo pari periculo damni, ac lucri se exposuerunt, committentes se æquali fortunæ.

6. Quæres: An non possit venditor aliquis vitium rei subticere, modo diminuat tantum de pretio, & sufficienter caveatur, ne damnum vel periculum emptori aut alteri inde eveniat?

Respondeo, iuxta aliquorum Doctorum sententiam licere, quando res quæ venditur non incommodat notabiliter fini, ad quem emptor emit: exempli gratiâ: cum sutor vendit calceos ex debiliore parte corij confectos, credens se ad huiusmodi manifestationem non teneri. Ratio eorum est, quod alioquin gravissimum onus in notabile præiudicium artificum, cœterorumque venditorum ac commercij induceretur, etiam viris timoratis: & quod illa negotia moraliter sint iudicanda. Verum contraria sententia est certior, & securior in foro conscientiæ. Et ratio est, quod huiusmodi emptio non solum sit involuntaria, vtpote fundata in errore emptoris, interveniente dolo ac fraude scienter commissâ à venditore, contra illud Pauli 1. Thess. 4. tropologicè extensum: *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem*, &c. sed etiam quod arbitrium pretij non debeat esse venditoris, sed potius emptoris, cuius est pecunia in pretium danda, & minimi posset emere. Denique iustum est vt nõ fallatur emptor, dam-

1. Thess. 4.

num-

numque invitus patiatur sive grave sive leve per vitij occultationem, etiamsi res moralis sit.

Prior autem sententia debet cum hac mica salis, & temperamento intelligi, nisi de levibus vitijs venditor interrogaretur. De gravibus vero vitijs nihil dico, quia certum est illa etiam manifestanda, quæ notabiliter rem emptam inutilem faciunt ad vsum, cuius gratiâ emuntur: vt si pannũ adustum vendas, aut calceos ex corio adusto confectos. Neque licet in ijs vti amphibologijs, vt quando venditor veris occultis vitijs expressis, alia apertè falsa adiungit; veluti si quis dicat, vendo tibi hunc equum pro cœco, claudo, mutilo, surdo, omnibusque vitijs affecto, aut hunc pannum pro vili non bene tincto, &c. per eiusmodi enim vitia apertè falsa enumerata efficit, vt vera vitia occulta simul numerata credantur. Hoc per varias leges probat, ac sequitur Gomezius cap. 2. de contractibus numer. 49. post Ioan. Andream, aliosque Doctores. Gomezius.

Vnde si quis alicui fundum venderet eâ conditione, vt si quas haberet servitutes ad eis satisfaciendum non teneatur, nullam tamen in particulari manifestando, si nullas habeat, ad nihil tenebitur: si tamen aliquas fundum habere sciebat, nec specialiter expressit, tenebitur, quia specialiter servitutem declarare debuerat, quam non ignorabat, iuxta l. Quæro. ff. Actione empti, ac Doctores ibidem, quod etiam in foro conscientiæ procedit, cum peccatum contra iustitiam fit, ac fraus: si quis tacendo occultam servitutem, quam scit, ita se per verba generalia gerat, ac si penitus eam ignoraret.

7. Quæres iterum: An similiter tam abominabilis sit dolus, qui in facto committitur quoad quantitatem, seu quando quantitas per mensuras ac pondera falsata minuitur, aut quando sigillum præstantioris mercis, v. g. panni melioris aut Anglicani, aut serici Mediolanensis, Neopolitani, aliusve loci, panno viliori alterius loci apponitur?

Respondeo illud non solum peccatum mortale esse ex genere suo contra iustitiam commutativam, sed etiam scandalosum; imo crimen falsarij: violatur enim fides publica, quæ in mensuris servanda est, atque adeo ad restituendum læso totum damnum sive interesse, obligatur is, qui sic læsit. Probatur ex c. Lev. 19. & Deuter. 25. vbi huiusmodi iniquitas prohibetur. Sic enim dicitur posteriori loco: *Non habebis in sacculo diversa pondera maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor. Pondus habebis iustum & verum, & modius æqualis, & verus erit tibi, vt multo vivas tempore super terram, quam Dominus Deus dederit tibi: abominatur enim Dominus tuus eum, qui facit hæc, & aversatur omnem iniustitiam.* Vnde scribunt Hebrei eum qui iniustis vtitur mensuris ac ponderibus quinque scelerum ac malorum causam esse. primò enim polluit terram; secundò violat sive profanat nomen Dei, tertiò facit recedere maiestatem, gloriam & præsentiam Divinitatis; quartò in gladiũ cadere facit Israël: quintò efficit, vt in exilium eijciatur ex terra ipsorum. Et quamvis hæc lex data sit, vt iudicialis Hebræis, tamen quia simul moralis est, ad omnes pertinet. Deinde idipsum constat Ezechiel. 45. vbi Dominus sicut per Iosue Hebræis diviserat terram promissam, ita post reditum è Babylone præcipit eandem rursum ijsdem dividi, eâ ratione, & mensurâ, quam illic licet latius videre præscriptam: deinde sanxit leges iustitiæ, præsertim vt iusta sint pondera, sic aiens: *Statera iusta, & ephi iustum, & batus iustus erit vobis.* (Nota vero ephi & batum pares fuisse mensuras, sed ephi erat aridorum, batus liquidorum, scilicet erant hæ mensuræ decima pars cori. Corus enim continebat tria sea, sive sata, hoc est triginta modios; ephi & batus tres modios.) Et rectè: Principis enim est definire ponderum & mensurarum quantitatem accuratè, vt ea ab hominibus æqua servetur. Hoc enim exigit iustitia publica in emendo &

Leuit. 19. Deut. 25. Ezech 45.

vendendo, quæ si violetur tota Respub. turbatur, & confunditur. Prov. 20. Hinc Salomon ait Proverb 20. 10. *Pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumque abominabile est apud Deum*. q. d. Qui diversa & inæqualia habet pondera, & mensuras, v. g. maiorem adhibet dum emit, minorem dum vendit; hunc abominatur Deus iustus, & iustitiæ vindex. Iosephus narrat vrbem primam, quam condidit Cain, & ex nomine filij sui vocavit Enochiam, ideo maximè ab eodem corruptam fuisse, quod iniusta pondera, & mensuras adinvenerit. Quã enim necessaria sit hæc ponderum, & mensurarum iustitia docet Deus, Levit 19. qui eandem tam verbo hîc, ac Amos 8. Levit. 19. 35. & Amos 8. 5. (de quo mox dicam) quam exemplo sanxit. Ipse Sap. 11. enim, vt ait Sapiens cap. 11. 21. hanc vniversi Rempublicam condens, omnia in mensura, & numero, & pondere disposuit Eandem etiam in Repub. in primis necessariam esse Aristot. docet Aristot. l. 9. Metaph.

Osee 12. Hinc rursum Dominus Oseæ 12. deplorans decem tribus à pijs moribus Iacobi Israëlitarum Patriarchæ degenerasse, & fraudibus Chananæorum assuevisse, sic ait: *Chanaan in manu eius statera dolosa, calumniam dilexit*. q. d. Iacob pater tuus ob sanctitatem meruit vocari Israël, id est, dominans Deo; tu vero, ô Ephraim, non mereris hoc nomen, sed potius vocandus es Chanaan; quia habes mores Chananæorum, & quia defraudas proximos in pondere, vti facit mercator, præsertim Chananæus, qui dolosâ staterâ defraudat ementes, vtens maiori pondere dum emit, minori dum eas vendit. Vocat enim Ephraim, id est, Israël, sive decem tribus per catachresim. Primò, quia Israëlitæ impij erant vt Chananæi, vt potius filij Chanaan, quam Iacob Dan. 13 viderentur. Sic ait Daniel. cap. 13. vers. 59. seni Susannæ castitati insi- Ezech. 16. dianti: *Semen Chanaan, & non Iuda*. Et Ezechiel. cap. 16. *Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan*. Sic Isaias cap. Isa. 1. 1. 10. Scribis, & Iudæis ait: *Audite verbum Domini Principes Sodomorum*. Secundò, quia Chanaan hebraicè significat mercatorem. Vnde Prov. Prov. 31. 31. de muliere industria dicitur: *Cingulum tradidit Chananæo*, id est, mercatori. Chananæi enim terreni & avari ob maris viciniam mercaturæ, & in ea fraudibus, dolis, furtis & rapinis vacabant. Ideoque Chaldæus vertit verba citata in hunc modum, *Ne sitis sicut mercatores, in quorum manibus sunt bilances dolosæ, rapinæ studentes*. Sicut ergo servi vocantur *Phryges*, fures *Lacones*, gulosi & deliciosi *Sybaritæ*, infames *Ambrones*; ita impij & iniusti mercatores vocantur Chananæi, quorum vnicum est studium decipere, & questu iniusto ditescere, ideoque bilances habent fallaces, sive, vt ait Sapiens Proverb. 20. *pondus & pondus, mensuram & mensuram*, id est, duplicia pondera, duplices mensuras. Tales etiamnum sunt inter Iudæos, qui meri lucriones nil nisi fœnerari norunt, quos proinde in spiritu prævidens Propheta, merito Chananæos stateræ dolosæ vocavit; adeo vt si institorem avarum & fraudulentum pingere velis, pingas Iudæum instar Chananæi, cum bilance, & ponderibus iniustis. Vtinam plurimi Christiani non ita venirent depingendi, in quorum manibus dolus reperitur & calliditas, statera falsa, & contra insontes, & infirmos instructa calumnia.

8. Hæc porro non solum eos concernunt, qui parum de mensura tollunt, sed etiam eos, qui mangonio, & ingenio artis vitium tegunt: vt si quis in aures equi infundat guttulam argenti vivi, vt excutiat segnitiem, & generositatem præ se ferat, vel si rem vitiosam ponat cum alijs vitio carentibus, vt distingui ab emptoribus non possit; aut si revestiarij scalpant vestes, vt ex rasis videantur pilosæ: Si quis triticum humido loco ponat, vt turgeat, lapides, salẽ, & similia butyro misceat, vel vinum patrium pro Rhenensi, vel mixtum ex patrio & Rhenensi, pro eodem: vel vinum mixtum aquâ pro puro, vt plerumque fieri solet lixando aquam fontalem in magna quantitate

titate cum melle, eousque donec spuma omnis cesset, & saporem inclinando per impositionem fasciculi herbæ (vulgo scarlep) aut vinis agrestibus infundendo plurimas fistulas dulcioris lactis. Quibus rectè
Isa. 10. applicari potest, quod Esaias cap. 10. pessimis peccatoribus exprobat: *Vinum suum mixtum est aquâ.* id est, iustitia tua mixta est cum avaritia & iniustitia, Denique his iungendi sunt, qui tritico miscent secale, aliave semina, vel quisquilias.

9. Attendant, quæso, illi quos hęc
Hierem. 1. concernunt. Nam vt vidit Hieremias virgam vigilantem, & ollam succensam indicantes plagam propter scelera Iudęorum illis imminere; sic Propheta Amos cap. 8. post
Amos 8. trullam cœmentarij quam viderat Dominum deponere, quo significabat se curam & tutelam Israëlis, qua eum suis legibus, fide & cultu quasi muris, quos sua ope & defensione, quasi trullâ & calce oblinere & roborare solebat, ob eiusdem idololatriam & crimina deponere & abijcere, itaque eum resignare, & tradere Assyrijs, qui eum ferro, flammaque vastent: vidit vncinum pomorum, quem Deus post varias visiones, & minas illi ostendebat, vt comminationibus, quasi ictibus repetitis dura Hebręorum corda molliret & flecteret, eo significans Dei iram & vindictam, qua Deus tempus captivitatis populi Israël accelerabat, & quasi attrahebat, vt Israëlitæ quasi poma ex sua regione decerperentur & caperentur ab Assyrijs; quorum proinde arma bellica, quibus Israëlitas in potestatem redegerunt, rectè quoque per vncinum intelliguntur. Vncinus enim pomorum, est vncus seu fustis ab vno latere incurvus & hamatus, alligatus vel appensus corbi, quo hortulani attrahunt ramos, vt poma decerpant, & inijciant in corbem; aut quo corbem ad ramos suspendunt, vt ex ijs lecta poma in illum inferant. Hoc autem vncum significare indicant verba, quibus Dominus vncinum explicat, videlicet, *Venit finis super populum meum Israël*: id est, excidium Israëli à me decretum & prædefinitum: *non adijciam vltra, vt pertranseam eum*, seu vt dissimulem peccata eius: vt eum sontem prætercam, & impunitum relinquam, vti pertransit prętor, cum scelera & sceleratos videns præterit & dissimulat. q. d. Tanta sunt crimina Israëlis, vt non possim vlterius connivere, nec possim tacere & præterire; sed illa sui enormitate & multitudine, quasi clamore iugi & valido cogunt me ad vindicandũ. Eiusque punitionis ratio inter alia redditur dolus & fraus mercatorum, quâ in vendendo mensuram imminuebant, vt expressè patet in verbis, quibus Propheta illos Amos 8. compellat, *Audite hoc, qui conteritis* v. 1. *pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes: Quando transibit mensis, & venundabimus merces; & sabbathum, & aperiemus frumentum: vt imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas. Vt possideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendamus?* In quibus verbis licet considerare avarorum mercatorum varias artes & dolos, quibus alios expilant, & se ditant. Primus est, quod carissimè merces suas vendant. Secundus, quod minuant mensuras. Tertius, quod augeant siclum, id est pondus. Quartus, quod supponant stateras dolosas. Quintus, quod cogant pauperes non tantum sua, sed & seipsos vendere pro calceamentis. Sextus, quod frumentum mistum paleis, cicere, avenâ, arenâ, &c. divendant pro puro frumento. Ob quos Dominus iurat per suam deitatem, quod non obliviscetur illa opera & scelera Israëlis, sed ea acriter puniet: adeo vt si eorum oblitus fuerit, non habeatur verax, non habeatur Deus, dicens: *Iuravit Dominus in superbiam Iacob: Si oblitus fuero vsque ad finem omnia opera eorum.*

10. Quæres tertiò: Quandoquidem hæc res tam perplexa est, & sæpe aliquali admistione materiæ secundæ se deterioris merx manet æque bona, an nullo casu liceat quid-

quidpiam in hac re immutare?

Respondeo, & dico primò id ordinariè non licere, quandoquidē rarissimum sit in praxi, rem per admixtionem materiæ vilioris deteriorem non fieri ad aliquem vsum, cuius gratia emitur. Adhæc compertum est, nullum emptorem velle tanto pretio emere, ac si merx pura & sincera esset: adeoque iniustam fraudem committi, nisi vel pretium diminuatur, vel pondus auctius detur ementibus. Confirmatur, quia tales mercatores in foro externo, vt falsarij puniri solent, eo quod sic fraudulentijs patens in Republica ostium aperiatur.

12. Dico secundò illud aliquando ex rationabili causa licitum esse, videlicet, quando ad vendendum merces tuas iniustè cogeris, & ars vendendi tales res Reipub. sit necessaria, nec aliter exerceri possit, & aliàs rationabile recipere non valeas, aut iustum mercis pretium secundum Magistratus taxationem consequi non possis, & nullum eâ ratione alteri damnum inferas. Sic ille, qui vinum cogitur vendere pretio evidenter iniusto propter imprudentiam Iudicis malè taxantis, nonnihil aquę admiscere potest, vel de mensura pauxillum diminuere. Sic pistores quando iustum pretium secundum Magistratus definitionē consequi non possunt, panem minoris ponderis conficientes excusari queūt, vti & braxatores, qui propterea plus aquæ addunt polentæ, quam constitutum est, quod iniustum sit cum damno suo, vel gratis laborare, aut officinam aperire. Verum in hiş caveri debet, vt absit scandalum, seu vt alij id videntibus neque iustitiam rei intelligentibus, non præbeas occasionem veram fraudem committendi. Rursum observari debet, vt vinum nonnihil mixtum non vendatur alijs nisi mox consumpturis: si enim servandum foret, corrumperetur, & daretur iniustè damnum emptoribus.

13. His ita trutinatis, restat scrupulus non exiguus, nempe: Qua ratione fraudantes in pretio, mensurâ, ac qualitate restituent?

Respondeo, vel est creditor certus & notus, tunc dubium non est ipsi quavis viâ damnum esse restituendum. Si vero sit tota civitas, vt plures ex civitate, vt contingit in ijs, qui defraudant minutatim in pondere, vel mensura, vel pretio, hic modus servandus est, vt tantum augeatur in pondere & mensura, vel diminuatur in pretio, quantum prius ablatum erat. Si vero contingat emptores, omnino esse incertos, vt hinc & illinc advenientes, tum restituendum erit sic ablatum pauperibus.

Discursus

Discursus VIII.

De Vsura.

Quid sit Vsura, & quale sit peccatum?

Vi ambulat simpliciter, inquit Sapiens, *ambulat confidenter.* Hoc satis ostensum est in ijs, quæ quantũ ad materiam & pretium emptionis & venditionis huc vsque discussi. Quia vero restat de pretio ratione temporis nonnihil differere, idque convenienter sub materia vsuræ disputetur, hinc quæram quod in argumento ponitur?

1. Ad huius quæsiti intelligentiam prænotandum est vsuræ variam significationem. Primùm enim significat vsum cuiusque rei. Sic Cicero & alij dixerunt, *vsuram lucis, vsuram vitæ* Et sicut à cultu dicta est cultura, sic ab vsu cuiusque rei vsura: Vnde Cicero 7. in Verrem: *Cur ipsis piratis lucis vsuram tam diuturnam dedisti?* Et Tusculan. 1. *Dedit vsuram tanquam pecuniam.* Et Plautus in Amphit. *vsuram eius corporis accipit sibi.* Aliquando significat id, quod ex vsu alicuius rei tanquam fructus accrescit. Sic Cicero de Senectute: *Terra nunquam sine vsura reddit, quod accipit.*

Cicero. Plautus. Cicero.

Verum iuxta has significationes non est peculiare nomen vitij, sed per accommodationem vsus sumptum est, ad significandum lucrum ex mutuo (veluti vnica sede vsuræ) cum videlicet aliquid temporale & & pretio æstimabile vltra sortem mutuo datam accipitur, quasi ratione mutui ex iustitia debitum esset. Sumitur ex causa 14. q. 3. vbi ex D. Ambrosio vsura est, vbi amplius requiritur, quam quod datur.

Ambros.

2. Rursum prænotandum est, vsuram primo dividi in realem ac mentalem. Realis est, ex qua lucrũ ex mutuo in pactum deducitur vel expressè, vel tacitè: quomodo hoc fiat expressè notorium est. Tacitè autem fit, quando mutuans id satis insinuat, veluti si dicat mutuario: *Nosti consuetudinem*, aut: *Confido pecuniam hanc non reversuram ad me vacuam*, aut: *Memineris me privari vsu mea pecunia, aut habere filios.* aut aliquid simile. Mentalis vero est quando nec expressum, nec tacitum pactum intervenit de lucro ex mutuo, intenditur tamen non gratuito offerendum, sed quasi ratione mutui debitum esset.

3. Dividitur iterum in apertam & palliatam. Aperta est, quæ in mutuo formali fundatur, dum dicitur: Do tibi mutuò centum libras Flandricas, aut Brabanticas, vt post lapsum anni reddas mihi centum, & quinque. Palliata vsura committitur, quando sub alterius contractus nomine ac specie velut pallio occultatur, v. g. cum mercator ob dilatam solutionem pretij præcisè absque alio respectu carius mercem distrahit, nempe libris centum, vbi tantum nonaginta quatuor valet. Is enim non aliud agit, quam quod nonaginta quatuor libras, quæ statim velut iustum pretium solvendæ essent, emptor det mutuo ea lege, vt post annum eas reddat cum auctario, quod expresse vetatur cap. *In civitate*, & c. *Constituit* de vsuris.

His positis, dico omnem vsuram tam mentalem, quam realem, tam palliatam, quam apertam omni iure illicitam & prohibitam esse. Quod iure naturali patet Exod. 20. per hoc præceptum: *Non furtum facies*, Exod. 20.

quod

quod naturale est, & ex ipsa ratione: quia pecunia res est naturâ suâ sterilis, vti est vinum, frumentum, & aliæ huiuscemodi res, in quibus mutuum consistit; non autem fructifera, ex qua permanente vsus commoditas, vel fructus percipi, ac separari potest, veluti ex domo inhabitandi commoditas, ex agro frumentum, ex vacca lac, caseus, aut vitulus. Vnde Gregorius Nyssenus miratur, quomodo ex ijs fructus aliquibus provenire possit: *O graves*, inquit, *& molestos conceptus, ex quibus eiusmodi fœtus; nempe fænus enascitur! Solummodo in rebus, quæ sunt, discernitur animatum, per discrimen sexus masculini & feminini. Eis dixit Deus creator: Crescite & multiplicamini, vt per mutuam ex se inter se generationem augerentur, & multiplicarentur quæ gignuntur animantia. Auri autem fœtus, nempe fænus, ex quonam consistit matrimonio, ex quanam perficitur conceptione? Cæterum ex Propheta didici, quæ sit huius fœtus conceptio: Ecce parturit iniustitiam, concepit laborem, & peperit iniquitatem. Hic est ille partus, quem parturijt quidem avaritia, parit autem iniquitas, & obstetricatur inhumanitas.*

Gregor. Nyssen.

4. Prohibetur secundò iure divino positivo, nempe Exod. 22. vbi Dominus dicit: *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum quasi exactor, nec vsuris opprimes.* Et Deuteron. 23. vbi specialius materiam exprimit, dicens: *Non fænerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* Et Ezech. cap. 18. inter lethalia peccata, quibus iustitia & gratia amittitur, ter computatur ad vsuram dare, & amplius accipere, nempe v. 8. 9. 13. & v. 17. versu enim 8. & 9. dicitur: quod qui ad vsuram non commodaverit, & amplius non acceperit, iustus sit, & vita vivet. versu vero 13. rogat Propheta, vtrum ad vsuram dans, & amplius accipiens, vivet; & respondet quod non. v. autem 17. dicit, quod *qui vsuram & superabundantiam non acceperit, non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet.* id est: Qui non imitatur parentis iniquitatem mutando ad vsuram non punietur morte, sed parens dumtaxat; verum feliciter vivet. Sic Achas, Manasses, Amon, Reges impij male perierunt; illorum vero pij filij, scilicet Ezechias, & Iosias felices & gloriosi vixerunt. Et Psalmo 14. constituit David inter necessaria ad habitandum in tabernaculo Domini, pecuniam suam non dedisse ad vsuram. Sic enim ait: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* &c. & respondet inter alia: *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.*

Exod. 22. Deut. 23 Ezech. 18. Psal. 14.

Tertio prohibetur lege Evangelicâ, nam Luc. 6. dicit Dominus: *Mutuũ date, nihil inde sperantes.* Prior pars est consilij, posterior præcepti. Quẽ locum vsuram prohibere tradit Vrbanus Tertius c. *Consuluit.* de Vsuris, vbi consultus de certis casibus, an in conscientia essent vsurarij, definiendo respondit: *Verum quia quod in his casibus tenendum sit, ex Evangelio Lucæ manifestè cognoscitur, in quantum dicitur: Date mutuum, nihil inde sperantes. huiusmodi homines per intentionem lucri, quam habent (cum omnis vsura, & superabundantia prohibeatur in lege) iudicandi sunt malè agere, & ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda in animarum iudicio efficaciter inducendi.* Quod eousque verum est, vt hæreticus censendus sit, qui pertinaciter affirmaverit vsuram non esse peccatum. Sic enim definitũ est in Clementina vnica de vsuris. §. vlt. *Si quis in illum errorẽ inciderit, vt pertinaciter affirmare præsumat, exercere vsuras non esse peccatum; decernimus eum velut hæreticum puniendum. Locorum nihilominus ordinarijs, & hæreticæ pravitatis inquisitoribus districtius iniungentes, vt contra eos, quos de errore huiusmodi diffamatos invenerint, aut suspectos, tanquam contra diffamatos, vel suspectos de hæresi, procedere non omittant.*

Luc. 6.

5. Insuper ostenditur gravitas huius peccati per plagas à Deo vsurarijs interminatas Proverb. 28. his verbis: *Qui coacervat divitias vsuris, & fænore liberali, in pauperes congregat eas.* id est: Quicumque iniquis vsurarum ac fœnorum lucris, fortunas suas avarè cumulat, is rectè nequaquam

Prov. 28.

quam illis perfruetur, sed congestas ab ipso opes Deus ad illum conferet, qui in pauperes liberaliter ipsas profundit. Sententia autem est verissima, & divinæ providentiæ iustissimam dispositionem, ac legem continet, quæ cum divites fortunarum, & divitiarum velut œconomos, ac dispensatores præfecerit, vt eas pauperibus elargiantur, meritò quidem illas avaris eripit, & liberalibus concedit; quia munus dispensatorum exercet.

Quin etiam ea gravitas liquet ex pœnis, quas Iura in vsurarios decreverunt: quarum prima est, quod vsurarius notorius iuris aut facti notitiâ, ipso iure fit infamis, l. *Improbum fænus* &c. Cod. *Ex quibus causis infamia irrogatur.* Eamque ob causam si Clericus fit, ad Ecclesiastica officia & beneficia fit inhabilis, adeoque irregularis, iuxta cap. *Infames*, 3. q. 7. cap. *Si quis oblitus*, 14. quæst. 4. cap. *Inter dilectos*, de excessibus Prælatorum, cap. 1. *Præterea*, de vsuris. In qua tamen infamia potest Episcopus post pœnitentiam & satisfactionem dispensare, iuxta Glossam, verbo *Suspendas*, communiter receptam.

Secunda, quod à sumptione sacræ Eucharistiæ arceri debeat, eius oblationes non recipi, neque Ecclesiasticæ sepulturæ tradi, cap. *Quia in omnibus*, de vsuris, vbi in fine adiungitur: *Qui autem oblationes acceperit, vel Christiana tradiderit sepulturæ, reddere compellatur, & donec ad arbitriū Episcopi satisfaciat, ab officij sui maneat executione suspensus.* Sed Leonardus Lessius cap. 20. dub. 22. num. 188. & Suarez t. 5. de censur. disp. 31. s. 1. in fine notant; Post extravag. *Ad evitanda*, vsurarium publicum vitandum non esse, etiam in sacris, antequam denuntiatus sit.

Lessius
Suarez

Tertia quod testamentaria dispositio, aliave extrema voluntas vsurarij manifesti ipso iure fit irrita, nisi ante mortem restituerit, quæ per vsuras acquisita sunt, vel de eorum restitutione idoneam cautionem, (per pignora videlicet, aut fideiussores) dederit. cap. *Quamquam*, de vsuris, in 6. Si vero talem cautionem præstare non valeat, & periculum sit in mora, debet iurare se non posse; & se facturum quidquid poterit, vt fiat restitutio, neque ante eam ad confessionem admittendus venit, nisi necessitas & instans mors tantam moram non admittant.

6. Quæres: Quare tantopere huic peccato succenseant Deus, & leges?

Respondeo, quia rationi naturali repugnat; nam manifestè iniustum est, vt rei non fructiferæ, puta pecuniæ, exigatur fructus, idque cum proximi, præsertim pauperis, gravi damno. Vnde Romani lege 12. tabularum caverunt, ne quis plus vnciario fœnore fœneraret: mox tribunitiâ rogatione ad semunciam fœnus redactum est, statim ad semissem, postea ad trientem: demum L. Gemutius Tribunus plebis tulit ad populum, ne omnino fœnerari liceret: paulatim iterum succrescens iterum fœnus Cæsar succidit. Laudati sunt Lucullus quod Asiam, Cato quod Siciliam fœnore liberassent. Cornelius Tacitus narrat Germanis fœnus omne ignoratum & execratum fuisse. Indi nunquam admiserunt fœnus. Agis Atheniensium Dux adeo fœnus detestatus est, vt facto igne in foro tabulas omnes fœneratorum exurendas curaverit, quo præclariorem luculentioremque ignem nunquam se vidisse exclamavit Agesilaus. Sic de vsura censuerunt Gentiles.

Audi nunc Sanctos Patres: Sanctus Ambrosius libro de Tobia cap. 10. *Nihil interest inter funus & fænus, nihil inter mortem distat & sortem.* Gregorius Nyssenus homilia 4. in Ecclesiast. *Fænus, inquit, qui aliud latrocinium, & parricidium nominaverit, non procul ab eo quod dicet aberraverit. Quid enim refert, an clanculum perfossis* [illegible]*is, prædonis*

Ambros.
Greg Nyss.

more aliena habeas, & praetereuntis caede te eorum, quae habeat dominum constituas, an fœnoris necessitate acquiras ea, quae ad te non pertinent?

At dices, mirum esse hoc ipsum, quod mutuatarius amicitiam censet, in crimen verti.

Respondeo iustè mirari quempiam posse, si vera foret amicitia, sed est instar morsus serpentis, qui mordet vulnus parvum in pede alicuius, ita vt non sentiat; mox autem serpit & diffundit se venenum, donec perveniat ad verticem eius. Sic quoque incrementum vsuræ se habet: non enim sentitur, neque cognoscitur, donec ita augeatur, vt totam substantiam alicuius exhauriat. Vnde vsura à Chaldæis vocatur *chabulia*, id est, perditio, quod omnes opes perdat & devastet. & Hebraicè vocatur *nesech*, id est, morsus, scilicet caninus, quod vocabulum per metathesin alludit ad *Nachas*, id est serpens, quia instar serpentis arrodit, & enecat hominem. Hinc auctor operis imperfecti homil. 12. in Matth. *Iubet nos Christus mutuam dare pecuniam, non tamen sub vsuris: quia qui sub vsuris mutuum dat, in prima quidem facie sua videtur dare, re vera autem non sua dat, sed alterius tollit. Nam videtur quidem necessitati succurrere, re vera autem in maiorem mittit necessitatem. De vno vinculo solvit, & multis vinculis alligat. Et non propter iustitiam Dei dat, sed propter proprium lucrum. Similis enim est pecunia morsui aspidis. Sicut enim qui ab aspide percutitur, quasi delectatus vadit in sannum, & sic per suavitatem soporis moritur: sic & qui accipit sub vsuris pro tempore delectatur, quasi qui beneficium accipit: & sic per suavitatem beneficij non sentit, quomodo captivus efficitur. Nam sicut venenum aspidis latenter per omnia membra discurrit, & corrumpit: sic vsura per totas facultates eius discurrit, & convertit eas in debitum. Sicut enim fermentum modicum, quod mittitur in multam farinam totam conspersionem corrumpit, & trahit illam, & facit illam totam fermentum: sic quum vsura in domum alicuius intraverit, totam substantiam eius ad se trahit, & convertit in debitum.*

Et Sanctus Ambrosius lib. 3. Officior. vsuram vocat homicidium. Et Cato testis est, olim fures damnatos esse ad duplum, fœneratores vero ad quadruplum restituendum: ac rogatus, quid esset fœnerari, respondit: *est hominem occidere.* Et Gregorius Nyssenus orat. contra vsurarios, declarat sic ad vsuram quasi rem animatam esse loquendum ei, qui vsuris deprimitur: *Insona aliquando gravissimis tibi vsuris vocem illam Ioannis Baptistae: Genimina viperarum abite à me. Pernicies estis ijs, qui vos retinent, & accipiunt. Paululum oblectationis adfertis, sed temporis progressione virus à vobis sparsum fit animae acerbum oblectamentum. Regni cœlestis fores clauditis:* (vobis scilicet, & etiam nobis, quando sine necessitate mutuum petimus) *modicum quidem oculos aspectu, tinnituque vestro aures recreatis, interim aeterni doloris causa & origo estis.* Et paulo inferius: *Opitulator vertitur in hostem: non enim opem fers, vt ex illa, qua premitur inopia, evadat; sed feras afflicto mala, nudum exuens, vulneratumque denuo vulnerans, curas curis accumulans, dolores doloribusque addens. Nam qui pecuniam cum fœnore reddendam accipit, pignus, & arrham paupertatis accipit, specie beneficij exitium domum reportans.* Quod dixit, similitudine illustrat, *Quemadmodum enim*, inquit, *is qui precibus victus febricitanti, & quem vehementissimus calor, sitisque nimia exagitat, poculum porrigit, exhilarat quidem agrum perbrevi tempore, dum poculū exhaurit; non longè vero post acerbissimam, & decuplo graviorem febrim misero parit: sic & qui egeno pecuniam sub fœnore commodat, necessitatem illius non sublevat, sed calamitatem potius auget.* Et hom. 4. in Eccles. alijs verbis idipsum amplificat, dicens: *Non calamitati fœnore affert remedium*, inquit (supple vsurarius) *sed eam magis auget, & quomodo in locis aridis, & incultis terra sua sponte producit spinas; ita etiam in calamitatibus eorum, qui premuntur angustijs avarorum fœnora luxuriant. Deinde manum porrigit cum pecunia, sicut arundo hamum*

Ambros.
Cato.
Idem.

hamum escâ tectum. hians autem iste misellus ad præsentem copiam, etiamsi quid occultum habebat repositum, cum attracto hamo simul evomit: fœnoris eiusmodi sunt beneficia. Et si quispiam alicuius quidem viaticum vi abstulerit, aut clam surripuerit, raptor, & fur, & quæ sunt eiusmodi, dicitur. Qui autem etiam adhibitis testibus, se iniustè, & acerbè gerit, & pactis conventis suam confirmat iniquitatem, benignus dicitur, & beneficus, & servator, & quæcumque bona sunt nomina, apellatur. & quod ex oblatione quidem paratur lucrum, dicitur furtum. Qui autem huiusmodi necessitate compulsum spoliat Christianum, blando benignitatis vocabulo lenit acerbitatem; miserorum enim hominum damna ita nominant, quasi dicat, id absurdum est.

8. Denique talis est vsura, vt magistrum suum perdat. Lucrum enim scelere partum, damnum est, non lucrum, vt rectè Laërtius lib. 1. c. 4. Et Antiphanes dictitabat vsuram, quęstumque breves habere delicias, longam autem calamitatem. Vnde Iob cap. 20. de divite impio & iniquo, *Panis eius in vtero eius vertetur in fel aspidum intrinsecus.* id est, malum quod illi adeo dulcescebat, tanquam delicatissimæ epulæ & exquisitissimæ cupediæ, omnium voluptatum & saporum varietate condîtæ, omnino convertentur in virus mortiferum, & bilem exitialem, quæ viscera occupabit. ex quibus cum aliquando venenum evomat, & depromat; ipsum impium imo pectore, & corde amarescere, succendi, ardere, & velut veneno tumentem, & inflammatum disrumpi tandem necesse erit. Sic igitur fluxa momentaneæ voluptatis dulcedo, atque satietas in amarissimam & acerbissimam tormentorum omnium nauseam redundabit. Et tum subiungit: *Divitias, quas devoravit, evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.* id est: Efficiet autem venenum illud mortiferum in cordis, mentisque ventriculo tormina, & anxietates incredibiles, & molestissimam quandam vomendi necessitatem, vt tandem iniquè parta, & avidissimè devorata, infructuosa sint avaro, & cum ingenti illius cruciatu, ad suos dominos revertantur. neque non pungente ac torquente conscientia, quæ in iniustitia impius detinet, Deus pro sua providentia, invito extrahet: & vel boni alicuius, vel apostatæ angeli ministerio vsus nullum pristinæ felicitatis vestigium relinqui patietur. Quamvis enim adeo tutam divitiarum possessionem adeptus sit, vt eas in ventrem fermè abdidisse videatur, brevi tamen illas ipsas dolens amittet; & quæ cum gaudio congregaverat, cum dolore effundentur. Ac sicut qui noxium aliquem cibum sumpsit, vna cum eo probos etiam evomit, sic qui inique congerendis opibus studet, non solum ipsas, sed etiam quas prius iure possidebat, plerumque amittit. vt rectè Olympiodorus in illum locũ, dicens: *Quemadmodum qui venenũ hauserunt, incitantur ad vomitum, sic cum quis divitias comparavit iniustè, cruciatur divulsis visceribus, illas ipsas effundere.* Et Philippus à Pineda citatus ad cruciatus conscientiæ respiciens, inquit: *In ventre eius, id est, in corde suo pro iniquitatibus suis amaros dolores, acerbos, & inimicos conscientiâ torquente patitur; & quod per violentiam rapuit, & cupiditatis studio devoravit, extorquetur ab iniquo.* Et immediatè post, pro gravi admonitione addit: *Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ.* id est: Scire vellem impium avarum, quãdo esurit, & sitit alienum sanguinem, quando lambit & exugit, velut lac dulcissimum, & suavissimum pauperum substãtiam, venenum vtiq; mortiferum haurire, quale in aspidũ capite, ore, dẽtibus residet, & quale lingua viperæ iaculari solet. Ac sicut cum viperæ libidine agitantur, femina collum maris in emittenda genitura comprehendit, & arctè complexa non prius dimittit, quam caput ore receptum præciderit atque devoraverit; femina vero talem luit masculo pœnam, quod filij, dum adhuc intra vterum sunt, matricem & viscera parturientis erodunt, redduntque ipsi parturienti pristinã libidinis

Laërtius. Iob 20. Olympiodorus. Philippus.

bidinis voluptatem exitialem; non aliter profecto impius in devorando paupere libidinis æstu exagitatur, vt cogatur postea, quæ devoravit, & concepit, cum incredibili mortis acerbitate parturire, atque effundere; & sicut idem ipse bifidâ, & venenatâ linguâ in multorum vitam, & famam, mortiferum venenum iaculatus est; ita quoque fiet divino supplicio, vt aliorum etiam detractorum virulentum morsum ipse quoque experiatur. His consonat quod Gregorius Nazianzen. pulchrè monet orat 9. ad Iulianum tributorum exæquatorem, dicens: *Ne ex aliorum egestate opes nostras comparare sustineamus, neque cum aliorum lachrymis misceamus, à quibus, tanquam à rubigine, ac tinea consumentur; aut vt Scripturæ verbo vtar, evomentur.* Quem locum vrget etiam in suis scholijs, Nicetas: *Vt enim*, inquit, *qui noxium aliquem cibum sumpsit vna cum eo probos etiam evomit: sic qui iniquè congerendis opibus studet, non solum ipsas, sed etiam, quas prius iure possidebat, plerumque amittit.*

Nazian.

Nicetas

9. Verum iterum dices frustra concionatores hoc crimen exaggerare; vsurarios enim de præsenti gaudere.

Respondeo, idem dixisse aliquando iniustos Israëlitas apud Oseam cap. 12. cum Propheta ipsos argueret fraudis & iniustitiæ, dicentes, *Verumtamen dives effectus sum, inveni idolum mihi* quasi dicant: Obstrepunt nobis Prophetæ, qui nos ob stateras dolosas culpant & arguunt; at voces istas non moramur, sed vt garritus graculorum despicimus. habemus enim penes nos idolum, id est, Deum fortissimum (puta mammonam, seu divitias, quas nostrâ iudustriâ nobis peperimus) quo præsente neminem timemus, quia omnibus bonis abundamus. Propterea subditur: *Omnes labores mei, non invenient mihi iniquitatem, quam peccavi.* Quæ verba dupliciter intelligi possunt; vel: Lucra mea laboribus meis parta, non invenient iudicem, qui ea iniquitatis & iniustitiæ damnare audeat: quia enim dives sum & potens, nullum iudicem timeo, aut si quem timeam, muneribus oculos eius excœcabo ego enim nullius, omnes meâ ope indigent. q. d. Non refert quomodo habeam opes modo habeam. Et hæc est interpretatio S. Hierô. & Alberti. Vel sic: Non poterit inveniri in meis negotijs, contractibus, ponderibus (esto scrutetur ea quisquis volet) vlla iniustitia, qua peccaverim, vt interpretantur Arias & Vatablus. Hæc est vox divitum, vsurariorum, aliorumque illicitos contractus ineuntium, quos cœcavit avaritia & cupiditas, qui Deo suo, puta Mammonâ, & opibus superbientes & tumidi, omnia iusta & licita sibi putant, Vni enim intendunt lucro: hoc eorum idolum est, hoc eorum ius, sive per fas, sive per nefas illud conquirant.

Osee 12.

Hieron.
Albertus

Arias
Vatablus

Sed quid? Deus per Prophetam eis offensus, minatur necem & opprobrium, in verbis: *Ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus suis: & sanguis eius super eum veniet, & opprobrium eius restituet ei Dominus* q. d. Quia Israëlitæ plurimis meis beneficijs ingrati me spernunt, & peccatis suis (quæ mihi amaritudinem, dolorem, & bilem, vt ita loquar, movent) provocant ab iracundiam, & sumendam vindictam; hinc peccata sua sanguine, & morte expiabunt, & flagitia in caput eorum recident. Sanguinem enim esse super alterius caput, idem est, quod mori, non solum, si quis alteri manus violentas attulerit, quia tunc effusus alienus sanguis in homicidæ caput futurus esse dicitur, sed etiam cum quis peccatum à se commissum sanguine & morte expiat. De priori est illud Iudæorum Matth. 27. v. 25. *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Et 2. Reg. cap. 1. vers. 15. ait David Amalechitam, à quo Saul occisus, *Sanguis tuus super caput tuum.* Iosue 2. vers. 19. *Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput eius.* De posteriori hic locus est: *Et opprobrium restituet ei Dominus*, quando

Osee 12.

Matth. 27

2. Reg. 1.
Iosue 2.

do opprobrij pœnam in caput hominis invereeundi retorquebit, & tale remetietur peccatori opprobrium, quale ab ipso passus est alius. Cui simile est illud 1. Regum. 2. *Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

1. Reg. 2.

10. His attentis, non inutiliter quæres: An nullo casu excusetur ab vsura acceptio auctarij vltra sortem?

Respondeo varios casus excusantes à Doctoribus assignari. Primus est, quando mutuatarius gratis, & liberaliter quid dat vltra sortem, non autem vt debitum: sic enim licitè potest, & vult rei transferre dominium. Ille autem animus mutuatarij ex circumstantijs colligi debet, de quibus sic Pet. Navarra lib. 3. cap. 2. num. 116 iuncto n. 230. *Ex qualitate rei data, ex signis amicitia, ex paupertate, vel copia, ex iactura vel lucro dantis, ex eo demum, quod virtus gratitudinis poscit, erit à prudente Confessario donatio conijcienda.* quod vero Confessario hoc cuique prudenti & intelligenti, & conscientiæ suæ rationem habenti, ex ijsdem signis conijcere licebit.

Navarra.

11. Secundus casus est, ex parte mutuatoris, nempe quando eius vere interest non mutuare. Quod interesse duplex est; Vnum dicitur lucri cessantis, si videlicet mutuatori propterea, quod mutuo daturus est, lucrum abscedet: veluti si mercator ex mille, quos mutuo tibi dat, æstimatis omnibus, lucraturus sit octuaginta, hos ipsos à te stipulari potest, vt suo tempore vna cum sorte ipsi restituas, secundum receptam doctrinam Gloss. in cap. Conquestus, ver. de feudo, de vsur. Confirmatur, quia spes lucri, quâ se privat mutuator in gratiam mutuatarij, pretio æstimabilis est. Nec refert quod mercator aliàs pecunias in arca servet, modo illas negotiationi non destinarit. Necesse tamen est, vt in æstimatione lucri sperati non solum expensæ deducantur; sed etiam incertitudinis periculum: quia lucrum in spe minus valet, quàm in re; & tanto quidem minus, quanto incertior spes est.

Alterum interesse dicitur damni emergentis, quod duplex est: Vel enim est damnum intrinsecũ, quod in ipsa re mutuo data inest: vt si tempore veris mutuo des frumentum, restituendum autumno, cum minoris valebit. Vel est damnum extrinsecum, seu aliunde proveniens: vt si pecuniam, quam mutuo das, destinaveris ad emendum frumentum tempore abundantiæ; postea vero pretio maiore emere cogaris: eiusmodi damni tui compensationem merito in stipulationem deducis. Quæ est doctrina S. Thomæ q. 78. a. 2. ad 1. communiter recepta: Sed & probabile est æstimari posse periculum damni, cui mutuator, aut venditor se exponit, si homini non industrio, & pluribus debitis obstricto mutuò det, aut vendat, & idcirco interveniente pacto, aliquid exigi potest: quia quivis prudens mallet decem florenos v. g. donare, quam centum tali homini credere, aut mutuò dare. Ratio est, quod contractus ille sit innominatus suapte natura iustus, cum quis hoc pacto contrahit, *Subijciam me periculo in tui gratiam, si dederis mihi decem florenos*: sed requiritur vt periculum sit probabile, & non vano timore conceptum.

D. Thom.

Porro ex his colligitur primò, discrimen inter vsuram lucratoriam, id est, quæ merum lucrum continet, omnique iure prohibita est, & vsuram compensatoriam, id est, per quam damnum, vel lucrum cessans compensatur, iuxta l. *socium.* ff. *pro socio*, vbi dicitur: Socium, qui reddendo pecuniam moram adhibuit, *vsuras quoque praestare debere: sed non quasi vsuras*, (proprie dictas & lucratorias) *sed quod socij intersit, moram eum non adhibuisse.* Et l. vsuras, Cod. de vsuris: *Cogitur emptor, qui in solutionis mora est, vsuras insuper solvere venditori.*

Secundò intelligitur necessarium esse vt lucrum cessans, vel damnum emergens, vel sortis periculum in pactum deducatur expresè, aut tacitè: fiatque contractus innominatus: *In tuam gratiam desistam, ab hoc lucro; vel damnum hoc, aut periculum subibo, vt des mihi decem*. Alioquin si postea mutuator damnum ex mutuatione incurrerit sine culpa mutuatarij, nullam compensationem postulare poterit.

12. Quæres rursum: an aliquando absque vsura liceat carius vendere dilatâ solutione seu credito, quàm vendi soleat præsenti pecuniâ?

Respondeo affirmativè; idque *Primò* intra limites iusti pretij, v.g. quod ementi præsenti pecuniâ vendis infimo, vel mediocri pretio, potes creditò vendere summo pretio: quia omne illud pretium est iustum, & iustè exigi potest: *Secundò* licitum est augere pretium ratione lucri cessantis, vel damni emergentis ex concessa solutionis dilatione, vt in mutuo exigi aliquid potest vltra sortem hoc titulo, iuxta communem Doctorum sententiam. *Tertiò*, etiam licitum est aliquid exigere supra iustum pretiũ ratione periculi sortis, cui interdum vendens creditor exponitur, & ratione expensarum, & molestiarum, quas timet in recuperanda sorte. Et ratio est, quod exponere se tali periculo, pretio æstimabile sit omnium iudicio. Secundò; quia venditor potest petere fideiussorem, qui vt periculum illud in se suscipiat, potest iustum pretium stipulari: ergo si emptor cupiat venditorem illud in se suscipere, poterit venditor iustum eius pretium exigere.

13. Ex hoc capite potest mercator, qui mercem suam in aliam regionem, vbi pluris valet, delaturus fuisset, nisi loco præsenti emere cupienti venderet, lucri sui sperati compensationem expetere, modo faciat deductionem prout superius dixi de mutuo.

14. Quæres tertio: An non liceat ab aliquibus saltem personis lucrum aliquod accipere supra sortẽ ex mutuo, quandoquidem Dominus dicat. Deuter. 23. *Non fænerаberis fratri tuo, sed alieno*: illis enim verbis videtur permissa vsura erga extraneos. Deuter. 23

Respondeo sufficienter ex illis verbis colligi, vsuram secundum se esse illicitam, nam illa de causa prohibetur circa fratres, seu filios Israël, & passim alijs locis citatis ex veteri Testamento condemnatur. quomodo autem salvari possit, *sed alieno*, quandoquidem natura sua sit illicita, duplex est sententia Doctorum. Prior, quod erga extraneos non fuerit filijs Israël permissa, vt licita, sed solum tanquam impunita, ad maiora mala vitanda, ne videlicet ex avaritia, ad quam populus ille multum erat propensus, fratres suos vsuris opprimeret: quemadmodum libellus repudij erat Israëlitis permissus ob duritiam cordis eorum, iuxta Christi verbum Matth. 19. *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras; ab initio autem non fuit sic*. Et sicut inter nos permittitur meretricum vsus, cum iure naturæ pugnans, ad maiora mala vitanda. Matth. 19.

Verum hæc non satisfacit: vnde melior & omnino certa, ac secura est secunda opinio, nempe vsuram tanquam licitam fuisse permissam filijs Israël ex iusto titulo circa alienos, id est, hostes ipsorum, qui terram habitabant promissionis, quam Deus illis concesserat, & circa quoscumque alios, cum quibus bellum iustum temporis progressu gererent. Eo namque ipso, quod fas est spoliare veros hostes bonis suis, licitũ quoque est mutuo dare illis cum pacto, vt aliquid vltra sortem reddant. Sic intellexit hunc locum S. Ambrosius lib. de Tobia cap. 15. vbi per *alienos* intelligit gentes hostiles, vt Amalechitas, Amorrhæos, & huiusmodi. Accipe eius verba: *Quis erat*, inquit, *tunc alienigena, nisi Amalech, nisi hostes? Ibi, inquit, vsuram exige. Cui merito nocere desideras, cui iure inferuntur arma, huic legitime indicantur vsuræ. Quem bello non potes facile vincere, de hoc cito potes centesima vindicare te. Ab hoc vsuram exige, quem non sit crimen occidere*. Ambros.

re. *Sine ferro dimicat, qui vsuram flagitat, sine gladio & de hoste vlciscitur, qui fuerit vsurarius, & exactor inimici. Ergo vbi ius belli, ibi etiam ius vsuræ.* Quos enim poterãt occidere, eorũ & bona rapere, vel apertè, & occultè, & dolosè per vsuras poterant, præsertim cum hæ gentes fœneraturæ essent Hebræis, imò eos expilaturæ. Idem ergo ius concedit Deus hîc populo suo, quod gentes hæ in eum vsurpaturæ erant. itaque duplici iure, scilicet primò represaliarum, secundò belli poterant Iudæi gentibus hisce fœnerari. Hic sensus verus est, commodusque, salvo quod nomen *alieni* videatur non ita restringendum ad gentes certas hostiles, sed ad omnes, maximè vicinas, quæ erant hostes Iudæorum. Et huc tendit decretum

Alexand. III. Alexandri Tertij in Concil. Turonensi, vbi prohibens vsuram, seu lucrũ facere vsuris rei pignoratę, excipit casum, *nisi forte Ecclesia beneficium fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu laici videatur.* Et nostro tempore

Damhouderius. D. Damhouderius insignis Iurisconsultus in locis communibus, admon. 9. sic habet: *Cum Turca, & Saracenis Christiani facere possunt vsuram, vt sic bona Ecclesiæ recuperent, quæ Turca, & Saraceni sine vlla ratione, iure & æquitate, occisis tot millibus Christianorum hactenus invaserunt. Qui ergo à Turca, à latrone, & fure infideli vsuram acceperit, nec rapinam fecerit, nec fratri nocuerit, & Ecclesiam auxerit.*

15. Sed dices: Quænam ergo ratio est, quod Magistratus permittat vsuram exerceri erga fratres, an quod Cæsareæ leges eas alicubi approbent?

Respondeo negativè, nam leges Cæsareæ, quæ lucratorias vsuras statuunt, iure Canonico correctæ sunt, vti constat ex Clementina vnica de Vsuris: sed permittit eas Magistratus, sicuti scortationem publicam, ad vitanda graviora mala, videlicet furta, & latrocinia, adeoque sub specie boni, donec & quousque aliud medium inveniatur indigentibus subveniendi.

16. Quæres denique: Quandoquidem res ita perplexa est, an licitè quis possit ab vsurarijs mutuum petere.

Respondeo, & Dico primò petere mutuum ab vsurario ex causa necessaria nullum esse peccatum. Ratio est, quia id non est optare, nec approbare peccatum illius, sed tantum petere id, quod vsurarius potest facere sine peccato, dare scilicet mutuum, quare non cooperatur directè peccato vsurarij: sed vtitur iure suo, ex quo non tenetur illo casu vitare peccatum vsurarij. Audi desuper Molinam disput. 335. vbi sic ait n. 5. *Si quis vel mediocriter pecuniâ indigeat, aut propter lucrum notabile, quod sperat, aut vt negotiatione vitam sustentet, aut quod in necessitate, pressurave sit aliqua, neque facile pecuniam possit habere aliunde, licitè poterit mutuo petere, nihil impediente, quod intelligat eum a quo mutuo petit, exacturum vsuras. Quin si intelligat illum aliter non esse daturum mutuo, nisi ipse illi vsuram offerat, poterit illi dicere, da mihi mutuo centum, & restituam tibi centum & decem, aut: da mihi mutuo centum, & vide quantum vis tibi insuper addam. Ratio horum est, quoniam hoc non est cooperari peccato illius, sed vti rationabili ex causa peccato illius in vtilitatem propriam, offerreque illi ex causa rationabili, quod ex malitia illius scit futurum illi occasionem peccati, scandalique Pharisæorum: quæ omnia licita sunt. In eo vero quod dicat. da mihi mutuo centum, & restituam tibi centum & decem, aut; vide quantum vis insuper tibi restituam, non petit, vt ad vsuram mutuet, sed solum ei offert occasionem illius peccati, ostenditque se paratum ad ita accipiendum, si aliter dare noluerit.*

Dico secundò eum peccare mortaliter, qui ob finem lethaliter malum pecunias ab vsurarijs mutuat, v. g. vt iniustitiam committat adversus vxorem, filios, & creditores in eorum præiudicium sic multum contrahendo, & bona sua dissipando: quia enim id per se iniquum est, nulla potest allegari necessitas.

Dico tertiò: Quando quis ad vanitatem, luxum, ludum, aliamque causam supervacaneam mutuum

petit ab vsurario, subinde peccare mortaliter, subinde venialiter. Mortaliter, quando commodè id vitari potest, venialiter, quando indecorum foret ad vsuram petenti, alios eiusdem status non sequi.

Discursus IX.

An in Montibus Pietatis interveniat Vsura?

Ps. 40.  Rropheta David Ps. 40. dicit: *Beatus vir, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Hoc autem facit, qui per Montes pietatis studet indigentium necessitati subvenire. Praxim vero eiusmodi Montium plerique suggillant, & vsuræ insimulant, hinc tractabo quod in argumento ponitur.

Hier. 15. 1. Dominus Hieremiæ prophetę dicit cap. 15. *Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* id est, iuxta Hieronym. Theodoret. & D. Thomam, ac alios: Si dederis operam vt ex vilibus, impijs, incredulis, & rebellibus facias credentes, obedientes, iustos, sicque eos separes; & vt hebraicè est, educas à sua præterita, & aliorum adhuc rebellium pręsenti impietate; eris mihi curæ, carus & coniunctus, *quasi os meum.* quod scilicet voluntatem meam annunciat, & implet. Vel potius, & magis genuinè iuxta alios authores: Si fortiter & animosè adhæseris verbo meo, & contempseris Iudæorum minas, eris quasi os meum, id est, eris Propheta & præco meus mihi coniunctissimus, per quem ego mea secreta & decreta edicam & proloquar. Vtraque expositio congruit illi, qui controversiam Montium pietatis iuxta legem Dei dirimit, postpositis minis & fulminibus contradicentium.

2. Ad huius quæsiti igitur intelligentiam. Primò sciendum Montem pietatis apud Italos frequenter dici, *Summam quandam pecuniæ, frumenti, vel alterius rei similis relictam ab aliquo divite, aut à civibus collectam, & publicè deputatam ad subveniendum per mutuum illà indigentibus, idque sub pignore ad breve aliquod, certumque tempus: qui si intra terminum præscriptum pecuniam, aut aliud mutuatum non redderent, venderetur continuo pignus, atque ex pretio solveretur mutuum, quod reponeretur in Monte, incrementum vero pretij domino pignoris redderetur.* Ad hoc vero necessaria est domus, in qua pecuniæ & pignora serventur, & ad quam accedant, qui mutuo indigent, necessarij etiam sunt ministri, aliaque ad hanc provisionem spectantia.

3. Secundò sciendum est, huiusmodi Montes diversimodè erigi solere. Vel enim illa pecunia à privatis hominibus contribuitur ad illum finem ex devotione, aut donatione inter vivos; aut relinquitur per vltimam voluntatem: idque in tanta copia, vt non solum sufficiat ad mutuandum pauperibus, sed etiam ad solvendas impensas ministrorum, aliaque necessaria ad conservationem Montiũ spectantia. Vel erigitur hoc modo, vt certa sũma ex publico deputetur ad mutuandum dumtaxat indigentibus, absque eo, quod aliquid relinquatur pro domo, pignoribus servandis, libris rationum emendis, impensisque ministrorum: hinc Magistratus coguntur huic rei providere, & levare sub censu annuo aliquam summam pecuniariam in vsum prædictorum, quam à mutuatarijs volunt solvi, quia vtiliter eorum negotium gerunt: quod alioquin indigentibus massa relicta commodè non posset dispen-

dispẽsari. Et hi Mõtes solẽt vocari mixti.

4. Verũ ad hunc modum studuerunt Principes Belgij similes Mõtes in sua ditione instituere, vt à voragine vsurariorũ subditos sublevarent: sed cum ad eam rẽ parum gratuiti subsidij ad manum esset, neque spes affulgeret aliquid consequẽdi, quod tanto operi etiam inchoando sufficeret, proposita fuit ea ratio, vt magna quędam pecunię summa ad censum reciperetur, cuius canonem Mons ex ea conflatus penderet ad ratam nummi decimisexti, & à mutuatarijs recuperaret, & quidquid ad stipendia ministrorũ, instructionem, ac conservationem domus esset necessarium. Idque factum est mediante viro industrio D. Wenceslao Cobergher Architecto eorundem Belgij Serenissimorum Principum, qui formulam minutatim conceperat, qua domus idonea emi, instrui & pecunia comparari, atque administrari posset.

5. His positis Dico primò: Si tantũ relictum sit, vt sufficiat ad mutuandũ pauperibus & indigentibus atque etiam pro indemnitate Montis, & operis ministrorũ; vsuram esse aliquid supra sortẽ recipere à mutuatarijs, iure naturali, divino positivo veteris & novi Testamenti prohibitã, vt latius deduxi Disc. pręcedenti.

6. Dico secundò: Si altero modo Mõs sit conflatus, ita vt certa summa nõ diminuenda relicta sit ad mutuandum indigentibus, non autem quod necessarium est ad solvendum ministris, & alijs comparandis ad Montium conservationẽ, & indemnitatem necessarijs; licitum esse à mutuatarijs tantumdem recipere, ac sufficit ad Montis indemnitatẽ. Hoc enim expresse definitũ est de Montibus Italię, cum ibidem hæc quæstio controverteretur inter Doctores, qui in diversum ibant, *his dicentibus*, vt loquitur Bulla Leonis Decimi, *eos montes non esse licitos, in quibus aliquid vltra sortem pro libra, decurso certo tempore per ministros huius Montis ab ipsis pauperibus, quibus mutuum datur exigitur, & propterea ab vsurarum crimine, iniustitiave, seu aliqua certè specie mali mundos non evadere: cũ Dominus noster Luca Evangelista attestante aperto nos præcepto obstrinxerit, ne ex dato mutuo quidquam vltra sortem sperare debeamus. Ea enim propria est vsurarum interpretatio, quãdo videlicet ex vsu rei non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nullove periculo lucrum fœnusque conquiri studetur. Alijs verò pluribus Magistris & Doctoribus contra asserentibus, & in multis Italiæ Gymnasijs verbo & scripto conclamantibus, pro tanto bono, Reip. tam pernecessario, modo ratione mutui nihil petatur, neque speretur: pro indemnitate tamen eorumdem Montium, impensarum videlicet ministrorũ eorumdem, ac rerum omnium ad illorum necessariam conservationem pertinentium, absq; Montium huiusmodi lucro, idque moderatum, & necessarium ab his, qui ex huiusmodi mutuo commodum suscipiunt, licitè vltra sortem exigi & capi nonnihil licere.* Sic enim postmodũ subiungit Pontifex illam controversiam dirimens: *Nos super hoc, prout nobis ex alto est concessum, opportunè providere volentes, alterius quidem partis iustitiæ Zelum, ne vorago aperiretur vsurarum, alterius pietatis & veritatis amorem, vt pauperibus subveniretur; vtriusque verò partis studium commendantes, cum hæc ad pacem & tranquillitatem totius Reip. Christianæ spectare videantur, sacro approbante Concilio declaramus & definimus, Mõtes pietatis antedictos, per Rempublicam institutos, & auctoritate Sedis Apostolicæ hactenus approbatos, & confirmatos, in quibus pro eorum impensis, & indemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas & aliarum rerum ad illorum conservationem, vt præfertur, pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, vltra sortem, absque lucro eorumdem Montium recipitur; neque speciem mali præferre, nec peccandi incentivum præstare, neque vllo pacto improbari; quin imò meritorium esse, ac laudari & probari debere tale mutuum, & minimè vsurarium putari, licereque illorum pietatem & misericordiam populis prædicare, etiam cum Indulgentijs à sancta Sede Apostolica eam ob causam concessis, ac deinceps alios etiam similes montes Apostolicæ Sedis approbatione erigi posse.*

Et rectè. Quis enim non videt rationi consonũ esse, vt Mõs indemnis servetur & ministris solvatur? sic enim ait Christus: *Dignus est operarius mercede sua*, Luc. 10. Et Apostolus 1 Ad Cor. 9. vbi ostendens se maioris tum meriti, tum ædificationis causa abstinuisse à stipendio, sive alimento prædicatoribus debito, rogat: *Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid hæc secundum hominem dico? An & hæc lex non dicit? Scriptũ est enim in lege Moysi, Non alligabis os bovi trituranti: Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi.* id est: Sicut æquum Luc. 10. 1. Cor. 9.

est

est milites ali. & vivere suis stipendijs, vinitorem pasci fructu suæ vineæ, pastorē lacte gregis, quem pascit: ita par est præcones Evangelij vivere ex Evangelio, puta ex sua vinea, scilicet Ecclesia, & ex suo grege, id est Christianorum bonis sumptus & alimoniam accipere. Et rursum: An humanis tantum rationibus & similitudinibus militis, vinitoris, pastoris iam allatis mea dicta probo & confirmo? Minimè. Quin verò, illa ipsa ex lege divina stabilio, & communio; *Scriptū est enim in lege Moysi* (Deuteron. 25.) *Non alligabis os bovi triturāti*: quia nimirum par est, vt animalia laborantia comedant.

Deut. 25.

7. Dico tertiò: vbicumque Mons conflatus est, vt in hoc Belgio iam practicatur, licere non solum à mutuatarijs accipere vltra sortem, quod necessum est ad conservationem Montis, eiusque indemnitatem, & iustas ministrorum impensas, sed etiam quidquid necessarium fuerit ad Montis erectionē, & constructionem, ac canonem redituum solvendum. Probatur, quia gerens vtiliter negotium alterius, debet indemnis servari, ex l. *Si quis absentis*, & toto titulo ff. de negotijs gestis: hoc autem facit administrator Montis, levans massā pecuniæ sub reditu, vt assistat indigentibus; adeoque licitè potest petere, quod necessarium est ad indemnitatem, sic enim dictat regula Iuris in 6. *Qui sentit commodum, debet sentire & onus.*

8. Probatur secundò, ex Bulla Iulij Pontificis eius nominis tertij, circa annum 1550. per quam approbavit iustitiam Montis pietatis erecti Vicennæ civitate Italiæ, qui defectu medij gratuiti sufficientis ad mutuandum indigentibus levarat pecunias ad interesse, quas à mutuatarijs per taxam desuper orditam recuperabat cum expensis ministrorum, & aliarum rerum ad Montis conservationem necessariarum, vt testatur Navarrus consil. 2. de vsuris, Paulus Comitulus lib. 3. responsion. moral q. 35. & Vincent. Filliucius hoc tempore Professor Theologiæ Moralis Romæ, & Pœnitentiarius ad S. Petrum, qui 1. tomo Moral tract. 34. punc. 2. cap. 9. ad quæsitum, *Quid sit Mons pietatis mixtus*, sic respondit n. 175. *Dico Montem pietatis mixtum esse summam pecuniæ confectam partim ex eleemosynis, & gratuita collatione, partim ex contributionibus personarum particularium, quæ pecuniam deponunt in Monte, vt pluribus indigentibus prodesse possit, cum pacto vt recipiant quatuor vel quinque pro centum ab ipso Monte. Sciendum enim est frequentiâ indigentium, & Montis exiguitate sæpe factum esse, vt mons exhauriretur. Et quoniam non facile reperiebantur, qui titulo solo Eleemosynæ Monti vellent contribuere, consultatione prudentium adhibita, & in bonum commune civitatis, & pauperum constitutum est alicubi; vt quicumque pecunias suas in Montem contribuerent, donarentur quatuor vel quinque pro centum in singulos annos; facta etiam potestate contribuentibus recuperandi capitale, quandocumque vellent; sic refert Navar. consil. 2. de vsur. factum esse in Monte pietatis Vicentino, & Veronensi: Eodemque modo probabile est factū esse in Monte Florentino qui propriè mixtus est.* Et numer. 178. resolvit eiusmodi Montes esse iustos ex titulo damni emergentis, & lucri cessantis, vt patet ex ijs quæ ibidem addit his verbis: *Confirmatur id ex quadam Bulla Iulij tertij, cuius meminit Navar. cons. 2. de vsur. in qua approbat huiusmodi Montem, modo concurrerent duæ conditiones ex parte deponentium. Prima, vt intentio eorum sit iuvare Montem, & pauperes ab eo mutuum accipientes, non autem fœnerandi, vel recipiendi lucrum ex mutuo, vt ipsius mutui. Secunda, vt ad finem deponendi in Montem desinant emere merces paratas venditioni, quas alioquin emissent, nisi deponerent in Monte. Cum ergo has easdem conditiones non requiramus in his deponentibus, si hæ intercedant, poterunt iustè recipere illa quatuor vel quinque pro pecunia in Monte deposita.*

Navarrus
Comitulus
Filliucius

9. Tertiò ex censura Archiepiscoporum, & Episcoporum Belgij, qui post serium examen licitam hanc rationem cēsuerunt. Duo enim articuli illis propositi fuerunt. Prior: *Vtrum pro erigendo Monte pietatis liceat Paulo cum Principis consensu dare pecuniam capitalem, quanta requiritur, eâ conditione, vt Mons pendat ad ratam nummi 16. & non restituat ante lapsum sedecim annorum, sed continuet dictum canonem integra summa.* Posterior: *An liceat ad inveniendum hunc canonem, & ad supportandum onera Montis, sine ipsius Montis lucro pro sola eius indemnitate primo anno accipere duodecim in centum & alia tria pro domo, & reliquis extraordinarijs oneribus, quæ primo anno occurrent, adeoque quindecim in centum, & secundo anno solum duodecim.*

Ad primum sic responderunt: *Licere Principi consentire, vt reditus ad rationē nummi*

mi decimi sexti constituatur ad certos annos, etiã ad sedecim irredimibilis, si necesse fuerit. Ad secundum verò: *Videri probabile, quod primo anno pro Montis indemnitate (secundum ea, quæ in articulo referuntur, & verbo latius explicata sunt) quindecim in centum exigi possunt: secundo verò, & sequentibus annis tantum solummodo, quantum Princeps ex iudicio prudentum, & timentiũ Deum pro Montis indemnitate censebit necessarium, habitâ interim in omnibus his ratione diversitatis locorum, & temporis.* Actum Mechliniæ 2. Octobris 1617.

Illis articulis subscriptum erat, *Matthias Archiepiscopus Mechliniensis, Franciscus vander Burgh Archiepiscopus Cameracensis, Iacobus Episcopus Ruræmondensis, Ioannes Episcopus AntWerpiensis, Antonius Episcopus Ypræensis, Nicolaus Episcopus Buscoducensis, Iacobus Boonen Episcopus Gandensis, Antonius Triest Episcopus brugensis.*

Inter quos duo sũt Doctores Theologiæ, & fuere Professores eiusdem, in Vniversitate Lovaniensi. Alij duo fuerunt Consiliarij Ecclesiastici in magno Regiæ Maiestatis Concilio Mechliniæ. Cæteri vero vel in Theologia, vel Iurisprudentia publici studij in Vniversitate habuerunt testimonium.

10. Probatur quartò ex auctoritate Doctorum, qui hac de re scripserũt, inter quos sunt Ioan. Azorius Instit. moral par. 3. lib. 5. cap. 9. §. 2. *Quæritur.* Sigismundus Sciaccia tract. de commercijs, & cambio §. 1. q. 1. Cosmas Philiarchus de officio Sacerdotum lib. 5. cap. 21. §. *quoad primum.* Thomas Boninsignius de Montibus c. 4. & 5. & alij plures, quos in medium adducit Lessius Append. ad dubit. 23. cap. 20. lib. de iustitia & iure, resp. ad q. 2. Aliquorum dumtaxat communicabo sententias, vt Lector melius rem percipiat, nempe Ludovici Molinæ, qui tom. 2. de iustitia disput. 325. probans Iustitiam Montium pietatis, & Decretalem Leonis Decimi, his vtitur verbis: *Sicut enim licitum est aliquid accipere à mutuatarijs ratione lucri cessantis, aut damni emergentis; neque in eo vlla cernitur vsura, quia non accipitur pro mutuo, sed occasione mutui, & longe alio titulo; eo quod fas sit mutuanti,* non alia ratione mutuare, quam deducendo in pactum tacitum vel expressum, vt à mutuatarijs indemnis servetur, eaque de causa licite potest accipere ab eis damnum, quod ei emergit, *aut lucrum quod ei cessat ob mutuum: ita fas est accipere à mutuatarijs expensas omnes, quæ vt mutuum in eorum gratiam præparatum semper habeatur, eisque quando voluerint, detur fiunt, neque enim subire eas tenetur, qui beneficium mutui præstat, sed fas ipsi est deducere illas mutuatarijs in pactum, vt si mutuum in ipsorum solum commodum ex charitate præparatum accipere velint, eas solvant, alioquin ab accipiendo eo mutuo se contineant: quo fit, vt ex commutativa iustitia in eo eventu mutuatarij teneantur eas solvere; non quidem vi mutui, quasi secluso alio quocumque contractu ex solo mutuo ad illas solas tenerentur, sed vi alterius contractus iusti, quo ea lege datur illis mutuum in ipsorum commodum præparatum, si ad expensas in eorum commodum factas contribuere velint.* Hæc ille ita generatim de omnibus expensis factis ad hoc, vt mutuum paratum habeatur: inter quas in casu nostro, sunt etiam pensiones censuum.

Lud. Mol.

Valerius quoque Reginaldus in Praxi fori pœnitent. lib. 25. cap. 11. n. 209. hæc habet: *Vndecimum dubium est; An sit vsura, si in subsidium indigentium civitas constituat censum, v. g. quinque pro centum super bonis suis, & rogat cives singulos certam portionem eiusdem census emere, vt inde fiat pecuniarum cumulus, ex quo capientes mutuo supra sortem & taxam pro expensis ad illius conservationem necessarijs solvant quinque in censum, quem cives emerunt? Ad quod respondetur non esse vsuram: nam ex parte contribuentium non est mutuum, sed emptio census facta iusto pretio; nec ex parte mutuatariorum iniustitia committitur, quâ graventur; cum in commodum ipsorum institutus talis sit contractus, eisque relinquatur liberum vti beneficio illius, vel non vti.* Reginald.

Idem censet Rebellus lib. 8. de obligationib. Iustitiæ par. 2. q. 13. lit. E. vbi sic ait: *Vltimò fas est in mutuo deducere in pactum interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, vt mutuans servetur indemnis, vt quæstione quinta, conclusione tertia ostensum est. Cur ergo similiter nefas erit deducere in pactum expensas Montis pietatis in vtilitatẽ pauperum factas?* Similiter iudicat Re- Rebellus.

Reverendissimus Episcopus Francisc. Sarmientus lib. 7. select. interpret. c. 2. n. 13. & 14. vbi privato id concedens sic dicit: *Si petas vt tibi mutuem Romæ, vbi pecunias non habeo, sed notos mercatores, à quibus ego accipiam mutuum sub fœnore; quod aliter noluerint mutuare, possum idem fœnus à te accipere, non vt aliquid lucrer sed vt damnum emergens tui causa vitetur.* Et cap. 3. n. 1. docet *nullam vsurariam labem à Montibus contrahi, si solius damni emergentis ratio habeatur.* His subscribit præfatus Filliucius loc. cit. num. 169. vbi dicit: *Fas est præstanti beneficium mutui deducere expensas in pactum, quæ fiunt gratiâ mutuatariorum, vt si ipsi velint accipere mutuũ, eas solvant, alioquin se contineant à mutuo accipiendo. Tenebuntur ergo ex iustitia commutativa ex vi contractus innominati: Do mutuum, vt contribuas pro rata ad expẽsas factas pro illo, easque solvere.* Idem censuerunt sex Theologi Leodienses, quorum censuram rabula quidam forensis perperam arguit tanquam scandalosam in libello, quem intitulat: *Cassandre des Mons Pietez Belgiquez.* Et novissimè plures Doctores Lovanienses super ijsdem ritè ac rectè consulti, de quibus postea.

Sarmient.

Filliucius.

11. At dices forsitan, vt hominum nonnulli, Montes Belgij non sunt cõformes ijs, de quibus Bulla Leonis X. quia Pontifex approbans Montes Italiæ mixtos, declarat *deinceps alios similes Montes cum Apostolicæ Sedis approbatione erigi posse*: Vnde inferunt aliqui Belgij Montes esse illicitos.

Verum respondeo id gratis inferri, nam vel loquuntur de conformitate quoad erectionem, & finem Montiũ Belgij; vel de conformitate quoad iustitiam; Si de priori: fateor in eo esse differentiam, vt patet ex antedictis; nihil tamẽ in illis est contrariũ dispositivo Bullæ Leoninæ. Non enim intẽdit Pontifex per illa verba excludere alios Montes iusto titulo erectos, aut erigendos; sed continet se intra limites rei controversæ, quæ erat: An Montes mixti liciti essent, & tolerari possent, an vero solum ex integro gratuiti; ad quã respondit Pontifex, priores non solũ licitos esse, *sed neque speciem mali præ se ferre, nec peccandi incentivum præstare, neque vllo pacto improbari; quin imò meritoriam esse, ac laudari & probari debere tale mutuum, & minimè vsurarium putari, licereque illorum pietatem & misericordiam populis prædicare, etiam cum Indulgentijs à Sancta Sede Apostolica eam ob causam concessis.* Sed gratuitos multò magis extollit, paucis interiectis subiungens: *Multo tamen perfectius, multoque sanctius fore, si omnino tales Montes gratuiti constituerentur; hoc est, si illos erigentes aliquos census assignarent, quibus, si non omni; saltem vel media ex parte huiusmodi Montium ministrorum solvantur impensæ, vt ad leviorem, æris solvendi portionem médio hoc pauperes gravari contingat.* De Montibus Belgij, qui sub titulo oneroso ex integro eriguntur, non erat dicendi ratio. Ponamus iam tres gradus comparationis, bonum, melius, optimum, seu tria genera Montium, gratuitorum videlicet, mixtorum, & oneroso titulo conflatorum; quis putabit eum rectè argumentari, qui dicat: Duo Montes approbantur liciti & meritorij secundum maius & minus, ergo tertium genus, de quo non suppetebat ratio dicẽdi, reprobatur? Nemo. Non enim qui laudat speciem vnam nobilem, alteram ignobilem reijcit; neque qui bono vino dicit esse melius, arguit illud esse bonum, vt ait IC. aut qui extollit virginitatem, reprobat matrimonium, teste Hieronymo lib. 1. contra Iovinianum, vbi præferens virginitatẽ matrimonio sic ait: *Scimus in domo magna non solũ vasa esse aurea & argẽtea, sed & lignea, fictilia; & super fundamentum Christi, quod Paulus Architectus posuit, alios ædificare aurum, argentum, lapides pretiosos; alios è contrario fœnum, ligna, stipulam. Non ignoramus honorabiles nuptias, & thorum immaculatum. Legimus primam Dei sententiam: Crescite & multiplicamini, & replete terram: sed ita nuptias recipimus, vt virginitatem, quæ de nuptijs nascitur, præferamus.* Et immediatè post subiungit: *Numquid argentum non erit argentum, si aurum argento pretiosius est: aut arboris & segetis contumelia est, si radici & folijs, culmo & aristis poma præferantur, & fructus? Vt poma ex arbore, frumentum è stipula, ita virginitas è nuptijs.*

Hieronym.

1. Cor 3.

2. Tim. 2.

Hebr. 13.

Genes. 1.

Confirmatur ex Bulla Iulij tertij, quæ sexaginta annis ante prætactam controversiam alios Montes approbavit

bavit, vt dixi. Item ex praxi Italiæ, quæ postmodũ alios alterius, iusti tamẽ, modi erexit. Et certè si Pót. voluisset per verba prędicta excludere alios Mõtes, vsus fuisset stylo ordinario, in Decretalibus vsurpari solito, *Non aliter, neque alio modo.*

12. Rursum qua parte additur, *cũ Apostolicæ Sedis approbatione*, nullatenus cõtraventũ est Bullę Leoninę: nã Pontifex nõ intẽdit per illa verba declarare Mõtes pietatis per se, aut ex natura sua licitos, requirere necessario approbationẽ Sedis Apostolicæ: non enim per se licita ob defectũ approbationis per se mala sunt, aut reprobanda; alioquin institutũ Canonissarũ Mõtibus Hãnoniæ, Nivellis, & Malbodij, & Beginarũ institutum pluribus locis florens iniquũ dici deberet, & tolli, quia nusquã invenitur à Põtificibus approbatum. Neque etiã vult Pontifex Mõtes probabiliter licitos vetare, donec id determinaverit, aut illos offendere, qui ex probabili sententia quid practicãt; alioquin axioma Theologorum è scholis eliminari deberet, quod tenet *Probabilem sententiam securè quem amplecti posse, relicta probabiliori.* Et in magno discrimine salutis versarentur, qui ex sententia probabili contractum societatis ineunt, in quo triplex cõtractus concurrit, nempe societatis, assecurationis, & venditionis; & medius ab aliquibus suspectus videtur de iniustitia. Similiter Germani, Galli, Belgæ, qui ex eodẽ capite vtuntur censibus personalibus; quia Bulla Pij quinti illos prohibens, & declarans vsurarios, ibidẽ nõ est recepta. Deniq; illi, qui tenent fidẽ implicitam in Christum mediatorem & Salvatorem (in quo caput nostræ Religionis versatur) sufficere ad salutem.

13. Sed vt intelligas, quò Pontifex collimet, primũ approbavit Montes antedictos: quia tũ necessaria est approbatio Sedis Apostolicę, quando cum scandalo plurimorũ controvertitur, an res per se bona sit licita, vti fiebat in Italia quoad Montes mixtos tempore Leonis X. & quidẽ inter Doctores & Magistros Theologiæ, qui pro & contra suã quiq; sententiã ad ravim vsque sustinebant, nec decidi poterat, nisi ab illo, ad quem deferri debet difficile & ambiguũ, iuxta illud Deutron. 17. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinẽ, causam & causam &c. veniesque ad* Deutr. 17 *Sacerdotes Levitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabũt tibi iudicij veritatẽ. Et facies quæcũq; dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus.*

Secundò approbans adiecit necessariò clausulã illam: *Cum* Apostolicæ Sedis approbatione; quia pars propugnãs Montes controversos esse licitos, adiunxerat, *præsertim si Apostolica accedat auctoritas*, & pars impugnans non obstante quinque Pontificum approbatione inhærebat suæ opinioni Ergo &c.

Confirmatur rursum Pontificem aliud nihil voluisse, quandoquidẽ vsus nõ fuerit terminis id significãtibus, & prohibitivis, vt solet, sicut videre est in Bulla Pij V. quæ interdicit census personales, & vtitur his verbis: *Hac nostra constitutione statuimus censum creari, constituive nullo modo posse, nisi &c. contractusque sub alia forma post hac celebrandos fœneraticios iudicamus.* Denique si Pontifex intendisset Montes à se nõ approbatos nullo modo valere, id vel Cardinali Toleto, vel Azorio, vel Molinæ in mentem venisset: at illi de hac re tractantes nihil huiusmodi attingunt; imo Molina loc. cit. etiã privatis personis permittit erectionem Montis pietatis, citra mentionem legis positivæ, de petẽda approbatione Sedis Apostolicæ. Sic enim ait n. 6. *Ex dictis patet licitum esse communitatibus, aut etiam privatis hominibus einsmodi Montem pietatis erigere.*

Quantũ attinet ad iustitiã Montiũ pietatis Belgicorũ, omnino conveniũt cũ Bulla Leonina, licet in vsũ sint quorũvis indigentium, & oneroso titulo erecti. Primò, quia vsura aut iniustitia non procedit ex conditione personæ mutuum petentis (quando institutor Montium ad certas personas illud non restringit) aut ex quantitate rei mutuatæ, quando nulla limitatur: inde enim videmus in Scripturis laudari pietatem Tobiæ, quod Gabelo in civitate Medorum, Rages egenti, domi alioquin locupleti, mutuo dederit sub chirographo decem talenta argenti, *quibus honoratus fuerat à Rege* Salmanasar, & Iosephum Salvatorem dici, cum in necessitate constitutis, & fame pressis sub titulo oneroso providit, dicens: *Adducite pecora vestra, & dabo vobis pro eis cibos, si pretium non habetis*: Insuper Montem pietatis Florentiæ non solum Tob. 4. Genes. 47.

in parva quantitate pauperibus mutuare, sed etiam divitibus in magna summa pecuniæ, vt scribit Filliucius loc. cit. nu. 129. Verum iustitia aut iniustitia in hoc casu pendet ex conformitate, aut deformitate à voluntate instituentis, quæ adstringi non debet ad pauperes pressè sumptos, nisi velimus Deum, & idolum Dagon, Christum & Belial in eodem loco commorari, id est, Montes pietatis & fœneratores publicos: vti huc vsque visum est Insulis, Brugis, & Ypris, vbi tolerari debuere fœneratores, eò quod Montes illi exiguum quid dumtaxat mutuabãt in vsum pauperum pressè sumptorum. Fuit autem voluntas Serenissimorum Principum penitus extirpare publicos fœneratores, & in vsum quorumvis indigentium Montes pietatis servire, non aliter quã mensa fœneratorum omnium vsui serviebat, vt evidenter colligitur ex commissione eorumdem, iuncto articulo 4. ordinationis & directionis, vbi satis exprimunt se vocabulum *Pauperum* latissimè sumere, cum aiunt bonum ex Montibus resultans servire solatio civium, aliorumque incolarum necesse habentium; item ex progressu, & praxi Montium in ipsorum conspectu sic mutuantium. Considerabant enim Principes divites sæpe ex necessitate premi, & coactos fuisse à fœneratoribus publicis mutuum petere, magisque charitativũ esse illis mutuum communicare, quod cum periculo amittendæ reputationis & famæ non rarò illo indigeant; imò sese non satisfacturos communibus civibus mutuo egentibus, nisi indifferenter quosvis admitterent opus habentes, maximè dum titulo oneroso conflarentur.

Filliucius. 1. Reg. 5. 2. Cor. 6.

15. Secundò non differunt Montes Belgij à Bulla Leonina, quandoquidem absque vllo lucro Montium illud dumtaxat recipiunt, quod necessarium est ad eorum indemnitatem: quia vti per illam declaravit Pontifex licitũ, & meritorium esse Montes mixtos vltra sortem recipere, quod necessarium erat ad eorumdem Montium conservationem, & operas ministrorum, ne videlicet iacturam paterentur, & tandem exhaurirentur: ita sequitur Montes pietatis Belgicorum similiter iustos esse, & meritorios à paritate rationis: Eadem est enim ratio totius, quæ partis. Vnde rectè argumentatur Leonardus Lessius in Append. n. 82. *Si pro conservatione licitum est aliquid exigere, ne Mons concidat, & vt conservetur in commodum publicum; cur non etiam, vt à fundamentis erigatur, & extet? Si vt commodum publicum continuetur; cur non vt ita primum inchoetur & procuretur? Sicut enim tota conservatio est in commodum publicum, ita & erectio. Sic non solum licitum exigere contributionem pro conservatione Montis, domus publicæ, Ecclesiæ, mœnium civitatis; sed etiam pro prima erectione. Nec refert, quod Pontifex solum loquatur de conservatione, quia non fuerat ei propositum de prima illa erectione, sed solum conservatione.* Similiter argumentandum est de alijs ad indemnitatem Montium necessarijs.

Lessius.

16. His attentis, amice Lector, facilè deprehendes calumniã dicti Lillers, cum nodum in scirpo quærit, & in hisce Montibus lapidem offensionis ac scandali palpitat; imo solus desipiens audacter in libello, cui titulus, *Caßandra Montium pietatis Belgicorum*, Archiepiscopis & Episcopis Belgij imponit errorẽ, abusum, & inadvertentiam in eorum erectione. Sic enim ait ibidem ad frontem libelli supplicis, quẽ Gallico idiomate exhibere videtur Pontifici, *In quo libro demõstratus est error, abusus, & inadvertentia quorumdam Illustrissimorum Archiepiscoporum, & Episcoporum dictarum Regionum, qui persuadent populo vsum talium Montium, & sic approbant vsuram tanquam permissam, sibique vendicant auctoritatem dispensandi in iure divino, licet ipse Papa non habeat potestatem.* Spectatũ admissi risum teneatis. D. Hieronymus cum suo tempore deprehenderet Vigilantium quẽdam è Francia natum, Sanctorum reliquias damnare, totumque orbem eas honore prosequentem, sacrilegij condemnare, aliosque errores defendere, eum monstrum vocat insolitum, & egregiè perstringit, quod ea ratione ausus fuerit Constantinum Imperatorem, & Augustum Arcadium; quin etiam Episcopos, imò & summum Pontificem tanquam sacrilegos condemnare, exclamans: *O portentum in terras vltimas deportandum!*

Hieronym. epist. ad Vigilant.

17. Quæ omnia verissimè quadrant in dictum Lillers; Primo quia is se in omnem formam transfigurat: nam Montes

Montes, quos nunc impugnat, primum promovit, vt patet per extractum authenticum epistolæ eius scriptæ Gallico idiomate ad D. Wencеslaum Cobergher, dum ageretur de illis in Belgio erigendis; qui sic habet: *Ie vous supplie vous resouvenir pour nostre grand affaire, que la Bulle de Leon dixieme Pape dispense le Mont de piete, de pouvoir prendre tout ce, quil at de besoing pour les fraix, quilz peuvent souffrir, à raison des Ministres, serviteurs desdictes Mons, mais aussi tout ce quil conviendra pour toutes les aultres choses appartenentes, & necessaires à la conservation dіceulx, & signament pour leur indempnite en ce regard. Voici les mots textuelx de la dicte Bulle*: Declaramus &c. Secundò, quia Principes Belgij temeritatis arguit, licet præhabito advisamento Archiepiscorum, Episcoporum Belgij, maximè celebrium Theologorum, Consiliariorum Status, privati Concilij, & Financiarum ad erectionem processerint; & audacter Archiepiscopos & Episcopos erroris, & abusus accusat, Theologos etiam Leodienses inscitiæ & ineptiæ condemnat, dum intrepidè illis applicat fol. 10. Cassandræ, verba Apostoli 1. Tim. 1. quibus perstringebat Iudæos, qui volebant legem Moysis cum Evangelio servandam & ex operibus legis homines iustificari: *Non intelligentes de quibus loquuntur, neque de quibus affirmant.* q. d. Volentes esse legis Doctores, neque principia, neque conclusiones doctrinæ suæ intelligunt, neque legem & Scripturam Moysis, neque eius explicationem capiunt, quia non intelligunt finem & scopum legis esse Christum, eiusq fidem, spem, charitatem. Animadverte, quæso, superciliũ hominis. Nec quiescit; sed addit verba Hieremiæ, quæ cap. 6 declamavit in Iudæos sui temporis instante Babylonicâ captivitate pœnitere nolentes: *Confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt.* q. d. confundi debuissent, si sua scelera, vt par est, perpendissent, & ponderassent: sed tanta est eorum nequitia, aut stupor, vt nolint vel nesciant confundi. Mirum est, quod eum non pudeat sacra verba perperam in eos torquere, de quibus Daniel ca. 12. prænuntiat: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Cum solus ineptiam prodat, & præ impatientia frontem meretricis induerit, & effutiat, quidquid in buccam venit, quod non valeat ex vsurariorum mensa micas sumere. Rursum paradoxum est absentem ita frendere, inclamitare, & cum stomacho venenum effundere, cum vnico Scripturæ loco, tanquã funda Davidis ab Illustrissimo D. Matthia Hovio percussus, & ex propria cõfessione convictus, nihil reliquũ habuerit, nisi quod frustratus sua intẽtione promiserit sequenti die redire, alijsque rationibus Montes illicitos convincere: sed verbo non stetit. Verebatur enim doctrinam & prudentiam viri tantæ maiestatis, ac instar Caleb pleni dierum, qui solet verba proferre, nisi efficacia, & bene masticata; quemadmodum olim Vigilantius Hieronymum suspiciebat, qui propterea hac invectiva absentem prosequitur: *O præcidendam linguam à Medicis! immò insanum curandum caput! vt qui loqui nescit, discat aliquando reticere. Ego vidi aliquando portentum, & testimonijs Scripturarum, quasi vinculis Hippocratis, volui ligare furiosum: sed abijt, excessit, erupit, evasit, & inter Hadriæ fluctus, Cottijque Regis alpes in nos declamando declamavit. Quidquid enim amens loquitur, vociferatio, & clamor est appellandus.*

1. Tim. 1.

Hier. 6.

18. Verũ dicet fortasse aliquis: Credo illum hominem à vero deviare, sed mecum anceps hæreo, quomodo ab iniusto lucro praxis Montiũ Belgij excusetur, quandoquidem ministri satis amplũ accipiant stipendium, & Bulla Leonina dicat licere quid moderatum recipere pro operis ministrorum.

Respondeo nullã hic esse difficultatem, si prius consideres non dici *modicũ* à Pontifice, vt aliqui satis inconsideratè intellexisse videntur, se signatè *moderatum.* Secũdò *moderatum* esse quod æqualitatem iustitiæ non excedit: atque adeo quod per se multum videtur, sed considerata operâ magni pretij nihilominus moderatũ manet. Sic fit in Montibus Belgij, nã ministri sunt homines habiles, honestę conditionis, qui propter grandem subiectionem, & assiduam præsentiam necessariam in administratione Montium se reddunt incapaces ad alia negotia. Et prætereа subeunt onus indemnandi Montem, si contingat per abusum, negligentiam, inadvertentiam eorumdem, Montem damnum incur-

rere, additâ pœnâ mulctę pecuniarię, & destitutionis, si secũda vice in huiusmodi errore deprehendantur. quæ certè ampliorem mercedem merentur, quia singula sunt pretio æstimabilia.

Cæterum in Montibus Belgij nemo iure excessum notare potest, nam singula in ijsdem ita practicantur, vt laudẽ potius mereantur, quam reprehensionem. Res manifestè constat ex testimonio Illustrissimi D. Matthiæ Hovij Archiepiscopi præfati, & Reverendissimi D. Ioannis Malderi Episcopi Antverpiensis, qui biennio post erectionem Montis Bruxellensis à Principibus deputati, examinarunt praxim Præfecti eiusdem Montis, & de ea declararunt, vt sequitur: *Nos his subscripti per easdem testamur bene nos examinasse, & perspectam habere praxim, qua D. Wenceslaus Cobergher Architectus Serenissimorum Principum nostrorum vtitur in erigendis, & administrãdis (interveniente suarum Celsitudinum auctoritate) Montibus pro mutuatione destinatis, & nihil nos in ea praxi invenire, quod iuri divino, aut naturali, aut sacris Canonibus & sanctionibus summorum Pontificum, aut etiam ijs, qua resoluta sunt in hac materia ab Archiepiscopis, & Episcopis, Mechlinia cõgregatis in Octobri anno 1617. in aliquo contraveniat: sed potius eandẽ praxim Resp. vtilẽ, pauperibus opportunã; & à pietate esse commendabilẽ ex eodẽ examine deprehendisse, vtpote per quam pauperes à gravi onere vsurarum sublevantur; & successu temporis magis etiam in perpetuum iactis per industriam dicti Wenceslai Montium istorum stabilibus fundamentis, sublevandos fore meritò speratur. Datũ anno Domini 1619. mensis Novembris die decimo sexto.* Subsignatum: Matthias Hovius Archiepiscop. Mechliniensis, & Ioannes Episcopus Antverpiensis. Idem testari potest de Monte Bruxellensi, Illustriss. D. Iacobus Boonen Archiepiscopus Mechliniensis, qui eundem hisce diebus visitavit.

19. Dices, vt vt est, impossibile tamẽ videtur nullum lucrũ Montibus accedere, quandoquidem pignora ita taxari non queant, quin aliquid lucri excrescat.

Respondeo me admittere lucrum aliquod posse excrescere, quia impossibile est, in quibusvis Montibus moraliter loquendo, tam præcisè taxare pignora ad Montis indemnitatem, vt nihil excrescat. Verùm, hoc modicum est, & licet notabile foret, certum est & exploratũ, Montium directoribus ac protectoribus vi mutui Montibus nihil huiusmodi posse accrescere; sed in rem & vtilitatẽ esse convertendum mutuatariorum.

20. Quæres: An ergo ex alio capite illud excrescens ab vsura, & iniustitia Montibus applicari possit?

Respondeo affirmativè. Idque primò, vt bona incerta ratione loci pij. Secundò ex dispositione Principis. De priori formavit quæstionẽ Vincentius Filliucius Tract. 34. pag. 2. cap. 9. in Præcepta, quam eius verbis Lectori communico; sic autem ait: *Dices, si aliquid superfit vltra expensas necessarias, poteštne retineri ab ipso monte? Respondeo non posse, nisi ex consensu libero mutuatariorum, sed conferendum est, vel in vsus pauperum, à quibus acceptum est, vel in bonum Montis tanquam pij loci, in quem bona illa incerta conferentur, ex quo tandem redundat vtilitas in pauperem.* Filliucius.

Montes verò pietatis inter pias causas censeri, certum est ex Concilio Trident. quod Mõtes huiusmodi inter pias causas habet, sess. 22. de Reform. cap. 8. 9. & 11. Cap. enim 9. dicitur: *Administratores tam Ecclesiastici, quam laici, fabrica cuiusvis Ecclesia etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosyna Montis pietatis, quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario.*

Posterius patet, quia Princeps, etiamsi Montes prædicti inter loca pia nõ censerentur, tanquam bonorum incertorum distributor, eandem summã excrescentiæ ijsdem valet applicare. Ratio est, quod iure naturali, aut divino incerta bona, bonâ fide possessa, pauperibus restituenda non veniant: neque etiam iure positivo, quia lex canonica de eiusmodi nihil statuit, sed dumtaxat de debitis incertis ex maleficio contractis, vt furto, rapina, vsura, ac extortis prætextu officij, quæ voluit in pœnam criminis applicari ad pia opera, vt patet ex cap. *Cum tu*, de vsuris, & cap. *Cum sit*, de iudicijs?

21. His ita discussis, Quæres, quare ergo Doctorum plurimi (quorum censura nititur prædictus Lillers) Montes Belgicos vsurarios iudicent?

Respondeo id contingere ex duplici causa. Prima est, quod homo vafer Lillers dolosam speciem facti eisdem Do-

ribus

ctoribus exhibuerit. Id testatur Illustrissimus D. Matthias Hovius in responsione quadam ad falsas propositiones eiusdem Lillers, missâ ad Amplissimum D. Masium sanctioris Concilij Præsidem de data 20. Maij an. 1619. vbi, inter cætera sic habetur: *Dixit*, &c. *Doctor Iansonius, quod nunc primũ ab ipso audierat respõsum, & iudiciũ Episcoporum, & quod non ipsa Bulla, sed quadam tantum clausula ex Summa Conciliorum essent proposita Doctoribus Lovaniensibus. Intelleximus etiam de falsa propositione facta, qua dictus Lillers conatus est extorquere aliud responsum à Doctoribus, quã quod dedit in Concilio Lateranensi Leo X. Pontifex, & ante eum fel. record. Paulus II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. & Iulius II. quo videliet dictus Lillers advocatum se exhibẽs vsurariorum publicorum, quibus diu servivit, molestiã crearet suis benefactoribus Cobergher, & Archiepiscopo Mechliniensi, cæterisque veri defensoribus.* Ne mireris. Nam in libello suo, cui inscriptio, *Pantheon vsuraire*, fol. 55. vt indoctis persuadeat Mõtes Belgicos esse vsurarios, committit crimẽ falsarij, dicens Iulium III. Pontificem circa annum 1570. (qui tamẽ è vivis excesserat anno 1555.) excommunicasse quamdam praxim Montiũ pietatis erectorum Vicennæ, & Veronę civitatibus sub Dominatu Venetorum penitus extirpasse, eo quod massa capitalis, efficiens Montem, deputata erat per aliquos mercatores, qui recipiebant quatuor in centum ratione interesse, & duo in centũ pro ministris. Cuius contrarium apertissimè constat ex testimonio Navarri, Comituli, Filliucij, vt superius sub initium nu. 8. latius deduxi. Quid, quæso, hoc aliud est, quã in præiudicium aliorum veritatẽ ex dolo immutare?

Rursum constat id, quod dixi, ex resolutione quorumdam S. T. Doctorum Lovaniensium, quam dederunt ad verã speciem facti 10. Decemb. 1626. qua declarant alios Doctores eiusdem Facultatis Lovaniensis, Montes Belgicos cẽsuisse vsurarios, eo quod species facti ipsis exhibita præsupponeret falsũ, nẽpe quod Mons ex iniquo lucraretur, & ditesceret. Sic enim aiunt: *Ex hoc tamen facto Montibus Belgicis passim obiecto, ijdem qui supra Facultatis nostra Doctores Montis institutum vsurarium censuerunt eò magis, quod speciosis pratextibus adversarij Montis probare nitantur etiam ipsum capitale redituum paulatim exsolvendũ esse per ea, qua à mutuatarijs accipiuntur, vt videre est in secundo scripto contra Montes fol 4.* Deinde id testatur alius Doctor Lovaniensis, ad calcem eiusdem resolutionis, vbi subiungit: *Mutatâ facti specie contingit in moralibus citò eiusdem mutari honestatem vel turpitudinem, iustitiam vel iniquitatem. Consultus ante annos aliquot super instituto Montium, quos vocant Pietatis, qui tum in Belgio erigi cœperant, ac super modo & forma in ijs servandis, secundum quod tum facti species cum suis adiunctis proponebatur, iudicavi non posse omnia illa, qua in casu ponebãtur, ab vsurarum labe vindicari. Nunc autem consultus iterum super eodem instituto, prout facti species cum certis moderationibus, & cautelis in hoc scripto explicatur, dico me in eo nihil deprehendere, quod debeat vsura notari. Datum Lovan. 10. Decem. 1626.* Et rectè: qualis enim cõfessio, talis absolutio. Nec dubitare quis debet, quin omnes Doctores quarũvis Vniversitatũ rectè cõsulti eodẽ modo responsuri sint. Impossibile enim est, vt quis in Theologia morali vel mediocriter versatus re bene discussâ aliter iudicet. Ratio est, quod nihil accipiatur in Montibus Belgij ratione ipsius mutui, sed ratione damni emergentis, adeoque solum quod ad indemnitatem præcisè requiritur, absque lucro vllo Montium. Et hinc scribebat dictus Archiepiscopus Matthias ad præfatum D. Præsidem, infinitos viros doctos Montibus Belgij subscribere, tanquam licitis, addens: *Nec scimus aliquẽ virum doctũ obloquentẽ, cum res illi verè, & clarè explicatur.*

22. Altera causa est, quod sæpe in sẽsu suo nimium abundent, & zelo Dei se moveri credant, cum non sit secundum scientiam. Certè in S. Scriptura legitur Paulus ex vincibili ignorantia magno zelo Christum persecutus, & Galat. 1. Galat. 1.
dicitur *abundantius amulator paternarum traditionum*: sed 1. ad Tim. 1. dicit: *Misericordiam consecutus sui, quia ignorans feci in incredulitate.* 1. Tim. 1.
Nesciebat enim se Messiam persequi, zelo legis agebat, & pro lege Moysis quasi pro lege Dei pugnabat. Vnde etiam misertus infidelium Iudęorum, inquit: *Testimonium enim perhibeo illis, quod amulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* q. d. Iudæi zelum errãtem pro lege Mosaica tuenda habent, putantque se agi Dei zelo, sed errant;

quia verè contra Dei honorem, & veritatem agunt, cum fidem & legē Christi, quæ vera est lex Dei, oppugnāt. Sic Doctores Italiæ tempore Leonis X. nō obstante quinque Pontificum approbatione, Montibus secūdo modo erectis, seu mixtis vsuræ notam inusserunt, & tamdiu ad ravim ac nauseam vsque argumentis improbarunt, donec Pontifex ad tranquillitatem Reip. definivit eos esse licitos, addita excommunicatione latæ sententiæ in posterum contra eorumdē impugnatores, vt patet ex verbis Bullę n. 6. citatis. Quæ nihil aliud indicant, quam Montes improbantes zelum habuisse quidē iustitiæ, sed non secundum scientiam, alios verò pietatem & veritatem amplexos esse.

Porro ex his omnibus & alijs, quę adduxi in Antidoto contra calumniosos libellos Lillers Discur. 2. de Montibus pietatis n. 14. notū fit nihili faciendam esse censuram à Doctoribus ab ipso emendicatam & illicito modo procuratam: & certam esse ac securam (vtpote communem) Archiepiscoporum & Episcoporum Belgij; adeoque nulla labe vsuræ Montes prędictos contaminatos.

23. Sed dices: Esto, ex his satis constet Montes Belgij ab vsuraria labe, omnique iniustitia esse immunes: non capio tamen, qua ratione vocentur Montes pietatis.

Respondere possem, frustraneum esse altercari de nomine: sed vtrum res sit ex aliquo iusto titulo licita & pia, sacris Scripturis & Pontificum sanctionibus conformis, tendens ad indigētium sublevationem. Altercari enim de nomine hæreticorum potius est, quam Christianorum, teste Tertulliano, qui alicubi dicit, *Illorum esse de vocabulorum occasionibus, & verborum communionibus quæstiones subornare.* vti manifestum est in Sabellio, qui Trinitatem personarum non admisit, eò quod in Scripturis vocabulum *Trinitas* non haberetur: nos contēti sumus, quod Salvator noster, Matt. 28. miserit Apostolos suos docere omnes gentes, easque *baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Rursū in Ario, qui noluit credere Filium esse consubstantialem Patri, eo quod vocabulū *consubstantialis* Scriptura nō contineret: nobis sufficit, quod Filius dixerit Ioan. 1. *Ego & Pater vnum sumus.* Simile fuit in

Tertull.

Matth. 28

Ioan. 1.

Nestorio, qui negavit Beatā Virginem Dei Matrem, quod in Scripturis non diceretur *Deipara.* In hæreticis quoque nostri temporis, qui negant Christum verè & substantialiter esse in Eucharistia, quod vox *trāssubstantialis* in Scriptura non occurrat: & ex eodem capite non esse purgatorium: nobis sufficit quod Scriptura pluribus locis id abundè testetur: nolumus enim canibus leonum assimilari, qui ossa dumtaxat rodunt, carnem non masticant. Ita nobiscum res est de Montium pietatis nomine.

24. Sed ad rem: Dico resolutè Montes Belgicos, etsi necdum sint perfectissimè pij, multis tamen nominibus rectè sortiri nomen *Pietatis.* Primò quia magna pietas est vel solos vsurarios per erectionem eorumdem Montium radicitus extirpare. Huic autem rei vacare, magnam esse pietatem extra controversiā est, cum de Filio Dei, qui venit dissolvere opera diaboli, prędictum sit tanquam peculiare, Psal. 71. *Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum,* id est ab vsura, & iniustitia. In quem versum sic Hugo Cardinalis: *Hic locus indicat Iudæis in lege veteri permissas tantum vsuras ab exteris impunè: beneficium autem Messiæ vnum futurum fuisse, vt liberarentur ab ea iniqua cupiditate.* quod fecit, vsuras penitus prohibendo, dum Luc. 6. dicit: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Et hanc credo solam causam, quare fœneratores publici, quasi ereptâ præda desperati per dictū Lillers, sub prætextu prætensę iustificationis suæ, omnem lapidem moveant, ad impediendum Montium pietatis progressum, vt rursum restituātur, promittendo etiam sub exigua taxa mutuum dare petentibus, licet antea sustinuerint coram Dominis Commissarijs Cōciliorū Status, Privati, & Financiarum impossibile illis esse accipere pecunias sub interesse, & moderari mutuum infra taxam viginti duorum in centum.

Secundò, quia evidenter magna *pietas est,* vt inquit Leonard. Less. in appendice, *efficere vt innumeri homines tenuis fortunæ, qui ante cogebantur solvere 33. vel 22. in centum, solvant tantum 12. 10. vel octo, & minus; idque absque omni lucro, vel commodo mutuantis: quæ differentia est, vt minimum 10. in centum, quo etiam factum est, vt vno anno mutuatarij Bruxellæ & Antverpiæ sublevati*

Psal. 71.

Hugo

Luc. 6.

Lessius

levati fuerint onere circiter quinquaginta millium florenorum, quæ ratione mutui à Montibus accepti vsuraryjs amplius solvere debuisset.

Tertiò, quia Montes pietatis millia gratis mutuant, dum ijs qui pro exiguo tempore aliquale mutuũ accipiunt, nihil computent, eò quod non imitentur vsurarios publicos, qui diem pro septimana computabant, adeoque diẽ sabbathi & Lunæ alterius septimanæ, pro duabus hebdomadibus ruptis; sed præcisè tantũ tempus, quo mutuatarij gaudent mutuo; quod in re parua sæpe æstimari non potest.

Quartò, quia mutuum accipientes per partes illud possunt reddere, modo pro rata solvant damnum emergens: quod certè multò vtilius est cuique, quam vendere reditum ad nummum etiam 16. vbi ordinariè tantum permittitur vel totum centum simul dequitare, vel medietatem, & præcisè servare, ne vnus, aut alter dies vltra canonem lapsum prætereat, sub pœna solvendi integrum canonem anni iam primum incepti, vel retinendi capitale.

25. Denique, quia magna pietas est, ratione boni publici eò tendere & collimare, vt sensim minor taxa solvatur, donec ad sex, quinque, & minus in centum magno Reipub. bono, & egentium solatio taxa deveniat, non per excrescentiam, quæ modica est, aut gravamen populi, sed vel per legata Principum, vel eorum qui reditus Montibus prædictis relicturi sunt, aut donatione inter vivos, aut causa mortis; vel certè & maximè ex industria Superintendentis generalis Montium, quam declaravit Serenissimis Belgij Principibus, Archiepiscopo Mechliniensi, alijsque quibus fas fuit ex consensu Principum eam communicare. Certè etiamsi alia ratio non suppeteret, hæc sola permitteret Montes Belgij nomine pietatis insigniri. Probatur ex Apostolo Paulo, qui 1. ad Corinth. 7. proles baptismo & Christianismo destinatas vocat *sanctas*. Cum enim resolvisset mulieri conversæ ad Christianismum licitum esse permanere cum viro ethnico, & vicissim virum fidelem cum muliere gentili, quamdiu fidelẽ permitteret secundum Christianismum vivere, dixit: *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Matrimonium & coniunctio ista sancta est: vnde non profanatur, nec polluitur fidelis per contractum infidelis, vti vos scrupulosè timetis, sed potius infidelis morali quadam denominatione, & quasi sanctitatis aspergine, ait Anselmus, inde sanctificatur: tum quia maritus est sanctæ, id est, fidelis cõiugis: tum quia eam in fide sua non impediendo, & benevolè cum ea vivendo, quasi viam sternit sibi, vt per preces, merita, verba, & exempla fidelis coniugis convertatur & ipse, fiatque sanctus. Aut clarius: Dum enim Christo non maledicit, dum pia coniugis exercitia non impedit, dum signum crucis vel thalamo præfixum æquis aspicit oculis; dum patitur etiam filios imbui fide Christi, per hæc, velut purificationes quasdam, quasi præparatur ad Christum; spem bonam ostendens, futurum vt Christianam religionem ipse quoque suscipiat: præsertim accedente sancta & pacifica conversatione coniugis fidelis, secundum illud 1. Pet. 3. *Mulieres subditæ sint viris suis: vt & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant; considerantes in timore castam conversationẽ vestram*: Si autem ab infideli coniuge faceretis divortium, filij vestri ab infideli parente in odium coniugis fidelis facientis divortium, pellicerentur, & educarentur in infidelitate. Nunc autem manente fideli cum infideli in coniugio *sancti sunt*, quia connivente infideli, facilè fidelis parentis fide & diligentia, aç cura, sanctificari, baptizari, & Christianè educari possunt. Ita S. Augustinus lib. 3. de peccat. meritis ca. 12. & ex Tertull. Hieron. epist. 153. ad Paulinum. 1. Pet. 3.

26. Vnde liquet hanc Montium pietatẽ multis encomijs esse celebrãdam, eò magis, quod Ioseph 41. cap. Genes. ex minori argumento à Pharaone dictus sit lingua Ægyptiaca *Salvator mundi*, cum post somnium septem vaccarum, & spicarum Pharaoni explicatum de septennio fertilitatis, & sterilitatis futuræ, consilium dedit, publica Regis auctoritate cogendi Ægyptios quintã partem frugum suarum vendere Regi quotannis fertilitatis servandam in septennium sterilitatis, & omne frumentum sub Pharaonis potestate condendi Genes. 41.

 vide-

videlicet non trituratum, nec excussū, sed suis spicis inhærens, ad melius conservandum: tum etiam nomen Salvatoris obtinuit, quia illo tempore adveniente, & crescente quotidie fame in omni terra Ægypti, eique adiacente, *aperuit Ioseph vniversa horrea, & vendebat Aegyptijs, nam & illos oppresserat fames. Omnesque provinciæ veniebant ad Aegyptum, vt emerent escas, & malum inopiæ temperarent.* Imò multi putant ex illo beneficio & alimentatione, Ioseph vocatum fuisse Serapin, id est, maximum Ægyptiorum Deum. Hoc rursum notum est ex Paulo, qui prædicavit apud Macedones, Corinthios, quod parati essent liberalitatem suam ostendere in Christianos, qui vnico loco, videlicet Hierosolymis patiebantur: vnde dicit 2. ad Corinth 9. *Scio promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones: quoniam & Achaia parata est ab anno præterito, & vestra æmulatio provocavit plurimos.* q d. Glorior apud Macedones, quod vos, ô Corinthij, & reliqua Achaia parati sitis ad contributionē eleemosynæ in Christianos: ita vt vestra æmulatio, seu zelus misericordiæ vestræ plurimos ad imitationem provocarit. Verum multò præclarius est omnem industriam reipsa applicare indigentibus vbique locorum sublevādis, quatenus exiguo aut nullo gravamine mutuum invenire possunt. Vnde Leo X. cū in prætacta Bulla laudasset mixtorum Montium institutum, tanquam meritorium & pium, addidit: *Multò tamen perfectius, multoque sanctius fore, si omnino tales Montes gratuiti constituerentur; hoc est, si illos erigentes aliquos census assignarent, quibus, si non omni, saltem vel media ex parte huiusmodi Montium ministrorum solvantur impensæ, vt ad leviorem æris solvendi portionem medio hoc pauperes gravari contingat.* Quod conforme est verbis Prophetæ Ps. 40. qui non solum pium, & misericordem dicit eum, qui providenter & discretè meditatur pauperum necessitati succurrere, sed etiam in hac via beatum, dum ait: *Beatus vir, qui intelligit super egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus.* q. d. Hic verè beatus est, qui prudenter se gerit erga afflictum, illi compatiendo & quibus potest modis iuvando, quia vicissim Deus ipsum ab omni malo liberabit, cum tempus malorum inciderit, sive in præsenti, sive in futuro sæculo: & præsertim eius miserebitur in die vltimi iudicij, quando summa est penuria miserationis & gratiæ, sed dies erit solius iustitiæ. Habes igitur compendio, cur nomen pietatis rectè mereantur Montes Belgici, eorūque ædibus insignia Christi compatientis præfigantur, vt omnino à murmure cessandum sit.

Ps 40.

27. Dices: Hęc sanè laudabilia sunt, & magnam redolent pietatem, sed vellemus effectum istius industriæ reipsa experiri.

Respondeo, tempus illud patienter exspectandum esse, quo commodè res executioni mandari poterit. Si enim quadringentis annis cum gaudio sustinuimus grave onus fœneratorum, cum tanto Reipub. damno: quam dabimus causam cur modo nihil morari lubeat? Si verò moræ impatientes estis, aliud occurrit consilium, vt nempe præoccupetis talia meditātem, & instar aliarum nationum de bonis vobis divinitus liberaliter concessis, massas pecuniæ ad vsum prędictorum Montium conferatis, & de vobis, sicut de Italis, gloriari liceat. Hac ratione vrgebat D. Paulus Corinthianos imitari exemplum Macedonum in liberalitate erga afflictos; *Ne,* inquit, *cum venerint Macedones mecum, & invenerint vos imparatos, erubescamus nos, vt non dicamus vos in hac substantiâ.* id est: Ne fortè contingat, vt si Macedones mecum venerint, & vos offenderint imparatos, ego, meique collegæ, qui de vestra promptitudine apud Macedones gloriati sumus, coram eis pudefiamus tanquam vani in hoc argumento gloriationis; imò & vos ipsi, quod dicere durum est, pudefiatis in eodem argumento gloriationis nostræ pro vobis: vt qui opere non respondeatis promptitudini, quā de vobis prædicavi. Quò tanto magis ad laborandum est, quod directior via non sit, veram felicitatem sibi reconciliandi. Audi Chrysostomum hom. 30. in Genes. philosophantem: *Si,* inquit, *æternam igitur memoriam amas, ego tibi viam monstrabo, quæ te celebrem omni sæculo faciet, quia etiam tibi fiduciam in futuro sæculo dabit: liberalitatem tuam & pecuniarum largitionem in pauperes confer, relictis villis, balneis, alijsque ædificijs, rebus nempe mutis, atque inanimatis. Larga eleemosyna immortalem viri memoriam reddit, sicut scriptum*

ptum est: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in saeculum saeculi, id est, liberalitatis & misericordiae aeternum est mansura memoria. Et rursus scriptum est: In memoria aeterna erit iustus, ab auditione mala non timebit.

Discursus X.

An census seu reditus annui, praesertim quales super Montes Belgicos creantur, sint liciti?



Deut. 23. MOyses Deuter. 23. cap. dicit Dominum Deum aversari omnem iniustitiam: quia verò inter census seu reditus annuos illa possit subrepere, hinc tractabo, quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quaesiti clariorem intelligentiam, praemittendum est vocabulum *Census* à censendo, seu aestimando dictum, diversimodè sumi. Primò enim census sumitur pro descriptione quadam, & enumeratione civium, qualis Romae fieri solebat ad distinguendos status, iuxta quos munia publica belli & pacis inter Romanos distribuerẽtur, vt refert Budaeus ad l. vlt. ff. de Senatoribus, & Covarr. lib. 3. variar. resolut. c. 9. Vnde & liber huiusmodi descriptiones continens, sive patrimoniorum, sive singulorum civium, *Census* appellari coepit: Et hinc Marcellus l. *Census*, ff. de probation. ait census & monumenta publica potiora esse testibus. Et sic descriptio illa Christi tempore facta à Praeside Syriç Cyrino Census dici solet. Luc. 2. de qua Luc. 2. dicitur: *Factum autem est in diebus illis. Exijt edictum à Caesare Augusto, vt describeretur vniversus orbis.* ad hoc, vt sciretur tum numerus subditorum, tum etiam & maximè, quãtum pecuniae extrahi posset, ac quantum vectigal singulis capitibus imponi. Inde vero extensum est ad tributa significanda, quae per capita imponebantur in subiectionis, dominij, iurisdictionisque recognitionem. Quo pacto sumitur cap. *Omnis anima*, de censibus, & Matth. 22. vbi Pharisaei, vt occasionem haberent Christum perdendi, mittunt discipulos suos cum Herodianis ad Christum, vt peterent ab ipso, *Quid tibi videtur, licetne Caesari dare censum, an non?* vt si affirmaret, apud populum tanquam libertatis proditor traduceretur, aut sanè ex eo probaretur non esse Messias, quem publicae libertatis assertorem exspectabat: si verò negaret, apud Praesidem paratam sibi inveniret accusationem & suppliciũ. Sumitur etiam latius *Census* iure Canonico pro eo, quod annuatim praestatur alteri etiam inferiori à Principe, ratione subiectionis, fundationis, aut alterius iustç causç, vt Alvarus. Valasc. de iure emphyteutico, quaest. 132. n. 1. ait; atque ex toto titulo de censibus, & ex alijs iuribus confirmat.

Verum in nulla harum acceptionum agimus modò de censibus, sed sumendo censum pro pẽsione per aliqua tempora solvendâ, impositaque personae, vel rei ipsius immobili, & fructifera, vel pro iure ad exigendam talem pensionem, vel pro contractu, ex quo tale ius resultat: & describitur esse *Ius percipiendi pensionem ex re, vel persona alterius.*

2. Secundò, notandum est censum sic acceptum dividi primò in reservativum, & consignativũ. Reservativus est, cum quis fundum pleno dominij iure in alterum transfert, reservata sibi annua pensione ex eodem fundo, iuxta l. vlt. C. de rer. permutat. Qua etiam ratione Ioseph Genes. 47. praedia, quae commutatione cum tritico pleno iure Pharaoni comparaverat, postea Aegyptijs restituit annuâ in ijs pensione constituta (exceptis praedijs Sacerdotum) vt ibidem patet. Genes. 47.

Consignativus est, vel quando quis in contractu donationis, venditionis, vel permutationis alteri constituit, ac designat in re sua, (id est, censum designantis) reditus annuos percipiendi: vt cum Princeps alicui constituit ius ex vectigali suo, aut ex reditibus suae Camerae annuas pecunias accipiendi, ipso retinente directum & vtile rei dominium: vel frequentior census consignativus

tivus est, qui venditione & emptione constituitur, vt si florenis centum à te emam ius percipiendi in annos singulos ex agro tuo frumenti duo sextaria, vel eius valorē, videlicet sex florenos.

Rursum dividitur in realem, & personalem, ac mixtum. Realis est, qui fundatur super certa re vna, vel pluribus, ex quibus pensio solvenda sit, v. g. super domo tua, agro, vinea. Quare comitatur rem ad quemcumque possessorem perveniat, quasi servitus, sive realis obligatio pensionis solvendæ, donec census redimatur.

Personalis census est, qui fundatur super certa persona obligante se ad annuam pensionem; sine ordine ad certam aliquam rem, ex qua pensio solvenda sit.

Mixtus est, qui constituitur super re, & super persona immediatè: ita vt etiāsi res pereat, persona tamen maneat obligata: in quo differt à merè reali, vbi re ex parte, vel in totum pereunte perit similiter census.

4. Tertiò dividitur census in perpetuum, ac temporalem. Perpetuus subdividitur in redimibilem & irredimibilem. Redimibilis iterum duplex est, vel enim ex parte solius venditoris, cui liceat restituto pretio censum redimere; vel etiam ex parte emptoris, cui liceat resignato censu pretium repetere: & vocari tunc solet census vtrimque redimibilis. Irredimibilis est, cui nullum redimendi pactum adijcitur.

Census autem temporalis subdividitur in eum, qui certo annorum numero definitur, v. g. annis decem, viginti; & in censum vitalitium, qui ad vitam ementis, vel vendentis censum, alteriusque personæ constituitur: v. g. transfero in te mille aureos, vt obligatus sis, quamdiu vivis, vel quamdiu ego vivo, vel pater meus vivit, 100. aureos annuos numerare.

5. His positis, Quæro primò, quando census realis sit iustus, vel iniustus, aut vsurarius? Respondeo prænotandum esse pretium iustum legitimum, vel naturale censeri illud, vel quod lex taxavit, vel loci consuetudo approbavit, iuxta quod in quavis provincia multum viget negotiatio; illa enim facit pecuniam præsentem pluris æstimari, & census minoris: aut an copia ibidem, an vero inopia pecuniæ sit, nam inopia pecuniæ facit census vilescere; copia æstimari. Vnde fit, vt pretia censuum tam redimibilium, quam irredimibilium pro varietate temporum, & locorum sint diversa. Apud Belgas enim census redimibilis ordinariè emitur nummo 16. Apud Gallos aliquando constituitur ad rationem decem, duodecim, & quindecim, vt testatur Tiraq. 1. de retractu §. 1. Glossa 6. n. 17. & Molinæus q. 5. de vsuris, n. 109. In Italia Romæ 8. vel 9. pro centum emuntur, vt testatur Navarrus Idem Bononiæ in vsu esse docet Cosmus Philiarc. lib. 5. de offic. Sacerd. cap. 17. vt plurimum tamen in Italia nunc. 7. emuntur in centum, vt Binsfel. super c. *In civitate*, de vsur. q. 14. qui etiam ait apud Germanos aliquādo ad rationem vnius pro 10. aliquando pro quindecim, aliquando pro 20. constitui solitos esse census. In Sicilia 10. in singula: quod approbavit Nicolaus V. & Gregorius XIII. pro Sicilia. Calixtus quoque III. & Martinus V. idem approbarunt in Polonia, & Germania, quando pro varia temporum conditione talis est consuetudo, vel æstimatio, vt patet ex illorum extravagantibus. Aliquando etiam 11. vel 13. vt patet ibidem: vbi enim viget negotiatio, pecunia præsens pluris æstimatur, & minoris census: inopia facit census vilescere; copia pecuniæ æstimari. Auctius est pretium redimibilis, vbi talis permittitur. Census vero irredimibilis maiorem vbivis habet taxam.

6. Habitâ vero eius consideratione, Dico censum realem tam pecuniarium, quam frumentarium, tam perpetuum, quam temporalem & vitalitium iusto pretio emptum, iustum esse ac licitum. Probatur auctoritate extravagantis Martini V. & Calixti III. de empt. & vendit. item Bullæ Pij V. editæ anno 1568. cuius initium, *Cum onus*, apud Navar. comment. de vsuris n. 14. Et ratio est, quod census realis sit veluti pars quædam vsus fructus: quippe ius percipiendi partem fructuum, sive annuorum redituum, emptione comparatum, est ad eundum modum, quo ex donatione, vel legato alicui constitui potest ius percipiendi ex domo, vinea, agro donantis, legantis, reditus annuos in per-

perpetuum, vitam, vel ad aliquot annos. Nec refert, quod summa pensionum progressu temporis solvendarum pretij quātitatem superet, quod in censu non emantur pensiones, sed ius percipiendi futuras pensiones: quod ius communi hominum iudicio minoris æstimari solet, quàm si pensiones omnes præsentes essent: eò quod multa accidere possint, vt fructus vel non nascantur, vel non solvantur. Adhæc incumbit emptori periculum rei, super quâ census locatus est, vt si absque domini culpâ res pereat, totus census corruat: quia census realis est quasi vsusfructus, vel portio dominij vtilis; quod absque dubio pereunte dominio directo simul extinguitur.

7. Dico secundò licitum esse censum realem cum pacto redimendi ex parte venditoris. Ratio est, quod omnes venditiones sub conditione redemptionis ad arbitrium venditoris licitæ sint, vti colligitur l. 22. C. de pactis inter emptor. & venditor. & ex cap. 25. Levitici vbi dicitur: *Quando vendes quidpiam civi tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum, sed iuxta numerum annorum iubilei emes ab eo, & iuxta supputationem frugum vendet tibi. Quantò plures anni remanserint post iubilaeum, tanto crescet & pretium: & quanto minus tempus numeraveris, tantò minoris & emptio constabit.* Et ratio erat, quod anno iubilæi omnes redirent ad possessiones pristinas, adeoque bonorum immobilium apud Iudæos venditio non esset absoluta, sed tantum ad certum tempus, licet revera transferretur rei dominium in ementem. Levit. 25.

8. Dico tertiò, censum realem cum pacto redimendi ad arbitrium vtriusque ex natura rei esse licitum, modo solvatur maius pretium, quam in censu redimibili ex parte solius venditoris. Ratio disparitatis est, quod obligatio vtriusque in censu vtrimque redimibili sit æqualis: in censu vero redimibili ex parte solius venditoris, quod obligatio, quæ emptori soli incumbit, ad arbitrium dumtaxat venditoris revendendi, seu recipiendi pecuniam capitalem, qua suum reditum emit eo tempore, quo venditori lubebit, pretio æstimabilis sit, eò quod incertus existat, quando & vbi alibi similem reditum ea pecunia emere poterit: adeoque in partem pretij rectè computetur. Vnde si reditus vnius anni ematur sedecim florenis, & & sex floreni annui emantur centum, cum pacto redimendi reciproco, quo neque emptor, neque venditor se gravari conqueruntur, sequitur introduci posse, vt reditus vnius anni ematur tantum tredecim florenis, & annui septem tantum emantur centum, cum pacto redimendi ad arbitrium solius venditoris: quod intellige vbi contraria consuetudo non obstat.

Si verò lege aliquâ positivâ census vtrimque redimibilis alicubi prohibeatur ob periculum vsuræ, secundum præsumptionem fori externi, vsurarius iudicabitur: vt patet in locis, vbi constituta Carolina edita Augustæ in Comitijs anno 1548. vbi recepta est.

Dico quartò ex his facilè colligi iniustum esse censum, qui emitur minoris, quam est iustum pretium; adeoque qua parte iustam pensionem excedit, esse nullum & reijciendum; excessumque pensionum receptarum venire restituendum: idque etiam si læsio sit citra dimidium, vel non vltra dimidium iusti pretij. Similiter iniustus est quādo venditor cogitur redimere censū eādē specie moneta, qua emptus est, & scit verosimiliter illam esse augendam: ex ea enim parte vsura interveniret. Huiusmodi gravamen Dominus expresse declarat sibi displicere Isa. 58. vbi Iudæorum ieiunium floccipendit, eosque permittit in Babylone detineri, ac indigna pati, & promissam pacem differt, eo quod his & similibus modis pauperes gravarent: vnde ait. *Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi; dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, demitte eos, qui confracti sunt liberos, & omne onus disrumpe.* id est: Tunc placebit mihi ieiunium vestrum, cum dissolveritis obligationes, & pacta vsuraria, aliaque iniqua & iniusta, quibus pauperes violenter opprimitis & exhauritis, Si, inquam, consciderítis & combusseritis fasciculos syngrapharum, violentarum cautionum, quibus fratres vestros quasi iugo deprimitis, & opprimitis. Vnde S. Cyprianus ad Quirinum cap. 1. verba prædicta sic vertit: *Solve omnem nodum iniustitiæ, resolve suffocationes impotentium mercatorum.* Nam Hebraicè pro *deprimentes,* est *mota*; id est *nutationus.* Adeoque Isa. 58. Cyprian.

in parva quantitate pauperibus mutuare, sed etiam divitibus in magna summa pecuniæ, vt scribit Filliucius loc. cit. nu. 129. Verum iustitia aut iniustitia in hoc casu pendet ex conformitate, aut deformitate à voluntate instituentis, quæ adstringi non debet ad pauperes pressè sumptos, nisi velimus Deum, & idolum Dagon, Christum & Belial in eodem loco commorari, id est, Montes pietatis & fœneratores publicos: vti huc vsque visum est Insulis, Brugis, & Ypris, vbi tolerari debuere fœneratores, eò quod Montes illi exiguum quid dumtaxat mutuabāt in vsum pauperum pressè sumptorum. Fuit autem voluntas Serenissimorum Principum penitus extirpare publicos fœneratores, & in vsum quorumvis indigentium Montes pietatis servire, non aliter quā mensa fœneratorum omnium vsui serviebat, vt evidenter colligitur ex commissione eorumdem, iuncto articulo 4. ordinationis & directionis, vbi satis exprimunt se vocabulum *Pauperum* latissimè sumere, cum aiunt bonum ex Montibus resultans servire solatio civium, aliorumque incolarum necesse habentium; item ex progressu, & praxi Montium in ipsorum conspectu sic mutuantium. Considerabant enim Principes divites sæpe ex necessitate premi, & coactos fuisse à fœneratoribus publicis mutuum petere, magisque charitativū esse illis mutuum communicare, quod cum periculo amittendæ reputationis & famæ non rarò illo indigeant; imò sese non satisfacturos communibus civibus mutuo egentibus, nisi indifferenter quosvis admitterent opus habentes, maximè dum titulo oneroso conflarentur.

Filliucius.

1. Reg 5. 2 Cor. 6.

15. Secundò non differunt Montes Belgij à Bulla Leonina, quandoquidem absque vllo lucro Montium illud dumtaxat recipiunt, quod necessarium est ad eorum indemnitatem: quia vti per illam declaravit Pontifex licitū, & meritorium esse Montes mixtos vltra sortem recipere, quod necessarium erat ad eorumdem Montium conservationem, & operas ministrorum, ne videlicet iacturam paterentur, & tandem exhaurirentur: ita sequitur Montes pietatis Belgicorum similiter iustos esse, & meritorios à paritate rationis: Eadem est enim ratio totius, quæ partis. Vnde rectè argumentatur Leonardus Lessius in Append. n. 82. *Si pro conservatione licitum est aliquid exigere, ne Mons concidat, & vt conservetur in commodum publicum; cur non etiam, vt à fundamentis erigatur, & extet? Si vt commodum publicum continuetur; cur non vt ita primum inchoetur & procuretur? Sicut enim tota conservatio est in commodum publicum, ita & erectio. Sic non solum licitum exigere contributionem pro conservatione Montis, domus publicæ, Ecclesiæ, mœnium civitatis; sed etiam pro prima erectione. Nec refert, quod Pontifex solum loquatur de conservatione, quia non fuerat ei propositum de prima illa erectione, sed solum conservatione.* Similiter argumentandum est de alijs ad indemnitatem Montium necessarijs.

Lessius.

16. His attentis, amice Lector, facilè deprehendes calumniā dicti Lillers, cum nodum in scirpo quærit, & in hisce Montibus lapidem offensionis ac scandali palpitat; imo solus desipiens audacter in libello, cui titulus, *Cassandra Montium pietatis Belgicorum*, Archiepiscopis & Episcopis Belgij imponit errorē, abusum, & inadvertentiam in eorum erectione. Sic enim ait ibidem ad frontem libelli supplicis, quē Gallico idiomate exhibere videtur Pontifici, *In quo libro demōstratus est error, abusus, & inadvertentia quorumdam Illustrissimorum Archiepiscoporum, & Episcoporum dictarum Regionum, qui persuadent populo vsum talium Montium, & sic approbant vsuram tanquam permissam, sibique vendicant auctoritatem dispensandi in iure divino, licet ipse Papa non habeat potestatem.* Spectatū admissi risum teneatis. D. Hieronymus cum suo tempore deprehenderet Vigilantium quē dam è Francia natum, Sanctorum reliquias damnare, totumque orbem eas honore prosequentem, sacrilegij condemnare, aliosque errores defendere, cum monstrum vocat insolitum, & egregiè perstringit, quod ea ratione ausus fuerit Constantinum Imperatorem, & Augustum Arcadium; quin etiam Episcopos, imò & summum Pontificem tanquam sacrilegos condemnare, exclamans: *O portentum in terras vltimas deportandum!*

Hieronym. epist. ad Vigilant.

17. Quæ omnia verissimè quadrant in dictum Lillers; Primo quia is se in omnem formam transfigurat: nam Montes

Montes, quos nunc impugnat, primum promovit, vt patet per extractum authenticum epistolæ eius scriptæ Gallico idiomate ad D. Wenceslaum Cobergher, dum ageretur de illis in Belgio erigendis; qui sic habet: *Ie vous supplie vous resouvenir pour nostre grand affaire, que la Bulle de Leon dixieme Pape dispense le Mont de piete, de pouvoir prendre tout ce, quil at de besoing pour les fraix, quilz peuvent souffrir, à raison des Ministres, serviteurs desdictes Mons, mais aussi tout ce quil conviendra pour toutes les aultres choses appartenentes, & necessaires à la conservation diceulx, & signament pour leur indempnite en ce regard. Voici les mots textuelx de la dicte Bulle:* Declaramus &c. Secundò, quia Principes Belgij temeritatis arguit, licet præhabito advisamento Archiepiscorum, Episcoporum Belgij, maximè celebrium Theologorum, Consiliariorum Status, privati Concilij, & Financiarum ad erectionem processerint; & audacter Archiepiscopos & Episcopos erroris, & abusus accusat, Theologos etiam Leodienses inscitiæ & ineptiæ condemnat, dum intrepide illis applicat fol. 10. Cassandræ, verba Apostoli 1. Tim. 1. quibus perstringebat Iudæos, qui volebant legem Moysis cum Evangelio servandam & ex operibus legis homines iustificari: *Non intelligentes de quibus loquuntur, neque de quibus affirmant.* q. d. Volentes esse legis Doctores, neque principia, neque conclusiones doctrinæ suæ intelligunt, neque legem & Scripturam Moysis, neque eius explicationem capiunt, quia non intelligunt finem & scopum legis esse Christum, eiusq fidem, spem, charitatem. Animadverte, quæso, superciliũ hominis. Nec quiescit; sed addit verba Hieremiæ, quæ cap. 6 declamavit in Iudæos sui temporis instante Babylonicâ captivitate pœnitere nolentes: *Confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt.* q. d. confundi debuissent, si sua scelera, vt par est, perpendissent, & ponderassent: sed tanta est eorum nequitia, aut stupor, vt nolint vel nesciant confundi. Mirum est, quod eum non pudeat sacra verba perperam in eos torquere, de quibus Daniel ca. 12. prænuntiat: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates.* Cum solus ineptiam prodat, & præ impatientia frontem meretricis induerit, & effutiat, quidquid in buccam venit, quod non valeat ex vsurariorum mensa micas sumere. Rursum paradoxum est absentem ita frendere, inclamitare, & cum stomacho venenum effundere, cum vnico Scripturæ loco, tanquã funda Davidis ab Illustrissimo D. Matthia Hovio percussus, & ex propria cõfessione convictus, nihil reliquũ habuerit, nisi quod frustratus sua intẽtione promiserit sequenti die redire, alijsque rationibus Montes illicitos convincere: sed verbo non stetit. Verebatur enim doctrinam & prudentiam viri tantæ maiestatis, ac instar Caleb pleni dierum, qui solet verba proferre, nisi efficacia, & bene masticata: quemadmodum olim Vigilantius Hieronymum suspiciebat, qui propterea hac invectiva absentem prosequitur: *O præcidendam linguam à Medicis! immò insanum curandum caput! vt qui loqui nescit, discat aliquando reticere. Ego vidi aliquando portentum, & testimonijs Scripturarum, quasi vinculis Hippocratis, volui ligare furiosum: sed abijt, excessit, erupit, evasit, & inter Hadriæ fluctus, Cottijque Regis alpes in nos declamando declamavit. Quidquid enim amens loquitur, vociferatio, & clamor est appellandus.*

1. Tim. 1.

Hier. 6.

18. Verũ dicet fortasse aliquis: Credo illum hominem à vero deviare, sed mecum anceps hæreo, quomodo ab iniusto lucro praxis Montiũ Belgij excusetur, quandoquidem ministri satis amplũ accipiant stipendium, & Bulla Leonina dicat licere quid moderatum recipere pro operis ministrorum.

Respondeo nullã hic esse difficultatem, si prius consideres non dici *modicũ* à Pontifice, vt aliqui satis inconsideratè intellexisse videntur, se signatè *moderatum.* Secũdò *moderatum* esse quod ęqualitatem iustitię non excedit: atque adeo quod per se multum videtur, sed consideratâ operâ magni pretij nihilominus moderatũ manet. Sic fit in Montibus Belgij, nã ministri sunt homines habiles, honestę conditionis, qui propter grandem subiectionem, & assiduam præsentiam necessariam in administratione Montium se reddunt incapaces ad alia negotia. Et præterea subeunt onus indemnandi Montem, si contingat per abusum, negligentiam, inadvertentiam eorumdem, Montem damnum incur-

rere, additâ pœnâ mulctę pecuniarię, & destitutionis, si secũda vice in huiusmodi errore deprehendantur. quæ certè ampliorem mercedem merentur, quia singula sunt pretio æstimabilia.

Cæterum in Montibus Belgij nemo iure excessum notare potest, nam singula in ijsdem ita practicantur, vt laudẽ potius mereantur, quam reprehensionem. Res manifestè constat ex testimonio Illustrissimi D. Matthiæ Hovij Archiepiscopi præfati, & Reverendissimi D. Ioannis Malderi Episcopi Antverpiensis, qui biennio post erectionem Montis Bruxellensis à Principibus deputati, examinarunt praxim Præfecti eiusdem Montis, & de ea declararunt, vt sequitur: *Nos his subscripti per easdem testamur bene nos examinasse, & perspectam habere praxim, qua D. Wenceslaus Cobergher Architectus Serenissimorum Principum nostrorum vtitur in erigendis, & administrãdis (interveniente suarum Celsitudinum auctoritate) Montibus pro mutuatione destinatis, & nihil nos in ea praxi invenire, quod iuri divino, aut naturali, aut sacris Canonibus & sanctionibus summorum Pontificum, aut etiam ijs, quæ resoluta sunt in hac materia ab Archiepiscopis, & Episcopis, Mechliniæ cõgregatis in Octobri anno 1617. in aliquo contraveniat: sed potius eandẽ praxim Reip. vtilẽ, pauperibus opportunã; & à pietate esse commendabilẽ ex eodẽ examine deprehendisse, vtpote per quam pauperes à gravi onere vsurarum sublevantur; & successu temporis magis etiam in perpetuum iactis per industriam dicti Wenceslai Montium istorum stabilibus fundamentis, sublevandos fore meritò speratur. Datũ anno Domini 1619. mensis Novembris die decimo sexto.* Subsignatum: Matthias Hovius Archiepiscop. Mechliniensis, & Ioannes Episcopus Antverpiensis. Idem testari potest de Monte Bruxellensi, Illustriss. D. Iacobus Boonen Archiepiscopus Mechliniensis, qui eundem hisce diebus visitavit.

19. Dices, vt vt est, impossibile tamẽ videtur nullum lucrũ Montibus accedere, quandoquidem pignora ita taxari non queant, quin aliquid lucri excrescat.

Respondeo me admittere lucrum aliquod posse excrescere, quia impossibile est, in quibusvis Montibus moraliter loquendo, tam præcisè taxare pignora ad Montis indemnitatem, vt nihil excrescat. Verùm, hoc modicum est, & licet notabile foret, certum est & exploratũ, Montium directoribus ac protectoribus vi mutui Montibus nihil huiusmodi posse accrescere; sed in rem & vtilitatẽ esse convertendum mutuatariorum.

20. Quæres: An ergo ex alio capite illud excrescens ab vsura, & iniustitiâ Montibus applicari possit?

Respondeo affirmativè. Idque primò, vt bona incerta ratione loci pij. Secundò ex dispositione Principis. De priori formavit quæstionẽ Vincentius Filliucius Tract. 34. pag. 2. cap. 9. in Pręcepta, quam eius verbis Lectori communico; sic autem ait: *Dices, si aliquid supersit vltra expensas necessarias, potestne retineri ab ipso monte? Respondeo non posse, nisi ex consensu libero mutuatariorum, sed conferendum est, vel in vsus pauperum, à quibus acceptum est, vel in bonum Montis tanquam pij loci, in quem bona illa incerta conferentur, ex quo tandem redundat vtilitas in pauperem.* Montes verò pietatis inter pias causas censeri, certum est ex Concilio Trident. quod Mõtes huiusmodi inter pias causas habet, sess. 22. de Reform. cap. 8. 9. & 11. Cap. enim 9. dicitur: *Administratores tam Ecclesiastici, quam laici, fabricæ cuiusvis Ecclesiæ etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynæ Montis pietatis, quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario.*

Filliucius.

Posterius patet, quia Princeps, etiamsi Montes prædicti inter loca pia nõ censerentur, tanquam bonorum incertorum distributor, eandem summã excrescentiæ ijsdem valet applicare. Ratio est, quod iure naturali, aut divino incerta bona, bonâ fide possessa, pauperibus restituenda non veniant: neque etiam iure positivo, quia lex canonica de eiusmodi nihil statuit, sed dumtaxat de debitis incertis ex maleficio contractis, vt furto, rapina, vsura, ac extortis prætextu officij, quæ voluit in pœnam criminis applicari ad pia opera, vt patet ex cap. *Cum tu*, de vsuris, & cap. *Cum sit*, de iudicijs?

21. His ita discussis, Quæres, quare ergo Doctorum plurimi (quorum censurâ nititur prædictus Lillers) Montes Belgicos vsurarios iudicent?

Respondeo id contingere ex duplici causa. Prima est, quod homo vafer Lillers dolosam speciem facti eisdem Doribus

ctoribus exhibuerit. Id testatur Illustrissimus D. Matthias Hovius in responsione quadam ad falsas propositiones eiusdem Lillers, missâ ad Amplissimum D. Masium sanctioris Concilij Præsidem de data 20. Maij an. 1619. vbi, inter cætera sic habetur: *Dixit*, &c. *Doctor Iansonius, quod nunc primũ ab ipso audierat respõsum, & iudiciũ Episcoporum, & quod non ipsa Bulla, sed quadam tantum clausula ex Summa Conciliorum essent proposita Doctoribus Lovaniensibus. Intelleximus etiam de falsa propositione facta, qua dictus Lillers conatus est extorquere aliud responsum à Doctoribus, quã quod dedit in Concilio Lateranensi Leo X. Pontifex, & ante eum fel. record. Paulus II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. & Iulius II. quo videliet dictus Lillers advocatum se exhibẽs vsurariorum publicorum, quibus diu servivit, molestiã crearet suis benefactoribus Cobergher, & Archiepiscopo Mechliniensi, cæterisque veri defensoribus.* Ne mireris. Nam in libello suo, cui inscriptio, *Pantheon vsuraire*, fol. 55. vt indoctis persuadeat Mõtes Belgicos esse vsurarios, committit crimẽ falsarij, dicens Iulium III. Pontificem circa annum 1570. (qui tamẽ è vivis excesserat anno 1555.) excommunicasse quamdam praxim Montiũ pietatis erectorum Vicennæ, & Veronę civitatibus sub Dominatu Venetorum penitus extirpasse, eo quod massa capitalis, efficiens Montem, deputata erat per aliquos mercatores, qui recipiebant quatuor in centum ratione interesse, & duo in centũ pro ministris. Cuius contrarium apertissimè constat ex testimonio Navarri, Comituli, Filliucij, vt superius sub initium nu. 8. latius deduxi. Quid, quæso, hoc aliud est, quã in præiudicium aliorum veritatẽ ex dolo immutare?

Rursum constat id, quod dixi, ex resolutione quorumdam S. T. Doctorum Lovaniensium, quam dederunt ad verã speciem facti 10. Decemb. 1626. qua declarant alios Doctores eiusdem Facultatis Lovaniensis, Montes Belgicos cẽsuisse vsurarios, eo quod species facti ipsis exhibita præsupponeret falsũ, nẽpe quod Mons ex iniquo lucraretur, & ditesceret. Sic enim aiunt: *Ex hoc tamen facto Montibus Belgicis passim obiecto, ijdem qui supra Facultatis nostra Doctores Montis institutum vsurarium censuerunt eò magis, quod speciosis prætextibus adversarij Montis probare nitantur etiam ipsum capitale redituum paulatim exsolvendũ esse per ea, quæ à mutuatarijs accipiuntur, vt videre est in secundo scripto contra Montes fol. 4.* Deinde id testatur alius Doctor Lovaniensis, ad calcem eiusdem resolutionis, vbi subiungit: *Mutatâ facti specie contingit in moralibus citò eiusdem mutari honestatem vel turpitudinem, iustitiam vel iniquitatem. Consultus ante annos aliquot super instituto Montium, quos vocant Pietatis, qui tum in Belgio erigi cœperant, ac super modo & forma in ijs servandis, secundum quod tum facti species cum suis adiunctis proponebatur, iudicavi non posse omnia illa, quæ in casu ponebãtur, ab vsurarum labe vindicari. Nunc autem consultus iterum super eodem instituto, prout facti species cum certis moderationibus, & cautelis in hoc scripto explicatur, dico me in eo nihil deprehendere, quod debeat vsuræ notari. Datum Lovan. 10. Decem. 1626.* Et rectè: qualis enim cõfessio, talis absolutio. Nec dubitare quis debet, quin omnes Doctores quarũvis Vniversitatũ rectè cõsulti eodẽ modo responsuri sint. Impossibile enim est, vt quis in Theologia morali vel mediocriter versatus re benè discussâ aliter iudicet. Ratio est, quod nihil accipiatur in Montibus Belgij ratione ipsius mutui, sed ratione damni emergentis, adeoque solum quod ad indemnitatem præcisè requiritur, absque lucro vllo Montium. Et hinc scribebat dictus Archiepiscopus Matthias ad præfatum D. Præsidem, infinitos viros doctos Montibus Belgij subscribere, tanquam licitis, addens: *Nec scimus aliquẽ virum doctũ obloquentẽ, cum res illi verè, & clarè explicatur.*

22. Altera causa est, quod sæpe in sẽsu suo nimium abundent, & zelo Dei se moveri credant, cum non sit secundum scientiam. Certè in S. Scriptura legitur Paulus ex vincibili ignorantia magno zelo Christum persecutus, & Galat. 1. dicitur *abundantius æmulator paternarum traditionum*: sed 1. ad Tim. 1. dicit: *Misericordiam consecutus sui, quia ignorans feci in incredulitate.* Nesciebat enim se Messiam persequi, zelo legis agebat, & pro lege Moysis quasi pro lege Dei pugnabat. Vnde etiam misertus infidelium Iudęorum, inquit: *Testimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* q. d. Iudæi zelum errãtem pro lege Mosaica tuenda habent, putantque se agi Dei zelo, sed errant; quia

Galat. 1.
1. Tim. 1.

quia verè contra Dei honorem, & veritatem agunt, cum fidem & legẽ Christi, quæ vera est lex Dei, oppugnãt. Sic Doctores Italiæ tempore Leonis X. nõ obstante quinque Pontificum approbatione, Montibus secũdo modo erectis, seu mixtis vsuræ notam inusserunt, & tamdiu ad ravim ac nauseam vsque argumentis improbarunt, donec Pontifex ad tranquillitatem Reip. definivit eos esse licitos, addita excommunicatione latæ sententiæ in posterum contra eorumdẽ impugnatores, vt patet ex verbis Bullę n. 6. citatis. Quæ nihil aliud indicant, quam Montes improbantes zelum habuisse quidẽ iustitiæ, sed non secundum scientiam, alios verò pietatem & veritatem amplexos esse.

Porro ex his omnibus & alijs, quę adduxi in Antidoto contra calumniosos libellos Lillers Discur. 2. de Montibus pietatis n. 24. notũ fit nihili faciendam esse censuram à Doctoribus ab ipso emendicatam & illicito modo procuratam: & certam esse ac securam (vtpote communem) Archiepiscoporum & Episcoporum Belgij; adeoque nulla labe vsuræ Montes prędictos contaminatos.

23. Sed dices: Esto, ex his satis constet Montes Belgij ab vsuraria labe, omnique iniustitia esse immunes: non capio tamen, qua ratione vocentur Montes pietatis.

Respondere possem, frustraneum esse altercari de nomine: sed vtrum res sit ex aliquo iusto titulo licita & pia, sacris Scripturis & Pontificum sanctionibus conformis, tendens ad indigẽtium sublevationem. Altercari enim de nomine hæreticorum potius est, quam Christianorum, teste Tertulliano, qui alicubi dicit, *Illorum esse de vocabulorum occasionibus, & verborum communionibus quæstiones subornare.* vti manifestum est in Sabellio, qui Trinitatem personarum non admisit, eò quod in Scripturis vocabulum *Trinitas* non haberetur: nos contẽti sumus, quod Salvator noster, Matt. 28. miserit Apostolos suos docere omnes gentes, easque *baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Rursũ in Ario, qui noluit credere Filium esse consubstantialem Patri, eo quod vocabulũ *consubstantialis* Scriptura nõ contineret: nobis sufficit, quod Filius dixerit Ioan. 1. *Ego & Pater vnum sumus.* Simile fuit in Nestorio, qui negavit Beatã Virginem Dei Matrem, quod in Scripturis non diceretur *Deipara.* In hæreticis quoque nostri temporis, qui negant Christum verè & substantialiter esse in Eucharistia, quod vox *trãssubstantialis* in Scriptura non occurrat: & ex eodem capite non esse purgatorium: nobis sufficit quod Scriptura pluribus locis id abundè testetur: nolumus enim canibus leonum assimilari, qui ossa dumtaxat rodunt, carnem non masticant. Ita nobiscum res est de Montium pietatis nomine.

Tertull.

Matth. 28

Ioan. 1.

24. Sed ad rem: Dico resolutè Montes Belgicos, etsi necdum sint perfectissimè pij, multis tamen nominibus rectè sortiri nomen *Pietatis.* Primò quia magna pietas est vel solos vsurarios per erectionem eorumdem Montium radicitus extirpare. Huic autem rei vacare, magnam esse pietatem extra controversiã est, cum de Filio Dei, qui venit dissolvere opera diaboli, prędictum sit tanquam peculiare, Psal. 71. *Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum*, id est ab vsura, & iniustitia. In quem versum sic Hugo Cardinalis: *Hic locus indicat Iudæis in lege veteri permissas tantum vsuras ab exteris impunè: beneficium autem Messiæ vnum futurum fuisse, vt liberarentur ab ea iniqua cupiditate.* quod fecit, vsuras penitus prohibendo, dum Luc. 6. dicit: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Et hanc credo solam causam, quare fœneratores publici, quasi ereptâ præda desperati per dictũ Lillers, sub prætextu prætensę iustificationis suæ, omnem lapidem moveant, ad impediendum Montium pietatis progressum, vt rursum restituãtur, promittendo etiam sub exigua taxa mutuum dare petentibus, licet antea sustinuerint coram Dominis Commissarijs Cõciliorũ Status, Privati, & Financiarum impossibile illis esse accipere pecunias sub interesse, & moderari mutuum infra taxam viginti duorum in centum.

Psal. 71.

Hugo

Luc. 6.

Secundò, quia evidenter magna *pietas est*, vt inquit Leonard. Less. in appendice, *efficere vt innumeri homines tenuis fortunæ, qui ante cogebantur solvere 33. vel 22. in centum, solvant tantum 12. 10. vel octo, & minus; idque absque omni lucro, vel commodo mutuantis: quæ differentia est, vt minimum 10. in centum, quo etiam factum est, vt vno anno mutuatarij Bruxellæ & Antverpiæ sublevati*

Lessius

levati fuerint onere circiter quinquaginta millium florenorum, quæ ratione mutui à Montibus accepti vsurarijs amplius solvere debuissēt.

Tertiò, quia Montes pietatis millia gratis mutuant, dum ijs qui pro exiguo tempore aliquale mutuū accipiunt, nihil computent, eò quod non imitentur vsurarios publicos, qui diem pro septimana computabant, adeoque diē sabbathi & Lunæ alterius septimanæ, pro duabus hebdomadibus ruptis; sed præcisè tantū tempus, quo mutuatarij gaudent mutuo; quod in re parua sæpe æstimari non potest.

Quartò, quia mutuum accipientes per partes illud possunt reddere, modo pro rata solvant damnum emergens: quod certè multò vtilius est cuique, quam vendere reditum ad nummum etiam 16. vbi ordinariè tantum permittitur vel totum censum simul dequitare, vel medietatem, & præcisè servare, ne vnus, aut alter dies vltra canonem lapsum prętereat, sub pœna solvendi integrum canonem anni iam primum incepti, vel retinendi capitale.

25. Denique, quia magna pietas est, ratione boni publici eò tendere & collimare, vt sensim minor taxa solvatur, donec ad sex, quinque, & minus in centum magno Reipub. bono, & egentium solatio taxa deveniat, non per excrescentiam, quæ modica est, aut gravamen populi, sed vel per legata Principum, vel eorum qui reditus Montibus prædictis relicturi sunt, aut donatione inter vivos, aut causa mortis; vel certè & maximè ex industria Superintendentis generalis Montium, quam declaravit Serenissimis Belgij Principibus, Archiepiscopo Mechliniensi, alijsque quibus fas fuit ex consensu Principum eam communicare. Certè etiamsi alia ratio non suppeteret, hæc sola permitteret Montes Belgij nomine pietatis insigniri. Probatur ex Apostolo Paulo, qui 1. ad Corinth. 7. proles baptismo & Christianismo destinatas vocat *sanctas*. Cum enim resolvisset mulieri conversę ad Christianismum licitum esse permanere cum viro ethnico, & vicissim virum fidelem cum muliere gentili, quamdiu fidelē permitteret secundum Christianismum vivere, dixit: *Sanctificatur est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Matrimonium & coniunctio ista sancta est: vnde non profanatur, nec polluitur fidelis per contractum infidelis, vti vos scrupulosè timetis, sed potius infidelis morali quadam denominatione, & quasi sanctitatis aspergine, ait Anselmus, inde sanctificatur: tum quia maritus est sanctæ, id est, fidelis cōiugis: tum quia eam in fide sua non impediendo, & benevolè cum ea vivendo, quasi viam sternit sibi, vt per preces, merita, verba, & exempla fidelis coniugis convertatur & ipse, fiatque sanctus. Aut clarius: Dum enim Christo non maledicit, dum pia coniugis exercitia non impedit, dum signum crucis vel thalamo pręfixum æquis aspicit oculis; dum patitur etiam filios imbui fide Christi, per hæc, velut purificationes quasdam, quasi præparatur ad Christum; spem bonam ostendens, futurum vt Christianam religionem ipse quoque suscipiat: præsertim accedente sancta & pacifica conversatione coniugis fidelis, secundum illud 1. Pet. 3. *Mulieres subditæ sint viris suis: vt & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant; considerantes in timore castam conversationē vestram*: Si autem ab infideli coniuge faceretis divortium, filij vestri ab infideli parente in odium coniugis fidelis facientis divortium, pellicerentur, & educarentur in infidelitate. Nunc autem manente fideli cum infideli in coniugio *sancti sunt*, quia connivente infideli, facilè fidelis parentis fide & diligentia, ac cura, sanctificari, baptizari, & Christianè educari possunt. Ita S. Augustinus lib. 3. de peccat. meritis ca. 12. & ex Tertull. Hieron. epist. 153 ad Paulinum. 1. Pet. 3.

26. Vnde liquet hanc Montium pietatē multis encomijs esse celebrādam, eò magis, quod Ioseph 41. cap. Genes. ex minori argumento à Pharaone dictus sit lingua Ægyptiaca *Salvator mundi*, cum post somnium septem vaccarum, & spicarum Pharaoni explicatum de septennio fertilitatis, & sterilitatis futuræ, consilium dedit, publica Regis auctoritate cogendi Ægyptios quintā partem frugum suarum vendere Regi quotannis fertilitatis servandam in septennium sterilitatis, & omne frumentum sub Pharaonis potestate condendi Genes. 41.

videlicet non trituratum, nec excusſũ, ſed ſuis ſpicis inhærens, ad melius conſervandum: tum etiam nomen Salvatoris obtinuit, quia illo tempore advenientе, & creſcente quotidie fame in omni terra Ægypti, eique adiacente, *aperuit Ioſeph vniverſa horrea, & vendebat Aegyptijs, nam & illos oppreſſerat fames. Omneſque provinciæ veniebant ad Aegyptum, vt emerent eſcas, & malum inopiæ temperarent.* Imò multi putant ex illo beneficio & alimentatione, Ioſeph vocatum fuiſſe Serapin, id eſt, maximum Ægyptiorum Deum. Hoc rurſum notum eſt ex Paulo, qui prædicavit apud Macedones, Corinthios, quod parati eſſent liberalitatem ſuam oſtendere in Chriſtianos, qui vnico loco, videlicet Hieroſolymis patiebantur: vnde dicit 2. ad Corinth 9. *Scio promptum animum veſtrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones: quoniam & Achaia parata eſt ab anno præterito, & veſtra æmulatio provocavit plurimos.* q. d. Glorior apud Macedones, quod vos, ô Corinthij, & reliqua Achaia parati ſitis ad contributionẽ eleemoſynæ in Chriſtianos: ita vt veſtra æmulatio, ſeu zelus miſericordiæ veſtræ plurimos ad imitationem provocarit. Verum multò præclarius eſt omnem induſtriam reipſa applicare indigentibus vbique locorum ſublevãdis, quatenus exiguo aut nullo gravamine mutuum invenire poſſunt. Vnde Leo X. cũ in prætacta Bulla laudaſſet mixtorum Montium inſtitutum, tanquam meritorium & pium, addidit: *Multò tamen perfectius multoque ſanctius fore, ſi omnino tales Montes gratuiti conſtituerentur; hoc eſt, ſi illos erigentes aliquos cenſus aſſignarent, quibus, ſi non omni, ſaltem vel media ex parte huiuſmodi Montium miniſtrorum ſolvantur impenſæ, vt ad leviorem æris ſolvendi portionem medio hoc pauperes gravari contingat.* Quod conforme eſt verbis Prophetæ Pſ. 40. qui non ſolum pium, & miſericordem dicit eum, qui providenter & diſcretè meditatur pauperũ neceſſitati ſuccurrere, ſed etiam in hac via beatum, dum ait: *Beatus vir, qui intelligit ſuper egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus.* q. d. Hic verè beatus eſt, qui prudenter ſe gerit erga afflictum, illi compatiendo & quibus poteſt modis iuvando, quia viciſſim Deus ipſum ab omni malo liberabit, cum tempus malorum inciderit, ſive in præſenti, ſive in futuro ſæculo: & præſertim eius miſerebitur in die vltimi iudicij, quando ſumma eſt penuria miſerationis & gratiæ, ſed dies erit ſolius iuſtitiæ. Habes igitur compendio, cur nomen pietatis rectè mereantur Montes Belgici, eorũque ædibus inſignia Chriſti compatientis præfigantur, vt omnino à murmure ceſſandum ſit.

27. Dices: Hęc ſanè laudabilia ſunt, & magnam redolent pietatem, ſed vellemus effectum iſtius induſtriæ reipſa experiri.

Reſpondeo, tempus illud patienter exſpectandum eſſe, quo commodè res executioni mandari poterit. Si enim quadringentis annis cum gaudio ſuſtinuimus grave onus fœneratorum, cum tanto Reipub. damno: quam dabimus cauſam cur modo nihil morari lubeat? Si verò moræ impatientes eſtis, aliud occurrit conſilium, vt nempe præoccupetis talia meditãtem, & inſtar aliarum nationum de bonis vobis divinitus liberaliter conceſſis, maſſas pecuniæ ad vſum prędictorum Montium conferatis, & de vobis, ſicut de Italis, gloriari liceat. Hac ratione vrgebat D. Paulus Corinthianos imitari exemplum Macedonum in liberalitate erga afflictos; *Ne,* inquit, *cum venerint Macedones mecum, & invenerint vos imparatos, erubeſcamus nos, vt non dicamus vos in hac ſubſtantiã.* id eſt: Ne fortè contingat, vt ſi Macedones mecum venerint, & vos offenderint imparatos, ego, meique collegæ, qui de veſtra promptitudine apud Macedones gloriati ſumus, coram eis pudefiamus tanquam vani in hoc argumento gloriationis; imò & vos ipſi, quod dicere durum eſt, pudefiatis in eodem argumento gloriationis noſtræ pro vobis: vt qui opere non reſpondeatis promptitudini, quã de vobis prædicavi. Quò tanto magis ad laborandum eſt quod directior via non ſit, veram felicitatem ſibi reconciliandi. Audi Chryſoſtomum hom. 30. in Geneſ. philoſophantem: *Si,* inquit, *æternam igitur memoriam amas, ego tibi viam monſtrabo, quæ te celebrem omni ſæculo faciet, quia etiam tibi fiduciam in futuro ſæculo dabit: liberalitatem tuam & pecuniarum largitionem in pauperes confer, relictis villis, balneis, alijſque ædificijs, rebus nempe mutis, atque inanimatis. Larga eleemoſyna immortalem viri memoriam reddit, ſicut ſcriptum*

Pſ. 40.

ptum est: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi, id est, liberalitatis & misericordiæ æternùm est mansura memoria. Et rursus scriptum est: In memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit.

Discursus X.

An census seu reditus annui, præsertim quales super Montes Belgicos creantur, sint liciti?



Deut. 23. MOyses Deuter. 23. cap. dicit Dominum Deum aversari omnem iniustitiam: quia verò inter census seu reditus annuos illa possit subrepere, hinc tractabo, quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti clariorem intelligentiam, præmittendum est vocabulum *Census* à censendo, seu æstimando dictum, diversimodè sumi. Primò enim census sumitur pro descriptione quadam, & enumeratione civium, qualis Romæ fieri solebat ad distinguendos status, iuxta quos munia publica belli & pacis inter Romanos distribuerētur, vt refert Budæus ad l. vlt. ff. de Senatoribus, & Covarr. lib. 3. variar. resolut. c. 9. Vnde & liber huiusmodi descriptiones continens, sive patrimoniorum, sive singulorum civium, *Census* appellari cœpit: Et hinc Marcellus l. *Census*, ff. de probation. ait census & monumenta publica potiora esse testibus. Et sic descriptio illa Christi tempore facta à Præside Syriæ Cyrino Census dici solet. *Luc. 2.* de qua Luc. 2. dicitur: *Factum autem est in diebus illis. Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniversus orbis.* ad hoc, vt sciretur tum numerus subditorum, tum etiam & maximè, quātum pecuniæ extrahi posset, ac quantum vectigal singulis capitibus imponi. Inde vero extensum est ad tributa significanda, quæ per capita imponebantur in subiectionis, dominij, iurisdictionisque recognitionem. Quo pacto sumitur cap. *Omnis anima*, de censibus, & Matth. 22. vbi Pharisæi, vt occasionem haberent Christum perdendi, mittunt discipulos suos cum Herodianis ad Christum, vt peterent ab ipso, *Quid tibi videtur, licetne Cæsari dare censum, an non?* vt si affirmaret, apud populum tanquam libertatis proditor traduceretur, aut sanè ex eo probaretur non esse Messias, quem publicæ libertatis assertorem exspectabat: si verò negaret, apud Præsidem paratam sibi inveniret accusationem & suppliciū. Sumitur etiam latius *Census* iure Canonico pro eo, quod annuatim præstatur alteri etiam inferiori à Principe, ratione subiectionis, fundationis, aut alterius iustę causę, vt Alvarus. Valasc. de iure emphyteutico, quæst. 132. n. 1. ait; atque ex toto titulo de censibus, & ex alijs iuribus confirmat.

Verum in nulla harum acceptionum agimus modò de censibus, sed sumendo censum pro pēsione per aliqua tempora solvendâ, impositaque personæ, vel rei ipsius immobili, & fructifera, vel pro iure ad exigendam talem pensionem, vel pro contractu, ex quo tale ius resultat: & describitur esse *Ius percipiendi pensionem ex re, vel persona alterius.*

2. Secundò, notandum est censum sic acceptum dividi primò in reservativum, & consignativū. Reservativus est, cum quis fundum pleno dominij iure in alterum transfert, reservata sibi annua pensione ex eodem fundo, iuxta l. vlt. C. de rer. permutat. Qua etiam ratione Ioseph Genes. 47. prædia, quæ commutatione cum tritico pleno iure Pharaoni comparaverat, postea Ægyptijs restituit annuâ in ijs pensione constituta (exceptis prædijs Sacerdotum) vt ibidem patet. *Genes. 47.*

Consignativus est, vel quando quis in contractu donationis, venditionis, vel permutationis alteri constituit, ac designat in re sua, (id est, censum designantis) reditus annuos percipiendi: vt cum Princeps alicui constituit ius ex vectigali suo, aut ex reditibus suæ Cameræ annuas pecunias accipiendi, ipso retinente directum & vtile rei dominium: vel frequentior census consignativus

tivus est, qui venditione & emptione constituitur, vt si florenis centum à te emam ius percipiendi in annos singulos ex agro tuo frumenti duo sextaria, vel eius valorē, videlicet sex florenos.

Rursum dividitur in realem, & personalem, ac mixtum. Realis est, qui fundatur super certa re vna, vel pluribus, ex quibus pensio solvenda sit, v. g. super domo tua, agro, vinea. Quare comitatur rem ad quemcumque possessorem perveniat, quasi servitus, sive realis obligatio pensionis solvendæ, donec census redimatur.

Personalis census est, qui fundatur super certa persona obligante se ad annuam pensionem; sine ordine ad certam aliquam rem, ex qua pensio solvenda sit.

Mixtus est, qui constituitur super re, & super persona immediatè: ita vt etiāsi res pereat, persona tamen maneat obligata: in quo differt à merè reali, vbi re ex parte, vel in totum pereunte perit similiter census.

4. Tertiò dividitur census in perpetuum, ac temporalem. Perpetuus subdividitur in redimibilem & irredimibilem. Redimibilis iterum duplex est, vel enim ex parte solius venditoris, cui liceat restituto pretio censum redimere; vel etiam ex parte emptoris, cui liceat resignato censu pretium repetere: & vocari tunc solet census vtrimque redimibilis. Irredimibilis est, cui nullum redimendi pactum adijcitur.

Census autem temporalis subdividitur in eum, qui certo annorum numero definitur, v. g. annis decem, viginti; & in censum vitalitium, qui ad vitam ementis, vel vendentis censum, alteriusque personæ constituitur: v. g. transfero in te mille aureos, vt obligatus sis, quamdiu vivis, vel quamdiu ego vivo, vel pater meus vivit, 100. aureos annuos numerare.

5. His positis, Quæro primò, quando census realis sit iustus, vel iniustus, aut vsurarius? Respondeo prænotandum esse pretium iustum legitimum, vel naturale censeri illud, vel quod lex taxavit, vel loci consuetudo approbavit, iuxta quod in quavis provincia multum viget negotiatio; illa enim facit pecuniam præsentem pluris æstimari, & census minoris: aut an copia ibidem, an vero inopia pecuniæ sit, nam inopia pecuniæ facit census vilescere, copia æstimari. Vnde fit, vt pretia censuum tam redimibilium, quam irredimibilium pro varietate temporum, & locorum sint diversa. Apud Belgas enim census redimibilis ordinariè emitur nummo 16. Apud Gallos aliquando constituitur ad rationem decem, duodecim, & quindecim, vt testatur Tiraq. 1. de retractu §. 1. Glossa 6. n. 17. & Molinæus q. 5. de vsuris, n. 109. In Italia Romæ 8. vel 9. pro centum emuntur, vt testatur Navarrus Idem Bononiæ in vsu esse docet Cosmus Philiarc. lib. 5. de offic. Sacerd. cap. 17. vt plurimum tamen in Italia nunc. 7. emuntur in centum, vt Binsfel. super c. *In civitate*, de vsur. q. 14. qui etiam ait apud Germanos aliquādo ad rationem vnius pro 10. aliquando pro quindecim, aliquando pro 20. constitui solitos esse census. In Sicilia 10. in singula: quod approbavit Nicolaus V. & Gregorius XIII. pro Sicilia. Calixtus quoque III. & Martinus V. idem approbarunt in Polonia, & Germania, quando pro varia temporum conditione talis est consuetudo, vel æstimatio, vt patet ex illorum extravagantibus. Aliquando etiam 11. vel 13. vt patet ibidem: vbi enim viget negotiatio, pecunia præsens pluris æstimatur, & minoris census: inopia facit census vilescere; copia pecuniæ æstimari. Auctius est pretium redimibilis, vbi talis permittitur. Census vero irredimibilis maiorem vbivis habet taxam.

6. Habitâ vero eius consideratione, Dico censum realem tam pecuniarium, quam frumentarium, tam perpetuum, quam temporalem & vitalitium iusto pretio emptum, iustum esse ac licitum. Probatur auctoritate extravagantis Martini V. & Calixti III. de empt. & vendit. item Bullæ Pij V. editæ anno 1568. cuius initium, *Cum onus*, apud Navar. comment. de vsuris n. 14. Et ratio est, quod census realis sit veluti pars quædam vsus fructus: quippe ius percipiendi partem fructuum, sive annuorum redituum, emptione comparatum, est ad eundum modum, quo ex donatione, vel legato alicui constitui potest ius percipiendi ex domo, vinea, agro donantis, legantis, reditus annuos in per-

perpetuum, vitam, vel ad aliquot annos. Nec refert, quod summa pensionum progressu temporis solvendarum pretij quātitatem superet, quod in censu non emantur pensiones, sed ius percipiendi futuras pensiones: quod ius communi hominum iudicio minoris æstimari solet, quàm si pensiones omnes præsentes essent: eò quod multa accidere possint, vt fructus vel non nascantur, vel non solvantur. Adhæc incumbit emptori periculum rei, super quâ census locatus est, vt si absque domini culpâ res pereat, totus census corruat: quia census realis est quasi vsusfructus, vel portio dominij vtilis; quod absque dubio pereunte dominio directo simul extinguitur.

7. Dico secundò licitum esse censum realem cum pacto redimendi ex parte venditoris. Ratio est, quod omnes venditiones sub conditione redemptionis ad arbitrium venditoris licitæ sint, vti colligitur l. 22. C. de pactis inter emptor. & venditor. & ex cap. 25. Levitici vbi dicitur: *Quando vendes quidpiam civi tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum, sed iuxta numerum annorum iubilæi emes ab eo, & iuxta supputationem frugum vendet tibi. Quantò plures anni remanserint post iubilæum, tanto crescet & pretium: & quanto minus tempus numeraveris, tantò minoris & emptio constabit.* Et ratio erat, quod anno iubilæi omnes redirent ad possessiones pristinas, adeoque bonorum immobilium apud Iudæos venditio non esset absoluta, sed tantum ad certum tempus, licet revera transferretur rei dominium in ementem. Levit. 25.

8. Dico tertiò, censum realem cum pacto redimendi ad arbitrium vtriusque ex natura rei esse licitum, modo solvatur maius pretium, quam in censu redimibili ex parte solius venditoris. Ratio disparitatis est, quod obligatio vtriusque in censu vtrimque redimibili sit æqualis: in censu vero redimibili ex parte solius venditoris, quod obligatio, quæ emptori soli incumbit, ad arbitrium dumtaxat venditoris revendendi, seu recipiendi pecuniam capitalem, qua suum reditum emit eo tempore, quo venditori lubebit, pretio æstimabilis sit, eò quod incertus existat, quando & vbi alibi similem reditum ea pecunia emere poterit: adeoque in partem pretij rectè computetur. Vnde si reditus vnius anni ematur sedecim florenis, & & sex floreni annui emantur centum, cum pacto redimendi reciproco, quo neque emptor, neque venditor se gravari conqueruntur, sequitur introduci posse, vt reditus vnius anni ematur tantum tredecim florenis, & annui septem tantum emantur centum, cum pacto redimendi ad arbitrium solius venditoris: quod intellige vbi contraria consuetudo non obstat.

Si verò lege aliquâ positivâ census vtrimque redimibilis alicubi prohibeatur ob periculum vsuræ, secundum præsumptionem fori externi, vsurarius iudicabitur: vt patet in locis, vbi constituta Carolina edita Augustæ in Comitijs anno 1548. vbi recepta est.

Dico quartò ex his facilè colligi iniustum esse censum, qui emitur minoris, quam est iustum pretium; adeoque qua parte iustam pensionem excedit, esse nullum & reijciendum; excessumque pensionum receptarum venire restituendum: idque etiam si læsio sit citra dimidium, vel non vltra dimidium iusti pretij. Similiter iniustus est quādo venditor cogitur redimere censū eādē specie moneta, qua emptus est, & scit verosimiliter illam esse augendam: ex ea enim parte vsura interveniret. Huiusmodi gravamen Dominus expressè declarat sibi displicere Isa. 58. vbi Iudæorum ieiunium floccipendit, eosque permittit in Babylone detineri, ac indigna pati, & promissam pacem differt, eo quod his & similibus modis pauperes gravarent: vnde ait. *Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi; dissolve colligationes impietatis; solve fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt liberos, & omne onus disrumpe.* id est: Tunc placebit mihi ieiunium vestrum, cum dissolveritis obligationes, & pacta vsuraria, aliaque iniqua & iniusta, quibus pauperes violenter opprimitis & exhauritis, Si, inquam, consciderictis & combusseritis fasciculos syngrapharum, violentarum cautionum, quibus fratres vestros quasi iugo deprimitis, & opprimitis. Vnde S. Cyprianus ad Quirinum cap. 1. verba prædicta sic vertit: *Solve omnem nodum iniustitiæ, resolve suffocationes impotentium mercatorum.* Nam Hebraicè pro *deprimentes*, est *mota*; id est *nutationis*. Adeoque Isa. 58. Cyprian.

deoque idem est, ac si dicatur: Resolve fasciculos, & onera fratribus imposita adeò gravia, vt illos inter eundum nutare & vacillare cogant. Hæc de censu reali.

9. Quæres, an emptio census personalis (id est ius percipiendi reditus annuos ex alicuius personę lucris emptione comparatum) licita sit, æquè ac census realis?

Ratio dubij est, quia Martinus V. & Calixtus III. & Pius V. in Extravag. de censibus, solum approbarunt census realiter in rebus immobilibus fructiferis constitutos. Respondeo ex natura rei eandem esse licitam, quando persona suo labore, & industria lucratur, vt mercator, mercenarius, miles, artifex, advocatus, procurator, & alij huiusmodi. Nam si persona sit eo modo fructifera, perinde est super ea censum constituere, ac constituere illum super alia re fructifera.

Probatur primò, quia homo capax est obligationis, & sicut potest titulo donationis se eo modo obligare promittendo annuam pensionem pro dote orphanæ mulieris, vel in subsidium hospitalis, aut alterius; sic etiam potest vendere ius pensionis annuæ super personam suam fructiferam.

Probatur secundò ex vsu legis veteris, vbi Dominus præcepit Iudæis solvere primitias frugum, quas manibus & labore suo messuerant. videlicet Deuteron. 2. vbi sic ait: *Offeretis in illo loco,* supple quem elegerit Dominus, *decimas & primitias manuum vestrarum.* Et latius Num. c. 18. vbi Sacerdotibus Dominus assignat primitias frugum pro alimonia, dicens: *Omnem medullam olei, & vini, ac frumenti, & quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi.* q. d. Quemadmodum obligavi filios Israël primos fructus mihi offerre in gratiarum actionem pinguissimos & optimos, ita eosdem vobis consigno. Deinde 2. Esdræ 10. gravant fideles personas suas annuo reditu tertiæ partis sicli pro fabrica templi, &c. in verbis: *Et statuemus super nos præcepta, vt demus tertiam partem sicli per annum ad opus domus Dei nostri, ad panes propositionis, & ad sacrifitium sempiternum, & in holocaustum sempiternum in sabbathis, in calendis, in solemnitatibus, & in sanctificatis, & pro peccato: vt exoretur pro Israël, & in omnem vsum domus Dei nostri.* Ad hunc modum etiam Principes sæculares poterant iusta de causa tributum personale quotannis solvendum inducere; quod idem est ac census personalis. Huiusmodi censum aiunt Doctores super cap. 2. Lucæ Augustum introduxisse.

Deut. 2.

Num. 18

Probatur tertiò, quia lege Ecclesiastica personales decimæ iubentur persolvi, vel ex comparatis artificio, negotiatione, militia, & alijs similibus. Patet ex cap. *Non est*, 22. de decimis, vbi Cęlestinus III. sic ait: *Sicut sancti Patres in suis tradiderunt scriptis, de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, deque ipsa etiam militia, de venatione, & de omnibus bonis decimæ sunt ministris Ecclesiæ tribuendæ.* Et cap. *Ex transmissa* 23. idem Cælestinus ait: *Fidelis homo de omnibus, quæ licitè potest acquirere, decimas erogare tenetur.* Vnde iubet solvi etiam ex ijs, quę proveniunt ex molendino, quod vento agitur, & c. *Pastoral.* 28. quod est Innocentij tertij eod. tit. dicitur, *de molendinis, piscarijs, & lucro venditionis dandas esse decimas, neque deducendas expensas quæ fiunt pro fructibus percipiendis.* D. Augustinus serm. 219. *Quod si decimas non habes fructuum terrenorum, quodcumque te pascit ingenium Dei est, & inde decimas expetit, vnde vivis: de militia, de negotio, & de artificio redde decimas: aliud enim pro terra pendimus, aliud pro vsura vitæ pensamus.*

Ex quibus Doctores colligerunt triplices decimas solvi solere. Primò, *Prædiales*, vt ex agris, molendinis, piscinis, ædium elocatione, & similibus: *Mixtas* verò ex animalibus, vt fœtus, lanam, butyrum; horum enim fructus partim ex prædijs, partim ex industria hominum proveniunt: *Personales*, vt ex negotiatione, artificio, militia, famulatu, seu ex stipendio, quod pro suo servitio quotannis percipiunt, ex quo decimas famuli in nonnullis diœcesibus solvũt. Et hunc in modum passim consueverunt non solum Principes sæculares necessitate exigente quotannis subditos certo censu gravare: sed etiam particulares testamento hæredes suos ad pensionem annuam alteri solvendam, vt patet l. *Si legatum*. §. vlt. de annuis legatis & fideicommissis.

Confirmatur ex vsu & consuetudine multarum gentium, videlicet Belgarum, Germanorum & Gallorum, vbi census

census plerumque, antequã certo modo realizentur coram Magistratu, sunt merè personales cum hypotheca generali omnium bonorũ: & licet stipulatio ex consuetudine alicuius civitatis particulari facta sit de realizando, tamẽ sępè aut nihil sequitur, aut nõ fit, nisi post longum tempus, quando emptores de personæ industria, & lucris incipiunt dubitare. Contractus autem qui in aliqua regione celebrari solitus est, præsertim à viris doctis, & honestis; licet dubij & obscuri iuris sit, atque vsuræ speciem quandã prę se ferre videatur, non tamẽ ideo iniustus, & vsurarius cẽseri debet, sicuti docet Bartol l. *Quis sit fugitivus*, §. *Apud Labeonẽ*, ff. de ędil. edic. Tiraq. li. 2. de vtroque retractu, §. vlt. n. 127. Navar. li. 5. de vsura concl. 4. edit. 4

10. Ex his etiam liquet licitã esse emptionẽ census mixti, qui videlicet partim sit personalis, partim realis. Nulla enim est ratio: quare emptio vtriusq; seorsim licita sit, nõ autẽ iunctim Deinde maiorẽ habet securitatem, quam census solummodo realis: quia emens censum super prædium & personam, cum prædiũ non sufficit ad pensionẽ solvẽdã, actionẽ habet in personã æque fructiferã. Tales pleriq; sunt in Belgio, vnde in litteris emptionis & vẽditionis cẽsus solet subijci illa clausula: *Et in casum insufficientiæ dicti prædij obligat venditor suã personam, & generaliter omnia bona sua tam mobilia, quam immobilia, præsentia & futura.*

11. Quæres, quales sint cẽsus seu reditus, qui creantur super Montes pietatis Belgij?

Respondeo, vel esse merè reales, vel saltẽ mixtos, aut potius ex maiori parte reales, ex minori personales. Prius probatur, quia constituuntur super bona immobilia ad Montem spectãtia, videlicet domos omnium Montiũ pietatis Belgij, vigore vnionis eorumdem auctoritate Principum factæ 23. Maij, 1621. & speciatim super domum, & Mõtem pietatis, ad cuius vsum nummi capitales emptionis applicantur. Rursum constituuntur super re, quæ pro immobili habetur, vt est ius, quod habent Administratores ex causa indemnandi Montes, recipiendi pensiones ex re vel persona mutuatariorũ. Quod ius inter immobilia bona censeri constat ex Clemẽtina vnica, §. *Cumque annui reditus*, de verbor. significat. vbi dicitur propterea Fratribus Minoribus Ordinis S. Francisci ius censuum nõ competere, in verbis: *Cumque annui reditus inter immobilia cẽseantur à iure, ac huiusmodi reditus obtinere, paupertati & mendicitati repugnet: nulla dubitatio est, quod prædictis fratribus reditus quoscũque, sicut & possessiones, vel eorum vsum (cum eis non reperiatur concessus) recipere vel habere (conditione consideratâ ipsorum) non licet amplius.* Cui concordat c. 2. adiuncta Glossâ in verbo, *iura*, de rebus Ecclesię non alienandis in 6. vbi dicit Gregorius X. in Concilio Lugdunensi: *Hoc consultissimo prohibemus edicto vniversos & singulos Prælatos, Ecclesias sibi commissas, bona immobilia, seu iura ipsarum laicis submittere.* Et notat Glossa iura, vel incorporalia bona poni inter immobilia bona, quod in vtrisque illo Capitulo idem ius statuatur. In eum finem adducit alias leges ex iure civili, quibus idipsum confirmat: adeoque id iustè & licitè practicari æquè ac super domos, & fundos agrorum docet Navarrus comment. de vsuris, etiam ex Bulla Pij V. quatenus illa statuit annuum reditum constitui *nullo modo posse nisi in re immobili aut quæ pro immobili habeatur*, dũ ait num. 54. *Ex quo infertur posse censum constitui super annuo reditu, quia licet ille non sit propriè res immobilis, habeitur tamen pro re immobili.* videlicet ex iuribus citatis. quibus conformis est quorumdam locorum praxis.

12. Posterius probatur, nempe ex maxima parte esse reales, per ea quæ diximus: ex altera esse personales; quia constituuntur super bona etiam mobilia ipsorum Montium, & personas capaces & industrias, quales sunt generalis Superintendens vniversorum Montiũ pietatis Belgij, & particularis Superintendens Montis pietatis qui censũ vendit, ad hoc à Principibus authorizati; vt patet tum ex Commissione & ordinatione Principum in articulis, quorũ V. VI. & VII. è Gallico in latinum translati sic sonant: *Supradicti Principes, consenserunt, & permiserunt cuilibet census emere ad onus dictorum Montium, ad cursum sex & quartæ partis in centum annua & infra, aut ad talem nummum, quali hæ civitates consueverunt levare pecuniam in necessitatibus occurrentibus. Omnia advisamento tam Archiepiscoporum, quam magno numero Episcoporum harum Provinciarum, & maximè celebrium*

in parva quantitate pauperibus mutuare, sed etiam divitibus in magna summa pecuniæ, vt scribit Filliucius loc. cit. nu. 129. Verum iustitia aut iniustitia in hoc casu pendet ex conformitate, aut deformitate à voluntate instituentis, quæ adstringi non debet ad pauperes pressè sumptos, nisi velimus Deum, & idolum Dagon, Christum & Belial in eodem loco commorari, id est, Montes pietatis & fœneratores publicos: vti huc vsque visum est Insulis, Brugis, & Ypris, vbi tolerari debuere fœneratores, eò quod Montes illi exiguum quid dumtaxat mutuabāt in vsum pauperum pressè sumptorum. Fuit autem voluntas Serenissimorum Principum penitus extirpare publicos fœneratores, & in vsum quorumvis indigentium Montes pietatis servire, non aliter quā mensa fœneratorum omnium vsui serviebat, vt evidenter colligitur ex commissione eorumdem, iuncto articulo 4. ordinationis & directionis, vbi satis exprimunt se vocabulum *Pauperum* latissimè sumere, cum aiunt bonum ex Montibus resultans servire solatio civium, aliorumque incolarum necesse habentium; item ex progressu, & praxi Montium in ipsorum conspectu sic mutuantium. Considerabant enim Principes divites sæpe ex necessitate premi, & coactos fuisse à fœneratoribus publicis mutuum petere, magisque charitativū esse illis mutuum communicare, quod cum periculo amittendæ reputationis & famæ non rarò illo indigeant; imò sese non satisfacturos communibus civibus mutuo egentibus, nisi indifferenter quosvis admitterent opus habentes, maximè dum titulo oneroso conflarentur.

Filliucius. 1. Reg. 5. 2 Cor. 6.

15. Secundò non differunt Montes Belgij à Bulla Leonina, quandoquidem absque vllo lucro Montium illud dumtaxat recipiunt, quod necessarium est ad eorum indemnitatem: quia vti per illam declaravit Pontifex licitū, & meritorium esse Montes mixtos vltra sortem recipere, quod necessarium erat ad eorumdem Montium conservationem, & operas ministrorum, ne videlicet iacturam paterentur, & tandem exhaurirentur: ita sequitur Montes pietatis Belgicorum similiter iustos esse, & meritorios à paritate rationis: Eadem est enim ratio totius, quæ partis. Vnde rectè argumentatur Leonardus Lessius in Append. n. 82. *Si pro conservatione licitum est aliquid exigere, ne Mons concidat, & vt conservetur in commodum publicum; cur non etiam, vt à fundamentis erigatur, & extet? Si vt commodum publicum continuetur; cur non vt ita primum inchoetur & procuretur? Sicut enim tota conservatio est in commodum publicum, ita & erectio. Sic non solum licitum exigere contributionem pro conservatione Montis, domus publicæ, Ecclesiæ, mœnium civitatis; sed etiam pro prima erectione. Nec refert, quod Pontifex solum loquatur de conservatione, quia non fuerat ei propositum de prima illa erectione, sed solum conservatione.* Similiter argumentandum est de alijs ad indemnitatem Montium necessarijs. Lessius.

16. His attentis, amice Lector, facilè deprehendes calumniā dicti Lillers, cum nodum in scirpo quærit, & in hisce Montibus lapidem offensionis ac scandali palpitat; imo solus desipiens audacter in libello, cui titulus, *Cassandra Montium pietatis Belgicorum*, Archiepiscopis & Episcopis Belgij imponit errorē, abusum, & inadvertentiam in eorum erectione. Sic enim ait ibidem ad frontem libelli supplicis, quē Gallico idiomate exhibere videtur Pontifici, *In quo libro demōstratus est error, abusus, & inadvertentia quorumdam Illustrissimorum Archiepiscoporum, & Episcoporum dictarum Regionum, qui persuadent populo vsum talium Montium, & sic approbant vsuram tanquam permissam, sibique vendicant auctoritatem dispensandi in iure divino, licet ipse Papa non habeat potestatem.* Spectatū admissi risum teneatis. D. Hieronymus cum suo tempore deprehenderet Vigilantium quēdam è Francia natum, Sanctorum reliquias damnare, totumque orbem eas honore prosequentem, sacrilegij condemnare, aliosque errores defendere, eum monstrum vocat insolitum, & egregiè perstringit, quod ea ratione ausus fuerit Constantinum Imperatorem, & Augustum Arcadium; quin etiam Episcopos, imò & summum Pontificem tanquam sacrilegos condemnare, exclamans: *O portentum in terras vltimas deportandum!* Hieronym. epist. ad Vigilant.

17. Quæ omnia verissimè quadrant in dictum Lillers; Primo quia is se in omnem formam transfigurat: nam

Montes

Montes, quos nunc impugnat, primum promovit, vt patet per extractum authenticum epistolæ eius scriptæ Gallico idiomate ad D. Wenceslaum Cobergher, dum ageretur de illis in Belgio erigendis; qui sic habet: *Ie vous supplie vous resouvenir pour nostre grand affaire, que la Bulle de Leon dixieme Pape dispense le Mont de piete, de pouvoir prendre tout ce, quil at de besoing pour les fraix, quilz peuvent souffrir, à raison des Ministres, serviteurs desdictes Mons, mais aussi tout ce quil conviendra pour toutes les aultres choses appartenentes, & necessaires à la conservation diceulx, & signament pour leur indempnite en ce regard. Voici les mots textuelx de la dicte Bulle*: Declaramus &c. Secundò, quia Principes Belgij temeritatis arguit, licet præhabito advisamento Archiepiscorum, Episcoporum Belgij, maximè celebrium Theologorum, Consiliariorum Status, privati Concilij, & Financiarum ad erectionem processerint; & audacter Archiepiscopos & Episcopos erroris, & abusus accusat, Theologos etiam Leodienses inscitiæ & ineptiæ condemnat, dum intrepidè illis applicat fol. 10. Cassandræ, verba Apostoli 1. Tim. 1. quibus perstringebat Iudæos, qui volebant legem Moysis cum Evangelio servandam & ex operibus legis homines iustificari: *Non intelligentes de quibus loquuntur, neque de quibus affirmant.* q. d. Volentes esse legis Doctores, neque principia, neque conclusiones doctrinæ suæ intelligunt, neque legem & Scripturam Moysis, neque eius explicationem capiunt, quia non intelligunt finem & scopum legis esse Christum, eiusq fidem, spem, charitatem. Animadverte, quæso, superciliũ hominis. Nec quiescit; sed addit verba Hieremiæ, quæ cap. 6 declamavit in Iudæos sui temporis instante Babylonicâ captivitate pœnitere nolentes: *Confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt.* q. d. confundi debuissent, si sua scelera, vt par est, perpendissent, & ponderassent: sed tanta est eorum nequitia, aut stupor, vt nolint vel nesciant confundi. Mirum est, quod eum non pudeat sacra verba perperam in eos torquere, de quibus Daniel ca. 12. prænuntiat: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates.* Cum solus ineptiam prodat, & præ impatientia frontem meretricis induerit, & effutiat, quidquid in buccam venit, quod non valeat ex vsurariorum mensa micas sumere. Rursum paradoxum est absentem ita frendere, inclamitare, & cum stomacho venenum effundere, cum vnico Scripturæ loco, tanquã funda Davidis ab Illustrissimo D. Matthia Hovio percussus, & ex propria cõfessione convictus, nihil reliquũ habuerit, nisi quod frustratus sua intẽtione promiserit sequenti die redire, alijsque rationibus Montes illicitos convincere: sed verbo non stetit. Verebatur enim doctrinam & prudentiam viri tantæ maiestatis, ac instar Caleb pleni dierum, qui solet verba proferre, nisi efficacia, & bene masticata; quemadmodum olim Vigilantius Hieronymum suspiciebat, qui propterea hac invectiva absentem prosequitur: *O præcidendam linguam à Medicis! immò insanum curandum caput! vt qui loqui nescit, discat aliquando reticere. Ego vidi aliquando portentum, & testimonijs Scripturarum, quasi vinculis Hippocratis, volui ligare furiosum: sed abijt, excessit, erupit, evasit, & inter Hadriæ fluctus, Cottijque Regis alpes in nos declamando declamavit. Quidquid enim amens loquitur, vociferatio, & clamor est appellandus.*

1\. Tim. 1.

Hier. 6.

18\. Verũ dicet fortasse aliquis: Credo illum hominem à vero deviare, sed mecum anceps hæreo, quomodo ab iniusto lucro praxis Montiũ Belgij excusetur, quandoquidem ministri satis amplũ accipiant stipendium, & Bulla Leonina dicat licere quid moderatum recipere pro operis ministrorum.

Respondeo nullã hic esse difficultatem, si prius consideres non dici *modicũ* à Pontifice, vt aliqui satis inconsideratè intellexisse videntur, sed signatè *moderatum*. Secũdò *moderatum* esse quod æqualitatem iustitiæ non excedit: atque adeo quod per se multum videtur, sed consideratâ operâ magni pretij nihilominus moderatũ manet. Sic fit in Montibus Belgij, nã ministri sunt homines habiles, honestæ conditionis, qui propter grandem subiectionem, & assiduam præsentiam necessariam in administratione Montium se reddunt incapaces ad alia negotia. Et præterea subeunt onus indemnandi Montem, si contingat per abusum, negligentiam, inadvertentiam eorumdem, Montem damnum incur-

rere, additâ pœnâ mulctę pecuniarię, & destitutionis, si secūda vice in huiusmodi errore deprehendantur. quæ certè ampliorem mercedem merentur, quia singula sunt pretio æstimabilia.

Cæterum in Montibus Belgij nemo iure excessum notare potest, nam singula in ijsdem ita practicantur, vt laudē potius mereantur, quam reprehensionem. Res manifestè constat ex testimonio Illustrissimi D. Matthiæ Hovij Archiepiscopi præfati, & Reverendissimi D. Ioannis Malderi Episcopi Antverpiensis, qui biennio post erectionem Montis Bruxellensis à Principibus deputati, examinarunt praxim Præfecti eiusdem Montis, & de ea declararunt, vt sequitur: *Nos his subscripti per easdem testamur bene nos examinasse, & perspectam habere praxim, qua D. Wenceslaus Cobergher Architectus Serenissimorum Principum nostrorum vtitur in erigendis, & administrādis (interveniente suarum Celsitudinum auctoritate) Montibus pro mutuatione destinatis, & nihil nos in ea praxi invenire, quod iuri divino, aut naturali, aut sacris Canonibus & sanctionibus summorum Pontificum, aut etiam ijs, quæ resoluta sunt in hac materia ab Archiepiscopis, & Episcopis, Mechliniæ cōgregatis in Octobri anno 1617. in aliquo contraveniat: sed potius eandē praxim Reip. vtilē, pauperibus opportunā; & à pietate esse commendabilē ex eodē examine deprehendisse, vtpote per quam pauperes à gravi onere vsurarum sublevantur; & successu temporis magis etiam in perpetuum iactis per industriam dicti Wenceslai Montium istorum stabilibus fundamentis, sublevandos fore meritò speratur. Datū anno Domini 1619. mensis Novembris die decimo sexto.* Subsignatum: Matthias Hovius Archiepiscop. Mechliniensis, & Ioannes Episcopus Antverpiensis. Idem testari potest de Monte Bruxellensi, Illustriss. D. Iacobus Boonen Archiepiscopus Mechliniensis, qui eundem hisce diebus visitavit.

19. Dices, vt vt est, impossibile tamē videtur nullum lucrū Montibus accedere, quandoquidem pignora ita taxari non queant, quin aliquid lucri excrescat.

Respondeo me admittere lucrum aliquod posse excrescere, quia impossibile est, in quibusvis Montibus moraliter loquendo, tam præcisè taxare pignora ad Montis indemnitatem, vt nihil excrescat. Verùm, hoc modicum est, & licet notabile foret, certum est & exploratū, Montium directoribus ac protectoribus vi mutui Montibus nihil huiusmodi posse accrescere; sed in rem & vtilitatē esse convertendum mutuatariorum.

20. Quæres: An ergo ex alio capite illud excrescens ab vsura, & iniustitia Montibus applicari possit?

Respondeo affirmativè. Idque primò, vt bona incerta ratione loci pij. Secundò ex dispositione Principis. De priori formavit quæstionē Vincentius Filliucius Tract. 34. pag. 2. cap. 9. in Præcepta, quam eius verbis Lectori communico; sic autem ait: *Dices, si aliquid superſit vltra expensas necessarias, potestne retineri ab ipso monte? Respondeo non posse, nisi ex consensu libero mutuatariorum, sed conferendum est, vel in vsus pauperum, à quibus acceptum est, vel in bonum Montis tanquam pij loci, in quem bona illa incerta conferentur, ex quo tandem redundat vtilitas in pauperem.* Montes verò pietatis inter pias causas censeri, certum est ex Concilio Trident. quod Mōtes huiusmodi inter pias causas habet, sess. 22. de Reform. cap. 8. 9. & 11. Cap. enim 9. dicitur: *Administratores tam Ecclesiastici, quam laici, fabricæ cuiusvis Ecclesiæ etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynæ Montis pietatis, quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario.* Filliucius.

Posterius patet, quia Princeps, etiamsi Montes prædicti inter loca pia nō censerentur, tanquam bonorum incertorum distributor, eandem summā excrescentiæ ijsdem valet applicare. Ratio est, quod iure naturali, aut divino incerta bona, bonâ fide possessa, pauperibus restituenda non veniant: neque etiam iure positivo, quia lex canonica de eiusmodi nihil statuit, sed dumtaxat de debitis incertis ex maleficio contractis, vt furto, rapina, vsura, ac extortis prætextu officij, quæ voluit in pœnam criminis applicari ad pia opera, vt patet ex cap. *Cum tu*, de vsuris, & cap. *Cum sit*, de iudicijs?

21. His ita discussis, Quæres, quare ergo Doctorum plurimi (quorum censurâ nititur prædictus Lillers) Montes Belgicos vsurarios iudicent?

Respondeo id contingere ex duplici causa. Prima est, quod homo vafer Lillers dolosam speciem facti eisdem Doribus

ctoribus exhibuerit. Id testatur Illustrissimus D. Matthias Hovius in responsione quadam ad falsas propositiones eiusdem Lillers, missâ ad Amplissimum D. Masium sanctioris Concilij Præsidem de data 20. Maij an. 1619. vbi, inter cætera sic habetur: *Dixit*, &c. *Doctor Iansonius, quod nunc primũ ab ipso audierat respõsum, & iudiciũ Episcoporum, & quod non ipsa Bulla, sed quadam tantum clausula ex Summa Conciliorum essent proposita Doctoribus Lovaniensibus. Intelleximus etiam de falsa propositione facta, qua dictus Lillers conatus est extorquere aliud responsum à Doctoribus, quã quod dedit in Concilio Lateranensi Leo X. Pontifex, & ante eum fel. record. Paulus II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. & Iulius II. quo videliet dictus Lillers advocatum se exhibẽs vsurariorum publicorum, quibus diu servivit, molestiã crearet suis benefactoribus Cobergher, & Archiepiscopo Mechliniensi, cæterisque veri defensoribus.* Ne mireris. Nam in libello suo, cui inscriptio, *Pantheon vsuraire*, fol. 55. vt indoctis persuaderet Mõtes Belgicos esse vsurarios, committit crimẽ falsarij, dicens Iulium III. Pontificem circa annum 1570. (qui tamẽ è vivis excesserat anno 1555.) excommunicasse quamdam praxim Montiũ pietatis erectorum Vicennæ, & Veronę civitatibus sub Dominatu Venetorum penitus extirpasse, eo quod massa capitalis, efficiens Montem, deputata erat per aliquos mercatores, qui recipiebant quatuor in centum ratione interesse, & duo in centũ pro ministris. Cuius contrarium apertissimè constat ex testimonio Navarri, Comituli, Filliucij, vt superius sub initium nu. 8. latius deduxi. Quid, quæso, hoc aliud est, quã in præiudicium aliorum veritatẽ ex dolo immutare?

Rursum constat id, quod dixi, ex resolutione quorumdam S. T. Doctorum Lovaniensium, quam dederunt ad verã speciem facti 10. Decemb. 1626. qua declarant alios Doctores eiusdem Facultatis Lovaniensis, Montes Belgicos cẽsuisse vsurarios, eo quod species facti ipsis exhibita præsupponeret falsũ, nẽpe quod Mons ex iniquo lucraretur, & ditesceret. Sic enim aiunt: *Ex hoc tamen facto Montibus Belgicis passim obiecto, ijdem qui supra Facultatis nostræ Doctores Montis institutum vsurarium censuerunt eò magis, quod speciosis prætextibus adversarij Montis probare nitantur etiam ipsum capitale redituum paulatim exsolvendũ esse per ea, quæ à mutuatarijs accipiuntur, vt videre est in secundo scripto contra Montes fol. 4.* Deinde id testatur alius Doctor Lovaniensis, ad calcem eiusdem resolutionis, vbi subiungit: *Mutatâ facti specie contingit in moralibus citò eiusdem mutari honestatem vel turpitudinem, iustitiam vel iniquitatem. Consultus ante annos aliquot super instituto Montium, quos vocant Pietatis, qui tum in Belgio erigi cœperant, ac super modo & forma in ijs servandis, secundum quod tum facti species cum suis adiunctis proponebatur, iudicavi non posse omnia illa, quæ in casu ponebãtur, ab vsurarum labe vindicari. Nunc autem consultus iterum super eodem instituto, prout facti species cum certis moderationibus, & cautelis in hoc scripto explicatur, dico me in eo nihil deprehendere, quod debeat vsuræ notari. Datum Lovan. 10. Decem. 1626.* Et rectè: qualis enim cõfessio, talis absolutio. Nec dubitare quis debet, quin omnes Doctores quarũvis Vniversitatũ rectè, cõsulti eodẽ modo responsuri sint. Impossibile enim est, vt quis in Theologia morali vel mediocriter versatus re bene discussâ aliter iudicet. Ratio est, quod nihil accipiatur in Montibus Belgij ratione ipsius mutui, sed ratione damni emergentis, adeoque solum quod ad indemnitatem præcisè requiritur, absque lucro vllo Montium. Et hinc scribebat dictus Archiepiscopus Matthias ad præfatum D. Præsidem, infinitos viros doctos Montibus Belgij subscribere, tanquam licitis, addens: *Nec scimus aliquẽ virum doctũ oblo-quentẽ, cum res illi verè, & clarè explicatur.*

22. Altera causa est, quod sæpe in sẽsu suo nimium abundent, & zelo Dei se moveri credant, cum non sit secundum scientiam. Certè in S. Scriptura legitur Paulus ex vincibili ignorantia magno zelo Christum persecutus, & Galat. 1. dicitur *abundantius æmulator paternarum traditionum*: sed 1. ad Tim. 1. dicit: *Misericordiam consecutus sui, quia ignorans feci in incredulitate.* Nesciebat enim se Messiam persequi, zelo legis agebat, & pro lege Moysis quasi pro lege Dei pugnabat. Vnde etiam misertus infidelium Iudęorum, inquit: *Testimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* q. d. Iudæi zelum errãtem pro lege Mosaica tuenda habent, putantque se agi Dei zelo, sed errant;

Galat. 1.

1. Tim. 1.

quia verè contra Dei honorem,& veritatem agunt, cum fidem & legẽ Christi, quæ vera est lex Dei,oppugnãt. Sic Doctores Italiæ tempore Leonis X. nõ obstante quinque Pontificum approbatione, Montibus secũdo modo erectis, seu mixtis vsuræ notam inusserunt, & tamdiu ad ravim ac nauseam vsque argumentis improbarunt, donec Pontifex ad tranquillitatem Reip. definivit eos esse licitos, addita excommunicatione latæ sententiæ in posterum contra eorumdẽ impugnatores, vt patet ex verbis Bullę n. 6. citatis. Quæ nihil aliud indicant, quam Montes improbantes zelum habuisse quidẽ iustitiæ, sed non secundum scientiam, alios verò pietatem & veritatem amplexos esse.

Porro ex his omnibus & alijs, quę adduxi in Antidoto contra calumniosos libellos Lillers Discur. 2. de Montibus pietatis n. 24. notũ fit nihili faciendam esse censuram à Doctoribus ab ipso emendicatam & illicito modo procuratam: & certam esse ac securam (vtpote communem) Archiepiscoporum & Episcoporum Belgij; adeoque nulla labe vsuræ Montes prędictos contaminatos.

23. Sed dices: Esto, ex his satis constet Montes Belgij ab vsuraria labe, omnique iniustitia esse immunes: non capio tamen, qua ratione vocentur Montes pietatis.

Respondere possem, frustraneum esse altercari de nomine: sed vtrum res sit ex aliquo iusto titulo licita & pia, sacris Scripturis & Pontificum sanctionibus conformis, tendens ad indigẽtium sublevationem. Altercari enim de nomine hæreticorum potius est, quam Christianorum, teste Tertulliano, qui alicubi dicit, *Illorum esse de vocabulorum occasionibus, & verborum communionibus quæstiones subornare.* vti manifestum est in Sabellio, qui Trinitatem personarum non admisit, eò quod in Scripturis vocabulum *Trinitas* non haberetur: nos contẽti sumus, quod Salvator noster, Matt. 28. miserit Apostolos suos docere omnes gentes, easque *baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Rursũ in Ario, qui noluit credere Filium esse consubstantialem Patri, eo quod vocabulũ *consubstantialis* Scriptura nõ contineret: nobis sufficit, quod Filius dixerit Ioan. 1. *Ego & Pater vnum sumus.* Simile fuit in Nestorio, qui negavit Beatã Virginem Dei Matrem, quod in Scripturis non diceretur *Deipara.* In hæreticis quoque nostri temporis, qui negant Christum verè & substantialiter esse in Eucharistia, quod vox *trãssubstantialis* in Scriptura non occurrat: & ex eodem capite non esse purgatorium: nobis sufficit quod Scriptura pluribus locis id abundè testetur: nolumus enim canibus leonum assimilari, qui ossa dumtaxat rodunt, carnem non masticant. Ita nobiscum res est de Montium pietatis nomine.

(Margin: Tertull. — Matth. 28 — Ioan. 1.)

24. Sed ad rem: Dico resolutè Montes Belgicos, etsi necdum sint perfectissimè pij, multis tamen nominibus rectè sortiri nomen *Pietatis*. Primò quia magna pietas est vel solos vsurarios per erectionem eorumdem Montium radicitus extirpare. Huic autem rei vacare, magnam esse pietatem extra controversiã est, cum de Filio Dei, qui venit dissolvere opera diaboli, prędictum sit tanquam peculiare, Psal. 71. *Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum*, id est ab vsura, & iniustitia. In quem versum sic Hugo Cardinalis: *Hic locus indicat Iudæis in lege veteri permissas tantum vsuras ab exteris impunè: beneficium autem Messiæ vnum futurum fuisse, vt liberarentur ab ea iniqua cupiditate.* quod fecit, vsuras penitus prohibendo, dum Luc. 6. dicit: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Et hanc credo solam causam, quare fœneratores publici, quasi ereptâ præda desperati per dictũ Lillers, sub prætextu prætensę iustificationis suæ, omnem lapidem moveant, ad impediendum Montium pietatis progressum, vt rursum restituãtur, promittendo etiam sub exigua taxa mutuum dare petentibus, licet antea sustinuerint coram Dominis Commissarijs Cõciliorũ Status, Privati, & Financiarum impossibile illis esse accipere pecunias sub interesse, & moderari mutuum infra taxam viginti duorum in centum.

Secundò, quia evidenter magna *pietas est*, vt inquit Leonard. Less. in appendice, *efficere vt innumeri homines tenuis fortunæ, qui ante cogebantur solvere 33. vel 22. in centum, solvant tantum 12. 10. vel 8to, & minus; idque absque omni lucro, vel commodo mutuantis: quæ differentia est, vt minimum 10. in centum, quo etiam factum est, vt vno anno mutuatarij Bruxellæ & Antverpiæ sublevati*

(Margin: Psal 71. — Hug. — Luc. 6. — Lessius)

levati fuerint onere circiter quinquaginta millium florenorum, quæ ratione mutui à Montibus accepti vsurarijs amplius solvere debuissēt.

Tertiò, quia Montes pietatis millia gratis mutuant, dum ijs, qui pro exiguo tempore aliquale mutuū accipiunt, nihil computent, eò quod non imitentur vsurarios publicos, qui diem pro septimana computabant, adeoque diē sabbathi & Lunæ alterius septimanæ, pro duabus hebdomadibus ruptis; sed præcisè tantū tempus, quo mutuatarij gaudent mutuo; quod in re parua sæpe æstimari non potest.

Quartò, quia mutuum accipientes per partes illud possunt reddere, modo pro rata solvant damnum emergens: quod certè multò vtilius est cuique, quam vendere reditum ad nummum etiam 16. vbi ordinariè tantum permittitur vel totum censum simul dequitare, vel medietatem, & præcisè servare, ne vnus, aut alter dies vltra canonem lapsum prætereat, sub pœna solvendi integrum canonem anni iam primum incepti, vel retinendi capitale.

25. Denique, quia magna pietas est, ratione boni publici eò tendere & collimare, vt sensim minor taxa solvatur, donec ad sex, quinque, & minus in centum magno Reipub. bono, & egentium solatio taxa deveniat, non per excrescentiam, quæ modica est, aut gravamen populi, sed vel per legata Principum, vel eorum qui reditus Montibus prædictis relicturi sunt, aut donatione inter vivos, aut causa mortis; vel certè & maximè ex industria Superintendentis generalis Montium, quam declaravit Serenissimis Belgij Principibus, Archiepiscopo Mechliniensi, alijsque quibus fas fuit ex consensu Principum eam communicare. Certè etiamsi alia ratio non suppeteret, hæc sola permitteret Montes Belgij nomine pietatis insigniri. Probatur ex Apostolo Paulo, qui 1. ad Corinth. 7. proles baptismo & Christianismo destinatas vocat *sanctas*. Cum enim resolvisset mulieri conversę ad Christianismum licitum esse permanere cum viro ethnico, & vicissim virum fidelem cum muliere gentili, quamdiu fidelē permitteret secundum Christianismum vivere, dixit: *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Matrimonium & coniunctio ista sancta est: vnde non profanatur, nec polluitur fidelis per contractum infidelis, vti vos scrupulosè timetis, sed potius infidelis morali quadam denominatione, & quasi sanctitatis aspergine, ait Anselmus, inde sanctificatur: cum quia maritus est sanctæ, id est, fidelis cōiugis: tum quia eam in fide sua non impediendo, & benevolè cum ea vivendo, quasi viam sternit sibi, vt per preces, merita, verba, & exempla fidelis coniugis convertatur & ipse, fiatque sanctus. Aut clarius: Dum enim Christo non maledicit, dum pia coniugis exercitia non impedit, dum signum crucis vel thalamo pręfixum æquis aspicit oculis; dum patitur etiam filios imbui fide Christi, per hæc, velut purificationes quasdam, quasi præparatur ad Christum; spem bonam ostendens, futurum vt Christianam religionem ipse quoque suscipiat: præsertim accedente sancta & pacifica conversatione coniugis fidelis, secundum illud 1. Pet. 3. *Mulieres subditæ sint viris suis: vt & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant; considerantes in timore castam conversationē vestram*: Si autem ab infideli coniuge faceretis divortium, filij vestri ab infideli parente in odium coniugis fidelis facientis divortium, pellicerentur, & educarentur in infidelitate. Nunc autem manente fideli cum infideli in coniugio *sancti sunt*, quia connivente infideli, facilè fidelis parentis fide & diligentia, ac cura, sanctificari, baptizari, & Christianè educari possunt. Ita S. Augustinus lib. 3. de peccat. meritis ca. 12. & ex Tertull. Hieron. epist. 153 ad Paulinum. 1. Pet. 3.

26. Vnde liquet hanc Montium pietatē multis encomijs esse celebrādam, eò magis, quod Ioseph 41. cap. Genes. ex minori argumento à Pharaone dictus sit lingua Ægyptiaca *Salvator mundi*, cum post somnium septem vaccarum, & spicarum Pharaoni explicatum de septennio fertilitatis, & sterilitatis futuræ, consilium dedit, publica Regis auctoritate cogendi Ægyptios quintā partem frugum suarum vendere Regi quotannis fertilitatis servandam in septennium sterilitatis, & omne frumentum sub Pharaonis potestate condendi Genes. 41.

Digitized by Google

videlicet non trituratum, nec excusſũ, ſed ſuis ſpicis inhærens, ad melius conſervandum: tum etiam nomen Salvatoris obtinuit, quia illo tempore adveniente, & creſcente quotidie fame in omni terra Ægypti, eique adiacente, *aperuit Ioſeph vniverſa horrea, & vendebat Aegyptijs, nam & illos oppreſſerat fames. Omneſque provinciæ veniebant ad Aegyptum, vt emerent eſcas, & malum inopiæ temperarent.* Imò multi putant ex illo beneficio & alimentatione, Ioſeph vocatum fuiſſe Serapin, id eſt, maximum Ægyptiorum Deum. Hoc rurſum notum eſt ex Paulo, qui prædicavit apud Macedones, Corinthios, quod parati eſſent liberalitatem ſuam oſtendere in Chriſtianos, qui vnico loco, videlicet Hieroſolymis patiebantur: vnde dicit 2. ad Corinth 9. *Scio promptum animum veſtrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones: quoniam & Achaia parata eſt ab anno præterito, & veſtra æmulatio provocavit plurimos.* q. d. Glorior apud Macedones, quod vos, ô Corinthij, & reliqua Achaia parati ſitis ad contributionẽ eleemoſynæ in Chriſtianos: ita vt veſtra æmulatio, ſeu zelus miſericordiæ veſtræ plurimos ad imitationem provocarit. Verum multò præclarius eſt omnem induſtriam reipſa applicare indigentibus vbique locorum ſublevãdis, quatenus exiguo aut nullo gravamine mutuum invenire poſſunt. Vnde Leo X. cũ in prætacta Bulla laudaſſet mixtorum Montium inſtitutum, tanquam meritorium & pium, addidit: *Multò tamen perfectius, multoque ſanctius fore, ſi omnino tales Montes gratuiti conſtituerentur; hoc eſt, ſi illos erigentes aliquos cenſus aſſignarent, quibus, ſi non omni, ſaltem vel media ex parte huiuſmodi Montium miniſtrorum ſolvantur impenſæ, vt ad leviorem æris ſolvendi portionem medio hoc pauperes gravari contingat.* Quod conforme eſt verbis Prophetæ Pſ. 40. qui non ſolum pium, & miſericordem dicit eum, qui providenter & diſcretè meditatur pauperum neceſſitati ſuccurrere; ſed etiam in hac via beatum, dum ait: *Beatus vir, qui intelligit ſuper egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus.* q. d. Hic verè beatus eſt, qui prudenter ſe gerit erga afflictum, illi compatiendo, & quibus poteſt modis iuvando, quia viciſſim Deus ipſum ab omni malo liberabit, cum tempus malorum inciderit, ſive in

Pſ. 40.

præſenti, ſive in futuro ſæculo: & præſertim eius miſerebitur in die vltimi iudicij, quando ſumma eſt penuria miſerationis & gratiæ, ſed dies erit ſolius iuſtitiæ. Habes igitur compendio, cur nomen pietatis rectè mereantur Montes Belgici, eorũque ædibus inſignia Chriſti compatientis præfigantur, vt omnino à murmure ceſſandum ſit.

27. Dices: Hęc ſanè laudabilia ſunt, & magnam redolent pietatem, ſed vellemus effectum iſtius induſtriæ reipſa experiri.

Reſpondeo, tempus illud patienter exſpectandum eſſe, quo commodè res executioni mandari poterit. Si enim quadringentis annis cum gaudio ſuſtinuimus grave onus fœneratorum, cum tanto Reipub. damno: quam dabimus cauſam cur modo nihil morari lubeat? Si verò moræ impatientes eſtis, aliud occurrit conſilium, vt nempe præoccupetis talia meditãtem, & inſtar aliarum nationum de bonis vobis divinitus liberaliter conceſſis, maſſas pecuniæ ad vſum prędictorum Montium conferatis, & de vobis, ſicut de Italis, gloriari liceat. Hac ratione vrgebat D. Paulus Corinthianos imitari exemplum Macedonum in liberalitate erga afflictos; *Ne*, inquit, *cum venerint Macedones mecum, & invenerint vos imparatos, erubeſcamus nos, vt non dicamus vos in hac ſubſtantiâ.* id eſt: Ne fortè contingat, vt ſi Macedones mecum venerint, & vos offenderint imparatos, ego, meique collegæ, qui de veſtra promptitudine apud Macedones gloriati ſumus, coram eis pudefiamus tanquam vani in hoc argumento gloriationis; imò & vos ipſi, quod dicere durum eſt, pudefiatis in eodem argumento gloriationis noſtræ pro vobis: vt qui opere non reſpondeatis promptitudini, quã de vobis prædicavi. Quò tanto magis ad laborandum eſt quod directior via non ſit, veram felicitatem ſibi reconciliandi. Audi Chryſoſtomum hom. 30. in Geneſ. philoſophantem: *Si*, inquit, *æternam igitur memoriam amas, ego tibi viam monſtrabo, quæ te celebrem omni ſæculo faciet, quia etiam tibi fiduciam in futuro ſæculo dabit: liberalitatem tuam & pecuniarum largitionem in pauperes confer, relictis villis, balneis, alijſque ædificijs, rebus nempe mutis, atque inanimatis. Larga eleemoſyna immortalem viri memoriam reddit, ſicut ſcriptum*

ptum est: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi, id est, liberalitatis & misericordiæ æternùm est mansura memoria. Et rursus scriptum est: In memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit.

Discursus X.

An census seu reditus annui, præsertim quales super Montes Belgicos creantur, sint liciti?

Deut. 23. Oyses Deuter. 23. cap. dicit Dominum Deum aversari omnem iniustitiam: quia verò inter census seu reditus annuos illa possit subrepere, hinc tractabo, quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti clariorem intelligentiam, præmittendum est vocabulum *Census* à censendo, seu æstimando dictum, diversimodè sumi. Primò enim census sumitur pro descriptione quadam, & enumeratione civium, qualis Romæ fieri solebat ad distinguendos status, iuxta quos munia publica belli & pacis inter Romanos distribuerētur, vt refert Budæus ad l. vlt. ff. de Senatoribus, & Covarr. lib. 3. variar. resolut. c. 9. Vnde & liber huiusmodi descriptiones continens, sive patrimoniorum, sive singulorum civium, *Census* appellari cœpit: Et hinc Marcellus l. *Census*, ff. de probation. ait census & monumenta publica potiora esse testibus. Et sic descriptio illa Christi tempore facta à Præside Syrię Cyrino Census dici solet. de qua Luc. 2. dicitur: *Factum autem est in diebus illis. Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniversus orbis.* ad hoc, vt sciretur tum numerus subditorum, tum etiam & maximè, quātum pecuniæ extrahi posset, ac quantum vectigal singulis capitibus imponi. Inde vero extensum est ad tributa significanda, quæ per capita imponebantur in subiectionis, dominij, iurisdictionisque recognitionem. Quo pacto sumitur cap. *Omnis anima*, de censibus, & Matth. 22. vbi Pharisæi, vt occasionem haberent Christum perdendi, mittunt discipulos suos cum Herodianis ad Christum, vt peterent ab ipso, *Quid tibi videtur, licetne Cæsari dare censum, an non?* vt si affirmaret, apud populum tanquam libertatis proditor traduceretur, aut sanè ex eo probaretur non esse Messias, quem publicæ libertatis assertorem exspectabat: si verò negaret, apud Præsidem paratam sibi inveniret accusationem & suppliciū. Sumitur etiam latius *Census* iure Canonico pro eo, quod annuatim præstatur alteri etiam inferiori à Principe, ratione subiectionis, fundationis, aut alteri us iustę causę, vt Alvarus. Valasc. de iure emphyteutico, quæst. 132. n. 1. ait; atque ex toto titulo de censibus, & ex alijs iuribus confirmat.

(Luc. 2.)

Verum in nulla harum acceptionum agimus modò de censibus, sed sumendo censum pro pēsione per aliqua tempora solvendâ, impositaque personæ, vel rei ipsius immobili, & fructifera, vel pro iure ad exigendam talem pensionem, vel pro contractu, ex quo tale ius resultat: & describitur esse *Ius percipiendi pensionem ex re, vel persona alterius.*

2. Secundò, notandum est censum sic acceptum dividi primò in reservativum, & consignativū. Reservativus est, cum quis fundum pleno dominij iure in alterum transfert, reservata sibi annua pensione ex eodem fundo, iuxta l. vlt. C. de rer. permutat. Qua etiam ratione Ioseph Genes. 47. prædia, quæ commutatione cum tritico pleno iure Pharaoni comparaverat, postea Ægyptijs restituit annuâ in ijs pensione constituta (exceptis prædijs Sacerdotum) vt ibidem patet. Genes. 47.

Consignativus est, vel quando quis in contractu donationis, venditionis, vel permutationis alteri constituit, ac designat in re sua, (id est, censum designantis) reditus annuos percipiendi: vt cum Princeps alicui constituit ius ex vectigali suo, aut ex reditibus suæ Cameræ annuas pecunias accipiendi, ipso retinente directum & vtile rei dominium: vel frequentior census consignativus

tivus est, qui venditione & emptione constituitur, vt si florenis centum à te emam ius percipiendi in annos singulos ex agro tuo frumenti duo sextaria, vel eius valorē, videlicet sex florenos.

Rursum dividitur in realem, & personalem, ac mixtum. Realis est, qui fundatur super certa re vna, vel pluribus, ex quibus pensio solvenda sit, v. g. super domo tua, agro, vinea. Quare comitatur rem ad quemcumque possessorem perveniat, quasi servitus, sive realis obligatio pensionis solvendæ, donec census redimatur.

Personalis census est, qui fundatur super certa persona obligante se ad annuam pensionem; sine ordine ad certam aliquam rem, ex qua pensio solvenda sit.

Mixtus est, qui constituitur super re, & super persona immediatè: ita vt etiāsi res pereat, persona tamen maneat obligata: in quo differt à merè reali, vbi re ex parte, vel in totum pereunte perit similiter census.

4. Tertiò dividitur census in perpetuum, ac temporalem. Perpetuus subdividitur in redimibilem & irredimibilem. Redimibilis iterum duplex est, vel enim ex parte solius venditoris, cui liceat restituto pretio censum redimere; vel etiam ex parte emptoris, cui liceat resignato censu pretium repetere: & vocari tunc solet census vtrimque redimibilis. Irredimibilis est, cui nullum redimendi pactum adijcitur.

Census autem temporalis subdividitur in eum, qui certo annorum numero definitur, v. g. annis decem, viginti; & in censum vitalitium, qui ad vitam ementis, vel vendentis censum, alteriusque personæ constituitur: v. g. transfero in te mille aureos, vt obligatus sis, quamdiu vivis, vel quamdiu ego vivo, vel pater meus vivit, 100. aureos annuos numerare.

5. His positis, Quæro primò, quando census realis sit iustus, vel iniustus, aut vsurarius? Respondeo prænotandum esse pretium iustum legitimum, vel naturale censeri illud, vel quod lex taxavit, vel loci consuetudo approbavit, iuxta quod in quavis provincia multum viget negotiatio; illa enim facit pecuniam præsentem pluris æstimari, & census minoris: aut an copia ibidem, an vero inopia pecuniæ sit, nam inopia pecuniæ facit census vilescere; copia æstimari. Vnde fit, vt pretia censuum tam redimibilium, quam irredimibilium pro varietate temporum, & locorum sint diversa. Apud Belgas enim census redimibilis ordinariè emitur nummo 16. Apud Gallos aliquando constituitur ad rationem decem, duodecim, & quindecim, vt testatur Tiraq. 1. de retractu §. 1. Glossa 6. n. 17. & Molinæus q. 5. de vsuris, n. 109. In Italia Romæ 8. vel 9. pro centum emuntur, vt testatur Navarrus Idem Bononiæ in vsu esse docet Cosmus Philiarc. lib. 5. de offic. Sacerd. cap. 17. vt plurimum tamen in Italia nunc. 7. emuntur in centum, vt Binsfel. super c. *In civitate*, de vsur. q. 14. qui etiam ait apud Germanos aliquādo ad rationem vnius pro 10. aliquando pro quindecim, aliquando pro 20. constitui solitos esse census. In Sicilia 10. in singula: quod approbavit Nicolaus V. & Gregorius XIII. pro Sicilia. Calixtus quoque III. & Martinus V. idem approbarunt in Polonia, & Germania, quando pro varia temporum conditione talis est consuetudo, vel æstimatio, vt patet ex illorum extravagantibus. Aliquando etiam 11. vel 13. vt patet ibidem: vbi enim viget negotiatio, pecunia præsens pluris æstimatur, & minoris census: inopia facit census vilescere; copia pecuniæ æstimari. Auctius est pretium redimibilis, vbi talis permittitur. Census vero irredimibilis maiorem vbivis habet taxam.

6. Habitâ vero eius consideratione, Dico censum realem tam pecuniarium, quam frumentarium, tam perpetuum, quam temporalem & vitalitium iusto pretio emptum, iustum esse ac licitum. Probatur auctoritate extravagantis Martini V. & Calixti III. de empt. & vendit. item Bullæ Pij V. editæ anno 1568. cuius initium, *Cum onus*, apud Navar. comment. de vsuris n. 14. Et ratio est, quod census realis sit veluti pars quædam vsus fructus: quippe ius percipiendi partem fructuum, sive annuorum redituum, emptione comparatum, est ad eundum modum, quo ex donatione, vel legato alicui constitui potest ius percipiendi ex domo, vinea, agro donantis, legantis, reditus annuos in per-

perpetuum, vitam, vel ad aliquot annos. Nec refert, quod summa pensionum progressu temporis solvendarum pretij quãtitatem superet, quod in censu non emantur pensiones, sed ius percipiendi futuras pensiones: quod ius communi hominum iudicio minoris æstimari solet, quàm si pensiones omnes præsentes essent: eò quod multa accidere possint, vt fructus vel non nascantur, vel non solvantur. Adhæc incumbit emptori periculum rei, super quâ census locatus est, vt si absque domini culpâ res pereat, totus census corruat: quia census realis est quasi vsusfructus, vel portio dominij vtilis; quod absque dubio pereunte dominio directo simul extinguitur.

7. Dico secundò licitum esse censum realem cum pacto redimendi ex parte venditoris. Ratio est, quod omnes venditiones sub conditione redemptionis ad arbitrium venditoris licitæ sint, vti colligitur l. 22. C. de pactis inter emptor. & venditor. & ex cap. 25. Levitici vbi dicitur: *Quando vendes quidpiam civi tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum, sed iuxta numerum annorum iubilæi emes ab eo, & iuxta supputationem frugum vendet tibi. Quantò plures anni remanserint post iubilæum, tanto crescet & pretium: & quanto minus tempus numeraveris, tantò minoris & emptio constabit.* Et ratio erat, quod anno iubilæi omnes redirent ad possessiones pristinas, adeoque bonorum immobilium apud Iudæos venditio non esset absoluta, sed tantum ad certum tempus, licet revera transferretur rei dominium in ementem. Levit. 25.

8. Dico tertiò, censum realem cum pacto redimendi ad arbitrium vtriusque ex natura rei esse licitum, modò solvatur maius pretium, quam in censu redimibili ex parte solius venditoris. Ratio disparitatis est, quod obligatio vtriusque in censu vtrimque redimibili sit æqualis: in censu vero redimibili ex parte solius venditoris, quod obligatio, quæ emptori soli incumbit, ad arbitrium dumtaxat venditoris revendendi, seu recipiendi pecuniam capitalem, qua suum reditum emit eo tempore, quo venditori lubebit, pretio æstimabilis sit, eò quod incertus existat, quando & vbi alibi similem reditum ea pecunia emere poterit: adeoque in partem pretij rectè computetur. Vnde si reditus vnius anni ematur sedecim florenis, & & sex floreni annui emantur centum, cum pacto redimendi reciproco, quo neque emptor, neque venditor se gravari conqueruntur, sequitur introduci posse, vt reditus vnius anni ematur tantum tredecim florenis, & annui septem tantum emantur centum, cum pacto redimendi ad arbitrium solius venditoris: quod intellige vbi contraria consuetudo non obstat.

Si verò lege aliquâ positivâ census vtrimque redimibilis alicubi prohibeatur ob periculum vsuræ, secundum præsumptionem fori externi, vsurarius iudicabitur: vt patet in locis, vbi constituta Carolina edita Augustæ in Comitijs anno 1548. vbi recepta est.

Dico quartò ex his facilè colligi iniustum esse censum, qui emitur minoris, quam est iustum pretium; adeoque qua parte iustam pensionem excedit, esse nullum & reijciendum; excessumque pensionum receptarum venire restituendum: idque etiam si læsio sit citra dimidium, vel non vltra dimidium iusti pretij. Similiter iniustus est quãdo venditor cogitur redimere censũ eâdẽ specie moneta, qua emptus est, & scit verosimiliter illam esse augendam: ex ea enim parte vsura interveniret. Huiusmodi gravamen Dominus expresśè declarat sibi displicere Isa. 58. vbi Iudæorum ieiunium floccipendit, eosque permittit in Babylone detineri, ac indigna pati, & promissam pacem differt, eo quod his & similibus modis pauperes gravarent: vnde ait. *Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi; dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, demitte eos, qui confracti sunt liberos, & omne onus disrumpe.* id est: Tunc placebit mihi ieiunium vestrum, cum dissolveritis obligationes, & pacta vsuraria, aliaque iniqua & iniusta, quibus pauperes violenter opprimitis & exhauritis, Si, inquam, conscideritis & combusseritis fasciculos syngrapharum, violentarum cautionum, quibus fratres vestros quasi iugo deprimitis, & opprimitis. Vnde S. Cyprianus ad Quirinum cap. 1. verba prædicta sic vertit: *Solve omnem nodum iniustitiæ, resolve suffocationes impotentium mercatorum.* Nam Hebraicè pro *deprimentes*, est *mota*, id est *nutationis*. Adeoque Isa. 58. Cyprian.

census plerumque, antequã certo modo realizentur coram Magistratu, sunt merè personales cum hypotheca generali omnium bonorũ: & licet stipulatio ex consuetudine alicuius civitatis particulari facta sit de realizando, tamẽ sępè aut nihil sequitur, aut nõ fit, nisi post longum tempus, quando emptores de personæ industria, & lucris incipiunt dubitare. Contractus autem qui in aliqua regione celebrari solitus est, præsertim à viris doctis, & honestis; licet dubij & obscuri iuris sit, atque vsuræ speciem quandã prę se ferre videatur, non tamẽ ideo iniustus, & vsurarius cẽseri debet, sicuti docet Bartol l. *Quis sit fugitivus*, §. *Apud Labeonẽ*, ff. de ędil. edic. Tiraq. li. 2. de vtroque retractu, §. vlt. n. 127. Navar. li. 5. de vsura concl. 4. edit. 4

10. Ex his etiam liquet licitã esse emptionẽ census mixti, qui videlicet partim sit personalis, partim realis. Nulla enim est ratio: quare emptio vtriusq; seorsim licita sit, nõ autẽ iunctim Deinde maiorẽ habet securitatem, quam census solummodo realis: quia emens censum super prædium & personam, cum prædiũ non sufficit ad pensionẽ solvẽdã, actionẽ habet in personã æque fructiferã. Tales pleriq; sunt in Belgio, vnde in litteris emptionis & vẽditionis cẽsus solet subijci illa clausula: *Et in casum insufficientiæ dicti prædij obligat venditor suã personam, & generaliter omnia bona sua tam mobilia, quam immobilia, præsentia & futura.*

11. Quæres, quales sint cẽsus seu reditus, qui creantur super Montes pietatis Belgij?

Respondeo, vel esse merè reales, vel saltẽ mixtos, aut potius ex maiori parte reales, ex minori personales. Prius probatur, quia constituuntur super bona immobilia ad Montem spectãtia, videlicet domos omnium Montiũ pietatis Belgij, vigore vnionis eorumdem auctoritate Principum factæ 23. Maij, 1621. & speciatim super domum, & Mõtem pietatis, ad cuius vsum nummi capitales emptionis applicantur. Rursum constituuntur super re, quæ pro immobili habetur, vt est ius, quod habent Administratores ex causa indemnandi Montes, recipiendi pensiones ex re vel persona mutuatariorũ. Quod ius inter immobilia bona censeri constat ex Clemẽtina vnica, §. *Cumque annui reditus*, de verbor. significat. vbi dicitur propterea Fratribus Minoribus Ordinis S. Francisci ius censuum nõ competere, in verbis: *Cumque annui reditus inter immobilia cẽseantur à iure, ac huiusmodi reditus obtinere, paupertati & mendicitati repugnet: nulla dubitatio est, quod prædictis fratribus reditus quoscũque, sicut & possessiones, vel eorum vsum (cum eis non reperiatur concessus) recipere vel habere (conditione consideratâ ipsorum) non licet amplius.* Cui concordat c. 2. adiuncta Glossâ in verbo, *iura*, de rebus Ecclesię non alienandis in 6. vbi dicit Gregorius X. in Concilio Lugdunensi: *Hoc consultissimo prohibemus edicto vniversos & singulos Prælatos, Ecclesias sibi commissas, bona immobilia, seu iura ipsarum laicis submittere.* Et notat Glossa iura, vel incorporalia bona poni inter immobilia bona, quod in vtrisque illo Capitulo idem ius statuatur. In eum finem adducit alias leges ex iure civili, quibus idipsum confirmat: adeoque id iustè & licitè practicari æquè ac super domos, & fundos agrorum docet Navarrus comment. de vsuris, etiam ex Bulla Pij V. quatenus illa statuit annuum reditum constitui *nullo modo posse nisi in re immobili aut quæ pro immobili habeatur*, dũ ait num. 54. *Ex quo infertur posse censum constitui super annuo reditu, quia licet ille non sit propriè res immobilis, habetur tamen pro re immobili.* videlicet ex iuribus citatis. quibus conformis est quorumdam locorum praxis.

12. Posterius probatur, nempe ex maxima parte esse reales, per ea quæ diximus: ex altera esse personales; quia constituuntur super bona etiam mobilia ipsorum Montium, & personas capaces & industrias, quales sunt generalis Superintendens vniversorum Montiũ pietatis Belgij, & particularis Superintendens Montis pietatis qui censũ vendit, ad hoc à Principibus authorizati; vt patet tum ex Commissione & ordinatione Principum in articulis, quorũ V. VI. & VII. è Gallico in latinum translati sic sonant: *Supradicti Principes, consenserunt, & permiserunt cuilibet census emere ad onus dictorum Montium, ad cursum sex & quartæ partis in centum annua & infra, aut ad talem nummum, quali hæ civitates consueverunt levare pecuniam in necessitatibus occurrentibus. Omnia advisamento tam Archiepiscoporum, quam magno numero Episcoporum harum Provinciarum, & maximè celebrium*

Theologorum, ac simul Concilij Status, Privati & Financiarum suarum Celsitudinum. Supradicti reditus vendentur, constituentur, & affectabuntur super dictos Montes & universa bona eorumdem, mobilia & immobilia, præsentia & futura, secundum formam observatam à Monte huius civitatis, videlicet per dictum Coberger in prænarrata qualitate Superintendentis generalis, & simul per Superintendentem particularem Montis, ad cuius vsum nummi capitales applicantur: tum ex formula litterarum creationis eiusmodi censuum, cuius tenoris compendium sonat, vt sequitur: *Nos Wenceslaus Cobergher &c. Superintendens generalis Montium pietatis erectorum, & erigendorum in civitatibus Provinciarum suæ Maiestatis &c. Nos N. N. Superintendens particularis, & director Montis pietatis in civitate Bruxellensi, ex potestate nobis concessa à Serenissimo Alberto, Principe tum Belgij, mediante certa eius instructione, de data 17. Martij 1615. & acta vnionis eorumdem Montium, de data 23. Martij 1621. agnoscimus nos vendididisse N. N. præsenti & acceptanti pro se, hæredibusque suis, aut actionem habentibus, censum hæreditarium centum florenorum annuorum ratione summæ mille sexcentorum florenorum ab eodem acceptorum in vsum prædicti Montis. Quem censum creavimus & constituimus, creamus & constituimus vigore præsentium, super omnia & singula bona, mobilia & immobilia, præsentia, & futura, qualiacumque esse possint, pertinentia, & dependentia ad prædictos omnes Montes, & specialiter super domum & Montem pietatis huius vrbis, ad cuius vsum nummi capitales emptionis prædicti census sunt applicati. Quæ prædicta bona nos suprascripti ex auctoritate supradicta ad maiorem stabilitatem & securitatem prætactorum capitalium nummorum, & currentis pensionis, obligamus, affectamus, hypothecamus specialiter tenore præsentium prædicto N. N. emptori, eiusque hæredibus, aut actionem habentibus, eique promittimus pensionem eiusdem census in duobus terminis cessuram, Natali ipsius Domini & Ioannis Baptistæ solvere, eosque census liberos ab omni onere, impositione, quotisatione, contributione, decimo, vigesimo, centesimo, alijsque nummis, quibus alij gravari possent.*

13. Ex quibus omnibus constat census Montium Belgij non esse fundatos in aëre, vt præfatus Lillers, & ab eo infecti susurrant, sed vel ex toto, vt dixi super bona immobilia, vel partim super eadem, partim super personas capaces & industrias, quæ habent qualitatem acquirendi & lucrandi, quemadmodũ aliæ personæ habiles, & insuper actionem sese indemnandi ab omni onere & obligatione, quam subierunt ratione suæ administrationis in vtilitatem subditorum Principis: vnde non minus valent ex prænarrata auctoritate census constituere, quam Ordines Provinciarum, & Magistratus non habentes bona particularia stabilia, saltem sufficientia, habent qualitatem & conditionem personarum vtilium ex auctoritate Principis levandi pecuniam ad censum pro Republica necessariam, & decernendi impositiones & taxas super vinum, cerevisiam, frumentum, aliaque consumptibilia, ad solvendum pensiones talium censuum, aliorumque ordinariorum onerum; quales nemo huc vsque revocavit in dubium.

14. Constat etiam dictos census non solum esse licitos & iustos, sed optimos & securissimos, tum intuitu prædictorum; tum etiam propter vnionem Montium, ac quod ius prædictum sartum tectumque maneat per mobilia etiam pretiosissima, deposita à mutuatarijs, quæ optimè conservantur ab incendio, furto, alioque inconvenienti per commodam instructionem domus, & officiales, qui medio iuramento, & cautione præstita obligantur sedulã gerere curam, ac assiduã custodiam, ne minimum illorũ pereat. Omitto exemptionem ab omni onere, & commoditatem quam habent ex partita solutione in duobus terminis.

15. Dices, Ex his quidem satis colligi census super Montes Belgicos fundatos satis esse securos, & ex natura rei, quatenus sunt personales, nullam habere difficultatem: At velim scire qua ratione lex positiva, seu Bulla Pij V. quæ declarat censum personalem esse vsurarium, excusari queat?

Respondeo, quẽ in hisce partibus excusari ab ea lege, quod apud Belgas nec promulgata, nec vsu recepta sit, adeoque non obliget. Quamvis enim Pontifex leges condere possit (præter naturalem & divinam) obligantes in conscientia, vt omne periculum vsuræ evitetur, nihilominus illæ communiter nõ obligant, nisi promulgatę à cõmunitate recipiantur: vt videre est tam in legibus Prin-

Principum sęcularium, quam Ecclesiasticorum. Quantum ad Principes sęculares attinet, docet illud Iustin. ff. de legibus, l. 32. *Leges nulla alia ex causa tenent, quā quod iudicio populi recepta sunt.* Et illud Telesphori Papæ apud Gratian. distinc. 4. c. 3. *Quia moribus vtentium approbatum non est, aliter agentes transgressionis reos non arguit.* Idem colligitur ex Augustino lib. de vera relig. c. 31. & refertur c. *In istis*, §. *Leges*, dist. 4. *In istis tēporalibus legibus, quāquam de his homines iudicent cum eas instituunt, tamen cum fuerint instituta, & firmatæ, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas*: quod explicans Gratian. ibi, §. *Leges*, ait: *Leges instituuntur, cum promulgantur; firmantur cum moribus vtentiū probantur*, significans leges humanas tunc demum habere vim obligādi, cum fuerint non modo institutæ, sed etiam firmatæ, scilicet consensu communitatis. Accedit ratio, quod leges, quando non recipiuntur à communitate, censeātur esse periculosæ, & inutiles. Aut clarius, periculosum esse rem cōmunitati præscribere, à qua omnino abhorret; quod ex ea timenda veniat seditio, ac perturbatio Reipublicæ.

Iustin. Gratian. August.

16. Quod vero leges Pontificię non obligent ante acceptationem, docet Glossa c. *Vir* de secundis nuptijs, c *Cum olim*, de Clericis coniugatis, cap. 1. de Treuga & pace. Deinde Auctores, qui in lege civili ponunt dependentiam ab acceptatione subditorum, eandem ponunt in lege Canonica, & indifferenter de vtraque loquuntur. Ita Maior. Driedo, Angel. Armil. Navar. Covarr. Felinus, & alij Iurisperiti pro illa opinione, præsertim in cap. 1. de Treu. & pac. vbi Glossa verb. *Frangere*. Et sequitur Henricus tract. de Synod. post tertia parte, art. 2. a. n. 50. sed præsertim num 62. dicit ad integritatem legis & constitutionis tria requiri. Primò, vt constituatur. Secundò, vt promulgetur. Tertiò, vt moribus vtentiū approbetur: & si quid horum, inquit, desit, non debet dici lex, vel constitutio: & subiungit, cum agitur de vinculo impediendo statuti novi, & non de præscribendo contra statutum, non peccare contravenientes statuto. Et refert Panorm. in dicto cap. 1. & Decium in cap. *Nam concupiscentiam*, de Constitut. lect. 1.

Panorm.

17. Dices iterum: Credo id verum esse respectu Principis sæcularis, quod ipse potestatem acceperit à populo legislativam, adeoque leges ipsius à populi acceptatione rectè depēdere censeantur: sed respectu Pontificis prædictorum sententiam non puto subsistere, quandoquidē ipse non ab Ecclesiā, sed immediatè à Christo Domino suam potestatem acceperit in Ecclesiam.

Respondeo in primis verū esse; quod summus Pontifex acceperit potestatem prædictam immediatè à Christo Domino, cuius vigore possit ferre leges habētes efficaciam & valorem obligandi Ecclesiam, ad admittendam & acceptandam legem, vel præceptum, sine dependentia ac consensu populi: id enim clarè exprimunt verba Christi absolutè prolata, Matth. 18. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis.* & Ioan. 21. *Pasce oves meas*: ibi enim non ponitur cōditio eas obligare, nempe si populus acceptaverit: adeoque supposita iuiustitiā legis Canonicæ, per se loquendo, oritur ex illa obligatio ad acceptandam legem eam: ita vt non careant culpā, qui incipiunt illam non observare post sufficientem promulgationem; quia maior potestas Canonica, quam civilis,

Matt. 18. Ioan. 21.

18. Verum addo nihilominus requiri hanc conditionē, vt videlicet Pontifex statuens aliquam legem non ignoraverit specialē præcepti difficultatē pro tali loco, vel tēpore, aliave occasione: nā si probabile sit eum hanc ignorasse, credi etiā potest noluisse cum tanto rigore legem obligare, ne detur peccandi occasio. Nam Prælati Ecclesiæ acceperūt quidem à Christo Domino potestatem condendi leges, sed quæ tenderent ad spiritualem fidelium ædificationem, & non in destructionem, vt declarat Paulus 2. Cor. 10. & 13. vbi loquens de legitima sua potestate alios coërcendi, addit: *Quam Dominus dedit mihi in ædificationem & non in destructionem.* Ex quo omnino præsumendū est Pontifices nō velle vti sua potestate contra communem consensum subditorū, qui eorum leges alicubi non acceptant, non quod per se bonæ & vtiles nno sint, sed quod in his & alijs Provincijs propter certas circūstantias Pontifici sæpe ignotas nō expediat illas vsu recipere: *facilè enim fieri potest, quod lex vniversaliter lata*, vt rectè notat

2. Cor. 10. & 13.

tat Suarez lib. 4. de legibus c. 16. n. 67. *non congruat moribus, aut dispositionibus gentium omnium, pro quibus fertur.* Id autem maxime contingere potest in legibus Canonicis & Pōtificijs, quę pro vniversa Ecclesia dātur. Nam Ecclesia cōplectitur varia regna & provincias habētes varios ritus & modos vivendi, vt ibidē subiungit idē Author. Vnde aliquando lex, quæ nō est disconveniens, vel nimis dura pro vniversa Ecclesia, potest in vno vel alio regno, vel provincia esse disconveniēs, vel nimis dura, propter mores eius & consuetudines, quas non solet Pontifex facilè velle tollere, nisi id exprimat, sed potius conservare.

Suarez.

19. Ex his sequitur subditos ex rationabili causa ritè excusari ab observatione legis, saltem donec Pontifex de particulari difficultate plenius informetur; vel per contrariam consuetudinem, toleratam ex præsumpta & benigna interpretatione voluntatis Pontificis, eius prę̨scriptum vim legis non obtinuerit. Prius apertè colligitur ex cap. *Si quando*, 5. de rescriptis, vbi Alexander III. sic scribit Episcopo Ravennatensi: *Si quando aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videtur, turbari non debes.* Et infra: *Qualitatem negotij, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere, non possis, rationabilem causam prætendas. Quam patienter substinebimus, si non feceris, quod pravâ nobis fuerit insinuatione suggestum.* Et c. *Cum teneamur*, de præbendis, vbi idem Pontifex dicit quem ad mandatum Papæ non teneri ad providendum alicui de beneficio, cui non potest sine scandalo provideri: *Aequanimiter sustinemus, si pro eo mandatum nostrum non duxeris exequendum.* Deinde solet Pontifex plurimùm ponderare consuetudines loci, vt constat c. *Certificari*, de sepulturis, vbi Clemens III. interrogatus quænā esset quantitas Canonicæ portionis, quæ ex iustitia debetur Ecclesiæ Parochiali, à qua mortuorum corpora aliò deferuntur sepelienda, & suppositâ varietate opinionum de eadem iustitia, sic respondet: *Nos tale præbemus in hac varietate responsum, vt, sicut beatus Hieronymus inquit, vnaquæque provincia in suo sensu abundet, secundum rationabilē consuetudinem regionis: illa iustitia circa medietatem, vel tertiam, aut quartam partem pro locorum diversitatibus attendatur.*

20. Posterius patet, quia omnium consensu lex Canonica non obligat, si per consuetudinem toleratam non acceptetur, etiamsi fortasse in initio culpabiliter nō fuerit observata, Ratio est, quod c. finali, de cōsuetudine, dicatur leges contrariâ, rationabili, & præscriptâ consuetudine tolli: Inde enim sequitur desuetudine, & non vsu magis impediri, ne obliget, cum ante acceptationem minorem firmitatem habeat, iuxta dict. §. *leges*. Et hoc est, quod Panormitanus intendit, c. finali, de consuetudine, cum ait: *Oportet te dicere quod ista consuetudo*, supple contra leges Canonicas, *assumit vires non solum ex tacito consensu virorum Ecclesiasticorum, sed auctoritate Papæ permittentis induci consuetudinem contra Canones.* Et ex eo Salas q. 97. tract. 14. disp. 19. sect. 6. §. *Prima assignari solet*, vbi plurima in hanc rem addit, quę brevitatis causa omitto. Panorm. Salas

21. In Belgio verò rationabiles caussas extitisse non acceptandi legē Pij V. ex praxi quotidiana facilè deprehēditur; nā sic bono publico non potuisset provideri, si Status, aut Ordines Provinciarum licitè non potuissent ex authoritate Principis tanquam personæ qualificatæ & vtiles levare pecuniā ad censum pro Reip. necessitate frequēter occurrente; imò inter privatos hinc orta fuissent quotidiana periuria, dum in necessitate existentes iurassent, honoris conservādi causa fundos satis gravatos pensionibus, ab ijs esse liberos; quandoquidem id nō rarò contingat his diebus cum aliqui pro securitate non volunt alio modo census emere. Denique furta, & latrocinia ex ea non parum succrevissent, aliaque inconvenientia. Adeoque omnibus consideratis optimè censent Doctores Pontificē cum tanto periculo nolle subditos obligare. Valentia disp. 7. q. 5. pun. 5. de lege humana, Salas q. 95. tract. 14. disp. 13. sec. 1. §. *Fundantur hi*, Suarez loc. cit. & multi alij.

22. Porrò vt lex censeatur absolutè nō acceptata, & desijsse obligare, aiunt Doctores ad summum sufficere decennium, vt inquit Suarez loc. cit. n. 12. Idque locum habet etiamsi Legislator ignoret. Breviter in hanc rē scripsit Laymā in Theologia sua morali li. 1. Tract. 4. c. 3.

4.c.3.de Acceptatione legis, his verbis: *Si lex, seu Pontificia, seu Imperatoria legitimè promulgata à maiore populi parte prætextu rationabilis causæ non recipiatur, currit contra eã præscriptio Legislatore ignorante, quæ saltem 10. annorum spatio absolvitur. Ita Navar. in conf. 1. de const. q. 5. Azorius lib. 5. c. 4. q. 4. Suarez. lib. 4. c. 16. de legibus n. 11. Cum enim lex iã recepta & confirmata vsu per contrariã consuetudinem abrogari possit, iuxta c. vlt. de consuetudine, multò magis ab initio per non vsum ei derogari poterit:* at in nostro casu non solum decem anni intercesserũt à Bulla Pij quinti, sed fermè sexaginta, nã illa emanavit anno 1568. Ergo &c.

23. Hæc verò est causa, cur in vna provincia cẽseatur vsurariũ emere censum super personã, quod Bulla Pij V. ibidem recepta sit, in alia verò provincia excusetur à peccato ob contrariam rationem, quandoquidem census illi non sint ex natura sua mali; sed mali dumtaxat, quia prohibiti.

24. Verũ enimvero dices quoad obiectionẽ legis Pontificiæ satisfactũ esse, sed nihilominus aliam moveri difficultatem à quibusdã Doctoribus, quos citat Navar. Comm. de vsuris n. 81. nempe licitum non esse censum constituere super personam ex alio capite.

Respõdeo illos Authores nõ loqui de de cẽsu personali, qui passim est in vsu, sed de eo qui ita constituitur in persona, sicut constitui solet in prædio; adeo vt si non sit solvẽdo, creditor possit debitorem vendere, aut trahere in servitutem, sicut prædium vendi, aut vindicari in dominium potest. Qualis olim in vsu fuisse videtur ex c. 4. lib. 4. Reg. vbi mulier quædam vsque adeo ære alieno gravata, vt æs illud dissolvere non posset, venit ad Helisæum Prophetam inclamitans: *Servus tuus, vir meus mortuus est: & tu nosti quia servus tuus fuit timens Deum. Et ecce creditor venit, vt tollat duos filios ad serviendum sibi.* q. d. (si verum est quod communiter Hebræi sentiunt viduam fuisse Abdiã, de quo meminit ca. 18. lib. 3. Reg.) Tu nosti Helisæe, quos sumptus fecerit maritus meus in alẽdis occultandis, servandisque Dei Prophetis eo tempore, quo gravi populus laborabat fame, & Iezabel incredibili studio Prophetas expetebat ad mortem; quantumque æris alieni propterea cõtraxerit. Cum verò orbata sum marito, venit creditor, qui defectu solutionis parat arripere filios meos ad servitutem & mancipiũ, vt certo tempore pro debiti mensura operã navent. Colligitur similiter ex parabola Matt. 18. in qua pro cuiusdã parentis debito, & ipse, & vxor, ac filij iubẽtur venũdari. Sic enim dicitur de eo, qui debebat decẽ millia talẽta: *Cũ autẽ nõ haberet, vnde redderet, iussit eũ Dominus venundari, & vxorẽ eius, & filios.*

Reg. 4.

3. Reg. 18.

Matt. 18.

Fuit etiã lex apud Romanos antiquissima, vt tradit Dionysius Halicarn. li. 2. antiq. Rom. quæ ius permittebat parẽtibus adeò liberũ in filios, vt illos oblato pretio pro suo arbitratu alienare possẽt impunè. Quam legem olim apud Athenĩẽses viguisse tradit Plutarc. in vita Solonis, à quo legẽ illã sublatã esse dicit. Viguit hæc lex, & huiusmodi mos etiam tempore Christianorũ: Vnde Ambros. li. de Tobia, c. 8. graviter de eo queritur dicens: *Vidi ego miserabile spectaculum, liberos pro paterno debito, in auctionem deduci, & teneri calamitatis hæredes, qui nõ essent participes successionis, & hoc tã immane flagitiũ nõ erubescere creditorem. Instat, vrget, addicit: mea, inquit, nutriti pecunia pro alimẽto servitutem recognoscant; pro sumptu licitationem subeant, agitetur hasta de pretijs singulorum.* Et paulò post: *An potest durius aliquod esse maledictũ, graviusq́; servitium? Et illa sæpe post mortem habet defunctus compendia, quod non spectat miserias filiorum. Vendit plerumque & pater liberos auctoritate generationis, sed non voce pietatis.* Et de hoc loquitur Nav. loc. cit. quia dicit esse inventionẽ novã, *quã nusquã Resp. Romana, saltem posteaquã Christiana facta fuit, vsa nec passa est, vt census & pensio in persona libera constitueretur, quo modo in prædio aliquo constituitur.*

Halicarn.

Plutarchus

Ambros.

Navarr.

25. Porrò Helisæus considerans huiusmodi consuetudinẽ barbarismũ sapere intolerandũ, prætactæ viduæ misertus, miraculo eidẽ potius voluit subvenire, quam idipsum perpeti. Intelligẽs enim ab ea se parum tantùm olei habere, quo vngeretur (supple vel ad valetudinẽ, vel ad sepulturã: adhęc enim inter alia solebat tũc tẽporis olei vsus esse) dixit: *Vade pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca,* quę ex tantillo oleo fuerũt repleta, neque constitit olei iugis scaturigo, donec deficerẽt vasa, quę cõpleret: ita vt non solum molesto inde potuerit satisfacere creditori, sed & suã inopiã in posterũ sublevare, vt satis exprimũt illa verba Prophetę: *Vade, vende oleũ, & redde creditori tuo: tu autẽ & filij tui vivite de reliquo.*

26. Rursum ex hoc capite Constantinus l. 2. C. de patribus, qui filios distraxerunt, hanc legem restrinxit, sanxitque vt filius non in perpetuum venderetur

Constant.

deretur; sed ita vt dato pretio redimi possit. Quod amplius est, lege civili adhæc cautum reperitur, vt persona libera in pignus dari non possit, constituendo in ea ius reale: ita vt vendi ob debitum possit, aut in servitutem redigi, aut cogi ea de causa servire: quin potius si quis liberam personam in pignus acceperit, amittat debitum, atque incidat in alias pœnas pecuniarias, & corporis, vt constat l. *Ob æs alienum*, & l. sequenti, C. de action. & obligation. & l. *filios* C. *quæres* &c. & auth. *Nulli iudicium* §. *Quia verò*, col. 9. Et iure Canonico cap. 2. de pignoribus, vbi Gregor. III. scribit Eponensi Episcopo: *Lex habet, vt homo liber pro debito non teneatur, etsi res defuerint, quæ possint pro debito addici*, id est, adiudicari, vt ait Glossa, quæ addit hæc verba: *Quod verum est si bonis cedat, alias in carcerem detrudatur*. C. qui bo. ce. pos. l. 1. Vnde opus non est his latius inhærere, quia nobis tantum res de censibus personalibus, quales ostendimus ex natura rei semper fuisse licitos.

27. Quæres demũ: An nõ liceat ex debitis pensionum non solutis censum seu reditũ pristinũ augere, vel novũ creare?

Respondeo, ex natura rei id licitum esse, sed ex lege humana per Bullam Pij V. vbi illa recepta est, inhiberi. Ratio est propter periculũ animę seu quod fenestra vsuris sic aperiatur. Vnde in tribunalibus sæcularibus sæpè iudicatum est, id esse illicitũ, vt videre est apud Paponè li. 12. Arrest. 9. tracto videlicet argumento ab vsuris, in quibus anathocismus, & similiter redactio ipsarũ in sortẽ legibus prohibetur, l. *Placuit*. ff. de vsuris. l. vlt. C. eod. tit. Quin etiã apud Ecclesiasticos iudices sic iudicari debere, vbi Bulla præfata vim legis obtinet, palam est. Ex pensionibus vero necdum cessis nulla ratione census creari possunt, quod prètio data non credito emi debeant,

Discursus XI.

An, & quatenus Cambia licita sint.

Eccles. 31. SApiens Eccles. 31. dicit: *Qui aurum diligit, non iustificabitur: & qui insequitur consumptionem, replebitur ex ea.* q. d. Amans aurum non caret culpa, nec iustus esse potest, cum propter amorem divitiarum sæpius peccat illas iniustè acquirendo: & qui sectatur corruptibilia, replebitur corruptione. Id vero non solum contingit in materia emptionis & venditionis, vsura, & censibus; sed etiam in materia cambiorum. Hinc tractabo quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam, nota Cambiũ esse permutationem pecunię pro pecunia, & differre à mutuo, quod hoc vnica traditione perficiatur, quæ reddi debet post temporis intervallum vel eadem, vel alia eiusdem generis ac bonitatis: illud autem perfectum non censeatur, nisi vtrimque pecuniarum traditio facta sit.

2. Rursum nota duplex esse Cambium, vnum minutum, alterum locale. Minutum est, in quo pecunia vnius formæ, aut materiæ permutatur cum pecunia alterius formæ, aut materiæ; puta maior cum minore, vetus cum nova, patria cum externa, aurea cum argentea, argentea cum cuprea. Locale vero est, in quo pecunia præsens commutatur cum pecunia distante in alio loco, & dici solet Cambium per litteras: quia plerumque litteræ dantur, quibus mandatur correspondenti, vt in illo altero loco pecuniam solvat, quarũ forma solet esse huiusmodi: *Visis his litteris primis cambiorum solves centum aureos N. propter valorem eorumdẽ hic receptum à Paulo, quos asscribes computui meo.* Admittit autem illa visio triduũ: si vero litteræ contineant octiduum, vel quindenam, vel mensem, tũ praxis habet illos offerri debere correspondenti vt acceptet, & promittat elapso termino satisfacere & in defectũ istius acceptationis solet protestari ex parte correspondentis campsarij de cãbio & recambio: eaque protestatio ad campsarium transmitti. Quod similiter fit, si post acceptationẽ correspondens elapso termino maneat in defectu solutionis; sive id fiat quod trahens cambiũ non cõformet se litteris advisamẽti, ob quas acceptavit litteras cãbij; sive quod defectus sit ex parte correspondentis.

Denique potest cambium illud locale duobus modis institui. Primò vt campsor præsentem pecuniam prius accipiat, & postea in loco distante per se, vel per suum correspondentẽ restituat. Secundò, vt campsor pecuniam præsẽtem prius numeret, & postea in loco distante per se vel per suum correspondentem recipiat.

3. His

3. His positis quæritur: An liceat in cambio minuto lucrum recipere?

Respondeo affirmative, idque tribus de causis. Prima est ob locationē operæ & obsequij, quod campsor præstat congregando pecunias diversi generis, vt eas paratas habeat cuicumque cambire volenti, quodque propterea officinam conducere, famulos alere, & similia facere debeat pretio æstimabilia, modo pretium sit commensuratum obsequio.

Altera causa ratione lucri, vel commodi cessantis, ex qua quis tantum potest exigere supra valorem legitimum, quanti æstimatur illa spes lucri, qua se per cambia privat, vt si constituerat nummos aureos alio transferre, vbi pluris valent, vel alibi merces emere, vbi sine damno aliā monetā emere nequit: Sicut enim licitum est accipere supra pretium legitimum frumenti, vini, & aliarum rerum, si aliò vbi pluris valent, quis delaturus erat, vt alteri hic accommodet: sic etiam licet in casu nostro, quandoquidem illud incrementum non accipitur pro nummo ipso præcise considerato, sed pro lucro ex eo sperato. Similiter licet aliquid lucri accipere ratione commoditatis conservandi, transferendi, numerandi, & vbique negotiandi, quâ quis se privat. Nec refert an Reipub. auctoritate cambiendi quis officium exerceat, an privatâ, nisi lege positivâ privatis interdictum sit: quia per se & iure naturali non habet impedimentum. Cæterum huiusmodi interdictio non obligat sub mortali nisi cambium exerceatur cū extraneis, qui bonas pecunias extrahunt, deteriores relinquunt: id enim cedere potest in grave Reip. detrimentum, adeoque obligare sub culpa, quod cum concivibus dumtaxat esset sub pœna.

Tertia est, ratione nobilioris metalli, quia licet numismata, vt aurum, vel vt tale metallum permutare, aut vendere maiori pretio, moderato tamen, quam sit lege taxatum, vt si ad deaurandum, ad ornamentum, ad annulos, torques, & similia fabricanda vendantur, tanti enim tibi valent ad similem vsum: secus vero dicendū, si quatenus numismata expendēda sint, tunc enim nemo illa tenetur in solutionem acceptare vltra æstimationem legalē. Huius rei fundamentum est, quod pecunia duplici ratione in pretio habeatur, nempe tanquam res, sive merx, & tanquam signatū sub taxato pretio numisma: etenim ex eo quod publico charactere signata sit, internus valor metalli nec perit, nec mutatur; publica vero taxa, sive æstimatio eò solum tendit, vt tunc servetur, cum aurum illud, sive metallum tanquam numisma expenditur: persistente namque pecuniæ taxatione in ratione pecuniæ, in ratione tamen mercis cū propter metalli abundantiam, vel penuriam, tum minorem, vel maiorem puritatem poterit minoris vel maioris pretij fieri. Sic Rebellus q. 4. de cambijs, vbi exemplū addens, infert: *Vnde nummis antiquis, vulgo Portuguefes maior valor imponitur, quam olim fuerit, & ita iam non manet in ratione pecuniæ secundum antiquum æstimationem, sed in ratione mercis, vnde fas est eos non tantùm propter nobilitatem materiæ, sed etiam antiquitatem, raritatem, atque pulchritudinē speciosi sigilli, multò pluris nunc vendere, quàm olim æstimati fuerint, decem enim ducatos olim tantum valebant, hodie verò pro quindecim, vt audio, distrahuntur. Quare ad restitutionem tenetur is, qui eos iuxta antiquum valorem ab ignorante, invitoque domino reciperet.*

4. Quæres ergo quare Ioan. 2. dicitur de Christo: *Invenit in templo vendentes oves & boves, & columbas, & nummularios sedentes* (supple, vt minuta facerent cambia) *Et cum fecisset, quasi flagellum de funiculis omnes eiecit de templo: oves quoque & boves & nummulariorum effudit æs, & mensam subvertit, &c.* addens: *Nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Et Matth. 21. simile quid habetur, sed additur Christum dixisse, *Scriptum est: domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Matth. 21.

Respondeo, hoc factum esse vtraq; vice, seu vnâ initio prædicationis De obligationibus iustitiæ lib. ...

Christi, alterâ prope passionis ipsius tempus, tum quod in loco sacro vitiosum esset exercere negotiationẽ. Huc tendunt verba Christi: *Nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* & verba discipulorum de quibus sic Evangelista: *Recordati vero sunt discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.* q. d. Mirum hoc non fuit discipulis Christũ hæc per se ita punire, propter zelum quem habebat honoris Dei & templi ipsius: *Omni enim*, vt ait Toletus Cardinalis, *postpôsito periculo, quod à Sacerdotibus, & illis, quorum res agebatur, & qui iam ignominiose expellebantur, creari poterat, Dei honorẽ tuetur. Magnitudo enim zeli in superandis periculis, & timore postponendo maximè exercetur, vt bene notat Chrysost. hom. 22. zelus autem vehemens quoddam studiũ est, quæ divini sunt honoris procurandi, & quæ ei adversantur, propulsandi; estque vt ignis vrens, consumens: iuxtã illud etiam Ps. 217. Tabescere me fecit zelus meus* Tum etiam hoc factum est propter fraudes, dolos, vim, aliamque iniustitiam, quam vendentes, & ementes, & nummularij in suis negotiationibus committebant, vt clarè insinuant verba Matth. 21. *Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Quamvis enim vitiosum erat in templo negotiari, non dixisset tamen speluncam latronum, nisi fraudes adiunctæ fuissent. Confirmatur, quia Dominus alludit ad locum Hierem. 7. vbi dictum fuit Iudæis, qui furabantur, mendaciter iurabant, aliaque indigna faciebant in templo, & nihilominus in ipso confidebant ob sanctitatem: *Numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris? ego, ego sum: ego vidi, dicit Dominus.* Numquid hi in templo fures & periurij, quasi in antro & spelunca sua delitescunt? & sicut latrones speluncas habent pro refugio: ita hi se securos & tutos putant, si templum adeant, ibique etiam sacrificia ex rapto offerant? falluntur; quia ego sum, qui vidi scelera illorum, quæ ipsi putant vel occulta, vel expiata per sacrificia in templo oblata. Ego sum qui ea annotavi, vt brevi ea vindicem & puniam: victimę enim eorum non possunt me excœcare, aut oculos mihi velare.

Toletus. Chrys. Psal. 217.

5 Itaque Dominus non condemnavit cambia minuta, quæ ex obiecto iusta sunt, seu in quibus æqualitas servatur inter datum & acceptum, sed fraudulenta, qualia contingebant inter istos nummularios, & nunc contingunt, cum diversitas est veteris ac novæ monetæ, & quis pro denario veteri aureo vel argenteo veluti beneficium alteri præstans, dat duos vel tres eiusdem extrinsecus inscriptæ taxationis denarios multo deteriores secundum intrinsecum valorem, quam erat denarius antiquior aureus vel argenteus. Secundò hęc contingunt, quãdo famuli invitis dominis nummos aureos, quos acceperunt ad solvendum creditoribus, cambiendo commutant cum alijs minutioribus, imo tenentur ad restitutionem quotiescumque creditoribus exinde lucrum cessat, quia videlicet ipsimet simili ratione cambij, vel etiam cõmodæ mercationis lucrati fuissent, si pecunias aureas accepissent; quod suppono. Ratio est, quia illo casu creditores ius habent, secundum domini, seu debitoris voluntatem ac mandatum, exigendi à famulis pecunias grandiores in specie, quas, si illi non ita solvant iniuriam ipsis inferũt & consequenter damnũ vel lucrum ea de causa cessans compensare eisdem tenentur, sicuti docet Molina tom. 2. disp. 402. concl. 2. Addo & famulos & officiales mortaliter peccare, & ad restitutionem teneri, non quando semel aut iterum contra dominorum voluntatem aliquales pecunias commutant, sed quando consuetudinem habent pro monetis grandioribus, melioribusve, alias minutiores, ac deteriores substituere; & expendere lucri sui gratia: non potest enim hæc res non in grave domini damnum cedere: tum quia sæpe continget, vt merces maiori pretio emi debeant

beant

beant, propter odium minutiorum monetarum: tum quia turpe est ex alicuius opulenti mercatoris, aut Magnatis domo, aut Principis Camera semper provenire pecunias minutiores, deteriores; quæ etiam res absterrere solet nogotiatores, vt ægrè suas merces pro talibus pecunijs vendant. Accedit, quod contrectare alienam pecuniam, eiusque vsum domino prohibente sibi vendicare, furti species quędam censeatur: quod crimen tãquam noxium Reipub. graviter puniri solet.

6. Dices: Satis percipio, qualiter minuta cambia monetę vnius cũ altera liceãt: sed velim scire, qua ratione cambium locale permitti possit.

Respondeo superius duos modos eiusmodi cambiorum esse adductos. Et dico priorem modum, in quo campsor præsentem pecuniam prius accipit, vt alibi restituat, sed cum detractione & lucro suo, esse licitum: ita vt v. g. Petrus accipiens à Paulo Antwerpiæ centum philippicos, datis eidem Paulo litteris, vt Romæ à suo correspondente accipiat tantum nonaginta philippicos, excusetur ab vsura & iniustitia. Ratio autem quare plus possit accipere, quam postea alibi dare, non provenit ex mutuo, sed ex contractu accessorio, quo Petrus locavit operam suam ad pecuniam formaliter, aut virtualiter transferẽdam ad locum, quo Paulus vult. Si enim Antwerpia Romam vsque centum philippicos transferre deberet Paulus, laborem ac periculum subire cogeretur, & expensas facere, quo onere ipsum liberat Petrus, cum in se recipit securè illos Paulo numerare Romæ, quod obsequium pretio æstimabile est. Quamobrem, quo longius distat ad quem cambium instituitur & quo periculosior via, eo maius auctarium exigi potest. Neque refert, tametsi campsor nullum inde onus, sed magis fortasse commodum ferat: si nimirum centum philippicos, quos à te Antwerpiæ accipit, Romam numquam transmissurus esset; sed Antwerpiæ, instituta nova ratione cambij, alteriusve generis negotiatione, iterum lucraturus: Nã id totum ad campsoris industriam pertinet. Perinde ac si nuntius conductus mercede ad mille aureos Romam transferendos, postea aliquem reperiat, qui Romæ aureos mille certissimò numeraturus est, non minus locationis mercedem recipere potest, quam si verè transtulisset. Res ex simili magis illustrari potest. Pone enim quod nuntium conduxeris, vt equum Antwerpia Cameracum reduceret; licet ille cum dicto equo illuc proficisci debuisset, adeoque commodissimum ei esset equum tali modo contingere, is nihilominus non peccabit spectato iustitiæ rigore pro locata opera pretium accipiens, quamvis cum illo alio modo pactus fuisses, si illa nuntij commoditas tibi fuisset cognita: nam per hoc nihil decedit alteri personæ, cui operam suam locat; quamvis per hoc nonnihil consuetum pretium sive auctarium in cambijs veniat diminuendum.

Posterior species cambij localis, in quo Petrus prius dat pecuniam in loco præsente Paulo, vt postea cum auctario recipiat in loco distante per suum correspondentem, similiter à Doctoribus defenditur; quamvis vsuræ speciẽ continere videatur. Ratio est, quod Petrus dans Paulo pecunias in loco præsẽte, vbi illis eget, sub obligatione eas ex ipso alibi recipiendi, vbi illas habet præstet illi officiũ virtualis transportationis pecuniarum, quam facturus erat inde huc eas transportando, in cuius obsequij compensationem iure aliquã mercedem, sive stipendium exigere potest.

7. Dices iterum: Esto hæc clara sint, tamen gravior restat scrupulus, in quo consistat iustitia & iniustitia cambiorum; quandoquidem sæpe contingat campsarium seu illum qui petit pecuniam suam aliò traijci, priusque tradentem campsori vt alibi recipiat, à campsore lucrari, tanquam ipsemet campsoris munus exerceret. Respondeo iustitiam cambiorum

biorum facilè colligi ex ipsis titulis: quorum aliqui conveniunt campsori accipienti, vt alibi restituat, veluti est titulus translationis pecuniæ, de quo dixi.

Secundò assecurationis, nam campsor non solum suscipit onus transferendi, sed etiam periculum, vt si pereat, non danti, sed ipsi pereat, quod pretio æstimabile est, vt omnes facile cognoscunt, qui vel cum nuntio aliquo paciscuntur, vt pecuniam suo periculo alio transferat.

Tertio iustus titulus est accipiendi lucrum, cum pecunia est minoris pretij in loco, vbi campsor accipit quam vbi restituit. Et ex hoc capite potest etiam campsor, quando prior dat vt alibi recipiat, præter virtualem translationem, de qua supra; quin etiam campsarius amplius recipere, quam ipse dedit campsori.

Ad huius tituli clariorem intelligentiam, Nota duplicem esse pecuniæ valorem seu æstimationem: vnam, quæ provenit à lege vel communi consuetudine, quâ pecunia taxatur, vt valeat tot, vel tot nummos minutos in eodem loco. sic in Belgio regalis æstimatur decem grossis: philippicus centum: scutum aureum 130. hæc potest dici legitima & intrinseca, quia lege constitui solet (etsi consuetudo interdum eam nonnihil augeat) & accipitur ex causis intrinsecis, nempe ex conditione materiæ & ponderis. Altera est extrinseca & fortuita, proveniens ex causis extrinsecis & fortuitis, ratione cuius non censetur pecunia maior pluris valere respectu minutarum in eodem loco; sed tota pecunia simul pluris vel minoris valet, tum respectu rerũ venalium in eodẽ loco; tum respectu pecuniarum, quę sunt in alio loco. Etsi enim monetarũ valor publicâ lege taxatus sit, taxatio ista solum intelligitur in ordine ad commutationes & commercia eiusdem loci; non item in ordine ad alia loca, ad quæ commercia & commutationes in pecunijs instituuntur. Quandoquidem valor pecuniæ in varijs locis varius esse solet, non tantum formalis, ac indivisibilis in genere monetæ, secundum taxationem legis, vel consuetudinis; sed etiam valor pecuniæ, materialis, ac divisibilis in genere mercis secundum varias locorum circumstãtias. Nam vbi maior est pecuniæ inopia, vel maior negotiandi ac lucrandi opportunitas, ibi pecunia pluris æstimatur; quam vbi maior est pecuniæ copia, vel maior negotiandi, ac lucrandi opportunitas. Quamobrem mercatores pecuniam in vno loco considerare solent vt mercem; in altero vero loco vt pretium, & 100. v.g. florenis Antwerpiæ numeratis (vbi, & quando ob dictas circumstãtias pluris æstimatur) emunt centum & duobus, vel 103. florenis numerandis Francofurti, vel alibi, vbi & quando pecuniæ minoris ęstimantur. Porro sicuti in alijs emptionibus, ac venditionibus accidit, vt pertia rerum augeantur, si multi emptores confluant, qui mercibus valde indigeant ad maiorem suam commoditatem; ita etiam accidit in cambio considerato per modum emptionis.

Et hac ratione excusatur cambium cum auctario ab iniustitia propter expectandi temporis moram, videlicet praxis illa Mercatorum, qui proficientibus ad mundinas v. g. Fracofurdẽses, pecunias ad cambium dant, tanto maiore cum incremento Francofurti recipiendas, quanto longiore temporis intervallo nundinæ distant, ita vt si vno tantum mense ante nundinas pecuniã campsario numerent, duos v.g. grossos, in singulos florenos lucrentur; si tribus, quatuor lucrentur, & sic deinceps. Nam quo lõgius nundinæ distant, & plus temporis campsarij sunt habituri ad negotiandum, eo plures sunt, qui cambium postulent ob maiorem suam vtilitatem, quibus campsores servire non possunt: adeoque maius lucrum recipere possunt, tum quod vnum cambium plurium mensium ad solutionem concessorum virtute æquiva-

quivaleat pluribus cambijs vnius mensis ad solutionem concessi: tum quod ea ratione tanto maius lucrũ cesset, quanto diutius pecuniæ solutio differtur: siquidem vnicum instrumentum, quo solent mercatores negotiari, ac lucrari est pecunia.

Accedit non facile cambiorum pretia & auctaria iniustitiæ & vsuræ esse damnanda; quandoquidem ex communi mercatorum cuiusque loci æstimatione ac consuetudine constituantur: & proxinetis cambiorum hæc pretia ita nota sint, vt eorum iuramento credatur, quamdo cambia & recambia à campsore defectuoso veniunt solvenda.

8. Verum enimvero etsi Doctores omnes hosce titulos expreßè non damnent, tamen posteriores meritò dissuadent ob periculum vsuræ. vnde vtile foret mercatores seriò perpẽdere felicitatem temporalem, ob quam vnicè laboratur, & quævis media tentantur, ad pauca esse vtilem, ad multa nocivam. Vtilis est ad sustentationem vitæ, & teste Apostolo, *Est quæstus magnus, pietas cum sufficientia.* q. d. Magnæ sunt opes ipsa pietas cum sufficientia, id est, per sufficientiam, quam adferre solet, quia scilicet ordinariè Deus pijs providet de sufficientia, id est, de sufficienti victu & vestitu, alijsque rebus ad vitam necessarijs & sufficientibus, etiamsi opes sæpe eis non concedat. Christiana enim religio & pietas docet Christianum opes huius vitæ sitas esse non in millibus, auri & argenti, sed in sufficientia, puta divitem esse eum qui habet non affluentia, sed necessaria, quæ vitæ tuendę sufficiunt: qualia Christianis & pijs viris communiter largitur Deus: ita intelligit S. August. epist. 121. ad Probam cap. 6. atque hoc est quod petijt Salomon Proverb. 30. *Mendicitatẽ*, inquit *& divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria.* Et hoc Christus multis probat Matth. 6. vbi tandem concludit dicens: *Quærite ergo primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Hanc sufficientiam significavit manna datum Hebræis quod omnibus æqualiter sufficiebat: nec plus aut minus quam sufficientia exigebat, colligebatur, vt scilicet doceret nos, inquit Nyss. lib. de vita Moysis, vnam esse in omnibus communem edendi mensuram, divinam sufficientiam. Hinc Plato lib. 4. de republ. ab vrbe bene constituta arcendam esse docet tam affluentiam, quam inopiam, servandam vero esse mediocritatem & sufficientiam rerum necessariarum. Vnde rectè subiungit Paulus: *Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* q. d. Ratio dictat, cur quisque sua sorte & paucis necessarijs contentus vivere debeat, seque æstimare divitem & felicem, nec requirere eorum copiam. Nam hæ opes tantum datæ sunt ad vsum præsentis vitæ, quæ brevis est, & in qua assiduè nobis tendendum est ad alteram vitam beatam & æternam, vt opes cœlestes acquiramus: ergo in hac vita opibus terrenis non inhiandum est, sed modicè, sobriè, ac tantum, quantum ad vitam hanc necessarium est, ijs vtendum est, vt qui magnas habet opes, non exultare nec luxuriari; qui paucas, non tristari, nec deijci debeat; sed quisque sua sorte tam modico tempore contentus vivat, quia non plus opum dives ex hac vita exiens secum efferet, quam pauper; non plus Rex vel Princeps, quam faber, vel agricola. Deinde quia ea lege nati sumus, vt parum in vita commorati protinus ab ea exeamus, si quisque sibi dicat, quod David ad Ethai: *Heri venisti, & hodie compelleris nobiscum egredi. Quid aliud*, ait S. Augustin. *est vita, quam cursus & pernix cursus ad mortem, imò ad immortalitatem?* Atque adeo hęc perpendentes facile acquiescemus victum habentes & amictum.

9. Nociva vero est felicitas ad plurima. Primò enim tempestatem vitiorum causat, & facit in homines debacchari. Vnde August. serm. 13. de

1. Tim. 6. August. Prov. 30. Matth. 6. Nyss. Plato. August. August.

de verbis Domini: *Magnæ*, inquit, *virtutis est cum felicitate luctari, magnæ felicitatis à felicitate non vinci.* Et proinde vocat huius mundi felicitatem quoddam mare, *quod* scilicet, *amatores devorare novit, non portare.* Videmus enim miseram hominum conditionem esse talem, vt inde ad impietatem prolabantur. Hinc Proverb. 1. Salomon: *Prosperitas stultorum perdet illos.* Et Cyrill. Alexand. lib. 7. contra Iulian. *In his qui tam bene agunt, hoc est, qui tanta rerum temporalium affluentia potiuntur, stimulus cupiditatis vehementior est. Semper enim divitijs comes est voluptatum amor: semper divitiæ vitiorum magis, quam virtutum ministræ sunt.* Hinc hortos deliciarum ad voluptatem, & delicias solent mercatores divites extra vrbem exstruere, & quod horrendum est, luxum & peccata carnis liberè in ijs committere.

Prov. 1. Cyrill. Alex.

Secundò causat rebellionem in Deum, sic Deuteronom. 32. dicit Moyses *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit.* q. d. Optima fortuna, ad quam accesserat Israël, in feritatem eum detrusit belluinam, vsque adeo, vt non iam armis, vt homo; sed calcibus, vt bellua contra Deum decertaret. Facit etiam illa benedictio Issachar. Genes. 49. v. 14. *Issachar,* inquit Iacob, *asinus fortis,* id est, Robustus & fortis existit instar asini ad labores agriculturæ, & ad suas fruges, fructusque deportandum ad mare, vbi illos carius divendat, & distrahat per alias vrbes & gentes: erat enim sors Issachar amœna, & fertilis olei, vini, & frumenti, Chaldæus vero vertit *Issachar dives in facultatibus suis.* quod idem videtur insinuare, ac si brutum animal & homo dives nihil inter se differrent, & qui humanis frueretur divitijs, vitijs laboraret inhumanis. Inde via paratur ad fraudes & iniustitias, quas spreto cõscientiæ stimulo, & Prophetarum monitis intrepide exercere solet sæpe dives. Hinc est illud Oseæ 4. vbi dicit Ephraim: *Dives effectus sum, inveni idolum mihi.* id est: Non curo Prophetarũ dicta, qui prædicant fraudulenta lucra displicere Deo, satis munitum me arbitror contra iudiciorum severitatem; cum hæc vim habeat nullam, quando in causis iudicijsque tractandis pecunia versatur. Gratulor felicitati, quia labores omnes, aut fraudes, nihil mihi difficultatis parient aut molestiæ, nihil supplicij. Causa est quod abundantia divitiarum audaciam contra Deum subministret, iuxta illud Iob. 12. *Abundant tabernacula prædonum, & audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum* q. d. Domus ac familię Sabæorum & Chaldæorum, qui ex Iobi facultatibus facta prædá ditiores facti sunt ingratissimi adversus omnium bonorum largitorem, qui bonorum copiam illorum potestati, & voluntati permisit, impudentissimè efferuntur adversus Deum, dum suæ potestati, & libidini omnia permissa esse arbitrantur, nihil nisi ventris ingluviem, voluptates sectãtes, Deoque largitoris contemptum audacissimè protestantes.

Deut 32. Genes. 49. Iob. 12.

Tertiò causat gravissima mala, vnde Oseæ 4. dicit Dominus: *Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israël: nunc pascet eos Dominus quasi agnum in latitudine.* id est: Quia Israël carens cerebro quasi iuvenca indomita, quæ neque iugum patitur, neque à pingui pabulo abduci potest; lascivit, suoque genio atque studijs obsecutus, ad Gentium idola declinavit: hinc sicut agnum, qui saginatur latissime in pascivis vberrimis, & pasci sinitur, vt impinguatus statim mactetur, ita Deus sinet Israëlem bonis affluere & lascivire, vt sit prædæ Assyrijs, ab eisque spolietur & iuguletur. Et Oseæ 13. dicit de Iudæis Dominus: *Iuxta pascua sua adimpleti sunt: & levaverunt cor suum, & obliti sunt mei. Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum. Occurram eis quasi vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum: & consumam eos ibi quasi leo, bestia agri scindet eos.* id est: Cum tam largiter & miraculosè Israëlitas per manna, & aquam de petra pavi in deserto aridissimo,

Oseæ 4. Oseæ 13.

æque

æque ac si in pascuis vberrimis eos collocassem: ipsique saturi insolentius elati, à me longius abiere. Hinc alia meditor, non vt me liberalem ostendam & mitem, sicut antea, sed durum & violatæ fidei, ac religionis vltorem: cum enim res illis erit cum Assyrijs, occurram sicut leæna, & pardus hianti rictu, & exertis ad lacerandum vnguibus; item, quasi vrsa furens ac rabida præ dolore, cum raptos sentit catulos, quos tanto labore animavit, & finxit: & illorum dilacerabo, effundamque præcordia, vt bestia sylvestris, & effera prædam dilacerat, & eviscerat, sic ego illos à pectore disrumpam. Aut clarius: Sicut leo cor prædæ petit & vorat, adipemque & sanguinem circa diffusum exigit, cætera vero mēbra permittit vrsis, lupis, alijsque bestijs devoranda: ita ego corda Israëlitarum immissis assiduis curis, mœroribus, anxietatibus & terroribus exedam & consumam: sed bestia agri, id est, Assyrij reliquas corporis partes scindent, & laniabunt. Huc
Hier. 21. ducunt etiam verba Hierem. 21. *Visitabo super vos iuxta fructum studiorum vestrorum, &c.* quæ explicata vide Discursu 7. in 5. Præceptum n. 7. Omitto quod addit Paulus loc. cit.
1. Tim. 6. *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Hæc dicta sint, vt meritò quis cambia periculosa horreat.

Cæterum de cambio, vt vocant, sicco non est quod dicam, quia manifestè est vsurarium. fictum enim est, & accipitur incrementum ex mutuo ob solam dilationem solutionis per se consideratam: nec fit transportatio actualis vel virtualis vllius pecuniæ, neque litteræ mittuntur, sed finguntur mitti, aut mittuntur quidem, sed inanes, & quæ absque effectu referuntur eò, vnde processerunt: vt cum campsor accepit Romæ pecuniam Lugduni solvendam, vbi nec pecuniam habeat, nec aliquem qui loco ipsius solvat: adeoque palliata vsura sic committitur. Quæ etsi homines lateat, Deo tamen aperta est, qui scrutatur renes & corda, & qui dixit Samueli 1. Reg. 16. de Saule, qui quædam reservaverat in cæde Amalechitarum contra mandatum Domini. *Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius: quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* 1. Reg. 16

Discursus XII.

An quasvis res vendere, aut emere liceat?

Hier. 15.
Ierem. 15. dicit Dominus: *Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Hęc verba dixit Ieremię, cum voluit ipsum Iudęorum conversioni operam navare, verbisque ipsius adhærere, contemptis Iudæorum minacibus verbis. Quæ applico ad distinctionem eorum, quæ iustè ac iniustè emuntur, aut venduntur. Nam teste Gregorio 18. Moral. 23. os Domini vocatur, *qui ab amore præsentis seculi loquendo quæ potest humanam animam evellit.* Vnde tractabo quod in argumento quæritur. Gregor.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam prænotandum est, quasdam res esse indifferentes ad bonum vel

malum vſum, de quibus hic non diſputo: quaſdam vero eſſe alienas, ſed titulo depoſiti, aut commodati apud te exiſtentes; quaſdam etiam alienas, ſed ex furto, rapina, aliove iniuſto titulo ab alijs vſurpatas, quaſdam eſſe proprias, ſed creditoribus ab eo, qui ſolvẽdis debitis impar eſt, quodammodo obligatas: denique quaſdam eſſe res Eccleſiæ, quas certum eſt vix vendi poſſe.

2. His poſitis dico Primò, non licere res alterius titulo depoſiti, aut commodati apud te exiſtentes alteri vendere, quin iniuſtitiam committas, adeoque teneri venditorem pretium reſtituere, ſi emptori contingat ignoranti dominum rem evincere. Venditor enim ex ipſius contractus natura emptori obligatus eſt de mercis evictione ſicuti cõſtat ex l. 1. l. *venditor.* & tot. tit. ff. de evict. l. non dubitatur, & toto tit. C. eod. Senſus eſt. Si aliquis rem emptam ab emptore actione reali intentatâ evincat & auferat: quia videlicet demonſtrat ſe eius eſſe dominum, aut ſibi obligatam eſſe; tunc venditor emptori pretium reſtituere cogitur. Inſuper quanti eius intereſt, ſi res evicta non eſſet: dummodo tempore contractus ignorarit emptor rem alienam eſſe, & lite ipſi poſtea motâ denunciarit venditori, vt ſe defendat. Ita habetur in l. *Si controverſia.* l. *Si cum queſtio,* l. *ſi fundum.* C. eod c. vlt. de empt. & vend. Nec refert quod emptore ignorante validus ſit contractus, iuxta l. *rem alienam.* ff. de contrah. empt. aut pretium acquiratur venditori abſque eo, quod transferatur dominium in emptorem: id enim ex diſpoſitione Iuris civilis fit ipſius, quia emptori de evictione obligatus manet. Prius patet ex l. *Qui vas.* §. vlt. ff. de furtis, vbi dicitur: *Nummus qui redactus eſt ex re furtiva, non eſt furtivus*, quæ verba hunc ſenſum habent: malæ fidei venditor pretium rei ſic venditæ ſibi acquirit. Quod hic addere libuit, vt quis intelligat eiuſmodi venditorem ex tali pretio quid ementem dominium ipſius mercis ſibi comparare ac venditorem dominium pecuniæ, vt docet Molina diſput. 327. & conſentit doctrina S. Thomæ 2. 2. quæſt. 78. art. 3. ad 3. quod bona immobilia empta pecuniâ vſurariâ emptori vſurario acquiruntur. Molina. S. Thom.

Et ſimili ratione mercis dominium ſibi acquirit, qui alienis nummis aliquid mercatur, vt habetur expreſsè in l. 1. & l. penul. C. *Si quis alteri, vel ſibi &c.* l. Si ex ea pecunia. C. de rei vendicatione; quantumvis nummi venditori non acquirantur, quod emptor de eorum evictione domino teneatur. Et ratio quare totum lucrum ad iniuſtum poſſeſſorem alienis pecuniis negotiantem pertineat eſt, quod lucrum non ſit fructus pecuniæ (quæ ſecundum ſe ſterilis & infructifera eſt) ſed ſolius induſtriæ: tum etiam quod perſonaliter obligatus maneat tam eî à quo abſtulit ad reſarciendum omne damnum, ac lucrum ceſſans, quam venditoribus, ſi pecuniæ ab ipſis evincantur. Hæc eſt doctrina D. Thomæ loco citato vbi ſic habetur. *Ad tertium dicendum, quod illud quod acquiritur de pecunia vſuraria, debetur quidem acquirenti, non propter pecuniam vſurariam datam, ſicut propter cauſam inſtrumentalem, ſed propter ſuam induſtriam, ſicut propter cauſam principalem. Et ideo plus iuris habet in re acquiſita de pecunia vſuraria, quam in ipſa pecunia vſuraria.* S. Thom.

Ex his patet eũm, qui alienum frumentum aliò deportavit, & vendidit, vbi plus valet lucrum ſive augmentum ſibi ipſi, non domino acquirere & ſatisfacere reſtituendo frumentum eiuſdem generis ac qualitatis, & quanti intereſt domini frumentum ſuum abductum, & venditum non fuiſſe.

3. Dico ſecundò peccatum eſſe contra iuſtitiam, res alienas ex furto, rapina, aliove iniuſto titulo ab alijs vſurpatas alteri vendere. Ratio eſt, quod dominium

earum

earum maneat apud dominum, qui ſemper ius habet repetendi rem ſuam, apud quemcumq. repererit.

4. At dices: Nihilominus in Evangelio Luc. 16. *laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet*, quando videlicet diffamatus apud dominum ſuum, quaſi diſſipaſſet bona domini ſui, & vocatus ab eodem, vt redderet rationem villicationis, poſtea deſtituendus intra ſe dixit: *Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubeſco. Scio quid faciam, vt cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos ſuas. Convocatis itaque ſingulis debitoribus domini ſui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit, centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam & ſede, citò ſcribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. At ille accipe litteras tuas, & ſcribe octoginta.*

Reſpondeo Chriſtum non laudare quod fraudem committat, ſed fingere dominum illius diſpenſatoris velut liberalem, delectatum ingenio illius, laudaſſeque eum, quod prudenter egiſſet, ſibi proſpiciens in futurum, *quemadmodum*, inquit Ianſenius Concord. 9[?]. *cum audimus ab alijs patratum facinus, ſed ingenioſè, etſi damnemus factum, laudamus tamen ingenium, diligimuſque eum, aut alios non in alijs rebus melioribus tale ingeniũ exercere: quod & hic Salvator quaſi ægre ferens ſubiecit, quia filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt.* Et deinde hortatur Salvator noſter, vt id faciamus vnde nobis iuſtè proſpectum ſit, & rectè laudari valeamus, in verbis: *Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Dominus autem tria per illam parabolam nos docere voluit vt benè animadvertit Ianſenius loco citato, *Primum*, inquit, *vt intelligamus nos omnes bonorum temporalium non eſſe dominos, ſed tantum diſpenſatores, ac ob id exactam à nobis rationem poſcendam aliquando, vt ſumma cum ſolicitudine incurandum nobis ſit, quomodo illa ad voluntatem Domini diſpenſemus. Secundò*, inquit, *ad hoc tendit parabola, idque præcipuè, vt ſicut diſpenſator ille, cum intelligeret ſe ſuâ privandum diſpenſatione, ſolicitus fuit vt ſui reliquæ vitæ proſpiceret, nec aliud præſentius reperit, quam vt bonis domini ſui in ſuum commodum vtens quamdiu poſſet pararet ſibi amicos ex bonis domini ſui, qui ipſum ſuo munere deſtitutum alerent: ita nos cogitemus aliquando nos à temporalium horum bonorum diſpenſatione amovendos, ac ob id ſoliciti ſimus, qua ratione nobis in æterna vita, vbi non erit horum in manu noſtra diſpenſatio, proſpiciamus, ſciamuſque illam demum proſpiciendi nobis rationem eſſe commodiſſimã, ſi ex acceptis divinitus facultatibus beneficiamus liberaliter pauperibus, per quos in æterna nobis recipiendi tabernacula, cum defuncti fuerimus diſpenſationis noſtræ officio. Tertiò*, inquit, *vt intelligamus, quod ſi Dominus iniqui diſpenſatoris, ſuâ ipſius diſpendio, laudat diſpenſatoris prudentiam, quod ille ſcilicet Dominum quidē fraudulenter, ſed pro ſe prudenter egerit: multo magis à Domino noſtro, qui & ditiſſimus eſt, & nullum damnum poteſt ſuſtinere, & cuius præceptum eſt, vt pauperibus benefaciamus laudandi ſumus, ſi bonis eius noſtræ diſpenſationi commiſſis ab ipſo, ita in noſtrum commodum vtamur, vt per ea nobis paremus locum in æternis manſionibus.*

Ianſenius

Idem.

5. Sed quæſtio eſt, vtrum alienatio licita ſit, quæ fit in fraudem creditorum ab eo, qui ſolvendis debitis impar eſt.

Reſpondeo primò per ſe illicitam eſſe, nemo enim cõputare debet ſuũ eſſe, quod alteri debet: & quamvis actionem non habeat hypothecariã creditor, aut ſimili reali obligatione devinctam, tamen actionem habet quoad effectum, vt ſcilicet Iudicis ſententiâ interveniente, bona ipſius vendere queat, & ex eorum pretio ſolutionem ſibi acquirere.

6. Dico ſecundò, ſi res in fraudem creditorum titulo oneroſo alienata ſit, v. g. venditionis, referre vtrum ſcienti emptori facta ſit alienatio, an ignorãti fraudem, & priori caſu reſcindi à creditore poſſe venditionem, etiam non reſtituto

pretio emptori, iuxta legem *Si debitor*, l. *Si ad debitorem*, ff. quæ in fraudem creditorum facta sunt. Si vero posteriori casu; rescindi venditionem à creditoribus non posse. Rursum: Si alienatio facta sit titulo gratuito, v.g. donationis, tunc à creditoribus res donata revocari potest, tametsi fraudis ignarus fuerit is, cui alienatio facta sit, l. *qui autem*, §. similimodo dicimus, ff. quæ in fraudem &c. & l. *Ignoti*, C. de revocandis ijs, quæ in fraudem creditorum alienata sunt. Intelligo tamen hanc revocationem, quatenus res donata extat, vel donatarius ex ea locupletactus est.

7. Sed quæres: Quod si creditores intra tempus seu annum à die scientiæ numerandum, intra quem rem in fraudem ipsorum alienatam repetendi facultatem habent ex lege, non repetant, an securus esse possit emptor aut donatarius?

Respondeo securum esse quoad forum externum ex lege 1. & l. *Ait Prætor*. ff. eod. quæ sic habet: *Ait Prætor: quæ fraudationis causa gesta erunt, cum eo, qui fraudem non ignoraverit: de his curatori bonorum, vel ei, cui de ea re actionem dari oportebit, intra annum*, quo experiendi potestas fuerit, *actionem dabo, idque etiam adversus ipsum, qui fraudem fecit, servabo*. & vti affirmant Petr. Navarr. lib. 9. cap. 2. num. 218. Molin. disput. 328. Lessius lib. 2. cap. 20. dub. 19. num. 168. etiam in conscientiæ foro, licet sciens donationem in fraudem creditorum fieri, eam acceptarit. Ratio eorum est, quod donatarius vel emptor, si res intra tempus legibus præscriptum non repetatur; neque ratione rei acceptæ obligatur ad restituendum, quia acquisivit dominium rei donatæ, emptæ, l. si sciens, ff. de contrah. empt. quandoquidem in bonis eius fuerat, qui donavit, vendidit: Esto enim is debitis solvendis impar, pecunias mutuas acceperit, vel merces creditò emerit; vere tamen earum comparavit dominium, personaliter solum obligatus creditoribus, quibuscum contraxerat: consequenter idem rerum dominium in alium voluntate sua saltem validè transferre potuit. Addunt, *neque ratione iniustæ acceptationis*, licet enim donatio, per quam donans impotentior fit ad debita solvenda, cedat in damnum creditorum, non sine aliqua donantis iniuria; tamen donatarius id ob suum commodum, quamvis sciens permittere potest, modo ad donationem sibi faciendam non incitet precibus, suasione, sed vltro sibi faciendam acceptet.

Navar. Molina. Lessius.

8. Verum etsi sententia hæc probabilis, & aliquibus tuta videatur, támen contraria & communior & tutior sancti Antonini par. 2. tit. 1. cap. 12. §. 18. Caietani in opusc. de v. suris, & aliorum magis placet, falsem eo casu, quo accipiens ex titulo lucrativo, seu donatione probè scit alienationem fieri cum iniusto damno creditorum. Quandoquidem ad talem alienationem cooperatur consentiẽdo, seu acceptando: quare licet suadendo non impellat, ideoque non sit causa efficiens quoad principium seu propositum; est tamen eius causa efficiens quoad executionem.

Antonin. Caietan.

9. His de venditione ita discussis non inutiliter quæres: Quando emptor rei alienæ peccet & teneatur ad restitutionem?

Respondeo, vel emit mala fide sciens esse rem furtivã, vel dubitans talem esse, vel emit bona fide. Priori casu gravissime peccat, & est particeps furti, ratione iniustosæ acceptionis: vnde est illud Psal. 49. *Si videbas furem, currebas cum eo*. & illud Apostoli ad Rom. 1. *Digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Cõtra quos invehitur Dominus Ps. citato dicens: *Existimasti inique quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam*. q. d. Existimas quod iniquus sim, & peccatorum amicus, dum sine timore peccas; sed non ita est. In die enim iudicij statuam vitam tuam, actiones tuas, & peccata ante oculos tuos, & arguam te iustissimâ sententiâ

Psal. 49. Rom. 1.

con-

condemnationis. Vnde Propheta subdit exhortationem ad impios qui obliviscuntur Deum esse iudicem iustum, licet castigationem differat, in verbis: *Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui te eripiat*, seu qui subito ad iudicem te adducat, & pro meritis damnet. Et tenetur ad restitutionem talis emptor.

10. Res notatu digna adversus eos, qui à famulis, vel etiam filijs mercatorum merces furtivè ex officinis sublatas liberè, vilique pretio emunt, quos Bruxellæ vulgò *Cabasfadeurs* vocare solent, id est merces furtive emptas in arcam celerrimè recondentes. Qui ad minimum dubitare debent res furto sublatas esse, tum ex eo, quod sciant opulentiam eorumdem mercatorum; tum ex vili pretio, quo merces ab ijs venduntur. Neque credo illos excusare, quod in meridiano sole eas merces comparent, quandoquidem tam obscuro loco habitent, quod etiam in pleno die emptio nō animadvertatur. Cui malo spectat ad Magistratum providere, ne iniustitia magis succrescat; præsertim cum palam sit, tum sartores eò cum pretiosis mercibus à divitibus subtractis verum confluere, tum quod peius est, quoscumque cives passim huiusmodi merces ab illis sine scrupulo emere: cum revera ab iniustitia non videantur excusandi ob dubium, quo non carent, malæ fidei.

Posteriori vero casu, seu quando quis bona fide rem furtivam emit, tunc si bona fides continuet vsque ad definitum tempus pro præscriptione, & vsucapione, rem emptam retinere potest. Ad cuius rei clariorem intelligentiam Nota, præscriptionem dici, *Exceptionem peremptoriam ex tempore legibus definito substantiam capientem*, ita Covar. reg. possessor. pag. 1. §. vnico, num. 4. Vsucapionem vero definiri apud IC. in l. 3. ff. de vsurpationibus, & vsucapionibus, *Adiectionem*, id est acquisitionem *dominij per continuationem temporis lege definiti.* Ac præscriptionem plerumque esse quasi fructum seu effectum vsurpationis. Insuper res mobiles triennij spatio vsu capi, si adsit titulus, & bona fides. quemadmodum constat ex instit. de vsurpatione in principio, & l. vnica, C. de vsurpatione transformanda. Ratio autem, quare quis in consciētiæ foro restituere non teneatur, licet pristini Domini invincibilem ignorantiam agnoscat, post elapsum terminum, est quod præscriptio duabus de causis introducta sit, Prima, *ne diu & sæpe semper quarumdam rerum dominia incerta essent*, l. 1. ff. de vsurpa. & vsucapion. *Et vt aliquis litium finis esset*, l. vlt. ff. pro suo. Ac denique ne possessores propè immortali timore teneantur, vt ait Iustinus Imperator in l. *cum notissimi*, C. de pręscript. 30. vel 40. annorum. Secunda causa: vt hac ratione segnities, ac desidia hominum res, ac iura sua actione prosequi intermittentium acuatur, iuxta l. *vt perfectius*, Codic. de annali exception. & cap. *vigilanti*, de præscription.

Vnde si contingat bonâ fide ementi & possidenti infra illud tempus exoriri dubium, tenetur adhibere sufficientem diligentiam, vt sciat veritatem, vti docet Molina 721. vbi sic ait, *Qui bonâ fide emit, aut alio iusto titulo cæpit rem bona fide possidere, si antequam eam distrahat, aut consumat, dubitare incipiat, an sit aliena; tenetur adhibere competentem diligentiam, vt sciat, an ad alium pertineat. Quod si competentem diligentiam adhibuit, nec comperire potuit esse alienam, nec ei occurrat diligentia alia, quam efficere possit, & vnde speret id scire posse, tunc tutâ conscientia potest illam retinere; & consumere, neque ad vllam restitutionem tenetur, esto dubius maneat, an sua sit. Ratio autem est, quoniam in dubio melior est conditio ipsius, qui bona fide possidere cæpit.*

Quod si vero contingat illum vendere post sufficientem inquisitionem, id iure potest; admonito tamen emptore de evictionis periculo. Si autem res interea ab-

absumpta fuerit, neuter plus restituere cogitur, quam vnde locupletior factus est, sicut docet Medina q. 10. §. 2.

11. Quæres: An liceat emere rem furtivam, quæ publicè venditur, quando non est probabilis spes rem domino posse restitui.

Respondeo affirmativè, modo emptor animum habeat domino, si comparuerit illam eodem pretio, quo emit, relinquendi, & non aliter sibi eam servandi, aut vendendi, nisi casu quo dominus non comparuerit. Et ratio est, quod illo casu nulla fiat iniuria domino ab emptore, sed potius eius negotium geratur meliori quam potest fieri modo, adeoque non debeat censeri invitus, sed consentire in translationem dominij sub illo onere. *Hoc modo*, inquit Lessius lib. 2. c. 21. dub. 18. n. 137. *Catholici in Hollandia possunt emere merces sibi publicè propositas, quas hæretici in mari ceperunt.* Et confirmat. *Quia alioquin totum hoc lucrum solis hæreticis cederet, qui iniustum bellum fovent, & Religionem oppugnant, nec emunt animo restituendi in eventu quo dominus compareret, sed omnino sibi retinendi tanquam iuste capta.* Huius sententiæ ante ipsum fuit etiam Ludov. Molina, qui disp. 118. sustinens primò eum, qui emptione vel quovis alio titulo, quam belli, res iniusto bello ab hostibus captas obtineat, de iustitiæ rigore teneri eas restituere prioribus dominis, eo quod hostes sibi dominium earum rerum non comparaverint, sed apud antiquos dominos perseveret, subiungit: *Ad pacandas tamen conscientias illud est addendum. Quando verisimile esset, illas deventuras nunquam esse in potestatem dominorum suorum, vt ordinariè evenit, licitum esse eas emere, vili etiam pretio eo animo, vt si proprius dominus comparuerit, illas accipiat pro eodem pretio; sin minus, emptor sibi retineat. Quoniam verisimile est eam esse præsumptam dominorum voluntatem: & quoniam quodammodo essent irrationabiliter inviti, nisi id ita vellent.* Et adijcit: *Atque ita respondi aliquibus Christianis captivis, qui in Africa emerunt vili pretio à Mauris aliqua de spolijs Lusitanorum, quando Rex Sebastianus occubuit.* Rursum subijcit idem Author idem dicendum esse *de aliquibus rebus ad cultum divinum spectantibus, quas Lutherani, Angli, & alij hæretici ad Catholicorum terras asportant, vilique pretio vendunt. Præsumendum namque est voluntatem earum, ad quos vel dominium, vel vera earum administratio spectat, esse vt eas potius vili pretio emant Catholici, cultuique divino mancipent, quam vt vendantur Saracenis, vel vsibus profanis insumantur.*

Lessius.

Molina.

12. Quæres: An ille, qui rem furtivam emit, & insuper scienter alteri vendit, excusetur à peccato & restitutione?

Respondeo, quantum ad peccatum attinet, nullatenus excusari: vendit enim rem, in quam nullum ius habet, infert rei domino iniuriã. Quantum vero ad restitutionem spectat, vel potuit domino restituere, vel non potuit. Priori casu tenetur domino pretiũ, vel potius quod ipsius interest, restituere, si videlicet rem suam ab emptore recuperare non possit. Posteriori casu, non videtur domino ad restitutionem obligari, modo per venditionem non reddidit domino rem recuperatu difficiliorem. Idque quia neque tenetur ratione rei acceptæ: cum nihil possideat, quod ad dominum pertinet: neque ratione iniustæ acceptionis; cum ipse domino eam non eripuerit; neque causa sit, cur ipsi restitui non possit. *Hac ratione*, ait Lessius loc. citato dub. 17. num. 135. *multi in Anglia & Hollandia, qui bona Ecclesiastica immobilia, ab alijs empta alijs postea vendiderunt, excusari possunt à restitutione. Per hanc enim venditionem nihil damni Ecclesiæ, cui illa bona hoc statu rerum restitui non possunt, intulerunt.* Porro quamvis non teneantur probabiliter ad restitutionem rei propter impossibilitatem, tamen obligantur ad fructus Ecclesiæ restituendos, quos futuro tempore, percipere, & Ecclesiæ restituere debuissent, nisi rem alienassent: si ea alienatione causam dederunt, cur Ecclesia à novo iniquo possessore recipere

Lessius.

pere non possit: quatenus enim quis ex fructibus aut venditione factus est locupletior, eatenus tenetur: quia fructus sunt Ecclesiæ, hoc ipso quod [illegible] Ecclesiæ [illegible]: ergo [illegible] damnum dedit per venditionem Ecclesiam excludendo, aut privando, & [illegible] restitu[illegible] possint.

11. Quæres denique: An emere liceat rem, quam alius cogitur vendere. Respondeo hoc licitum esse quot[ies] [illegible] cogitur ad vendendum, quod in tribus casibus ordinarie solet locum habere, nempe primo, quando ad publicum [illegible], cuius fundus privatæ personæ est necessarius, videlicet ad constructionem vel ampliationem civitatis, vel publicæ palatij Principis, templi, monasterij, collegij, hospitalis. Probatur argum. l. Si locus. §. vlt. ff. quemadmodum servitus amittatur; tunc enim tenetur privatus cedere fundo, sub iusto pretio.

Secundo in retractu gentilitio, seu iure alicuius gentis, sive civitatis per statutum vel consuetudinem concesso proximo venditoris consanguineo intra certum tempus retinendi, & ad se revocandi venditionem rei immobilis, eodem oblato pretio, quo illa ab extraneo, vel remotiore consanguineo empta fuerat. Quod Ius introduci solet, ne possessiones paternæ, atque avitæ ad alienas manus deveniant. quod satis lugubre esse dicitur in l. Lex, quæ tutores §. & tolerabilius, C. de administr. tutorum. Huius vero iuris [illegible] aliquod extat Levitic. 25. [illegible] vers. [illegible] *Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, & voluerit propinquus eius, redimere, quod ille vendiderat.* Et Hieremiæ 32. vbi Dominus [illegible] Hierosolymitana mandat Hieremiæ in carcere conclus[o], emere [illegible] Hanameelis patruelis, vt hoc facto [illegible] captivitati erant in Babylonem [illegible] redeundi ad suos agros rursum possidendos. Revelavit enim Hieremiæ Deus Hanameelem venturum ad

Levit. 25.

Hier. 32.

illum, & dicturum: *Eme tibi agrum meum, qui est in Anatoth: tibi enim competit ex propinquitate, vt emas.* Et sic factum est, vt Hanameel filius patrui eius veniret ad vestibulum carceris, & diceret: *Posside agrum meum, qui est in Anathoth, in terra Beniamin, quia tibi competit hæreditas, & tu propinquus es vt possideas.* q.d. Tu eme agrum meum. quare vis [illegible] meum vendere[m], [illegible] pretio illum redimere.

Hoc autem [illegible] apud Iudæos curabatur, ne hæreditates ab vna tribu in aliam transferrentur, sed in eadem familia & tribu, quantum fieri poterat, permanerent. Et hæc causa fuit quare Naboth 3. Reg. 21. tantopere perhorresceret vendere paternam hæreditatem, seu vineam quam iusto pretio ad delicias suas quærebat Achab, vt diceret: *Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi:* id est: Opto, precorque Deum ne tam mihi sit infensus, vt tantum à me scelus patrari permittat: Vel hanc à me Deus impietatem avertat, vt de vinea ad alienum dominium transferenda cogitem. Patriæ enim religionis amator & tenax nihil admittere voluit, etiamsi ideo sibi propositum ferret capitis periculum. Cautum enim per legem erat, ne venderentur hæreditates, sed semper remanerent apud dominos primos. Quod si propter paupertatem id aliquando fieri necessarium videretur, id tamen sic erat à lege permissum, vt Iubilæi tempore ad veteres, primosque possessores reverterentur.

3. Reg. 21.

Itaque Hieremias, cui mentem emendi agrum Deus iniecerat, vt illa emptione portenderet, & prædiceret futuram è captivitate liberationem, & reditum in Iudæam, quo quisque ad sua prædia regressurus esset, emit agrum illum septendecim siclis argenti, seu totidem florenis Rhenensibus, quia imminente captivitate omnia erant derelicta & vilia, & Hanameel eum sic vendidit, quia iniecerat illi Deus mentem agrum vendendi vrbe obsessâ,

cum res adeo esset deplorata, vt nemo agrum empturus videretur. Meminit etiam huius iuris l. dudum C. de contrah. empt. & C. *Restitutus*, de restitut. integrum. Atque adeo licitè proximus agitatus emere potest, quando sibi retrahit, non autem quando in vtilitatem alterius, & in fraudem emptoris, vel aliorum consanguineorum id facit, quibus post ipsum ius retrahendi competeret, & modo illud pretium dare sit paratus, quod extraneus vel remotior dedit, omnesque expēsas refundere quas prior emptor ratione contractus facere fuit coactus.

Tertio, quando mercatores ob publicam necessitatem sive inopiā, v. g. frumenti, aliorumque victualiū ad quotidianum vsum sub taxato pretio coguntur vendere: tunc enim pariter licet ab illis sic emere, quia hæc coactio fit in vtilitatem ementiū. Extra hos aut, similes casus nemo invitus cogi potest rem suam vendere, tunc enim locum habent l. *Invitum*, C. de contrahent. empt. & alia iura, quæ Glossa ibidem congerit.

15. Cæterum disquisitione dignum est, an bona Ecclesiastica vendi possint. Respondeo bona Ecclesiarum tam immobilia, quam mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, per leges & Canones prohibitum esse alienare, præterquam ob iustam causam & interveniente certā solemnitate. Ita habetur in c. *Nulli*, de rebus Ecclesiæ alienandis, vel non. & extravagan. ambitiosæ, eod. tit. post l. *iubemus*, 2. C. de sacro sanctis Ecclesijs, & Authent. de non alienandis, coll. 2. Atque extenditur hæc prohibitio alienationis etiam ad loca pia, v. g. Xenodochia, si Episcopi auctoritate constituta sint, sicuti habetur in C. *hoc ius porrectum*, 10. q. 2. & notat Abbas in cap. *Nulli* n. vlt. de rebus Eccles. non alien. Siquidem Ecclesię, & loca pia in eiusmodi æquiparantur, argum. cap. *requisisti*, §. secus autem de testam.

Quamvis autem nomen alienationis, si strictè & propriè accipiatur, non nisi venditionem, permutationem, donationem, & similes contractus comprehendat, quibus directum rei traditæ dominium transfertur, iuxta l. 1. C. de fundo dotali, & l. *alienatum* ff. de verb. signific. tamen in materia hac Ecclesiæ, & privilegiatis personis favorabili, accipi debet late, vt comprehendat etiam feudum, emphyteusim, & locationem in longum tempus, quibus rei vsusfructus, sive dominium vtile transfertur, multo magis contractum censualem, per quem dominium seu directum, seu vtile transferum transfertur, constitutā pensione annuâ, qua de re Guilielmus Redoanus de rebus Ecclesiæ non alienandis, cap. 27. Sed & perpetui & vitalitij census, quibus annui Ecclesiæ reditus, vel pars aliqua eorum constituto pretio divenditur, alienationis prohibitæ nomine comprehendi censentur: quia iura & reditus annui inter bona immobilia numerantur, quorum alienatio Ecclesijs ac natu minoribus prohibita est, sicuti docet idem Redoanus de reb. Ecclesiæ non alienandis, rubr. 13. & rubr. 16. Andreas Gaill. lib. 2. observ. 10. Nomine etiam alienationis in materia ista Ecclesijs favorabili comprehenditur quævis constitutio pignoris, aut hypothecæ specialis, non item generalis, vti colligitur ex cit. cap. *Nulli*, vbi id docet Abb. n. 3. Redoanus cap. 6. Molina disp. 466. Quia per generalem hypothecam non tantum iuris in rem cum periculo eam alienandi transfertur, quam per specialem.

Porro mobilia pretiosa, quæ servando non corrumpuntur, sunt v. g. vasa aurea, argentea, gemmæ, item integer grex ovium, caprarum, ex quo Ecclesia reditus annuos accipere consuevit. Quæ autem servando servari non possunt, & sine iuris solemnitate rectè alienantur, sunt fermè ea, quæ vsu absumuntur, vel brevi tempore inveterascunt, vt fructus, pecudes, pleræque vestes item pecunia vsui quotidiano deserviēs.

16. Quæ-

16. Quæres, quænam sint causæ iustæ, ob quas rerum Ecclesiasticarum alienatio fieri potest?

Respondeo quatuor numerari in Glossa summaria causę 12. q. 2. quam sequuntur Abb. in cit. cap. *Nulli*, n. 5. Syl. verb. alienatio, q. 1. Covar. 2. resol. cap. 17. n. 3. Navar. comm. de alien. rerum Eccles. notab. 3. Molina disput. 468. & alij communiter. Prima est necessitas, puta si debita vrgeant, quibus alia ratione satisfieri non possit. Altera maior vtilitas, puta vt res alia Ecclesię vtilior comparetur. quæ duæ causæ referuntur in Authent. *hoc ius*, C. de sacrosanctis Ecclesijs. Tertia est pietas, puta pro redemptione innocentium captivorum, vel alia gravi pauperum necessitate sublevanda: ob quam causam etiam vasa sacra frangere, & pretium erogare, si alia non suppetant, quandoque concessum est, exemplo S. Ambrosij sub Tyranno Maximo, quod factum laudavit S. August. apud Posidonium in vita eius. Vide c. *Aurum*, & cap. *Sanctorum* 12. q. 2. ipsumque Ambrosium lib. 2. Officior. cap. 28. Exemplo item Acacij Episcopi Avidę apud Socratem lib. 7. c. 21. & Cæsarij Episcopi Arelatensis apud Surium 27. die Augusti. Nam, vt dicitur in l. *Sancimus*, C. de sacros. Ecclesijs) *absurdum est ... hominum quibuscumque ... vel vestimentis præferri.* Quarta causa est incommoditas, puta si res alienanda plus incōmoditatis, quam commoditatis Ecclesiæ afferat: quia v. g. multum distat, arg. c. *terrulas*, 12. q. 2.

17. Verum enimvero, vt huiusmodi alienatio ritè fiat & emptoribus cautum sit, opus est multæ solemnitates præcedant. Prima, vt discutiatur à Capitulo, num expediat rem alienari, nec ne, iuxta cap. *Sine distinctione*, 12. q. 2. & c. 1. de reb. Eccles. non alienandis, in 6. eiusque accedat consensus iuxt. c. 1. c. *tua*, & *totam*. tit. de his quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli.

Secunda, vt interveniat consensus eius, qui ex munere publico Ecclesiæ præest, puta Episcopi, Abbatis exempti, Generalis Ordinis, iuxta c. 1. citatum Quod si Abbas Episcopo subiectus sit, etiam Episcopi consensus requiretur: idemque sentiendum de quovis inferioris Ecclesiæ Rectore, qui si Collegium, sive Capitulum Clericorum non habeat, sufficit ad alienationē ipsius consensus, cum Episcopi auctoritate, teste Abbate in cit. c. 1.

Tertia, vt fiat subscriptio a Capitularibus, iuxta C. *tua*, de his quæ *Abb.*
fiunt à Prælatis &c. nisi ex consuetudine subscriptio manu notarij sufficiat.

Quæ singulariter attendenda sunt, nam rei Ecclesiasticæ alienatio contra iuris terminos facta, irrita censetur ipso facto, iuxta c. *Si quis*, de rebus Eccles. alien. vel non. Et non tantum Capitulum, sive Ecclesia, sed ipsemet quoque Ecclesiæ Prelatus rem à se male alienatam repetere potest, allegans propriam turpitudinem, teste Abb. cit cap. *Si quis*, Navar. lib. 1. consil. 20. de re- *Navar.*
script. edit. 2. Quia licet ordinariè non liceat contravenire facto proprio, & allegare propriam turpitudinem, excipitur tamen, nisi id fiat ob causā necessariā ad animę salutem; vel nomine Ecclesiæ, aut Reipub. Is autem, cui alienatio facta fuit, rem ipsam cum omnibus fructibus in foro externo restituere compellitur, iuxta l. *Iubemus*, C. de sacrosanctis Ecclesijs, & C. *Non liceat*, 12. q. 2. Poterit tamen tunc emptor, v. g. contra Prælatum male alienantem agere ad recuperandum pretium; si bona fide, & sine dolo emit: imò & ab ipsamet Ecclesia repetere, quatenus locupletior inde facta fuit.

Discursus

Discursus XIII.

De Simonia,

SEV

An res sacras pretio vendere, aut emere liceat?

Habac. 2. PRopheta Habacuc cap. 2. dixit: *Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ.* Certè si quæ avaritia est exitialis, illa est, qua quis emit vel vendit bona spiritualia pro temporali. hinc quæram quod in argumẽto ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam nota Simoniam definiri, *Studiosam voluntatem emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum pretio temporali*, Eamque sic dictam esse à Simone Mago, qui primus tempore legis Evangelicæ tali peccato se obstrinxit, cum Act. cap. 8. Act. 8. pecuniam Apostolis obtulit, dicens: *Date & mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.*

1. Secundò, dividi Simoniam in eam, quæ iure divino prohibetur, & illam, quæ iure Ecclesiastico. Materiam vero Iuris divini versari circa gratias gratis datas, gratiam sanctificantem, septem Sacramenta, circa Sacramentalia; & summariè circa omnes omnino actus procedentes ex potestate ordinis, sive ex Christi, sive ex Ecclesiæ institutione: Quia res spirituales sunt: sive considerentur secundum earum principium; sunt enim supernaturali à Christo accepta potestate institutæ, atque alicui ordini sacro annexæ: sive considerentur secundum earum finem: siquidem ad spiritualem animarum salutem per se ac directè ordinantur, puta variæ benedictiones, consecrationes. quod colligitur ex S. Thoma q. 100. a. 3. & tradunt Canonistæ in c. *Consulere*, vbi Abb. n. 3. de Simonia, qui addit n. 6. & 7. etiamsi minorum ordinum sacræ functiones, vt Sacrificio ministrare, sacram lectionem legere, à non ordinatis, seu laicis peragantur, non posse tamen pro eis pretium exigi, propterea quod suapte institutione, ac fine spirituales sint. [illegible]

Materiam vero iuris humani versari circa quasvis pactiones seu commutationes officiorum etiam minus spiritualium. Sic venditio officij sacristæ, thesaurarij, seu custodis, œconomi, seu administratoris rerum Ecclesiasticarum, Advocati Ecclesiæ, aut Iudicis circa res temporales Ecclesiæ, ex Iuris Ecclesiastici dispositione est Simoniaca: prohibetur enim severissimè in Concilio Chalcedon. ne Episcopus pro pecunia aliquem ad huiusmodi officium promoveat, his verbis: *Si quis Episcopus per pecuniam ordinationem fecerit, & pretio redegerit Spiritus sancti gratiam, quæ vendi non potest: ordinaveritque per pecuniam presbyterum, aut diaconum: vel quemlibet, qui subiectus est regulæ pro sui turpissimi lucri commodo: is qui hoc attentans probatus fuerit, proprij gradus periculo subiacebit. & qui ordinatus est nihil ex hac ordinatione, vel promotione quæ est pro negotiatione facta, perficiat: sed sit alienus à dignitate vel sollicitudine, quam pecunijs acquisivit.* vt refertur c. *Si quis* 1. q. 1. Sic permutatio beneficiorum facta sine auctoritate

ritate

ritate Superioris, non solum est irrita, sed etiam simoniaca ex eadem dispositione iuxta Vrbanum III. in c. *Quæsitum*, de rer. permutat. vbi dicit: *Generaliter teneas, quod commutationes præbendarum de Iure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia vel spiritualibus annexa libem semper continet simoniæ.* Imo propria auctoritate permutantem, per Iudicis sententiam beneficio venire privandum: id enim præcipitur c. *Cum olim.* eod. titulo. Sic rursum resignatio beneficij in favorem tertij cum clausula. *Non aliter nec aliàs*, secundum quosdam est simoniaca: quia omnis pactio in spiritualibus simoniam continet, ex c. finali de pactis, & ob imaginem simoniæ, iuxta stylum curiæ Romanæ non potest fieri nisi in manibus summi Pontificis. Similiter ex eodem capite simoniam committit, qui Ecclesiasticum beneficium alicui procurat, cum certa confidentia, id est, expresso vel tacito pacto, vt is cui procuratur elapso aliquo tempore ei, qui procuraverat, vel alteri resignet, aut pensionem vel fructus ex eo præstet, ex Bulla Pij IV. quæ incipit. *Romanum Pontificē.* & Pij V. in Bulla quæ incipit, *Intolerabilis* eaque hinc vocatur *simonia confidentiæ.* Denique secundū quosdā ex dispositione Iuris Ecclesiastici dumtaxat simoniaca est emptio & venditio beneficiorum; eò quod beneficium non sit ius quidē spirituale principaliter seu in se; sed potius tēporale percipiendi fructus: licet spirituale dicatur propter connexitatem, ordinem & respectum, quem habet ad spirituale. Quod videtur verius, quia [redacted] licuit in lege naturæ vendere ius primogenituræ, cui erat annexum sacerdotium, sine iniustitia vel intrinseca iniquitate: quia ius primogenij secundum se spectatum, seclusο adiuncto spirituali est temporale bonum pretio æstimabile. Et hac ratione excusat Iacobum à labe simoniæ Lippomannus, Genes. 25. vbi dixit fratri Esau: *Vende mihi primogenita tua.* Vnde sequitur seposito iure positivo Ecclesiæ ex natura sua non minus licitum esse ius tēporale beneficij vendere, quam fundum, cui adhæret ius patronatus, & ratione materię calicem cui adhæret consecratio: adeoque ex iure Ecclesiastico tantum oritur simonia in emptione & venditione beneficiorum: non quod ideo sit minor culpa; sed quod Pontifex in illo dispensare possit.

3. Tertio dividi in mentalem, conventionalem, & realem. Mentalis dicitur non ea, quę in sola mente, sive proposito consistit committēdi Simoniam: sed quæ in externum opus transit, quod licet exterius nullo modo, nec per se, nec propter adiuncta simoniacum appareat, ex sola tamen intentione, & affectione tale est. Videlicet, si aliquis rem spiritualem alicui conferat, quasi eam ex iustitia debeat, pro obsequio v. g. temporali ipsi exhibito licet nulla nec expressa, nec tacita pactio antecesserit. Aut è contra quando quis rem temporalem alicui confert intendens illum obligare ad reddendum spirituale sine vllo pacto externo: vt si quis serviat Episcopo, aut alteri collationem habenti beneficiorum, ea intentione, vt in mercedem conferatur beneficium; illudque reipsa sic fiat absque eo quod externis verbis, aut nutibus vlla sit facta conventio. Aut rursum, si aliquis rē temporalem alicui conferat, quasi ex obligatione iustitiæ eam debeat pro re spirituali sibi ab altera collata nulla prorsus antecedēte pactione.

Conventionalis vero Simonia dicitur, quę in pactionem mutuam expressam vel tacitam transit) sed reali traditione, seu executione nondum est consummata, quæ teste Leonardo Lessio, lib. 2. cap. 35. dub. 6. *non tantum fit verbis expressis & directis, sed etiam obscuris & obliquis; interdum nutibus, vel sola pretij oblatione, in speciem donationis; tamen ex circumstantijs adverti potest.* Rursum conventionalis Simonia est duplex: vna purè conventionalis, cum ex neutra parte traditio secuta est. altera mixta, cum vel traditio rei temporalis, sive pretij

pretij tantum facta est, nondum tradità re spirituali; vel vice versâ, traditio rei spiritualis facta est, nondum tradito pretio temporali. Inter quas simonias hæc posterior detestabilior apparet, & magis accedens ad malitiam, & consummationem simoniæ realis. Nam deformitas, & irreligiositas peccati simoniæ in eo consistit, quod res spiritualis in commutationem veniat pro temporali pretio: id videtur consummari hoc ipso, quod res spiritualis tali intentione propter præcedentem pactionem traditur. Addit Lessius loc. citato, *Huius species est simonia, qua quis paciscitur cũ eo, cui confert vel renunciat beneficium, vt illud cum suis fructibus, vel eorum portione cedat alteri, v. g. nepoti, fratri, &c.*

Simonia realis est, quæ ipsâ rei traditione perficitur, & consummatur; sive ex parte vnius tantum cõtrahentium, quæ dicitur simonia mixta; sive ex parte vtriusque, quæ perfectè consummata, & simpliciter realis est. Adeo quod simonia conventionalis sit quasi media inter mentalem, & realem: quia mentali Simoniæ conventionalis superaddit externam pactionem expressam, vel virtualem: Ipsi vero conventionali realis simonia superaddit executionem, seu traditionem rerum, de quibus simoniaca conventio facta est.

4. Denique notandum est pretium simoniacum apud Ecclesiasticos *muneris* nomine significari: illudque dici triplex, sicuti videri est, in
Vrbanus II. c. *Salvator*, quod est Vrbani II. causa. 1. q. 3. *Qui res Ecclesiasticas non ad hoc, ad quod instituta sunt, sed ad propria lucra munere linguæ, vel indebiti obsequij, vel pecuniæ largitur, aut adipiscitur simoniacus est.* Et apud sanctum
Gregor. Gregorium 1. hom. 4. in Evang. relatum in c. *Sunt nonnulli.* 1. q. 1. vbi sic ait: *Aliud est munus ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus quippe ab obsequio est subiectio indebitè impensa: Munus à manu pecunia est. Munus à lingua, favor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus non solum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit.* Et hinc S. S. Thomas
Thomas 2. 2. q. 100. art. 5. aliique Doctores communiter pretium Simoniæ dividunt, *in munus à manu*, in *munus à lingua*, & in *munus ab obsequio*: non quod significet donum liberale ac gratuitum, sed debitum iustitiæ commutativæ, adeoque gravamen aliquod atque onus, quæ acceptio munerum in iure etiam civili vsitatissima est pro servitijs, obsequijs, & tributis, quæ tanquam ex iustitia debita præstari, atque exigi solent, sicuti constat ex tit. ff. de muneribus & honoribus.

Per *munus à manu*, intelligitur non tantum pecunia, quod est propriè dictum pretium; sed etiam omnis alia res materialis tum mobilis, tum immobilis, quæ quomodocumque pretio æstimabilis est; item debiti remissio, & solutionis dilatio, ac mutui datio. Exempli causa; Si quis Episcopo propter beneficium, vel ordines collatos aliquod remittat debitum, quod Simoniacum esse significatur, in c. Veniens, 1. de testibus. Vel si quis ob eam causam mutuaverit; aut quod eodem redit, numerandæ pecuniæ dilationem concesserit, sicuti significat Vgolin. de Simon. tab. 1. c. 9. §. 5. n. 2. Navar. c. 23. n. 101. in fine, & expressè Less. lib. 2. c. 20. dub. 9. n. 64. Suarez cap. 38. n. 7. arg. l. *quisquis* C. *si certum petetur*, vbi is, qui Iudici pecuniam mutuaverit, *quasi emptor legum*, vnà cum Iudice exilij pœna plectendus dicitur. Neque refert, quod officium mutuandi pretio æstimabile non sit: cum alioquin pro mutuandi officio aliquid supra sortem accipere licitum esset: quia pretium in materia Simoniæ latè accipitur, vt comprehendat quamvis commoditatem temporalem, quæ alicui ex pacto datur pro re spirituali: nam in hoc ipso essentialis malitia Simoniæ consistit, quod in ea spirituale cum temporali adæquatur, ac commutatur.

Per *munus* vero *à lingua*, intelligitur

tur laus, adulatio, preces pro aliquo interponendæ ex vi pacti expressi, vel taciti, vt res aliqua spiritualis vicissim conferatur. v. g. laudabo te, & commendabo apud Principem, si ecclesiasticum beneficium mihi conferas. Dico *ex vi pacti expressi, vel taciti*, quia ad simoniam non satisfacit dare rem spiritualem ex motivo rei temporalis; v. g. propter amicitiam, consanguinitatem, obsequia, preces; sed opus est, vt detur pro re temporali tanquam pro pretio, id est, in compensationem illius, veluti ex iustitiæ obligatione.

Denique per munus ab obsequio intelliguntur quæcumque alia obsequia, seu servitia alicui præstita, vel præstanda, sub obligatione conferendi beneficium Ecclesiasticum, vel aliquam aliam rem spiritualem. Exempli causa: Si collatori sine alio salario inservire velis, cum expresso vel tacito pacto conferendi beneficij, sicuti docet S. Thomas loc. cit. & sumitur apertè ex cap. *Cum essent*, de simonia. Implicitum vero seu tacitum pactum intervenire censetur iuxta Suarez de Simonia cap. 39. num. 7. si famulus sine omni salario, aut cum nimis modico, collatori beneficiorum serviat, tanquam ex officio, seu obligatione: ex isto enim modo serviendi, spectatis circumstantijs, plerumque nasci videtur obligatio remunerandi per collationem beneficij Ecclesiastici, quod serviens intendit.

S. Thomas.

Suarez.

5. His positis dico Primò pro gratia sanitatis, prophetiæ, aliorumque gratis datorum, aut pro materia propinqua sacramentorum, quæ fermè in actione transeunte consistit, v. g. ablutione, vnctione & pro ipsa forma, seu prolatione verborum, aliquid vt pretium exigere gravissimum peccatum esse simoniæ, adversus ius naturale ac divinum; item propriam quamdam speciem sacrilegij adversus virtutem religionis; cum sit indigna & irreligiosa tractatio rei sacræ aut spiritualis, quando cum re temporali in commutationem datur. Ratio est. Quia sunt actus potestatis spiritualis, qui nullam aliam vtilitatem, vel æstimationem habere possunt, quam quod ex Christi institutione, & gratia, ad animarum salutem conferant; qui dixit Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date.* id est iuxta Hieronymum: *Ego Magister & Dominus absque pretio hoc vobis tribui: & vos sine pretio date, ne Evangelij gratia corrumpatur.* Et ideo in iure tanta exaggeratione reprehenditur hoc vitium, vt omnibus alijs peccatis mortalibus ex genere suo præferri videatur. Nam in cap. vlt. 1. q. 4. dicitur: *Omnia crimina ad comparationem simoniacæ hæresis, quasi pro nihilo reputantur.* Et in c. 1. q. 3. dicitur, non esse dispar à sacrilegio. Et in ca. *Reperiuntur* 1. q. 1. vocatur, *Execrabile flagitium*, & in cap. *Quisquis* ead. dicitur *Piaculare flagitium*, id est, vt exponit Glossa, quia comparatur ei, quod morte expiatur. Et in cap. *Si quis Episcopus*, ead. ex Conc. Calc. cap. 2. vocatur *Turpissimum lucrum*, & c. *Sanè*, 15. q. 3. dicitur, *Ad instar publici criminis & læsæ maiestatis puniendum.* Similia habentur in c. *Tanta*, de Simon. non quod ex genere suo hoc peccatum reliqua omnia superet; maius enim peccatum est idololatria & hæresis, & omnia, quæ directè opponuntur virtutibus Theologicis, maiora sunt; sed quod per modum exaggerationis sic explicetur hoc peccatum esse acerbissimum & gravissimum. Insuper exaggeratur hoc peccatũ magnopere à Patribus, quia vitium est perniciosissimum Ecclesiæ: quia ratione avaritię & ambitionis, quæ cum illo coniunguntur, nimium diffunditur, & vt cancer serpit, & ideo vocari solet Simoniaca pestis. Et hac ratione dicitur in cap. *Sicut*, de Simon. *Simoniaca pestis alios morbos vincit*: vtique in extensione, & virtute corrumpendi mores. Et ob eandem causam in dic. c. *Reperiuntur*, 1. q. 1. dicitur, *Cancerosũ vulnus, & vsitatum malum.* Et hinc Giezi famulus Helisæi, quia à Naaman Syro

iuxta verbum Prophetæ sanato per lotionem in aquis Iordanis accepit duo talentã argenti & duplicia vestimenta, rediens durum audivit nuntium ab Helisæo, cuius cor præsens fuerat, quando per mendacium, nomine Prophetæ, emunxerat pretium, nempe: *Accepisti argentum, & accepisti vestes, vt emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & servos, & ancillas. Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo, vsque in sempiternum; & egressus est ab eo leprosus quasi nix.* Atque adeo cum illo res accidit, sicut illis, qui vestem ab aliquo furantur aut emunt, quem pestis infecit, & cum vestibus pestem quoque secum domum referunt, quæ illos aut extinguit, aut fœdè periculoseque contaminat: sic acceptum à Syro leproso argentum, & vestes quasi totam illam pestilentem luem imbibissent, illam in infidele mẽdacis servi corpus importarunt. Neque alius est vsus earum rerum, quas homo aut fraude, aut vi, aut malis denique rationibus acquisivit. In quem cecinit illud perquam verè & graviter Habacuc. cap. 2. *Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ.* Sic etiam dona quædam, quæ videntur magno futura vsui his, quibus mittuntur, quæ cum sint in speciem officij plena, & ad commoditates maximas opportuna, sunt revera venenata quædã tela, quæ ab hostili vibrata manu viscera confodiunt, quæ vulgari proverbio ἄδωρα δῶρα nominantur: qualis, vt est in fabulis, fuit vestis ad novam nuptam à Medea missa, qua genialis domus tota conflagravit, aut tunica centauri delibuta sanguine, quæ à Deianira dono data Herculi, illum horribili consumpsit incendio. Erant, credo, vestes illæ splendidæ & quæ regias decerent nuptias; sed quia veneno aut maleficijs infectæ, perniciem attulerunt & mortem. Huiusmodi etiam fuit munus per Giezi à Naamam callido extortum consilio, & astu planè veteratorio, quod licet splendidum, à peccato tamen infectum avaritiæ, & possessorem primum, & eius progeniem postea æternâ maculavit infamiâ.

Habac. 2.

Hinc etiam Act. 8. Simon Magus, qui oblata pecunia emere voluit potestatem ministerialem conferendi gratiam sanctificantem, vt eandem postea divendere posset, & vt loquitur S. Augustinus tractat. 10. in Ioann. *Putabat Apostolos mercatores esse, quales Dominus de templo flagello eiecit: talis enim ipse erat; & quod venderet, emere volebat*: hinc, inquam, audivit à S. Petro: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri posse.* & insuper: *In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse*, significans illud peccatum esse gravissimum. Ad hunc modum similiter Pontifices anathema fulminarunt in simoniacos Iuris Ecclesiastici, quos gravibus pœnis insuper mulctant, de quibus postea.

Act. 8.

Augustin.

Adhæc vitium hoc iustitiæ repugnat ex parte vendentis, quando in compensationem rei, quatenus præcisè spiritualis est, temporale aliquid accipit: quia commutatio talis ipso iure naturali, divino, & Ecclesiastico irrita, dominium rei temporalis non potest transferre, vnde manet restitutioni obnoxia. Et ex hoc capite repugnat huic præcepto, quod omnem iniustitiam prohibet.

7. Verum dices: In veteri Testamento videntur Prophetæ munus prophetandi propter pretium exercuisse, quia consuetudo erat, quando aliquis Prophetam consulendi gratia conveniret, munera secum deferre. Nam 1. Regum. 9. vbi Saul cum socio concesserat ad quærendum asinas deperditas, easque invenire desperans de reditu ad patrem cogitaret, admonitus fuit à socio de consulendo desuper Samuele in verbis: *Ecce vir Dei est in civitate hac, vir nobilis, omne quod loquitur, sine ambiguitate venit: nunc ergo eamus illuc.* Cui applaudens Saul respondit: *Ecce ibimus:*

1. Reg. 9.

mus: quid feremus ad virum Dei? panis defecit in sitarcijs nostris: & sportulam non habemus, vt demus homini Dei, nec quidquam aliud. Et 3. Reg. 14. misit Ieroboam vxorem ad Ahiam Prophetam cum muneribus, vt sibi indicaret quid futurum esset de filio qui ægrotabat. Sic enim ibidem dicitur: *Tolle quoque in manu tua decem panes, & crustulam, & vas mellis, & vade ad illum: ipse enim indicabit tibi, quid eventurum sit puero huic.* Et 4. Reg. 8. misit Rex Syriæ Hazaëlem ad Helisæum cum magnis muneribus, vt ei prædiceret, an ab infirmitate servandus esset, nec ne. Sic enim habetur: *Ait Rex ad Hazaël: Tolle tecum munera, & vade in occursum viri Dei, & consule Dominum per eum, dicens: Si evadere potero de infirmitate mea hac?* Munera autem erant grandia, quandoquidem v. 8. dicatur: *Ivit igitur Hazael in occursum eius, habens secum munera, & omnia bona Damasci, onera quadraginta camelorum.*

3. Reg. 14. — 4. Reg. 8. — vers. 8.

Respondeo in primis Scripturam locis citatis non dicere Prophetas illos pecunias aut dona recepisse. Neque etiamsi recepissent, ex eo sequitur, quod id fuisset in pretium divinationis; quod erat Pseudoprophetarum, qui eatenus reprehenduntur Michææ 3. Neque existimandum est, inexploratum fuisse Sauli, alienum esse animum viri Dei ab imitatione Pseudoprophetarum, qui spiritu instigati pythonico venales habebant suas nugas, quas oracula nominabant; eo magis quod ipsum Saülem invitarit ad mensam, & inter convivas, quorum magnus erat numerus primam sedem attribuerit; quod signum potius erat magnæ liberalitatis.

Mich. 3.

Attamen tribus de causis solent munera deferri ad viros singulares, nempe vel per modum piæ oblationis pro templo, vel per modum stipendij, seu eleemosynæ, sicut nunc datur Sacerdoti missam dicenti: vel observantiæ in Superiores significandæ causa. quo modo nemini ad Persarum Reges vacuis à dono manibus accedere licebat. Sic Benedad Rex Syriæ per Hazaëlem misit onera prædicta ad Helisæum. Sic etiam haud dubio misisset ad Ahiam Prophetam magna munera per vxorem non panes & crustulam, & vas mellis, nisi voluisset vxorem mutato habitu Prophetæ plebæam videri, ipsique esse incognitam, quia honorificè de Propheta vxori locutus erat, in verbis: *Et vade in Sylo, vbi est Ahias Propheta, qui locutus est mihi, quod regnaturus essem super populũ hunc.* Sic Daniel post interpretationem somnij Nabuchodonosoris, propter magnã personæ æstimationem, & admirationem conceptam ex responsis eius elevatus est à Rege ad excellentem dignitatis gradum, cum muneribus & honoribus illi convenientibus, vt patet Daniel 2. vbi dicitur: *Tunc Rex Danielem in sublime extulit, & munera multa, & magna dedit ei: & constituit eum Principem super omnes provincias Babylonis: & præfectum magistrum super cunctos sapientes Babylonis.* Et cap. 5. iubente Rege Balthasare post interpretationem horrendæ sententiæ *indutus est purpura, & circumdata est torques aurea collo eius, & prædicatum est de eo quod haberet potestatem tertius in regno suo.* Sic rursum multis sæculis ante Danielem Ioseph mirificè exaltatus est à Pharaone, Genes. 41. Genes. 41.

His ergo de causis licitum fuit, & convenienter ad Dei gloriam munera admittere, non autem in pretium; quod veri Prophetæ maximè horrebant, vt patet Michææ loco citato, Ezech. 22. 34. Ierem 23. & Zachar. 11. Illis enim locis hoc gravissimè reprehenditur. Et hinc Prophetæ quando timebant, ne acceptio munerum speciem videretur præferre simoniæ, noluerunt illa acceptare, vt patet in Helisæo, qui rogante Naaman iam sanato à lepra: *Obsecro vt accipias benedictionem à servo tuo*, respondit, *Vivit Dominus, ante quem sto, quia non accipiam.* Et licet vim faceret, *penitus non acquievit.* Quod alia ratione nõ videtur tam strenuè repudiasse,

ne in factum, quod præ se ferebat speciem simoniæ, consentire videretur. Quod significavit Iansenius in cap. 55. Concord. Evang. dicens: *Non conveniebat gratuita dona acceptare, ne pietas converteretur in quæstum, & ne gratia Dei vilesceret.* Et ita planè sentiebat S. Hilar. apud Hieronym. in vita eius, quando Orionus nobilis, à quo ipse legionem Dæmoniorum expulerat, *Post nonnullos dies ad ipsum rediit dona offerens Cui Sanctus: Non legisti, quid Gezi, quid Simon passi sint, quorum alter accepit pretium, alter obtulit, vt ille venderet gratiam Spiritus sancti, hic mercaretur? cumque Orionus flens diceret: Accipe, & da pauperibus, respondit: Tu melius potes tua distribuere. Et subiungit inferius. Noli contristari fili, quod facio, pro me & pro te facio. si enim hæc accepero, & ego offendam Deum, & ad te legio revertetur.*

8. Quæres an saltem hoc tempore Ecclesiastici non sint simoniaci, quandoquidem spiritualia ministrantes fidelibus, ab iisdem temporalia recipiant?

Respondeo negativè: non enim recipiunt illud tanquam pretium spiritualis officij, sed tanquam stipendium ministerij spiritualis; non quatenus spiritualis operatio est, & salutem animæ tribuit (sic enim gratis ministrare debent) sed quatenus præcisè servitium est, sive operatio, in alterius gratiam suscepta. seu clarius: Nihil recipiunt pro ipsis actionibus spiritualibus, qua spirituales sunt, neque in commutationem rei, quod simoniam facit; sed quæcumque recipiunt, per modum stipendij in sustentationem personæ, tanquam ex iustitia operario debiti recipiunt. Quod licitum esse docet D. Thomas 2. 2. quæst. 100. a. 2. in corpore. & sumitur ex verbis Christi Matth. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* & ex cap. 9. 1. Corinth. vbi Apostolus probat sex argumentis licere sibi alijsque ministris verbi Dei & Ecclesiæ à suis sumptus exigere. Primò exemplo aliorum Apostolorum, in verbis: *Numquid non habemus potestatem manducandi & bibendi? Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* Secundò, similitudinibus militum, pastorum, & agricolarum, in verbis: *Quis militat suis stipendijs vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Tertiò ex lege Moysis: *Scriptum est enim in lege Moysi: non alligabis os bovi trituranti, numquid de bobus cura est Deo? an propter nos vtique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe qui arat, arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi.* Quartò, ex exemplo Sacerdotum & Levitarum veteris testamenti, qui ex victimis & oblationibus altaris, cui serviebant, vivebant, in verbis: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altari deserviunt, cum altari participant?* Quintò, ex Dei & Christi ordinatione, *Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* Sextò, ex ipsa rei natura, in verbis: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* sive ex iure non tantum positivo, sed etiam naturali, quod dictat, sicut operario debetur merces, ita ministro verbi & Ecclesiæ deberi stipendium, non quasi pretium rei sacræ (hoc enim indignum esset, & simoniacum) sed quasi stipendium sustentationis, quod vocant, quo scilicet sustentetur, vt suas functiones sacras pro populo obire possit. Vnde hoc stipendium debetur ex iustitia, ita Chrysostomus.

S. Thomas. Matth. 10 1. Cor 9. Chrysost.

Quod locum habet etiam ex Iure Canonico. nam in Concilio Agathensi cap. 35. dicitur & habetur cap. vlt. 1. quæst. 2. vniversaliter & sine restrictione. *Clerici omnes, qui Ecclesiæ vigilanter deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundum servitij sui meritum, secundum ordinationem Canonum à Sacerdotibus*

Concil. Agathensi.

dotibus consequantur: ita vt ab ijs decimæ,& primitiæ iustè exigi possint; tanquam debitum, item oblationes à fidelibus: quod ius statutum est in c. *Ad Apostolicam*, extra. de simonia. vbi Ecclesia, suppositâ vonluntariâ consuetudine fidelium offerendi pias oblationes, vult laudabilem consuetudinem observari: & consequenter confert ius ministris suis ad illas petendas: quam legem populus communi vsu acceptavit. Vnde contingit pleraque curata beneficia etiam in præcipuis civitatibus nullos habere proventus ex beneficio,nisi accidentales. Qua distinctione positâ satisfit erroneâ opinione laborantibus, & confundi queunt,qui eiusmodi Clericos (sive pauperes, sive divites existant) dicunt esse simoniacos.

9. Quæres, an aliquid accipere ab ingredientibus ad statum religionis sit simoniacum? Respondeo tunc esse, quando aliquid tanquam pretium recipitur pro susceptione ad statum religiosum. Ratio est quod status religionis sit spiritualis, & consequenter materia simoniæ adversus ius divinum. Item simonia est iuris Ecclesiastici aliquid accipere, vel exigere pro sustentatione personæ, quando monasterium est dives, teste D. Thoma in 4.d.25.quæst.3. a.2. ad 7. vbi ait: *Si sine gravamine Monasterij possit recipi novitius, simoniacum est aliquid exigere.* Adriano quodlib. 9. lit. V. Victoria relect. de simonia pag. 2. num. 12. vbi dicit omnes Doctores sentire hoc esse simoniam. Probatur ratione, quia ius vivendi de bonis Monasterij sic est annexum professioni, sicut præbenda officio Ecclesiastico: ergo sicuti pro præbenda non potest quidquam exigi, ita neque pro iure sustentationis; præsertim nunc vbi monasteria ad sustentationem fratrum sunt copiosè dotata;eo magis, quod ius alimentorum debitum sit ratione status, adeoque censeatur velle vendere ipsum statum (quod est contra ius divinum, ex quo hoc ius provenit) nisi forte alicubi contraria diuturnaque consuetudo, quæ in Monialium Monasterijs videtur obtinuisse, excuset. Cum enim expediat Monialium Monasteria sufficientes reditus habere, ne vagandi, aut cum sæcularibus communicandi occasio ipsis præbeatur, rarò accidet, vt non probabilem titulum exigendi dotem moderatam (præsertim exigente consuetudine diuturna) prætendere possint; quo & de redituum sufficientia securiores sint, & plures etiam, quam alioquin deberent recipere possint.

D.Thom.

Adrianus. Victoria

10. Dico secundò: Quando Monasterium inopia premitur, ita vt non possit plures sustentare, non esse simoniam pacisci cum ingredientibus de sustentatione, vt docet Divus Thomas loc. citat. Ratio est, quia hic nihil spiritale vendi censetur; illa enim pecunia solum requiritur, vt conditio quædam necessaria, vt alij Religiosi non graventur: non enim par est vt maiorem inopiam subeant causa eorum, qui petunt admitti, quando hi ipsi facilè possunt istud incommodum avertere. Nec obstat cap. *Quoniam*. 40. de simonia, quia ibi agitur de Monasterio, quod falsò prætendebat paupertatem, vt notavit Silvester. Dici etiam potest iura antiqua in Monasterijs tenuibus per contrariam consuetudinem esse abrogata.

D. Thom.

Ad cuius clariorem intelligentiam Nota hæc bene ab invicem distingui. Nam sicut in Matrimonio carnali considerari potest & ratio Sacramenti, & onus sustentandi coniugem, familiamque, cuius intuitu dos à puella exigitur, licet pro ipso Sacramento accipere simoniacum esset: ita etiam in matrimonio spirituali, seu Religionis professione duo considerare licet;& statum spiritualem, & onus alendi personam; quorum posterius temporale,ac pretio æstimabile est; quæ est consideratio Suarez. cap. 17. num. 7.

Suarez.

Conc. Trid. 11. Dices: Concilium Tridentinum sess. 25.c.3.de reformatione Regularium statuit, *vt in Monasterijs & domibus tam virorum, quam feminarum, is tantum numerus constituatur & conseruetur, qui ex proprijs reditibus Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.* Ex quo sequitur debere illum numerum constitui, & nullatenus permitti, vt plures admittantur,& consequenter ne pacta fiant de alimentis,aut de dote.

Respondeo laudabile fore si ita fieret, eo magis, quod iuri antiquo sit conforme: tamen non videtur condemnanda sub mortali plurium admissio, vbi ille numerus necdum est constitutus, aut pacisci de dote, quando monasterium est tenue. Ratio est duplex, vna quod decretum illud necdum videatur receptum,& vsus contrarius non sit contra rectam rationem; quin etiam, quod sacra congregatio Cardinalium nihil ausa sit hac de re definire: sed negotium censuerit ad summum Pontificem deferendum. ita Lessius loc.cit. dub. 12.n.73. Altera est, quod præsupposita ratione primâ, expediat Monialium Monasteria sufficientes reditus habere, ne vagandi,aut cum sæcularibus communicandi occasio ipsis præbeatur; quodque summi Pontifices, teste S. Antonino 3. par. tit.24.cap.67. Syl.verb. *excommunicatio*,7.excommunic.44. Nauar. c. 27. n. 106. excom.20. declararint nolle se, vt Moniales censuram aliquam incurrant, eò quod in ingressu, aut professione suarum aliquid exigant. Denique, quod consuetudo diuturna aliquid exigendi in huiusmodi rem vtcumque cohonestet. Cœterum vbi Canones, & Decreta contra eiusmodi simoniacos vsu recepta sunt, tam dantes, quàm accipientes incurrunt excommunicationem; imo Conventus & Capitulum, si consenserit in illam simoniam suspenditur ab officio capitulari ad iurisdictionem, seu administrationem Ecclesiasticam pertinente, per extrauag. Vrbani quarti, quæ incipit *Sane nè in vinea Domini.* Et sic admissi egent dispensatione Ordinarij vt valeant in isto Monasterio permanere.

Antonin.

12. Quæres, quas pœnas præter peccatum inducat simonia in beneficijs commissa.

Respondeo, vel loqueris de simonia reali, vbi pretium interuenit, vel de simonia confidentiæ. Si de priori; sic conferens vel procurans alteri beneficium incurrit excommunicationem ipso facto per extrauag. *Cum detestabile*, de simonia. Ad hæc collatio & prouisio sic impetrata est nulla cum onere fructus perceptos restituendi. Decernitur enim dictâ extrauag. vt *electiones, præsentationes, collationes, & alia prouisiones beneficiorum per simoniam realem facta, sint irrita, & nullum ius tribuant, & vt prouisi fructus non faciant suos; sed sub periculo animæ suæ ad eorum restitutionem teneantur.*

Quod etiam locum habet non solum, quando ipso prouiso sciente, & non contradicente ab alio pecunia ad hoc data est; licet ipse simoniam non commiserit; sed etiam quando ipso ignorante tale quid factum est, vt patet c. *Nobis fuit*.27. de simonia, vbi Cælestinus tertius consultus, an eo casu quo amici eius, de cuius electione spes habebatur, vni vel omnibus eligentium promiserant pecuniam soluere eligendo ignorante, electio secuta esset simoniaca, respondit: *Quia igitur super hoc nos consulere voluisti, consultationi tuæ breuiter respondemus, quod nisi constaret illos, qui promissum tale fecerunt per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat id malitiosè fecisse: quamvis ipse tempore promissionis conscius non fuerit, eius tamen electio tanquam simoniacâ prauitate præsumptâ est penitus reprobanda.* Idque statutũ est in odiũ amicorum & simile quid tentatũ. Præterea fit inhabilis ad idẽ beneficiũ; quin imò Regula de triennali possessore, simoniacè ingressis in beneficium nihil prodest. Cœterum simoniacè beneficiũ obtinens, causâ cognitâ priuari potest per Iudicis sententiam beneficijs antea legitimè obtentis, quando simonia per eius culpam commissa est, vti colligitur ex c. *Præsbyter* 1. q.1.c. *Sicut simoniaca,*

niaca,&c. *De hoc*, De Simonia; licet ante latam sententiam in conscientiæ foro valeat beneficia antè legitimè obtenta ac possessa retinere, & fructus percipere. Pœnæ autem prædictæ intelligendæ sunt dũtaxat, quando simonia ex vtraque parte per traditionem completa est. Pœnæ enim præsertim graves strictè interpretari debent, adeoque de actu omnino completo.

Ex quo sequitur simoniacè provisum, seu beneficium assecutũ, si post temporis intervallum pretium prius numeravit, non obligari in foro saltem conscientiæ ante iudicis condemnationem ad restitutionem fructuum ante perceptorum.

13. Si vero loqueris de simonia confidentiæ; illa inducit similiter excommunicationem Pontifici reservatam vtrique parti contrahenti, privationem beneficij, in quo commissa est simonia, quin etiam reliquorum beneficiorum antè obtentorum, & pensionum; non tenetur tamen huiusmodi simoniacus priora beneficia vel pensiones demittere ante Iudicis sententiam, iuxta Glossam communiter receptam in c. 2. *Fraternitas*, 12. q. 2. Et fructus similiter veniunt restituendi.

14. Quæres, cui facienda sit restitutio simoniacè obtentorum. Resp. ante sententiam illi pecuniam reddendam esse, à quo simoniacè recepta est; post sententiam vero pauperibus vel Ecclesiæ. Prioris ratio est, quod accipiens pretium temporale pro re spirituali alteri communicata lædat iustitiam commutativã, quandoquidem res spiritualis non sit pretio æstimabilis, adeoque nec vendibilis. Posterioris vero ratio est, quod nulla lex Ecclesiastica adferri queat, quæ ante omnem Iudicis sententiã, in conscientia obliget, vt acceptum simoniacè ad pios vsus convertatur. Quamvis hoc ipsum in pœnam delicti à Iudice iustissimè decernatur, iuxta l. 2. C. *De conditione ob turpem causam*, & l. *Si ob turpem*, ff. eod. A quibus civilibus constitutionibus nõ dissentiunt Canones; imò consentiunt, vti colligitur ex c. *Audivimus*, de simonia, vbi Episcopus accipiens pecuniam pro beneficij collatione damnandus esse dicitur, vt *duplicata restituat in vtilitatem locorum, in quorum fuerint soluta dispendium, fideliter convertenda*. Quare rectè dicitur apud Sa verb. *simonia*, n. 10. *Ante sententiam ei à quo accepta est simoniacè pecunia, reddenda est; post sententiam pauperibus vel Ecclesiæ.*

Discursus XIV.

Quid sit contractus locationis & conductionis, quidve requiratur, vt iustus sit?

D. Paulus 1. ad Thessal. 4. dicit: *Nemo circumveniat in negotio fratrem suũ.* De hac circumventione nonnihil dixi, quantum ad contractus onerosos, in quibus transfertur absolutum dominium rei traditione. Nunc, vt aliquid de ijs contractibus attingam in quibus dominium vtile rei dumtaxat transfertur, tractabo quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam prænotandum est Locationem dici, contractum, quo res vel persona aliqua conceditur ad vsum vel fructum pro pretio. Et dicitur is qui concedit *locator*, qui vero suscipit *conductor*. Hic vero contractus etsi magnam cum emptione & venditione affinitatem habeat, differt tamen in duobus. Primò, quod emptio & venditio tendat ad dominij translatio-

 nem;

nem; locatio solum ad vsus vel fructus concessionem, l. *Non solet* ff. *Locati*, & l. *Cum manu sata*, §. vlt. ff. de contrah. empt. *Nemo potest videri eam rem vendidisse, de cuius dominio id agitur, ne ad emptorem transeat; sed hoc aut locatio est, aut aliud genus contractus.* Secundò, quod si res vendita ante traditionem sine culpa venditoris pereat emptor nihilominus pretium solvere debet: Sin autem res locata ante traditionem intereat, contractus penitus dissolvitur, & conductor liberatur, l. *Item quaritur*, ff. *Locati*, & l. 1. in fine C. de iure emphyteutico, & Gomez. docet Gomez. 2. resol. c. 3 n. 3.

2. Porro res quæ vtenda datur, est vel res mobilis, vt equus ad equitandum, bos ad arandum: vel immobilis, vt domus ad inhabitandum. Rursum res mobilis, quæ datur ad fruendum, est vacca, capra, aliudque animal ideo locatum: immobilis, ager vel vinea ad fructus inde percipiendos infra terminum decennij: Si enim ad longiorem cōcederetur, efficeretur contractus emphyteuti-
Matth. 21. cus, de quo non ago. Huius locationis fit mentio Matth. 21. vbi Christus parabolicè loquens de Ecclesia, quam Prophetis dederat excolendam, dicit: *Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis: & peregrè profectus est.* Dicitur autem locasse Deus colonis vineam suam, quia in ea laborantibus mercedem certam vitæ æternæ promisit, quemadmo-
Matth. 20. dum sub alia vineæ parabola Matth. 20. latius insinuatur.

3. Persona autem locatur, quando seipsum, aut operam suam alteri locat, vt cum sartor, faber lignarius, pictor, acu textor, ac alius quispiam peculiariter pro mercede alteri se obstringit, aut necessitate pressus pro victu quotidiano, certoque stipendio suam operam ad rem domesticam addicit. Cuius meminit Scri-
Thren. 5. ptura Threnor. 5. vbi dicitur: *Ægypto dedimus manum & Assyrijs, vt saturaremur pane.* id est: Dedidimus & subiecimus nos, ac servivimus quasi mancipia Ægyptijs & Assyrijs, vt panem lucraremur, quo victitaremus, & traheremus ærumnosam vitam, ad quam miseriam ob peccatum Iudæi redacti erant. Refricat enim ibidem Hieremias mala populo ob peccata à Deo illata, eaque summatim enumerans, recenset quod dixi. Et 1.
Reg. 2. Anna prædicans Dei poten- 1. Reg. 2.
tiam, qui eam ex sterili fœcundam effecerat, multa in medium adducit, quibus divinam potentiam deprædicat, & inter alia, *Repleti prius pro panibus se locaverunt*: q. d. Sicut mecum egit Deus, sic in alijs solet alternare vices, vt à summo gradu ad infimum descendatur, seu à temporali abundantia, opibus, honoribus, filijs, ad tantam egestatem deveniatur, vt pro lucrando pane, seu comparando victu operas suas necesse fiat alienis dominis locare, & asperam ac difficilem vitam ducere. Sic Ægyptij ex magna fertilitate in tantam sterilitatem inciderunt, vt pro alimento in perpetuam sese tradiderent servitutem. Vnde ad Iosephum confluentes dicebant: *Eme nos in servitutem regiam, & præbe semina, ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem*, Genes. 47. sic Iudæi aliquan- Genes. 47.
do ex summa abundantia ad extremam inopiam pervenerunt, vt patet loc. cit. Sic hodie videntur operam suam alijs locare, qui rheda & comitatu instructi in publicum conspicui prodire solent.

4. His positis quæritur, quid requiratur vt contractus locationis & conductionis sit iustus: Respondeo vt iustus sit, quatuor requiri. Primum vt sit res quæ locari queat. Nam res quædam etsi vendi possint, tamen locari non possunt, vt servitutes reales, vt prædiales l. *Locare*, ff. *Locati.* Rursum quæ vsu consumuntur locari non possunt, vt est pecunia, panis, vinum, oleum & similia, l. *Sed mihi videtur*, §. vlt. ff. *Commodati*: quia in eiusmodi rebus non distinguitur vsus à dominio, cum primo statim vsu consumantur. Res item alienæ locari non possunt quāvis queant aliquando conductæ.

5. Secundum est, vt locatio fiat cum omnium consensu, quando duo vel plures rem aliquam communem habent: non enim sufficit, maior pars, aut eius solius, qui maius ius habet, l. *Per fundum.* Cod. de servi. rust. præd. Tertium est, quod requiritur, vt pretium sit iustum, vel secundum conventionem inter locatorem, & conductorem factam, vel secundum consuetudinem aliarum locationum similium rerum in illa Provincia, aut gente fieri solitarum; aut denique quando nulla est consuetudo, æstimanda est merces conductionis iuxta arbitrium boni viri, quo casu illa videtur æqua & rationabilis, quæ viginti annis collecta exęquaret iustum rei pretium. Si vero hæc observata fuerint, tenebitur conductor iuxta cōventionem mercedem solvere, vel in fine anni, vel cuiuslibet semestris, vel tertio etiam aut quarto mense, vt aliquando conveniri solet, cum locantur officinæ artificibus non admodum divitibus, & inferioris generis, aut de quorum solutione est ambigua fides. Cœterum locans meretrici domum in illum finem, vt fornicetur, communicat peccato conductricis. Et similiter locans equum, vel gladium alteri, quo cognoscit eum vsurum ad vulnerandum iniustè proximum, auxilium præbet, adeoque tenetur ad restitutionem damni inde secuti, S. Thomas 2. 2. q. 43. a. 7. Molina disp. 50. Vsurarium verò est alteri rem locare, quam non habet, vt v. g. cum quis à rustico sexaginta rhenenses mutuo petente emit bovem, quem non habet, soluto pretio sexaginta rhenensium, illumque eidem locet obligando illum ad reddendum bovem, vel sexaginta rhenenses, & præterea certam mercedem ratione locationis: quamvis enim homines decipiat, Deus scrutatur renes & corda.

S. Thomas. Molina.

6. Quæres: An contractu iusto existente, cōductor aliquādo à pēsione solvenda liberetur? Respondeo. Vel de domo loqueris, vel de agro: si de priori vel est impedimentum ex parte rei conductæ, puta quia domus conducta ruinam minatur, nocturnis spectris infestatur, aut propter periculum belli tutam habitationem non præstat. his casibus liberatur conductor à solvenda pensione pro tempore quo inhabitare, vel alia re conducta vti fruive non potest, ex l. *Item quæritur.* §. *Exercitus*, & l. *Habitatores*, in fine ff. eodem, vbi dicitur: *Si causa iusta fuisset, cur periculum timeret* (conductor) *quamvis periculum verè non fuisset, tamen non debere mercedem.* Vel est impedimentum ex parte locatoris, quod domum conductam tradere non queat, quo casu non solum liber est conductor à pensione, sed tenetur eidem locator ad interesse.

Si de posteriori, seu agro locato agatur, an videlicet colono ob anni sterilitatem, hostium incursionem, aliumve fortuitum casum, quid remittendum veniat de pensione, Dico primò, ob modicum damnum aut infortunium, nihil de pensione colono remittendum esse. Ratio est, quia si colonus ob vnius, vel alterius anni fertilitatem maius commodum recipiat, nihil ipsi aufertur, neque pensio augetur: Ergo etiam modicum damnum æquo animo ferre debet, sicuti habetur in l. *Si merces* §. *Vis maior*, ff. *Locati.*

Dico secundò, Si contingat colonum intolerabili clade affectum, vel ex cæli iniuria, aliave vi extrinseca, aut plaga Dei, quēadmodum Deus minatur Isa. 5. ob peccata Israëlitarum, cum dicit: *decem iugera vinearum facient lagunculam vnam, & triginta modij sementis, facient modios tres,* Et Aggęi. 2. vbi Dominus asserit propter neglectum templi Dei, magnam sterilitatem Israëlitis accessisse, dicens: *Cum accederetis ad acervum viginti modiorum, & fierent decem: & intraretis ad torcular, vt exprimeretis quinquaginta lagenas, & fiebant viginti.* Denique vt accidit, in devastatione bellica, aut aliunde sine culpa ipsius, remittendum esse de pensione, vti habetur dicta l. *Si merces* §. *Vis maior.* & l. *Ex conducto.* §. *si vis tempestatis*, ff. eodem

Isa. 5. Aggęi 2.

dem. l. *Licet* C. *De locato.* his accedit cap. *Propter sterilitatem* ẋ. eodem, quod sic habet: *Propter sterilitatem afficientem magno incommodo conductores vitio rei sine culpa coloni, seu casu fortuito contingentem, colonis Ecclesiæ tuæ pro rata pensionis remissio est facienda; nisi cum vbertate præcedentis vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari.*

Adeoque in causa sterilitatis, vel calamitatis hæc regula servanda venit, Primò vt, si tanta sit, vt conductor nihil ex re conducta percipere valuerit; quemadmodum fit cum eluvione, vel hostium incursione, vel grandine, vel brucho vastantur segetes, tota pensio remittenda sit. Quod etiam extende ad illum eventum, quo fructus iam collecti positi in fundo, vel in area pereunt casu fortuito, antequam commodè potuerint in domo recondi: tunc enim perinde facienda est remissio ac si sterilitas fuisset, vt patet l. *Ex conducto*, 15. §. 1. ff. *Locati.*

Si vero sit magna, qualis censetur cum detracto semine, & expensis, non superest quod sufficiat saltem dimidiæ pensionis solutioni, tunc facienda est remissio pensionis pro rata. Et certum est satisfacere colonum, dum offert quod, deducto semine, alijsque impendijs, infra dimidium solvēdæ pensionis superest: Dico *infra dimidium pensionis*, nam si id quod superest, dimidiæ pensioni sufficiat, nulla est facienda remissio. Ratio est quòd non censeatur magna sterilitas, sed modica, ad eum modum, quo deceptio citra dimidium iusti pretij in iure non censetur læsio enormis. Tertiò servanda est hæc regula, vt si præcedentiū annorum fertilitas compenset præsentem sterilitatem, nihil remittendum sit. Eadem est ratio si sequentes eam compensent ex dicto c. *Propter sterilitatem.* adeoque locator eo casu potest inde repetere, quod annis præcedentibus ex causa sterilitatis remisit id enim æquitas postulare videtur, nam si ob sterilitatem fiat remissio; & par est, vt ob fertilitatem id compensetur. Adhæc notandum est, quando quis paciscitur, non obstante casu fortuito certo sibi pēsionem solvendam; casum illum fortuitum esse exprimendum, aut aliàs nihil efficere eiusmodi stipulationem: hinc lex *Si quis domum* §. *Iulianus*, ff. eodem. vbi dicitur nihil conductori remittendum ob casum fortuitum, quando sic conventum est, frustra tunc allegatur. Casus enim insolitus & extraordinarius vt dixi non censetur comprehensus nisi exprimatur, quemadmodum ex communi docet Gomez. lib. 2. resol. cap. 3. n. 19. & Molina disp. 495. arg. l. *fistulas*, §. *frumenta* ff. de contrahent. empt. vbi sic Doctores communiter. & Bartolus, in l. *Sed etsi quis*, §. *Quæsitum* ff. *si quis caution.* Gomez. Molina.

1. Quæres iterum, ad quem spectet tributa & onera publica præstare, quæ ratione domus, aut fundi locati debentur: item ad quem pertineat expensas in rem conductam facere, puta, vt villa, stabulum, puteus, domus sarta ac tecta conserventur.

Respondeo vtrumque ad locatorem pertinere. Prius constat ex tit. ff. de via publica, & si quid in ea factum dicatur, vbi sic habetur: *Construat vias publicas vnusquisque secundum propriam domum: & aqua ductus purget, qui subdito sunt: & construat ita, vt non prohibeatur vehiculum transire. Quicumque autem mercede habitant, si non construat dominus, ipsi construentes computent dispendium in mercedem.* Posterius patet ex l. *Sed addes*, §. *si inquilinus*, l. *Dominus* l. *Colonus.* ff. eod. Adeoque si conductor in rem conductam necessarias vel vtiles expensas fecerit, potest eas de pēsione detrahere, vel finita locatione à locatore repetere, sicuti habetur expresè in cit. l. *Dominus*, & cit. l. *Colonus*, vbi additur etiam eum qui propter pensionem non solutam eijcitur, expensas vtiliter factas repetere posse. Addit Molina in fine disp. 496. interim dum expensæ à locatore non solvuntur rem conductam à conductore retineri posse.

Hæc autem sic locum habent, quando

quando de expensis faciendis non aliter inter contrahentes stipulatum est, aut consuetudine loci aliud non est receptum. ista enim servanda veniunt, vt colligitur ex l. *Locationes* C. *Locati*.

Rursum disquisitione dignum est, an locator possit conductorem expellere iuxta arbitrium suum, aut rem locatam alteri locare: & è contra, an postremum conductori aliquando liceat?

Quantum ad primum attinet, Dico per se non licere locatori conductorem arbitrio suo expellere durante tempore cōductionis ex l. *Aede* c. *Locati* vbi Imperator Antoninus sic scribit Calimorphoniæ: *Aede, quam te conductam habere dicis, si pensionem domino in solidum solvisti, invitam te expelli non oportet.* Quod etiam ad locatoris hæredem extendit Iustinianus Imperator. ff. vlt. instit. de locato. Et Imperator Gordianus l. *Viam* C. eodem, quæ sic habet, *Viam veritatis ignoras, in conductionibus non succedere hæredes conductoris existimans, cum sive perpetua conductio est, etiam ad hæredes transmittatur, sive temporalis, intra tempus locationis hæredi quoque onus contractus incumbat.* Et ratio est, quod hæres cum defuncto censeatur vna persona.

Dico secundò, quamvis per se non liceat, ex l. tamen *Aede*. cit. tribus de causis licere conductorem invitum expellere: sic enim ait ibidem Imperator: *Nisi proprijs vsibus dominus eam necessariam esse probaverit, aut corrigere domum maluerit, aut tu malè in re locata versata es.* id est: Primò poterit te expellere locator, si casus improvisus incidat, ob quem domus locata vsibus ipsius sit necessaria. Secundò, quando necessarium fuerit rem locatam reficere. Tertiò cum conductor in re locata inhonestè, aut ita versatur, vt notabiliter damnificet locatori, eiusque ædes aut agros deteriores reddat, cui conforme est il-
Matth. 21. lud Matth. 21. vbi dominus comperiens loco fructuum solvendorum conductorem malè tractare servum & hæredem rogavit Iudæos: *Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* Et responderunt: *Malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* Et quamvis prædiceret hac ratione regnū Dei à Iudæis ad Gentes tranferendum, tamen satis insinuat, quid mereatur agricola rem domini non curans.

Quo casu non solum expelli potest, sed etiam damnum resarcire debet, vt v. g. quando domum inhabitabilem reddidit ex malo & insolito apud omnes regimine, vel quando conductor prædij per intempestivam, vel pravam illius culturam deterius illud reddit ad fructus ferendos in futurum, aut arbores sic scindit ac destruit, plusquam pro ratione coloni, ex l. *Videmus* §. 1. ff. *Locati*,

Quarto potest expelli, si integram pensionem tempore statuto non solvat, vt ex verbis prioris partis huius legis satis colligitur.

His consentit Ius Canonicum, salvo quod velit in duobus primis casibus necessitatem intercedere, quæ non imminebat locationis tempore, & in quarto casu requirat contumaciam; sic enim sonat capitulū *Propter* §. *Verū* X ff. *de locato: Verū invito inquilino domum inhabitare, vel reficere poteris, si necessitas (quæ tamen non imminebat locationis tempore) id exposcat, remissa sibi pro residuo temporis pensione: qui etiam inde rationabiliter amovetur, si perversè ibi fuerit conversatus; vel cum canonem per biennium non solvisset, sibi satisfactione celeri non providis.* Cum enim designat tempus biennij, insinuat de iure satis præsumi conductorem esse contumacem, quando biennio integro pensionem solvere neglexerit, quod ius commune solummodo spectat. Et huc respicit l. *Quæro*, ff. *Locati*, §. *inter locatorem*, & l. *Cum domini*, ff. eod. vbi Paulus IC. sic ait: *Cum domini horreorum, insularumque desiderant, diu non apparentibus, nec eius temporis pensiones exsolventibus, conductoribus aperire, & ea quæ ibi sunt, describere: à publicis personis, quorum interest, audiendi sunt. tempus autem in huiusmodi*

modi re biennij debet observari.

In his autem est plurimum attendenda consuetudo loci, quandoquidem iuri scripto deroget; quin etiam conventio facta inter locatorem & conductorem. Atque ex his patet secundum, nempe quod locator alteri locare non possit extra casus prædictos.

11. Quantum ad tertium pertinet: An conductor rem sibi locatam alteri locare possit, respondeo affirmative ex l. *Si cum* ff *Locati* & l. *Nemo*, C. eod. quæ postrema sic habet: *Nemo prohibetur rem, quam conduxit fruendam alijs locare, si nihil aliud convenit.* Verum requiritur hoc casu vt conductor sublocet domum vel agrum æque idoneo ad eundẽ vsum. Et licet secundus conductor actione personali obligetur ad solvendum pensionem secundo locatori, quocum contraxit; tamen fructus in prædio nati, item res conductoris sciente locatore, in prædium rusticum, vel etiam eo ignorante in prædium illatæ, tacitè pro pensione obligatæ sunt, per l. *Si in lege*, §. 1. ff. *Locati*, vbi Paulus Iurisconsultus sic ait: *Si colonus locaverit fundum, res posterioris conductoris domino non obligantur: sed fructus in causa pignoris manent; quemadmodum esset, si primus colonus eos percepisset.* Et clarius vtrumque decernitur l. *Certi iuris*, C. eodem, quæ sic sonat: *Certi iuris est, ea quæ voluntate dominorum coloni in fundum conductum induxerint, pignoris iure dominis prædiorum teneri, Quando autem domus locatur, non est necessaria in rebus inductis vel illatis scientia domini, nam ea quoque pignoris iure tenentur.* Adeoque si secundus conductor primo locatori pensionem solverit, penitus liberatur ex l. *Solutum*, iuncta Glossa ff. de pignoraticia actione. Ex quibus constat conductorem satisfacere debere locatori, quando ipse re conducta vti noluerit.

12. Quæres denuò: Quis damnum præstare debeat, si res pereat apud conductorem, vel deterior reddita est; locator videlicet an conductor, v. g. cum domus incendio perijt. pecus seu vacca locata moritur vel abigitur, vasa pretiosa aurea, vel argentea furto sublata sunt?

Respondeo plurimum referre, vtrum res quæ in contractum venit, casu pereat, an culpa, an dolo conductoris. Deinde considerandum culpam apud Iurisperitos definiri, *Discessum ab eo quod bonum ac debitum est, hominisque diligentia præstari potest.* Eamque dividi in latam, levem, ac levissimam. Culpa lata sive crassa est omissio eius diligentiæ, quam passim omnes homines eiusdem conditionis, professionis, ætatis &c. adhibere solent. Culpa levis est omissio eius diligentiæ, quam prudens quisque ac solers eiusdem professionis, ætatis &c. adhibere consuevit. Culpa levissima est omissio exactę diligentiæ quam non nisi experientissimi eiusdem ætatis, artis, professionis homines adhibere solent, v. g. si librum tibi commodatum in publico foro relinquas, indeque subripiatur, censeberis amisisse per latam culpam. Sin autem in conclavi domus tuæ, ostio non clauso, reliquisti, censeberis amisisse per culpam levem. Si denique reliquisti in conclavi clauso, sed non obserato, quia manu non tentasti, vtrum sera inducta esset; censeberis amisisse per culpam levissimam.

13. His positis dico primò culpam tum latam tum levem conductori vitandam esse, eumque teneri ad restitutionem, si ex tali culpa contingat rem perijsse, aut damnum accidisse, ex communi Doctorum sententia in l. *Contractus*, ff. de regulis Iuris, & l. *Si quis domum* §. celsus, & l. *Si merces* §. qui columnam, ff. qui locati. non autem ex levissimâ, aut casu fortuito. Ratio est, quia cum locatio & conductio in vtriusque, id est, tam dantis quam accipientis vtilitatem redundat, qui alienum locat, ea lege & conditione locat ex communi hominum vsu, vt rem locatam ea solum diligentia custodiat, qua ab homine provido, & sufficienter circumspecto custodiri solet, non autem quantum ab homine

ne diligentissimo, & maximè circumspecto custodiretur. Vnde si quis locavit alteri equum, aut domum, & pereat domus ob culpam levissimam conductoris, aut casu fortuito, non tenetur ad restitutionem, vti constat ex l. *Si vt certa* §. *nunc videndum*, ff. commodati. Sin autem pereat ex culpa lata, aut levi tenetur ad restitutionem in integrum. Vt v.g. si equus conductus perijt, vel quia maiori onere oppressus fuit, vel plus itineris, quam debuit confecit, vel pauciora, quam oportebat, accepit alimenta. Idque etiam ante Iudicis sententiam, quia istæ leges sanciunt id, quod naturali æquitati est consentaneum quemlibet præstare circa rem alienā, quam mediante contractu locati & conducti habet; adeoque vigore istarum legum implicitè se obligat ad præstandam illam diligentiam, quam huiusmodi leges requirunt. Vnde non excusabitur candē diligentiam non præstans, quod ex naturali oblivione sine omni culpa illam amiserit adhibere.

14. Dico secundò: Si vel conventū fuit, vt conductor ignem in domo non haberet, sed habuit, & casu fortuito sine vlla eius culpa incendio acciderit domum perijsse, tenebitur conductor ad restitutionem: quia culpā suā præbuit causam casui fortuito, ex l. *Videamus*. §. Si hoc, ff. locati, vbi sic dicit Vlpianus: *Si hoc in locatione convenit, ignem ne habeto, & habuerit, tenebitur, etiamsi fortuitus casus admisit incendium: quia non debuit ignem habere.* Vel si consuetudo interpretatur ex culpa levissima quē teneri, seu summam diligentiam adhibere debuisse, tenebitur ad restitutionem, vt fit quando valdè pretiosa locantur, videlicet vasa aurea, argentea, vt rectè notavit Maior in 4. d. 15. quæst. 41. §. *tertio arguitur*. Ratio est, partim quia talia suapte natura exactissimam servandi diligentiam postulant: partim quia nemo ea, nisi cum tali conditione, locare vellet.

Vlpianus

Maior.

15. Quæres, cui onus probandi incumbat, si nesciatur an casu, vel culpa, vel dolo conductoris res locata perierit, & graves coniecturæ non sint, sive indicia pro conductoris innocentia.

Respondeo distinguendum esse. Nam si dubium sit de domo, quo modo perijt, non debet ex communi Doctorum sententia præsumi culpā conductoris advenisse, adeoque absolvendus venit, nisi locator culpam ostendat. Ratio est, quod, etsi incendium plerumque inhabitantium culpa accidat, tamen paterfamilias culpam famulorum præstare non cogatur, vti constat ex l. *Si venditor*, ff. de peric. & commodo rei venditæ. Si autem res quæ perijt sit vel pecus mortuum, vel abactum, conductor tenetur ad probandum, quod verè perierit, & quod sine sua culpa; alioquin tenebitur ad restitutionem: quia ratio postulat, vt in dubijs potius sit liber à damno locans, quā is, cui locatur. Tum quia in dubijs potior est conditio possidentis, & quia per locationem, seu conductionem, non transfertur rei dominium, ideo dicitur adhuc quod dominus possidet illam & in dubio illi sua res semper restituenda est. Tum quia licet quoad pœnam in dubijs pars benignior accipienda sit, quoad culpam tamen tutior, & rigorosior amplectenda est, cap. *Iuvenis*, de spons. & c. *Ad audientiam*. & cap. *Significasti*, 2. & cap. *Petitio tua*, de homicidio. & cap. penult. de clerico excommun. ministr. & cap. 2. de reg. iur. & cap. *Si quis autem*, de pœnit. dist. 7. & Navar. in Man. cap. 27. num. 284. Ludovic. de Beia, in suis responsionibus casuum conscient. p. 2. in respon. ad casum.

Navar.

Lud. de Beia.

16. Quæres denique, quale peccatum sit operarios à te conductos mercede fraudare?

Respondeo præmittendum esse, nomen *operarij* in Scriptura dupliciter sumi. Primò, pro eo qui operas suas alicui locavit pro mercede sive famulus, sive artifex aliusve operarius. De his mentio-

Digitized by Google

Lev. 19. Deutr. 24. Tob. 4. Mar. 1. nem facit Scriptura Levit. 19. Deuteron. 24. Tob. 4. & Mar. 1. vbi de filijs Zebedæi dicitur: *Relicto patre suo Zebedæo in navi cum mercenarijs secuti sunt eum*, supple Christum. Et Luc. 15. vbi filius prodigus ad saniorem mentem rediens, inquit: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo.* Ad quos etiam allusit Christus Math. 20. vbi hominem alliciens ad bene operandum, vtitur parabola conductoris, & locatoris dum ait: ***Conventione autem factâ cum mercenarijs ex denario diurno, misit eos in vineam suam.***

Luc. 15. Matth. 20.

Secundò sumitur vocabulum *operarij*, pro Pastoribus Ecclesiæ, qui accipiunt mercedem pro labore prædicandi Evangelium, & Sacramenta administrandi, non vt mercedem, sed vt necessariam vitæ sustentationem. De quibus Lucæ 10. & Apostolus 1. Timoth. 5. 18. *Dignus est operarius mercede sua.* Et 1. Corinth. 9. 11. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Et infra vers. 14. *Ita & Dominus ordinavit ijs, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.*

1. Tim. 5. 1. Cor. 9. Vers. 14.

Rursum præmittendum est considerari debere, quæ sit iusta merces iuxta morem cuiusvis regionis: illa enim ipsis competit. Hoc Christus insinuavit Matth. 20. cùm otiosis in foro existentibus dixit: ***Ite & vos in vineam meam: & quod iustum fuerit, dabo vobis.***

Matth. 20

17. Quibus positis, Dico prioris generis operarios fraudare mercede peccatum esse gravissimum, & quidem in cœlum clamans vindictam. Vnde est illud Iacob 5. contra divites defraudantes: ***Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum, in aures Domini Sabaoth introivit.*** significans hoc schemate Scripturis familiari Deum, cuius imperijs mente ac voluntate obsequuntur copiæ Angelorum, graviter illorum iniurias vlturum in divites, qui potentes in sæculo humana non curant tribunalia. Videtur autem Apostolus eo loco alludere ad verba Malachiæ Prophetæ cap. 3. *Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij.* Quibus perstringebat, & percellere studebat Propheta homines sui temporis, qui providentiam Dei non credebant circa res humanas. Exemplum huius punitionis horribile ostendit Dominus Exod. 14. & 15. in Ægyptijs, quorum Dominus primogenitos vna nocte delevit, totamque turbam in profundo maris rubri quasi lapidem demersit, quòd Hebræos mercede defraudarent, & iniquè detinerent. Et hinc Dominus Iudæis legem ponebat iudicialem de solvenda mercede ante solis occasum, Deuteronom. 24. dicens: ***Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, sive advena, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est: sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.*** In cuius conformitatem monebat Tobias filium suum illico solvere operarijs mercedem, in verbis: ***Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarij tui apud te omnino non remaneat.*** Verum nota, quantumvis hæc lex iudicialis fuerit tamen quatenus moralem côtinet rationem, æque Christianos concernere, cum in necessitate cuivis, etiam gratis succurrendum sit. Aliàs verò non videtur per se tam præcise obligare Christianos quandoquidem frequentissimè cum gratia & favore operariorum contingat, vt operis sui mercedem eodem die non recipiant, sed potius expectent ad septimanam vsque, vel longius tempus, prout cû Domino contraxerunt, aut ipsis libet.

Iacob 5. Malach. 3 Exod. 14. & 15. Deutr. 24 Tob. 4.

Vt vt est; differre ex huiusmodi causa licet, defraudare numquam licet, quia sub gravi peccato semper vetitum, quamvis Dominus con-

continuò non puniat. Vnde seriò monet Sapiens Ecclesi. 34. *Non lædas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. Panis egentium vita pauperis est, qui defraudat illum homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.*

Ecclesi. 34.

18. Notent hæc, qui floccipendunt operariorum mercedem, & loco duodecim florenorum ipsis iustè competentium, cum septem rigorosè dimittunt. Rursum ij, qui sua inutiliter dissipantes, sese impotentes reddunt ad solvendum mercedem famulis, & ancillis. Hinc D. Ambrosius meritò deplorabat suo tempore quosdam inveniri, qui maiorem canum habebant rationem, quam servorum, dicens: *Sunt plerique qui de venatibus redeuntes, magis canum, quàm servorum curam gerunt, & faciunt eos iuxta se vel recumbere vel dormire, quotidianum illis cibum sui præsentia ministrantes: qui vtrum servi eius fame moriantur ignorant, & quod est gravius, nisi diligenter his præparatum fuerit, pro cane servus afficitur. Vides enim in nonnullorum domibus nitidos & crassos canes discurrere, homines autem pallentes & titubantes incedere.* Et postea insinuat eiusmodi homines pauperum & egentium extra domum domini minimè misserturos, & durissimè à Domino tractandos, sic subiungens: *Isti ergo miserebuntur aliquando pauperibus, qui minimè suis famulis & domibus miserentur.* Et paulò ante dicit: *Quisquis autem cupit de Deo misericordiam promereri, ipse debet prior esse misericors. Scriptum est enim: Qua mensura mensi fueritis, eadem mensura remetietur vobis. Et quod magis dolendum est, Christianus dominus Christiano servo in his diebus non parcit, minimè respiciens, quod etsi servus est conditione, gratia tamen frater est. Etenim similiter Christum induit, iisdem participat Sacramentis, eodem quo & tu vtitur Deo patre, cur te non vtatur & fratre?*

Ambros. serm. 33.

Luc. 6.

19. Denique notent hæc, qui non verentur à se sine mercede demissis crimen falsò imponere, vnde est illud Sapientis Ecclesi. 13. *Dives iniustè egit, & fremet: pauper autem læsus tacebit.* q. d. quemadmodum eo loco notat Iansenius: *Sæpe contingit, vt dives iniustè quidpiam agat in pauperem, & insuper per iram indignè fremere, & minari non omittat, duplici eum incommodo onerans, lædendo scilicet & comminando. Quibus accedit & tertium, nempe quod pauper læsus tacere cogitur, nec audet suam innocentiam defendere, aut alterius iniuriam ostendere, ne, si loquatur, iratum magis offendat, & ad novam quam comminatur iniuriam inferendam provocet.* Nec male quis diceret, si putaret supplendum: *Sed iniquitas eius apud Dominum expetit vindictam, qui non patietur oppressionem pauperum.* Vidimus hoc in Iudæis, quibus Dominus procuravit gratiam apud Ægyptios, ita vt illis commodarent vasa pretiosa non pauca, aliaque quæ in solutionem mercedis sufficerent, ipsique Ægyptij notabili plagâ postea perirent.

Ecclesi. 13.

Iansen.

20. Hæc eo vsque vera sunt, vt si quis operam alterius conduxerit, eâque mutato consilio vti noluerit, mercedem integram nihilominus solvere cogatur, ex l. *Qui operas* ff. locati, vbi sic statuitur: *Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non steterit, quo minus operas præstet.* Quod intellige cum hac mica salis, nisi conductus eodem tempore alteri operam suam locat, & impendit; illo enim casu tantumdem de pretio diminuere potest locans, quantum à posteriore recepit alter.

Ex prædicta lege etiam sequitur Advocatum, qui causam aliquam agit, non debere soluta stipendia restituere, si causa vltra non procedat, quando per ipsum non stat, quo minus procedat. Sic enim ibidem additur: *Advocati quoque, si per eos non steterit, quo minus causam agant, honoraria reddere non debent.* In quæ verba sic Azorius parte 3. libro octavo capite 14. *Cuius quidem legis sensus huiusmodi est: Advocati stipendia sibi soluta, quæ*

Azorius

lex honoraria vocat, restituere non debent, si per ipsos non steterit, quo minus operas praestarent. Et l. Si addes, §. vlt. ff. locati, verba haec sunt: Cum quidam exceptor operas suas locasset, deinde is, qui eas conduxerat, decessisset, Imperator Antoninus, cum Diuo Seuero rescripsit ad libellum exceptoris in haec verba: Cum per te non stetisse proponas, quo minus locatas operas Antonio, ac filio solueres, si eodem anno mercedes ab alio non accepisti, fidem contractus impleri aequum est. Addit: *Vnde inductum fuit, vt qui legatum comitaretur in prouinciam, eo intra annum mortuo, haberent nihilominus stipendium totius anni; quia per eos non staret, quò minus operas suas locatas praestarent: dummodo non postea comites cum alijs eodem tempore fuissent, l. Diem fundo, ff. de officio assessorum, & in l. Colonus §. nauem conduxit, ff. locati. Iurisconsultus ait: Nauem conduxit, vt de prouincia Cyrenensi Aquileiam nauigaret. olea metretis tribus millibus, certa mercede, sed euenit vt onerata nauis in ipsa prouincia nouem mensibus retineretur, & onus impositum commissum tolleretur. Quaesitum est, an vecturas, quas conuenit à conductore secundum locationem nauis exigere possit? Respondit secundum ea, quae proponerentur, posse.* Haec de prioris generis operarijs.

21. Quantum verò ad posterioris generis operarios attinet, dico similiter grauissimum esse peccatum contra iustitiam & aduersus Deum, illas decimas subtrahere, quae tanquam iustum stipendium Ecclesijs deputatae sunt, ratione spiritualium officiorum, quae pro salute fidelium Deo exhibent. Probatur per cap. *Decimas*, 1. causa 16. q. 7. vbi sic ait Gregorius VII. *Decimas quas in vsum pietatis concessas esse Canonica auctoritas demonstrat, à laicis possideri Apostolicâ auctoritate prohibemus. Siue enim ab Episcopis vel Regibus, vel quibuslibet personis eas acceperint (nisi Ecclesiae reddiderint) sciant se, sacrilegij crimen committere, & aeternae damnationis periculum incurrere.* q. d. Postquam Lex Ecclesiastica de decimis iusta ratione lata, & populi approbatione confirmata est, contra iustitiam peccat, & quodammodo erga Deum sacrilegus est, qui decimas defraudat. Vnde Conc. Tridentinum session. 25. cap. 12. non vult eiusmodi defraudatores tolerari impunitos, cum dicit: *Non sunt ferendi, qui varijs artibus decimas Ecclesijs obuenientes, subtrahere moliuntur; aut qui ab alijs soluendas temerè occupant, & in rem suam vertunt: cum decimarum solutio debita sit Deo: & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt res alienas inuadunt.* Et nonnihil inferius: *Qui verò eas subtrahunt aut impediunt; excommunicentur; nec ab hoc crimine nisi plena restitutione secuta, absoluantur.*

22. Sanctus verò Augustinus homil. 48. ex 50. dicit, ex defectu solutionis decimarum hominibus damna, & infortunia euenire in bonis temporalibus, in verbis: *Maiores nostri ideò omnibus copijs abundabant, quia Deo decimas dabant, & Caesari censum reddebant: modò autem, quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. noluimus cum Deo partiri decimas; modò autem totum tollitur. hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.* & serm. 219. de temp. *Haec est Domini iustissima consuetudo, vt si tu illi decimas non dederis, tu ad decimam reuoceris.* Quod dicit Augustinus hoc experti sunt Iudaei, qui propterea frugum sterilitate, & paupertate puniti leguntur Malach. 1. v. 14. & cap. 2. v. 2. atque in simili casu eos punitos fuisse docet Aggaeus cap. 1. v. 6. Immò Leuitae tenebantur sub poena mortis decimas decimarum suarum optimas & selectissimas offerre Sacerdotibus, vt expressè habetur Numer. 28. v. 29. his verbis: *Omnia quae offeretis ex decimis, & in donaria Domini separabitis, optima & electa erunt, &c. ne polluatis oblationes filiorum Israel, & moriamini.* id est, alioquin ingrata erit Deo oblatio vestra, & à me occidemini.

23. Iam verò plerique se excusatos putant, non cum pessima pro decimis segregant, sed etiam cum illas subtrahunt, & quod peius est, quando agitur de mercede sustentationis Ecclesiasticis debita, minantur aliqui ad haeresim deflectere; quod

Gregor. VII. Con. Trid. August. Malach. 1. Aggae. 1.

quod paradoxum est in Christianis bene institutis, quandoquidem ad imitationem & similitudinem veteris legis, Ecclesiasticâ sanctione decimæ ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ à tempore Apostolorum decretæ fuerint. Putaret fortè aliquis excusabile in noviter conversis à Gentilismo; id tamen non censuit Boleslaus Polonorum Rex. Is enim, vt refert Longinus Cracoviensis Canonicus, & ex eo Baronius tom. 2. anno Christi 1022. cum nonnulli Polonorum nobiles ob onerosam decimarum solutionem à Christianismo resilire, & ad Gentilismum redire, ideoque decimas nō solvere, nec Ecclesias frequentare, sed Sacerdotes de Ecclesijs pellere cogitarent; prius Rex auctores sceleris comprehendit, eosque partim verberibus mulctavit. Contigit etiam in Dania anno Christi 1088. quod Canutus Rex summo ac pio studio contenderet, vt Christi ministris liberalius & commodius de decimis & primitijs provideretur, insigni cuiusdam Blacconis perfidia traditus, ab insana plebe trucidaretur. Sed eo facto tanta frumentorum penuria vniversam Daniam invasit, vt maxima populi pars alimentorum inops, inediâ consumeretur. Enimverò abundè seges finitimis erat, vt privata gentis, non publica terrarum vltio videretur. Nec prius Danicis agris fœcunditas restituta est, quàm populus ad cor conversus, pœnitentiam ageret, se tam sanctum Regem occidisse, qui tam iusta & honesta pro Christi ministris postulasset. Iamque experimento didicerant se iustè novem frumentorū partes amisisse, qui decimam ex eis Deo, & Dei ministris reddere noluissent. Rem narrant Ioannes Archiepiscopus Vpsalensis in Histor. Gothor. Martyr. Vsuardi 6. Idus Iulij, Ioannes Molanus orat. 2. & 3. de decimis, Iacobus Meyerus lib. 3. histor. Flandr. anno Christi 1088.

24. Quæres: positâ obligatione prædictâ, quando & vbi decimæ solvendæ sunt?

Respondeo, vel sermo est de prædialibus, vel personalibus, vel mixtis. Si de prædialibus, debent illæ solvi collectis fructibus sine morali mora. Colligitur ex ca. 22. Exodi vbi dicitur: *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere.* Ad cuius imitationem statuit id expressè lex Canonica c. *Cum homines*, X. de decimis vbi Alexander III. cum quidam de frugibus non decimatis mercenarijs suis pro totius anni servitio debita prius solverent, & de residuo decimas penderent, sic scribit Exoniensi Episcopo: *Mandamus quatenus eos cogatis, vt decimam statim fructibus collectis persolvant: atque de subtractis & retentis dignā satisfactionē exhibere procurent.* vbi addit Glossa ad verbum *fructibus*; *quam citius & competentius solvi possunt, quia tardius dare peccatum est*, 16. *q.* 1. *decimæ, & qui non fecit statim in mora intelligitur, vnde periculum decimarum ad ipsum spectat. ff. de le.* 1. *l. Cum res*, §. *vlt. &.* §. *de commo c. vn.* Exod. 22. Alexand. III.

Neque opus est, vt decimæ à Parocho petantur, sive exigantur: quia dies ipse, sive tempus solutionis pro creditore interpellat; præsertim cum fructus reali obligatione decimarum, ex iuris dispositione, obligari censeantur. Vnde tenentur villici prædiorum Parochos monere, antequam frumētum, alijque fructus in horreis suis condantur, vt ipsi vel procuratores eorum, fructuum collectioni & decimationi assistant, ne vlla fraus committi valeat: *Quod enim omnes tangit, ab omnibus debet approbari*, iuxta reg. 29. in 6. Et ad debitum vsum, & securitatem iuris decimarum spectat, vt collecti fructus non recondantur sine consortio vsufructuarij. Et in re hac praxis satis aperta est. Si vero consuetudo habeat, decimas ad Ecclesiā vel Parochū deferre; vel ita conventum sit, tenebitur prędij dominus, aut colonus stare consuetudini aut pacto.

25. Quantum ad personales attinet, vbi illæ in vsu sunt, in fine singulorum annorum veniunt solvendæ, sicut alij census & tributa personalia solent: id enim est Ecclesiæ vtilius.

& omnino accommodatum moribus humanis, vti insinuat Glossa in c. *Revertimini*, verbo *annus* 16. q. 1. Panormitanus cum Ioanne Andrea in c. *Pervenit*, de decimis. *Panorm. Ioan. Andr.*

Mixtæ verò, quales sunt fructus animalium, proportionato suo tempore solvendæ sunt: atque adeo fœtuum decima tunc præstanda est, quando sine matre vivere commodè potest, & interim congruenter ad hunc finem nutriri debet. Lanæ autem decima, postquam oves tonsæ sunt De alijs quibusdam certa regula tradi non potest, vt de fructu lactis, videlicet caseo, butyro, & similibus; sed secundum loci consuetudinem, vel conventionem tacitam aut expressam cum Parochis, vnusquisque se conformare tenetur.

Porro si contingat aliquos esse in defectu solutionis decimarum, tertiò moniti à Prælatis Ecclesiæ, aut Iudice Ecclesiastico non obedientes anathemate feriri possunt, vsque ad congruam satisfactionẽ, vt constat ex multis capitulis de decimis, & ex Tridentino sess. 25. cap. 12. de reformatione, vbi dicitur: *Qui decimas subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine sine plena restitutione secuta absolvantur.* Ratio verò clara est, quia qui decimas detinent, sacrilegij crimen committunt, & æternę damnationis reatum incurrunt, vt dicitur in cap. *Decimas*, 1. 16. q. 7. Ergo si admoniti contumaces sunt, meritò excommunicari possunt, & quamdiu non restituunt, absolvendi non sunt, quia non sunt ad absolutionem dispositi, & quia semper cogi possunt, donec Ecclesiæ satisfaciant. *Tridentin.*

Non potest autem Parochus decimas iniustè detinentem à Sacramentis arcere, nisi sit notorius detentor decimarum. Publico enim peccatori seu notorio facti aut iuris notitiâ, tam publicè quam privatim neganda est sacra Eucharistia; vt docet D. Thomas 3. p. q. 80. art. 6. ad 8. Et ratio est, quod ex vna parte publicus peccator, neque reipsa, neque externa specie ius habeat sacrã Eucharistiam petendi: ex altera verò parte ad Sacerdotis officiũ spectet, vt sit dispensator fidelis, & sanctum non det canibus, iuxta illud Apostoli 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inveniatur*, hoc est, qui vtiliter agat domini sui negotium, rem domini tractans, non vt suam, sed vt suæ fidei commissam: est enim dispensatoris considerare, quibus, quomodo, & quantum opus est eroget ac distribuat. Et iuxta illud Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus.* Hinc Chrysostomus hom. 83. in Matth. cum monuisset vnumquemque ad dignè communicandum, sermonem convertit ad ministrantes, dicens: *Oportet etiam eadem ad vos dicere, vt magno studio & diligenti cura hæc distribuatis. Non parva vobis imminet pæna, si quem aliqua improbitate teneri scientes, ei huius mensæ participationem permittatis: Sanguis enim eius ex manibus requiretur vestris. Si Dux igitur quispiam, si Consul ipse, si qui diademate ornatur, indignè adeat: cohibe, ac coerce, maiorem tu illo habes potestatem. Ita si limpidissimus aquæ fons, vt intactum gregi servares, tibi commissus esset, cum petulcos sues, ac sordidissimos venire aspiceres, non patereris illos in fluenta descendere, nec fontem ab his perturbari. Nunc vero cũ non aquæ, sed sanguinis, & spiritus sacratissimus fons commissus sit tibi, si peccatis inquinatissimos videbis accedere homines, non indignaberis, neque prohibebis? Et quam veniam huius contemptus consequeris? idcirco vos Deus tanto voluit honore decorare, vt hæc diligentissimè discernatis. Hæc est dignitas vestra, hæc stabilitas, hæc corona præcipua, non vt tunicam induti candidissimam per Ecclesiam ambuletis.* *D. Thom. 1. Cor. 4. Matth. 7. Chrysost.*

Discursus

Discursus XV.

De Ludo, & Sponsionibus



Varia sunt contractuum genera; Primus videlicet, onerosus, in quo transfertur dominium rei; alter etiam onerosus, in quo trasfertur vsus fructus rei; tertius in quo admisscetur fortuna. De duobus prioribus hactenus egi, restat de tertio, seu de ludo & sponsionibus inquirere, an & quando liceat.

1. Ad huius quęsiti intelligentiam prænotandum est, *Ludum* varia significare in sacris Litteris. Primò significat sine vlla cura tempus terere, quasi nulla foret reddenda ratio gestorum. Sic Sapient. 14. dicitur de impijs: *Aestimaverunt ludum esse vitam nostram & conversationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere vndecumque, etiam ex malo acquirere.* q. d. Figuli fabricandis idolis intenti (de his enim agebat) Deum conditorem corporis & animæ videntur sic ignorasse, vt simul propriæ dignitatis obliviscerentur, ipsosque se, ac vitam suam ludum existimarent, ac mercatum lucri causa institutum, neque quid ius fasve sit, quid lex sanciat Dei curarent, sed illud vnum dumtaxat, vnde pecuniam facerent, sive iure, sive iniuria, & quibuslibet inhonestis, sordidisque modis. Secundò sumitur pro idololatria. Vnde Hieremiæ cap. 15. dicitur: *Non sedi in concilio ludentium*, id est derisorum, impiorum, qui homines & Deum deridere solent. Sic etiam Exod. 32. dicit Moyses de adorantibus vitulum aureum: *Surgentes manè obtulerunt holocausta & hostias pacificas, & sedit populus manducare: & surrexerunt ludere.* id est: Populus ex hostijs pacificis vitulo immolatis sedens manducavit, & in honorem vituli fornicatus est.

Sap. 14.

Hierem. 15.

Exod. 32.

Sic enim Gentiles Romani & Græci in honorem Deorum suorum ludos agebant, & quidquid libuisset, ac obscœnissima quæque dicebant & agebant. Edebant & spectacula, quæ, vtpote idolis dicata, æque ac idolothyta Christianis adire illicitum esse docet Tertull. lib. de Spectacul. quem hac de causa conscripsit. Vnde Sara filia Raguelis improperium patiens ab vna ancilla patris sui, rogavit ab eo liberari, allegans puram suam mentem, his verbis: *Tu scis Domine, quia nunquam concupivi virum, & mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia. Nunquam cum ludentibus miscui me: neque cum his qui levitate ambulant, participem me præbui.* Tertiò *Ludus* accipitur pro factis & dictis ad oblectationem & relaxationem animi ordinatis. De quo sermo est Hierem. 31. vbi Dominus promittens pristinam gloriam & festivam Iudæis, cum è Babylone & Assyria eos in Iudæam reducet, inquit: *Rursumque ædificabo te, & ædificaberis virgo Israël, adhuc ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium*, id est: Quamvis mœrens & lugens in Babylone dixisti illud Psal. 136. *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, cum recordaremur tui Sion. In salicibus in medio eius, suspendimus organa nostra. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* tamen sicut cum Ægypto egressa es, & post transitum maris rubri, tam felicem choreas duxisti ad tympanum Mariæ: ita iam restituam te in pristinam gloriam & festivam lætitiam, qualis solet exerceri in choro ludentium. Simile quid promittit Deus Iudæis è Babylone reversis in Hierusalem ob diligentiam, & laborem impensum

Tertull.

Tob. 3.

Hier. 31.

Ps. 136.

in templi fabricam, dum ait Zachar. 8. *Adhuc habitabunt senes, & anus in plateis Hierusalem: & viri baculus in manu eius præ multitudine dierum. Et plateæ civitatis complebuntur infantibus & puellis ludentibus in plateis eius.* q. d. Prænuntio deinceps Hierusalem fore pacatam & felicem, vt abundet civibus omnis ætatis & sexus, pueris & puellis ludentibus in plateis, ijque prorogent vitam ad senium, & sint longævi.

Quartò accipitur *Ludus* propriissimè pro certamine quodam iucundo & festivo ad animi oblectationem pertinente, cui adiuncta est conventio, qua ludentes inter se paciscuntur, vt serventur certæ leges ludi, & vincenti aliquid cedat & tribuatur. De quo nunc agendum venit, quandoquidem ad hoc præceptum maximè pertineat.

2. His positis: Quæro an ludus ille sit licitus. Respondeo & dico primò ludum generatim sumptum, ex natura rei esse licitum, si appetatur ob honestos fines, videlicet ad animi relaxationem, etiamsi minus principaliter intendatur lucrum. Ratio est, quod ludus sit res indifferens, & ex bono fine actus honestus. Nec refert quod pecunia subijciatur fortunæ, quia in contractu sortium & assecurationis, & in emptione iactus retis, & similibus, exponitur pecunia periculo fortunę. l. *Iactum retis*, ff. de actionibus empti. & l. *In navi*, ff. locati. tamen nullus ex eo capite illos contractus condemnat, tum quia homines non tenentur semper laborare, sed interdum licitè cessant, & interdum etiam ludo recreationis causa, vel ob lucrum, ad vitandum otium, aliosque honestos fines se oblectant. Ergo &c.

3. Dico secundò Iure civili alearum ludos esse prohibitos, vt patet l. 2. 3. & 4. ff. de aleæ lusu & aleatoribus: vbi prohibetur ludi pecuniâ, aut re pecuniâ æstimabili, nisi in convivio, quod manducandum est, ludatur, aut pecunia, vnde aliquid ad manducandum ematur. Insuper decernitur in l. *Alearum vsus*, C. de religiosis & sumptibus funerum, vt non cogatur solvere, qui ludendo perdidit, & si solverit, ius repetendi habeat. Sic enim dicit lex: *Nulli liceat in publicis, vel privatis domibus, vel locis ludere, neque in genere, neque in specie, & si contra factum fuerit, nulla sequatur condemnatio, id est, victus non cogatur solvere, sed solutum reddatur, & competentibus actionibus repetatur ab ijs, qui dederint, vel eorum hæredibus, aut ijs negligentibus, à patre, vel defensoribus illius civitatis, vel recipiat fiscus non obstante 50. annorum præscriptione.* Certum autem est has leges obligare in conscientia, vbi receptæ, & contrariâ consuetudine non sunt abolitæ. Primò quia legibus iustis obediendum est, dicente Paulo. *Omnis anima potestatibus subdita sit.* Roman. 13.. Se- Rom. 13.
cundò, quod ratione naturali nitantur: prohibent enim ludum tribus de causis. Prima, quod ex eo sæpe iræ & blasphemiæ in Deum (cui eventus fortuiti solent assignari) concitentur. Secunda, quod inter ludentes sæpè oriantur lites & pugnæ. Tertia, quòd facilè tota substantia per illud exhauriatur: vnde fit vt ad furta & latrocinia se conferant. quę insinuatur l. *Alearum*. C. de aleatoribus.

Vnde sequitur etiam sub gravi peccato eum, qui in ludo blasphemare solitus est, debere ab eo abstinere, etiamsi nulla lex humana illum prohiberet; nam à blasphemia semper abstinendum est, dicente Apostolo: *Deponite iram, indignationẽ, blasphemiam*, &c. Coloss. 3. Res enim Coloss. 3.
horribilis est, vt alibi satis deduxi.
Vnde S. Ephrem paræneſi 43. hac Ephrem.
invectiva in blasphemos vtitur. *Audes aperire os tuum audacter, & in cælum verba emittere, iuramenta atque blasphemias? & non times, ne fortè falx ignea, quam Propheta vidit, demoretur in domo* Ioel. 2.
tua, donec ex ea quæ sub cælo est, te excidat, dum sic os audes aperire adversus Deum omnipotentem? in quem Angeli Archangeli, Cherubim, atque Seraphim non audent oculos conijcere? Desine ô homo, desine Apoc. 14.
blasphemare, ne forte idem sermo quem contemnis, fiat flamma in ore tuo, &

tuam

Digitized by Google

tuam linguam comburat. Nam si homo homini pugnam suscitans, etiam patefacta in conspectum eius prodere erubescit: quomodo tu hodie in mundo constitutus, & cras tribunali ipsius præsẽtandus audes talia eloqui? & non metuis ne forte ignis de cælo descendat, & devoret te, dum tu sic os adversus omnipotentem aperis? neque vereris, ne forte terra sub te repentè disrumpatur, & te absorbeat? De alijs duabus rationibus similiter respectivè ratiocinandum est: nam non solum peccata, sed occasiones propinquæ ad peccandum vitandæ sunt.

4. Quæres, quid requiratur ad hoc, vt ludi contractus sit licitus, & iustus? Respondeo primùm requiri, vt ludentes habeant liberam dispositionem rei, quam in ludum deponunt: non enim possunt res alienas, vel quas alienare nequeunt, periculo fortunæ exponere. Hinc filius familias, qui alitur bonis à patre profectis, videlicet in Vniversitate, non potest ludo exponere plures pecunias, quam pater, aut honesta consuetudo illi permittit. Et si contraveniat, notabilem summam sic dissipando, peccat mortaliter iuxta illud
Prov. 28. Proverb. 28. *Qui subtrahit aliquid à patre suo, & matre, & dicit hoc non esse peccatum: particeps homicidæ est.* Simile etiam est, quando invito parente bona adventitia ludo exponit; licet priori casu teneatur ad restitutionem; posteriori non item.

Hinc rursum non potest vxor marito inscio vel invito validè ludere, aut ludo exponere vltra quantitatem, quàm aliæ mulieres sui status, qualitatis & conditionis eò loci ludere consueverũt, idque sub gravi peccato. Ratio est, quòd in his mulier sit subiecta viro, eique obedientiam debeat: tum etiam, quod ex eo ludo offensiones, & scandala vel graves rixæ inter ipsam & maritum oriri soleant: quas omninò cavere debet,
Conrardus. vt rectè Conrardus in Summa quæstion. 196.

5. Secundò requiritur vt absit fraus & dolus, vt fit quando quis suffuratur chartam, vnde vincat; cum chartas signis notat, ex quibus dignoscat, quando melior aut peior pars ludi sibi vel colludenti accidat; cum ludit chartis, quas vsu & consuetudine dignoscit à tergo, colludente eas ignorante; cum ita artificiosè componit chartas, vt melior ludi sors sibi cõtingat, vel falsis aleis vtitur, vnde evenit ipsum notas iacere, quas scit sibi necessarias; vel alijs modis. Qui enim fraudes committunt contra leges ludi, tenentur tum ad restitutionem eius, quod sic lucrati sunt, tum etiam ad reparationem damni, quod incurrit qui alioquin lucraturus erat: qui enim fraude vicit, non tantùm tenetur restituere id, quod ab altero accepit, sed etiam quod alter iustè lucraturus erat, nisi fraude impeditus fuisset, quia est huius damni causa iniustè. Simile est de illis, qui alios per iniuriam videlicet, minis, fraudibus, convitijs ad ludum pertrahunt: vt si quis simulet se parum peritum, vt alterum alliciat, qui alioquin ludere noluisset; si convitijs lacessat, ad quæ vitanda alter consensit in lusum; alias non consensurus. Ratio est, quod contractus ea ratione initi nulli sint, & consequenter per eos non transferatur dominium in accipientem: quodque propterea Scriptura hominem dolosum maximè aversetur, iuxta illud Psal. *Psal. 5.*
5. *Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus*: illudque Psal. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? &c. qui non egit dolum in lingua sua.* *Psal. 14.*

6. Sed dices, Iacob nihilominus *Genes. 30.* in contractu fortuito mirabili strophâ vsus legitur sine reprehensione, nam operam suam iterum addicens avunculo suo Laban, hoc modo cum illo pactus est: *Gyra omnes greges tuos, separa cunctas oves varias & sparso vellere: & quodcumque furvum, & maculosum, variumque fuerit, tam in ovibus, quam in capris, erit merces mea, &c. & omnia quæ non fuerint varia & maculosa, & furva, tam in ovibus, quam in capris, furti me arguent. Dixitque Laban: Gratum habeo quod petis*: Hoc enim modo credebat Laban sibi maximè cautum, & parum accessurum Iacobo,

con-

confidens de vnicoloribus tantum vnicolores nascituras: sed Iacob extraordinariâ industriâ procuravit, vt oves vnicolores diversicolores parerent; sumpsit enim *virgas populeas virides amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticavit eas: detractisque corticibus, in his quæ spoliata fuerant, candor apparuit: illa vero quæ integra fuerant, viridia permanserunt: atque in hunc modum color effectus est varius. Posuitque eas in canalibus, vbi effundebatur aqua. vt cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent. Factumque est vt in ipso calore coitus, oves intuerentur virgas, & parerent maculosa, & varia, & diverso colore respersa.* Et hinc abundè est ditatus. Quod sanè sine iniustitia & fraude non videtur fieri posse: quare ergo non est reprehensus; quandoquidem ex communi mente contrahentium verba intelligenda sint de ijs, quæ naturaliter & casu, non autem per fraudem & artem nascerentur?

Respondeo, nihil hanc stropham Iacobi dolosis suffragari; non quòd contractus secundum mentem contrahentium intelligi non debeat. certissimum enim est in contractibus sic venire procedendum, & res naturæ cursui esse relinquendas: sed quia Iacob iustam laborum suorum mercedem hoc modo ab homine avaro & iniquo extorquere cogebatur, & sibi ex necessitate ius dicere, cùm iudicem non haberet, ad quem recurreret. Deinde licitè hac arte vsus est Iacob: quia Deo volente, & Angelo instigante id factum est,
Genes. 31. nam cap. 31. dixit Angelus Dei Iacobo: *Leva oculos tuos, & vide vniversos masculos ascendentes super feminas, varios, maculosos, atque respersos. Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban.* q. d. Hac visione & symbolo significo tibi diversicolores nascituros; idque per virgulas decorticatas, quas in canalibus pones, vbi animalia transibunt: Vidi enim gravem iniuriam, quam fecit tibi Laban pro Rachele promissa surrogans Liam deformem & invisam, teque cogens vt alios septem annos ipsi pro Rachele servires. Deinde quòd iniustè post pactũ tecum pro gregibus initum separaverit oves vnicolores à diversicoloribus, & solas vnicolores tibi tradens, ex quibus notabiliter fœtus vnicolores omnes sibi, & nulli diversicolores tibi nascerentur. Hac ergo arte vtere, quia *Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem, & votum vovisti mihi,* qui iniustitiam avunculi non fero, tibique satisfactũ volo. Et Genes. 31. hoc insinuabat Iacob, quando dicebat: *Respondebitq. mihi cras iustitia mea, quando placiti tempus advenerit coram te.* id est: Futurum tempus ostendet quid meruerim, & quanta debeat esse merces mea, cum Deus contra naturam ex albis, nigrisque maculosos & varios fœtus procreari fecerit. Seu clarius & rectius. Tecum facit natura pecorum, vt alba ex albis, nigra ex nigris nascantur; mecum verò erit iustitia mea, mihi respondens, id est, remunerans, cùm Deus, vti certò confido, humilitatem meã respiciet, laboremque meum iustâ mercede, quam tu iniquâ pactione à me avertere conaris, remunerabit & compensabit, efficiendo videlicet, vt ex vnicoloribus tuis mihi diversicolores nascantur. Ex quibus evidenter liquet exemplum Iacobi dolosis non suffragari, quandoquidem Iacob nulla fraude, sed iure suo vsus fuerit; idque Angelo mediante. Vnde certum est, non licere fraudes aliquas, vel potius industrias, aut astutias communiter non receptas in ludo adhibere. Ratio est, quod in ijs colludentes neque expressè, neque tacitè consentiant.

7. Sequitur secundò eum, qui scit adversarium longè imperitiorem, ita vt ex eo moraliter certus existat de victoria, non posse lucrari; sed teneri ad restituendum modo ratione peritiæ, & non melioris fortunæ ministrantis chartas vel talos lucratus sit, ex communi Doctorum sententia. Quod confirmatur duplici ratione. Prima, quia ludus est genus quoddam sponsionis, in hac autem non debet alter spõdentium esse

esse certus de successu futuro, sed dubius, ideoque debet esse æqualitas, & par ludentium conditio. Secunda, quia tunc error, seu dolus daret causam contractui: si enim imperitior sciret excessum alterius, nollet se committere tali periculo, ideoque vel contractus erit irritus, vel irritari potest ab eo, qui errat. Quod verum est, nisi imperitior cognito excessu peritiæ alterius nihilominus velit continuare. Nam eo casu sibi imputare debet iacturam; quia *scienti & volenti non fit iniuria.*

8. Quæres: An is qui ludo per leges vetito aliquid lucratus est, ad restitutionem obligetur?

Respondeo non esse obnoxium restitutioni ante Iudicis sentētiam. Ratio est, quia iure naturæ per talem ludum transfertur dominium, quamvis enim sit prohibitus, & illicitus; non tamen propterea est irritus: multa enim fiunt illicitè, quæ tamen facta tenent, vt patet in Matrimonio contracto post votum castitatis simplex, vel post sponsalia cum alio inita; in venditione rei, quam Deo vovisti, in promissione facta meretrici ob vsum sui corporis, & huiusmodi. Secundò ius positivum humanum non impedit talis dominij translationem, vt patet ex l. *Alearum* C. de aleatoribus: sed concedit dumtaxat perdenti repetionem in iudicio, ad recuperandum post Iudicis sententiam, quod amisit, vt docet Covar. reg. *peccatum*, par. 2. §. q. n. 8. Med. q. 22. de restit. Est enim lex pœnalis, vel saltem dispositiva modi, quo res perdita recuperari debet, ideoque non obligat nisi post Iudicis sententiam. Confirmatur, quia consuetudine receptum est, vt nemo putet se obligari, nisi per sententiam Iudicis compellatur.

Covar. Medin.

9. Quæres iterum: An ille, qui pecuniâ de præsenti non expositâ, sed fide datâ de solvendo perdiderit, postea salvâ conscientiâ exceptionem legis alearum objicere possit?

Respondeo, vel perdidit in loco, vbi lex ista est in vigore: vel è contrà in locò, vbi consuetudine contrariâ lex illa est abolita. In priori casu dico perdentem licitè opponere legem alearum. Probatur ex l. *Invitus*, ff. de regul. iuris, vbi dicitur: *Cui damus actionem, ijdem & exceptionem competere multò magis quis dixerit.* Ei autem, qui ludo perdidit ac solvit, datur actio ad repetendum. Ergo multò magis eidem competit exceptio, antequam solvat. Quid enim opus sit solvere, si, posteaquam solveris, repetendi coram Iudice ius habeas? Hæc sententia vera est, nisi quis iuraverit se soliturum, vel solutum non repetiturum: nam lex illa pœnalis in odium ludi lata, naturali obligatione solvendi perdētem non liberat: vnde accedente iuramenti vinculo, maior est habenda ratio naturalis obligationis, quàm civilis exemptionis.

Posteriori verò casu, vbi videlicet vel ob non receptam, vel abolitam constitutionem iuris humani, in externo foro non conceditur actio ad repetendum, id quod ludo alearum, vel chartarum per se licito perditum, & solutum fuit; non licet. Nemo enim lege eiusmodi sese eximens à solutione in conscientia tutus esse potest; neque etiam valet solutum repetere ex naturali obligatione solvendi; nisi amissum sit valde magnæ quantitatis, adeo vt in grave detrimentum proprij status ac familiæ cedat, vt sæpe contingit: quo casu, vel partes inter se transigere debent, vel Iudicis æquitatem implorare.

10. Restat de Contractu *sponsionum* aliquid dicere, hoc est de Contractu, in quo contenditur de veritate vel eventu alicuius rei, & vicissim spondetur de aliqua summa pecuniæ, aut alia re, vt videlicet ipsius sit, quem constabit veritatem esse assecutum.

De hoc Dico primò illum ex natura sua esse licitum. Ratio est, quia quod vnus se exponat periculo amittendi aliquid, si non evenerit quod dicit, commutabile est pro simili

mili periculo, cui alter similiter se exponit. Deinde quod fiat recreationis gratia, vel alterius vtilitatis ordinatæ ad bonum finem, vti dixi de ludo. Idque verum est, si adsint hæ conditiones. Prima vt cum æquali incertitudine sit etiam æqualitas in re, quæ spondetur. Secunda, vt vterque sit dubius de re, de qua contendit cum altero. Nam ille qui certò rem, de qua certatur, novit vel ex scientia, vel ex revelatione, vel experientia sensuum, non potest licitè sponsionem facere: quia non est æqualis conditio ex parte vtriusque. Sic ille, qui interfuit solemnizationi alicuius matrimonij, aut exequijs cuiusdam defuncti, de quibus veritas alijs comperta non est, non potest certare de rei veritate. Sic quoque Medicus qui certò scit cor, siue partes aliquas nobiles alicuius hominis esse læsas, non potest certare illum hominem brevi moriturum, cum altero id ignorante, aut tantum externa perspiciente. Rursum ex altera ratione non potuisset Ioseph Genes. 41. certare de eventu septem annorum fertilium & totidem sterilium tempore Pharaonis, quia non sciebat id ipsum ex probabilibus indicijs, vt coniecturaliter sciunt Astronomi; sed certò ex divina revelatione. Vnde dicebat Pharaoni desideranti interpretationem somniorum, postquam perceperat ex eventu Iosephum rectè interpretatum somnia pincernæ & pistoris: *Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni.* q. d. Noli, ô Rex opinari, quod ex naturali sagacitate somnia interpreter, sed quam à me divinationem & prescientiam percepturus es, non meæ solertiæ, sed Deo, Deique revelationi attribuas, qui per me hęc tibi aperit, vt eum agnoscas & colas, Vnde Chaldęus illum locum vertit: *Non ex sapientia mea, sed à facie Domini respondebitur pax Pharaoni.* Et Symmachus: *Non ego, sed Deus respondebit prospera Pharaoni.* Et Vatablus: *Alius est præter me, qui interpretabitur somniũ, nempe Deus, qui prospera Pharaoni interpretabitur.* Et ratio est, quod continua illa, invicemque succedens septennis fertilitas & sterilitas, non astrorum aut naturæ vi, sed Dei Nilum septennio priori laxantis, posteriori retinentis operâ effecta sit. Vnde nec ab Astrologis, sed à solo Deo præcognosci, & prædici potuit. Sic etiam dicendum est de Helia, qui 3. Reg. 17. prædicebat tribus proximis annis non fore rorem & pluviam. De Michæa, qui 3. Reg. 22. prædixit Regem Achab infeliciter pugnaturum in Ramoth Galaad. ac de Helisæo, qui cum Samariam gravis fames vrgeret, neque illius levandæ aliqua se spes aut modus ostenderet, magnam in diem crastinum abundantiam promittebat, 4. Reg. 7. dicens: *Audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus: In tempore hoc cras modius similiæ vno statere erit, & duo modij hordei statere vno in porta Samariæ.* Denique ex tertia ratione non potest ille, qui eminus rem distantem, vel personam bene & distinctè videt, certare cum coclite aut lusco eam non vidente, de eius existentiæ veritate. Tertia, vt vterque in eodem sensu accipiat id, de quo certatur, quia enim in hoc contractu, vnus id affirmat, quod alter negat, & propositiones contradictoriæ debent esse eiusdem de eodem in eodem sensu; opus est etiam, vt sponsionem facientes accipiant de quo contendunt in eodem sensu. Et perinde est siue sit circa futurum, pręsens, aut præteritum: modò sponsiones sint circa eventum contingentem: vt quod intra tantum tempus pluet, quòd classis ex India incolumis perveniet, aut quòd gravida masculum aut femellam pariet.

Gen. 41. — Symmachus. — Vatablus. — 3. Reg. 17. — 3. Reg. 22. — 4. Reg. 7.

Dico secundò Sponsiones, quæ conditionem habent illicitam, sub gravi peccato esse damnatas: vt fit cum duo certant tertium aliquem intra tempus quoddam occidere, aut invicem potando, licet ad ebrietatem, superare. Simile est, si lege humana aliquæ sponsiones prohibeantur. Lucrum tamen acquisitum ex huiusmodi sponsionibus, non est ex obligatione restituendum, si alioqui

sit

sit partum sine fraude & dolo: quia licet peccatum sit in faciendo contra leges, non tamen est peccatum iniustitiæ contra proximum in lucro retinendo; quia leges prohibent peccatum fieri, non tamen constituunt lucrum acceptum restitui debere.

Discursus XVI.

De Restitutione.

Quid sit, & an ad salutem necessaria?

4. Reg. 8. Varto Reg. 8. mulier Sunamitis, cuius filium revocarat ad vitam Helisæus, ex eius consilio famis vitandæ causa in externam concessit regionem; at postmodum reversa in patriam, domum suam & agros ab alieno possessore occupatos deprehendens adivit Regem Israël, eum interpellans pro domo sua, & pro agris suis: *Cui Rex dedit eunuchum* seu vnum ex ijs, qui Regum mandata curant, & regalibus præsunt ministerijs, *cui dixit: restitue ei omnia quæ sua sunt, & vniversos reditus agrorum, à die, qua reliquit terram vsque ad præsens.* Facilis sanè fuit in eo Rex; sed passim apud omnes hac in parte magna intercedit difficultas; hinc tractabo quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam notandum est vocabulum *restitutio* dupliciter sumi. Primò pro repositione in pristinum statum. Sic
Caius. intellexit Caius IC. in l. *Plus est*, ff. de verb. signific. vbi sic ait: *Restituere est possessorem facere, fructusque reddere.* Et
D. Thom. huc tendit D. Thomas 2. 2. q. 62. a. 1. in corp. dicens: *Restituere nihil aliud esse videtur, quam iterato aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suæ.* Verum restitutio hoc modo accepta supponit rem ablatam sive debitam, eandem numero, seu, vt Iurisperiti loquuntur, specie perseverare. Præterea strictius hoc modo intelligitur, cum non comprehendat cuiusque damni iustè dati compensationem: atque adeo non extendit se ad illum, qui alienam domum incendit vel equum occidit, quia ille eandem rem numero reddere non valet, sed aliam dumtaxat æquivalentem.

2. Secundò sumitur restitutio latè pro solutione proprij debiti, taliter vt ex rigore æqualitatis iustitiæ commutativæ alteri sit simpliciter debitum, sive ille talis rei debitæ antea possessionem vel dominium habuerit; sive non: & sive debitum sit ex delicto, sive ex contractu, sive quovis alio modo susceptum. Illa autem definitur esse *actus iustitiæ commutativæ reddentis vnicuique debitum suum.* Et de hac iam agendum.

3. Rursum prænotandum est, debitum aliquando oriri ex iniuria materiali, cum quis videlicet rem alienam accipit vel detinet, probabiliter arbitratus esse suam; vel certè ius accipiendi & detinendi se habere, cum reipsa non habeat, & is vocari solet possessor bonæ fidei: aliquando ex iniuria formali, vt cum quis rem alienam accipit, detinet, destruit, cum sciat vel scire debeat & possit, ius id agendi sibi non competere. Et ille dicitur possessor malæ fidei. Vnde sequitur duas esse radices restitutionis vnam ex parte rei acceptæ & possessæ, quæ domino suo restitui debet, cum primum possessor scit alienam esse, Alterã ex parte

iniustæ acceptionis sive læsionis, ob quam res ablata domino restitui, vel potiùs compensari debet, etsi qui iniustè læsit, nihil ex ea possideat, nullumve emolumentum ceperit.

4. His positis, quæritur an Restitutio sit necessaria ad salutem?

Respondeo affirmativè. Probatur ex Sacra Scriptura, quæ Ezechiel. 33. cap. insinuat eam tam necessariam esse ad salutem, & ad vitam spiritualem animæ, atque est necessarium pœnitentiam agere, in mandatis vitæ ambulare, & nihil iniustum facere, dum ait: *Si dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque iudicium & iustitiam; & pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam iniustum, vita vivet, & non morietur.* Quod optimè Tobias videtur intellexisse, quandoquidem summa diligentia, etiam illa de causa rem alienam à domo sua voluerit exulare, dum enim audiret hædum domi suæ balantem, dixit vxori suæ, *Videte ne fortè furtivus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto quidquam, aut contingere.* Dominus etiam Matth. 22. vnicuique reddendũ esse quod suum est, satis edixit, cum respondit dolosè interrogantibus, liceretne censum dare Cæsari, an non? *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Apostolus verò idipsum Romanos edocuit dicens c. 13. *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributũ, cui vectigal, vectigal.* Et addidit: *Nemini quidquam debeatis, nisi vt invicem diligatis.* q. d. Omnibus solvite debita, ne violatâ iustitiâ mutua charitas lædatur. vel rursum: Nihil debeatis invicem, nisi dilectionem, cuius nimirum natura est talis, vt quia perpetua esse debet, semper supersit impendenda, & nunquam ita persolvi possit, quin non etiam vlterius debeatur. Et hinc S. Augustinus epist. 54. ad Macedonium, & refertur c. 1. causa 14. q. 6. *Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non redditur pœnitentia non agitur, sed simulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si, vt dictum est, restitui possit.* Et ibidem: *Nolentes reddere quos novimus & malè abstulisse, & vnde reddant habere, arguimus, increpamus, & detestamur.* &c. *aliquando etiam sancti Altaris communione privamus.*

Ezech 33.

Tob. 2.

Matth. 22

Rom. 13.

Augustin.

5. Porro præceptum hoc restituendi ad Decalogum pertinet, estque affirmativum includens in se negativum, *alienam rem aut ius debitum non detinendi.* Idque magis principaliter Scriptura intendit, atque adeo quatenus affirmativum, potius est accessorium, vt satis exprimit Divus Thomas loc. cit. art. 7. vbi ait: *Licet præceptum restituendi secundum formam sit affirmativum; tamen includit negativum, & ita ad statim obligat, sicuti omnia negativa præcepta.* Et ratio est, quod principaliter hoc septimum præceptum intendat prohibere rei alienæ iniustam ablationem, accessoriè rei alienæ destructionem & detentionem. Vnde inquit Innocentius Papa in cap. *Sæpe*, de restit. spoliatorum, *quòd non multum intersit, quoad periculum animæ. iniustè detinere, ac invadere alienum.* vbi Glos. *iura pro eodem reputant auferre, & detinere iniustè; similiter auferre, & non dare.*

D. Thom.

Innocent.

6 Quæres, quatenus & quantum restituere teneatur possessor bonæ fidei, & quantum possessor malæ fidei?

Respondeo: Possessor bonæ fidei cùm intelligit rem alienam esse, quam bona fide hactenus possedit (si legitimę præscriptionis beneficio dominiũ sibi non compararit) tenetur illam restituere vel vero domino, si gratis ad eam pervenit, vel furi, si bonâ fide emit, cum pretium aliter recuperare non valet; idque vnà cum eius fructibus si extent, vel quatenus inde locupletior est factus (vt postea dicemus) deductis tamen expensis.

Primò ergo rem ipsam restituere debet, si extet; si vero non extet; sed alteri donata sit, aut consumpta, vel perierit, non tenetur plus restituere, quam inde locupletior factus est, ex communi sententia tam

Theo-

Theologorum, quam Iurisperitorum. Probatur ex l. *Item veniunt* §. *præter*, ff. de partitione hæreditatis, quæ sic habet: *Eos autem, qui iustas causas habuissent, quare bona* (hæreditatis) *ad se pertinere existimassent, vsque eo dumtaxat, quo locupletiores ex ea re facti essent, condemnandos*, Vbi Gloss. verb. *facti essent*, ait; *hanc esse optimam regulam, qua nulla verior in iure; vt bonæ fidei possessor ad id tantum, quod ad se pervenerit, teneatur.* Cuius legis hæc est ratio, quod quandoquidem bonæ fidei possessor nullam iniuriam intulerit, non obligetur ex capite iniustæ acceptionis, sed solum ex capite rei acceptæ & possessæ: quare plus restituere non cogitur, quam possidet: sive res ipsa sit extans secundum se; sive aliquid inde acquisitum, adeoque patrimonium auctum fuerit, iuxta l. 72. ff. de legatis 2. *Non absumitur quod in corpore patrimonij retinetur*; sive verè & in seipso; sive iuris fictione, in altero. Nam *quod inde comparatum est, vice permutati dominij restituetur*, dicitur in l. 71. ff. eod.

Res exemplis fiet clarior: Rem alienus inscius dono accepi, eamque bona fide credens non esse alienam alteri donavi, ad nihil teneor, cum inde non sum factus ditior: Si autem eandem vendidissem, tenerer domino comparenti restituere pretium, quia in eo factus sum ditior. Rursum. Si rem alienam bona fide emissem, & maiori pretio vendidissem, teneor ad restitutionem excessus; quia in tantum factus sum locupletior. Hęc de re, quæ non extat. Secundò de re consumpta sit exemplum; Aliquis vestem magni valoris à fure sibi donatam bona fide accepit & attrivit, intelligens esse alienam, restituere debet, quantum de suo insumpsisset eo tempore in alia veste, quam pretio comparasset. Et si vestis attrita superest, debet restitui prout est, adeoque cum eius restitutione compensanda venit attritio, qnatenus ditior per eam factus est. Si vero res perijt, ex integro: vt si miles ea quæ in bello materialiter iniusto acquisivit malè absumpsit, fornicando, potitando, & negligenter servando intelligens iniustitiam belli, non tenetur vlterius ad restitutionem, quam inde ditior factus est; non magis ac ille, qui ad prandium splendidum furtivum invitatus bona fide delicias & vinum pretiosum absumpsit, non tenetur amplius domino solvere in furis defectum, quàm domi suæ erogasset, si prandij furtivi non fuisset particeps. Ratio est, quod nihil contra iustitiam peccarit, cum ignorarit rem esse alienam, adeoque nec ex causa iniustæ acceptionis teneatur ad restitutionem, neque ex causa rerum acceptarum, cum non extent, sed assumptæ sint. Disputant verò Doctores vtrum ille, qui rem alienam à bonæ fidei possessore, inculpabiliter existimante rem suam esse, accepit, atque certo deprehendit ad alterum pertinere, bonæ fidei possessori, an potius domino restituere debeat? At dico breviter sub distinctione: Si res à bonæ fidei possessore accepta est, interveniente pacto depositi, commodati, pignoris, &c. tunc ipsi potius, quocum pactum intercessit, restituendam esse: quamvis interim lex charitatis postulet, vt dominus moneatur, si id ei profuturum putetur, sine graviore alterius incommodo. Si res à bonæ fidei possessore alia ratione in manus tertię personę pervenit: tunc domino tanquam verum & potius ius habenti restituenda erit, si absque scandalo, aliove incommodo fieri possit. Hæc de re furtiva, bona fide possessa.

7. Sed quæstio est, quid illi incumbat quoad fructus rei perceptos. Respondeo prænotandum esse alios esse fructus rei, alios industriæ. Hi dicuntur, quos ipsa natura ex se nullo modo progignit; sed tantum concurrit, vt instrumentum operantis, negotiantis. Quomodo lucrũ, quod ex rebus vsu consumptibilibus, puta pecunia, vino, frumento, &c. negotiando acquiritur non rerum ipsarum, sed industriæ fructus censetur. Et opus, quod alieno instrumento

sed industriæ artificis tribuitur.

Illi verò, seu fructus rei, alij sunt purè naturales, alij mixti. Naturales dicuntur, quos natura producit nullâ, aut modicâ industriâ concurrente, cuiusmodi sunt fœtus animalium, poma arborum, arbores sylvestres, herba, ac plantæ, quas terra ex se producit, iuxta l. *Fructus*, 45. ff. de vsuris. Mixti sunt segetes, & alij fructus, qui serẽdo gignuntur, iux. l. cit. seu ij, qui partim ex re, partim ex industria gignuntur, sicut ex communi docet Rebellus lib. 2. de obligationib. Instit. q. 4. vbi addit: *Quodsi ad eos magis industria, quam res cooperatur, in iure, & à Iurisperitis industriales quoque vocantur, cuiusmodi est caseus, oleum, vinum, pannus; item pensiones ex rebus locatis, quos alij fructus civiles vocant: item segetes, iuxta l. Fructus, 1. ff. vsuris, & Glossam ac Doctores, quos sequitur Covar. 1. resolut. cap. 3. n. 6. idque etiamsi ex semine furtivo nascantur. Quando vero dubium fuerit, sintne magis industriales, quam naturales, aut vice versa, in foro externo Iudicis arbitrio, iuxta Bartolum ad l. Ex diverso. §. 1. ff. rei vendicatione, sicut in foro conscientiæ prudentis iudicio terminandum erit.* Et huc referuntur pretia iumentorum locatorum, &c. qui fructus civiles dicuntur: eò quod non propriè fructus sint, sed ad similitudinem fructuum, iure civili constituti, sicut annotavit Abb. in c. *Gratis*, n. 3. de rest. spoliat. & habetur in l. *Prædiorum*, ff. de vsuris: *Prædiorum vrbanorum pensiones pro fructibus accipiuntur.*

Rebellus. Covarr. Bartolus. Abbas.

8. His positis, dico Primò fructus merè industriales licet è re aliena, v. g. pecunia, vel instrumento artis alicuius concurrente, procedentes, non esse restituendos. Ratio est, quia eiusmodi lucra non sunt vllo modo fructus rei, nisi vt subest humanæ industriæ. vnde si aliquis pecuniam furtivam adeoque vel bona vel etiam mala fide possessam, negotiationi exposuerit, lucrum inde proveniens ad ipsum dominum non spectabit, sed satisfacit pecuniam restituendo. Simile est si aliquis alieno instrumento opus elaboravit, ad artificem, non ad instrumenti dominum, arte factum pertinet: debet tamen artifex præter instrumentum, æstimationem sive valorem vsus rei domino restituere, si alicuius sit momenti, quia in eo tantum factus est ditior.

9. Dico secundò, Quantum ad naturales & mixtos alios esse perceptos, alios percipiendos. Perceptos, verò adhuc extantes sive naturales, sive mixtos, domino restituendos esse à bonæ fidei possessore, ex l. 22. C. de rei vendicat. vbi dicitur: *Certum est malæ fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re præstare, bonæ fidei verò extantes*: Verum deducere potest expensas & æstimationem laboris, ex l. *Si à domino*. §. *fructus*, ff. de petitione hæreditatis. Nam *locupletari non debet aliquis, cum alterius iactura*, vt dictat regula Iuris 48 in 6. & consentit l. *Nam hoc*, ff. de condict. indebiti: *Natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem*. Iam vero locupletior fieret bonæ fidei possessor, si præter expensas & æstimationem laboris, atque industriæ suæ, aliquid ex fructibus rei alienæ sibi retineret. Contrà verò rei dominus iacturam & detrimentum pateretur, nisi eiusdem rei fructus ipsi restituerentur.

Si autem bonæ fidei possessor fructus rei seu naturales, seu mixtos absumpsit, tenetur restituere, quatenus ex ijs factus est ditior.

Fructus autem percipiendi v. g. segetes agro adhærentes, fœtus in vtero adhuc latentes, ad rei dominum pertinent; & non minus quàm res ipsa vindicatione repeti possunt: quia censentur partes rei fructiferæ, sicuti constat ex l. *Fructus*, iun. Gloss. verb. *pars*, ff. de rei vindicat l. *Iulianus*, §. *si fructus*, ff. de actione empti, l. *Si quis sciens*, C. de rei vindicat. & §. *Si Titius*, Instit. de rer. divisione: *Si Titius alienam plantam, in solo suo posuerit, ipsius erit. Et ex diverso, si Titius suam plantam in Mævij solo posuerit, Mævij planta erit, si vtroque casu radices egerit.* Hæc de bonæ fidei possessore.

10. Restat inquirere, quatenus malæ

malæ fidei possessor ad restitutionem teneatur.

Respondeo præmittendum esse malæ fidei possessorem diversimodè sumi. Primo enim dicitur ille, cuius causa in iudicium deducitur, & lite contestatur, vt patet l. *Sed etsi*, §. si ante. ff. de hæreditatis petitione, vbi I C. ait: *Quoniam post litis contestationem omnes incipiunt malæ fidei possessores esse*. Verum is causam dubiam actori statim cedere non obligatur, si antea bonâ fide possederit: vnde malæ fidei possessor impropriè censetur. Eodem modo impropriè malæ fidei possessor dicitur venditor, vel emptor, qui sunt in morâ vel rem tradendi, vel pretium rei solvendi respectivè, & mutuatarius in solvendo morosus. Tertiò propriè dicitur talis, qui iniustè accipit, vel retinet id, cuius dominium ad alterum spectat, qualis est fur, raptor, vsurarius, hæres legata alijs scienter retinens, & alij similes, tum etiam ij, qui scienter ab istis ex donatione, vel emptione, aliove titulo acquirunt.

Dico itaque huiusmodi iniquum possessorem obligari ad restituendam rem alienam, vel si perijt eius æstimationem vero domino, vnâ cum augmento & fructibus perceptis, vt docent communiter Docto- in l. *Bonæ fidei* ff. de acquir. rerum dominio, & l. *Fructus*, ff. de rei vindicat. l. *Domum*, C. eod. & Instit. de rerum divis. §. *ei verò* Et Canonistæ super cap. *Gravis* de restit. spoliator. Item S. Thomas in 2. 2. q. 62. a. 6. S. Thomas.

Secundò teneri ad restitutionem fructuum, quos dominus verosimiliter percepisset, nisi res ipsi ablata, & iniquè detenta fuisset. Ratio est, quia in casu iniustæ damnificationis dominum indemnem omnino servari oportet, sic egregie traditur reg. 79. *Generaliter, cùm de fraude disputatur, non quid habeat actor; sed quid per adversarium habere non potuit, considerandum est*. Et in l. *Domum*, C. de rei vindic. *Domum, quam ex matris successione ad te pertinere, & ab adversaria parte iniuria occupatam esse contendis, Præses Provinciæ, cùm pensionibus, quas percepit, aut percipere poterat, & omni causa domini, restitui iubebit*. Et in l. *Fructus* ff. eod. *Fructus non modò percepti, sed qui honestè percipi potuerunt, æstimandi sunt*. Consonat l. *Si navis* §. vlt. ff. eod. *Constat animadverti non debere, an malæ fidei possessor fruitus sit; sed an petitor frui potuerit, si ei possidere licuisset*. Neque dissentit lex Canonica in ca. *Gravis*. de restitut. spoliator. *Non tantum fructus à novo & violento possessore perceptos; sed quos possessores veteres percepissent, reddi faciatis eisdem*.

Tertiò obligari omne aliud damnum emergens, & lucrum cessans eidem domino resarcire. Exemplum damni emergentis est, si propterea quod equus aut frumentum ablatum, vel tempore debito non restitutum fuit, ipsemet dominus coactus est frumentum, aut equum maiori pretio emere. Exemplum lucri cessantis: Si dominus frumentum non servasset, donec decresceret; sed maiore pretio vendidisset: totum hoc ei resarciri debet. quæ est doctrina Ioan. Medinæ C. de restit. q. 9. ad 1. Syl. verb. *furtum*, q 16. Navar. lib. 4. n. 37. Vasq. de restitut. cap. 5. §. 1. dub. 12. n. 79.

11. Sed dices: fortè Dominus non tot, tantosque fructus ex re percepisset, si mansisset in eius potestate.

Respondeo nihil referre: quia res quævis domino suo fructificat, & fortunæ eius cedere debet, quod res ipsius plus in manu furis fructificarit, quam si ipsemet eam possedisset; Nam melioratio rei intrinseca, quæ fit in agro stercoratione, plantatione, postquam videlicet plantæ radices egerint, rei domino cedit, vti & augmentum intrinsecum; videlicet si pullus equinus furto ablatus adolevit: restitutio enim facienda venit secundum æstimationem rei in optimo statu, vt egregiè tradit Vlpianus Vlpian. l. *In re furtiva*, ff. de condict. furtiva: *Si ex causa furtiva res condicatur, cuius temporis æstimatio fiat, quæritur? Placet tamen id tempus spectandum, quo res vnquam plurimi fuit: maximè cum deteriorem factam fur dando non liberatur:*

 semper

sed industriæ artificis tribuitur.

Illi verò, seu fructus rei, alij sunt purè naturales, alij mixti. Naturales dicuntur, quos natura producit nullâ, aut modicâ industriâ concurrente, cuiusmodi sunt fœtus animalium, poma arborum, arbores sylvestres, herba, ac plantæ, quas terra ex se producit, iuxta l. *Fructus*, 45. ff. de vsuris. Mixti sunt segetes, & alij fructus, qui serêdo gignuntur, iux. l. cit. seu ij, qui partim ex re, partim ex industria gignuntur, sicut ex communi docet Rebellus lib. 2. de obligationib. Instit. q. 4. vbi addit: *Quod si ad eos magis industria, quam res cooperatur, in iure, & à Iurisperitis industriales quoque vocantur, cuiusmodi est caseus, oleum, vinum, pannus; item pensiones ex rebus locatis, quos alij fructus civiles vocant: item segetes, iuxta l. Fructus, 1. ff. vsuris, & Glossam ac Doctores, quos sequitur Covar. 1. resolut cap. 3. n. 6. idque etiamsi ex semine furtivo nascantur. Quando vero dubium fuerit, sintne magis industriales, quam naturales, aut vice versa, in foro externo Iudicis arbitrio, iuxta Bartolum ad l. Ex diverso. §. 1. ff. rei vendicatione, sicut in foro conscientiæ prudentis iudicio terminandum erit.* Et huc referuntur pretia iumentorum locatorum, &c. qui fructus civiles dicuntur; eò quod non propriè fructus sint, sed ad similitudinem fructuum, iure civili constituti, sicut annotavit Abb. in c. *Gratis*, n. 3. de rest. spoliat. & habetur in l. *Prædiorum*, ff. de vsuris: *Prædiorum vrbanorum pensiones pro fructibus accipiuntur.*

Rebellus. Covarr. Bartolus. Abbas.

8. His positis, dico Primò fructus merè industriales licet è re aliena, v. g. pecunia, vel instrumento artis alicuius concurrente, procedentes, non esse restituendos. Ratio est, quia eiusmodi lucra non sunt vllo modo fructus rei, nisi vt subest humanæ industriæ. vnde si aliquis pecuniam furtivam adeoque vel bona vel etiam mala fide possessam, negotiationi exposuerit, lucrum inde proveniens ad ipsum dominum non spectabit, sed satisfacit pecuniam restituendo. Simile est si aliquis alieno instrumento opus elaboravit, ad artificem, non ad instrumenti dominum, arte factum pertinet: debet tamen artifex præter instrumentum, æstimationem sive valorem vsus rei domino restituere, si alicuius sit momenti, quia in eo tantum factus est ditior.

9. Dico secundò, Quantum ad naturales & mixtos alios esse perceptos, alios percipiendos. Perceptos, verò adhuc extantes sive naturales, sive mixtos, domino restituendos esse à bonæ fidei possessore, ex l. 22. C. de rei vendicat. vbi dicitur: *Certum est malæ fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re præstare, bonæ fidei verò extantes*: Verum deducere potest expensas & æstimationem laboris, ex l. *Si à domino*. §. *fructus*, ff. de petitione hæreditatis. Nam *locupletari non debet aliquis, cum alterius iactura*, vt dictat regula Iuris 48. in 6. & consentit l. *Nam hoc*, ff. de condict. indebiti: *Natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem.* Iam vero locupletior fieret bonæ fidei possessor, si præter expensas & æstimationem laboris, atque industriæ suæ, aliquid ex fructibus rei alienæ sibi retineret. Contrà verò rei dominus iacturam & detrimentum pateretur, nisi eiusdem rei fructus ipsi restituerentur.

Si autem bonæ fidei possessor fructus rei seu naturales, seu mixtos absumpsit, tenetur restituere, quatenus ex ijs factus est ditior.

Fructus autem percipiendi v. g. segetes agro adhærentes, fœtus in vtero adhuc latentes, ad rei dominum pertinent; & non minus quàm res ipsa vindicatione repeti possunt: quia censentur partes rei fructiferæ, sicuti constat ex l. *Fructus*, iun. Gloss. verb. *pars*, ff. de rei vindicat l. *Iulianus*, §. *si fructus*, ff. de actione empti, l. *Si quis sciens*, C. de rei vindicat. & §. *Si Titius*, Instit. de rer. divisione: *Si Titius alienam plantam, in solo suo posuerit, ipsius erit. Et ex diverso, si Titius suam plantam in Mavij solo posuerit, Mavij planta erit, si vtroque casu radices egerit.* Hæc de bonæ fidei possessore.

10. Restat inquirere, quatenus malæ

malæ fidei possessor ad restitutionem teneatur.

Respondeo præmittendum esse malæ fidei possessorem diversimodè sumi. Primo enim dicitur ille, cuius causa in iudicium deducitur, & lite contestatur, vt patet l. *Sed etsi*, §. si ante. ff. de hæreditatis petitione, vbi I C. ait: *Quoniam post litis contestationem omnes incipiunt malæ fidei possessores esse*. Verum is causam dubiam actori statim cedere non obligatur, si antea bonâ fide possederit: vnde malæ fidei possessor impropriè censetur. Eodem modo impropriè malæ fidei possessor dicitur venditor, vel emptor, qui sunt in morâ vel rem tradendi, vel pretium rei solvendi respectivè, & mutuatarius in solvendo morosus. Tertiò propriè dicitur talis, qui iniustè accipit, vel retinet id, cuius dominium ad alterum spectat, qualis est fur, raptor, vsurarius, hæres legata alijs scienter retinens, & alij similes, tum etiam ij, qui scienter ab istis ex donatione, vel emptione, aliove titulo acquirunt.

Dico itaque huiusmodi iniquum possessorem obligari ad restituendam rem alienam, vel si perijt eius æstimationem vero domino, vnà cum augmento & fructibus perceptis, vt docent communiter Doctores in l. *Bonæ fidei* ff. de acquir. rerum dominio, & l. *Fructus*, ff. de rei vindicat. l. *Domum*, C. eod. & Instit. de rerum divis. §. *ei verò* Et Canonistæ super cap. *Gravis* de restit. spoliator. S. Thomas. Item S. Thomas in 2. 2. q. 62. a. 6.

Secundò teneri ad restitutionem fructuum, quos dominus verosimiliter percepisset, nisi res ipsi ablata, & iniquè detenta fuisset. Ratio est, quia in casu iniustæ damnificationis dominum indemnem omnino servari oportet, sic egregie traditur reg. 79. *Generaliter, cùm de fraude disputatur, non quid habeat actor; sed quid per adversarium habere non potuit, considerandum est*. Et in l. *Domum*, C. de rei vindic. *Domum, quam ex matris successione ad te pertinere, & ab adversaria parte iniuria occupatam esse contendis, Præses Provinciæ, cùm pensionibus, quas percepit, aut percipere poterat, & omni causa domini, restitui iubebit*. Et in l. *Fructus* ff. eod. *Fructus non modò percepti, sed qui honestè percipi potuerunt, æstimandi sunt*. Consonat l. *Si navis* §. vlt. ff. eod. *Constat animadverti non debere, an malæ fidei possessor fruitus sit; sed an petitor frui potuerit, si ei possidere licuisset*. Neque dissentit lex Canonica in ca. *Gravis*. de restitut. spoliator. *Non tantum fructus à novo & violento possessore perceptos; sed quos possessores veteres percepissent, reddi faciatis eisdem*.

Tertiò obligari omne aliud damnum emergens, & lucrum cessans eidem domino resarcire. Exemplum damni emergentis est, si propterea quod equus aut frumentum ablatum, vel tempore debito non restitutum fuit, ipsemet dominus coactus est frumentum, aut equum maiori pretio emere. Exemplum lucri cessantis: Si dominus frumentum non servasset, donec decresceret; sed maiore pretio vendidisset: totum hoc ei resarciri debet. quæ est doctrina Ioan. Medinæ C. de restit. q. 9. ad 1. Syl. verb. *furtum*, q 16. Navar. lib. 4. n. 37. Vasq. de restitut. cap. 5. §. 1. dub. 12. n. 79.

11. Sed dices: fortè Dominus non tot, tantosque fructus ex re percepisset, si mansisset in eius potestate.

Respondeo nihil referre: quia res quævis domino suo fructificat, & fortunæ eius cedere debet, quod res ipsius plus in manu furis fructificarit, quam si ipsemet eam possedisset; Nam melioratio rei intrinseca, quæ fit in agro stercoratione, plantatione, postquam videlicet plantæ radices egerint, rei domino cedit, vti & augmentum intrinsecum; videlicet si pullus equinus furto ablatus adolevit: restitutio enim facienda venit secundum æstimationem rei in optimo statu, vt egregiè tradit Vlpianus Vlpian. l. *In re furtiva*, ff. de condict. furtiva: *Si ex causa furtiva res condicatur, cuius temporis æstimatio fiat, quæritur? Placet tamen id tempus spectandum, quo res vnquam plurimi fuit: maximè cum deteriorem factam fur dando non liberatur:*

ſemper enim moram fur facere videtur. Vnde ſi à fure non reſtituatur, ſed abſumatur, vel longiore morâ deterior reddatur, iniuſtum damnum domino infert, quod eidem compenſare debet: *Semper enim fur moram facere videtur*, inquit Vlpianus.

Verum enimverò deducendæ veniunt expenſæ & æſtimatio laboris, quia fructus non intelliguntur, niſi deductis impendijs, ſicuti conſtat ex l. *Fructus* ff. ſoluto Matrimonio, l. *Fundus*; ff familiæ herciſcundæ, ibi: *nullus caſus intervenire poteſt, qui hoc genus deductionis* (impendiorum ex fructibus) *impediat.* Vt autem hanc legem meliùs intelligas, nota expenſas tripliciter diſtingui ex l. *Impenſis.* ff. de verbor. obligationibus, in neceſſarias ſcilicet, vtiles, & voluptuarias. Neceſſariæ ſunt, quæ niſi fierent, vel res periret, vel deterior fieret, vt reficere domum, quæ ruinam minatur, curare infirmum, cum ægrotat. Vtiles, quæ rem vtiliorem reddunt, vt plantare vineam, vel olivetum. Voluptuariæ, quæ ex ſua natura non fructum agunt, ſed magis ad ornatum, & voluptatem fiunt, vt viridaria, picturæ, & ſimiles. Porro ad neceſſarias & vtiles dominus tenetur in conſcientiæ foro ex naturali æquitate. De voluptuarijs diſtinguendum eſt: Si enim dominus illud ornamentum velit retinere, tenetur eas deducere; Si nolit non tenetur: poterit tamen eo caſu iniquus poſſeſſor illud auferre, vt ſi horologiū ædibus affixit; ſi nequeat auferri, res arbitrio prudentis tranſigenda eſt.

12. Quæres: An eo caſu, quo res aliena apud malæ fidei poſſeſſorem perijt, ſimiliter peritura fuiſſet permanens in domini poteſtate, reſtitutio nihilominus facienda veniat?

Reſpondeo excuſari à reſtitutione in conſcientiæ foro, quando res fortuito caſu & ſine culpa eius perijt, quæ certò etiam apud dominum perijſſet. Non enim ratione rei acceptæ tenetur, cum nihil ex ea poſſideat. Neque ratione iniuſtæ damnificationis; cum cauſa damni non extiterit; quando ſine vlla furis culpa, v. g. hoſtium incurſione, civitatis deflagratione perijt, nihilominus peritura, etſi fur eam à domino non abſtuliſſet. Hæc eſt communis ſententia ſumpta ex Iureconſulto in l. vlt. §. *ſi ea cōditione* ff. de lege Rhodia, de iactu. Si vero cõtingat rem alienā perijſſe dolo iniqui poſſeſſoris; quia, videlicet, eam ſcienter deſtruxit, abſumpſit, alteri donavit, &c. tunc tenetur æſtimationem eius domino præſtare, nihil obſtante, quod ſi ea à fure ſublata non fuiſſet, certò etiam perijſſet. Exemplum ſit: Heri Paulus à Petro poculum argenteum furatus eſt: hodie verò ædes Petri incendio conflagrant, quod haud dubiè poculum etiam abſumpſiſſet, niſi à fure ablatum fuiſſet, Paulus nihilominus tenetur ad reſtitutionem rei iniquè ablatæ. Sin vero eam non reſtituat, ſed deſtruat, vel abſumat, iniuſtum domino damnum denuo infert, ad cuius compenſationem naturali iure obligatur. Quæ eſt communis Doctorum ſententia tradita à Molin. diſput. 726. Ratio diverſitatis eſt, quod priori caſu non ſit cauſa interitus, aut iniuſtæ damnificationis: *Molina.* in poſteriori verò è contra reſtituēdi obligationem contrahit ratione iniuſtæ læſionis, licet poſtea intelligatur rem etiam abſque eo perituram fuiſſe. Nec refert quod aliqui Doctores contrarium ſentiant. Nam ſemel contracta obligatio reſtituendi rem Domino iniuſtè abſumptam, ſubſequente fortuitò eventu non extinguitur; neque in furis commodum cedere debet, quod caſui & fortunæ domini adſcribendum eſt: immò quantumvis publicè ſciretur rem periculo incendij, vel naufragij, vel direptionis hoſtium ſubiectam eſſe, inde non ſequitur iniquū poſſeſſorem à reſtitutione excuſari: quia poſſet ab interitu liberari, vt ſæpè videmus, vel in totum, vel pro parte: atque adeo quamdiu ſpes probabilis affulget, domino rationabiliter invito fit iniuria.

13. Quæres: An iniquus poſſeſſor ſatisfaciat reſtituendo ſimplum eius quod iniuſtè ablatum eſt: Dicitur enim

nim Exod. 22. *Si quis furatus fuerit bovem aut ovem, & occiderit, vel vendiderit: quinque boves pro vno bove restituet, & quatuor oves pro vna ove.* Et Luc. 19. Zachæus dixit ad Dominum: *Si quem defraudavi, reddo quadruplum.*

Luc. 19.

D. Thomas

Præmitto cum D. Thoma 2. 2. q. 62. ar. 3. duo in peccatis contra iustitiam distinguenda esse; Vnum est damnũ, quod proximo infertur per furtum rei alienæ: alterum est ipsa culpa iniustitiæ, id est offensio, sive iniuria proximi. Respondeo prius damnum sufficienter compensari, quando res ablata ad æqualitatem reducitur. Posterius restitutionem non requirit, quia iniuria, quatenus pro ea satisfieri debet, non est obiectum iustitiæ commutativę; sed vindicativæ, cuius exercitium ad publicam tantùm potestatem pertinet. Ex quo sequitur ante Iudicis sententiam & coactionem, nullam oriri obligationem satisfaciendi pro iniuria præcisâ à damno, sicuti colligitur ex S. Thoma cit disp. 62. ar. 3. in corp. vbi sic ait: *Quantum ad primum, adhibetur remedium per restitutionẽ, in quantum per eam æqualitas reparatur: ad quod sufficit quod restituat tantum quantum habuerit de alieno. Sed quantum ad culpam, adhibetur remedium per pœnam, cuius inflictio pertinet ad Iudicem. Et ideo antequam sit condemnatus per Iudicem, non tenetur restituere plus quã accepit. Sed postquam condemnatus est, tenetur pœnam solvere.* Idem tradit Molina disp. 715. n. 9. & tr. 3. disp. 100. vbi exemplum ponit de adulterio, quamvis notorio, si exinde nullum aliud damnum proveniat marito adulteræ, nullam ei restitutionẽ faciendam esse, in consciẽtiæ foro. Addo eius verba: *Vnde,* inquit, *quia adulterium, quando ex illo nõ sequitur damnũ permanens alterius cõiugis vel in fama, & existimatione vel in alijs illius bonis, solum habet rationem iniuriæ ac iniustitiæ illi illatæ, consequens est, vt pro illo ita spectato nulla restitutio ex natura rei, atque in conscientiæ foro ei coniugi debeatur, in cuius iniuriam fuit commissum: sed solum sit dignum, quod pœna competẽti per iustitiam vindicativam à publicis potestatibus puniatur: quam tamen subire non tenentur adulteri quovsque per sententiam Iudicis competentis, vel ex officio suo, vel ad petitionem ac accusationem coniugis offensi, vel alterius prout in ea Republica fuerit institutum, eis imponatur, executionique insuper mandetur, vt affirmat communis Doctorum sententia, & Disp. 715. citata fuit copiosè explanatum. Quãdo autem, ex adulterio sequeretur alteri coniugi damnum permanens, iniustè ei ab adulteris datum, tunc illud spectatum præcisè à reliqua iniuria ac iniustitia adulterij, tenerentur adulteri illi restituere, non vero iniuriam ac iniustitiam adulterij in se præcisè spectatam à tali damno,* Cęterũ nihil refert, quod Exod. 22. præcipiatur prætacta restitutio, quia lex illa iudicialis est, adeoque ad Christianos nõ pertinẽs. Adhæc pœnalis est, quatenus æqualitatem transcendit. Addit D. Thom. 1. 2. q. 105. ar. 2. ad novum, quasdam congruẽtias, quare fur bovis quinque boves; fur autem ovis quatuor tantum oves restituere cogatur: *Iubet Deus,* inquit, *vt fur quinque boves pro vno reddat, quia bos quinquè habet vtilitates, nam Primò immolatur. Secundò pascit sua carne: Tertiò, arat: Quartò, dat lac: Quinto, dat corium. Ovis vero quatuor tantũ affert commoda. Nam primo, immolatur: Secundo, pascit sua carne: Tertio, dat lac: Quarto, dat lanam.* Rursum nihil facit illud Zachæi, nam ille non restituit quadruplum, vt quidam putant, quod lex vetus id iuberet, loc. cit. & 2. Reg. 12. quia ipse Gentilis erat, adeoque legi non obnoxius. Adhæc lex non ex omnibus rebus, sed ex solis ovibus furto sublatis quadruplum reddere iubebat: & Zachæus, cum princeps esset publicanorum, non oves, sed pecunias furabatur, & iniustè extorquebat. Verum Zachæus hæc fecit ex ardentiori & abundantiori charitate; cum enim satis certum non haberet, quantum cuique abstulisset, voluit, ne fortè aliquid alienum retinens erraret, quadruplum reddere, sicut sibi videbatur debere. Addit Maldonatus Luc. 19. *quod omnes profectò fœneratores facere deberent.*

Idem.

Molina.

Exod. 22.

D. Thom.

2. Reg. 12.

Maldonatus.

Discursus XVII.

Quinam restituere debeant damnum iniustè datum.

1 Tim 5.  Postolus Paulus 1. ad Timoth. 5. graviter monet Timotheum, (& in eo quoscumque) *Ne communicaveris peccatis alienis*, scilicet iubendo damnum inferri alijs, suadendo furta, alijsque modis. Et meritò, nam sic quis æque reus fit apud Deum, atque ille qui peccatum exequitur, & sæpe tenetur ad restitutionem. proinde examinabo, quando cooperans huiusmodi obligationem subeat.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam prænotandum est, novem ferè modis peccati alieni participem quempiam fieri, videlicet iussione, consilio, consensu, irritatione, laudatione, reticentia, conniventia, participatione, & defensione.

2. His positis dico Primò, eum qui suo decreto, mandato, ac imperio proximi damnum expresè mandavit, ad illud inferendum movens alioquin non facturum, teneri ad restitutionem, etiamsi ipse manum nō admoverit facto iniquo. Ratio est, quod ipse sit causa sine qua non. Hac ratione Saul 1. Reg. 22. ad restitutionem tenebatur propinquis Sacerdotum octuaginta quinque, quos trucidari fecit per Doëg Idumæum. (1. Reg. 22.) Similiter David, cum 2. Reg. 12. innocentem occidit Vriam, non suis quidem, aut servorum manibus, sed per litteras hoc agens, atque demandans, vt in prælio ille occideretur, sic scribens: *Ponite Vriam ex adverso belli, vbi est prælium & derelinquite eum, vt percussus intereat*, tenebatur. enorme enim facinus, in quo verum deprehenditur quod dixit D. Gregorius, nempe peccatum suo pondere ad aliud hominem deprimere. (2. Reg. 12.) (Gregorius.) Non enim satis habuit David abstulisse Vriæ vxorem per adulterium, & deinde mentem per inebriationem; sed nunc etiam honorem adimit, dum iubet quasi magni sceleris reum hostilibus telis obvium opponi, & perfidiosè deseri ab illis qui forsan eum ab illis angustijs extraxissent incolumem. Adde, quod novum est iniuriæ, atque miseriæ genus, ipsumque Vriam suæ sibi necis auctorem esse voluit: ille enim litteras à Rege accepit, & tulit ad Ioab, quibus seipsum in laqueos, & insidias inducit. Similiter iudica de ijs, qui alienorum bonorum ablationem efficaciter mandant, hoc est, de ijs qui cum auctoritate mandant, qualis est dominus, pater, iudex. Nam si alius iubeat nullâ auctoritate præditus, non est propriè præceptum, sed magis consilium, vt bene animadvertit P. Navarra lib. 3. de restitut. cap. 4. n. 78. vbi sic ait: *Quod si imperans non habet vim coactivam, vt sunt iudices habentes iurisdictionem, & dominus respectu famuli, pater respectu filij, maritus respectu vxoris, vel alius quisque, qui minis aut metu alteri præcipit, &c. imperium non est causa principalis respectu exequentis: sed contra exequens tenetur primo loco, quia exceptus prædictis causis tale præceptum non habet vim præcepti, sed consilij: cum nullo pacto cogat exequentem timore saltem aliquo rationabili ad operandum.* Vnde mercatrix, quæ alicui dominæ vænum adfert linea aut lanea, non excusatur à restitutione, quando pedissequa non vult illi ingressum parare ad dominam, nisi prius illi corollarium concedat, vel vlnas aliquot linei aut lanei panni

ni in vsum suum, & iubeat à domina valorem extorquere accipiendo vltra pretium rigorosum, casu quo ipsa iniuste accipiens non restituat.

3. Dico secundò non solum eum, qui expressè mandat damnum alteri inferre, teneri ad restitutionem; sed etiam, qui tacitè, videlicet facto, vel dicto, ex quo subditus facilè colligere potuit, gratum fore hero, si nomine eius damnum alteri inferat vt si dicat volens alicui aliquod damnum inferri, *Vtinam mihi hoc obsequium quis praestet*, vel, *Charus mihi erit qui hoc fecerit*. Et quod notatu dignũ est, is qui præcipit subditis, vt damnum inferant, non tantum damnificato restituere tenetur, sed etiam subditis; si quid inde detrimenti recipiant, dummodo tale damnum alioquin executuri non fuissent: quia non solum nolentes inducit, sed etiam eos quodammodò iniuriose cogit, cum præceptum vim quasi coactionis habeat.

4. Dico tertiò eum qui hortatur, rogat, vel instruit ad damnum alteri inferendum (qui sub nomine *consulentis* à Doctoribus comprehenditur) teneri ad restitutionem, quando per consilium fuit causa sine qua non; sive statim, sive post multum temporis damnum secutum sit. Sic peccavit Achitopel, quando dixit Absoloni petenti consilium 2. Reg. 16. qua ratione optimè sibi consuleret, & populum in suas partes adduceret, rebellans contra parentem: *Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendum domum: vt cum audierit omnis Israel, quod fœdaveris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum.* Sic rursum Caiphas restitutioni erat obnoxius, quia consilio suo Senatum Iudaicum in mortem Christi concitavit, atque permovit dicens: *Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat, &c. Ab illa ergò die cogitaverunt vt eum interficerent.* Sic Demetrius quidam. Actor. 19. obligabatur Paulo; quandoquidem cum alijs opificibus, vt suo studeret quæstui, totam penè vrbem Ephesiorum adversus Paulum, eiusque doctrinam ingenti seditione complevit. Infames etiam Herodias Marc. 6. in hoc impegit, cum eius consilio & suasu instructa saltatrix filia, quod crudeliter appetivit sanctissimi Ioannis amputatum caput nefariè impetravit.

2. Reg. 16. — Ioan. 11. — Act. 19. — Marc. 6.

5. Verum singulariter notandum est, quod animadvertit Molina disp. 730. aliquando contingere, quod is qui ex simplicitate alterius consilium secutus invincibiliter ignorans damnum alteri intulit, non teneatur amplius restituere, quam quatenus inde fortè locupletior factus fuerit. Ratio est, quod ductus meritò auctoritate consulentis excusetur. Ille verò, qui consilium culpabiliter dedit, teneatur restituere non solum & damnum, sed etiam quodcumque aliud, quod inde ipsi fuerit secutum, qui tale consilium executioni mandavit: *Hoc modo*, inquit, *causa damni iniusti esse possunt Consiliarij Principum, atque ad illius restitutionem tenentur, si consilium dent, vt lex iniusta, statutumve iniustum condatur; vel si consilium dent, vt tributum iniustum imponatur; vel vt bellum iniustum inferatur, aut vt aliquid iniustum fiat. Eodem modo esse possunt causa damni iniusti Advocati, Medici, Doctores, quos alij de rebus dubijs consulunt, Confessarij, & alij similes, si consilium dent, vnde alteri damnum iniustum sequatur.*

Molina.

6. Sed quæstio est, vtrum male consulens, ex dolo tantum, an etiam ex culpa obligetur? Respondeo sub distinctione. Primò consulentem, si talis persona sit, quæ ratione status, vel muneris sui peritiam profitetur in ea re quam suadet, vt Doctor, Advocatus, Consiliarius, Confessarius &c. non solum de dolo teneri, sed etiam de culpa lata & levi; si videlicet proprium commodum seu stipendium recipiat.

Dico secundò: Si malè consulens seu suadens non sit talis persona, quę ratione muneris aut status sui peritiam præseferat, non obligatur ex consilio, nisi doloso; id est, nisi fraude ignorantem circumveniat, iuxta iuris

iuris regulam 62. in 6. *Nullus ex consilio nisi fraudulentum sit obligatur*: & reg. 47. ff. *Consilij non fraudulenti nulla obligatio est*. Ratio discriminis est: Quia prioris generis personæ dum peritiam præ se ferunt, qua carent, hoc ipso decipiũt alios, qui ipsorum consilium, & auctoritatem per simplicitatem sequuntur. Qui autem talem peritiam non profitentur, horum consilium nemo prudens sequitur, nisi prius explorarit, num expediat, nec ne, iuxta l. 2. in fine, ff. mandati. Quod credo etiam locum habere in homine plebeio, qui inconsideratè seu per negligentiam etiam crassam tamen sine fraude alteri consilium noxium dederit, quandoquidem dumtaxat adversus charitatem delinquat, & suæ temeritati ac imprudentiæ imputari debeat, qui huiusmodi consilium voluntariè sequitur.

7. Rursum quæres: Vtrum ad restitutionem teneatur damnificato, qui consilio, & hortatu suo eum magis confirmat, qui alteri iniustum damnum inferre decreverat?

Respondeo negativè. Ratio est, quod talis non sit causa efficax, vt damnum absolutè & secundum substantiam inferretur, vt rectè Divus Thomas 2. 2. q. 62. a. 7. Quod extende etiam ad eum, qui hortatu suo causa fuit saltem vt citius & expeditius damnum inferatur: quia moraliter rem æstimando parum, immo nihil interest ad damni illationem secundâ an tertiâ die vel horâ perficiatur iniustitia, si absque dubio perficienda erat, vt probabiliter sustinent Doctores. Si vero quis hortatu suo causa fuit maioris damni, quàm alioquin illatum fuisset tenetur restituere excessum, vt rectè Rebell. lib. 2. de obligation. iustitiæ q. 14. sec. 4. n. 20 vbi sic ait: *Si consulas furi, v. g. vt furetur ducenta, qui alioquin paratus, certusque erat ad furandum centum, non eris obligandus, nisi ad centum restituenda: quia solius excessus causa, sine qua non, fuisti*. Et assertores allegat Medinam, Covarr. P. Navarra, & alios.

D. Thom. — Rebell. — Medina. Covarr. Navarra.

Ex his sequitur multò magis à restitutione immunem dicendã eam personam, cuius cooperatio tantum materialis fuerit in effectum formaliter non influens: quia sine ea hoc numero damnum ab hoc damnificante nihilominus illatum fuisset. Exempli causa: Si furi furandi causa ascendenti scalam teneas, quam etsi nemo teneret, tamen ascenderet; Si ancilla dominæ suæ vocanti obsequium præstet in asportanda cista furtiva, quam sine cuiusquam subsidio auferret tamen, & furaretur. Hi tamen in externo foro meritò ob delictum puniri solent, nisi iusto metu interveniẽte excusandi veniant: vt solent rustici cum à militibus vel prædonibus mortis metu adiguntur ad prædas furtò ablatas iniustè avehendas.

8. Sequitur *consensus*, quo nomine intelligitur efficax approbatio, vel suffragium ad damnum inferendum: veluti si aliquis è Magistratu ad inferendum bellum iniustum; aliquis ex Concilio, Capitulo ad decernendam legem iniquam & damnosam, eligendum hominem indignum, & Ecclesiæ perniciosum, suffragium & consensum præstet. Hoc modo peccaverunt cives Hierosolymitani, Matth. 27. suis Magistratibus ita suffragantes ad Christi perditionem, vt idcirco Petrus illis exprobans dixerit: *Adictorem vitæ interfecistis*. Act. 3. & 4. Vt enim inquit Paulus Rom. 1. *Non solum qui faciunt mala, sed etiam qui consentiunt facientibus, digni sunt morte*. Quo referri potest, quod apud Cyprianũ legimus: *Non est immunis à scelere, qui vt faceret, imperavit: nec alienus à crimine, cuius consensu licet non à se admissum crimen, tamen publicè legitur*. Porro eiusmodi tunc tenentur ad restitutionem, quando quis suffragando facit numerum sanioris & maioris partis Capituli compleri. Quod etiam locum habet non tantùm in eo, qui præcisè complet numerum; sed etiam in omnibus præcedentibus, quantumvis certò scirent sequentes in eam rem consensuros; quia cum alijs

Matth. 27. — Act. 3. & 4. — Rom. 1. — Cyprian. epist. 31.

alijs sunt causa activa ferendæ sententiæ, adeoque ad damnum resarciendum obligati; licet sine eorum suffragio eadem sententia lata, idemque secutum fuisset damnum. tenetur enim vnusquisque ex munere & officio suo contradicere, & iniquam sententiam impedire.

9. Eodem modo tenetur, qui *irritatione* alium ad damnum alicui inferendum dictis aut factis provocat, sine quibus alter impulsus non fuisset ad malefaciendum. Ratio est, quod exprobrans alicui ignaviam sit instar consilij: proponit enim laudem, gloriam, decus, vel ignominiæ abstersionem, quæ ex maleficio videntur consecutura, aut exaggerat acceptam contumeliam, & dedecus, eoque modo ad iniustam vindictam, aut damni illationem concitat. Hoc modo vxor Iob patientissimo viro petulanter insultans, quantum in se quidem erat, suasit etiam Deum blasphemare. Et Tobiæ vxor æque morosa, maritum suis convicijs frequenter infestans & exasperans, hoc fecit, vt vir anxius domesticam iniuriam suspirijs, lachrymis & precibus ad Deum fusis prosequi cogeretur.

Iob 2.

Tob. 2.

10. His dissimilis non est, qui *palpitatione* vel adulatione ita calcar addit ad alteri damnificandum, vt causa efficax damni existat, v. g. cùm quis commemorando alicuius iniuria affecti nobilitatem, corporis vires, ad iniustam damni illationem concitat; de quo Propheta: *Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur.* Multò verò peior est, qui propterea favet alicui, vt iniustè pecunias alterius prodigat, vt faciunt subinde caupones, quando in eum finem filiosfamilias contra parentis voluntatem domo sua recipiunt: item receptatores furum, quatenus formaliter fures sunt, aut rerum alienarum detentores. Nam qui rem furtivam sciens recipit celandi causa, furti crimen cõmittit, eademque pœnâ dignus in iure censetur, vt expressè habetur in l. 3. §. *non tantum*, ff. de incendio, ruina &c. His verbis: *receptatores non minus delinquunt, quam aggressores.* & §. *conceptum*. Institut. de obligation. ex delicto.

Psal. 9.

11. Pessimi verò sunt, qui præstito auxilio seu subsidio ad damnum inferendum formaliter cooperantur, qui sub nomine *participantium* comprehenduntur. De quibus Psalmista Psal. 49. *Si videbas furem, currebas cum eo.* Quos etiam perstringit Esaias, cum cap. 1. dicit: *Principes tui infideles, socij furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* id est, Qui tibi pręsunt, ô Ierusalem, fidem & officium prodiderunt, & cum furibus, in quos agere lege debuerant, scelerum prædæque societatem inierunt: nihil illis munerum largitione gratius, quæ omni studio, atque artificio captant; de pupillorum causa nullo modo laborant. quid viduæ ab iniquorum fraude patiantur, nihil habent pensi; neque aures dant æquas, & benevolas illorum querelis, & iniurijs. Ex horum etiam numero sunt vsurarij institutores seu factores, tabelliones etiam conficientes instrumentum vsurarium, & testes illi scienter subscribentes in gratiam mutuatoris. Item faber ferarius subministrans clavem ad furandum; is qui scalam furi applicat ac tenet, qui eundem comitatur, eique assistit animi augendi ergò: qui vigilem aut exploratorem agit. Vnde etiam pœnis furti tales tenentur, l. *In furti*, §. *ope*. l. *Si pignore*, §. qui ferramenta. ff. de furtis.

Psal. 49.
Esaiæ 1.

2. His non minùs peccant, qui malefactoribus patrocinantur, eosque defendunt, *dicẽtes malum, bonum, & bonum, malum: ponentes tenebras, lucem, & lucem tenebras,* Isa. 5. Quales sunt Advocati, vel quivis alij, qui causæ evidenter iniquæ patrocinium apertè vel occultè suscipiunt. Vnde 24. q. 3. ait Vrbanus Papa: *Qui aliorum defendit errorem, multò damnabilior est illis, qui errant.* Et Augustin. epist. 54. ad Maced. relatus in cap. 1. 14. quæst. 6. sic ait: *Illud verò fidentissimè dixerim eum, qui pro alio ad hoc intervenit, ne male ablata restituat,*

Isa. 5.
Vrbanus.
August.

stituat, & qui ad se confugientem, quantum honestè potest, ad restitutionem non compellit, socium esse fraudis aut criminis.

13. Quæres, qui reticentes & conniventes ad restitutionem teneantur?

Respondeo illos teneri, qui cùm verbo, scripto, opere damnum impedire possent, & ratione officij ad hoc tenentur, dolo vel negligentia intermittunt. Sic Principes, Magistratus, Prætores, & Duces belli obligantur ad restitutionem, si omittant impedire furta, latrocinia, iniusta monopolia, & similia damna, cùm possint sine notabili suo detrimento vitæ, famæ, honoris, aut rei familiaris. Ita Sylvester Rest. 3. q. 5. & alij Doctores. Ratio est, quia ex officio, ac proinde lege iustitię commutativæ tenentur, tanquam ad hoc conducti: ideo enim stipendia & honores à Republica accipiunt. Dico, *Sine notabili detrimento*: quia non tenentur impedire damnum minus, cum suo maiori, vel æquali: ita enim censentur Reipublicæ operam suam veluti locasse, vt gravia communitatis damna (vt sunt latrocinia, hæreses, & similia) teneantur impedire, etiam cum vitæ periculo; quia talia longè pręponderant damno privato: damna verò privatorum, quando id facere possunt sine pari damno suo.

Ex hoc capite etiam tenentur Assessor, Consiliarius, Canonicus tacendo, vel se absentando non impedientes iniquam constitutionem: tutores etiam, curatores, & administratores bonorum, non impedientes damna pupillis minoribus, & Ecclesiæ provenientia.

Secundò tenentur omnes illi, qui per modum contractus sese ad alicuius rei custodiam obligarunt, stipendia eam ob causam accepturi. Nam lege Iustitiæ tenentur custodiam pręstare, eiusque defectu damnum, si inferatur, resarcire: quales sunt custodes hortorum, vinearum, saltuum, & stagnorum. Et hac de causa vbi plures sunt famuli in vna familia, is solum tenetur ex iustitia ad restitutionem, cui cura alicuius rei custodiendæ specialius demandata est, v.g. vasorum argenteorum, vini, aut alterius rei.

14. Verum enimverò quæres, quantum singuli damnificantes restituere debeant, & quo ordine?

Respondeo, & dico primò, cùm plures casu, id est, absque conspiratione, & consensu concurrunt ad damnum inferendum; tum singuli dumtaxat tenentur de damno per illos illato, v. g. Casu superveniens aliquis, vbi plures ex alieno dolio vinum promunt, modicum quid bibit: vel sciens plures à Rege furari solitos, modicum quoque furatur; is non tenetur amplius restituere, quàm accepit. Ratio est, quia in tali casu non est aliquis causa influens in totum damnum, sed solum in eius partem. Similiter vbi in rixâ subitò exortâ plures adversarium impugnant, ille solus de homicidio tenetur, qui vulnus lethale inflixit; non item alij, qui percusserunt, iuxta l. vlt. ff. ad l. Cornel. de sicarijs: *Si in rixa percussus homo perierit, ictus vniuscuiusque in hoc collectorum comtemplari oportet.* Quod intellige, cum probabile sit etiam absque aliorum percussione hominem moriturum fuisse.

15. Dico secundò quoad principalem damnificantem considerandum venire, an actio iniusta fuerit lucrativa, an vero dumtaxat illativa damni. Priori enim casu principalis tenetur ex duplici capite, acceptionis videlicet iniustæ, & retentionis. Posteriori tenetur mandans; deinde executor. Ratio est, quod actio magis tribuatur agenti principali, quàm exhibenti ministerium, si autem dominus famulo mandet, vt hominem occidat, & is exequatur, famulus est quasi agens ministeriale, quo sicuti instrumento dominus operatur. Quod autem *secundo* loco teneatur executor, ratio est; quòd inter causas secundarias, seu qui in defectum principalis restituere debent, priori ac potiori obligatione teneantur illi, qui positivè

tivè influunt in effectum, puta cooperantes & consulentes: postea verò & in defectum horum obligantur causæ negativæ, id est, tacentes & non obstantes cum ex officio teneantur.

16. Quæres denique, quid agendum sit, cum omnes damnificantes sunt principales, velut cum plures condixerunt ad furandum?

Respondeo singulos per se primò obligari ad totius damni compensationem, vti colligitur ex l. *Si plures*, ff. de dolo. quæ sic habet: *Si plures dolo fecerint, & vnus restituerit, omnes liberantur.* Hac enim ratione supponit singulos ad restitutionem fuisse obligatos, quod causa sint totius damni. Porro si vnus sociorum restitutionem fecit in solidum, cœteri liberantur quidem à restitutione facienda principali damnificato: sed in conscientiæ foro manent obligati quique pro rata reddere illi, qui totum restituit.

Ex his sequitur, in iniqua direptione, aut belli grassatione primò teneri ad restitutionem damni Ducem belli vel direptionis, cuius iussu, auctoritate, vel impulsu civitas spoliata vel devastata fuit. Secundò in defectum Ducis, & aliorum, qui auctores vel executores damnorum fuere, reliquos omnes ac singulos milites, qui communi consilio, conspiratione, ac veluti vna manu ad civitatis direptionem & devastationem concurrerunt, teneri in solidum ad totius damni compensationem. Ratio est, quod sint causæ formales, & propriè dictæ, quæ in defectum principalis tenentur; cum sine earum cooperatione damnum dari non potuisset, quandoquidem Dux belli solus sine exercitu vrbem diripere non valeat.

Verum omittere non licet, quod animadvertit Molina disputation. 737. num. 4. vbi sic ait: *Quod si aliqui inter eos* (seu damnificantes) *sint principaliores, & alij minus principales, tunc iuxta proportionem concursus cuiusque eorum tanquam causæ, cuius nomine & auctoritate delictum executioni mandaretur, tenerentur contribuere ad restitutionem. Si esset societas latronum, vt prædam inaqualiter in se dividerent, quia quidam eorum essent magis præcipui, fortiores, aut industriores, tunc iuxta proportionem divisionis prædæ, inter ipsos communi consensu constitutæ, contribuere etiam tenerentur ad damna, tanquam causæ eorum damnorum principales.* Manent tamen in aliquorum defectum alij ad restitutionem obligati. Molina.

Discursus XVIII.

Cui, & quo ordine restitutio facienda sit: & an aliquo casu à restitutione quis excusetur?

Rom. 13.

Postolus ad Rom. 13. dicit: *Reddite omnibus debita.* Verum id aliquando aut commodè fieri non potest, aut dominus incertus est, aut bona debitoris pluribus expresse vel tacitè sunt obligata. hinc quæram quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti cognitionem, dico primo, quando dominus est certus & notus, regulariter ei restituendum esse, quod ipsi sublatum est. Si vero mortuus sit, restituendum hæredibus: neque vllatenus sufficere, quod pauperibus restitutioni obnoxia distribuātur. Ratio est, quod nemo sit dispensator alienorum bonorum domino rationabiliter invito. Secundò, quod Deo eiusmodi eleemosyna displiceat. Vnde dicit Sapiens Proverb. 3. *Honora Dominum de tua substantia: & de primitijs frugum tuarum da pauperibus.* Ecclesi. verò 34. quasi rationem addens, inquit: *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.* Et D. Ambrosius lib. 1. de Officijs cap. 30. ait: *Non probatur largitas, si quod alteri quis largitur, alteri quis extorqueat: si iniustè quærat, & iustè dispensandum putet.* Et Divus Gregorius lib. 7. epist. 110. *Eleemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non de illicitis rebus, & iniquitate congeritur; sed quæ de rebus concessis, & bene acquisitis impenditur. Neque enim,* vt inquit Augustinus lib de bono coniug. c. 14. *si agris inique ac perperam invasis, ita quisque vtatur, vt eorū fructibus largas eleemosynas faciat, ideo rapinam iustificat.* Adeoque id ordinarie observandum est, quamdiu sine dispendio famæ ac status iuste acquisiti fieri potest.

Prov. 3. Eccles. 34 Ambros. Gregorius.

Si vero restitutio debiti sine periculo famæ fieri nō potest, captāda est commoditas restituendi per hominem aliquem tertium fidelem, & secretè observantē, videlicet, Parochum, vel Confessarium, qui persona nulla nominata ipsi creditori restituat. Sin verò hoc modo etiam infamaretur debitor, vt si certo rescirent talem fuisse furem, quia v. g. nemo alius occasionem habere potuit creditori quid auferendi: Et sic cum infamia in carcerem conijciendus veniret, poterit ablatum eius nomine restitui pauperibus. Ratio est, quod *bonum inferioris ordinis restituendum non sit, cum detrimento boni superioris in suo genere æque gravis.* quia *lex Dei tam naturalis*, vt inquit Pet Navar. lib. 2. de restit. ca. 4. *quam divina suavis est, in omni ratione ac æquitate consistens, & per consequens eum rigorem, ac inæquitatem, non modo non præcipit, sed etiam abhorret, vt quis voluntariā mortem pro honore alterius, & voluntariā infamiā pro pecunia alteri restituenda pati velit, vel teneatur.* Deinde confirmat ex Scripturis famā esse altioris ordinis quam pecuniā. Eccl. enim 41. dicitur: *Curam habe de bono nomine. hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri, & magni.* Et Prov. 22. *Melius est bonū nomen, quā divitiæ multæ.* Ergo licebit eo casu pauperibus restituere. Eccl. 41. Prov. 22.

Sed dices Dominus Luc. 16. inquit: *Facite vobis amicos de māmona iniquitatis.* Ambros.

Respondeo sensum horum verborum non esse, quod bonis iniustè acquisitis eleemosyna faciēda sit; quādoquidē ea dispensare nō possumus: sed Dominus vocat divitias, *mammonam iniquitatis*, vel quia præbent materiam multarum iniquitatum, imo incitamenta sunt ad omnes iniquitates, vt S. Ambrosius exponit in Luc 16.

com-

commentario cap. 16. Luc. Vel quia iniustè sibi nomen divitiarum vsurpant, cum verè divitiæ non sint, vt S. Augustinus docet serm. 35. de verbis Domini. Et lib. 2. quæstion. Evangelij, cap. 34. quæ expositio confirmatur ex verbis sequentibus: *Si iniquo Mammona fideles non fuistis, quod verum est quis credet vobis?* Vbi *verum* opponitur *iniquò*, quia divitiæ corporales falsò vocantur divitiæ, & ideo iniustè nomen divitiarum gerunt, quod propriè solis divitijs spiritualibus convenit. Vel denique, quia revera vix fieri potest, vt aliquis sine iniquitate ditescat, vt Hieronymus & Chrysostomus docent: *Qui enim volunt divites fieri, incidunt in tentationes, & laqueum diaboli, & desideria multa noxia & inutilia, quæ mergunt hominem in interitum & in perditionem*: vt ait Apostolus 1. ad Timoth. cap. 6. Adeoque de bonis iustè acquisitis, monet Christus amicos esse faciendos, si prudenter nobis consulere velimus, quemadmodum villicus iniquitatis timens à domino destitui prudenter, quamvis iniustè sibi providit pro tempore quo amotus à villicatione non haberet, vnde viveret.

Augustin.

1 Tim. 6.

3. Dico igitur secundò, Quicumque rem alienam possidet & verum dominũ non novit ex facie, sed tantũ ex nomine alioque signo, eum obligari ad faciendam diligentem inquisitionem, antequam possit restituere pauperibus; & aliàs non excusari, sed obligatum manere comparenti domino iterum restituere.

4. Dico tertiò, Quando debita sunt incerta, id est, quorum creditor ignoratur, vel conveniri non potest, quia v.g. nimis distat, si proveniant ex contractu iusto, possessor sibi retinere potest, neque tenetur pauperibus erogare. Ita docet Pet. Navar. lib. 4. cap. 2. num. 45. & probabilem censet Less. lib. 2. cap. 14. nu. 38. Exemplum est: Si à mercatore duas panni vlnas pro vna accepisti; sed ei restituere non potes, quia nescis, quo discesserit, sine iniuria retines; neque pauperibus ex præcepti necessitate restituere cogeris. Ratio est; quia nullus bonæ fidei possessor tenetur bona incerta in pauperes erogare, nam ius naturale, aut divinum, aut humanum nihil inde disposuit: sed lex Canonica debita per iniustitiam contracta, videlicet per furtum, vsuram, similesque modos voluit in pœnam criminis pauperibus, vel Ecclesiæ restitui, vt patet c. *Cum tu*, de vsuris, & c. *Cum sit*, de iudicijs.

Pet. Nav

Lessius.

5. Quæres, cui restituenda veniant turpiter acquisita? Respondeo turpiter acquisita esse triplicia. Primo, quæ accipiuntur ab aliquo vt faciat, quod ex officio & iustitia facere tenetur. Secundo, quæ accipiuntur pro opere malo iniurioso, seu contra iustitiam, videlicet cum quis Iudex recipit pretium pro iniqua sententia; aut testis pro falso testimonio ferendo; aut alius pro occisione alterius per ipsum perpetranda. Tertiò, quod accipitur pro actu meretricio.

6. Quibus positis, dico resolutè Iustitiæ ministros, qui vltra iustum stipendium ipsis à lege taxatum, aut aliàs competens, munera accipiunt teneri ad restitutionem danti, idque ex natura rei, & ratione iniquæ acceptationis ante omnem repetitionem. Ratio est, quia sic acceptũ verè contra iustitiã accipitur, & consequenter sic recipiens simpliciter, & ex natura rei illud restituere tenetur. Et confirmatur quia sic accepta involuntariè dantur, & cum quadam coactione, & veluti ad redimendam suam vexationem; non enim darentur, si alter, vt deberet, gratis illa facere, aut omittere voluisset: vt rectè colligunt Doctores ex l. 3. 6. & 7. C. de condict. ab turp. cau. & l. 4. ff. eodem, & l. *Iuris gentium. §. Si ob maleficium*, ff. de pact.

Si verò constet munera liberaliter dari, peccant Iudices graviter ea accipiendo, tum ob causam scandali, tum ob periculum iustitiam pervertendi. Dicitur enim Exod. 23. *Nec accipies munera, quæ etiam* Exod. 23.

 exca-

excæcant prudentes, & subvertunt verba iustorum. Non tamen videntur obligandi ad restitutionem antè Iudicis sententiam, nisi lex aliqua positiva exprimat acceptionem munerum liberalium non tantum esse illicitam, sed etiam invalidam, sicuti exprimit de Delegato Papæ in c. *Statutum*, §. si quid, de rescriptis in 6. & de Ecclesiarum visitatoribus c. 2. de censibus in 6.

7. Dico secundò ex communi sententiâ Doctorũ, accepta à Iudice, aut teste pro sententia iniusta, & testimonio falso, aut ab alio quocumque pro committendo peccato contra iustitiam, nempe pro alterius inimico occidendo, pro comburendo domum alterius, pro incutiendo alteri alapam, & pro similibus iniuriosis damnis perficiendis, statim & in conscientia restituenda esse danti ante omnem repetitionem, & condemnationem in iudicio latam; post Iudicis verò sententiam ei, cui à Iudice fuerit applicatum. Ratio eorum est; quia ad eandem virtutem iustitiæ pertinet, præcipere opera iustitiæ, & prohibere opera iniustitiæ. Nam sicut ad iustitiam pertinet ius suum vnicuique reddere; ita ad eandem pertinet, ne inferatur damnum; vel iniustitiam prohibere. Sicut igitur iudex tenetur gratis facere iustitiam; ita quoque vitare iniustitiam gratis. Sicut qui debitor est mille aureorum tenetur ex iustitia illa restituere gratis, nihil accipiendo à domino pro restitutione illi debita: ita tenetur gratis abstinere ab iniustitia ea retinendo. Ita Sayrus lib. 10. thesauri tract. 5. c. 3. n. 12. vbi quam plures in hanc rem allegat Doctores. Et addit: *Neque solum idcirco statim sic acceptum restituendum esse puto, quod iure humano, & civili reddatur inhabilis accipiens, vt retineat, & donans, vt rei datæ à se dominium transferat in accipientem titulo mercedis, vt patet ex l. Multa, C. de modo mulctandi. vbi sic acquisita adiudicantur fisco; sed etiam ipso iure naturali maleficio huiusmodi contra iustitiam vanalia non sunt, nec mercedem merentur.* Sayrus.

8. Quantum ad tertium attinet, dico meretrices aut alias feminas, tunc teneri ad restitutionem danti, quando vi, metu, fraude, dolo, maius pretium extorserunt ab eo scilicet, qui potestatem habet alienandi, minitantes ei gravem iniuriam per alios inferre, nisi notabiliter excedat in pretio, aut mentientes se esse virgines, aut asserentes se non esse cognitas, aut vlli nisi semel, aut non nisi à tali illustri viro; vel aliud simile contra veritatem. Ratio est, quia talis receptio, & solutio in eo superfluo iniusta est, & furtum; siquidem invitus solvisse censetur amasius; & fraus & dolus nulli patrocinari debet. Sic etiam si femina petat ab amatore suo aliquid pretiosum coram alijs personis, coram quibus cogitur concedere; aliàs amittet honorem suum, non potest illud recipere, sed restituere tenetur, quia involuntariè mixtè datum est. Quòd verò seclusa fraude; & dolo quis promisit meretrici, acceptum restitui non debet, si pretium sit pro vsura corporis sui solvi solitum. Hinc Iudas Genes. 38. quamvis peccasset cũ Thamar congrediendo; post factum tamen pacto stare voluit de hædo promisso illi tradendo: vnde dixit ministro, qui hædum traditurus ad locum peccati concesserat, illam non reperienti. *Certè mendacij arguere nos non potest, ego misi hædum quem promiseram, & tu non invenisti eam.* Genes. 38.

6. Quæres, quo ordine debita restituenda sint, quando bona creditoris non omnibus debitis solvendis sufficiunt. loquor autem de redditione debiti, seu ex delicto, seu ex contractu descendentis.

Respondeo in primis debita certa, id est, quæ proprijs creditoribus restitui possunt, præferenda esse debitis incertis. id est, quæ proprijs dominis, aut creditoribus restitui non possunt, sed eorum loco Ecclesiæ, vel pauperibus erogari debent. Ratio est: Quia dominis ac creditoribus certis ex iustitia commutativa propriè dictum ius competit ad debita sua exigenda,

xigenda, non item pauperibus, vel Ecclesiæ ad postulanda debita incerta: hanc enim ipsis faciendam restitutionem sola lex Ecclesiastica præcipit, quæ iuri illi & obligationi naturali nullum præiudicium auferre censetur. quod intellige de bonis proprijs. Nam res aliena in specie extans apud iniquum possessorem, cum vero domino restitui non potest, pauperibus potius, vel Ecclesiæ tribuenda erit: quia debitor creditoribus suis certis non ex bonis alienis, sed ex proprijs solvere obligatur.

10. Dico secundò, ex bonis debitoris defuncti primò solvendas esse impensas funeris, l. penult. ff. de religiosis & sumptibus funerum, & quæ ad confectionem inventarij, apertionem testamenti; item medicorum honoraria, pharmacopolij pretia, sicut colligunt DD. ex l. vlt. § *in computatione*, C. de iure deliberandi. Cuius rei ratio est, partim quòd eiusmodi debita adeò necessaria non censeantur contracta in fraudem antecedentium creditorum: partim quòd alioquin nemo reperiretur, qui indigentibus talia subministraret, si de solutione certus non esset. Quamobrem quibusdam locis etiam operariorum ad necessarium vsum conductorum mercedes reliquis omnibus debitis, secundum æquitatis rationem præ ferri solent. Vide Vasq. de rest. c. 11. dub. 3. n. 83.

Vasq.

11. Dicò tertiò creditores hypothecarios, id est, qui non solum personam debitoris, sed etiam rem eius vnam, vel plures obligatas habent, in his præferri omnibus creditoribus chirographarijs, id est, qui solam personam personali actione sibi obligatam tenent: licet talis obligatio chirographo proprio, aut instrumento publico, vel testibus, vel debitoris confessione, aut aliâ quâvis ratione probari Possit. Ita habetur in l. *Eos*, C. qui potiores in pignore, & ex communi tradit. Navar. c. 17. n. 51. Angel. ver. restit. 2. §. 16.

Navar.

Quia, vt Pomponius ait reg. 25. ff. *Plus cautionis in re est, quam in persona.*

Pompon.

Si verò hypothecarij creditores in eodem pignore concurrant, regula Iuris 54. in 6. sumpta ex l. 2. ff. *qui potiores in pignore*, servanda est: *Qui prior tempore, prior iure.* Ratio est: Quia pactio & obligatio posterior non potest tollere ius alteri antè in re quæsitum. Et nihil refert, sitne pignus, sive hypotheca tradita, an solum obligata; item sitne expressa, an tacita; generalis, an specialis, sicuti constat ex l. 2. ff. *qui potiores* in pignore.

Neque his obstat l. 2. C. de pignoribus, & hypothecis, vbi dicitur: quod primus creditor, qui præter hypothecam generalem, etiam speciali sibi providit, si ex hac speciali totum debitum consequi non possit, alia bona creditori secundò obligata petere non debeat. Huius enim ratio est: quia dum generali hypothecæ specialem adiunxit, tacitè pactus esse videtur, se nolle ad generalem venire nisi in defectum specialis: quæ ratio cessat in eo, qui generali tantum hypotheca nititur, sicuti rectè ex communni sententia explicant Doctores.

12. Quæres an nullo casu creditor hypothecarius posterior antiquiori præferatur?

Respondeo affirmativè. nam singulari Iuris privilegio primò ille, qui pecuniam credidit ad emptionem prædiorum, ædificationem ædium, atque ius pignoris sibi in ijs pactus est, præfertur creditoribus habentibus anteriorem generalem hypothecam in bonis debitoris, l. 1. ff. *In quibus causis pignus* &c. l. *Licet.* C. *qui potiores in pignore.* Ratio constitutionis est, quia talis creditor causam pignoris præbuit.

Secundò, qui ad conservationem ædium alteri priori creditori specialis hypothecæ nomine obligatarum pecuniarum credidit, illi præfertur, l. *Interdum*, ff. *Qui potiores in pignore.*

Tertiò, qui pecuniam credidit in conservationem aliarum rerum,

(præter ædes) puta navis, mercium &c. atque ius pignoris sibi in ijs constituit, is alijs hypothecarijs creditoribus, quamvis priores sint, præfertur, iuxta l. 6. ff. eod. vbi ratio huius, & præcedentis exceptionis affertur, Quia *huius* posterioris creditoris *pecunia salvam fecit totius pignoris causam*: quandoquidem pignus per eam servatum fuit.

Quartò, bona mariti, vbi more Romano viget ius dotium, tacitè obligata sunt vxori, eiusque liberis pro dote; adeò, vt alijs creditoribus, etiam prioribus, habentibus tacitam non similiter privilegiatam hypothecam præferantur, l. *Assiduis*, C. *qui potiores in pignore*, §. *fuerat*. instit. de action. Non item habentibus hypothecam priorem expressam, sicut ex communiore tenent Doctores. Ratio autē est quia lex non intendit mulieri privilegium dare cum præiudicio ac damno eorum, quibus ex propria conventione ius acquisitum est, sed eorum tantum, quibus ius hypothecæ legum privilegijs, absque propria eorum pactione concessum.

Simile est de pupillo, qui eo casu, quo ex pecunia ipsius res aliqua comparata est, in ea tacitam hypothecam acquirit, & iuris prælationem, l. *Idem que*, ff. *qui potiores in pignore*. Quin & vtilis eidē vindicatio competit, si tutor proprio nomine ex pecunia pupilli rem aliquam comparavit, l. 2. ff. *quando ex facto* tutoris, &c. l. 3. ff. de rebus eorum, qui sub tutela sunt. Quod idem etiam de milite statutum reperitur, si alius suo nomine ex pecunia illius quidpiam emit, l. *Si vt proponis*, C. de rei vindicat. vbi Glossa notat, idem quoque locum habere, si ex pecunia Ecclesiæ, ab eius administratore res aliqua comparata fuit: quia Ecclesia in istis æquiparatur Minori, sicuti notavit Abbas in c. *ex litteris*, in fine, arg. c. 1. de in integr. restit. vbi dicitur, quòd *Ecclesia iure minoris debet semper illæsa servari*.

Si vero privatus quispiam generalem accepit hypothecam in bonis alicuius acquisitis, & acquirendis; & postea similiter fiscus: tunc licet privatus fisco præferatur in bonis, quæ ante posteriorem fisci obligationem acquisita sunt, iuxta l. vlt. ff. *qui potiores in pignore*: contra tamen fiscus præfertur in ijs bonis, quæ debitor post secundam illam obligationem acquisivit, l. *Si qui mihi*, ff. de iure fisci.

Abbas.

13. Porro inter creditores privatos, quorum vnus privata scriptura, alter publicis actis vel instrumento de pignore cavet, hæc regula servanda est, vt primùm ille præferatur, qui publicam hypothecam habet, hoc est, in iudicio coram Iudice datam, vel coram Notario & testibus factam, l. *Scripturas*, C. *qui potiores in pignore*. quæ statuta est ob fraudis suspicionem, quæ in privata scriptura facilè intervenire potest: adeoque intelligenda est tunc locum habere, quando fraudis existit suspicio. Si vero illa absit & prioritas hypothecæ per privatam scripturam, aut sine eâ constituta, per testes ligitimè probari possit, potior censenda est, quam posterior hypotheca, quamvis publica: quia in litibus exercendis non minorem fidem merentur depositiones testium, quàm publicum instrumentum, l. *In exercendis*, C. de fide instrumentorum. adeoque de iure communi; non autem vbi lex positiva contrarium disponit.

Quintò post debita realia & hypothecaria, si bona debitoris suppetant, solvenda sunt debita merè personalia, sive ex contractu quocumque, (intellige onerosum) sive ex delicto descendant: quia neque iura exprimunt, neque ratio aliqua convincit, inter creditores ex contractu, aut delicto prærogativæ locum esse; cùm vtriusque generis debita æqualiter ex iustitia sint. Aliqui tamen creditores sunt, qui ex iuris privilegio totum debitum suum postulare possunt, antequam alij creditores chirographarij non privilegiati admittantur. Primò, Respublica creditrix omnibus chirographarijs

pharijs creditoribus præfertur, ait Paulus I C. in l. *Bonis venditis*, ff. de privil. creditorum. Secundò qui pecuniam deposuit apud depositarios à Republica constitutos (ita vt depositum transeat in contractum mutui, posteaquam pecunia consumpta est) alijs creditoribus etiam privilegiatis præfertur; nisi vsuras acceperit l. *Si ventri*, §. in bonis, ff. de privileg. & l. *Si hominem*, §. quoties, ff. depositi. Quod aliqui perinde etiam de alijs rebus depositis & absumptis accipiunt. Tertiò, qui ad navem extruendam, instruendã, emendam, pecuniam credidit, privilegium prælationis habet, l. *Qui in navem*, & l. *Quod quis navis*. ff. de privil. credit. Idque aliqui vniversim intelligunt, si quis ad quamcumque aliam rem comparandam, reficiendam &c. credidit. Alij autem existimant esse istud speciale privilegium favore navigationis maritimæ Reipub. valdè commodæ, concessum; ideoque ad alia non extendendum.

Dico sextò. Si, postquam privilegiatis creditoribus integrè satisfactum est, adhuc bona aliqua debitoris supersint; reliquis personalibus creditoribus solutio facienda est pro rata, sive secundum proportionẽ debitorum nullâ habitâ ratione, vtrum tempore priores, an posteriores sint. Ita sumitur ex l. *privilegia*, ff. de privil. creditorum, l. *Pro debitis*, C. de bonis auctor. Iudicis possidendis. vbi videri potest Baldus, alijque Legistæ, & ex l. 1. §. ex contrario, ff. de separationib. vbi dicitur, quod *licet alicui adijciendo sibi creditorem, creditoris sui facere deteriorem conditionem*. Hinc si debitor, qui omnibus solvendis debitis imparem se novit, vni creditorum præ alijs non privilegiato, neque exigenti, neque valdè indigenti, ideoque nullâ suadente necessitate integrum debitum solvat, in fraudem aliorum agere, & iniuriam inferre censetur: nihilominus creditor iure accipere potest, quod sibi offertur: nec restituere tenetur, nisi per fraudem assecutus sit, simulando v. g. gravem inopiam; vel si ab invito extorserit, cum eo loco res essent, vt bonis cedere vellet, sicuti colligitur ex cit. l. *Pupillus*.

14. Quæres autem, an semper illicitum sit debitori aliquem creditorem non privelegiatum cœteris præferre? Respondeo negativè. Nam antequam bona debitoris Iudicis auctoritate occupantur, solutio fieri potest vni creditorum debitum suum exigenti, alijs etiam magis privilegiatis tacentibus, vt patet ex l. *Quod autem*, ff. quæ in fraudem creditorum. quæ sic habet: *Sciendum Iulianum scribere, eoque iure nos vti: vt qui debitam pecuniam recepit, antequam bona debitoris possideantur, quamvis sciens prudensque solvendo non esse, recipiat; non timere hoc edictum. sibi enim vigilavit*, Adeoque ratio istius legis est, creditorem vigilando, suam conditionem meliorẽ fecisse. Nam ius civile vigilantibus scriptum est; ideoque non revocatur, ab eo, quod ante alios creditores accepit, sicuti habetur in l. *Pupillus*, ff. eod. tit. Quod intellige, nisi creditores alij potiorem hypothecam habeant, sicuti notat Gloss. in l. *Scimus* §. etsi præfatam C. de iure deliberandi.

Similiter potest ex probabili sententia, priusquam bona Iudicis potestate possideantur, totum debitum præ alijs solvi vni creditorum personalium longè alijs pauperiori, & in gravi necessitate constituto, charitatis lege id permittente, iuxta D. Thomam opusc. 73. cap. 8. & alios. Plures eiusmodi casus videre licet apud Authores.

15. Quæres denique, an restitutio sit ita necessaria ad salutem, vt nullo casu excusetur?

Respondeo negativè. Non enim est necessaria ad salutem necessitate medij, vt est fides, spes, & charitas: ita vt nullo modo quis possit salvari nisi reipsa ablata restituat; sed necessitate dumtaxat præcepti quia certis de causis excusari potest. Primò ob impotentiam, id est, quando debitor vel simpliciter non habet, quod restituat, vel restituere non possit, nisi cum sui evidenti pericu- D. Thomas

lo. Sicut enim quis excusatur à confessione Sacramentali; & adultus à Baptismo suscipiendo defectu aquæ, cum contritione & voto illa Sacramenta suscipiendi: sic absoluta impotentia simpliciter excusat debitorem à restitutione, vt tradit D. Augustin. epist. 54. vbi ait: *Huic certè*, supple non aliud habenti, vnde restituat, *non possumus dicere: Redde quod abstulisti, nisi cum habere credimus, & eum negare*: Iugum enim Domini suave est, & vt Bernardus loquitur, *crux inuncta*, explicans verba Psal. 93. *Qui fingis laborem in præcepto: An non*, inquit, *fictus in præcepto labor, onus leve, suave iugum, crux inuncta? Huius enim rei sacramentum est, quod in dedicatione Ecclesiarum depictas in pariete cruces oleo sancto Pontifex linit. Sic & olim quidem Abrahæ dictum est: Tolle filium tuũ, quem diligis Isaac, & offeres mihi eum in holocaustũ, labor fictus est, in præcepto. Oblatus si quidẽ Isaac sãctificatus est, non mactatus.* q. d. Deus in præcepto tam difficili, solam ostendit voluntatem sibi sufficere, quam vnusquisq; in hoc casu, si velit, habere potest.

D. August. — Bernardus in Declamat. — Genes. 22.

Vnde sequitur debitorem in Dei gratia mortuum, licet non restituerit actu ob causam aliquam excusantem, propterea non manere in purgatorio quousque hæredes solvant: sed posse quamprimum satis passus fuit è purgatorio ingredi in paradisum, etiamsi debita soluta non sint, vt pluribus Sot. lib. 4. q. 6. artic. 1. Navarr. Manual. cap. 17. num. 68.

Sotus. Navarr.

16. Secundò itaque excusatur quis non solum à restitutione ob extremam necessitatem propriam, hoc est quando alioquin famè periturus esset: sed etiam ob gravem, id est, quando restituendo difficulter vitam sustineret, vel statu suo iustè acquisito, id est, non per rapinas, vsuras, furta, &c excideret: ita vt facultas illi sit saltem differendi restitutionem aut paulatim, vel per partes restituendi. Quod videmus in externo foro sæpè observari circa personas illustres, & magnæ qualitatis. Ratio autem huius doctrinę duabus regulis nititur, Prima quod *nemo teneatur restituere cum suo notabiliter maiore detrimento, quàm sit, creditoris commodum.* Altera quod *quotiescumque dominus siue creditor rationabiliter contentus esse debet, vt restitutio differatur; potest etiam differri, licet ille invitus sit*, arg. cap. *ne quis* 22. q. 2. Cum enim creditor debitori constituto in gravi necessitate ex lege charitatis subvenire teneatur; sequitur, quod contentus esse debeat, seu rationabiliter invitus esse non possit, si debitor ad gravem suam necessitatem sublevandam restitutionem differat. Quod verum est, quando creditor non est in simili gravi necessitate constitutus; nam eo casu ipsi restitutio facienda est. quia in pari causa potior est conditio creditoris, quàm debitoris, & melior debet esse conditio innocentis, quàm nocentis, quando debita ex delicto contracta sunt.

Tertiò excusatur quis ob periculum salutis propriæ, vel suorum: maior est enim obligatio consulendi propriæ saluti & suorum, quàm solvendi debita. Sic excusatur ille, cui notabile periculum est se præcipitandi ex desperatione, vel prostituendi filias, vel quod filij fiant latrones,

Similiter excusatur, saltem vt differre possit, debitor, quando solvere non potest, nisi domum vel prędium vendat multò minoris: adeòque longè maiori suo detrimento, quam debitum valeret. Rectè autem admonet Molina disput. 754. n. 3. Si ex solutionis debitæ dilatione, quãvis iustâ, damnum aliquod creditori, vel lucrum cessans eveniat, ipsi omni iure compensandum fore. Quia iniqua esset conditio, si debitor solutionem debiti in suum commodum differre vellet, non suscipiendo in se onus resarciendi iacturam, quæ ex tali solutione creditori eveniet: neque creditor aliter in dilationem debiti consentire cogitur. Molina.

Ille verò qui bonis cedit, seu creditoribus bona sua relinquit inter se secundum debitorum qualitatem

ac

ac proportionem dividenda, consequitur quidem ex iure civili beneficium, quod in carcerem mitti non possit, sed à reliquo restituendo non liberatur: sed potius tam in foro externo, quam interno compelli potest ad laborandum, & acquirendum vnde solvat, quantum conditio seu status personæ permittit, vt colligitur ex l. 4. ff. de cessione bonorum, quæ sic habet: *Is qui bonis cessit, in quantum facere potest, convenitur.* Et licet in exteriori foro bonis omnibus cedere cogatur, tamen in conscientiæ foro servare potest ea, quæ ad sustentationem necessaria sunt, spectatâ conditione status sui iustè acquisiti.

17. Sed quæstio est, vtrum ingressus Religionis liberet debitorem restituendi.

Respondeo, omissis varijs D. D. sententijs, ære alieno gravatum, si probabiliter existimet in sęculo manendo debitis ex contractu aut delicto provenientes se satisfacere posse, à religionis ingressu debere abstinere, esto, quod longo tempore expectans omnino se ineptum redderet ad ingrediendum, ex Constistitut. Sixti V. & Gregorij XIIII. Probatur Primò, quia cum Religionis ingressus non sit in præcepto, reddit se impotentem ad solvenda debita voluntariè absque necessitate, & transgreditur regulas iuris ac iustitiæ naturalis, quæ solutionem præcipit. Vnde fit vt filius Religionem ingredi non possit, quando parens inops sine eius ope iuvari non potest

Secundò, quia votum non debet esse vinculum iniustitiæ, argum. c. *quando*, de iure iurando. vnde cap. *legem*. distinct. 53. prohibet ne gravati ratiocinijs, seu obligatione reddendarum rationum ex officio, priusquam se ijs expediverunt, ad religionem recipiantur; non aliam ob causam, quam quia Religionis ingressus aut professio, sicuti & alia vota atque obsequia Deo grata non sunt, si in alterius iniuriam cedant. Adhæc posterior obligatio tollere non potest priorem, argum. cap. *Veniens*, & c. *Intellecto*, de iureiurando, & ibi Doctores. Quod locum habet etiamsi votum simplex Religionis prius factum sit, & postea debita contracta. Nam gratuita promissio, cuiusmodi est votum desinit obligare, si gravis mutatio accidat, vel incidat in casum, in quo incipere non possit.

Existimant tamen aliqui casum aliquem extraordinarium fingi posse, quo aliquis posthabitâ debitorum obligatione, Religionem ingredi licitè posset, videlicet, cùm quis ita comparatus est spectato eius ingenio ac moribus, vt valde difficile & moraliter impossibile censeatur illum à peccatis liberari, quibus implicatus est nisi relicto sęculo Religionem ingrediatur: sed hic rarus est.

DISCVR-





DISCVRSVS PRIMVS IN OCTAVVM PRÆCEPTVM.

De Calumnia seu falsò testimonio.



OCTAVVM hoc præceptum, *Non loqueris contra proximum tuũ falsum testimonium*, primariò & expressè prohibet, proximum calumniari, seu falsum testimonium de eo dicere: secundariò verò ac tacitè prohibet omnem noxam, qua proximum iniuriâ per linguam afficimus, seu lædimus in bonis honorarijs: sicut quintum sub nomine homicidij, prohibet omnem proximi læsionem redundantem in ipsius personam: & sextum sub nomine adulterij, omnem illicitam voluptatem veneream: ac demum septimum sub nomine furti, omne damnum rebus proximi illatum, prout Concil. Coloniense initio explicationis huius præcepti, post D. Thomam 1. 2. q. 100. art. 5. in corpore; & 2. 2. quæst. 122. art. 6. ad 2. annotat. Vnde primum tractabo, quid sit Calumnia, & quale peccatum.

D. Thomas

Levit. 19

1. Levitic. 19 cap. vetuit Dominus præter ius naturale lege iudiciali positivâ à calumnia abstinere, dicens: *Ne quis sit criminator.* Sed ad clariorem huius quæsiti intelligentiam nota Calumniam tripliciter sumi. Primò pro vexa, qua quis aliquem afficit, ipsi gratis vel sine causa intendendo litem. Vnde apud Iurisperitos nota est praxis pro talibus iuramenti de calumnia, quod principio litis, vel postea, alterutrâ parte exigente, necessariò Iudex deferre debet, Actori quidem, *vt iuret, non calumniandi animo litem se movisse, sed existimando bonam causam habere.* Reo vero, vt iuret, quod putet se *bonâ instantia vti ad reluctandum*, id est: resistere Actori, existimando se ius habere., l. 2. C. de iureiur. propter calumniam. Adde, quod vterque iurare debet, *non exacturum se probationem, nisi quam pro veritate necessariam esse existimabit*, Auth. *in isto* eod. Et quod nihil penitus causa patrocinij Iudicibus, vel alij personæ dederit, aut promiserit, excepto salario Advocati, Auth. *Principales.* C. eod. Et quia hoc malum frequens est, etiam locum obtinuit hodie in causis spiritualibus iuramentum calumniæ, vt patet cap. 1. de iuram. calumniæ, in 6. Immò licet in prima instantia semel

ſemel præſtitum fuerit, poſtea in cauſa appellationis, iterum exigi poteſt, cap. 2. eod. in 6. Deinde ſi in principio litis exactum non fuit, nihil prohibet in litis progreſſu quavis iudicij parte interponi, cit. cap. 2. in 6. Iuramentum verò malitiæ, v. g. quòd malitiosè non proponatur exceptio, petatur dilatio, Iudex ſemper exigere poterit; etſi antea de calumnia, vel dicenda veritate iuratum fuerit, citat. cap. 2. § vlt. in 6.

2. Secundò accipitur pro oppreſſione violenta, qua quis alicui, vi bona temporalia extorquet. De qua Levit. 6. dicitur: *Anima quæ peccaverit, & centempto Domino vi aliquid extorſerit, aut calumniam fecerit.* &c. Et Zachar. 7. *Viduam & pupillum, & advenam, & pauperem nolite calumniari.* Ac Luc. 3. vbi Ioannes militibus ipſum conſulentibus quid facerent, dixit: *Neminem calumniaveritis.* Et huc ſpectat quod Dominus dixit Oſeæ 5. *Calumniam patiens eſt Ephraim, fractus iudicio: quoniam cœpit abire poſt ſordes.* q. d. Iſraël vi opprimetur, & iniquis iudicijs ab Aſſyrijs iniuſtè, vt pote tyrannis, & quaſi externus & captivus concutietur, & ſpoliabitur. Cauſa enim ipſorum licet iuſta, cum iudicio contendent cum Aſſyrijs, ipſis oppreſſoribus adiudicabitur, iuſto Dei iudicio, qui per eiuſmodi iudicia, vindictam ſumet de peccatis Ephraimitarum. Et hoc eſt, quod ſequitur, *Quoniam cœpit abire poſt ſordes,* id eſt: Ideo publicis legitimiſque iudicijs, omnibus ſpolietur ornamentis, & legum æquitate, quia volentes & vltrò ſecuti ſunt præceptum Ieroboam de adorandis vitulis, quos vt Deos amplexi ſunt, cũ ſint ſordes & ſtercora. Hoc autẽ ſupplicium Deus ſuæ legis deſertoribus iam dudum indixerat, in verbis Deuteron. 28. *Omni tempore calumniam ſuſtineas, & opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te.* ſcilicet quando deſeris legem meam.

Levit. 6. Zachar. 7. Luc. 3. Oſeæ 5. Deut. 28.

3. Tertiò, calumnia accipitur pro falſo vel impoſitione falſi criminis, quod quis alicui imponit præſertim in iudicio. Talis fuit vxor Putipharis, Geneſ. 39. quæ adulterij fruſtrà per ipſam deſiderati apud maritum accuſavit innocentem Ioſeph. ita vt in carcerem detruderetur. De quo Pſal. 104. dicitur: *Humiliaverunt in compedibus pedes eius, ferrum pertranſijt animam eius.* Talis calumniator contra Davidem fuit Doëg 1. Reg. 22 qui cum Saul quereretur omnes cum David adverſus ipſius caput coniuraſſe, in medium prodijt, & dixit; *Vidi filium Iſai in Nobe apud Achimelech filium Achitob ſacerdotem. Qui conſuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei: ſed & gladium Goliath Philiſtæi dedit illi.* Hac ratione volens inſinuare Davidem & Achimelech Sauli malum aliquod meditari: vnde interrogavit Achimelech: *Quare coniuraſtis adverſum me tu & filius Iſai, & dediſti ei panes & gladium, & conſuluiſti pro eo Dominum, vt conſurgeret adverſum me, inſidiator vſque hodie permanens?* Et 2. Reg. 16. vbi Siba ſervus Miphiboſeth rogatus à Davide vbi eſſet filius domini ſui, reſpondit parum fideliter, & vere perfidiæ & ingratitudinis illum accuſans, in verbis: *Remanſit in Hieruſalem dicens: Hodie reſtituet mihi Deus Iſraël regnum patris mei.* 3. Reg. 21. vbi Iezabel contra Naboth, eò quod vineam relictam à parentibus hæreditario iure, & ſitam iuxta Achab Regis palatium ad laxandum animum & domeſticos vſus peropportunum ei negaſſet; ſubornari curavit per litteras falſos teſtes contra eundem. Sic enim verſ. 10. dicitur: *Submittite duos viros filios Belial contra eum, & falſum teſtimonium dicant. Benedixit Deum & Regem*, id eſt, maledixit. Ierem. 37. vbi Ierias quidam accuſat Prophetam quaſi tranſfugere vellet ad Chaldæos dicens: *Ad Chaldæos profugis?* nam reſpondit Ieremias, *Falſum eſt, non fugio ad Chaldæos.* Sic contra Suſannam duo ſenes Daniel. 13. falſum teſtimonium dixerunt; contra Chriſtum duo ſimiliter, Matth. 26. contra Stephanum alij. Act. 6. vbi quidam de Synagoga Libertinorum, & aliorum non valen-

Geneſ. 39. Pſ. 104. 1. Reg. 22. 2. Reg. 16. 3. Reg. 21. Ierem. 37. Daniel. 13. Matth. 26. Act. 6.

valentes, disputando cum Stephano, *resistere sapientiæ, & spiritui qui loquebatur*, submiserunt falsos testes, qui in Concilio dicerent, *Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum & legem.* Breviter neque olim, neque modò defuerunt aut desunt, qui innocentissimos calumnijs incessere non verentur.

4. Quæres, Quale peccatum sit alios sic calumniari? Respondeo ex suo genere peccatum esse mortale, omni lege prohibitum. Quod lege naturali, patet ex hoc præcepto, *Non loqueris* &c. Quod lege divina positiva, patet Levit. loc. citat. & Proverb. 6. vbi Sapiens ait: *Sex sunt quæ odit Deus, & septimum detestatur anima mea, oculos sublimes, linguam mendacem, &c. testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias*, id est, omnino abominor hominem fratri suo falsum imponentem. Quod lege Gratiæ patet, quia locis citatis Spiritus sanctus scriptò reliquit subornationem falsorum testium contra Christum, & Stephanum innocentes, vt constaret quam ea esset enormis. Nam teste Sapiente Proverb. 25. *Iaculum & gladius & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.* Quo loco Iansenius inquit: *Vt insinuet magnitudinem criminis falsi testis, comparat eum his rebus, quibus mors homini inferatur, vt significetur eum, qui loquitur contra proximū falsum testimonium perinde facere, ac si caput hominis malleo vel clava contunderet, gladio eum iugularet, aut denique sagitta cor transfigeret. Tria autem hæc diversos, & omnes pene modos comprehendunt, quibus homo homini nocet; vt annotat Caetanus. Malleus enim tundendo, gladius scindendo, sagitta acuta penetrando nocet & occidit. Vnde significatur multiplex nocumentum, quod excipitur à falso testimonio: nocet enim personæ, & famæ, & honoribus.* Amplius dicit Isidorus lib. 3. de summo bono, dum inquit: *Testis falsidicus, tribus personis est obnoxius: primò Deo, quem peierando contemnit; consequenter Iudici, quem mentiendo fallit: postremò innocenti, quem falso testimonio lædit.*

Prov. 6.

Prov. 25.

Isidorus.

5. Porro hac de causa Deus & leges graviter eiusmodi hominibus succensent, vti manifestum evadit ex Proverb. cap. 19. vbi vers. 5. dicitur: *Testis falsus non erit impunitus, & qui mendacia loquitur, non effugiet.* id est: Qui vel in iudicio falsis testimonijs, vel extra iudicium quibusvis mendacijs proximum gravat, non effugiet; si apud homines non deprehendatur, saltem supplicium divinum. Vnde eandem sententiam repetens v. 9. loco *non effugiet*, clarioris explicationis gratia dicit, *peribit.* Exemplum est Isaiæ 30. vbi Deus plagas intonat per Prophetam illis, qui fugerant in Ægyptum contra præceptum Dei, & tumultuosè erant calumniati Ieremiam vetantem hanc fugam, quasi falsum Prophetam, vt eum opprimerent: Sic enim ibidem habetur vers. 12. *Propterea hæc dicit sanctus Israël: pro eo quod reprobastis verbum hoc, & sperastis in calumnia & tumultu, & innixi estis super eo: propterea erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio cadens, & requisita in muro excelso, quoniam subitò dum non speratur, veniet contritio eius: & comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida: & non invenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea.* Sicut murus interruptus & pronus in ruinam subitò tandem & repentè cadit, gravique sua mole, & casu opprimit eos, qui sub eo degunt: sic iniquitas hæc, id est, fiducia hæc superba, & vana, quam contra Dei iussum collocatis in Ægyptijs, simul calumniando Prophetam, vos opprimet. Rursum ipsi Ægyptij cæsi à Chaldæis, quasi murus corruens, suo casu vos sub eo latitantes obruent & obterent: sicut turris Siloë labens obtrivit octodecim viros, Luc. 13. v. 4. Adeo vt his verbis comparet Iudæorum contritionem seu vastationem ruinæ muri, & contritioni laguncula, quæ ita obteratur, vt nullum fragmentum supersit. Insuper, vt repentinam insinuet hanc interruptionem, dicit, quod erit sicut *requisita in muro excelso*

Prov. 19.

Isa. 30.

Luc. 13.

excelso, hoc est, vt Adamus Sasbout eo loci commentatur, ingens, subita, & improvisa, cuius proinde post lapsum causa, quæ non apparet per admirationem inquiritur. Sic de subito & tristi casu Saul & Ionathæ inquirit David: *Quomodo ceciderunt fortes?* Et Esaias cap. 14. de casu Balthazaris: *Quomodo cecidisti Lucifer?* & Hieremias de casu Hierusalem: *Quomodo sedet sola civitas?* 1. c. Threnor. 1.

[illegible] evidens est Daniel 6. vbi Satrapæ invidentes Danieli prefecturam, eique dolum struentes per edictum Regis, quo interdictum erat sub pœna missionis in lacum leonum, ne quis peteret *aliquam petitionem à quocumque Deo, & homine vsque [illegible]*: [illegible] enim ex hoc capite in lacum leonum missus illæsus Deo concludente ora leonum permansisset, [illegible] qui eum accusaverāt, *[illegible] sunt, ipsi & filij, & [illegible] pervenerunt vsque [illegible], donec arriperent eos [illegible] comminuerūt.* [illegible] noscitur Deum pœnam talionis exercuisse per Regem iam ad eum conversum, qui re examinata intellexerat hostes Danielis sibi imposuisse, & dolose edictum [illegible], vt Danielem sibi fidelem & vtilissimum è medio tollerent. Et hoc non solum erga accusatores, sed etiam erga vxores & filios: quia videlicet hi parentes, illæ maritos ad scelus excitarant, adiuverant, vel consenserant. Atqui hoc Dominus mandaverat Deuteronom. 19. vers. [illegible] vbi dicitur: *Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis, stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu Sacerdotum, & iudicum, qui fuerint in diebus illis. Cumque [illegible] perscrutantes, invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium: reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, & auferes malum de medio tui: vt audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. Non misereberis eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Decrevit autē Deus hanc legem, quia congruum est, vt quod quis supplicium falso testimonio alteri iniustè irrogare voluit, id iustè ipsemet patiatur: ita duo senes falsò Susannam adulterij accusantes mēdacij convicti lapidibus obruti sunt, Daniel. 13. Daniel. 13.

Hinc Gregorius Agrigentinus Episcopus à Sabino & Crescentio falsò accusatus, coram Synodo Romana centum & 50. Patrum, de stupro cum Eudocia puella, adductis centum & decem testibus Psalmum altâ voce ingeminavit: *Insurrexerunt in me testes iniqui, quæ ignorabā obiecerunt mihi: mala mihi pro bonis rependebant.* Statim igitur puella à dœmone correpta ad pedes concidit; Gregorius Satanam è puella egredi, & verū fateri iussit, ac manu eam comprehensam erexit. Illa fassa est se à Sabino & Crescētio muneribus corruptā Gregorium falso accusasse. Gregorius vero coram Synodo pro testibus & actoribus intercessit, & pacem illis impetravit. Qua concessa, statim tenebræ magnę obortę sunt: & actorū alij vtraque, alij alterā genā nigri apparuerunt. Sabino vero & Crescentio labia atro colore infecta sunt, qui numquam postea elui potuit, vt habet vita Gregor. Agrigen. quæ extat apud Surium 23. Novemb. Surius. Eusebius.

Memorabile est quod narrat Eusebius lib. 6. hist. c. 8. tres testes falsò accusasse Narcyssum Hierosolymæ Episcopum de infami crimine: atque primus iuravit, ni verum esset hoc eius crimen, vt Deus eum igne perderet: secundus, vt morbo regio corriperetur; tertius vt oculis orbaretur. Audijt Deus vindex, nam primus in domo nocte correptâ incendio, cum omni familia flammis vltricibus conflagravit. Secundus morbo regio à capite ad pedes correptus & absumptus est. Tertius hæc videns pœnitens & scelus confessus, tantis lachrymis illud deflevit, vt luminibus orbaretur.

Paradoxum verò est, quod in historijs legitur, videlicet Deum non

rarò falsos testes vivos per mortuos redarguisse. Audi istius rei exempla. Stanislaus Polonus Episcopus Cracoviensis Boleslaum Poloniæ Regem graviter offendit, quod illius notam libidinem publicè redarguisset. Quare Rex in solenni regni conventu Stanislaum per calumniam in iudicium coram se vocari curat, tanquam pagum occupaset, quem Ecclesiæ nomine emerat. Quod cum neque tabulis probare posset, & testes veritatem dicere timerent; spondet Episcopus se Petrum pagi venditorem, qui triennio antea obierat, intra dies tres in iudicium adducturum. Conditione cum risu accepta, vir Dei toto triduo ieiuniis & orationi incumbit. Ipso sponsionis die post oblatum Missæ Sacrificium Petrum è sepulchro surgere iubet: qui statim redivivus Episcopum ad regium tribunal comitatur [illegible] ibique Rege & cæteris stupore attonitis, de agro à se vendito, & pretio ritè sibi ab Episcopo persoluto testimonium dicit, atque iterum in Domino obdormivit. Ita habet Longinus, & ex eo Surius May [illegible] in vita S. Stanislai.

Longinus

Beata Ada Hidulphi Comitis Hannoniæ vxor, vt refert Hannoniæ histor. lib. [illegible] cap. [illegible] suas hereditates seu dominia Montensi contulit Ecclesiæ, quæ postmodum quasi iure propinquitatis repetebantur a parentibus, sed dicta Ecclesia, cum vexaretur lite, sanctam Adam, etsi defunctam, multis precibus in testem evocavit: & ipsa apparens respondit [illegible] suam ratam habere, vnde [illegible] quidquid datum erat, datum remansit.

Augustin.

Cum B. Augustinus Mediolani [illegible] memoratu dignum [illegible] accidisse tradit [illegible]

[illegible] fante s- [illegible]

moriens non dixerit quid deberet, cum fecisset etiam testamentum. Tunc ei nimis anxio apparuit idem pater eius in somnis, & vbi esset repositum instrumentum, quo illa cautio vacuata fuerat, indicavit. Quo invento atque monstrato, non solum [illegible] debiti calumniam filius propulsavit, [illegible] etiam paternum recepit [illegible] pater non receperit [illegible] erat pecunia. Hic [illegible] homini [illegible] venisse [illegible] [illegible]

Refertur etiam in vitis Patrum, lib. 2. cap. 37. M[illegible] Monachum S. Antonij [illegible] cum ad eius aream quidam [illegible] gisset opus; [illegible] Magistratus [illegible] cædis [illegible] tem se affirmabat [illegible] rentia M[illegible] se, & [illegible] stes [illegible] palam fieret [illegible] fus fuerat [illegible] qui adderant [illegible] dem [illegible] criminis [illegible] Magistratus hominem quem [illegible] Macario authore absolvit: cum deliberar[illegible] Magistratus auctorem [illegible] petiit à D. Macario, vt interrogar[illegible] respondit ille, sibi satis [illegible] tem liberasse.

Idem per infantes [illegible]

Refert Gregor. Turonensis [illegible] histor. Franc. cap. 1. S. Brixium Episcopum Turonensem falso accusatum fornicationis, infantem ex ea [illegible] natum coram populo adiurasse, vt diceret an ipse esset pater eius. Cui infans: Non es tu pater meus. Populo autem rogante, vt ex eo perquireret, quis ergo esset pater? Respondit Brixius: *Non est hoc meum, quod ad me pertinuit [illegible] si aliquid [illegible] vos quærite.* Cumque populus [illegible] tribueret, ignem [illegible] veste gestavit vsque ad sepulchrum S. Martini dicens: *Sicut vestem [illegible] ita & corpus meum à mulieris [illegible] est [illegible]*

6. Neque

6. Neque mirari quis debet, quod Deus hac via & modo à calumnijs liberet: grave enim est onus, & nihil magis offendit hominem, quam calumnia, teste Sapiente qui Ecclesiastes 7. dicit: *Calumnia conturbat sapientem, & perdit robur cordis illius.* dum videlicet, vt ait Thaumaturgus, *insistit [illegible] erat, & constantem labefactare molitur.* Exemplo sit mitissimus aliorum Moyses, quem ad vehementiam [illegible] facto Core, Dathan, & Abiron, populi quoque murmur [illegible], & ad querimoniam cum Deo [illegible]: *Vexatus est propter eos, quia exacerbaverunt spiritum eius.* Psal. 105. Audi [illegible] D. Basilium epist. 82. [illegible] calumnia cum ei [illegible]: *Ad hasce itaque literas, inquit, animatus, vt par erat, & [illegible] subitam immutationem [illegible] ne respondere quidem potueram. [illegible] enim [illegible], lingua [illegible] destituebat, manus stupebat: & plane [illegible], quod animo solet parum forti accidere. Dicendum enim quod verum est, & tamen venia dignum. Deinde [illegible], quin [illegible] humanum [illegible] exorbitassem, suspectique mihi fuissent omnes hominum mores, arbitranti in [illegible] humana non esse charitatis bonum: sed verba quædam [illegible] ad ornatū & [illegible] quibus vti velis conficta: [illegible] vero illarum secundum veritatē [illegible] in corde humano.* Et immediatè post [illegible] turbationis subnectit: *[illegible] qui à puero ad grandævum vsque senectam [illegible] accurate ac diligenter [illegible] videtur, talibus se causis tam [illegible] expertus est, vt nullam habuerit [illegible], nec [illegible] temporis experientiam tam [illegible] certiorem ac [illegible] duxerit: sed [illegible], nondum ad commodè [illegible] censorem edoctū, propter modicam suspicionem propulsavit, excussit, & [illegible] proiecit eos, de quibus tam pri[illegible] gloriabatur. quid de alijs sentiendum [illegible] neque nobiscum tantum contraxerit [illegible]: neque morum instituendorum [illegible] mecum revolverem, & corde indesinenter versarem [illegible] potius versa [illegible] me mordentibus [illegible] memoratione turbantibus, nihil ad illas literas respondi: non quod ex contemptu siluerimus (ne cogites hoc frater. Nō enim hominibus satisfacimus, sed in conspectu Dei in Christo loquimur) sed quod præ hæsitatione, & mentis inopia non habebamus, donec ad hunc modū affecti eramus. quod tanta mæstitia dignum exprimeremus.* Vnde Ecclesiastus c. 26. dicit: *A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit delaturam civitatis, & collectionem populi & calumniam mendacem. super mortem omnia gravia.* id est. Tria conturbant cor meum, quæ graviorem communi & naturali morte vltionē afferre solent: quia videlicet miseriorem vitam faciunt hominē vivere, quam sit ipsa corporalis mors miseriæ omni finem imponens, iuxta illud: *Melior est mors, quam vita amara.* nempe totius civitatis criminatio, ac communis sinister rumor & existimatio de aliquo: inconsultæ rursum multitudinis contra aliquē coitio: qualis fuit ea, quæ à Demetrio aurifice fuit adversus Paulū concitata Act. 19. [illegible]nia dixerat: *Non sunt Dij qui manibus fiunt,* videlicet aurifabrorū, qui conficiebant imagines sive templa Dianæ: Tertiò calumnia mendax, seu crimē confictū, quod alicui falso imponitur. Quartum quod vultum immutat, licet ad hanc materiam non pertineat, est zelotypa mulier, quam indicat tribus prioribus peius esse malum, quia magis torquet hominem à domestica assidue vexari, quam foris à civibus calumniam pati. Et hinc David orabat Deum, *Redime me à calumnijs hominum, vt custodiam mandata tua.* *Psal. 118.* q. d. Non possum tranquillo quietoque animo custodire mādata tua, cum calumnijs hominum incessor: adeoque obsecro, vt gressus meos dirigas, tunc potissimum cum periculum est, ne perturbatus calumnijs declinem à recta via.

7. Hæc prospiciens lex humana, repulit aliquos à testimonio ferendo; & inprimis inimicum partis adversus quam testimonium fertur l. 3. ff. de testibus: immo quod amplius est, inimicum etiam repellit in criminibus exceptis, vt hæresi,

læſæ maieſtatis crimine, alijſque ſimilibus (in quibus alioquin inhabiles admitti ſolent) dummodo inimicitia gravis ſit ſecundum Iudicis arbitrium, ſicuti conſtat ex c. *Per tuas*, 1. de Simonia, & docet Clarus inſignis Iureconſultus §. finali q. 24. n. 5.

Clarus

Secundò repellit infames infamiâ iuris, ſicuti conſtat ex c. *Licet ex quadam* c. *Teſtimonium*, de teſtibus. Nam teſtimonium in iudicio ferre, numeratur inter actus legitimos, à quibus infames arcentur. Quin etiam infames infamiâ facti ad teſtificandum in cauſa criminali, aut ardua ordinariè reijcit, vti videre eſt apud Covar. in pract. qq. c. 18. n. 1. ſed interdum in defectum, ſi aliter veritas cognoſci non poſſit: vt quia crimen ſuapte natura occultum, vel etiam in occulto loco commiſſum eſt ſicuti docet Clarus q. 24. n. 13. Farinac. q. 56. n. 56. Binsfeld. de confeſ. maleſ. memb. 2. concl. 6. § 5.

Covar.

Clarus
Farinac.
Binsfeld.

Inter infames infamiâ facti falſos quoque teſtes annumerari docet Gratianus cauſa 3. q. 5. ex Euſebio Papa Epiſt. 3. ad Epiſcopos Thuſciæ, in hæc verba: *Conſtituimus cum omnibus, qui nobiſcum ſunt, Epiſcopis, vt homicidæ, fures, malefici, ſacrilegi, raptores, adulteri, inceſti venefici, ſuſpecti, criminoſi, periuri, & qui raptum fecerunt, vel falſum teſtimonium dixerunt, ſeu qui ad ſortilegos divinoſque concurrerunt, ſimileſque eorum nullatenus ad accuſationem, vel ad teſtimonium ſint admittendi, quia infames ſunt, & iuſtè repellendi, quia eſt funeſta vox eorum.*

Gratian.

Tertiò reijcit perſonas viles & inopes, ſi de ijs Iudicis arbitrio ſuſpicio ſit, quod pecuniâ corrumpi potuerint. Et hinc videmus in aliqui bus Provincijs Notarios addere in teſtimonijs, quantum in ære habeat teſtis. Paganos etiam, Iudæos, & à fide Apoſtatas contra Chriſtianum teſtificari non permittuntur, c. *non poteſt*, & ſeqq. 2. q. 7. *Qui enim divina teſtimonia non ſequuntur, pondus humani teſtimonij perdiderunt*, vti ex S. Auguſtino refertur in c. *ipſa pietas*, 23. q. 4. Mulier quoque ſecundum forum Canonicum, in teſtem produci non poteſt in cauſa criminali c. *mulierem*, 33. q. 5. & c. *forus*. de verbor ſignific. iunc. Gloſ. Minor quoque viginti annis in criminalibus repellitur à teſtimonio, l. *In teſtimonium*, ff. de teſtibus; quamvis in civilibus admittatur. In civilibus verò admittitur, ſi pubes ſit, non item impubes, iuxta l. 3. ff. de teſtibus, §. lege Iulia, & docent Sylveſt. Gomez, Len. ll. cc. Farinac. q. 58. nu. 1. & 23. & in crimine excepto ac valde pernicioſo, depoſitio puberis ætate minoris aliquod indicium facere poterit.

Auguſtin.

8. Verum hoc fovere videtur accuſatores calumnioſos, quod pœna talionis, & inſcriptio accuſatoris hodie ferè in diſſuetudinem abierit, licet lex vlt. C. de accuſat. & inſcript. l. etiam vlt. C. de calumniatoribus l. *ab Imperatore*, ff. de prævaricatore, pœnam talem accuſatori deficienti in probatione præſcripſerit, quam alteri per calumniam inferre voluerat. Nam arbitrariam tantummodo ponendo pœnam, vt hodie eſt in vſu, facile ſtruitur via ad calumnias, & probabili errore ſe ſeductum facile comminiſcitur calumniator.

9. Quæres, Ad quid ſaltem teneatur calumniator in conſcientia?

Reſpondeo & dico Primò eum, qui ſcienter vel ex craſſa ignorantia alterum calumniavit, teneri ad reſtitutionem famæ, dicendo ſe tunc mentitum, aut dixiſſe falſum. Idque coram ijs, in quorum præſentia illi falſum impoſuit; etiam ſi evaderet infamis; Immo ſi ratione falſi teſtimonij mors vel mutilatio calumniato eſſent inferenda, tenetur illud retractare, etiamſi ipſi pœnæ ſimilis periculum crearetur. Vnuſquiſque enim tenetur damnum, quod alteri iniquè paravit, avertere, etiam cum pari damno ſuo, vt patet in reſtitutione famæ, pecuniæ, & honoris: nam in pari damno melior cenſeri debet conditio innocentis. Quod extendi debet etiam ad illum, qui alios ad falſum teſtimonium dicendum etiam ex ſe induxerit: tenetur enim ex iuſtitia illos monere, vt retractent. Et ſi noluerint.

luerint, debet Iudici totam suam machinationem aperire, vt innocens liberetur; quamvis inde sibi certa mors impenderet, vt recte docet P. Navarra lib. 2. cap. 3. n. 253. quod intellige, modo spes sit revocationem illam profuturam.

10. Dico secundo, Si contingat aliquem ob calumnias civiliter damnum incurrere, teneri calumniantem ad damnorum ex infamia subsecutorum restitutionem cum hac discretione, vt primo si damnum dedit in bonis iam quæsitis teneatur in integrum ea restituere: vt si causa extiterit, cur aliquis iniuste officio privetur; si impedierit alterum à legato, quod testator ei cupiebat relinquere. Si vero damnum dedit impediendo aliquem iniuste à consecutione officij, beneficij, vel gradus, tenetur restituere ad boni viri arbitrium: vt v. g. qui falso aliquem diffamavit dignum officio, Episcopatu, beneficio, quod propter diffamationem non consequitur, tenetur ei ad totius damni restitutionem. Sic qui virginem diffamat, si propterea necesse habeat, vt dos ei augeatur, vt æque bene nubat ac ante diffamationem, tenetur doté augere ad boni scilicet viri arbitrium. Probatur idipsum ex Prov. 13. cap. *Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum detrahit.* & c. *Si culpa tua* X de iniurijs & damno dato, vbi dicit Gregorius IX. *Si culpa tua datum est damnum, vel iniuria irrogata, seu alijs irrogantibus opem forte tulisti: aut hæc imperitia tua aut negligentia evenerunt, iure super his satisfacere te oportet: nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo verosimiliter iniuriam posse contingere, vel iacturam.*

11. Dico tertiò eum, qui falsum testimonium dixit ex ignorantia, vel inadvertentia non damnabili, vel ex oblivione, saltem non mortifera, ratione cuius contingit aliquem damnari, non teneri ad restitutionem. Ita Caiet q. 70. ar. 4. & Pet. Navar. loc. cit. Probatur, Quia neque ratione rei acceptæ (cum nihil inde habeat) neque ratione iniustæ damnificationis; quia non peccavit, saltem mortiferè, vti supponimus: atqui probabile non teneri ad restitutionem ex damno illato eum, qui non peccavit mortifere. Ratio est, quando solum culpa venialis commissa est, non est actus perfectus in ratione iniuriæ, sed imperfectus, qui non inducit obligationem restitutionis, saltem perfectam, quâ astringat sub peccato mortali: quia non potest obligatio maior esse in suo ordine. Vnde censetur eiusmodi damnum, quasi fortuitò illatum, adeoque non obligans cum vitæ periculo ad testimonium retractandum.

Navarra. Prov. 13. Navarr. Caietanus.

Diſcurſus II.

IN

Octavum Præceptum

An Iudex aliquando in hoc præceptum impingat?

Iudith 5. Vdith. 5. cap. dixit Achior Dux filiorum Ammon Holopherno locuturus: *Non egredietur verbum falſum ex ore meo.* Id verò ſi aliquis, maximè Iudex ſequi tenetur, vt immunis ſit à falſo teſtimonio in pronuntiandis ſententijs: hinc inquiram quod in argumento ponitur?

Exod. 28. 1. Exodi 28. iubetur Aaron induere veſtem ſuperhumeralem, *Ephod* dictam, quæ tam pectus, quam humeros eius tegebat, eique addere rationale iudicij, cui inſcribi debebant duo nomina, *Doctrina, & Veritas.* hoc modo ſignificans in corde Principis aut Iudicis debere inhabitare ſcientiam & veritatem.

Philo. Vnde Philo Iudæus lib. de Iudice: *Quid*, inquit, *in vita eſt æque pretioſum ac veritas, quam vates ſapiens inſcripſit loco ſacratiſſimo, ea parte veſtis Pontificiæ, vbi eſt principalis vis animæ.* Inter Ethnicos ſimile quid in vſu fuit. Aelianus. Nam teſte Æliano apud Ægyptios moris fuit, vt qui inter Iudices primarius erat, e collo geſtaret ſuſpenſam numinis imaginem, quod ipſi *Veritatem* eſſe aiebant. quo fine? vt oſtenderet eos, qui præſunt alijs, veros huius numinis, id eſt, *Veritatis*, cultores eſſe oportere. Interrogatus olim Demoſthenes quid Deo ſimile haberent homines? Reſpondit: *Veritatem amare.* Pythagoras item interrogatus, quid Deo ſimile facerent homines? Reſpondit: *cum veritatem exercent.*

2. Vt autem clarius quæſitum intelligatur prænotandum eſt, cauſas alias eſſe criminales, in quibus de vita hominis agitur; alias eſſe civiles, in quibus de bonis temporalibus vertitur quæſtio: rurſum alias eſſe minores criminales, in quibus de pecuniaria tantum mulcta agitur.

3. His poſitis dico Primò, Iudicē debere eſſe circumſpectū, nec facile accuſationibus fidem adhibere, ſi velit à calumniæ vitio immunis eſſe, verum lentè & maturè inſtar Dei Geneſ. 19. negotium examini ſubijcere. Geneſ 19. hoc dictat lex naturalis. Hinc Iob. cap. 29 dicit: Iob. 29. *Cauſam, quam neſciebam, diligenter inveſtigabam.* q. d. Nunquam de re ad me delata, non ſatis perſpecta, explorata, mente præcipiti ſententiam tuli, vt quemquam condemnarem: ſed veritatem cauſarum, tum iuris vim, atque rationem omnem ſedulò perquirebam. inſinuans has Iudicis eſſe partes, vt neminem condemnet niſi auditum, & teſtibus ritè examinatis: Si enim veritas bene inquiratur, ſeſe cõformat huic octavo præcepto. Sic Dominus noluit Sodomitas condemnare, niſi prius per duos Angelos Deum repræſentantes deſcenderet, & videret, vtrum clamorem qui venerat ad ipſum, opere compleviſſent: vt indicant illa verba Geneſ. 18. Geneſ. 18. *Deſcendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint; an non eſt ita vt ſciam,* ſuo exemplo Iudices erudiens non eſſe procedendum ad ſententiam, niſi cauſa benè diſcuſſa. Sic e contra Athana-

Athanaſius calumnijs ex Arianorum inſidijs impetitus, liberatur. Cum enim muliercula quædam accuſaret Athanaſium, quod hoſpitio exceptus Tyri, ſibi per vim ſtuprum intuliſſet, deſuper auditus fuit à Iudicibus, & ſimul querula mulier. Cum Athanaſio verò permiſſus eſt ingredi in Concilium Timotheus preſbyter, cui Athanaſius iuſſit vt ſurgeret: is verò ſimulans ſe Athanaſium eſſe, ſic mulierem aggreſſus eſt: *Dic mihi o mulier, egone in domo tua diverti? Ego tibi vim intuli?* Illa Athanaſium, quem numquam viderat, minimè cognoſcens, *vociferabatur: Tu es peſſimus ille homo, tu mihi pudicitiam meam abſtuliſti*; ſimul etiam omnia humana divinaque iura ingeminans. Exinde dolus toti Concilio congregatorum Epiſcoporum patuit ſtatim, & mulieris impudentia reiecta. Calumniatores, licet cõfuſi, necdum tamen conquieverunt, ſed hominis defuncti abſciſſum brachium proferentes illud Arſenij Lectoris eſſe iactitabant, quem Athanaſius occidiſſet, vt artes magicas eo efficacius cum hoc inſtrumento, & amuleto exercere poſſet. S. Athanaſius, vt ſe defenderet, atque vt veritas & innocentia oculis omnium panderetur, alloquebatur conſeſſum: cuperemus equidem ſcire, an hic eſſent aliqui, qui Arſenium noverint vnquam, quem hi dicerent à ſe occiſum? Permulti, atque etiam ex Arianis accuſatoribus, non pauci cognoviſſe ſe eũ, aſſerebant. Iuſſit ergo Athanaſius Arſenium in hoſpitio ſuo latitantem vocari. Adeſt Arſenius, monſtrat vtrumque brachium ſanum & illæſum. Confunduntur hæretici; veritas planè invincibilis à mendaci calumnia, aliquantulum preſſa, divino nutu refloreſcit, cum Iudex rem funditus examinat, partis defenſioni locúm tribuit.

4. Sic rurſum è contra peccarunt in hoc præceptum Iudices, qui Daniel. 13. non ſatis examinatis teſtibus Suſannam ad mortem condemnarunt: Vnde Daniel à Deo inſpiratus in hæc verba prorupit, *Sic fatui filij Iſrael, non iudicantes, neque quod verum eſt cognoſcentes, condemnaſtis filiam Iſrael? Revertimini ad iudicium, quia falſum teſtimonium locuti ſunt adverſus eam.* ſcilicet teſtes iniqui. Sic peccavit etiam Iudex ille Vercellenſis, qui mulierem à marito falsò adulterij accuſatam in carcerem coniecit, cum iuvene quodam ſuſpecto; & propter confeſſionem iuvenis tormentis perperam expreſſam, morti adiudicavit, ſimul cum iuvene, ex falſo præſuppoſito, ſic ad circumſtantes verba faciens: *Adulterium certe ſine duobus committi non potuit, & eſſe credibilius reor, noxiam ream negare de ſcelere, quam innocentem iuvenem confiteri*, vt inquit Hieronymus epiſt. 49. Bella ſanè ratio, cum extra controverſiam ſit, neminem licitè condemnari ad mortem, niſi ſole meridiano clarius conſtet de crimine perpetrato, ſive per teſtes, ſive per propriam rei confeſſionem, ſive per facti notitiam, vide dicta diſcurſu 3. in 5. præceptum antè n. 5. vbi probatum invenies quando liceat non auditum condemnare, eiuſque rei exempla; quibus adde D. Paulum qui ſic aliquando ſpirituali gladio vſus eſt, cum videlicet 1. Cor. 5. fornicarium abſentem & inauditum excommunicavit, & 1. Timoth. 1. blaſphemantes tradidit Sathanæ, & diſcerent non blaſphemare.

Daniel. 13.

Hieronym.

5. Immò peccat Iudex contra hoc Præceptum, falſumque dicit teſtimonium, cum hominem ſecundum publicas allegationes, & probationes convictum morti adiudicat, quando eius innocentiam privatim perſpectam habet. Nam hominem innoxium per ſe, ac directè occidere (niſi Deus ita iubeat) per ſe, & intrinſecè malum eſt, ſicuti fornicari. Quare ſicuti Iudex Matrimonium, quod ſecundum publica allegata validum apparet, ipſe verò invalidum eſſe ſcit, nullo modo ſuadere poteſt; ne dicam præcipere homini, vt coniugi putatitio carnaliter adhæreat: cum hæc ſit copula intrinſece mala, cuius poteſtatem Ec-

clesia nemini vult, aut facere potest: Ita pari ratione Communitas, vel gentium iura neque volunt, neque possunt Iudici dare potestatem, vt hominem, quem certò innocentem esse sciunt, morti adiudicẽt. Vide Dicta Discursu 3. in quintum Praeceptum n. 5.

6. Dico secundò, In causis civilibus, ac minoribus criminalibus, quibus de pecuniaria mulcta agitur, debet Iudex sententiam ferre, & accusatum condemnare secundum publica allegata & probata, quem ipse scit privatim innocentem esse, si eius innocentiam demonstrare non possit. Ratio autem est, quod alioqui iudicia vix possint terminari: sed reservat nihilominus condemnatus per sententiam ita materialiter iniustam ius ea bona, quæ sic amittit, recipiendi á possessore, si scandalum absit: quod non videatur mens Reipublicæ esse per sententiam, quæ falsis probationibus nititur, aliquem rerum suarum dominio privare: sic enim absque necessitate calumniatoribus faveret. Quare benè concludit Sotus lib. 3. de iustit. q. 4. artic. 4. Quod sententia iniusta (materialiter) ius nec aufert, nec confert; ideoque si is, cui ex tali sententia solutio facta est, ciusve hæredes postea errorem intelligant, tenebuntur in conscientia restituere. Quandoquidem sententiá Iudicis in falsa præsumptione fundata erat. præsumptio autem cedit veritati.

Sotus.

7. Certissima autem est sententia, quæ ex verbis partis adversę concipitur. Sic enim dixit Christus servo nequam: *Ex ore tuo iudico te.* Vnde iustum æque ac sapiens fuit iudicium Alexandri Medicei primi Ducis Florentiæ. Cum enim quidam perdidisset bursam, in qua erant sexaginta aurei, idque per præconem proclamari iussisset, promittens inventori eam referẽti decem aureos. inventor verò pauper quidam referens posceret decem aureos; ille habita re sua cœpit tergiversari, dixitque in bursa fuisse septuaginta aureos, inventorem decem exemisse, sibique solvisse. Dux sententiam tulit: bursa hæc sexaginta aureorum non est eius, qui se dicit bursam perdidisse septuaginta aureorum. Ergo inventor eam retineat, donec verus eius dominus reperiatur. Ita iustè sua bursa privatus est, qui malitiosè per mendacium inventorem calumniabatur & furti arguebat.

Matth. 25

8. Dico tertio, Iudicem non posse in iudicijs excipere personas. Sic enim ex naturali æquitate Moyses legitur præcepisse Iudicibus a se constitutis, vti refert Deuteron. 1. cap. repetens enim gesta in Sina, inquit: *Tuli de tribubus vestris viros sapientes, & nobiles, & constitui eos principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, ac decanos, qui docerent vos omnia. Præcepique, eis dicens: Audite illos, & quod iustum est iudicate: sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.* Idem inculcavit Rex Iosaphat 2. Paralipom. 19. Iudicibus a se constitutis dicens: *Videte quid faciatis; non hominis exercetis iudicium, sed domini: & quodcũque iudicaveritis in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Et inde processit regula iuris 12. in 6. *In iudicijs non est acceptio personarum habenda.* Et hac de causa dicunt aliqui Moysem suæ æquitatis ostendendæ causa, faciẽ suam coruscantẽ superinducto velo occultasse, Exod. 34. v. 33. ne ad hunc potius, quam ad illum oculos intendere videretur. Adduntque illud velamen, quo faciem splendentem obtegebat, fuisse è linteis; sudarijsve, quibus mortuorum cadavera involuta sepeliebantur, vt morte ob oculos occursante vitæ integritatem erga omnes, quibus imperabat, diligentius sectaretur. Sed quidquid sit de hac re, certè apud nonnullas gentes, illa viguit consuetudo; cuius Clemens Romanus lib. 2. Constitut. & D. Basilius epist. 79. ad Eustachium meminerunt, vt

Deutr. 1.

2 Paral. 19.

Exod. 34.

Clem. Rom.
D. Basilius

Iudices

Iudices nunquam capitalem sententiam ferrent, nisi obducta cortina, aut interiecto velo tegerentur. Iudicum etiam Areopagitarum tanta fuisse integritas, vt iudicarent noctu in tenebris, ne reorum moverentur lachrymis, & aspectu: qui proinde iubebantur simplicibus verbis causam enarrare, & ab omni verborum fluxumque fuco abstinere. Imo Thebani, teste Plutarch. in lib. de Iside & Osiride; & Ægypti, teste Diodoro Siculo de fabulosis antiquorum gestis, clausis, aut etiam effossis oculis Iudices depingebant, vt significarent Iudices ne oculos quidem habituros fuisse, quos conijcerent in litigantes, ne pariter cum oculis conijcerent & affectus: & qui oculati essent corpore, cæci animo redderentur. Nam qui personam respicit, in causa cæcutit, vt loquitur D. Ambrosius: *Vbi errat oculus, ibi errat affectus.* Adeoque omnino abesse debet a Iudice vt recte partes suas expleat: a teste vero deo ut timor Dei. Vnde Iethro socer Moysis, cum illi [illegible] gravato sententijs dicendis, partem oneris assumeret viros timentes Deum, in quibus esset veritas, & qui odissent avaritiam. Et Sapiens Ecclesi. 7. monet vnumquemque affectantem officium Iudicis seipsum prius metiri, ne potentia alterius vacillet: *Noli*, inquit, *fieri Iudex, nisi valeas virtute erumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis. & ponas scandalum in æquitate tua* q. d. Noli ambire Iudicis potestatem, quando timore potentiæ alicuius non auderes iustam proferre, aut exequi sententiam, per quam tibi ipsi esses causa ruinæ, dum pro dexteritate tua non procederes in iudicando, & defendendo oppressos innocentes. Et hinc etiam D. Iob volens ostendere se partes Iudicis rite explevisse, inquit, cap. 29. *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Huic conformiter loquitur D. Hieronymus epist. quadam ad Damasum, admonens Iudicem potius a se ablegandam causam, quam affectu vinci: *Abstineas*, inquit, *te a personis omnium* *redde in iudicio, ac propter iustitiam in iudicio pauperem defendas, nec propter gratiam divitis indecenter assistas: qui si non potes facere, cognitionem respice causarum.* Vnde Petrus Ravennas quodam loco dicit: *Nihil ideo gloriose lucet in Iudice, sicut amare & exhibere iustitiam sine omni acceptione personarum. Teste enim Cicerone, exuit personam iudicis, quisquis amicum induit. Aequitas, cui Iudex obsequitur, sinistram odij, vel amoris dexteram nescit. Nam talis esse debet iustitiæ minister, vt in eius animum nullius auctoritate personæ intuitu, aut vincat libera iustitiæ.*

9. Dico quarto, Non posse Iudicem hac de causa accipere munera a partibus sine peccato mortali, quod ea nimis Iudicem commoveant, vt indicat Scriptura Exod. 23. vbi ait: *Non declinabis in iudicium pauperis.* scilicet muneris eius gratia inclinando, *mendacium fugies. Insontem & iustum non occides: quia aversor impium*, seu tanquam iniquum eum condemnabo, licet hominibus videatur esse iustus: *Nec accipies munera, quæ excæcant prudentes, & subvertunt verba iustorum.* Vnde nihil in Republica perniciosius est, quam habere Iudices δωροφάγους, vt Hesiodus appellat, hoc est munerum voratores. Patet imprimis in filiis Samuelis, qui iudicium propter munera pervertentes, & se & Rempublicam perdiderunt. De quibus lib. 2. Epistolarum, epist. 2. & in ordine 23. *Filij*, inquit, *Samuelis nullum aliud crimen habuisse leguntur; nisi quia munera dilexerunt: & quia paternæ munditiæ non sequebantur exemplum, irrecuperabiliter amiserunt plebis Israeliticæ principatum. Et notandum, quia, cum de illis Scriptura dicit: Declinaverunt post avaritiam, acceperunt munera, protinus intulit: Perverterunt iudicium. Vicinum quippe est, & contiguum, vt post munus acceptum pervertatur etiam corrupto Censore iudicium.* Rursum id patet, in Davide, qui super omnes docentes se, & super senes intelligens erat, Psal. 118. & tamen parva quædam munuscula ei oblata a Siba adulatore ipsius Regis, & proditore sui domini Miphiboseth, oculos sapientissimi Regis

Hesiodus

1. Reg. 8.

Pet. Damian.

Ps. 118.

gis excœcarunt: *Apparuit*, inquit Textus, *puer Miphiboseth in occursum eius*, nempe David, *cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus. & centum alligaturis uvæ passæ, & centum massis*
2 Reg. 16. *palathrarum, & utere vini*, 2. Reg. 15. vers. 1. Hæc paucula & parva munera tanto Regi Siba obtulit: & per summum nefas & mendacium addidit, Miphiboseth dominum suum, & Ionathæ filium de regno cogitare [illegible] in urbe remansisse. Quis tam impudens mendacium non statim deprehenderet: cum Miphiboseth rebellionem contra Davidem machinari nec posset infirmus viribus, & utroque pede claudus: nec vellet plurimis a Davide obæratus. Nihilominus David Rex alioqui sapientissimus, quasi illis muneribus stultissimus redderetur præcipiti sententia respondet: *Tua sunt omnia, quæ fuerunt Miphiboseth.* Ibidem v. 4. Vbi Lyranus. *David*, inquit, *Sanctus ex ver-*
Lyranus *bis & dono huius adulatoris, & detractoris in tantum fuit deceptus; quod sine verborum eius examinatione dedit ei hæreditatem domini.* Et licet contra iustitiam graviter peccasset, tamen cum postea Miphiboseth venit ad Regem, & suam innocentiam ostendit, & Sibæ calumniam denudavit, adhuc Rex nihilo sanior effectus in sua sententia permansit: *Quid*, inquit, *ultra loqueris? fixum est, quod locutus sum. Tu & Siba dividite possessiones* 2. Reg. 19. v.
2 Reg. 19. 29. Quid iniquius? Videbat litem pro Miphiboseth egregiè peroratam: & nihilominus pro Siba iniquissimo veteratore sententiam ferebat. Et, ut ibi notat Lyranus, *pessimum ser-*
Lyranus *vum, quem propter falsam accusationem suspendere debuisset; domino suo faciebat æqualem: a [illegible] eius mentem oblata munuscula hebetarant.* Nam Miphiboseth immunis, hoc est, sine muneribus venerat; Siba prædictis muneribus oneratus. Hic obiter adverte, quod [illegible] Hebræ[illegible] traditionum Auctorem, Salomonis regnum a Deo fuisse divisum in Roboamum & Ie-
3 Reg. 12. roboamum in pœnam Davidis, hæreditatem inter Miphiboseth & Sibam contra iustitiam dividentis ut

per quæ peccat homo, per hæc & torqueatur. Sap. 11. v. 17.

Et hinc Isaias cap. 1. vocat socios Isa. 1.
furum, etiam omnes, qui diligunt munera dicens: *Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* In quem locum sic Hieronym. *Non dixit*, inquit, *qui accipiunt: hoc enim [illegible] sed qui non putant [illegible] bona perceperint, [illegible] sed manus: & [illegible] rum [illegible]* [illegible] David sibi præsentior [illegible] munera dicit esse viros [illegible] num, dum orat ne Deus [illegible] demnet, quemadmodum [illegible] condemnare solet. *Ne perdas [illegible], cum impiis animam meam, & [illegible] sanguinum vitam meam.* Et addit, *in* Psal. 25.
quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus. [illegible] & viri sanguinum sunt, qui [illegible] iudicant ob accepta munera [illegible] mul acceptionem munerum [illegible] esse iniquitatis. Omitto quod [illegible] propterea Deus graviter puniet [illegible] modi, & in hac vita, & in futura. Vide dicta Discursu 12. in 4. Præceptum n. 8.

10. Quæres quando Iudex [illegible] seatur sententiam dicere [illegible] tectus.

Respondeo primò, & certum [illegible] quando litigantibus sententiam [illegible] cit secundum merita causæ [illegible] rius: quando ius dicit pro [illegible] qui causam suam in iudicio secundum leges & rationes probabiliores [illegible] dit.

Ad huius rei pleniorem [illegible] gentiam nota probabiliorem [illegible] censeri primùm, cui lex [illegible] recepta assistit. Nam *iudex in mandatis habet, ut secundum leges iudicet* [illegible], C. de sentent. & [illegible] de constit. & cap. *in istis* [illegible] tamen ad [illegible] litigatoribus [illegible] advocatis [illegible] centum [illegible] tere legibus [illegible] tare [illegible] vocatis &c. [illegible] Abb. in c. [illegible]

vbi ait: *Vbicumque aliquod ius ex deductis in iudicium competit parti, licet pars ignoret potest & debet Iudex ex officio supplere, cum ipsi notorium sit.* Hæc de iure. Quæ autem facta concernunt, vltra publicam notitiam ex actis vel instrumentis acceptam non sunt extendenda.

Secundò censetur probabilior, quam loci consuetudo tuetur, iuxta l. 2. C. quæ sit longa consuetudo. Nam in dubio, *Optima est legum interpres consuetudo*, l. *Si de interpretat.* ff. de legibus & notat Abb. in cit. cap. 1. n. 14. de constit..

Tertio talis habenda est, quam Doctores eo causarum genere periti communiter sequuntur bonis rationibus moti, quod addo, quia parvi æstimandi sunt Iudices, qui alterius ductum eodem tramite sine rationis discussione, velut aves avem, oves ovem sequuntur, in alterius verba iurantes. Denique quam firmiorum rationum momenta stabiliunt.

Dico itaque secundò, Æqua dicitur sententia, quæ secundum opinionem probabilem procedit, licet alia sit securior. Ratio est, quod homo non teneatur semper agere, quod melius est, sed sufficiat agere, quod bonum est; adeoque si iudicet ipse in sua conscientia probabilem esse veram; potest eam sequi in iudicando. Confirmatur quia sicut in medijs ordinatis ad salutem nemo tenetur eligere (secluso voto, aut iuramento) quod melius, & securius est, vt v. g. nemo tenetur eligere virginitatem, aut ingredi religionem, quamvis virginitas, aut religio melior, & perfectior sit, quam status matrimonialis, sed satis est servare mandata, & eligere quod tutum & securum est, ita in sequendis DD. sententijs non tenemur eligere meliorem, sed satis est eligere illam, quam citra odium, & affectum iudicavimus probabilem, bonam & veram. Vnde etiam Confessarius potest, & tenetur sequi opinionem probabilem pœnitentis, relicta sua probabiliori, dummodo illam pœnitentis non iudicet esse falsam.

Ex quo capite patet Iudicem licitè posse aliquando propter amicum iudicare secundum illam opinionem, quæ amico magis favet. Sed circa hoc duo cavere debet Iudex. Primò, ne propter munera, aut propter affectus particulares iudicet opinionem illam probabilem, quæ revera talis non est: quin etiam ne propositum habeat cæteris paribus semper ferendi sententiam pro amicis. Is enim constituit se in periculo peccandi mortaliter ex huiusmodi affectu, qui solet iudicium facile perturbare. Et huc videtur respexisse D. Hieronym. in Amos sic scribens: *Quicumque consanguinitate aut amicitia, vel è converso hostili odio, vel inimicitijs in iudicando ducitur, pervertit iudicium Christi, qui est iustitia.* Secundò cavere debet sic iudicare pro amico, quando subest periculum scandali, hoc est, quando populus scandalizatur videns Iudicem nunc secundum vnam opinionem, nunc secundum aliam iudicare. Adeoque tunc tutior pars est eligenda.

11. Quæres iterum, Quid faciendum sit Iudici, quando duæ opiniones æque probabiles apparent in causa litigantium circa iustitiam facti?

Respondeo tunc eum non posse causam adiudicare cui partium voluerit, v. g. benevolentiæ causa amico vel consanguineo; sed teneri si post causæ diutius dilatę accurratam discussionem neutra litigantiũ pars, inspectis allegatis, de facto aut de iure superare videatur; vel ad superiorem Iudicem causam ablegare, vel arbitros partium statuere; vel compositionem suadere, imo etiam imperare in tali casu nimis intricato. sicuti notavit Abbas in cap. vlt. not. 4. de maior. & obed. vel denique vni dimidium, alteri alterum dimidium iuris aut rei, de qua lis est, adiudicare.

Addo quod eo casu, quo ex parte facti vna opinio est probabilior, in civilibus obligatum esse Iudicem

in

in conscientia iudicare in favorem probabilioris. Ratio est, quia Iudex tenetur iudicare secundum merita causę, sed qui factum probat per testimonia meliora & probabiliora, habet maiora merita causæ. Ergo &c.

In causa verò criminali quando opiniones sunt æquè probabiles ex parte facti, debet Iudex in favorem rei pronuntiare sententiam. Nam ratio naturalis dictat, vt vbi sunt æqualia fundamenta fisci in accusando, & rei in se defendendo, reo potius tanquam favorabiliori faveamus, arg. reg. *cum sunt*, vbi dicitur: *Cum sint partium iura obscura, reo favendum est potius, quam actori*; de reg. Iuris in 6 & arg. reg. *In pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis* eod. tit. & lib. & arg. Reg. *In obscuris minimum est sequendum*. eod. tit. & lib. Deinde in criminalibus accusator, vel fiscus habet se, vt aggressor, & reus vt aggressus, & se defendens: ius autem naturale dictat, vt aggresso potius, quam aggressori faveamus.

12. Quæres rursum, Quid faciet miser, qui à Iudice nimium credulo sine fundamento condemnatur?

Respondeo Deo rem esse committendam, ac divinum auxilium implorandum. Ipse in rebus ploratis & turbatis est vnicum perfugium. Sic Ioseph se in carcere consolabatur, cum Putiphar nimiùm credulus, nec locum illi daret sese purgandi, nec de facto inquireret, sed statim damnaret innocentem; sciens Deum esse potentiorem ijs qui eum vinciebant: eique se, suamque innocentiam commendabat. Nec dubitabat quin Deus illum ex illis vinculis cum gloria vel præsenti, vel futura eriperet; neque spe fiduciaque sua fuit frustratus. Nam vt ait Scri-

Genes. 39. ptura: *Fuit autem Dominus cum Ioseph, & misertus est illius, & dedit ei gratiam in conspectu Principis carceris. Qui tradidit in manu illius omnes vinctos, qui in custodia tenebantur: & quidquid fiebat sub ipso erat. Nec noverat aliquid cunctis ei creditis: Dominus enim erat cũ illo, & omnia opera eius dirigebat.* Et c. 41. *liberatur è carcere, & à Rege toti præficitur Aegypto.* Pulchrè in hanc rem Chrysostomus hom. 6. in Genes. vbi sic ait: *Considera hoc loco Dei misericordiam erga Ioseph. Sicut enim à fratribus eum eripuit volentibus eum interficere: & primo quidem effecit, vt iuxta consilium Ruben demitteretur in cisternam, & postmodum ex consilio Iudæ negotiatoribus venderetur, vt præsignificatus eventus somniorum compleretur: ita & nunc superna Dei manus barbarum illum detinuit, ne in insti cædem rueret. Quid enim aliud prohibuisset hoc eum facere, cum intelligeret attentasse eum violare thorum suum? Verum omnipotens Deus tantam fecit illi exhiberi clementiam, vt inductus in carcerem, etiam illic suam declararet virtutem, & sic ad principatũ regni perveniret. Sed nunquid ille non credebat reum esse Ioseph, cum in carcerem coniecit? Si autem credebat verum esse, quod vxor dixerat, tunc non carcere dignus, sed extremo supplicio, capitalique pœna iudicandus erat. Verum quando suum auxilium dextra superna ostendit, omnia fiunt levia & facilia, & quantumvis feroces animi mansuescunt. Sed vide quãto silentio, & lenitate animi, Ioseph bene cõscius innocentiæ suæ tulerit calamitatem illam. Scitis enim eos, qui non sibi conscij vllius sceleris, tanquam rei condemnantur, magna sæpe vti confidentia, & dicendi libertate superbire, insurgentes contra eos, qui insontibus crimen intentarunt. Non sic Ioseph, sed corde tacito, mens eius bene sibi conscia conservabat mansuetudinem & patientiam expectans Dei auxilium.*

Sic Susanna quoque Daniel. 13. Daniel. 13.
ad Deum per orationem se convertit. Nam condemnata ad mortem, *exclamavit voce magnâ: Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me: & ecce morior, cùm nihil horum fecerim, quæ isti malitiosè composuerunt adversum me. Exaudivit autem Dominus vocem eius.* Hoc autem factum est suscitando spiritum sanctum pueri iunioris Daniel. qui increpavit filios Israel, quod non iudicantes, neque quod verum

verum est cognoscentes condemnassent filiam Israel; & resumpsit iudicium separatim vocans calumniatores ad se, & illos falsi criminis convincens, dixit ab Angelo secandos in medium, nisi videlicet Deus impediat, aut populus illos lapidando præveniat: quod factum est, vt historia indicat his verbis: *Cum ergo divisi essent alter ab altero, vocavit vnum ex eis, & dixit ad eum: Inveterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris prius, indicans iudicia iniusta, innocentes opprimens, & dimittens noxios, dicente Domino: Innocentem & iustum non interficies. Nunc ergo si vidisti eā, dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi. Qui ait: Sub schino. Dixit autem Daniel: Rectè mentitus es in caput tuum. Ecce enim Angelus Dei accepta sententia ab eo scindet te medium. Et amoto eo, iussit venire alium, & dixit ei: Semen Chanaan, & non Iuda, species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum: sic faciebatis filiabus Israel, & illæ timentes loquebantur vobis: sed filia Iuda non sustinuit iniquitatem vestram. Nunc ergo dic mihi, sub qua arbore comprehenderis eos loquentes sibi. Qui ait: Sub prino: Dixit autem ei Daniel: Rectè mentitus es & tu in caput tuum: manet enim Angelus Domini gladium habens, vt secet te medium, & interficiat vos. Exclamavit itaque omnis cœtus voce magna, & benedixerunt Deum qui salvat sperantes in se. Et consurrexerunt adversus duos presbyteros (convicerat enim eos Daniel ex ore suo falsum dixisse testimonium) feceruntque eis sicut malè egerant adversus proximum, vt facerent secundum legem Moysi: & interfecerunt eos, & salvatus est sanguis innoxius in die illa.*

13. Nota hic, quomodo mendacium mendacem, dolus dolosum iusto Dei iudicio perimat: & quā apposité sententia crimini, & pœna culpæ respondeat. Senex calumniam & necem struebat Susannæ in prino, quæ græcè sectionem significat; hinc congruè à Daniele audit: *Manet Angelus Domini gladium habens, vt secet te medium.* Sic Deus per ranas loquaces punivit murmur & blasphemias Pharaonis: per ciniphes eiusdem fastum, per sanguinem Nili sanguinem infantium Hebræorum ab eo effusum. Nimirum per quod quis peccat, per hoc & punitur, ait Sapiens. Denique in duobus hisce senibus perversis veræ sunt duæ istæ gnomæ Ptolomæi initio Almagesti. Prima, *Qui malè operando vult celari, satis discoopertus est.* Secunda, *Qui confidit in mendacio, cito deficiet: illud enim destituet eum.* Ac vetus Hebræorum dictum: *Mendacium debiles, veritas solidos habet pedes.* Et Abraham: *Mendacium est infirmitas, veritas est stabilitas.*

Idem precibus obtinuerunt Iudæi. Cum enim per calumniam Aman Mardochæus & tota gens Iudæorum morti adiudicata esset, per Esther precari & ieiunare mandantem liberatur, vt patet Esther 3. 4 & 5. cap. Sic mulier illa Vercellensis Dei opem in Augustijs imploravit. De qua sic Hieronymus: *Mulier sexu fortior suo, cum eculeus corpus extenderet, & sordidas fætore carceris manus post tergum vincula cohiberent, oculis, quos tantum tortor alligare non poterat, suspexit ad cœlum, & volutis per ora lachrymis: Tu, inquit, testis es Domine Iesu, cui occultum nihil est, qui es scrutator renis & cordis, non ideo me negare velle, ne peream, sed ideo mentiri nolle, ne peccem. At tu miser homo, si interire festinas, cur duos interimis innocentes? equidem & ipsa cupio mori, cupio invisum hoc corpus exuere, sed non quasi adultera.* Et paulò post: *Iudex crudelis, quasi superatus, attollitur. Illa Deum deprecatur, solvuntur membra compagibus. Illa oculos ad cœlum tendit, quasi de communi scelere alius confitetur. Illa pro confitente negat; & periclitans ipsa, alium vindicat periclitantem. Vna interim vox est: Cæde, vre; lacera, non feci. Si dictis tollitur fides: veniet dies, qua hoc crimen diligenter discutiat: habeo iudicem meum.* Nihilominus irā excitus Consularis parem in vtrumque sententiam profert; damnatos carnifex trahit ad supplicium, & miserrimi iuvenis ad primum

Esther 3. 4 & 5.

Hieronym. Epist. 49. ad innoc.

ftatim ictum amputatur gladio caput. Poftquam verò ad feminam ventum eft, gladio percuffa vulnerari nequivit, gladio femper refiliente, ac fi duriffimum faxum percuteretur, excepto vltimo ictu, qui cute obiter apertâ, parum fanguinis eliciebat, ac collum intactum relinquebat. In quam rem fic exclamat loco citato Hieronymus. *O omnibus res inauditâ fæculis! Ad capulum gladius reflectitur, & velut dominium fuum victus afpiciens, confeffus eft fe ferire non poffe. Huc huc mihi trium exempla puerorum, qui inter frigidos flammarum globos hymnos ediderè pro fletibus, circa quorum farabilia, fanctamque cæfariem innoxium lufit incendium. Huc beati Danielis revocetur hiftoria, iuxta quem, adulantibus caudis, prædam fuam leonum ora timuerunt. Nunc Sufanna nobilis fide omnium fubeat mentibus, quæ iniquo damnata iudicio, Spiritu fancto puerum replente, falvata eft: Ecce non difpar in vtraque mifericordia Domini. Illa liberata per iudicē, ne iret ad gladium: hæc à Iudice damnata, abfoluta per gladium eft.*

14. A[illegible]dices: Cur ergo Sapiens tantopere deplorat calumnias, vt feliciorem iudicet needum natum, quam viventem? dum ait: *Verti me ad alia, & vidi calumnias, quæ fub Sole geruntur, & lachrymas innocentium, & neminem confolatorem: nec poffe refiftere eorum violentia cunctorum auxilio deftitutos. Et laudavi magis mortuos, quam viventes, & feliciorem vtroque iudicavi, qui necdum natus eft.*

Eccle. 4.

Refpondeo, quia multò plures è medio tolluntur per iniuriam, quàm liberantur, eò quod Deus non femper faciat miracula; fed eorum infortunium, aut cædem permittat, vel remunerationis maioris causâ in cœlo, vel etiam in hoc fæculo ad aliorum exemplum: quemadmodum permifit Iob calumnijs amicorum ad prodigium vfque laceffi, poftea illi reddens omnia duplicia. Naboth verò è medio tolli, licet zelo divinæ legis motus paternam hæreditatem ad alienum poffefforem venditione transferre noluerit, 3. Reg. 21. vt optimè ponderavit Ambrofius lib. 3. Officior. c. 9. dicens: *Quid fancto Nabothæ, quæ fuit caufa mortis, nifi honeftatis contemplatio. Nam cum ab eo vineam Rex pofceret, pecuniam daturum fe pollicens, indecorum pretium pro paterna recufavit hæreditate, maluitque morte declinare huiufmodi turpitudinem: Non mihi, inquit fiat à Domino, vt dem tibi hæreditatem patrum meorum: Hoc eft, tantum mihi opprobrium non fiat: Nec permittat Deus tantum extorqueri flagitium.* Cuius zeli remunerationem accepiffe non dubium, ex plagam Achab & Iezabel fuiffe dilatam ex cap. 21. 3. Reg. Alios verò quam plurimos iniuftè è medio fublatos, beatitudinem animæ adeptos, zelo iuftitiæ vindictam exfpectare perfecutor[illegible] prodit caput 6. Apocalyp. vbi [illegible]mæ iniuftè occiforū leguntur clamare voce magna: *Vfquequo Domine* (qui fanctus & verus) *non iudicas, & non vindicas fanguinem noftrum de ijs, qui habitant in terra?* Et refponfum habuerunt receptâ gloriâ animæ, *vt requiefcerent adhuc tempus medicum, donec compleantur conferui eorum.* q. d. Sicut corpora veftra, ô animæ fanctæ, & veftro fanguine purpuratæ, requiefcunt in fuis fepulturis (quæ inde vocantur græcè cœmeteria, id eft dormitoria) fub altari holocauftorum expectantia gloriam refurrectionis; ita & vos pariter requiefcite fub altari thymiamatis in cœlo, in veftris ftolis albis, id eft, in veftro lumine gloriæ & beatitudinis; ac modo exfpectate eandem refurrectionem: brevi enim corpus, quod hic pro me morti tradidiftis, vobis reddam gloriofum, ac fimul vlcifcar & puniam veftros perfecutores & homicidas, condemnando, & adigendo eos in tartara: brevi, inquam, fcilicet poftquam completus fuerit fociorum veftrorum, puta martyrum numerus: quod propediem per Antichriftum fiet. Similiter refpectivè de alijs iniuftè patientibus iudica. Et huc rendit, quod dicit Sapiens Ecclefiaft. cap. 5. *Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & fubverti*

verti iustitiam in Provincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsor est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij. q. d. Solari nos debet, quod existat vnus cunctorum Rex supremus, Iudexque, qui vicarios Iudices ipsos diiudicabit, interim dissimulans, at non ignorans: illos ipsos adhuc exspectans ad pœnitentiam, oppressos exercens ad patientiam, præparansque ad coronam.

Hoc postremum patuit in B. Stephano, quem Dominus mirifice præparavit ad coronam, dum Act. c. præter naturalem speciem pulchritudinis vultui eius novum insolitumque splendorem, & quasi radios corporis gloriosi contulit, quales Deus olim Moysi afflaverat Exod. 34. vnde dicit Scriptura: *Intuentes eum omnes, qui sedebant in Concilio, viderunt faciem eius, tanquam faciem Angeli*, vt videlicet gloria sui corporis resurrectionem Christi iam factam, & nostram futuram incredulis repræsentaret, de qua videlicet cum Iudæis disputaverat, & quam ægrè audiebant: Vnde S. Hilarius Arelatensis homil. de S. Stephano: *Facies Stephani assumpsit speciem resurgentis, adversarijs ad pœnam peccati, & tormentum invidiæ, & exprobationẽ impietatis, & testimonium criminis.* Ipsi autem Stephano donavit videre cœlos apertos, *& Iesum stantem à dextris Dei.* De quo dicitur cap. 7. v. 55: *Cum autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei, Et ait* supple Iudæis, *Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.* q. d. Non timeo vestras, ô Iudæi, minas, nec mortem licet strideatis dentibus in me, quia video cœlum apertum, vt me in suum civem ad gloriam æternam suscipiat. Video Iesum amorem meum me invitantem: ad eum anhelo & propero. Quare non curo, imò desidero vestra saxa, vt per illa transeam, & transvolem ad meum Iesum ita S. Augustin. serm. 94 de diversis: *Non tacuit Stephanus quem vidit, quia festinabat mori pro illo, vt viveret cum illo.* ait idem serm. 95. Qui rursum è cælis Iudæos, & ipsorum scelera prospiciebat, ibique stabat, vt ea iudicaret, & puniret, si in scelere persisterent. Hæc loquebatur Stephanus cum videret gloriam Dei, id est, claritatem quamdam corporalem, eximiam & augustam, quæ Dei præsentiam testaretur, & præ se ferret: vti enim Moyses & Hebræi sæpe dicuntur vidisse gloriam Dei, quia viderunt cœlestem quamdam lucem, & splendorem Dei maiestatem repræsentantem, iuxta illud Exod. 24. *Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens.* Sic vidit gloriam Dei, animo per Dei concursum supernaturalem elevatus etiam oculis mentis cœlos omnes, quasi patentes penetravit, & porrectus fuit vsque ad cœlum Empyreum, vt in eo clarè perspiceret Dei gloriam, & Iesum à dextris Dei, sicut nos per aërem apertum videmus remota, puta Solem, Lunam, & astra. Cæterum vidit Iesum stantem, videlicet quasi Ducem pro Stephano pugnaturum contra Iudæos. Vnde P. Damian. orat. de S. Stephano: Christus, inquit, cum Patre stante stabat, & cum bellante bellabat, nec minor erat illo, vt suum iuvaret & propugnaret athletam. rursum quasi agonothetam, vt animam victricem cum triumpho exciperet, eique bravium victoriæ consignaret, ac iuxta nomen corona gloriæ eum coronaret.

15. Sed quæres, An sententia tum in civili, tum in criminali causâ lata per errorem facti, rescindi non debeat?

Respondeo, Quandocũque comperitur ob falsas allegationes testium, vel instrumentorum productiones sententiam esse latam; condemnatum eâ rescissâ in integrũ restituendum esse, iuxta l. *Divus*, ff. de re iudicata. & l. 1. C. Si ex falsis instrumentis. Si vero post latam sententiam, quæ in rem iudicatam transijt, nova instrumenta, vel testimonia reperiantur; ordinariè fieri non potest restitutio contra sententiam,

ſicuti conſtat ex l. *Imperatores*, ff. de re iudic. attamen ad Principem recurrere licebit, qui inſpectis circũſtantijs cauſæ iubere poteſt, vt ea iterum in iudicium deducatur; & ſi manifeſtè conſtiterit ſententiam ob ignorantiam facti latam eſſe, ea per reſtitutionem in integrum reſcindatur, ſicuti docet Molin. tom. 2. diſput. 568. *Molin.*

16 Quæres denique, Ad quid obligatus ſit Iudex, qui ob imperitiam malè & contra leges publicam ſententiam tulit?

Reſpondeo & dico Primo: Si per dolum, v.g. pecuniâ corruptus, iniquam ſententiam tulit, tenetur omne damnum parti læſæ reſarcire, l. *Filius fam.* ff. de iudicijs, & amiſsâ dignitate, efficitur infamis, l. vlt. C. de pœna Iudicis, qui malè iudicavit, vbi videre etiam poteſt Auth. novo iure.

Dico ſecundò: Si Iudex ſine dolo per imperitiam malè iudicavit ex quaſi delicto, tenetur parti læſæ ad aliquam compenſationem damnorum, ſicuti vir prudens, inſpectâ qualitate cauſæ diiudicans arbitratus fuerit: quare litem ſuam Iudex imperitè iudicando facere dicitur, id eſt, damnum partis læſæ in ſe transferre. Inſtit. de oblig. ex quaſi delicto, princip. l. *Ex maleficijs*, §. *Si Iudex*, ff. de action. & obligat. l. vlt. de varijs & extraordinar. cognit. Et ratio eſt: Quia *imperitia culpa annumeratur*, reg. 174. ff. in ijs maximè perſonis, quæ acceptando officium, ſe eius peritas eſſe in hoc ipſo profitentur.

Dico tertiò: Si Iudex, alioquin nõ imperitus, ſed ad tale munus inidoneus eam, quam moraliter debet, diligentiam adhibeat; ſed nihilominus ex humana fragilitate, & oblivione inter iudicandum erret, in foro conſcientiæ non tenetur reſtitutionem facere ex proprijs: quandoquidem iniuriam formalem non intulit; neque, vt ponimus, aliquid commodi ex tali ſẽtẽtia à parte læſa accepit; ideoque ex neutro capite reſtituendi, videlicet nec ratione rei acceptæ, nec ratione iniuſtæ acceptionis, læſionisve obligatus eſt.

Verum enimverò, quia Iudex cauſa fuit, vt damnum ſaltem materialiter iniuſtum parti inferretur, debet ſententiam retractare, & revocare, ſi ſine gravi ſuo incommodo poſſit, ſuadendo v.g. parti læſę, vt cauſæ reviſionem poſtulet: quin & ipſemet Iudex, ſi ordinarius ſit, ſententiam ſuam, quam contra leges tulit, tanquam irritam revocare poteſt, arg. l. *Si Præſes*, C. quomodo, & quando Iudex &c. & l. *Si accuſatoribus*, C. de accuſat. iunc. Gloſ. verb. *eundem*. Abbas in c. *Fraternitatis*, n. 18. de frigidis, vbi ſingulariter notandum ait; Licet ſententia iniuſtè lata, niſi ab ea appelletur, tranſeat in rem iudicatam, eique, pro quo iudicatum fuit, acquiratur actio in factum, iuxta l. *Cum prolatis*, ff. de re iudicata fallere tamen, ſi ſententia ipſo iure ſit nulla, videlicet manifeſtè contra leges lata, ſicuti conſtat ex l. *Si cum inter*, C. quando provocare non eſt neceſſe. *Abb.*

Diſcur-

Discursus III.

De Mendacio

Quid sit, & quale peccatum?

Leuit. 19.

LEvit. 19. dicitur: *Non mentiemini*, quod etiam hoc præcepto vetatur. Nam non solum comprehendit falsum testimonium, quo quis proximo in iudicio præiudicat; sed etiam mendacium extra iudicium. vnde tractabo quod in argumento ponitur.

1. Mendacium itaque est, *Dictum contra mentem*: quando nimirum aliquid affirmas quod existimas non esse, vel negas quod existimas esse; idque fallendi gratia, sicuti & S. Augustinus cap. 22. Enchir. relatus causa 22. quæstion. 2. definit: *Is mentitur, qui contra id quod animo sentit, loquitur, voluntate fallendi.* Et in lib de mendac. ad Consentium c. 4. *nemo dubitat mentiri eum, qui volens falsum enuntiat, causa fallendi: Quapropter enuntiationem falsam, cum voluntate ad fallendum prolatam manifestum est esse mendacium.*

Augustin.

2. Verum nota ad clariorem huius definitionis intelligentiam, duplicem esse falsitatem, vnam materialem, alteram formalem. Materialis est, quando quis enuntiat falsum, quod credit esse verũ, quod propriè mendacium non est, teste S. Augustino Enchirid. cap. 18. vbi sic ait: *Nemo mentiens iudicandus est, qui dicit falsum, quod putat verum: quoniam quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur.* Et in lib. de mendacio c. 3. *Non omnis qui falsum dicit, mentitur; si credit, aut opinatur verum esse, quod dicit.* Formalis verò est, quãdo homo quid enuntiat quod credit falsum esse. vnde idem Doctor loc. cit. *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enuntiat.* Et subdit: *Ex quo fit, vt aliquis possit falsum dicere non mentiens; si putat ita esse vt dicit; quamvis non ita sit: & vt possit verum dicere mentiens; si putat falsum esse, & pro vero enuntiat; quamvis revera ita sit vt enuntiat: ex animi enim sui sententia, non ex rerum ipsarum veritate, vel falsitate mentiens, aut non mentiens iudicandus est.*

August.

3. Ex quibus patet à mẽdacio excludi iocum, qui ita profertur, vel agitur, vt ex ipso agendi, vel pronuntiãdi modo satis intelligatur, falsum esse, quod exterius enuntiatur: cum desit animus fallendi; esto quod audiens ob nimiam seu simplicitatem, seu stupiditatẽ suam, seriò acceptus sit. Qua de re Augustin. lib. 1. de mendacio c. 2. *Ioci numquam sunt mendacia: habent enim evidentissimam ex pronuntiatione, atque ipso iocantis affectu, significationem nequaquam fallentis; etsi non vera enuntiantis.*

4. Secundò notandum est triplex mendacium à Doctoribus assignari, videlicet iocosum, officiosum, & perniciosum. Iocosum dicitur, quod profertur sine alterius nocumento vt delectet: quod vt mendaciũ propriè sit, requirit prolationem animo fallendi audientem, seu falsam opinionem ingenerandi, sive reipsa quis fallatur, sive non, vt docet Augustin. lib. 1. de mendacio cap. 3. Officiosum, quod nemini nocet, sed in alicuius vtilitatem profertur. Perniciosum verò, quod cum alterius præiudicio dicitur, sive alicui alteri prosit, sive non. August.

5. His positis, Quæres quale peccatũ sit mendaciũ? Respondeo variè sensisse quosdã de hoc vitio. Aliqui

enim censuerunt licitum esse externè mentiri, modo quis in corde veritatem servet, perperam torquentes verba Psal. 14. in suum favorem, vbi dicitur habitaturus in tabernaculo Dei, *qui loquitur veritatem in corde suo.* Veteres etiam quidam apud Cassianum Collat. 17 c. 27. Dorotheum serm. 9. de mendacio; dixerunt, mendacio sicut ellebori potu vtendum esse, si inevitabilis necessitas cogat. Et alij apud S. Augustinum vtroque libro de mendacio, in casu necessitatis, seu ob magnum bonum promovendum licitum esse mentiri.

Psal. 14.

Cassianus

6. Verum dico resolutè, Omne & qualecumque mendacium esse illicitum: ait enim Ecclesiasticus 7. cap. *Noli velle mentiri omne mendacium.* Vnde Apostolus ad Ephes. 4. *Deponentes mendacium loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo.* Et ad Coloss. 3. *Nolite mentiri invicem.* Rationem habes ex epist. Ioan. 1. cap. 2. *Quoniam omne mendacium ex veritate non est*, id est, ex Deo non procedit, cum verax sit, auctor & amator omnis veritatis; sed ex diabolo qui eius auctor & inventor est iuxta verbum Christi apud S. Ioan. cap. 8. *Mendax & pater mendacij.* Adeoque nihil facit in favorem mendacij locus ex Psal. 14. à quibusdam allegatus: quia nihil aliud vult insinuare Propheta, quàm sic loquendum esse, vt quis in corde sentit; quia mendacium est, quando quis contra mentem loquitur: adeoque os & linguam debere respondere cordi, vnde procedunt mendacia, iuxta illud Matth. 15. *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem.* Et inde est, quod Scriptura aliquando ori meditationem, & linguæ iudicium tribuat, videlicet Psal. 36. vbi ait Propheta: *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium*: licet meditatio & iudicium sint cordis, & os tantùm proferat conceptiones cordis, secundum illud Matth. 12. *Progenies viperarum quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur.* Et propterea Iob vir simplex & rectus, protestatus fuit in eadem phrasi, quod corde non meditaretur mendacium, cùm ait cap. 27. *Donec superest in me halitus, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* Semper enim apud quasvis nationes mendacium iuri naturali contrarium esse fuit indubitatum: vnde etiam Gentiles solebant mentientes gravibus pœnis afficere speciatim Massilienses, qui libertatem revocabāt in servitutem, si vel mentitus, vel fraudem patrono commisisse deprehenderetur. Lycij mentientem quemlibet divitem, nobilemve vendebant sub hasta, spoliabantque facultatibus. Apud Indos mentiri piaculum erat, nec deinceps Magistratum deprehenso gerere licebat. De Persis idem fere traditur ab Herodoto & Xenophonte. Et ille quidem testis est, & veritatis colendæ præcepta edoctos pueros à quinto anno ad vigesimum. Strabo vsque ad vigesimum quintum, qua de re etiam Nicolaus apud Stobæum. Ægyptij Regibus suis ad collum appendebant, vt Ælianus prodit, ex Saphiro imaginem, quam Veritatem appellabant.

Eccles. 7.

Ephes. 4.

Coloss. 3.

Ioan. 8.

Matth. 15

Psal. 36.

Matth. 12.

Iob 27.

Val. Max. l. 2. cap. 9. ... Herodot. ... Strabo l. ... Ælianus varia hist. cap. 34.

7. Verum enimverò non omne mendacium est æquè grave peccatum. Duo enim priora genera malitiam tantùm venialem continent, cum teste Apostolo, *Non sunt facienda mala vt eveniant bona*; non autem mortalem, quia nemini nocent, vt rectè Augustinus tract. in Psal. 5. dicens: *Duo sunt omnino genera mendaciorum, in quibus non est magna culpa; sed tamen non sunt sine culpa; cum aut iocamur, aut vt proximis prosimus, mentimur.*

August.

8. Tertium malitiam mortalem continet, videlicet, quando profertur animo graviter nocendi vitæ proximi sive spirituali, sive corporali, aut bonis externis, etiamsi actu non noceat. Et de hoc mendacio pro-

Prov. 8.

Sap. 1. pronuntiat Sapiẽs: *Abominatio eſt Domino labia mendacia.* & Sap. 1. dicit: *Væ duplici corde, labijs ſceleſtis loquenti* Prov. 12. *mendacium.* Et Prov. 12. dicitur, quod mendax non evadet Dei vindictam, in verbis: *Qui mendacia loquitur non effugiet,* ſupple vindictam, *ſed peribit: Os* enim *quod mentitur, occidit animam.* Accedit Pſalmiſta, qui ait: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium,* nempe pernicioſum.

9. Sed dices: Si peccatum ſit quodvis mendacium, cur Propheta Michæas. Michæas cap. 2. optavit mendacium loqui? Sic enim ait. v. 11. *Vtinam non eſſem vir habens ſpiritum, & mendacium potius loquerer!*

Reſpondeo non optare Michęam ſe non habere ſpiritum, neque loqui mendacium; ſed vt oſtendat captivitatem, quam Iudæis comminabatur, ſe non ex odio proferre, ſed ex amore & compaſſione optans ſuos cives perdurare, & non exſcindi ac perdi ab Aſſyrijs, dicit: *Vtinam non eſſem vir habens ſpiritum,* id eſt: Vtinam quæ prophetizo de clade & exitio Iſraelis non ſint prophetiæ à Deo revelatæ; ſed mendacia mihi à vano timoris & puſillanimitatis ſpiritu, metuque ſuggeſta. Sic vulgò dicimus, vtinam decipiar, vtinam ſim falſus vates. Et quod dicit de mendacio, non eſt quod velit formaliter mentiri, quia illud optare eſſet peccatum: ſed vt materialiter tantum, hoc eſt, optat dumtaxat vt mendacium, id eſt, falſum ſit, ſeu vt reipſa non eveniat id quod prędicit, non prædicat ex ſpiritu Dei, ſed ex ſpiritu ſuo, puta humano vani timoris. quod magis innuunt ſequentia, vbi dicit: *Stillabo tibi in vinum, & in ebrietatem,* id eſt, vellem non habere ſpiritum prophetiæ tibi minacem, & triſtem: ſed tamen eo vel invitus corripior, cogorque verum ſtillare, id eſt, enunciare, ſcilicet imminentia tibi plurima mala, & clades acerbiſſimas, quæ inſtar vini te inebriabunt, & implebunt vſque ad guttur.

10. Quæres: An ille qui ſcienter alteri enuntiat, aut exhibet ſignum ſeu vocis, ſeu facti, quod ex ſe, & ſecundum omnes circumſtantias ad vnum ſenſum, cumque falſum determinatum eſt, a mendacio excuſari poſſit idcirco, quod mente ſua aliquid aliud concipiendo adiungat, per quod oratio vera efficiatur.

Reſpondeo per ſe non excuſari, quia cõtradictionem involvit, quod aliquis orationem externam, quam ſcit aut putat falſam eſſe, alteri deliberate loqui, & nolle ſignificare falſum, etiamſi nolit aliud ſignificare, quàm in mente ſentit. Nam impoſſibile eſt vt oratio externa ac ſignificativa erga alterum ex conceptibus interius nullo modo externè prolatis componatur. Vnde D. Auguſtinus lib. de mendac. cap. 3. inquit: August. *Duplex cor dicitur eſſe mentientis, id eſt duplex cogitatio: vna rei eius, quam veram eſſe vel ſcit, vel putat, & non profert: altera eius rei, quam pro iſta profert, ſciens falſam eſſe, vel putans.* Hinc quando herus famulum de fracto nuper vitro arguit, ille autem conſtanter negat vnquam ſe fregiſſe vitrum, ſubintelligendo mente præcedenti, verè mentitur: aut qui dicit ſe tali conſortio non interfuiſſe, ſubintelligendo heri aut nudiuſtertius cum de pręſenti die interrogatur, mentitur. Sic mercator, qui dicit Bruxellæ libram butyri in flandria coëmpti ſibi conſtare ſeptem aſſibus intelligendo apud ſe iuxta pondo illic in vſu exiſtens, quod fortè duas vncias ſuperat pondo Bruxellenſe, mentitur. Similiter, qui diceret mercem ſibi conſtare octo daleris, intelligendo in moneta Germanica, vbi fortè viginti in centum moneta eſt auctior: quandoquidem contra id quod animo ſentit, alteri loquatur, aut ſignificet cũ animo fallendi. Neque reſtrictio aut limitatio orationis mente retenta, exteriuſque nullo modo ſignificata, quidquam efficit, niſi velis præceptum de non mentiendo aſtutos homines non cõcernere, qui facile alijs illudunt; ſed tantum ſimplices, qui horrent talia meditari, quod abſurdum eſt.

11. Quæres ergo: Quomodo salvetur, quod Christus Dominus dixit Marc. 13. *De die illa* iudicij *nemo scit, neque Angeli in cælo, neque filius cælorum, nisi solus Pater.* Et Matth. 24. *De die illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater.* Et Ioan. 7. vbi fratribus vrgentibus eum, vt ad instantem diem festum ascenderet Hierusalem, dixit: *Ego non ascendo ad diem istum:* quandoquidem postea ascenderit. sic enim sequitur: *Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum.*

Marc. 13. Matth. 24. Ioan. 7.

Respondeo quoad primum locum, Christum curiose ab Apostolis interrogatum de tempore iudicij extremi, quia ipse eum ignorabat vt legatus Patris ad nos, & Doctor hominum: quin etiam in ordine ad publicationem: quia non habebat commissionem eum diem Angelis nunciandi, quem pater volebat manere secretum, atque adeo nemini veritatem illam manifestare poterat, nisi secundum voluntatem eius, à quo profecta erat. Ad hunc modum celare potest veritatem Legatus alicuius Principis, cum interrogatur de secretis, quæ sub iuramento promisit non manifestare. Ratio est, quod existente iusta causa licitum sit vti verbis ambiguis etiam in sensu minus obvio, quando in legitimo aliquo sensu sunt vera: etiamsi videat hisce verbis vtens etiam in sensu minus obvio auditorem ea malè intellecturum, ac deceptum iri. Non est enim alteri propriè causa erroris, sed solum occasio, quam ob iustam causam non tenetur magis vitare, quam mulier cum notabili incommodo abstinere à publico, ne sit alicui occasio lapsus in cogitationes inhonestas. præsertim cum alter ex vitiata hominum consuetudine facile percipere possit, quod aliud interius intendat, quam exterius verba significant.

Quantum ad secundum attinet: vere dixit Christus se non ascensurum ad diem festum istum, scilicet secundum mentem & intentionem rogantium, sive palam, & cum manifestatione suiipsius per signa & prodigia, prout ipsius cognati rogabant vt ascenderet: ad horum enim interrogationem & mētem accommodè respondebat: illi enim non curabant de occulta ascensione, sed quærebant talem, qua se mundo manifestaret. Et hoc verba sequentia expresse indicant: *Et ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed in occulto.*

Et hoc modo videtur etiam locutus Helisæus 4. Reg. 6. Cum enim Rex Syriæ vellet Prophetam ab Israëlis castris abducere, ne quod ipse Rex moliebatur occultè, hostibus proderet, & consilium quod non videbat fore inutile, toties eluderet. Et hac de causa, cum eius exercitus appropinquaret, vt locum obsideret, in quo tunc Helisæum commorari cognoverat, rogavit Propheta Dominū, vt eundem cæcitate percuteret, id est, ea cæcitatis specie, qua homo aliquid videt; illud tamen quid sit discernere non potest: qualis fuit Sodomorum cæcitas, qui cum viderent alia, portam domus Loth tamen videre non poterant, aut ita videbant, vt tamen ab alijs portis, vel etiam à solido, continuoque pariete non distinguerēt. De qua sic August. lib. 22. de Civitate, cap. 19. *Cum aliquid non videtur, quamvis adsit, à quibus alia quæ pariter adsunt, videntur, sicut illam claritatem dicimus adfuisse, non visam, à quibus alia videbantur, ἀορασία Græce dicitur, quod nostri Interpretes Latine dicere non valentes lib. Genes. 19. cæcitatem interpretati sunt. Hanc enim passi sunt Sodomitæ, quando quærebant ostium iusti viri, nec poterant invenire. Quæ si cæcitas fuisset, qua fit, vt nihil possit videri, non ostium, quo ingrederentur, sed duces itineris, à quibus inde abducerentur, inquirerent.* Tali igitur cæcitate precibus suis obtinuit Propheta Syros percuti, qua quidem Helisæum & Dothan vrbem, vbi Helisæum tunc esse audierant, viderent; sed neque illum Helisæum, neque illam Dothan esse putarent. Quod factum est, quia alia Helisæi, alia Dothan in illorum ocu-

4. Reg. 6. Genes. 19. August.

les

los species incurrerat. Tum autem dixit ad milites exercitus: *Non est hac via, neque ista est civitas: sequimini me, & ostendam vobis virum, quem quaeritis.* At hisce verbis non est mentitus, quia longè aliam apparere fecit civitatem, quam ipsi antea noverant. Deinde promisit solum se virum ostensurum, quem quærebant; non autem civitatem: & quod promisit, fideliter præstitit in Samaria. Adeo vt re bene discussâ, nullum in istis verbis appareat mendacium; sed tantum in vero sensu locutio, licet militibus non ita obvio ob causam cœcitatis prædictæ.

12. Dices iterum: Sancti viri & Prophetæ apertissimè videntur locuti contra veritatem. Nam Abraham dixit Saram vxorem suam esse sororem suam. Et Michæas 3. Reg. 22. consultus à Rege Achab, an oppugnatio vrbis Ramoth sibi foret prospera, nec ne? respondit: *Ascende & vade prosperè, & tradet eam Dominus in manus Regis*: & tamen sciebat contrarium eventurum, illumque ibidem occidendum. Et Helisæus 4. Reg. 8. consultus à Benedad Rege Syriæ an à morbo, quo laborabat, convalesceret? respondit consultori: *Vade, dic ei, sanaberis*, cum sciret illum moriturum.

3. Reg. 22. 4. Reg. 8.

Respondeo neque in hoc esse difficultatem: quia vt ait D. Thomas 2. 2. q. 110. tametsi mentiri, aut simulare nullo casu licitum sit, tamen licet veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione. Ratio diversitatis est, quod simulatio ac mendacium fit falsi, repugnans naturali præcepto negativo: *Ne mentiris.* Dissimulatio autem fit veri, quod interdum iustè ac licitè celatur seu dissimulatur: quia præceptum affirmativum manifestandæ veritatis, non semper obligat. Vnde talem eximit Augustinus à mendacio, lib. contra mendacium, c. 10. sic aiens: *Quamvis omnis, qui mentitur, velit celare quod verum est; non tamen omnis, qui vult quod verum est celare, mentitur.* Et quæst. 26. super Genes. eiusmodi celatoris exemplum ponit Abraham, qui Genes. 12. profecturus in Ægyptum dixit *Sarai vxori suæ*: *Novi quod pulchra sis mulier, & quod cum viderint te Ægyptij, dicturi sunt, Vxor ipsius est: & interficient me, & te reservabunt. Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis: vt bene sit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui.* Illud autem etiam verum erat, licet alij non apprehenderent, vt patet ex verbis eius coram Abimelech Rege in Geraris prolatis, cap. 20. *Aliàs autem & verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem.* Consuetum etiam erat Iudæis, vt consanguineos suos appellarent fratres, & sorores, vti patet Genes. 13. & ex Evangelio de fratribus & sororibus Domini. Quare sicut Abraham Lothum nepotẽ suum ex Aran fratrem suum vocavit Genes. 13. *fratres enim sumus*, eodem iure, absque mendacio dissimulando vxorem esse Saram sororem appellari iussit: Idque cogente necessitate: *Vt bene sit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui*; interim permittens, vt Ægyptij occasionem caperent mulierem rapiendi, quippe cuius pudicitiæ ille confidebat, quod in adulterium consensura non esset; multoque magis Dei providentiæ, qui eam ex periculo liberare posset, sicut & eventus ostendit. Quam doctrinam leges apud S. Augustinum, lib. 16. de civitat. cap. 19. *Vxorem* Abraham *tacuit, non negavit, coniugis tuendam pudicitiam committens Deo, & humanas insidias cavens, vt homo: quoniam si periculum, quantum caveri poterat, non caveret, magis tentaret Deum, quam speraret in Deo.*

D. Thomas. August. Genes. 12. Genes. 20. Genes. 13. August.

13. Quantum ad exemplum Michææ, dico eum non fuisse mentitum, sed ironicè locutum. Verba enim Prophetarum diversos, imo contrarios subinde habent sensus, quia contrarias causas, effectus aut fines respiciunt. Sic Michæas consultus ab Achab more humano locutus est, ac si diceret: Quia vis ascendere, ascende, optoque vt prosper hic sit ascensus, & vrbs tibi tradatur: veruntamen per prophetiam scio

ſcio contrarium. Ratio erat, quod falſi Prophetæ prophetaſſent illi proſperitatem, quodque ſimiliter ex ſpiritu Prophetico vellet Michæã loqui, quod ille ſciens indignè ipſum laturum, ſpiritu humano proſpera illi optavit, celans quod ſciebat ſpiritu Prophetico. Vnde adiuratus à Rege Achab (qui id facilè videbatur experiri) vt loqueretur quod verum erat in nomine Domini ait: *Vidi cunctum Iſraël diſperſum in montibus quaſi oves non habentes paſtorem: & ait Dominus: Non habent iſti paſtorem, revertatur quiſque in domum ſuam in pace.* Quibus verbis indicabat moriturum Achab, idque vt apparet in primo congreſſu, & certaminis exordio; cum omnis Iſraël dicatur, quaſi grex fuſus & deſertus ſine paſtore erraturus in montibus.

4. Reg. 8. 14. Hoc modo locutus eſt etiam Heliſæus 4. Reg. 8. cum ab Hazaële conſultus eſſet, an Benedad Rex Syriæ à morbo, quo laborabat revaleſceret, nec ne? reſpondit: *Vade, dic ei, Sanaberis: porrò oſtendit mihi Dominus, quia morte morietur.* Vbi Propheta non iubet Hazaëli, vt Regi ſuo mentiatur; ſed quod ex natura morbi non moreretur, quia ille lethalis non erat. Itaque reſpondit illi, quod verum erat ex natura rei; ſed non quod ſciebat illi violentè adventurum ſpiritu Prophetico per ipſum Hazaëlem regnum affectantem, qui Regem laborantem volens refrigerare, ex mandato ipſius Regis, vt videtur, *tulit ſtragulum, & infudit aquam, & expandit ſuper faciem eius.* ſed videns ea ratione ſibi dari occaſionem Regem ſtrangulandi & ſuffocandi, obſtructis faucibus, eodem linteo ſpiritum illi præcluſit. Et ſic potuit verum dicere ex parte rei, & ex ſpiritu prophetico cognita celare. quod non eſt illicitum ex iuſtâ causâ ſubexiſtente.

15. Vnde hiſce modis vafri homines ſe excuſare non queunt. Longè enim diverſa ſunt ſimulare, & celare veritatem; & reſtrictione vti, aut ſermonis ambiguitate: quia vt quis mendacium evadat, debet ſecretum celare volens vti verbis ſignificantibus, quæ in aliquo ſenſu apud vulgus, aut apud ſapientes vera ſunt, alioquin mentitur. Vnde ſi aliquis à te mutuò petat pecunias, tu autem neges te habere, intelligendo mente vt tibi mutuem, mendacium committis, non æquivocationem: quia verba per omnes circumſtantias determinantur ſolummodò ad ſignificandum te non habere, quod gratis mutues. Simile mendacium eſt, ſi latroni pecunias iuratus promittas te daturum, intra mentem retinendo, quatenus tibi ex iuſtitia debeo.

16. Multò minus excuſat eiuſmodi reſtrictio mẽtalis filium ſi patrem vel matrem, aut tutorem ambiguis verbis illudat, etiamſi aliquale incommodum incurreret. Ratio eſt, quod debitum candidi ſermonis erga parentem arctiùs obliget, quam vitatio talis incommodi; cùm illi peculiariter ſinceritatem debeat. Hinc Eccleſ. 7. dicitur: *Noli arare mendacium adverſus fratrem tuum, neque in amicum ſimiliter facias.* q. d. Dehortatus ſum te à ſumma illa inhumanitate irridendi calamitoſum, cùm nemo irrideri debeat: Iam vero ab alterius ſpeciei ſumma inhumanitate etiam te dehortor, quandoquidem erga nullum prorſus fraude & mendacio vti liceat; maximè tamen caveas, ne mendacium aliquod fabrices contra eos, qui vel conſanguinitate vel amicitiâ iuncti ſunt. Pro clariori autem eius loci intelligentia, Nota phraſi Hebraicâ *arare mendacium* eſſe machinari vel moliri aliquid falſum. Sicut Oſeæ 10. dicitur: *Araſtis impietatem.* Et Pſal. 129. vbi vulgata habent: *Supra dorſum fabricaverunt peccatores* hebræa habent, *araverunt aratores.* Hinc Rabanus in commentatio huius loci dicit: *Si nullum mendacium laudabile eſt, & cuiquam inferre ſcandalum, pernicioſum: quantò magis contra amicum aliquid moliri per fraudem vituperabile eſt.* Et inter alia ex Scriptura adducit, quod huic loco ſimile eſt; illud ſcilicet Prov. 3. *Ne moliaris amico tuo malum, cum ille habeat*

Eccleſ. 7. Oſee 10. Pſal. 129. Rabanus Prov. 3.

habeat in te fiduciam. Tantò magis, quod illa duplicitas sit hominum non bonorum, ac prudentum, sed callidorum, perversorum, qui suà tantùm cōmoda sectantur, non quæ Dei sunt, aut Reipublicæ, ac sæpenumerò causa existunt odij, dissensionis, perturbationis, & gravium malorum in communitate: qui meritò ab omnibus cavendi sint, quia vt ait Sapiens Ecclesiastici 37. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est*, id est, qui captiosis & fallacibus vtitur rationibus, vt alijs imponat falsitatem, suasque conceptas opiniones persuadeat, odibilis est, Deo scilicet & hominibus, qui simplici maximè & nuda veritate delectantur, magis quàm verborum fuco. Vnde rogabat Deum David, Psal. 118. *Non auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque* Et Salomon Proverb. 30. *Verbum mendacij longè fac à me.* Imò Iob qui erat vir simplex & rectus, & timens Deum, à meditato mendacio, aut verbis fucatis multò magis abhorrebat: vnde dicit cap. 27. *Donec superest in me halitus, & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* id est, nunquam dolosum sermonem confingam contra conscientiam, & contra veritatem mihi verè perspectam, neque apertè, neque subdolè. Nam secundum Caietanum duo linguæ peccata à se removet; alterum iniquè loqui, quod apertè malum est; alterum dolosè loqui, quod speciem boni præ se fert: sed peius est in genere mendacij, quam inadvertenter, aut materialiter mentiri. Vnde D. Gregorius lib. 18. Moral. hæc verba enucleans gravi admodum & peracri oratione mendacium omne confutat, omnes eius excusationes, & defensiones discutiens, his verbis: *Quod dixit Iob prius iniquitatem, id postmodum repetens, mendacium dicit: Nam & omne mendacium iniquitas est: & omnis iniquitas mendacium: quia profectò ab æquitate discrepat, quidquid à veritate discordat. Sed inter hoc quod ait loqui, & postmodum subdit meditari, magna distantia est. Nonnunquam enim peius est meditari mendacium, quàm loqui: Loqui enim plerumque præcipitationis est; meditari verò studiosæ pravitatis: magna siquidem culpæ distantia est, si præcipitatione aliquis, vel studio mentiatur. Sed vir sanctus, vt perfectè adhæreat veritati, nec studio perhibet se, nec præcipitatione mentiri. Sūmoperè enim cavendū est omne mendaciū: quamvis nōnunquā sit mendacij genus, levioris culpæ, vt si quis vitam alijs præstando mentiatur.*

Ecclesi. 37 · Psal. 118. · Iob 27. · Gregorius · August.

Hinc etiam Augustinus lib. de Mendacio, cap. 13. commemorat & laudat factum Tagastensis Ecclesiæ Episcopi, qui considerans se penitius examinatum de quodam apud se occultato, non posse evadere sine mendacio, maluit graviora pati, quam hac ratione Iudici illudere, his verbis: *Firmus nomine, firmior voluntate, Nam cum ab eo quæreretur homo iussu Imperatoris per apparitores ab eo missos, quem ad se confugientem diligentia, quanta poterat occultabat, respondit quærentibus, nec mentiri se posse nec hominem prodere; passusque multa tormenta corporis permansit in sententia.*

17. Dices, nihilominus multi Sanctorum in veteri Testamento leguntur verbis vsi, quæ in speciem videntur mendacia. Exempli gratia, quando Iacob dixit patri suo Isaac, se esse filium ipsius Esau: quando Iudith laudatissima femina compositis mendacijs civitatem obsidione & excidio liberavit.

Respondeo Iacob fiducia matris sensu mystico, seu allegorico fuisse locutum secundum spiritum propheticum: vnde dicens: *Ego sum primogenitus Esau*, idem erat ac si diceret, Ego sum alter Esau, qui videlicet alteri successurus sum in primogenitura, & cui secundum Dei voluntatem benedictio debetur. Licet enim Esau non esset secundum personam, erat tamen primogenitus ob prærogativam iuris, & dignitatis primogenituræ sibi divinitus traditæ. Solet enim Scriptura hominem vnum alterius hominis nomine appellare ob similitudinem alicuius proprietatis, dignitatis, aut muneris: quo pacto Ioannes Baptista, Elias

dicitur

Matth. 11. dicitur à Christo Domino, Matth. 11. non quod Elias esset, sed quod venisset in spiritu & virtute Eliæ, Luc. 1. 17. vt constat ex Luc. 1. v. 17. Insuper Iacob prophetice prædicebat minorē populum, id est, Gentilium, substituendum in locum promogeniti, seu populi Iudaici. Nec refert, quod Isaac non statim intellexerit, quo sensu ea dicerentur: cum & parabolæ à Christo prolatæ alio sensu, eoque vero à Christo dictæ fuerint; alio, eoque falso à Iudæis intellectæ.

Et sic excluduntur à mendacio locutiones tropicæ, & figuratæ, ipsæque adeo ironiæ, hyperboles, & fabulæ: quia verum sensum continent, quem loquens etiam exprimere intendit; quamvis interdum animadvertat eum ab audiente non statim apprehendi, sed alium falsum sensū opinionemque concipi, quod tamen ipse non intendit, sed permittit. Augustin. Qua de re S. Augustinus in lib. contra mendacium cap. 10. de his figuratis veritatibus ait: *Non invidentur discentibus, quod his modis obscurantur; sed commendantur magis, vt quasi subtracta desiderentur ardentius, & inveniantur desiderata iucundius. Tamen vera, non falsa dicuntur; quoniam vera, non falsa significantur, seu verbo, seu facto. Quæ significantur enim, vtique ea dicuntur, putantur autem mendacia, quoniam non ea, quæ verè significantur, dicta intelliguntur, sed ea, quæ falsa sunt dicta esse creduntur.*

Quantum ad Iudith, Raab, obstetrices, aliasque personas attinet illæ non excusantur à mendacio, sed laudantur ob misericordiam, quam servandis alijs adhibuerunt, vt inquit Augustinus lib. contra mendacium cap. 15. de obstetricibus. Et D. D. Thomas Thomas de Iudith 2. 2. q. 110. ar. 2. ad 3. vbi sic ait: *Iudith laudatur, non quia mentita est Holoferni; sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi.*

18. Cœterum credendum est, aliquos etiam sanctos aliquando propriè mentitos esse; quandoquidem non omnia ex instinctu Dei locuti sint, sed quædam propria simplicitate addiderint, permittente Deo ipsorum imperfectiones, vt plurima considerare licet in Iudith cap. 10. & 11. videlicet. Primò, quod dicat se fugisse, eò quod sciret Bethuliam deprædandam. Secundo, quod dicat se venisse, vt indicet secreta Bethuliæ Holoferni, & quomodo possit occupare eam sine vllius viri amissione. Tertio, quod dicat Holoferni quòd Deus rem perfectam cum eo sit facturus, si ipsā audierit, cōsilijque ipsius verba fuerit secutus. Quartò quod iuret per Holofernem, Nabuchodonosori parere homines & bestias agri. Quintò, quod dicat Holofernem solum esse bonum in ditionibus Monarchiæ Assyriorum. Sextò, quod asserat Israëlitas certò tradendos, eò quod sancta Dei violare statuerint. Septimò, se nuntiaturam tempus, quo invadenda sit Bethulia. Octavò, se ducturam Holophernem per mediam Hierusalem, & ipsum obtenturum totum populum Israël, sicut oves pastore destitutas. Nono, Iudith 12. cap. 12. quod dicat, cum solicitaretur ad illicita ab Holoferne per eunuchum, se facturam quod ei visum fuerit. Ex his tamen non sequitur illos tunc peccasse formaliter: quia invincibili laborantes ignorantiâ, existimabant tali casu fas esse mentiendo decipere: nam veritas ista, quod mendacium nullo casu licitum sit, nondum eo tempore cognita erat: cùm neque Augustini tempore communiter recepta fuerit. Aut si formaliter peccaverint, vt omninò credibile est de obstetricibus & Raab, fuerunt tantùm mendacia officiosa.

(Margin: Iudith. 10 & 11.)

19. Sed dices, Si ita est, cur ergo remunerata fuerunt mendacia obstetricum & Raab?

Respondeo non remuneratas propter mendacium, sed ob Dei timorem, reverentiam ac benevolentiam erga Iudæos, qua seipsas in manifestum vitæ discrimen, ad faciendum illud opus charitatis, & pro timore Dei se coniecerunt, teste Augustino lib. contra mendacium cap. 10. vbi sic ait: *Quod scriptum est bene Deum* August.

Deum fecisse Hebræis obstetricibus, & Raab Hierecuntinæ meretrici; non ideo factum est, quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia: benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim non esset mirum, si priori tempore commissa ab ipsis opera mala, propter posteriora opera bona vellet Deus ignoscere: ita mirandum non est, quod vno tempore in vna causa Deus vtrumque conspiciens, id est, factum misericorditer, & factum fallaciter, & bonum remuneraverit, & propter hoc bonum & illis malum ignovit. Si enim peccata, quæ propter carnis concupiscentiam, non propter misericordiam fiunt, ea propter posteriora opera misericordiæ remittuntur, cur non meritò peccata misericordiæ dimittantur, quæ propter ipsam misericordiam committuntur? gravius est enim peccatum, quod animo nocentis, quam quod animo subvenientis efficitur. Sic S. Augustinus.

20. Quæres denique, An ille, qui ambiguo sermone sine iusta causa proximum circumvenit, indeque perspicit damnum ipsi proventurum propter simplicitatem auditoris & ignorantiam, contra iustitiam peccet, & ad compensationem obligetur ante Iudicis sententiam?

Respondeo, Si oratio talis sit, vt ad vnum sensum determinetur, statim obligari ad compensationem damni. Exempli gratia: Si quis viator quærit ex aliquo illi circa sylvam, quam debet pertransire, obviante, vtrum in sylva, *latro sit?* respondeat, *Non est latro in sylva*, intelligens quod non comedat in sylva, cùm apud Latinos *est* in tertia persona modi indicativi verbi, *Sum*, & *Edo*, similiter sonet. Ratio est, quod hoc non sit secundum communem modum loquendi interrogationi respondere: adeoque iniustum ac perniciosum mendacium dicere.

Discursus IV.

De Promissionibus.

Quid sint, & quatenus obligent ad sui observantiam?



Ps. 38. PRopheta David dixit Ps. 38. *Custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* q. d. Statui firmiter apud me ita actionum mearum habere rationem, vt non solum ab opere pravo abstineam; sed etiam ne lingua peccem, falsum quid dicendo de alijs, aut quid promittendo iniquum, vel etiam promissis contraveniendo. Et quia hoc sæpè contingit in promissionibus, hinc tractabo quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam prænotandum est Promissionem dici, Deliberatam & spontaneam fidei obligationem alteri factam; eamque fieri inter homines de re mala, aut impossibili, aut bona. Rursum promissionem esse duplicem, vnam impropriè dictam, cùm intentio dicentis, se facturum aliquid in alicuius hominis gratiam, solum est ad obligandum se ex virtute veracitatis, secundum quam in dictis constantes, veraces, ac fideles esse debemus: alteram propriè dictam, cùm intentio promittentis est ex iustitia se obligare: ita vt alteri promissionem acceptanti ius & actio tanquam verè debitum promissum exigendi saltem in conscientiæ foro acquiratur.

2. His positis dico Primò. Vt promissio

missio valida sit, & obliget, necessarium esse vt sit de re bona & possibili. Si enim sit de re, quæ peccatum est, non potest inducere obligationem, iuxta c. vlt. de pactis, vbi dicit Gregorius nonus. *Pactiones factæ à vobis (vt audivimus) pro quibusdam spiritualibus obtinendis; cum in huiusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti. Quod etiam de alijs est dicendum, quæ observatæ vergunt in animæ detrimentum. Nam etiam iuxta legitimas sanctiones pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de iure vel de facto nullam obligationem inducit.* Quod intellige ante opus præstitũ: quia nemo potest obligari ad peccatum, seu fornicandum, vel homicidium committendũ. Opere autem malo præstito obligat promissio ad implendũ promissum, vt si quis promisit decem pro fornicatione, postquam facta est tenetur solvere. Ratio est, quia promissio nõ fuit gratuita, sed onerosa, videlicet loco operæ, & est cõtractus innominatus: do vt facias; quare si opus pro quo promissum est pretium, æstimatur tanti valere, quanti res promissa opere completo, nascitur obligatio iustitię in promissore. Si autẽ sit de re impossibili, illa nullatenus obligat; cum ad impossibile nemo teneatur.

3. Dico secundo, promissionẽ iustam & honestam, seu de re bona, vt obligationem pariat, necessario requirere acceptationẽ, vt patet ex l. 1 ff. de pollicitationibus. Ratio est, quia alias nõ transiret in pactũ, nam obligatio oritur ex consensu mutuo, l. 1. ff de pactis: adeoque si contingat donatarium mori antequam acceptet, nõ trãsibit donatio ad hæredes ex rigore iuris: ex æquitate tamen præsumi poterit eam fuisse mentem donatoris, quando hęredes sunt filij donatarij.

Ex quo sequitur debere externo signo prodi, & promissario indicari, nam alioquin nec cognosci, nec acceptari potest. Et sic differt à voto: S. Thom. Vnde S. Thom. 2. 2. q. 88. ar. 1. in corpore, sic ait: *Promissio, quæ ab homine fit homini, non potest fieri nisi per verba, vel quęcũque exteriora signa: Deo enim fieri potest promissio per solam interiorem cogitationem, quia vt dicitur, 1. Reg. 16. Homines vident ea, quæ patent, sed Deus intuetur cor.* 1. Reg. 16. Ratio est, quia naturale est, vt homo homini proprios conceptus verbis, & signis externis significet. Acceptatio autem fieri debet de eodem, eodemque modo sicuti promissio offertur, vti constat ex l. 1. § *Si quis simpliciter*, & l. vlt. ff. de verb. obligat. & §. *Præterea*, §. *Si alia*, Inst. de inutil. stipul. quibus locis habetur, quod diversitas interrogationis ac responsionis stipulationem vitiat. Si tamen plura promissione offerantur in sensu diviso; & vnum eorum acceptetur, valet in eo stipulatio: v. g. *Stichum & Pamphilum dare spondes? Dabo tibi Stichum* l. *Inter stipulantem*, §. si stipulante, ff. eod. Quod vero Stichum mihi dari cupiam; tu verò Stichum & Pamphilum promittas, valet promissio Stichi: quia vtilis stipulatio per inutilem non vitiatur, cit. l. 1. §. *Sed si mihi*. Sed & Pamphili promissio valebit, si incontinẽti mihi placuerit. Similiterque in pecunijs; si stipulanti mihi decem, tu viginti respondeas, non est contracta obligatio, nisi in decem.

4. Quæres, An acceptatio semper sit necessaria? Respondeo negative. Licet enim ordinariè illa requiratur; tamen quædam promissiones sunt privilegiatæ, ita vt obligent etiam non acceptatæ. Talis est promissio facta Civitati, vel Reip. ob causam aliquã, puta propter incendium, terrę motum, vel aliquam ruinam, quæ Reipub. contigit; vel ex gratitudine ob honorem sibi decretum, aut decernendum: quæ statim obligat antequam acceptetur, seu in pactum transeat: ita vt ad talem pollicitationem ille cogi possit, saltem in externo foro per Iudicis sententiam, iuxta l. 1. 3. 4. ff. de pollicitat. Ratio reddi debet. Quia Princeps generali lege propter bonum publicum latâ talem pollicenti obligationem imponere potuit ac voluit. Necesse tamen est, vt pollicens ex sua parte promissionem externam

ternam fecerit, & non solum dandi propositum manifestarit, sicuti colligitur ex cit. l. 3. vbi dicitur, quod *solius offerentis promissum tanquam debitum exigi possit*. Similis est illa, quæ fit Vniversitati, & probabiliter etiam illa, quæ fit Ecclesiæ, vel hospitali. hæc enim æquiparantur ex privilegio promissionibus Civitati factis, l. *Illud* C. de sacrosf. Eccles.

5. Vnde certum est extra casus privilegiatos, secundum dispositionem Iuris civilis, donatarium non posse tuta conscientia, quod ex promissione ad ipsum destinatum est, retinere, si hæredes repetant, quando contingit donatorem antea è vivis excedere, sed spectare ad hæredes, ex l. 2. ff. de donationibus quæ sic habet: *Si quis donaturus mihi pecuniam, dederit alicui, vt ad me deferret, & ante mortuus erit, quam ad me perferat, non fieri pecuniam dominij mei, constat*. *Quod verum est*, ait Glossa ver. *dominij*. *quamvis mihi dictā pecuniam postea tradat* Cōfirmatur ratiōne: quia donatarius non habet ius acceptandi neque ex vi pacti, seu donationis; neque ex vi mandati. Nam pactum requirit duorum consensum in idem, & per mortē extinguitur consensus donantis, arg. c. *Si gratiosi*, de rescr. in 6. Ergo &c. Rursum non ex vi mādati, quia mandatū extinguitur morte mandantis, si executioni nondū dari cœpit, iuxta l. *Mandatum*, C. mandati, & § præterea Instit. cod. Et hæredes promissoris liberi sunt ab obligatione: quia non succedunt nisi in iuribus & obligationibus iam contractis.

Si verò rē donatario seu promissario per mutuū transmissam, & ab eo acceptatam, eo casu post mortē donatoris hæredes non repetant, poterit eam servare. Ratio est, quod tā mutuans tradendo, quā donatarius eā accipiendo sequantur voluntatem defuncti, quę tanquam merę liberalitatis latè ac benignè explicari debet; vt quandocumq; res ad eum, cui destinatur, pervenerit eam accipere, & sibi retinere possit: quādoquidem nihil tam naturale sit, quam cuiusque rem suā in alterum transferri volentis ratam habere, §. *traditionem* Instit. de rerū divisione. Nec refert, quod iura civilia aliter statuerint, quia non videntur naturalem exequendi facultatē irritam facere; sed solū civiliter cassare, & hæredibus ius rescissionis concedere. Quia manet obligatio naturalis, quæ per se sufficiens est, ad dominium transferendum, Glos. in l. *Cum quis*. C. de iuris & facti ignorantia, & Legistæ Inst. de actionibus, : de constituta, cum aiunt legatum ex testamento imperfecto, cum naturaliter debitum sit, per constituti simplicem promissionem firmari, vt actionem pariat etiam in civili foro.

6. Quæres iterum, Quænam promissio acceptata obliget promissorē in conscientia ad executionem? Respondeo distinguendum esse: Vel enim ille qui promisit, vsus est verbis promissorijs tantùm ad significandū firmum propositū, vt firmius ei credatur, non autē animo promittendi, vt ferè sunt promissiones, quæ facilè & leniter, vel vrbanitatis causa fiunt, vel conditionatæ sunt, *nisi melius occurrerit*. Vel promisit quis aliquid cum intentione ex iustitia sese obligandi: ita vt alteri promissionē acceptanti ius & actio in consciētiæ foro acquiratur, quæ vel ex verbis colligi debet, vel ex adiunctis circumstātijs, cum videlicet chirographus adhibetur, vel testes, manus stipulatio intercedit, aut quid simile.

7. Qua distinctione positā, Dico priorem promissionē ex genere suo, atque per se loquendo obligare dūtaxat sub veniali. Ratio est, quod huiusmodi constantiæ atque veracitatis obligatio ex hoc præcepto censeatur levis. Per accidens tamen ratione eventuri promissario damni potest esse gravis: vt cum quis frumentū emisset ex eo, quod promittens secundum externam faciem prudētis iudicio seriò dixisset, se ei pecunias ad hoc mutuaturum, & inde contingeret promissarium damno affici, quod ad diem determinatum solvere nequeat, tunc enim causa est damni.

8. Dico secundò, Posteriorem promissionem ex genere suo obligare sub peccato mortali modò res sit notabilis, quæ secundum Doctores maior esse debet, quàm ea, quæ facit in furto peccatum mortale, quòd malitia furti consistat in inferendo damno, quod homines magis iniquo animo ferunt: violatio autem gratuitæ promissionis consistit in lucro alteri non afferendo, quod minus homines æstimare solent.

Ratio huius assertionis est, quod observantia promissionis non solum pertineat ad veritatem moralem, qua pręcipimur semper dicere verum, sed etiam ad iustitiam commutativam, qua tenemur reddere debitum ei, cui fuit promissum: quia teste Cicerone lib. 1. de Officijs, *fundamentum iustitiæ est fides, id est dictorum conventorumque constantia & veritas.* Et hinc, sicut displicet Deo promissa non adimplere, iuxta illud Ecclesiastes 5. *Multo melius est non vovere, quam post votum promissa non adimplere* ita peccatum est corā Deo, homini in promissis fidem non servare & hominis leviusculi commissum. Eapropter Sapiens comparat infidelē in promissis nubi & vento, quos pluvia non sequitur: *Nubes*, inquit, *& ventus, & pluvia non sequentes vir gloriosus & promissa non complens* q. d. Vir qui glorificatur se quædam facturum, & promissa non complet, similis est nubi & vento, qui pluviā promittunt; sed spe data homines fallunt, cum ea non sequitur. Deinde constat abominable esse coram Deo pactis non stare, exemplo Simeonis & Levi, qui contra pacta & conventa Genes. 34. Sichimitas recēter circumcisos occiderunt. [Quibus Iacob maledictionem prædicit Genes. 49. in verbis: *Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum quia dura, dividam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel.* q. d. Maledictio illis imminet, quia scilicet perfidi condonatâ iniuria, & accusatâ iustâ satisfactione, cōtra fidē datā fœderis & connubij crudeliter cū Sichimitis egerunt, & me meamque familiā odio, neci & prædæ Chananæorum exposuerunt. Et præterea insontes necaverunt. Eaque maledictio erit, vt per omnes tribus dispergantur, fiant intolerabiles. Vide dicta Discursu 22. in 1. Præcept. n. 10.

Cicero.

Eccles. 5.

Genes. 34.

9. Quando verò promissio iuramento firmatur, tantò arctius obligat. Et hinc Sedechias Rex, qui medio iuramento promiserat tributum Regi Nabuchodonosori, illud infringens, violati iuramenti ac fidei durissimè pœnas luit: ita vt non modo regni & oculorum amissione; sed etiam miseranda suorum clade & vastatione punitus sit, vt videre est, 4. Reg. 25. Et hinc Iosue & principes populi Iosue 9. licet dolosè circumventi, pacti essent cum Gabaonitis, adeoque pactum esset irritum, ob reverentiam tamen iuramenti promissis noluerunt contravenire, vt patet ex hisce verbis: *fecitque Iosue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus est vt non occiderētur: principes quoque multitudinis iuraverunt eis. Post dies autem tres initi fœderis, audierunt quod in vicino habitarēt, & inter eos futuri essent. Moveruntque castra filij Israel, & venerūnt in civitates eorum die tertio, quarum hæc vocabula sunt, Gabaon, & Caphira, & Beroth, & Cariathiarim. Et nō percusserunt eos, eo quod iurassent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Israël.* Dixerant enim se venire de terra valdè longinqua, cum in vicinia habitarēt, & panes vetustos, vtres vini ruptos & solutos porrexerunt ac simul tritas vestes ac calceamēta, quibus pretexebant longitudinem itineris. Et quia Saul motus zelo occidit Gabaonitas quasi male egissēt Iosue & Principes populi illis vitam servando, Israelitę tempore Davidis, id est, post centū & amplius annos trium annorum famem subierunt, neque propitiari voluit Dominus, nisi sanguine & morte virorum septem de progenie Saul, qui contra fidem quondam obligatam à Iosue, iniquè attriverat & oppresserat Gabaonitas.

4. Reg. 25.

Iosue 9.

Vnde etiam fit, vt pacta & contractus iure civili dumtaxat irriti, aut minus efficaces accessione iuramenti

menti firmi habeantur: ita vt actionem pariant, & iurantes ad implendum iure compelli possint, ac debeant, vt expresse colligitur ex cap. *Quamvis de pactis*, in 6. quod sic habet: *Quamvis pactum patri factum à filia, dum nuptui tradebatur, vt dote contenta nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet lex civilis: si tamen iuramento, nec vi, nec dolo præstito firmatum fuerit ab eadem omnino servari debebit; cùm non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum.* Et proinde praxis Tribunalium Principum ad imitationem iuris Canonici iurantes ad executionem sic promissorum compellit; licet ius civile inde nihil statuerit.

10. Quæres tertiò, An quibusvis eventis promissio obliget? Respondeo negative. Varij enim casus à Doctoribus assignantur, in quibus simplex promissio desinit obligare. Primus est, quando magna facta est mutatio in statu personæ promittentis, & negotijs contingentibus à tempore promissionis, vt expresse docet D. Thomas 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5 vbi loquens de duobus modis, quibus aliquis excusatur ab impletione promissi, vno recensito, de altero sic ait: *Alio modo si sunt mutatæ conditiones personarum & negotiorum. Vt enim Seneca dicit in libro de Beneficijs; Ad hoc quod homo teneatur facere quod promisit, requiritur quod omnia immutata permaneant: alioquin nec fuit mendax in promittendo: quia promisit quod habeat in mente, subintellectis debitis conditionibus. Nec etiam est infidelis non implendo quod promisit, quia eadem conditiones non extant. Vnde & Apostolus non est mentitus qui non ivit Corinthum, quo se iturum esse promiserat, vt dicitur 2. ad Cor. 1. Et hoc propter impedimenta quæ supervenerunt.* Ratio est, quia promissio non habet vim, nisi ex voluntate & intentione promittentis, quam expresse vel implicitè habet dum promittit: nullus autem præsumitur in casu tantæ mutationis se voluisse obligare. Ergo in illis casibus, quos expresse vel tacitè ex interpretatione prudentum quis censebitur excepisse, erit excusatus. Vnde qui promisit alicui dotare infra annum ipsius filiã, & interim tanto afficitur infortunio rerum suarũ, vt extra statum & ordinem illum devenerit, in quo promiserat, liber est à promissione.

D. Thomas

Seneca lib 4 cap 34. & 35.

2. Cor 1.

Secundus casus est, quando res promissa fit illicita, vel inutilis, vt cũ quis promisit alicui ensem, qui ante tempus adimplendi factus est furiosus, aut quãdo quis promisit se hunc aut illum, promissarij gratia aditurũ tali die, & interea contingit aut vxoris, aut proprij filij infirmitas, exigẽs paternam curam, & præsentiam.

Tertius est, quando gravis inimicitia intercedit, cum tempore promissionis essent amici. Si enim is, cui promissio facta sit, signa ingratitudinis exhibuerit, cessat obligatio: censetur enim promittens hanc conditionẽ tacitè subintellexisse. Sic Dominus Deus multa conditionatè promisit, & speciatim Iudæis terram Chanaan, Genes. 13. dum dixit Abrahæ: *Omnem terram quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum,* id est: Hac conditione promitto Iudæis terrã Chanaan, vt ipsi vicissim mihi obediant, meamque legem & cultum servent; sin minus rescindã pacta mea, & promissa, & Iudæos affligam & evertam. Quod expressius declaravit Dominus Levit. 26. vbi sic ait: *Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea servaveritis, & feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet messiũ tritura vindemiam & vindemia occupabit sementem: & comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pavore habitabitis in terra vestra. Dabo pacem in finibus vestris: dormietis, & non erit qui exterreat.* Et rursum plures maledictiones ipsis minatur, si leges eius non servent, sic subiungens: *Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, sed spreveritis leges meas, & iudicia mea contempseritis, vt non faciatis ea quæ à me constituta sunt, & ad irritum perducatis pactum meum, ego quoque hæc faciam vobis: Visitabo vos velociter in egestate & ardore, qui conficiat oculos vestros,*

Genes. 13.

Levit. 26.

& consumat animas vestras. Frustra feretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur. Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subijciemini eis, qui oderunt vos, fugietis nemine persequente. Et deinde subnectit graviores plagas pro ijs, qui iam dictis non terrentur. Vnde Hieronymus epist. 129. ad Dardanum, ad Iudæos de terra Chanaan verba dirigens, inquit: *Fateor hæc tibi repromissa, non tradita, si observasses mandata Dei, & in præceptis illius ambulasses, si non pro omnipotente Deo, coluisses Beelphegor, & Baal, & Beelzebub, & Chamos, quos quia prætulisti Deo, omnia, quæ tibi promissa fuerunt, perdidisti.*

Hieronym.

Quartus est, quando altera pars remittit promissionem, vel pro sua parte non implet id, cuius causa promissio facta est, l. *Cum proponas* 2. C. de pactis, & cap. *pervenit*, de iureiurando.

Matth. 2.

11. Dices: Magi Matth. 2. promiserant diligenter inquirere de puero Iesu, vt colligitur ex verbis: *Qui cum audijssent Regem, abierunt: & ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos.* At neque reversi leguntur neque reprehensi.

Respondeo eosdem exemptos fuisse ab impletione promissi per divinam revelationem. nam vt apparet consuluerunt Deum, quid hac in re esset faciendum, aut desiderarunt aliquod signum divinæ voluntatis. hoc enim innuunt illa verba: *Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* loc. citat. In quæ sic Iansenius cap. 9. Concord. *Non peccaverunt Magi rescindentes promissionem Herodi factam (promiserant enim, vt verisimile est, se reversuros) tùm quod Deo iubente id fecerunt, à quo tanquam superiori Domino fuerunt à promissionis vinculo absoluti, tùm quod etiam sine Dei speciali iussione promissio servanda non sit, quam intelligimus in fraudem aut perniciem alicuius exortam.* Iansenius

Discursus V.

De temerario iudicio, suspicione, & dubitatione.

1 Cor. 4.



Apostolus Paulus 1. Cor. 4. dicit Corinthianis: *Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui illum inabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Quibus verbis iudicium temerarium de proximo inhibet, & soli Deo vult reservari: hinc tractabo quid sit, & quale peccatum. Præsertim, quia omnium ferè peccatorum, quæ verbis committuntur, & sub hoc Præcepto comprehenduntur, radix, & origo est suspicio & iudicium temerarium.

1. Ad huius quæsiti intelligentiam prænotandum est *Iudicium temerarium illud esse, quo dictum vel factum alicuius, quod bonum sit, aut saltem indifferens, seu non apertè malum, in malum vertimus nulla sufficienti coniecturâ ad id nos impellente.* Suspicionem autem esse, *Assensum debilem, iunctum cum dubitatione, vel formidine oppositi.* Rursus suspicionis quosdam veluti gradus distingui. Nam alia dicitur suspicio levis, quæ valde debilem assensum, multum verò dubitationis continet. Alia verò suspicio gravis sive vehemens, quæ plus assensus, parum vero dubitationis habet: sæpe appellatur simpliciter *opinio* aut *præsumptio habitualis.* Alia denique dicitur violenta, & certa suspicio, in c. *litteris*, de præsumptionibus: quamvis magis propriè diceretur præsumptio

ptio violenta; cùm excludat quasi omnem dubitationem, moralemque formidinem de opposito; ideoque pertingat ad integram persuasionem seu credulitatem, ex coniecturis seu indicijs haustam. Dubitatio est suspensio animi, non autem assensus eius.

2. Secundò advertendum est, suspiciones, iudicia temeraria ex tribus potissimum causis provenire. Primò ex pravitate ipsius iudicantis. Qualis enim vnusquisque est, tale iudicium de alijs facilè ferre solet, iuxta illud Eccles. 10. *In via stultus*, id est peccator, *ambulans, cùm ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat.* Secundò ex odio & livore animi: sicut enim quos diligimus iudicamus studiosos, ita & de his, quibus mala optamus, facilè mala ominamur. Tertiò ex longo vsu & experientia. Vnde Aristoteles lib. 2. Rhetor. cap. 3. ait; Senes esse maximè suspiciosos.

Eccles. 10.

Aristot.

3. His positis dico Primò, Iudicare de aliqua persona honesta temerè seu sine sufficientibus causis grave malum, esse peccatum iustitiæ oppositum ex genere suo mortale, tum iure naturali, tum divino prohibitum, ex illo communi naturæ præcepto, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; & illo Matth. 7. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Nam de temerario iudicio ibi sermonem esse, ex sequentibus apertè colligitur: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* De quibus proinde verbis sic Augustinus serm. 11. de tempore: *Audivimus* Evangelistam dicentem: *Fratres charissimi, nolite iudicare, ne iudicemini. Quid est hoc Fratres, cum ipse Dominus in alio loco Evangelij dixerit: Nolite secundum faciem iudicare, sed iustum iudicium iudicate: & alibi dicatur: iudicium verum iudicate. Non enim sibi divina lectio contraria esse potest, sed intellectum sobrium quærit in conservatione humana, dilectissimi fratres, sunt aliqua quæ rationabiliter reprehenduntur. Sunt vero quædam, quæ non sine peccato iudicantur. Apertè enim mala, & iudicari, & argui debent. Illa verò quæ ignoramus, & vtrũ bono, & malo animo fiant, scire non possumus, iudicare penitus non debemus.* Et per exempla, quæ dixit illustrans, addit: *Verbi gratia: Vides hominem frequentius ieiunantem, congaude, & noli nimis laudare: qui potest & hoc pro humana gloria fieri. Sed noli vituperare, quia potest & pro Deo, & pro animæ remedio ieiunare. Vidisti alium indicto publico ieiunio velle prandere, cum dilectione admone. Si dixerit pro stomachi lassitudine se ieiunare non posse, crede & noli iudicare, quia vtrumque potest fieri, vt per gulam vel luxuriam prandere velit, & præ infirmitate ieiunare non possit.*

Matth. 7.

Augustin.

4. Ratio autem horũ est duplex. Prima quod hac ratione homo sibi vsurpet iudicium Dei, cui occulta cordium & incerta soli patent, quod vsque adeo Deo soli reservandum est, vt D. Paulus de seipso iudicare non fuerit ausus. vnde cum dixisset 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum*, addidit: *Qui autem me iudicat, Dominus est.* Et inde monuit Corinthianos: *Itaque nolite ante tempus iudicare quoadvsque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum.* q. d. Relinquamus Deo arcana hominis, seu tenebrosas, obscuras, & occultas eius cogitationes, intentiones, secretas inclinationes & actiones; tam est enim homini profunda abyssus, de eiusmodi discernere, vt nemo ne seipsum quidem iudicare debeat. Putamus enim sæpè nos bene agere, cum male agimus, nos ex gratia & amore Dei facere, quod amore nostræ gloriæ vel cupiditatis facimus. Sic intellexit hunc locum Basilius Constitut. Monastica, cap. 2. vbi sic ait: *Cum multis in rebus offendimus Deum maiorem tamen offensarum partem ne intelligimus quidem, idcirco Apostolus dicebat: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* quod idem est ac si diceret: *Multa delicta committo, quæ committere me non intelligo. Propter hanc causam Propheta ait: Delicta quis intelligit?* Quod Christus & Apostolus monent, hoc exemplis pluribus Scripturarum manifestissime constat, vbi exteriora quædam sibi similia diver-

1. Cor. 4.

Basilius

ſimode iudicantur à Deo, quę tamẽ abhomine diiudicari non queunt v. g. Riſit quondam Abraham acceptâ de filio promiſſione à Deo, Geneſ. 17. v. 17. Eadem promiſſione auditâ, *riſit* & Sara, Geneſ. 18. verſ. 10. Quis hominum Iudex, ſi tam ſimilibus ſignis duceretur, aut Abrahamum cum Sara non reprehenderet, aut Saram cum Abrahamo non abſolveret? Et nihilominus abſoluto Abrahamo Deus ſolam Saram reprehendit: *Quare*, inquit, *riſit Sara? Numquid Deo eſt quidquam difficile?* Ibid. v. 13. & 14. Rem optimè ponderavit D. Auguſtinus quæſt. 36. in Geneſ. *Quæritur*, inquit, *quare iſtam redarguit Dominus, cùm & Abraham riſerit? niſi quia illius riſus admirationis, & lætitiæ fuit: Saræ autem dubitationis, & ab illo diiudicari potuit, qui corda hominum novit.*

Geneſ. 17. Geneſ. 18.

Huius generis ſunt quā plurima. Nam & Pharao, & Abimelech vxorem Abrahæ eripuerunt. Quid ſimilius? Et nihilominus Deus illum, tanquam adulterum punivit, Geneſ. 12. v. 17. hunc tanquā innocentē abſolvit, Geneſ. 20. v. 6. Quia vbi humanum iudicium facilè erraret, errare non potuit divinum. Deus enim, vt D. Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 7. hanc rem expendit, *Verè interioris eſt arbiter conſcientiæ, ac animi, ac mentis interpres.* Præterea, & Gedeon, & Zacharias ſignum rei ab Angelo prędictæ habere voluerunt. Quid diſcriminis inter vtrumque ſit, quis hominum agnoſcat? Et nihilominus Deus Gedeoni, tanquam fideli morem geſſit, Iud. 6. v. 17. & 36. Zachariæ tanquam incredulo vocem abſtulit, Luc. 1. v. 20. Quia vbi humanus oculus diſcrimen non agnoſcit, divinus facilè deprehendit. Et Moyſes & Ionas ſe à prædicando idololatris apud Deum excuſarunt. Quis non pares internis animis eos dixerit, qui externis factis tam pares videbantur? Et nihilominus Deus Moyſi pepercit, Exod. 3. & ſeqq. Ionam corripuit, Ion. 1. quia ſolus cognovit Moyſen propter humilitatem: Ionamſe propter vanitatem excuſaſſe. Et Saul reprehenſus à Samuele, & David reprehenſus à Nathan, pariter reſponderunt: *Peccavi*, 1. Reg. 15. v. 24. & 2. Reg. 12. Quid aurium iudicio ſimilius? Et nihilominus ſolus Deus agnovit Saulem oretenus, Davidem ex imo corde doluiſſe. Cum igitur ſub externis factis valdè ſimilibus longè diſſimiles animi deliteſcant; iniquus erit rerum æſtimator, qui interni animi ſtatum ab externis indicijs arbitretur.

Geneſ. 12. Geneſ. 20. Ambroſ. Iudich 9. Luc. 1. Exod 3. Ion. 1. 1. Reg. 15. 2. Reg. 12.

Adde, quamvis ſolius Dei ſit iudicare, nec vllo examine indigeat ad temeritatis periculum evitandum: ſemper tamen prævio examine cauſam definire, vt nobis iudicandi normam præſcribat. Vnde infames vrbes iudicaturus: *Deſcendam*, inquit, *& videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint*, Geneſ. 18. v. 21. Et rationem reddit D. Gregorius lib. 19. Moral. cap. 23. *Vt nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præſumamus credere, quàm probare.* Item patet in Adamo, Geneſ. 3. v. 10. & in Cain, Geneſ. 4. v. 9. Vtrumque enim Deus prius interrogavit, quam iudicaret: non quod cauſam exploratam non haberet, ſed vt nos à præcipitandis iudicijs (vt vtrobique D. Chryſoſt. hom. 27. & 29. advertit) refrænaret.

Geneſ. 18. Gregorius Geneſ. 3. Chryſoſt.

5. Altera vero ratio eſt, quod temerarium iudicium de proximo multorum malorum ſit cauſa, vt rectè annotavit Toletus Cardinalis in 6. cap. Lucæ, vbi ſic ait: *Cum hactenus optimis documentis*, ſupple Chriſtus, *removerit duo impedimenta, quæ dilectioni erga fratres & maximè inimicos adverſabantur, nempe impatientiam & avaritiam, nunc tertium removet, & quod non minus nocet, quam illa duo, nempe iudicium temerariū adverſus proximum. Hoc enim ſæpe cauſa eſt, vt inimicos multos nobis faciamus, qui verè non ſunt, dum dubia eorum verba, & facta, quæ in bonam, & in malam partem accipi poſſunt, ſiniſtrè interpretamur, ſæpeque decepti opinamur homines tales eſſe, quales non ſunt: fitque vt benefactores noſtros, qui nobis non nocuerunt, adverſarios reputemus.*

Toletus

Multarum etiam perturbationum, & in ijs, qui iudicant, & ijs qui iudicantur, huiusmodi iudicia sunt causa, vt tradit Chrysostomus hom. 11. in 1 Epist. ad Corinth, Chrysost. *Ob id Dominus hoc dilectionis venenum, quod amicitias interimit, & inimicitias multiplicat, fovet, & auget, de medio tollit, dicens: Nolite iudicare, quasi diceret aliorum facta, actiones, verba, personarũ qualitates, quæ dubia sunt nec vobis constant, nolite temere investigare, & iudicium de obscuris proferre, in malam partem interpretantes.* Hinc enim contingit, vt quis proximum contemnat, vt clarum est exẽplo Michol vxoris David 2. Reg. 6. quæ leve iudicavit, 2. Reg. 6. quod David exutis Regijs vestibus, vt apparet, & accinctus Ephod lineo, religioso amictu Levitis familiari, percutiens in organis armigatis saltaret ante arcam Domini: quod tamen gloriosum erat Regi: Vnde nõ curans contumeliosa verba vxoris, respondit: *Ludam & vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis: & cum ancillis de quibus locuta es gloriosior apparebo.* q. d. Si lusero in conspectu Domini, & meipsum abiecero, & si vilis fuero in conspectu meo, ita vt non me his ancillis, quarum mihi vilem conditionem obijcis, superiorem putem, & ad illarum me ministerium abijciam; tum gloriosior apparebo, nempe in oculis Domini. Alia enim sunt Dei, alia hominum iudicia, illa spectari debent, hæc cum illis opposita, omnia contemni. Hinc rursum fit, vt te bonum existimes, proximum verò desperatæ salutis. Sic Iudæi & Gentiles invicem iudicabant tempore Pauli, cùm Gentiles cibos lege Mosaica vetitos manducarent, Iudæi vero ab illis abstinerent, non valentes adhuc excutere veteris legis cõsuetudinem. Vnde Apostolus ad Rom. 14. Rom. 14. erudiens eos, qui sunt in fide firmiores, debere eos, qui in ea infirmi sunt, fovere, quodque nec Gentiles nec Iudæi invicẽ iudicare temerè deberẽt, si illi cibis lege Mosaica prohibitis vescantur; hi ijsdẽ abstineant, dicit: *Is qui manducat, non maducantem non spernat: & qui non manducat manducantem non iudicet.* id est: Gentilis abstinentem Iudæum non spernat, & abstinens Iudæus manducantem Gentilem temerè non iudicet, quasi videlicet legis transgressorem, aut gulæ addictum. Et subnectit paulò post hanc invecturam: *Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit. Stabit autem,* potens est enim Deus statuere illum. q. d. Ne timeas ô Iudæe infirme, Gentiles si vescantur idolotythis, & cibis lege vetitis, facilè ad Gentilismum reversuros. Vicissim ô Gentilis, ne timeas Iudæo, si legem servet, & cibis lege vetitis abstineat, eum ad Iudaismum reuersurum, adeoque desperatæ salutis futurum, quia si in Iudaismum vel Gentilismũ cadit, non tibi, sed Domino Deo, cuius servus est, cadit: verum meliora spero, scilicet quod non cadet, sed stabit in fide & sanctitate, cum eius Dominus putà Deus potens sit eum statuere & stabilire. Ne ergo scrupulosè aliquem iudices aut damnes. Secundò & aptius, *Stabit* id est absolvetur, & non cadet causa in iudicio Domini sui, quia scilicet falsum crimen violatæ legis illi manducanti infirmus imponit; nec enim manducans violavit legem, vt pote quã scit abolitam: potens est enim Deus illum statuere, id est absolvere, & de facto illum absolvet. Similiter gravissimi peccatores Luc. 13. ex hoc Luc. 13. capite existimabant se iustos respectu eorum, quos durus casus oppresserat. Cum enim homo nefarius Pilatus Galilæos, quosdam suis hostijs adstantes trucidari simul iussisset, & in victimarum sanguine volutari, rogabant Christum aliqui (vt apparet ex Domini responso) quid illi peccassent præ cœteris, quod inusitatum illud genus pœnæ subijssent; nam eos etiam peccatores præ cœteris existimabant, sicut Ioan. 9. quidam de cœco nato Ioan. 9. rogabant, *Quis peccavit, hic an parentes eius?* Sed respondens dixit illis Dominus: *Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico vobis: Sed nisi pœniten-*

ſimode iudicantur à Deo, quę tamē abhomine diiudicari non queunt v. g. Riſit quondam Abraham acceptâ de filio promiſſione à Deo, Geneſ. 17. v. 17. Eadem promiſſione auditâ, *riſit* & Sara, Geneſ. 18. verſ. 10. Quis hominum Iudex, ſi tam ſimilibus ſignis duceretur, aut Abrahamum cum Sara non reprehenderet, aut Saram cum Abrahamo non abſolveret? Et nihilominus abſoluto Abrahamo Deus ſolam Saram reprehendit: *Quare*, inquit, *riſit Sara? Numquid Deo eſt quidquam difficile?* Ibid. v. 13. & 14. Rem optimè ponderavit D. Auguſtinus quæſt. 36. in Geneſ. *Quaritur*, inquit, *quare iſtam redarguit Dominus, cùm & Abraham riſerit? niſi quia illius riſus admirationis, & latitia fuit: Sara autem dubitationis, & ab illo diiudicari potuit, qui corda hominum novit.*

Geneſ. 17. Geneſ. 18.

Huius generis ſunt quā plurima. Nam & Pharao, & Abimelech vxorem Abrahæ eripuerunt. Quid ſimilius? Et nihilominus Deus illum, tanquam adulterum punivit, Geneſ. 12. v. 17. hunc tanquā innocentē abſolvit, Geneſ. 20. v. 6. Quia vbi humanum iudicium facilè erraret, errare non potuit divinum. Deus enim, vt D. Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 7. hanc rem expendit, *Verè interioris eſt arbiter conſcientia, ac animi, ac mentis interpres.* Præterea, & Gedeon, & Zacharias ſignum rei ab Angelo prędictæ habere voluerunt. Quid diſcriminis inter vtrumque ſit, quis hominum agnoſcat? Et nihilominus Deus Gedeoni, tanquam fideli morem geſſit, Iud. 6. v. 17. & 36. Zachariæ tanquam incredulo vocem abſtulit, Luc. 1. v. 20. Quia vbi humanus oculus diſcrimen non agnoſcit, divinus facilè deprehendit. Et Moyſes & Ionas ſe à prædicando idololatris apud Deum excuſarunt. Quis non pares internis animis eos dixerit, qui externis factis tam pares videbantur? Et nihilominus Deus Moyſi pepercit, Exod. 3. & ſeqq. Ionam corripuit, Ion. 1. quia ſolus cognovit Moyſen propter humilitatem: Ionamſe propter vanitatem excuſaſſe. Et Saul reprehenſus à Samuele, & David reprehenſus à Nathan, pariter reſponderunt: *Peccavi*, 1. Reg. 15. v. 24. & 2. Reg. 12. Quid aurium iudicio ſimilius? Et nihilominus ſolus Deus agnovit Saulem oretenus, Davidem ex imo corde doluiſſe. Cum igitur ſub externis factis valdè ſimilibus longè diſſimiles animi deliteſcant; iniquus erit rerum æſtimator, qui interni animi ſtatum ab externis indicijs arbitretur.

Geneſ. 12. Geneſ. 20. Ambroſ. Iudich 9. Luc. 1. Exod 3. Ion. 1. 1. Reg. 15. 2. Reg. 12.

Adde, quamvis ſolius Dei ſit iudicare, nec vllo examine indigeat ad temeritatis periculum evitandum: ſemper tamęn prævio examine cauſam definire, vt nobis iudicandi normam pręſcribat. Vnde infames vrbes iudicaturus: *Deſcendam*, inquit, *& videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint*, Geneſ. 18. v. 21. Et rationem reddit D. Gregorius lib. 19. Moral. cap. 23. *Vt nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante praſumamus credere, quàm probare.* Item patet in Adamo, Geneſ. 3. v. 10. & in Cain, Geneſ. 4. v. 9. Vtrumque enim Deus prius interrogavit, quam iudicaret: non quod cauſam exploratam non haberet, ſed vt nos à præcipitandis iudicijs (vt vtrobique D. Chryſoſt. hom. 27. & 29. advertit refrænaret.

Geneſ 18. Gregorius Geneſ. 3. Chryſoſt.

5. Altera vero ratio eſt, quod temerarium iudicium de proximo multorum malorum ſit cauſa, vt rectè annotavit Toletus Cardinalis in 6. cap. Lucæ, vbi ſic ait: *Cum hactenus optimis documentis*, ſupple Chriſtus, *removerit duo impedimenta, qua dilectioni erga fratres & maximè inimicos adverſabantur, nempe impatientiam & avaritiam, nunc tertium removet, & quod non minus nocet, quam illa duo, nempe iudicium temerariū adverſus proximum. Hoc enim ſape cauſa eſt, vt inimicos multos nobis faciamus, qui verè non ſunt, dum dubia eorum verba, & facta, qua in bonam, & in malam partem accipi poſſunt, ſiniſtrè interpretamur, ſapeque decepti opinamur homines tales eſſe, quales non ſunt: fitque vt benefactores noſtros, qui nobis non nocuerunt, adverſarios reputemus.*

Toletus

Multarum

Multarum etiam perturbationum, & in ijs, qui iudicant, & ijs qui iudicantur, huiusmodi iudicia sunt causa, vt tradit Chrysostomus hom. 11. in 1 Epist. ad Corinth, Chrysost. *Ob id Dominus hoc dilectionis venenum, quod amicitias interimit, & inimicitias multiplicat, fovet, & auget, de medio tollit, dicens: Nolite iudicare, quasi diceret aliorum facta, actiones, verba, personarũ qualitates, quæ dubia sunt nec vobis constant, nolite temere investigare, & iudicium de obscuris proferre, in malam partem interpretantes.* Hinc enim contingit, vt quis proximum contemnat, vt clarum est exẽplo Michol vxoris David 2. Reg. 6. quæ leve iudicavit, 2. Reg. 6. quod David exutis Regijs vestibus, vt apparet, & accinctus Ephod lineo, religioso amictu Levitis familiari, percutiens in organis armigatis saltaret ante arcam Domini: quod tamen gloriosum erat Regi: Vnde nõ curans contumeliosa verba vxoris, respondit: *Ludam & vilior fiam plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis: & cum ancillis de quibus locuta es gloriosior apparebo.* q. d. Si lusero in conspectu Domini, & meipsum abiecero, & si vilis fuero in conspectu meo, ita vt non me his ancillis, quarum mihi vilem conditionem obijcis, superiorem putem, & ad illarum me ministerium abijciam; tum gloriosior apparebo, nempe in oculis Domini. Alia enim sunt Dei, alia hominum iudicia, illa spectari debent, hæc cum illis opposita, omnia contemni. Hinc rursum fit, vt te bonum existimes, proximum verò desperatæ salutis. Sic Iudæi & Gentiles invicem iudicabant tempore Pauli, cùm Gentiles cibos lege Mosaica vetitos manducarent, Iudæi vero ab illis abstinerent, non valentes adhuc excutere veteris legis cõsuetudinem. Vnde Apostolus ad Rom. 14. Rom. 14. erudiens eos, qui sunt in fide firmiores, debere eos, qui in ea infirmi sunt, fovere, quodque nec Gentiles nec Iudæi invicẽ iudicare temerè deberẽt, si illi cibis lege Mosaica prohibitis vescantur; hi ijsdẽ abstineant, dicit: *Is qui manducat, non maducantem non spernat: & qui non manducat manducantem non iudicet.* id est: Gentilis abstinentem Iudæum non spernat, & abstinens Iudæus manducantem Gentilem temerè non iudicet, quasi videlicet legis transgressorem, aut gulæ addictum. Et subnectit paulò post hanc invecturam: *Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit. Stabit autem,* potens est enim Deus statuere illum. q. d. Ne timeas ô Iudæe infirme, Gentiles si vescantur idolotythis, & cibis lege vetitis, facilè ad Gentilismum reversuros. Vicissim ô Gentilis, ne timeas Iudæo, si legem servet, & cibis lege vetitis abstineat, eum ad Iudaismum reuersurum, adeoque desperatæ salutis futurum, quia si in Iudaismum vel Gentilismũ cadit, non tibi, sed Domino Deo, cuius servus est, cadit: verum meliora spero, scilicet quod non cadet, sed stabit in fide & sanctitate, cum eius Dominus putà Deus potens sit eum statuere & stabilire. Ne ergo scrupulosè aliquem iudices aut damnes. Secundò & aptius, *Stabit* id est absolvetur, & non cadet causa in iudicio Domini sui, quia scilicet falsum crimen violatæ legis illi manducanti infirmus imponit; nec enim manducans violavit legem, vt pote quã scit abolitam: potens est enim Deus illum statuere, id est absolvere, & de facto illum absolvet. Similiter gravissimi peccatores Luc. 13. ex hoc Luc. 13. capite existimabant se iustos respectu eorum, quos durus casus oppresserat. Cum enim homo nefarius Pilatus Galilæos, quosdam suis hostijs adstantes trucidari simul iussisset, & in victimarum sanguine volutari, rogabant Christum aliqui (vt apparet ex Domini responso) quid illi peccassent præ cœteris, quod inusitatum illud genus pœnæ subijssent; nam eos etiam peccatores præ cœteris existimabant, sicut Ioan. 9. quidam de cœco nato Ioan. 9. rogabant, *Quis peccavit, hic an parentes eius?* Sed respondens dixit illis Dominus: *Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non; dico vobis: Sed nisi pœniten-*

nitentiam habueritis omnes, similiter peribitis q.d. Vos illos præ cœteris putatis peccatores fuisse, at non ita est. Ex vobis multi sunt, aut æquales, aut deteriores, ideoque nisi pœnitentiam egeritis, similiter, hoc est, æquè atque illi peribitis, & quidem æternùm; nam mors illa, quæ vobis formidabilis videtur, omnibus communis est, nec signum criminis est, vel sanguis gladio haustus, vel corpus mole obtritum; ex morbis enim ferè mortes sunt acerbiores. Nunquam igitur ex mortibus solis de vita iudicandum est. Deus enim vti ex fortissimis quosdam eligit, vt martyrio religionem asserant, non tamen omnium fortissimos, sed vt in paucis ostendat, quæ vis sit gratiæ cœlestis: ita quoque è malis quosdã horrendo, aut novo supplicio in omnium oculis plectit, vt inde quisque discat, quid sibi exspectandum sit, nisi pœnitentiam agat. Et ideo Dominus rem alio casu rursũ refricat, vbi decem & octo turris mole oppressi leguntur: *Sicut illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloë, & occidit eos: putatis quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ierusalem? Non dico vobis: sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Inde enim concludi nequaquam potest, illos gravius cœteris peccasse, nam divina iudicia suis rationibus constant: plectuntur quidam, vt alij corrigantur, & sæpe minus mali, nam *tormenta paucorum sunt omnium exempla*, vt ait Cyprianus de lapsis. Deinde etiam iusti sæpè violenta morte obeunt. Sed quid? *incomprehensibilia sunt iudicia Dei, & viæ eius investigabiles*, vt ait Paulus ad Roman 11. vnde iudicare de illis nefas est. Pulchre philosophatur in hanc rem Anastasius Nicenus q. 17 in Scripturam, quæ est: *Vtrum omnes qui præcipitantur aut demerguntur, aut obruuntur, ex divinis minis, iussu hoc patiantur; an ex maligni operatione?* Vbi sic inter cœtera ait: *Nec omnes, qui violenta morte obeunt, hoc patiuntur propter peccatum: Filij enim Iob, licet essent iusti, à domo sunt obruti & hoc nos docet Christus dicens, quod non magis erant peccatores, quam ij qui habitabant in Ierusalem, duodecim illi viri, super quos cecidit turris Siloë: neque rursus illi quorum sanguinem miscuit Pilatus cum sacrificijs. Quamobrem hinc discimus, quod iusti sæpe moriuntur morte violenta, obscuris & occultis Dei iudicijs, quæ fiunt tribus modis. Nam nonnullos quidem sanctos sæpe permittit Deus vel à feris interimi, vel à terræ motu, vel ab aquis aut præcipitijs, vt cæteri terreantur, dicentes: Si hic cum esset vir talis, hoc passus est, quid passuri sumus nos peccatores; & si iustus vix est salvus, impius & peccator vbi apparebit? Alij autem rursus parva fortè habent delicta, quæ cum sint per illam plagam eis condonata, perfecti deinde apud Deum inveniuntur. Alij autem aliqui, vt potentes, peccatis populi susceptis, sæpe traduntur tentationibus, & morti gravissimæ pro eorum susceptione, & sibi & populo maiorem inde efficientes salutem. Etenim Christus propter peccata nostra fuit vulneratus, & pro nobis mortem suscepit. Hoc ergo scientes ne miremur videntes Isaiam, qui serra dissecatur, Ioannem qui capite truncatur, Stephanum qui lapidibus obruitur, & Petrum qui in crucem agitur, & multos alios qui incidunt in gravia pericula & crudelia mortis genera.*

Cyprianus. Rom. 11.

Denique ex temerario iudicio sequi solent carceres, cædes per præcipitatam sententiam. Sic enim Hieremias conictus est in carcerem. Cum enim videret Sedeciam & proceres sibi offensos, & parare carceres, aliave duriora: simul prævidens paulò post Ierusalem, & omnia quæ in ea erant, esse vastanda, maturè voluit sibi consulere, ac occasione disponendi de rebus suis abire in Anathoth, & ex Hierusalem se subducere, vt se excidio eriperet. At in porta quasi transfugere vellet ad Chaldæos, capitur, & in tetrum locum conijcitur per temerarium iudicium Ieriæ custodis portæ: vt declarant verba cap. 37. Hierem. *Ergo cum recessisset exercitus Chaldæorum ab Hierusalem propter exercitum Pharaonis, egressus est Hieremias de Hierusalem, vt iret in terram Beniamin, & divideret ibi possessionem in conspectu civium. Cumque* Hierem. 37

que pervenisset ad portam Beniamin, erat ibi custos portæ per vices nomine Ierias, filius Solemniæ filij Hannaniæ & apprehēdit Hieremiam Prophetam, dicens: Ad Chaldæos profugis. Etsi nulla ratio esset hoc de eo iudicandi. Sic Thedosius Iunior Imperator ob pomum ab Eudocia vxore dono datum Paulino nobilissimo viro, suspicatus adulterium, eum innocentem interfici iussit, Eudociam à societate thori removit. Et Constantinus Magnus Crispum filium falsò incestus ab vxore accusatum mox interfici iussit. Vnde melancholici ex professo contra hoc vitium magis pugnare tenētur, omniaque phantasmata suspicionum, quæ incidunt, animo mox elidere. Est enim melancholia, vtpote humor ater, tristis, timida, suspicax, maligna.

6. Dico secundò magnopere advertendum esse, an huiusmodi iudicium non procedat ex odio personæ: quia tum duplex peccatum est, videlicet, odij, (quod longissimè Dominus voluit à suis abesse, vt late deduxi Discursu de Odio) & temerarij iudicij. Qui enim tales sunt, licet flagitijs abundent innumeris, alios de levissimis quibusque delictis tota temeritate condemnant, quos Matth. loc. citat. *Christus notavit*, vt inquit Chrysost. hom. 24. in Matth. addens: *Nec simpliciter notavit, sed eis plurimum etiam incussit timorem inevitabile supplicium comminando atque dicendo: In quo enim iudicio iudicaveritis iudicabitur de vobis. Non enim illum condemnas, inquit, sed temetipsum profectò condemnas, & facis terribilius esse iudicium, cogisque adversus te diligentissimam fieri etiā de minimis vltionem. Sicut enim in venia peccatorum promerenda, à nobis principia sumuntur: sic etiam in ipso iudicio, à nobis condemnationis mensura procedit.* Et meritò ita perstrinxit illos Christus, nam illi innocentissimos publicè iudicare non verentur, vt videmus in Pharisæis, qui *cum sibi ignoscerent*, inquit Iansenius, *in gravissimis peccatis, tamen aliorum iudices erant inclementissimi, etiam ea calumniantes quæ recta erant, sinistrè interpretantes, quæ erant dubia, exaggerantes quæ erant levia, & omnino vt Dominus illis exprobat, excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Primum manifestè patet in Salvatore nostro, quem dœmonium eijcientem nolebant divina virtute quid agere, sed dæmoniaca. Vnde dicebant: *In Beelzebub Principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Et Ioan. 8. *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes.* Nam nulla erat ratio hoc de Christo iudicandi. Sciebant enim illum non esse Samaritanum, sed de Nazareth, neque etiam moribus erat Samaritanus, ex quibus illi perperam iudicabant illum dogmata & legem adulterare, cùm doceret non esse contra sabbathi observationem opera charitatis facere in sabbatho, vt sanare infirmos, paralyticos curare, &c. Deinde frivolæ erant causæ, ex quibus iudicabant dœmonium habere; nempe vt Origenes exponit, propter sublimitatem doctrinæ, quia supra humanum captum loqui videbatur, tum etiam propter opera mirabilia, quæ faciebat, quæ illi virtuti dœmonis tribuebant: tum etiam quia occulta eorum facta revelabat, nempe quod ipsum vellent interficere, quæ tamen omnia ipsius Divinitati tribuere meritò debebant, cum ex miraculis alijsque gravibus de causis eum possent dignoscere esse filium Dei.

Deinde patet Iudæos temere & sinistre iudicasse de Christo, quia circumcisionem in sabbatho admittebant, & curationem paralytici impugnabant. quapropter Christus ipsos reprehendit, eum occidere volentes cum paralyticum Ioan. 5. sanasset, & sabbatho tollere grabatum iussisset: & tamen circumcisionem (quę sæpe debebat in sabbatho fieri) libenter tum sic tolerarent, eò quod per Moysem illis esset præcepta octavo die fieri, dicens: *Nolite iudicare secundum faciem, sed rectum iudicium iudicate*, id est, iuxta Cardinalem Toletum ibidem, *Nolite peccare in acceptione personarum, vt facitis, sed iustum iudicium iudicate, seu considerate opera ipsa,*

Chrysost. Iansenius Ioan 8. Origenes Ioan. 5. Ioan. 7. Toletus

ipsa, quæ sabbatho fiunt. Circumciditur homo ex vna parte; ex altera parte homo triginta octo annos habens in gravi infirmitate, brevi temporis momento ita sanatur, vt grabatum valeat per vias portare. quis neget divinius, mirabilius, potentius esse hoc opus? Si ergo licuit vobis illud in sabbatho exercere, cur hoc mihi non licuerit? Vos ad personas recurritis, scilicet, circumcisio patrum est, opus hoc tuum est, quem nos multò Patribus inferiorem existimamus, hoc est iam iudicium in personarum acceptione accipere. Nam opera sunt per quæ fit transgressio si aliqua est, non persona ipsa. Nam in hoc invidiam ostenditis, & affectum malevolum me interficiendi, per temerarium iudicium. Dicam clarius qua ratione convincat Iudæos, ex odio temerè & perperam iudicare, videlicet ex eo, quod non considerent opus pium, quod Christus patravit in sabbatho, cum in Moyse opus, quod minus erat, in sabbatho factum non accusarent, adeo vt idem sit ac si dicat, vt idem Toletus annot. 18 *Lex Moysis præcipit, vt sabbathum servetur: Patres octavo die circumcidendum infantem præcipiunt, quod & Moyses confirmavit. fieri autem potest, vt dies octavus sit sabbathum, tunc si circumcisio non fiat, Patrum institutio non servatur; si verò fiat, lex Moysis violari videtur. In hac ambiguitate vos Iudæi declaratis, & rectè factum est, esse die octavo circumcidendum, nec per hoc solvi legem Moysis, nec enim opus Patrum credi debet prohibitum fuisse à Moyse, cur ergo creditis opus hoc, quod multò maius est, esse prohibitum? Si enim dicatis, illud erat Patrum, hoc tuum est, quem vulgarem hominem existimamus & reputamus: iam profectò accipitis personam, cum agitur de opere ipso; vos ad personas recurritis, & excellentiam personarum opponitis, relicta ea, quæ est operum. Est enim hoc meum multò perfectius, & potentius* Simile fuit iudicium prætacti Ieriæ, cum enim nepos esset Hananię, cui mortem intentaverat Ieremias c. 28. quod falsò prophetaret omnia fausta; volens mortem ipsius vindicare Hieremiæ infensus, gratis fingit illũ ad Chaldæos velle profugere, vt in carcerẽ posset conijcere.

Tolet.

7. Quæres, an peccatum sit, iudicare de proximo grave malum, quã do sufficientia improbitatis indicia se produnt?

Respondeo, secluso affectu odij, externa detractione, & contumelia, non esse peccatum, quod notabiliter charitati, aut iustitiæ repugnet. Ratio est, quia proximus ius existimationis suæ amisit, comparatione eius, cui crimen sufficientibus indicijs cognitum est. Et hoc est quod vult D. Augustinus, cum lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 18. de verbis Matth. 7. sic ait: *Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi vt ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est, ex fructibus eorum cognoscetis eos: de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri: sicut sunt stupra, blasphemiæ, vel furta, vel ebriositas: & si qua sunt alia de quibus nobis iudicare permittitur, dicente Apostolo. Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare? Nonne de ijs qui intus sunt vos iudicatis?* Vnde ille, qui vel ex circumstantia temporis, vel loci, vel etiam personæ de quopiam sic malè sentit, leviter offendit. Sic primò, si videns hominem nocturno tempore scalis admotis domum conscendere, & ingredi per fenestram, existimet talem aliquid mali machinari. Secundò, si oppido vel civitate, vbi consuetudo est alios occidendi, vidẽs quospiam nocturno tempore armatos concitato gradu, huc & illuc discurrere, iudicet tale quid intendere. Iterũ si pro vtraque circumstantia quis videat iuvenem & puellam noctu, vel secreto & obscuro loco petulanter & lascivè se amplexantes, licet sponsi non sint; prudenter iudicabit de illis malum. Tertiò, si persona consuetudinem habeat alicuius peccati, v.g. ad libidinem mulieres provocandi: & video eum cum aliqua morosè loquentem, licet idem malum de ipso iudicare: minora enim indicia requiruntur in tali propter consuetudinem, quàm in alio. Appositè in hanc rem Bernardus serm. 40. in Cant. *Si videris hominem nullis*

August.

honestis

honestis studijs intendentem, sed carnis illecebris irretitum, ventri & luxuriæ deditum, quales sunt illi, quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt: quid? istum, nonne ex vtraque parte fœdissimum iudicabis, in cuius vbique intentione & res & causa reproba invenitur?

Ex quibus etiam colligitur parentes, qui ex longo vsu huius mundi nequitias perspexerunt, non esse phantasticos, cum impediunt filias procari seorsim & secretò cum iuvenibus, quos vident latibula quærere, & initia perdendæ virginitatis figere; nec etiam illi, qui arcent filios à consortio adolescentum seu iuvenum, quos intellexerunt meretrices frequentare & tabernas, ac parentibus sua subtrahere.

8. His ita decisis, non inutiliter quæres, Quale peccatum sit temerè suspicari grave peccatum de proximo?

Respondeo & dico Primò, esse peccatum veniale si quis suspicetur malum de proximo ex errore quodam intellectus, quo apprehendit illa signa tanquam sufficientia ad suspicandum, paratus suam suspicionem deponere, vbi rem melius consideraverit. Hoc insinuat Divus Augustinus tractat. 90. in Ioan. dicens: *Quod de occultis hominibus aliquando, imo assiduè non vera sentimus, id pertinere ad tentationem humanam, sine qua duci ista non potest vita, ac proinde esse ignoscendum nobis, modo de rebus ipsis rectè sentiamus & amemus, quod amandum est, & detestemur, quod detestandum est.* Et infra: *Quamquam & in his rerum tenebris humanarum, id est, cogitationum alienarum, etsi suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus: iudicia tamen, definitivas firmasque sententias continere debemus, neque ante tempus iudicare, donec veniat Dominus, vt illuminet abscondita tenebrarum.* Quod idem indicat lib. 2. de sermon. Domini in monte, c. 28. dicens: *Sunt quædam facta media quæ ignoramus, quo animo fiant, quia & bono & malo fieri possunt, de quibus temerarium est iudicare, maximè vt condemnemus.* Ratio huius assertionis est, quod per suspicionem fama, seu habitualis de altero bene existimandi dispositio, parum læditur, adeoque exiguū nocumentum proximo inferat, ex quo suspicans cum opus est facile suspicionem corrigit, & de proximo tam benè sentit, ac si nunquam de eius virtute vacillasset.

August.

9. Dico secundò, Si quis advertat signa non esse sufficientia, & nihilominus suspicetur de gravi scelere ex pravo affectu & malevolentia huiusmodi mali quempiam esse reum, quamvis animo retineat, mortale esse peccatum: vt fit cum de persona honesta ex levissimis indicijs crimen proditionis, incestus, aliudve suspicaris. Probatur ex Matthæi cap. citato, vbi Dominus dicit mereri iudicium, & condemnationem, qui neglectis suis vitijs gravioribus minora fratrum suorum insectatur. Sic Hanon Rex Ammonitarum 2. Reg. 10. Legatos Davidis ad se consolandos missos super parentis obitu, suspicatus fuit ex aliorum interpretatione illos missos fuisse ad suum Regnum explorandum, vti refert Scriptura his verbis: *Dixitque David, faciam misericordiam cum Hanon filio Naäs, sicut fecit pater eius mecum misericordiam. Misit ergo David, consolans eum per servos suos super patris interitu. Cum autem venissent servi David in terram filiorum Ammon, dixerunt Principes filiorum Ammon ad Hanon Dominum suum: Putas quod propter honorem patris tui miserit David ad te consolatores, & non ideo vt investigaret, & exploraret civitatem, & everteret eam, misit David servos suos ad te?* Et exinde iussit ijsdem Legatis partem barbæ abradi, & vestes vsque ad nates succidi.

Matth. 9.

2. Reg. 10.

Certè D. Hieronymus, cum aliqui de ipso sine iusta causa, vt innuit, suspicabantur, quod turpiter adamaret Paulam & Melaniam primarias in vrbe feminas, quas ad melioris vitæ institutum pertraxerat, & ob singulares virtutes colebat, sic scribit Asellæ: *Licet me sceleratum quidam putent & omnibus flagitijs obrutum, & pro peccatis meis.*

meis, etiam hac parva sint: tamen tu bene facis, quod ex tua mente etiam malos bonos putas. Periculosum est quippe de alterius servo iudicare: & non facilis venia, prava dixisse de rectis. Veniet, veniet illa dies, in qua & mecum dolebis ardere non paucos, Ego probrosus, ego versipellis, & lubricus, ego mendax, & satanæ arte decipiens. Quid enim est tutius, hac vel credidisse, vel finxisse de insontibus; an etiam de noxijs credere noluisse? Osculabantur mihi manus quidam, & ore vipereo detrahebant: & dolebant labijs, corde gaudebant. Videbat Dominus, & subsannabat illos; & miserum me servum suum futuro cum eis iudicio reservabat. Alius incessum meum calumniabatur, & risum; & ille vultui detrahebat; hic in simplicitate aliud suspicabatur. Et immediate post, suspicionem caruisse sufficientibus indicijs designans, quandoquidem multæ virgines crebrò & sine obloquio illum accedere solebant, subiungit: *Penè certe triennio cum eis vixi. Multa me virginum crebrò turba circumdedit. Divinos libros, ut potui, nonnullis sæpe disserui. Lectio assiduitatem, assiduitas familiaritatem, familiaritas fiduciam fecerat. Dicant, quid unquam in me aliter senserint, quam Christianum decebat? Pecuniam cuiusquam accepi? munera vel parva, vel magna non sprevi? in manu mea æs alienius insonuit? obliquus sermo, oculus petulans fuit? Nihil mihi aliud obijcitur, nisi sexus meus; & hoc numquam obijcitur, nisi cum Hierosolymam Paula & Menalia proficiscuntur. Esto: crediderunt mentienti: cur non credunt neganti? Idem est homo ipse, qui fuerat: fatetur insontem, qui dudum noxium loquebatur. Et certè veritatem magis exprimunt tormenta, quam risus. Nisi quod facilius creditur, quod aut fictum libenter auditur, aut non fictum, ut fingatur, impellitur.* Et rem penitius attingẽs, addit: *Antequam domum Sanctæ Paulæ nossem, totius in me urbis studia consonabant. Omnium penè iudicio dignus summo sacerdotio decernebar. Beatæ memoriæ Damasus meus sermo erat. Dicebar sanctus: dicebar humilis, & disertus. Numquid domum alicuius lascivioris ingressus sum? numquid me vestes sericæ, nitentes gemmæ, picta facies, auri rapuit ambitio? Nulla fuit alia Romæ matronarum, quæ meam posset edomare mentem, nisi lugens, atque ieiunans, squalens sordibus, fletibus pene cæcata, quam continuis noctibus misericordiam Domini deprecantem sol sæpe deprehendit?* &c. *sed postquam eam pro sua merito castitatis venerari, colere suspicere cæpi: omnes me illico deseruere virtutes. O invidia primum mordax tui! o satanæ calliditas, semper sancta prosequens. Nullæ aliæ Romanæ urbi fabulam præbuerunt, nisi Paula & Melania; quæ contemptis facultatibus, pignoribusque desertis, crucem Domini, quasi quoddam pietatis levavere vexillum.* Deinde ostendit quã insulsum fuerit ob eas suspicionem nasci, dum ait: *Si balneas peterent unguenta eligerent, divitias, & viduitatem haberent materiam luxuriæ & libertatis; dominæ vocarentur, & sanctæ. Nunc in sacco & cinere formosæ volunt videri, & in gehennam ignis cum ieiunijs & pædore descendere, videlicet non licet eis applaudente populo perire cum turbis. Si Gentiles hanc vitam caperent, si Iudæi; haberent solatium non placendi eis, quibus displicet Christus. Nunc verò, proh nefas, homines Christiani, prætermissa domorum suarum cura, & proprij oculi trabe neglectâ, in alieno oculo festucam quærunt. Lacerant sanctum propositum: & remedium pœnæ suæ arbitrantur, si nemo sit sanctus; si omnibus detrahatur; si turba sit pereuntium, si multitudo peccantium.* Denique seipsum consolans dicit: *Gratias ago Deo meo, quod dignus sim, quem mundus oderit.* Et adiunctâ parabolâ Luc. 10. quod de Hierusalem egressus inciderit in latrones, spolietur, vulneretur, occidatur, subnectit: *Licet sacerdos despiciat, atque Levites; Samaritanus ille misericors est, cui cum diceretur: Samaritanus es, & dæmonium habes; dæmonium renuens, Samaritem se non negavit. Quia quem nos custodem, Hebræi Samaritem vocant. Maleficum quidam me garriunt: titulum fidei servus agnosco. Magum vocant & Iudæi Dominum meum, Seductor & Apostolus dictus est. Tentatio me non apprehendat, nisi humana. Quotam partem angustiarum perpessus sum, qui cruci milito? Infamiam falsi criminis imputa-*

imputarunt. Sed scio, per bonam & malam famam perveniri ad regna cælorum. Hucvsque Hieronymus.

At tales hodie quamplurimi inveniuntur, tum politici, tum hæretici, qui de viris probis & religiosis sine vlla causa sinistrè suspicantur, nempe eos esse impuros, avaros, quæstus & honoris causa omnia facere, & similia: idque partim, quia ipsi tales sunt, partim ne cogantur eos sibi præponere, sed ex mente sua valeant eos contemnere. Vnde reijciunt quæ ad laudem, excusationem, vel defensionem bonorum spectant, & è contrario libentissimè legunt & audiunt, quæ ad eorumdem infamiam pertinent, sed ea propter ipsi suique similes gravius iudicium subibunt. Quia peccatum ex malitiâ alia peccata longè superat. Et inde videmus Scripturam ea gravius ponderare, cum in facto se produnt. Hinc de peccato Idololatriæ per Ieroboam commissо, non ex ignorantia aut infirmitate, sed deliberato consilio, specialiter dicitur 3. Reg. 12. *Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos*, &c. nempe, vt Israëlitæ hos vitulos adorationis causa frequentantes, Ierosolymam redderent infrequentem, & hoc modo firma Religio caderet, falsa superstitio firmaretur. Quæ propterea sacræ litteræ satis testantur divinam vltionem acrius quam cœteros Reges exagitasse: De Davide 3. Reg. 15. dicit Scriptura: *Fecit rectum in oculis Domini, & non declinavit ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ Hethæi*, id est, homicidio voluntario Vriæ, quem interfici in prælio curavit. An David plura alia peccata non commisit cum alienum thorum violavit? 2. Reg. 11. vers. 4. cum populum indebitè recensuit? 2. Reg. 24. vers. 2. cum adversus Miphiboseth iniquam sententiam tulit? 2. Reg. 16. vers. 4. cum denique id genus alia patravit, ob quæ dicere coactus est: *Iniquitates meæ multiplicatæ sunt supra capillos capitis mei?* Psalm. 39. Cur igitur vnum tantùm Vriæ vitium, nempe homicidium illi vitio tribuitur; ac si à reliquis culpis facilè absolvatur? Crediderim, quia hoc vnum peccatum fuit ex consilio. Nam David in alijs peccatis, inquit Theodoretus, *non ex mali animi instituto, sed fortuitò & quodam casu vulnus acceperat; negligentiæ peccata erant; non malignitatis, vt homicidium.*

3. Reg. 12. — 2. Reg. 11. — 2. Reg. 24. — 2. Reg. 16. — Psal. 39. — Theodor.

Hominem in culpam lapsum Deus ad pœnitentiam revocavit; Angelum vero peccantem sine remedio perire passus est. Qua in re licet divinæ dispositionis arcana potius veneranda sint, quam investiganda; tamen Theologi nonnullas huius discriminis congruentias assignant, quæ à Suarez tom. 1. in 3. par. dispens. 4. sect. 1. colliguntur. Illa tamen est ad rem præsentem, quod Angelus ex consilio seu malitia peccarit; vt Propheta ostendit cum Angelo locutus: *Dicebas*, inquit, *in corde tuo: In cælum conscendam; super astra Dei exaltabo solium meum: sedebo in monte Testamenti in lateribus Aquilonis: similis ero Altissimo.* Homo verò ex quadam indulgentia & benevolentia in coniugem lapsus fuerit. Atqui peccatum multo consilio excogitatum longè gravius est, quam affectu præcipiti commissum; iuxta illud D. Paulini in quadam epist. *Criminosius est peccatum excogitare, quam facere.* Et proinde Angelus venia indignior, quam homo videbatur.

Suarez. — Isa. 14 v. 13. — Paulinus.

10. Cœterum cum suspicio communis sit malis & bonis. nam Iudas nurum suam Thamar, quæ honestè adhuc viduitatem colebat, suspicatus est esse meretricem, Genes. 38. Assuerus familiarem suum Amanum in preces coram Regina procumbentem suspicatus est ad Reginæ thorum maculandum procubuisse. Ioseph etiam, Gen. 42. fratres in Ægypto duriter tractavit, quia, cum eos videret sine Beniamino, aliquid mali suspicatus est, interprete Theodor. scilicet, ne quid fortè gravius de illo, quemadmodum

Genes. 38. — Esther 7. — Genes. 42. — Theod.

dum & seipso, decrevissent. Moyses videns Rubenitas, & Gaditas cupidos manendi citra Iordanem in terra vberi, & ad greges pascendos ac saginandos opportuna, suspicatus est eos laborum tædio superatos à periculis in reliquo itinere subeundis supersedere voluisse, Numer. 32. [*Num. 32.*] Iosüe, & Eleazar, & reliquæ decem tribus, videntes Tribum Ruben, Gad, & Manasse super Iordanis tumulos aram infinitę magnitudinis erexisse; suspicati sunt, eos divino cultui renuntiasse, & se ad Gentilicos ritus transtulisse, Ios. 22. [*Ios. 22.*] Tobias cœcus audiens vocem hædi caprarum in domo sua balantis, nescio qua suspicione commotus: *Videte*, inquit, *ne fortè furtivus sit*, Tob. 2. [*Tob. 2.*] Cum tamen his omnibus suspicionibus falsitas subesset. Dico igitur cum suspicio communis sit, non eandem subesse malitiam in bonorum suspicione, atque in malorum: quia pravi homines malè suspicantur mala de alijs ad calumniandum: iusti verò quidem, sed solum ad providendum & gubernandum. Quod D. Chrysostom. egregiè expendit hom. [*Chrysost.*] quadam de Susanná ad finem primi tomi: loquens de suspicionibus, quibus Ioseph circa sanctissimam Deiparam agitabatur, cum de illa occultè dimittenda cogitabat: *Malevolæ*, inquit, *suspiciones sunt calumniantium: benevolæ suspiciones sunt gubernantium. Licuit cuiquam de filio malè suspicari: sed filio non licet calumniari. Vtque suspicaris malum, sed optas invenire bonum. Qui benevolè suspicatur, vinci cupit. Tunc enim bene lætatur, quando falsum inventum fuerit, quod malè suspicabatur.*

11. Nihilominus addo Superiores, maximè qui gubernant, parcissimos & téperatissimos esse debere in malè suspicando, exemplo Iosue, quem cum Gabaonitæ compositis men dacijs fraudulenter decepissent; nihil malè de ijs suspicatus est, [*Iosue 6.*] Iosue 6. vt D. Ambros. lib. 3. de Offic. [*Ambros.*] cap. 16. optimè advertit: *Iosue*, inquit, *quia adhuc erat ignarus locorum, atque incolarum inscius, non cognovit fraudes eorum, neque Dominum interrogavit, sed citò credidit. Adeò sancta erat illis temporibus fides, vt fallere aliquos non posse crederetur. Quis hoc reprehendat in Sanctis, qui cæteros de suo affectu æstimant? Et quia ipsis amica est veritas, mentiri neminem putant, fallere quid sit, ignorant. Libenter credunt quod ipsi sunt; nec possunt suspectum habere, quod non sunt.* Quare, quantò homines sunt proniores ad malè suspicandum; tantò se debent diligentius à malis suspicionibus inhibere: alioquin mortaliter peccant, quando suspicionem de re gravi ex levissimis indicijs, alijs significando, vel in vitam hominis inquirendo, famam eius lacerant. Item quando ob talem suspicionem, in electione suffragium negant suspecto; propter damnum, quod eâ de causâ illis creant.

12. Porrò pro regula dignoscendi vtrum fuerit suspicio, an iudicium firmum, præsertim quando formido de opposito non est expresè coniuncta; notandum est dum quis ita iudicat, vt rogatus an habeat pro certo, responsurus sit, sibi certum, aut ferè certum videri, tunc est iudiciũ firmum. Si verò ita iudicet, vt responsurus sit, se non esse moraliter certum, sed facile posse eâ in re falli, tunc solum est suspicio.

13, Restat inquirere, An temerè ac positivè dubitans de aliquo vtrum bonus sit, an malus, aliquando mortaliter peccet?

Respondeo, tunc esse mortale, quando quis huiusmodi dubitationem exterius significat, ideoque in mores eius inquirit. Scriptum est enim Proverb. 24. *Ne insidieris, & quæras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius.* nam eâ ratione facilè causat ei damnum, ex quo capite dixi superius suspicionem, mortalem iniuriam inferre posse. Cœterum dubia in meliorem partem interpretanda veniunt: ita vt æqualibus vtrimque existentibus indicijs tum pro hominis innocentiâ, tum nocentiâ, inclinandus sit intellectus in benigniorem partem, si iudicium ferre velit

S. Thomas. velit. Ratio est, quam S. Thom. reddit loc. citato ar. 4. ad 1. videlicet, satius esse in dubio frequenter falli bene opinando de proximo, quam malè opinando vel semel decipi. Nam ille speculativi intellectus error, practicus est, cum voluntatis malitia, & proximi iniuria coniunctus: idque propterea, quod in dubio nemo condemnandus, aut possessione famæ spoliandus sit.

Vnde in externo foro illud etiam practicari solet; nam si reus de crimine convictus non sit, absolvitur, non affirmando crimen non admisisse, sed de eo demonstratum non fuisse Quo sensu & axioma illud intelligi debet: *Quamdiu aliquis non demonstratur nocens, censendus est innocens.* Et regula 11. in 6. *Cum sunt partium iura obscura, reo favendum est potius, quam actori.*

14. Et quamvis hæc vera sint; tamen non peccabit quis, si securitatis causa prudenter & cautè rebus suis, suorumque prospiciat, v.g. pecunias concludendo; eo quòd saltem fieri queat, vt illi, quibuscum versatur, fures sint: aut filię interdicere, quod accidere possit, vt ab eo seducatur.

D. Thomas. Et huc ducit doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 60. a. 4. ad 3. vbi sic habetur: *Interpretari aliquid in deteriorem vel meliorem partem contingit dupliciter. Vno modo per quandam suppositionem: & sic, cum debemus aliquibus malis adhibere remedium, sive nostris, sive alienis, expedit ad hoc, vt securius remedium opponatur, quod suponatur id, quod est deterius, quia remedium quod est efficax contra maius malum, multò magis est efficax contra minus malum. Alio modo interpretamur aliquid in bonum vel malum, definiendo, sive determinando: & sic in rerum iudicio debet aliquis niti ad hoc, vt interpretetur vnumquodque, secundum quod est. In iudicio autem personarum, vt interpretetur in melius: sicut dictum est.*

15. Porrò singulariter notandum est, hominem semel malum, non semper debere præsumi esse malum, etiam in eodem genere delicti, sed tamdiu dumtaxat, quamdiu ex indicijs emendatio colligi non potest: quia aliquem mutasse animum non præsumitur; sed probari debet, vel indicijs ostendi. Ratio est, quod emendatio sit quid facti. Vnde fides in deliberato mendacio semel deprehensi, in posterum meritò suspecta esse solet. Et de eius prebitate, quem scimus semel fornicatum fuisse, rectè dubitatur, donec signa aliqua emendationis prodat: tamdiu enim licet suspicari, ac dubitare de perseverantia in peccato. Et hinc quando agitur de cavendo alieno incommodo, hæc regula & doctrina retineri potest. Nam ex Iuris dispositione ille, qui fraudulenter tutelam administravit, etsi satisdare velit, à tutela tanquam suspectus removendus, nec iterum promovendus est, §. *Novissimè*, Inst. de suspect. tutoribus. Et marito semel sævienti non est restituenda vxor, ob sævitiam digressa, nisi securitas ei provideri possit, c. *Litteras*, in fine, de restit. spoliat.

Discursus VI.

De Detractione.

Quid sit, & quale peccatum?

Iacob. 3. Acobus Apostolus cap. 3. suæ epist. dicit, linguam esse inquietum malum, plenam veneno mortifero. Quod passim videmus in peccato detractionis: hinc tractabo quod in argumento ponitur.

1. Detractio itaque est, *Alienæ famæ iniusta imminutio*. Et dividitur in formalem ac materialem, vt indicat D. Thomas 2. 2. q. 73. a. 2. Formalis est, quæ fit ex intentione alienam famam denigrandi. Materialis verò est, quæ ex animi levitate fit sine directo nocendi proposito. Vtraque, quando est de re gravi & occulta, est peccatum detractionis proprie adversus iustitiam commutativam, ex generē suo mortale, quandoquidem ad damnum iniuste inferendū sufficiat voluntarium indirectum, ac imputativum. Probatur ex Apostolo, qui ad Roman. 1. declarat *detractores Deo odibiles*, ijsque eos annumerat, quod Deus in *reprobum sensum tradidit*. Item Iacob. 4. vbi dicitur contemnere legem præcipientem dilectionem proximi, in verbis: *Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem.* Imò Prov. 24. dicit Sapiens: *Cogitatio stulti, peccatum est: abominatio hominum detractor.* q. d. Sola cogitatio & decretum nocendi lethalem culpam continet, etiamsi reipsa non noceat alijs, sed sibi: & similis est illi, qui non valens proximo reipsa damnum inferre, eundem convitijs ac detractionibus petit. nam hac ratione omnium odium ac detestationem sibi accersit.

Rom. 1. — Iacob. 4. — Prov. 24.

Confirmatur, quia detrahens alteri graviùs peccat, quàm fur, quod eâ boni nominis existimatio ære præstantior tollatur. Vnde Salomon dixit Proverb. 22. *Melius est bonum nomen, quàm divitiæ multæ.* Et Eccles. 41. *Curam habe de bono nomine. hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi, & magni.* Imò Clemens Romanus in 1. epist. ad S. Iacobum adęquat detractionem homicidio, cum ait: *Homicidiorum tria genera dicebat B. Petrus, & pœnam eorum parilem fore dicebat. sicut enim homicidas interfectores fratrum, ita detractores quoque eorum, eosque odientes homicidas esse manifestabat.* Huic consonat D. Augustinus epist. ad Cassulanum, dicens: *Nemo peritorum aut prudentium putet, quod minus sit periculum in verbis linguæ mentiendo, quàm manibus sanguinem fundendo.* Ratio est, quod plurimi mortem potius optent, quam vivere sine reputatione, vti fit per detractionem, iuxta Prophetam Psal. 30. dicentem: *Factus sum sicut vas perditum, quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.* Et hinc Scriptura detractorum linguā comparat novaculæ acutæ, & linguæ serpentis. Psal enim 51. dicitur. *Tota die iniustitiam cogitavit lingua tua, sicut novacula acuta fecisti dolum.* Psal. 139. *Acuerunt linguas suas sicut serpentis.* Serpentis enim lingua, vt ait Plinius lib. 5. 37. tenuissima est, trisulca, vibrans, atri coloris, &c. si eam extrahas, perlonga. Similis est lingua detractoris, ac in primis trisulca, quia nocet sibi, audientibus, & ijs quibus detrahit; itaque vnico ictu tres ferit & lædit. Vnde Sapiens Eccles. 10. *Si mordeat serpens in silentio, nihil*

Prov. 22. — Eccles. 41. — Clem Rom. — August. — Psal. 30. — Psal. 51. — Psal. 139. — Plinius. — Eccles. 10.

nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.

Hieronym. In quæ verba sic Hieronymus: *Serpens & detractor æquales sunt; vt ille venenum mordens ingerit, sic iste detrahens, virus pectoris infundit in fratrem.*

Bernardus. Appositè in hanc rem Bernardus sermon. de triplici custodia, manus, linguæ, & cordis: *Numquid non est vipera, lingua detractoris? Ferocissima planè, nimirum quæ lethaliter tres inficiat flatu vno. Numquid non lancea est ista lingua? profectò & acutissima, quæ tres penetrat ictu vno.* Psal. 56. *Lingua* inquit, *eorum gladius acutus. Gladius equidem anceps, imo triceps est lingua detractoris.* Addit deinde & crudeliorem esse lanceâ, spinis, & clavis, quibus Christus confixus est, eò quod detractor occidat se, audientem, & cui detrahitur. *Nec verò*, inquit, *eiusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo dominicum latus perfossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Christi corpus, & membrum de membro, nec iam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit: sex etiam clavis ferreis, quos sanctissimis manibus illis, & pedibus consummatio Iudaicæ iniquitatis inflixit. Nisi enim huius, quod pungitur & transfoditur, corporis sui vitam, illius vitæ corporis prætulisset, numquam illud pro isto mortis iniuria, crucis ignominiæ tradidisset.*

Chrysost. Rem magis exaggerat Chrysostomus hom. 3. ad populum, vbi detrahentem comparat ei, qui carnem humanam comedit (quod scimus barbarum ab omnibus æstimari) dicens: *Detrahens fraternas carnes, proximi carnem momordisti. Vnde & Paulus* Gal. 5. *terruit, dicens: Si autem vos invicem mordetis & comeditis, videte ne ab invicem consumamini. Non infixisti dentes carni, sed animæ detrimentum, improbam suspicionem infixisti, Vulnerasti, innumeris affecisti malis, & teipsum & alios plures*, &c. Et paulò post addit quam latè se diffundat illius virus, dicens: *Insuper communem Ecclesiæ statum læsisti: non enim omnes audientes peccatorem solum accusant, sed opprobria Christianorum genti infliguntur, & infideles, pro eo qui peccavit, Christianos omnes calumnijs insectantur. Ad hæc Dei gloriam blasphemari fecisti. Sicut enim nomen Dei laudabiliter nobis viventibus glorificatur, sic peccantibus blasphematur. Quartum malum, audientem confudisti, & sic impudentiorem reddidisti, inimicum eum reddens. Quintum, teipsum pœnæ reum fecisti, negotia ad te nihil attinentia texens.*

2. Quæres quot modis peccatum hoc committatur, quandoquidem lædat charitatem pariter ac iustitiam proximi, & communitati maximè noxium sit, quia seminat odia, dissensiones, & lites.

Respondeo octo modis illud committi; quatuor nempe directè, & quatuor indirectè. Directè primò, cum falsum crimen alicui affingitur. Quò plurimùm tendunt loca Scripturæ citata. Et Sapiens Eccles. 11. Eccles. 11. *Attendite à pestifero, fabricat enim tibi malum.* Secundò, cum exaggeratur crimen. Vnde eodem loco dicit Salomon: *A vna scintilla augetur ignis, & à doloso augetur sanguis.* Tertiò, cum revelatur crimen occultum, quamvis verum. De quo Eccles. 27. *Qui denudat arcana amici, perdit fidem.* Verum notandum est, impositionem criminis falsi graviorem iniuriam continere, quàm impositionem veri sed occulti. Qui enim pernicioso mendacio famam alicui detrahit, non sola possessione, sed quasi dominio famæ ipsum spoliat. Qui autem crimen verum occultum prodit, propriè tantum privat hominem iure possessionis, non autem dominij: quandoquidem fama per se & secundum veritatem criminoso debita non est, sed per accidens, videlicet ob publicam ignorationem. Etenim sicut probabilis tua ignorantia sæpè efficit, vt alienum equum, v. g. iustè possideas, iniuriamque inferat, qui eum tibi eripit, antequam liquido constet tuum non esse: ita publica ignorantia tui criminis efficit, vt iustè apud eos possideas bonam existimationem, sive famam; iniuriamque inferat, qui eam tibi eripit, antequam publicè innotescat, tibi reipsa debitam non esse, sed solum ob ignorationem.

Quartò igitur committitur, cùm honestum proximi factum in malum finem vel intentionem torquetur. De quo Eccles. 11. *bona in mala convertens insidiatur, & in electo ponit maculam.* Sic 2. Reg. 10. faciebant Principes filiorum Hanon dicentes, quod David Legatos misisset ad explorandam civitatem, eamque evertendam, quos destinaverat ad consolandum Regem super patris interitu. Item illi, qui Hieronymum criminabantur, quòd Paulam & Eustochium vnà cum Melania quas ad sanctiorem vitam, monasticumque institutum traxerat, magni faceret. De quibus ipse cum stomacho, epist. 99. *Antequam domum sanctæ Paulæ nossem; totius in me vrbis studia consonabant. Omnium penè iudicio dignus summo sacerdotio decernebar. Beatæ memoriæ Damasus meus sermo erat. Dicebar sanctus: dicebar humilis, & disertus. Numquid domũ alicuius lascivioris ingressus sum? numquid me vestes sericæ, nitentes gemmæ, picta facies, auri rapuit ambitio? Nulla fuit alia Romæ matronarum, quæ meam possent edomare mentem, nisi lugens, atque ieiunans, squalens sordibus, fletibus penè cæcata, quam continuis noctibus misericordiam Domini deprecantem sol sæpe deprehendit? cuius canticum Psalmi, sermo Evangelium, deliciæ continentia, vita ieiunium? Nulla me potuit alia delectare, nisi illa, quã manducantem non vidi? sed postquam eam pro suæ merito castitatis venerari, colere suspicere cœpi: omnes me illicò deseruere virtutes. O invidia primum mordax tui! o satanæ calliditas, semper sancta persequens? Nullæ aliæ Romanæ vrbi fabulam præbuerunt, nisi Paula & Melania; quæ contemptis facultatibus, pignoribusque desertis, crucem Domini, quasi quoddam pietatis levavere vexillum.* Et ratione reddita, cur eas coluerit, tandem iungit: *Maleficum quidam me garriunt; titulum fidei servus agnosco. Magum vocant & Iudæi Dominum meum. Seductor & Apostolus dictus est. Tentatio me non apprehendat, nisi humana. Quotam partem angustiarum perpessus sum, qui cruci milito: Infamiam falsi criminis imputaverunt. Sed scio, per bonam & malam famam perveniri ad regna cælorum. Saluta Paulam, & Eustochium, velit nolit mundus, in Christo meas.*

Ecclef. 11.

2. Reg. 10.

Hieronym.

Marc 3.

2. Cor 6.

1. Cor 10

3. Indirectè autem fit totidem modis. Primò negando alterius bonum, vt faciebant Pharisæi Ioan 9. negantes miraculum de cœco nato à Christo factum; idque post serium examen tum parentum ipsius cœci nati, tum ipsius restituti, à quibus extorquere volebant, alio mediante, quam Christo, visum recepisse, quem noverant alter in hunc mundum prodiisse. Secundò, malitiosè reticendo, cum charitas postulat illud manifestari; nempe cùm quæritur de bona conversatione alterius, ne obtineat officium, quod illi potest contingere. Tertiò, diminuendo alicuius merita. Quartò, quando quis aliquem tam frigidè laudat vt in vituperium laudati cedat. Vnde Phavorinus apud Aul. libro 19 Attic. *Turpius est exiguè atque frigidè laudari, quam insectanter & graviter vituperari.*

Ioan. 9.

Phavorin.

4. Quæres rursum, An detegere occultum alicuius crimen semper contineat malitiam mortalem? De crimine falso non disputo, quia illud scienter alicui imponere, semper est illicitum, vtpote perniciosum mendacium negativo hoc Decalogi pręcepto: *Non loqueris contra proximum falsum testimonium*, per se ac directè prohibitum.

Respondeo veniale in primis dumtaxat esse peccatum, quando quis consolationis recipiendæ gratia, aut vt dolor mitigetur iniuriam sibi ab aliquo factam prudenti amico refert. Vtitur enim iure suo; cùm nimis grave sit, & præter humanam consuetudinem, cogi apud se iniurias acceptas concoquere. Sed abesse debet animus detrahendi, ac sese hoc modo vindicandi: & cavere debet ne pluribus communicet, vt solent garrulæ mulieres, quæ rimarũ plenę, vbique erumpunt ac effluunt. Similiter malitiã venialẽ non excedit, quando auctor criminis illud detegi nihili pendit, vt sunt iuvenes, vel milites, qui de fornicatione, stupro, vel duello potius gloriantur.

tiantur. Ratio est, quod iuxta reg. Iuris in 6. *volenti ac consentienti non fiat iniuria*: modò non dicatur coram illis, quibus ex hoc ponatur scandalum, & detur occasio ruinæ, seu similia perpetrandi.

Secundò licet, quando opus est ad impediendum maius damnum communitatis, personæ privatæ, aut ipsius criminosi. Exempla sint: Si homo improbus, & non idoneus Iuventuti præficiendus sit; vel ad sacros Ordines, curam animarum cum multorum damno promovendus. Si Medicus imperitus ad corporis curationem accersendus. Si persona in Matrimonium accipienda, vnde mali exitus timeantur. Sic rursum fas est detegere matri vel patrifamilias, etiam cum aliqua iactura famæ, ac certitudine ordinariæ castigationis, quando famulus aut filius bona patrisfamilias deprędatur, nec aliâ ratione remedium adhiberi potest. In eiusmodi enim casibus occultus defectus prodi potest, & quandoque prodi debet; sed quàm possibile est, cum minimâ iacturâ alienæ famæ. Quare interdum necesse est prius secretò monere hominé, vt abstineat, si spes sit obtemperaturum. Similiter si innocens, ob falsi criminis suspicionem, vitâ vel famâ periclitetur, tuque eum liberare possis, indicando occultum criminis auctorem, plerumque teneris indicare; admonitum tamen prius, vt sibi caveat. fugâ consulat. Sic enim charitas exigit, vt maior ratio habeatur hominis innocentis, quàm nocentis, sicut resolvit Mol. disp. 24. n. 3.

6. Tertiò nullum est peccatum, quando detegitur coram duobus testibus ad extrahendum proximum à peccato, secundum ordinem correctionis fraternæ. Lex enim Christi præcipit illud tunc detegendum, Matt. 18. postquam iusserat fratrem peccantem corripiendum inter se & ipsum solum, addens: *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

Molina. Matth. 18.

7. Porrò extra hos casus non excusat à mortali occultum alterius crimen manifestare vel vni viro prudenti, qui illud non evulgabit: quòd ordinariè hæc iactura magna æstimetur; de gravi scelere apud vnicum virum prudentem ac gravem infamari. Neque etiam excusat occultum alicuius crimen ex auditu aliorum, absque propria confirmatione, & nocendi proposito alijs narrare: At verò peccatum est contra iustitiam, si tali authore ijsque circumstantijs quis narret, vt apud audientes fidem mereatur & sinistram suspicionem generet. Multum enim refert, quo auctore alicui crimen affingatur. Nam vt aliquis de crimine infamatus dicatur, necesse est viros graves ac prudentes talem de homine existimationem habere: si autem constet ab hominibus tantum levibus & imprudentibus rumorem criminis profectum esse, non ideo infamia contracta censeri debet, sicut notat Abb. in cap. *Quæsivisti*, n. 4. de accusation & in c. *Qualiter* 2 n. 29. eod. tit. Quia vanæ voces hominum non sunt audiendæ. l. *Decurionum*, C. de pœnis. Et licet per se non sit grave peccatum leviusculorum hominum auctoritate sinistrum quid referre, tamen peccatum grave est contra charitatem, quando audientes non expondere narrationis, sed ex animi levitate fidem adhibent, ipseque narrator id animadvertat.

8. Imò nec à mortali excusat occultum iam defuncti crimen manifestare. Ratio est, quod quodammodo vivat in hominum memoria & existimatione defunctus, ac veluti possessionem bonæ famæ & gloriæ retineat. Vnde per iniuriam illum eadem spolians, damnum inferre censetur cum restituendi obligatione. Hinc dicebat Eccles. 7. *Mortuo ne prohibeas gratiam.* In quem locum docet Iansenius quatuor modis benefieri defunctis, his verbis: *Est autem multiplex gratia, & beneficium, quod mortuus*

Eccles. 7. Iansenius

mortuis impendi potest, & debet. Primum quidē beneficium sepultura, quod in Tobia commendatur. Secundò beneficium orationis & oblationis pro eorū salute exemplo Iudæi Machabæi nobis in Scripturis commendatum. Ad quod beneficium hic etiam Sapientem istum, qui circa tempora Machabæorum fuit, respexisse satis intelligi potest ex eo, quod gratiam mortuis exhibendam, cum gratia pauperibus præstanda coniungat, sicut & Tobias cap. 4. post præceptum de facienda eleemosyna subijcit: Panem tuum & vinum tuum super sepulturam iusti. &c. significans hoc faciendum per eleemosynæ collationem viuis propter mortuos faciendam: non autem id faciendum ritu Gentilium, qui superstitiosè panem & vinum collocabant super suorum sepulchra. Tertium beneficium est, vt ipsorum posteri & relicti orphani defendantur, & consolatione erigantur. Quartum vt illorum fama defendatur: & eorum nomen pro meritis honoretur. Vnde sequitur à contrario sensu defunctos per detractionem inhonorari.

Tob. 4.

Amos 1. Confirmat hanc rem, quod Dominus per Prophetam Amos cap. 2. tam infensus fuerit in Moabitas, qui Regis Idumææ mortui & sepulti ossa effoderant, cremarant, & redegerant in cineres, vt dixerit: *Super tribus sceleribus Moab, & super quatuor non conuertam eum, eo quod incenderit ossa Regis Idumæi.* q. d. Plura scelera commisit Moab, nec his contentus addidit & quartum præ cæteris insigne & enorme iam dictum. Quapropter non parcam, sed certissimè eum plectam. Et hoc quamvis factum sit, quia Rex Idumæus Moabitas obsidens, in tantam desperationem coëgerat, vt Rex eorum Moab filium proprium Dijs suis immolarit, vt eorum opem in tanta necessitate imploraret, & impetraret. Et ratio est, quod inhumanum sit & probrosum valdè exhumare mortuos, & illorum insultare cineribus: tum quia honor sepulchri sunt vltima iusta naturæ, quæ defunctis decreuit vivorum pietas apud omnes penè gentes: tum quia hoc est cum mortuis dimicare, & eos rursus quasi interficere: tum quia animæ fit iniuria cum eius corpus inhonoratur. Vnde Gentiles sepulchra dicabant, & sæpe inscribebant *Dijs Manibus.* Hinc pessimè apud omnes audivit Cambyses, teste Herodoto lib. 3. qui Amasis Regis Ægypti iam defuncti effodit cadaver, illudque flagris cædi, vellicari, & stimulis pungi iussit. Et hos imitantur detractores, qui mortuorum vitia, quæ terra benignior condit, in hominum conspectum evocant; quod perinde est, atque ossa effodere, & illa comburere: quia sic detecta accipiunt, & exaggerant vitia, quasi incendio digna fuerint, aut cruce, aut denique talia, quæ fœdo aliquo ac duro supplicio puniri debuerint. Herodot.

9 Quæres tertiò, An crimen alicubi notorium, alijs ignorantibus manifestare liceat?

Respondeo præmittendum esse duplex esse notorium, nempe *iuris & facti*, sicut colligitur ex cap. vlt. de cohabitat. Clericor. & mulier. Notorium facti est, quod ita se plurium hominum conspectui exhibet, vt nulla tergiversatione celari possit, secundum Gloss. in cap. *vestra* eod. tit.

10. Quando autem tale notorium existat, prudentis arbitrio definiendum est, num eo vsque criminis notitia vel fama diffusa fuerit, vt spectata humanâ imbecillitate, impossibile sit cohibere, quo minus in aliorum cohabitantium cognitionem deveniat. Et multum refert huius rei securiorem adijcere regulam, quia facile aliqui existimant quid esse notorium. Vnde dico crimen, quod in aliqua domo notorium est, quam viginti incolę inhabitant, per scientiam decem plus minus, non ideo licitum esse alijs ex vicinia crimen manifestare. Neque si in vicinia dumtaxat decem aut duodecim crimen innotuit, fas esse alijs partibus amplæ civitatis, in quibus criminosus famam hactenus illæsam retinuit, revelare: Sed necesse esse vt quid censeatur notorium facti in civitate populosa, quæ vel octies mille habitatores sustineat, quadraginta

ginta aut quinquaginta habere dispersos per civitatem, qui hîc & ibi de crimine loquantur. In villa autem, quæ quinquaginta plus minus domos continet, necesse est ad minimum vt decem vel duodecim diversarum domorum habitatores crimen perspectum habeant.

Hæc singulariter notanda veniunt omnibus, qui dum res tribus, aut quatuor dumtaxat innotuit, facilè solent etiam cum prætexto dolore crimen liberè publicum reddere sine vllo singultu, aut scrupulo conscientiæ; licet gravissime peccent cum restituendi obligatione. De quibus sic Bernardus serm. 24. in Cantica: *Sunt species pestis huius*, supple *detractionis, dum alij quidem nude ac irreverenter, vti in buccam venerit, virus evomant detractionis. Alij autem quodam simulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicque quadam cum gravitate & tarditate, vultu mæsto, demissis supercilijs, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto persuasibiliorem, quantò creditur ab his, qui audiunt corde invito, & magis condolentis affectu, quam malitiosè proferri. Doleo, inquit, vehementer, pro eo quod diligo eũ satis, & nunquã potui eum hac de re corrigere. Et alius: Mihi quidem, ait, bene compertum de illo istud, sed per me nunquam innotuisset: at quoniam per alterum patefacta est res, veritatem negare non possum: dolens: dico, revera ita est* Et paulò post addit, huiusmodi homines perstringens: *Propterea dicit de talibus propheticus spiritus. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Vtique tam veloces, quam velociter currit sermo. Vnus est qui loquitur, & vnum tantum verbum profert, & tamen illud vnum verbum vno in momento multitudinis audientium dum aures inficit, animas interficit. Cor siquidem felle livoris amarum per linguæ instrumentum spargere nisi amara non potest, dicente Domino: Ex abundantia cordis loquitur.* Notorium autem iuris est, de quo aliquis in iudicio convictus est, sicuti colligitur ex c. *Cum olim*, de verb. significat. Verum qui de crimine notorie infamatus est, vel extra iudicium confessus, vel in iudicio semiplenè convictus, censeri non potest notorius v.g. fur, aut vsurarius.

11. Hac distinctione positâ, dico Primò Crimen verum alicubi notorium notitia facti, alijs ex eodem loco seu communitate manifestare, non excedere venialem culpam. Ratio est, quod criminosus censeatur tunc spoliatus iure ac possessione famæ suæ, quando crimen adeò manifestum est, vt moraliter impossibile videatur, quin in aliorum cohabitantium notitiam deveniat. Id verò non semper licet, sed donec infamatus per emendationem famam suam recuperavit. Adeoque non de præterito, & oblivione obruto crimine eiusmodi hominem sine necessaria causa diffamare: sed infertur ipsi iniuria cum restituendi obligatione, quia contrarijs bonis moribus infamiam facti abolevit.

12. Dico secundò, Crimen manifestum notorio iuris, seu per solam Rei confessionem, vel testium depositionem, non posse sine iniuria evulgari. Ratio est, quia tunc solum in ordine ad Iudicem, vt Reum condemnare possit; & nondum in ordine ad populum, publicum crimen censetur. Quamvis si crimen paulò post publicandum sit, saltem gravis iniuria non erit, criminis infamiam antevertere: imò nulla erit, si iustam ob causam id fiat. Qua ratione Christus Dominus peccatum occultum Iudæ, quod statim consummandum fore certò cognorat, propheticè prædixit, & manifestavit discipulo dilecto: *Ille est, cui ego intinctum panem porrexero*, Ioan. 13. vt nimirum appareret, non tradi se inscium, aut invitum, quo ipso prophetico spiritu Petri trinam negationem postea prædixit. Quando autem crimen, quod iuris infamiam annexam habet, per Iudicis sententiam publicatum est, alijs etiam locis sine iniuria manifestare licet, quia

Ioan 13.

quia Magistratus in criminis vindictam decernit reum famâ spoliare, quando eum publica sententia coram populo de crimine condemnat: Imo non peccabit evulgans etiam contra charitatis legem, si divulget tantum in locis eidem Reipub. subiectis; vel alijs, ad quæ ex Republica illa commercia esse solent.

13. Cœterum non licet infamem de vno crimine iuris aut facti infamiâ, de alijs criminibus sive eiusdem, sive diversi generis infamare, v. g. de fure capitali sententia damnato fas non est prodere occultum adulterium; aut de publico adultero dicere esse furem; aut de muliere, quæ ob commissum adulterium infamis erat, postquam emendata creditur, dicere eam relapsam esse. quod tamen valde frequens est.

14. Verum quæstio est, An nullus intercedat scrupulus, si quis referat crimen occultum alterius non nominatâ personâ.

Respondeo sub distinctione. Vel sic refertur, vt absit periculum per illam relationem criminis auctorem dignoscendi. Vel sic refertur, vt personæ qualitas explicetur, quæ facinus aliquod perpetravit, v. g. talis Ordinis Religiosus, talis Principis cognatus.

15. Hac sic positâ, Dico priori casu non committi grave peccatum, quando abest periculum deveniendi in notitiam personæ, quæ eo crimine laborat: cum autem subest periculum probabile deveniendi in notitiam personæ istius, peccatum mortale committitur, etiamsi postea in notitiam non deveniatur. Posteriori verò casu etiam mortale committitur, quando gravis infamia per illud factum redundat in familiam, Ordinem, aut Congregationem aliquam. Imò tantò gravius peccat, qui bono nomini communitatis detrahit, quantò maius & communius bonũ violat. Tametsi enim congregatio v. g. Regularium reipsa non maculatur ex vnius hominis malitia, aut perfidia; sicuti neque Apostolorum collegium ex proditione Iudæ: maculatur tamen apud homines simplices & imperfectos, quibus id multiplici scandalo esse solet.

Vnde D. Augustinus epist. 137. cum cuidam Religioso suo tempore stuprum imponeretur ab aliquo iuvene non ita secundæ famæ; idque evidentibus argumentis nec refelli, nec coargui posset, primum dehortatus est suos à temerario iudicio, dicens: *Iam verò ne malevolo animo de servis Dei falsa suspicando peccatis, illud Apostolicum recordamini, vbi ait: Nolite ante tempus iudicare quidquam, donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis, & tunc laus erit vnicuique à Deo. Et illud item quod scriptum est: Quæ manifesta sunt, vobis: quæ autem occulta sunt, Domino Deo vestro.* Deinde rogat, ne augeat cruciatus suos (cui charitas ita commendata erat, vt dicere posset illud Apostoli: *Quis vestrum infirmatur, & ego non infirmor*) deficiendo vel in suspicionibus falsis, vel in peccatis alienis; quòd plerique ex vnius casu credant omnes istius familiæ tales esse, etsi non omnes manifestentur; imo instent vt de omnibus hoc credatur: *Quid enim aliud,* inquit, *captant, nisi vt quisquis Episcopus vel Clericus, vel monachus, vel sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, sed non omnes posse manifestari?* Et quia illud temerè fieri solet, sic subiungit: *Et tamen etiam ipsi cùm aliqua maritata invenitur adultera, nec proijciunt vxores suas, nec accusant matres suas. Cum autem de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falsitatis sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur.* Cœterum, quia etiam in sanctissimorum virorum familijs id acciderit, vt recensui Discursu in quartum Præceptum n. 10. vrget maiorem esse habendam rationem plurium bonorum, quam vnius mali: *Quapropter,* inquit, *etsi contristamur de aliquibus purgamentis, consolamur tamen etiam de pluribus ornamentis.*

August.

1 Cor. 4.

mentis. Nolite ergo propter amurcam, qua oculi vestri offenduntur, torcularia detestari, unde apotheca dominica fructu olei luminosioris implentur. Et rectè. Qui enim Religionem approbatam libenter impugnant, eique obloquuntur, parum abesse videntur, vt de statu Religionis vniversim malè sentiant, non absque periculo vel suspicione hæreseos.

16. Quæres vltimò, Quomodo quis restituere debeat famam, quam iniustè abstulit?

Respondeo Primò restituere debere, vel per revocationem, quando falso detraxit, asserendo se falsum dixisse, & si opus sit iuramento id affirmando illis, apud quos proximum diffamavit, aliove modo per testes, aut alios donec famam plenè restituerit. Secundo si verum crimen, sed occultum dixerit, tenetur dicere se ex suâ malitiâ id dixisse; ac mentitum esse, subintelligendo aliàs mentitum fuisse, iuxta illud Psalm 115. *Omnis homo mendax*: aut cogitando in scripturis opera mala dici falsitates & mendacia vt patet Psalm. 118. *Omnia tua mandata veritas*, id est, iusta & bona: Et Ioan. 3. *Qui facit veritatem, facientes*, id est iuste viventes, *crescamus apud Deum*. Et Psalm. 4. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium*, id est peccatum. Et Psalm. 115. *Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax*, id est, peccator. Et ex Hierem. 8. *Apprehenderunt mendacium*, id est, peccatum, *& noluerunt reverti*. Et infra: *A Propheta vsque ad Sacerdotem cuncti faciunt mendacium*, id est peccatum & iniquitatem: Aut honorificè loquēdo de eo in illis, in quibus alteri detraxit, idque apud eosdem captando occasionem tam efficaciter eum laudandi, vt, qui audierant, deponant malam suspicionem: aut per petitionem veniæ per tertiam personam; non est enim necesse re prodere: aut per compensationem in alio genere bonorum, vt per pecuniæ, vel alterius beneficij æquivalentis damno famæ, quando diffamatus illâ contentus est, quod rarò contingit inter viventes: aut per aliam compensationem. Et nota, quando damna secuta sunt ex diffamatione, detrahentem obligari ad ea resarcienda; quin etiam in eius iam defuncti defectum hæredes ad eadem obligari iuxta vires hæreditatis cum repræsentent defunctum; par ratio est de fama, quando pecunia restituenda venit.

Marginalia: Ps. 115. Ps. 118. Ioan. 3. Psal. 4. Ps. 115. Hier. 8.

Discursus VII.

An, & quale peccatum sit detrahentem audire?



Hieronymus epist. 14. beatum illum dicit, *qui ita se contra vitium* (detractionis) *armavit, vt apud eum detrahere nemo audeat.* Præclara sententia, quam tamen pauci sequuntur; sed contra ita detrahentem audiunt, quasi nulla foret in hoc difficultas: proinde quæram quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæsiti intelligentiā notandum est, detrahentem audire sæpe grave peccatum esse, vt abundè testatur sacra Scriptura, videlicet Psal. 14. vbi Propheta declarat beatū fore, qui *opprobrium non accepit adversus proximos suos*, seu, qui *passus non est coram se lædi nomen ac famam socij & propinqui sui*, vt vertit Arias. Item Proverb. 24. vbi Sapiens interdicit omnem conversationē cum detrahentibus. *Cum detractoribus*, inquit, *ne*

Marginalia: Hieronym. Psal. 14. Arias. Prov. 24.

ne commiscearis; quoniam repente consurget perditio eorum, & ruinam vtriusque quis novit? q.d. Cave consortium detractorum; incertum enim est, qua pœna subitò Deus detrahentem, & detrahenti obsequentem afficiet. Accedat his D. Bernardus, qui serm. de triplici custodia, cum summâ cautelâ vult in hoc negotio quantumvis religiosam personam audiri: *Levis*, inquit, *res sermo; tenera, mollis, & exigua caro sermo hominis: quis sapiens magnipendat? Levis quidem res sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat: leviter transit, sed graviter vrit: leviter penetrat animum, sed non leviter exit: profertur leviter, sed non leviter revocatur: facilè volat, atque ideo facilè violat charitatem. Vilis res est musca moriens, sed exterminat oleum suavitatis.* Et paulò post: *Facilè lingua labitur, nec minus facilè illabitur cordi, ita vt multis inter loquendum minus profuerit quod propriam cohibuerint, dum non caverint alienam. Vtilis est frater, qui tibi loquitur, sapiens est, religiosus ac timens Deum, plus quã angelus est, & angelus lucis: etiã si cave tibi ne audias vnde lædaris. Nec personã tibi velim suspectam esse, sed linguam, præsertim in sermocinatione communi. Bona quidem columba simplicitas, sed in hac parte quoque serpentis astutiam non omittas. Maria ne angelicum quidem verbum sine discussione præteriens, cogitabat qualis esset illa salutatio. Tu quoque qui crebris experimentis saltem solerter advertisti quantum noceant verba, non desipies si sollicitus fueris, quandoquidem interesse necesse est collocutioni non modo ori circumspectionem, sed & auri nihilo minus adhibere cautelam.*

Bernardus

Matth. 10

Luc. 1.

2. His positis quæres, Quibus modis contingat aures præbentem detractori, mortalis peccati fieri reum?

Respondeo tribus modis. Primus est, quando suo imperio vel consilio, vel sciscitando de alienis defectibus, vel demonstrando sibi gratam fore alterius peccati enormis detectionem; aliove modo tanquam causa moralis influendo, alterum ad detrahendum movet. Idque ex duplici capite, primò, quia est causa vel concausa notabilis damni alieni. Qua ratione dixit Bernardus 2. de Considerat. cap. 13. *Detrahere aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim.* Secundò quia offendit contra charitatem, dum infamanti est occasio scandali. Huc tendit dictum Augustini homil. de Decollatione Ioannis Baptistæ: *Ille qui hominem provocat ad iurationem, & scit eum falsum iuraturum esse, vincit homicidam: quia homicida occisurus est corpus, ille animam, imo duas animas, & eius animam, quem iurare provocavit, & suam.* Quod non solum intellige de illo, qui non paratum ad detrahendum excitat, vt qui rogat Paulum quid dicatur de Petro, sciens Paulum revelaturum peccata Petri: sed etiam extende ad illum, qui iam paratum ad detrahendum alicui accendit, incitat & inflammat, sive id faciat verbo, sive quocumque nutu aut gestu.

Bernardus

Augustin.

3. Secundus modus, quo audiens detractorem fit peccati mortalis reus, est quando quis detractione per consensum oblectatur: id enim est peccatum odij ex genere suo mortale, quando delectatio de iactura alienæ famæ est formalis ac per se: quia consensus deliberatus in obiectum mortale, mortalis est, teste Apostolo ad Roman. 1. vbi inter alia insinuans detractores Deo odibiles, esse de numero eorum, quos Deus tradidit in reprobum sensum, addit: *Digni sunt morte, non solum qui talia agunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Confirmatur exemplo Iob, qui de complacentia alieni mali idcirco se ita excusat, vt velit subire omnia adversa, si vllam lætitiæ voluptatem ceperit etiam ex adversariorum rebus minimè prosperis; aut illorum ruina, & pernicie gaudio affectus fuerit, in verbis: *Si gavisus sum ad ruinam eius, qui me oderat: & exultavi quod invenisset eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens animam eius.* q. d. Mirificè etiam hostes meos diligebam, ex quo profe-

Rom. 1.

Iob 31.

profectum est, vt nihil infaustum illis precarer: neque quidem os, guttur, cœteraque sermonis instrumenta, sponte quasi sua expedita, & prona ad inimicorum comminationem, & execrationem suæ libidini vnquam permitterem, sed semper in officio charitatis continerem, ne quo vnquam verbo contra proximum peccarem; aut vitam illorum odissem, vindicationis ad iniuriam propulsandam cupiditate.
Hieronym. Hinc etiam Hieronymus epist. 14. ad Celantiam, qua eam instruit quomodo inter honores, divitias, & matrimonij onera vitam suam sanctè ac religiosè ducat, duo seriò monet, nempe cavere à detractione, & detrahenti aures præbere: *Nulli*, inquit, *vnquam detrahas, nec aliorum vituperatione te laudabilem videri velis. Magisque vitam tuam ordinare disce, quam alienam carpere. Ac semper*
Prov. 20. *scripturæ memor esto dicentis: Noli diligere detrahere; ne eradiceris; Pauci admodum sunt, qui huic vitio renuntient: raroque invenies, qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, vt non libenter reprehendant alienam, tantaque huius mali libido mentes hominum invasit, vt etiam qui procul ab alijs vitijs recesserunt, in istud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant. Tu vero hoc malum ita effuge, vt non modo ipsa non detrahas, sed ne alij quidem detrahenti aliquando credas. Nec obtrectatoribus auctoritatem de consensu tribuas; ne eorum vitium nutrias annuendo. Noli*, inquit, *scriptura, consentaneus esse cum derogantibus adversus proximum tuum; & non accipies super illum peccatum.*

4. Tertio modo peccat quis mortaliter, quando violat præceptum correctionis fraternæ, quo mortale peccatum à detractore depellere tenetur; aut præceptum transgreditur charitatis, quo damnum famæ ab infamato propulsare obligatur; idque etiamsi ad detractionem non incitet, nec in ea sibi complaceat, modo detractio mortalis credatur, & spes fructuosæ impeditionis subsit, ac inde notabile aliquod detrimentum audienti non adveniat. Huc tendunt verba Sapientis Proverb. 4. *Remove à te os pravum, & labia detrahentia procul sint à te.* quasi dicat: Elonga à te detrahentem de facto eum removendo, vt clarius indicat Propheta Psal. 100. *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar: Vnus est enim*, vt inquit Bernardus sermon. 24. in Cantic. *qui loquitur, & vnum tantum verbum profert, & tamen illud vnum in vno momento multitudinis audientium, dum aures inficit, animas interficit* Et hinc Chrysost. hom 3. ad populum: *Non solos autem maledicentes, sed & alijs detrahentes audientes admoneo aures obstruere, & Prophetam imitari dicentem Psal. 100. Detrahentem secreto proximo suo persequebar. Dic proximo, habes aliquem quem laudes & commendes? aures aperio, & vnguenta suscipiam: si verò malè velis dicere, verbis ingressum obturo; non enim stercus & cænum accipere sustineo. Quod mihi lucrum si didicero quod ille improbus? maximum igitur nocumentum ex hoc, & extrema iactura. Loquere ad ipsũ. curemus nostra quomodo peccatorum rationem demus, & curiositatem hanc, & operosã indagationem circa vitam nostram exhibeamus. Quam enim habebimus excusationem, quam veniam, cum nostra ne in mentem quidem veniant, aliena verò curiosè scrutemur? Sicut in domum declinare* supple alienã, *& interiora cõsiderare prætereunti turpe est, & multa ignominia plenum: sic & circa alienam vitam satagere illiberalitatis extrema est. Hoc verò ridiculum magis est, quod talem habentes vitam, & propria negligentes, cum aliquid arcanum dixerint, rogant audientẽ, & adiurant, ne cuiquam amplius alteri dicat: hinc declarantes, quod rem reprehensione dignam commiserint. Si enim illum, vt nemini dicat, rogas: multo magis te priorem huic dicere non oportebat. In tuto sermonem habebas: postquam ipsum prodidisti, tunc salutem ipsius curas, si non vis efferri, neque alteri ipse dicas: postquam vero alteri prodidisti sermonis custodiam, superflua facis & inutilia admonens & obtestans pro dictorum custodia.* Et longè post hac similitudine rem magis vrget: *Si quis*, inquit, *te prætereunte*

Prov. 4.
Psalm 100.
Bernardus
Chrysost.

stercus commoveat, hoc facientem non convitio & contumelia afficias? hoc facit erga detractores: non enim sic commotum stercus illum fatorem suscipientem cartilaginem percellit, sicut aliena peccata excussa, & vita impura audientium animos prodita contristare, & perturbare solent.

Hieronym. Præclarè quoque S. Hieronymus loc. citat. animadvertens ex hoc capite multa mala oriri, inquit: *Est sanè hoc vitium quod vel in primis extingui debeat, & ab eis, qui se sanctè instituere volunt, prorsus excludi. Nihil enim tam inquietat animum, nihil est, quod ita mobilem mentem, ac levem faciat, quam facilè totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi. Hinc enim crebræ dissensiones, hinc odia iniusta nascuntur. Hoc est, quod sæpè de amicissimis etiam inimicos facit, dum concordes quidem, sed credulas animas maliloqua lingua dissociat. At contra, magna quies animi, magnaque est morum gravitas, non temere de quoquam sinistri quid audire. Beatusque est, qui ita se contra hoc vitium armavit, vt apud eum detrahere nemo audeat. Quod si hac in nobis esset diligentia, ne passim detractoribus crederemus: iam omnes detrahere timerent; ne non tam alios, quam se ipsos, viles detrahendo facerent. Sed hoc ideo malum celebre est, idcirco in multis fervet hoc vitium, quia pene ab omnibus libenter auditur.*

Confirmatur ratione, hoc Christiano esse necessarium: quemadmodum enim in bonis fortunæ quis tenetur, quando potest sine magno suo incommodo, vel extinguere ignem quo flagrat domus proximi; & defendere, ne à furibus quid accipiatur: vel sublevare iumentum alterius iacens sub onere, & non faciens peccat mortaliter, iuxta illud Exod. 23. *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis eum, sed sublevabis cum eo*: videlicet quando facilè potes: ita etiam qui non defendit famam proximi, dum possit commodè, quandoquidem Exod. 23. maioris valoris est fama, quam sunt bona fortunæ. Omitto quod amplius quis teneatur alterius famam tueri, quam propriam, cum sit Dominus famæ suæ; quippe quam proprijs virtutum actibus comparavit, adeoq; potest iure suo cedere non solum absque peccato, sed etiam cum merito, rationabili tamen de causa, iuxta consilium D. Gregorij homil. 4. in Ezechielem dicentis: *Linguas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare, ita per suam malitiam excitatas debemus aquanimiter tolerare, vt nobis meritum crescat.* At non potest cedere iure & obligatione, quâ ad defensionem aliorum bonorum tenetur, quando Dominus rationabiliter invitus præsumitur. Præclarum huius rei exemplum præbuit nobis Ionathas, qui intuens periculum Davidis, & Patrem Saülem de illo malè loquentem, piè compescuit, vt testatur 1. Reg. historia cap. 19. his verbis: *Locutus est ergo Ionathas de David bona ad Saul patrem suum: dixitque ad eum: Ne pecces Rex in servum tuum David, quia non peccavit tibi, & opera eius bona sunt tibi valde. Et posuit animam suam in manu sua, & percussit Philisthaum, & fecit Dominus salutem magnam universo Israëli. Vidisti & latatus es. Quare ergo peccas in sanguine inoxio, interficiens David, qui est absque culpa? Quod cum audisset Saul, placatus voce Ionatha iuravit: Vivit Dominus, quia non occidetur.* Greg. 1. Reg. 19.

5. Porrò hac in re gravius peccant Superiores, quam subditi. Ratio est quod hi subinde ob rationabilem verecundiam molestiamque redarguendi excusentur, vt sunt famuli Magnatum, aliæque personæ minoris notæ, quandoquidem regulariter non sit spes fructus: illi verò ex officio ad hoc obligentur, & occasionem præbeant subditis detrahendi, iuxta illud Proverbior. 29. *Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios.* id est, qui detractiones, quibus alijs detrahitur, libenter audit, ministros habet impios Prov. 29.

Ianſenius. impios: *quia*, vt inquit Ianſenius eo loci, *miniſtri ſtudendo ſuo Principi placere, talia auribus eius adferent, qualibus illum delectari ſciunt, & etiamſi prius tales non erant, efficientur impij ex ipſius miniſterio, dum ſe illi accommodant.*

6. Quæres, Quid faciendum ſit audienti, vt conſcientiam illæſam ſervet, quando modo prædicto detrahentem compeſcere non valet?

Reſpondeo, ſermonem ad alia cum dexteritate eſſe transferendũ, vel facetias aliquas interponendas, quibus inſinuet quis aures ſuas eiuſmodi ſermones faſtidire. Et ſic adimplebit, quod præcipit Sapiens Eccleſ. 28. dicens: *Sepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire, & ſeras auribus tuis facito.* q. d. Muni aures tuas, & obtura eas, ne pateant detractoribus maledictis & mendacibus. Cum enim proſecutus eſſet mala, quæ à pravitate & maledicentia linguæ inferuntur, hortatur convenienti ordine, vt aures noſtras civili hoc modo muniamus contra eos, qui perverſæ ſunt linguæ, ne illorum detractionibus facilem acceſſum præbeamus, ſimilitudine ſumptâ ab agro ſpinis circumſepto contra beſtiarum incurſus, & à domo quæ oſtijs & vectibus occluditur, ne furibus pateat ingreſſus. Eccleſ. 28.

Secundò ſi hoc modo impedire non poſſit, vel tenebitur diſcedere, ſi id cum honore fieri queat, vel ſaltem vultum triſtiorem exhibere. Quod omnibus poſſibile eſt, etiam in convivijs, vbi perquam ſæpe fama proximi perit, dum inter epulas carnes etiam humanæ dilaniantur, & anima occiditur. Id enim ſuadet Sapiens dum Proverb. 25. dicit: *Ventus aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentis.* Et Eccleſiaſt. 7. *Per triſtitiam vultus animus corrigitur delinquentis.* Illuſtrat hoc D. Hieronymus epiſt. 4. pulchra ſimilitudine. *Sicut enim ſagitta*, inquit, *ſi mittatur contra duram materiam, nonnunquam in mittentem revertitur, & vulnerat vulnerantem, ita* Prov. 25. Eccleſ. 7. Hieronym.

detractor, cum triſtem faciem viderit audientis, imo non audientis, ſed obturantis aures ſuas, ne iudicium audiat ſanguinis, illico conticeſcit, pallet vultus, hærent labia, ſaliva ſiccatur. Vt vt eſt, detractor ex hoc intelliget tibi moleſtum eſſe huiuſmodi ſermonibus aures præbere. Et ipſe ſapientior fiet teſte Chryſoſtomo loc. citat. dicente. *Si delatores didicerint, quod ipſos magis, quam accuſatores averſemur: & ipſi tandem ab hac mala conſuetudine deſiſtent, & peccatum corrigent, & laudabunt poſthac, & noſipſos ſuos ſalvatores factos, & benefactores prædicabunt. Sicut enim benedicere, & laudare amicitiæ principiũ eſt; ſic & maledicere, & calũniari inimicitiæ, & odij, & iniuriarũ principium eſt, atque diſcordiarũ materia. Non aliunde noſtra negliguntur, quam quod aliena ſatagimus, curioſeque ſcrutamur: non enim vacat homini accuſanti, & alienos inquirenti mores propriam quandoque vitam curare: ſtudio enim omni in alienorum curioſitatem impenſo, neceſſe eſt omnia eius temere & negligenter iacere.* Chryſoſt.

Cæterum, etſi quis nolens audierit inter paucos alterius famam denigrari; tamen obligatus manet illud ſilentio comprimere. Huc tendunt verba Sapientis Eccleſiaſt. 14. *Audiſti verbum adverſus proximum tuum, commoriatur in te, fidens, quoniam non te dirumpet.* In quæ verba Ianſenius: *Vtiliſſimum ſanè præceptum contra communem, omnibuſque ferè inſitam levitatem, qua pleni rimarum hac & illac perfluunt, alijs mox communicantes, quidquid de vitijs alienis didicerunt. Si, inquit, audiſti verbum contra proximum tuum, ſimul vt illud audiſti & excepiſti in te, moriatur in te, ſepeliatur, & in oblivionem veniat, ita vt non cogites de referendo alijs. Nec enim eſt quod metuas, ne noceat illud tibi apud te continuiſſe, ſed bene confidere debes, quod illud ſilentio preſſum non te dirumpet. Non eſt enim veluti venenum, quod niſi evomatur, hominem dirumpit, ſed veluti res mortua inefficax & innoxia. Quod appoſite dictum eſt à Sapiente, eò quod plerique audita aliter continere apud ſe nequeant, quam ſi metuerent ſe dirumpendos, niſi in aliorum* Eccleſ. 14. Ianſenius.

Chrysost. *aures effunderent.* Hoc Chrysostomus dicit hominem facere in securitate vivere cum voluptate. *Apud seipsum,* inquit, *continens, in securitate plurima, cum multa vivet voluptate. Audisti sermonem?* inquit, *moriatur in te: confide nõ te disrumpet. Quid est, moriatur in te? extingue ipsum, ac fodito, neque exire, neque penitus moveri permittas: sed maxime stude nec alios quidem maledicentes tolerare: quod si quandoque susceperis, infodito, interime dictum, trade oblivioni, vt his, qui non audierint similis fias, & cum multa pace & securitate præsentem transigas vitam.*

His ita decisis non inutiliter quæres, quando audiens detractionem teneatur ad restitutionem?

Respondeo tunc teneri, quando occasionem præbuit alterum diffamandi, videlicet, quando detractari imperavit alteri detrahere, vel fraude alterum ad detrahendum induxit; aut etiam consilio, aliave ratione incitavit detractorem: tunc enim ipse causa vel concausa fuit detractionis, adeoque peccavit cõtra iustitiam, quæ ad restitutionem obligat; cum hac tamen distinctione, vt priori casu videlicet imperans vel inducens restituere principaliter teneatur, eò quod fuerit causa principalis damni; detractor verò solùm in defectum ipsius, posteriori casu detractor præcipuè obligetur, in defectum vero ipsius incitans, tanquam causa minus præcipua.

Discursus VIII.

De Contumelia.

Quid sit, & quale peccatum?

Psal. 6 PRopheta David Psal. 56. dicit de detractoribus: *Dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* quod etiam contumeliosis congruit, nam & illi lingua sua alijs præiudicant; hinc tractabo quod in argumento ponitur.

1. Contumelia igitur est *vitium, quo alicui honor & reverentia, debita aufertur, sive per verba, sive per facta, sive per quidquid aliud habẽs vim significandi.* Eã Iurisperitis vocari solet iniuria, sicuti constat ex tit. ff. & C. de iniu-

Vlpianus rijs. Et teste Vlpiano l. 1. ff. de iniurijs, à contemnendo dicta est contumelia, quasi ex superbia proce-

Prov. 0. dens. Vnde Proverb. 10. dicitur: *Vbi superbia, ibi contumelia.* Differt autem à detractione, quod detractor celare cupiat detractionem suam, & in absentia plurimùm detrahat: contumeliosus verò verba proferat vel coram, vel ea intentione vt perveniat in notitiam iniuria affecti. Adeoque non satis est in Confessione explicare se alteri detraxisse, sed exprimere necessum est, se eo animo dixisse, vt alter intelligat se ab illo contemni & vilipendi: nam sunt specie inter se distincta, sicut furtum & rapina.

2. Porrò contumeliæ affine est convitium & improperium, quæ materialiter tantum inter se differunt. Contumelia enim propriè dicitur, quando significamus & manifestamus defectum proximi in aliquo malo culpæ, vt cum dicimus illum esse hæreticum, proditorem, latronem, furem, aut aliquid simile. Sic commisit contumeliam erga David Semei *vir de cognatione Saul,* 2. Reg. 16. dicens: *Egredere, egredere* 2. Reg. 16.

vir

vir sanguinum, & vir Belial. Sic Iudæi erga Ioannem & Christum dixe- Matt. 11. runt, quod refert Matthæus cap. 11. *Venit Ioannes neque manducans, neque bibens & dicunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus*, q. d. tales sunt, vt quantumvis sanctos contumeliâ afficiant. Et Pharisæi Ioan. 8. Ioan. 8. dicentes Christo: *Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Convitium verò dicitur, quando significatur defectus in malo pœnæ. Tale commiserant Matt. 13. Iudæi Matth. 13. in contemptum Christi dicentes: *Vnde huic sapientia hæc, & virtutes? Nonne hic est fabri filius, nonne mater eius dicitur Maria?* Similiter qui alium notant, quod cœcus, quod gibbosus, quod spurius sit, aut malè natus. Improperium autem præcipuè consistit in eo, cum quis iniuriosè alteri in memoriam reducit auxilium vel beneficium, quod ei in necessitate constituto præstitit, Eccl. 20. iuxta Ecclef. 20. *Exigua dabit, & multa improperabit*: vt fit, cùm quis alicui vt exprobret sufficienter vitia parentum, & alia ipsius, quibus meritò inhonorandus venit, dicit: *Magnas debes Deo gratias, quod sic te exaltaverit. Novi te cum puer esses, & parentes tuos, quin etiam cùm provectioris ætatis tali, aut tali loco degeres.*

Per facta autem committitur, quando quis ignominiæ causa impetitur. Vnde Instit. de iniurijs §. *Atrox.* ait Iustinianus Imperator iniuriam atrocem censeri, graviusque puniendam, quæ æstimari debeat *vel ex facto, veluti si quis vulneratus sit, vel fustibus cæsus: vel ex loco, veluti si cui in theatro, vel in foro, vel in conspectu Prætoris iniuria facta sit.* Sic dictus Semei contumeliam intulit Davidi, cum 2.Reg. 16. egrediens procederet, *maledicebat, mittebatque lapides contra David, & contra vniversos servos Regis David.* Item qui alicuius posti cornua aliaque affigit, quo inhabitantis vxorem adulteram designet; aut famoso libello alteri crimen inurit. De quo videre licet l. 5. §. *si quis*, ff. de iniurijs, & l. 1. C. de famosis libellis. Denique, qui dum in personam nihil potest, eius imaginem iniuriandi causa, vel violat, vel iniuriâ afficit. Similiter cadaveri defuncti, funeri, sepulchro, epitaphio contumeliam irrogat. Vnde iure civili datur actio hæredibus hos persequendi, sicut constat ex l. 1. ff. de iniurijs, & tit. ff. ac C. de sepulchro violato. Sicut enim illis honor exhiberi, ita & contumelia irrogari potest.

3. Quæres quale peccatum sit contumelia? Respondeo ex genere suo, seu quando materia gravis est, peccatum esse mortale. Probatur ex ex illo Matth. 5. *Si quis dixerit fratri* Matth. 5. *suo, fatue, reus erit gehennæ*: tum etiam quòd maius damnum sit, quod infertur proximo in honore per contumeliam, convitium, & improperium, quam quod per furtum & rapinam in divitijs: quia bonum honoris præstat divitijs, iuxta illud Prov. Prov. 22. 22. *Melius est bonum nomen, quam divitiæ multæ*: atqui furtum & rapina peccata sunt ex genere suo mortalia: ergo multò magis peccata contumeliæ. Confirmatur ratione; nam passim viri honorati magni honorem æstimant, vt patet exemplo Saulis, qui 1. Reg. 15. postquam in- 1.Reg. 15. tellexerat à Samuele se propter inobedientiam reiectum à Deo, ne esset Rex, obvians Prophetæ voluit illum secum reverti ad continuandum victimarum officium (quod nonnihil intermiserat) quatenus Propheta suâ præsentiâ ostenderet gratum esse Deo munus illud ex spolijs Amalec, & in eo, in quo secretò accusatus erat, nullũ intercessisse peccatum. Quod cùm Propheta recusaret, ac discederet ab ipso indignatus, pallium abeuntis arripuit ita violenter, vt magnum ex eo frustum abstulerit, quemadmodum insinuat Scriptura his verbis: *Ille autem apprehendit summitatem pallij eius, quæ & scissa est.* Et licet ex lascinia descissa rursum prædiceret, decretum esse regno illum privare, dum dicit, *Scidit Deus regnum Israël à te hodie*: tamen institit vlterius dicens: *Peccavi, sed*

nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israël quasi diceret: Etsi nolis vllo modo probare, & laudare, quem divino iudicio scis improbatum, Deique nomine severa reprehensione percussisti, saltem tua præsentia meam æstimationem apud populum nonnihil conserva.

Hinc etiam videmus in S. Scriptura viros honoratos etiam lacessitos, à contumelia proximi abstinuisse. David enim Absalonem affectu patricidam, defectu fratricidam, honoris causa non destitit Regem appellare. Sic enim Ethai proselytum hortatus est: *Revertere, & habita cum Rege.* Cuius modestiam & clementiam admiratus Theodoretus, sic scribit q. 30. *Iure est admiranda Davidis lenitas, & mansuetudo, quem cum persequeretur, & bello invaderet execrandus filius, non eum nominavit parricidam, non fratricidam; sed Regem. Et cum multo egeret auxilio, curam gessit salutis proselyti. Revertere,* inquit, *& averte fratres tuos tecum, & Dominus faciet tecum misericordiam & veritatem. Sed quantò maiorem eius curam Rex gerebat, tantò ille in eum maiorem ostendebat benevolentiam. Hæc autem scripta sunt ad nostram doctrinam, vt discamus, quod non oportet in rebus quidem secundis versari cum amicis; sin autem in res adversas inciderint, eos deserere.* Sic Iehu Rex Israëlis Ioram, quem divino imperio tanquam sceleratissimum occiderat, Dominum suum dixit, 4. Reg. 10. in verbis: *Si ego coniuravi contra Dominum meum, & interfeci eum?*

2. Reg. 15.

Theod. rit.

4. Reg. 10.

4. Sed dices, Si tantum sit peccatum contumelia, quomodo Christus Luc. 24. dixit discipulos *stultos & tardos corde*, & Paulus Galatas insensatos?

Luc. 24.
Gal. 3.

Respondeo in hoc nullum esse peccatum. Hæc enim à Christo & Paulo dicta sunt solo animo corripiendi; quod quando fit cum debito moderamine, nullum est peccatum. Sic Christus egit cum his discipulis, cùm stultos & tardos corde appellavit, qui non credebant infinitis testimonijs Prophetarum, qui de resurrectione & gloria Christi per passionem eventura prophetaverant. Sic quoque Paulus Galatas increpavit, cum audirent pseudoprophetas docentes servare legem Moysis cum Evangelio, dicens: *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus?* Id enim Apostoli convitium non indignationis, sed charitatis erat, contumelia scilicet materialis, non formalis, quia non convitiandi animo prolata, sed ex amore & zelo, vt duros Galatas feriat, molliat, corrigat: vnde & emollit illud convitium per verba: *Quis vos fascinavit?* q. d. Fierine potest vestros sic oculos fascinari, vt Christum redemptorem vestrum pene adhuc ante oculos vestros pendentem non intueamini? vt tam vivi, recentisque beneficij, redemptionis, inquam, vestræ obliviscamini? vt Christum non agnoscatis vivis adeo coloribus, imò sãguine proprio in cruce depictum? quomodo enim ita pingitur, nisi quia peccati expiator & iustificator est peccatoris? Quod ergo potuerint oculi vestri sic fascinari, fascino Iudæorum magis tribuo, quàm vestræ dementiæ.

Sic quando defectus contingunt contra honorem fidei, religionis, pium est & sanctum acriori obiurgatione contraire. Quod & parentibus & Superioribus cum debito moderamine imitari licet in correptione subditorum. Ratio est, quia cum temporalia ordinentur ad spiritualia, possunt Superiores (quantum prudentia dictat) vti honore & fama subditorum suorum ad eorum correptionem. Sicut enim, teste S. Thoma 2. 2. q. 52. a. 2. in corp. aut 2. ad 3. licitum est aliquem verberare causa disciplinæ: ita etiam potest causa disciplinæ alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod convitiosum dicere. Sic enim Christus rursum Scribas vocavit hypocritas, Matth. 23. Paulus Elymam filium diaboli, Act. 13. Verum in his magna opus est prudentia. Sæpe enim contingit inter homines defectu istius.

D. Thomas.

Matt. 23.
Act. 13.

istius, vel infirmos in fide ex nimia obiurgatione contristari, & deteriores evadere: vel filios sæculi mores induentes convitijs paternis offendi, & iugum excutere, quod Apostolus inhibuit ad Coloss. 3. dicens: *Nolite ad iracundiam provocare filios vestros, ne pusillo animo fiant.* Vel denique obiurgantem limites excedere, & plures contumelias vitiorum iam emendatorum vno gurgite in eum effundere, qui de vno crimine dumtaxat obiurgandus venit, & sic potius diversas specie contumelias committere, quàm vnius vitij reum corrigere: (quod sanè perabsurdum est) & confessionis novam materiam parere. Quod tamen experientia docet passim contingere inter dominos respectu servorum, patres respectu filiorum, maritos respectu vxorum, & superiores respectu subditorum, qui prætextu correctionis iniuriam sæpè inferunt malitiam mortalem continentem.

Coloss. 3.

5. Quæres, An, & ad quam restitutionem teneatur contumeliosus? quandoquidē dicat Apostolus Roman. 13. *Reddite omnibus debita, cui honorem, honorem.*

Respondeo quemvis obligari ad restitutionem, sed differentiam esse inter Superiorem, inferiorem, & parem. Nam Superiores non obligantur veniam petere, aut genua flectere, vel similia submissionis signa ostendere; sed satis est, vt læso secundum illius statum & dignitatem debitum honorem exhibeant. Ratio est, quod illorum officium, cuius auctoritas bono communi omnino est necessaria, non debeat contemptui exponi, iuxta D. Augustinum in regula, quæ sic habet: *Quando autem necessitas disciplinæ in moribus coërcendis dicere vos verba dura compellit, non à vobis exigitur, vt à vobis subditis veniam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.* Et idem dicendum est, si lędens in honore sit vir nobilis, læsus autem vir plebeius. Inter illustres enim non est hic mos veniam petendi, ac proinde à Confessarijs ad hoc cogi non debent, sed dumtaxat vt aliter debitam reverentiam exhibeant.

August.

6. Quantum ad pares & inferiores attinet, tenentur hi veniam petere, iuxta illud Matth. 5. *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius recōciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Præclarè in hæc verba Chrysostomus homil. 16. in Matth. *O admirabilem*, inquit, *benignitatem, atque ineffabilem erga homines amorem Dei. Honorem suum despicit, dum in proximo charitatem requirit: ostendens quoniam nec priora, quæ etiam comminatus est, odio aliquo hominum, vel de cupiditate inferendi supplicij comminatur, sed amore præcipuo. Quid enim his verbis mitius esse possit? quid levius? interrumpatur, inquit, cultus meus, vt tua charitas integretur. Sacrificium est mihi fratrum reconciliatio. Propterea quippe non dixit, postquam obtuleris: aut priusquam offeras; sed munere ipso iam posito, & inchoante sacrificio, reconciliandum mittit ad fratrem: & neque proposita etiam munera auferri iubet, neque priusquam offerantur id memorat: sed proposito palam sacrificio, illuc currere imperat offerentem. Quam igitur ob causam istud fieri iubet? Duo sunt, vt certè ego arbitror, quæ per ista designat & conficit. Vnum quidem, quod vtique iam dixi, ostendere scilicet volens quod honoret maximè charitatem, & hanc acceptissimum esse sacrificium ducat: absque ista verò nec illud profectò suscipiat. Aliud vero, quod irrefutabilem quamdam necessitatem reconciliationis imponat. Qui enim iussus est non prius munus offerre, quam reconcilietur offensio: etiamsi non ob proximi charitatem, saltem ne sacrificium maneat imperfectum, currere ad contristatum iubet, inimicitiasque dissolvere. Propterea & disertè cuncta memoravit, terrens illum videlicet ac suscitans. Cum enim dicitur, relinque munus tuum; non ibi restitit: sed intulit ante altare, rursus ab ipso etiā loco horrorem inyciens: & vade: nec tantùm dicit: vade: sed adiunxit, prius: & tunc veniens offer munus*

Matth. 5.

nus tuum: per omnia ista significans, quia per aliquas inter se inimicitias dissidentes, nequaquam mensa illa suscipiat. Audiant hi qui sacris certè mysterijs initiati, cum inimicitijs ad communionem altaris accedunt. Vnde tam necessarium esse veniam petere aiunt Doctores, vt lædens pecuniâ satisfacere non queat, quamdiu læsus per veniæ petitionem vult sic iustitiæ satisfieri, eodem modo, quo non satisfacit, qui alterius habet equum vel phialam argenteam ipso invito & vult ea reservare, sed compensare dando pecuniam æquivalentem. Nec sufficit quod læsus familiariter cum iniuriante converseтur: Multi enim quia simul vivunt cum iniuriatore, vel quia eo indigent, vel certè sapientiâ quadam, vt notam vel scandalum vitent, dissimulant.

Cœterùm necessarium est, quandocumque contumelia publicè illata est, vel secreta, ipsius culpâ in publicum venit, contumeliosum publicè satisfacere. Vnde præclarum exemplum est Pauli Apostoli Act. 16. quem cùm Magistratus ex præcipitata sententia virgis cæsum dimittere vellet, eò quod vel causâ melius examinatâ deprehendisset se in hoc peccasse, quod expulsum è muliere pithonem dœmonem, (beneficium totius vrbis) tam malè excepisset; vel forsitan à custode per nuntium edoctus de miraculo terræ motus, quo ostia aperiebantur, vincula solvebãtur, carceris custos convertebatur, vinculis solutus nollet egredi; respondit: *Cæsos nos publicè indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem: & nunc occulte nos eijciunt? Non ita; sed veniant, & ipsi nos eijciant.* q. d. Non publicè sine causa flagellatos, neque condemnatos capitaliter (in quo solo casu licuit cædere virgis cives Romanos) rursum miserunt in carcerem, & iam occultè cupiunt demittere absque vlla restitutione iniuriæ. Nulla ratione in his eis morem geram, nisi Magistratus ipse sententiam tulerit publicè de nostra innocentia, aut nos egredi cogat. Quod intelligens Magistratus timuit, præsertim quia Romanus erat, & deprecatus est Paulum & Silam pro iniuria, violatoque iure civilitatis Romanæ, quatenus vrbe egrederentur. *Act. 16.*

7. Similiter quando absenti tanquam præsenti coram alijs contumelia illata est, eo animo vt in eius notitiam veniret necessum est eosdem alios per se, aut tertiam personam accedere, & rogare vt omninò sileant asserendo illi talem reverentiam, & honorem deberi & iniquè ac malè fratrem illum convitio & contumelia affectum esse, & insuper honorificè eum in quavis occasione tractare ac laudare.

8. At quæres, An eo casu quo quis ex ignorantia alterum in facie & coram inhonoravit, teneatur ad similem restitutionem.

Respondeo satisfacere sese desuper excusando, modo alteri exhibeat honorem debitum. Probatur exemplo Apostoli Pauli, qui dum inhonorasset materialiter Ananiam summum Sacerdotem, qui cum contra legem naturæ divinam & humanam, inauditum iusserat percuti, dicens: *Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti.* & cum reprehenderetur ab astantibus his verbis: *Summum Sacerdotem maledicis?* respondit: *Nesciebam fratres, quia princeps est Sacerdotum. Scriptum est enim Principem populi tui non maledices.* q. d. Excusate me, nullam habui rationem in animum inducendi, hunc esse summum Sacerdotem (non sedebat enim in solio Pontifici consueto, sed tumultuariè & confusè in sede aut scamno alijs Iudicibus mistus, & Paulo ob diuturnam absentiam aliàs ignotus) adeoque licet iustè motus fuerim ad contradicendum, non tamen maledictionis verbo vsus fuissem in horum præsentia: quia nolo eos meo exemplo abuti; quãdoquidem credant se summum Sacerdotem honorare debere, dum legis Moysaicæ sacra adhuc licet perperam sectantur, interdicit Principi maledicere Exod. *Act. 23.*

Iud. 22. Exod. 22. Hæc latius libuit commemorare, quod deprehendi aliquando sæculares eiusmodi excusationem non iudicare sufficientem restitutionem, adeoque dissidium continuare: cum in hoc casu alia non requiratur restitutio.

9. Sed dices: Ad quid servit tam exactam restitutionem præscribere,
Matth. 5. cum Dominus Matth. 5. dicat: *Si quis te percusserit in dextra maxilla tua, præbe illi & alteram.* Hæc enim insinuare videntur nullam esse restitutionem petendam.

Respendeo hæc verba partim esse præcepti, partim esse consilij. Præcepti enim primò sunt, quia iubent vindictam non quærere, sed vt potius alteram maxillam reipsa vertamus, hoc est, alteram accipiamus iniuriam, quam acceptam vlciscamur. Nam ex vindicta procedere Christianis inhibitum, quia dixit Deus: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Secundò præcepti sunt quatenus mandant animo paratos esse ad remittendum de iure nostro, quandocumque id charitas, & Dei
Isa. 51. gloria videbitur postulare. Sic Isaias cap. 51. fideles hortabatur infidelium hominum calumnias ob honorem Dei non metuere. *Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: & sicut lanam, sic devorabit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit; & iustitia mea in generationes generationum.* q. d. Ne metuatis contumelias Scribarum & Pharisæorum, tyrannorum, aliorumque infidelium, qui vos ob fidem meam persequentur, subsannabunt, flagellabunt, & occident. Sed bono estote animo, illos enim conficiet repentina dies, sicut lanam tinea, aut vestimentum vermis; salus autem à me vobis promissa in sempiterna sæcula, & iustitia mea in omnem generationem permanebit.
Luc. 5. Sic Christus Luc. 6. *Beati eritis, cum vos oderint homines, & cum separaverint vos, & exprobraverint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum, propter filium hominis. Gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cælo* Vnde & Apostoli Act. 5. flagellati *ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti erant pro nomine Iesu contumeliam pati.* Verum tertiò consilij est, vt quamvis neque charitas neque Dei gloria id à nobis exigat, mortificationis tamen nostræ causa ad verbum hæc omnia faciamus; non quidem irritantes adversarium ad inferendam iniuriam, sed nos ipsos ad excipiendam iuvitantes. Sic S. Laurentius dixisse traditur: *Assatum est satis, versa & manduca.* Et hinc S. Chrysostomus homil. 20. ad populum celebrat factum, & dictum Constantini Imperatoris, qui imagine sua lapidata, multis eum instigantibus, vt vindictam sumeret de contumelia ac dicentibus, quod omnem ipsius faciem in imagine convulnerassent, manu faciem palpans, & leniter ridens, dixit: *Ego verò nusquam vulnus in fronte factum video: sed sanum quidem caput, sana verò & facies tota.* Act. 5. Chrysost.

Cœterum illud consilium non esse sequendum quando charitas Dei aut proximi id non exigit, probat exemplum Christi, Ioan. 18. vbi cùm vnus ministrorum Christo alapam incuteret, eò quod dixisset Pontifici, interrogaret Pharisæos & legis Doctores quidnam docuisset; respondit ipsi: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?* mansuete admonens percussorem iniuriæ sibi illatæ, seque verè ac rectè allocutum esse confirmans, & Pontificis iniquam dissimulationem insinuans. Item Pauli Act. 23. qui percussus in facie Sulpitius
iussu principis sacerdotum, dixit ei: *Percutiet te Deus paries dealbate.* auctoritate Apostolica ex zelo iustitiæ intentans & prædicens iniusto Iudici iustam Dei vltionem & plagam, præsertim vt coram Tribuno, qui eum à flagris exemerat, suum ius & decus tueretur. Vnde legitur etiam Dominus aliquando nimis patientium contumeliam miraculo vindicasse. testis est Sulpitius in vita S. Act. 23.
Martini lib. 1. cap. 4. vbi scribit eundem

dē ignotum à militibus flagris & fustibus exceptum, mutum & mirè patientem terga præbuisse cædentibus,& cum magis furerent milites erga virum Dei, quasi verbera contemneret, ita eundem cruentarunt, & toto corpore dilaniarunt, vt exanimis in terram procumberet. Sed quid? Cū peracto facinore discessū meditarentur, iumenta, quibus vtebantur, nullis flagris loco dimovere potuerunt. hinc ad cor redeuntes & intelligentes fuisse S. Martinum, quem percusserant, ad eum se recipiunt, supplicesque veniam petunt, quam ille clementer indulsit fecitque vt iumenta loco dimoverentur.

10. Imo ex his sequitur aliquando necessum esse, ob bonum aliorum tam præsentium quam absentium, quorum profectus ex merâ patientiâ impediretur, iniuriam defendere. Sic multis rationibus id rursum egit Christus Luc. 11. quando dicebant ipsum in Beelzebub principe dæmoniorum eijcere dæmonia. & Ioan. 8. cū dixit: *Ego dæmonium non habeo*, quod ipsi imponebant, eo quod secreta eorum proderet de ipso occidendo. Vnde dixit Gregorius hom. 9. in Ezechiel. *Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in pravis moribus remanentes, benè vivere contemnant*. Similiter expedit iniuriam defendere propter bonum eius, qui contumelias infert, nempe vt ipsius tumentis animi insolentia reprimatur, ne talibus iniurijs assuescat, iuxta illud Prov. 26. *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi Sapiens videatur*. Tertiò licet, contumeliâ affecto ius suum persequi, non vindictæ, sed iustitiæ studio, vt honorem recuperet. Vnde ius civile iniuriam sive contumeliam directè vel indirectè passo, quando pars contumeliosa non vult honorem restituere, duplicem actionem concedit; vnam civilem ad pœnam applicandam Actori, quanti is iniuriam æstimaverit, v. g. centū florenos sibi discedere maluisse quā iniuriam talem passum esse: alteram criminalem ad publicam pœnam, Iudicis arbitrio differendam, vt patet §. in summa. Institut. de iniurijs.

Luc. 11.

Ioan. 8.

Gregorius.

Prov. 26.

11. Sed quæstio est vtrum læsus post satisfactionem a lædente acceptam, â Iudice petere valeat lædentis punitionem?

Respondeo, id periculosum esse, & communiter procedere ex cupiditate vindictæ, & ex privato affectu cum scandalo: adeoque cavendum esse cuique privato quamvis liceat Iudici propter bonum publicum ex officio procedere contra delinquentem, non obstante remissione partis læsæ. Ratio est quod ille qui offendit iniustè, non personam modò, sed & Rempublicam læserit. Vide Iulium Clarum lib. 5. Sentent. § finali, q. 58. Et inde David, qui 2. Reg. 16. patienter tulerat iniuriā Semei viri de cognatione domus Saul dicētis, *Egredere, egredere vir sanguinū, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus vniversum sanguinem domus Saul: quoniam invasisti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Absalon filij tui: & ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es*: tamen die mortis appropinquante præcepit Salomoni, ne relinqueret illam iniuriam impunitam, dicens: *Habes quoque apud te Semei filiū Gera filij Iemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibam ad castra: sed quia descendit mihi in occursum cum transirem Iordanem: & iuravi ei per Dominum, dicens: Non te interficiam gladio: tu noli pati eum esse innoxium. Vir autem sapiens es, vt scias quæ facies ei, deducesque canos eius cum sanguine ad inferos.*

Iul. Clarus.

2. Reg. 16.

3. Reg. 2.

Discur-

Discursus IX.

De Susurratione.

Quid sit, & quale peccatum?

Eccl. 5.  Apiens Eccles. 5. dicit: *Non appelleris susurro, & lingua tua ne capiaris & confudaris.* id est. Ita te geras, ne in nomen & existimationem incidas susurronis, & detractoris: & cave ne linguâ tuâ involuaris malo nomini, & deprehendaris mendax aut detractor, & sic confundaris. Hoc autem fieri solet plurimum per susurrationem: vnde inquirã quod in argumento ponitur.

1. Susurratio itaque est occulta quædam & clandestina oblocutio contra proximum ad solvendas amicitias, & discordias seminandas inter amicos. Vnde huic vitio obnoxij vocantur, *Susurrones*, quasi suggerentes & sufflantes malum. Et quia in vna manu ignem, alterâ aquam ferunt, id est, vtrobique placere cupiunt, vocantur *Bilingues*, corã blande loquentes, ac post tergũ clam mordentes. De quibus Sapiens Eccles. 28. cap. dicit: *Vir peccator turbat amicos, & in medium pacem habentium immittet inimicitias.* Eccl. 28.

2. Dividitur autem susurratio in formalem & materialem, id est, in eam, quę fit cum intentione seminãdi discordias, & in eam, quæ nata est illas seminare seu causare, licet non fiat eo fine. Prior est grave peccatum mortale, vetita Levit. 19. in verbis: *Non eris criminator, nec susurro in populis.* Quæ lex non tantũ iudicialis est, sed tanquam quid morale continens, Christianos etiam concernit. Ecclesiast. etiam 28. id asseritur, cum Sapiens dicit: *Susurro & bilinguis maledictus, multos enim turbavit pacem habentes.* quasi dicat. Dignus est, quem omnes execrentur & abominentur, quia frequenter multos turbavit cum alijs pacem habentes, dicendo ea, per quæ inter iustè pacificos oritur discordia & contentio. Consonat Apostolus, qui ad Rom. 1. scribit traditos in reprobum sensum, hoc est, derelictos à Deo, inter cætera laborare hoc vitio, asserens eosdem *plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores Deo odibiles* &c. Ratio in promptu est, quod tollat amicitiam, rem maximi ponderis, vt constat Eccles. 6. vbi dicitur: *Amico fideli protectio fortis, qui invenit illum, invenit thesaurum.* & vers. 17. *Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis.* Quibus verbis Sapiens amicum arci, divitijs, & medicinæ comparat: Sicut enim arx hominem à malis inferendis defendit, atque adeò propter eius protectionem plerique ab inferenda iniuria deterrentur; & sicut divitiæ vtilitatem & voluptatem hominibus afferunt: ita ex vero amico multum non vtilitatis solùm, sed etiam voluptatis percipitur. Et sicut medicina à malis illatis curat, ita amicus sua consolatione & ope mala incidentia tollit, aut saltem lenit. Quæ ratio ex eo confirmari potest, quia charitas & dilectio ipsi Deo assimulatur, 1. Ioan. 3. omniumque virtutum est maxima, 1 Cor. 13. & consequenter susurro, qui amicitias dissolvit, directiùs & nocentius contra virtutẽ præcipuã agit, & etiã contra ipsum Deũ, qui est dilectio.

Levit. 19. Eccl. 28. Rom. 1. Eccl. 6. 1. Ioan. 3. 1. Cor. 13.

3. Vitium sanè hoc tempore valdè familiare, ex quo diffidentia passim

oritur in magnatum ædibus: ita vt videamur redijsse ad tempora Michææ Prophetæ, qui deplorat malitiam sui ævi, quod sincerus non deprehendatur, dicens cap. 7. *Qui optimus in eis est, quasi paliurus; & qui rectus, quasi spina de sepe.* id est: Qui inter optimates videtur esse minus malus, is tamen quasi paliurus spinosus pungit, vulneratque proximos. Et hinc monet: *Nolite credere amico, nolite confidere in duce: ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. Quia filius contumeliam facit patri, & filia consurgit adversus matrem suam, nurus adversus socrum suam: & inimici hominis domestici eius.* q. d. Hoc tẽpore tãta est hominũ perversitas, vt nec socius socio, nec vxor marito, nec subditus duci, nec socrus nurui credere possit; quia ipsi domestici hominis sunt eius inimici. Clarum est hoc in Dalila, quæ Sampsonem prodidit, cum ipse ei revelasset suam fortitudinem sitam esse in coma, Iud. 13. Manifestum in Iezabel, quæ perdidit Achab, cum ei revelasset causam suæ tristitiæ esse cupidinem vineæ Naboth, 3. Reg. 15. & 16. Rursum, *quia filius contumeliam facit patri, & filia consurgit adversus matrem suam*, vel, vt quidam volunt, ob Chaldæorum obsidionem, in qua adeo fame, peste, & gladio vexati sunt, vt etiam frater fratri, filius patri, filia matri panem, domum, arcem ad se salvandum præriperet: vel ob malitiam, quia exaggerat Propheta, quod dixerat. v. 2. *Perijt sanctus de terra, & rectus in hominibus non est.*

Michææ. 7.

Iud. 13.

3. Reg. 15. 16.

Et rectè eadem cautela adhibenda est, nam gravissima mala susurratio gignere solet, quæ describit Sapiens Eccles. 28. his verbis: *Lingua tertia*, seu susurronis, *multos commovit, & dispersit illos de gente in gentem. Civitates muratas divitum destruxit, & domos magnatorum effodit. Virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissolvit.* In quæ verba Iansenius: *Est lingua quadam tertia, quæ inter duos tertiam se immiscet, & serit inter eos discordiam. Eodem ergo recidit sive duplicem dicas linguam, sive tertiam, quod ferè lingua duplex inter diversos se misceat tertiam, dum diversis placere studet, & vtrique parti grata proferre. Huius itaque linguæ mala, quæ adfert & multa & magna, multus hic prosequitur, docetque non vni tantum aut paucis nocuisse, sed multos commovisse, idque non leviter, sed ita vt solum vertere cogerentur, & exilij illis causa fuerit. Id autem fit dum falsis criminationibus gravati patriam relinquere coguntur, aut per excitata bella & seditiones expelluntur in alias gentes. Nec privatis tantum nocuit huiusmodi lingua, sed & civitates integras easque benè muratas, & divitum destruxit domos, familiasque principũ penitus evertit, ita vt ei nulla fortitudo, nullæ divitiæ, nulla dignitas prævalere potuerit, sed omnia ei cedere coacta sint. Adeo potẽs est malum huiusmodi lingua, quantumvis exiguũ membrum sit, vt bene dixerit D. Iacobus 3. Ecce quantus ignis quam magnam sylvam incendit. Et lingua ignis est vniversitas iniquitatis*, &c.

Eccles. 28.

Iansenius.

Iacob. 3.

Verum nec hic conquiescit, sed pervertit probata coram Deo & hominibus. De quibus dicit idẽ Sapiẽs Eccl. 25. *In tribus placitũ est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus concordia fratrum, & amor proximorũ, & vir & mulier bene consentientes.* id est, turbat concordiam fratrũ, seu eam quam parit consanguinitas, deinde eam quam facit cohabitatio, seu vicinorum; tertiò quæ est in coniugio inter maritum & vxorem secundum legem Dei pacificè viventes. Adeo vt etiam mulieres virtuosas coëgerit solum relinquere, vt loquitur Eccl. c. 28. v. 7. *Lingua tertia mulieres viratas eiecit, & privavit illas laboribus suis*, id est, viriles, fortes & strenuas, omnique laude dignas lingua tertia & duplex eiecit sæpè è domibus suis, falsis nempe delationibus eas separando à suis maritis, eiectasq; privando bonis, quæ suis laboribus & diligentia pepererant, ita vt duplici malo affligerentur, dum & maritum suum relinquere cogerentur, & labores suos alijs consumendos permittere.

Eccl. 25.

Eccl. 28.

4. Hinc meritò à Scholasticis Doctoribus susurratio gravior iudicatur detractione & contumelia. Et confirmatur verbis Sapientis Eccles.

Eccl. 27. clef. 27. vbi dicit eiusmodi linguam peiorem esse flagello, dum ait: *Flagelli plaga livorem facit, plaga autem linguæ comminuit ossa.* q. d. magis metuendam & vitandam esse, quam flagellum, quod ictus flagelli faciat in cute exteriore livorem & vibices; ictus verò linguæ fit veluti fustis ossa & durissima quæque & intima hominis comminuentis, conforme illi. quod dicitur Proverb. 16.
Prov. 16. *Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perveniunt ad intima ventris.* id est, Apparent verba susurronis blanda & mollia, sed non secus se habent atque acutus gladius in interiora hominis depressus, grave homini vulnus inferunt, acremque dolorem: & ita sunt nociva & mortifera, vt viscerũ vulnera. Quid dicam? cum inter illa peccata recenseatur, quæ
Prov. 6. maximè Deus detestatur, Prov. enim 6. dicitur: *Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius, oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes sanguinem innoxium, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentẽ mendacia, testem fallacem,* & quod maximè abominatur Dominus, est vitium ipsius, *qui seminat inter fratres discordias.* Et ratio, cur hoc vitiũ gravius detestetur quam homicidium, est, quia membra integri corporis à se dividit, & multorum animas, & simul corpora sua divisione interimit.
Amos 1. cap. Vnde sicut Amos 1. Dominus dicit se acriter puniturum persecutionem fratrum gladio, in verbis: *Super tribus sceleribus Edom, & super quatuor non convertam eum, eò quod persecutus sit gladio fratrem suum, & violaverit misericordiam eius, & tenuerit vltra furorem suum, & indignationem suam servaverit vsque in finem.* quod idem est ac si dicat. Multa commiserunt Idumæi posteri Esau punitione digna, sed odium acre & continuum servatũ in fratrem cogit me ad vindictam. Sic
Eccles. 5. Eccl. 5. declarat graviori punitione dignum esse susurronem, in verbis: *Super furem est confusio & pœnitentia, & denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem odium & inimicitia & contumelia.* id est, furem sequitur confusio & pœnitentia; verum super bilinguem & susurronem pessima est denotatio, seu ostensio confusibilis cũ digito, eique competit gravis damnatio, & omninò dignus est qui sine misericordia damnetur, ac perpetuã ignominiam ferat: quia non ex inopia peccat, vt fur, & gravissimum damnum infert, idque sine proprio commodo. Ideoque ad restitutionẽ tenetur tum famæ, tum honoris ablati, & colligandi amicitiam quam dissolvit, & reparandi omnia damna temporalia inde causata.

5. Vnde etiam huiusmodi hominibus nulla fides est adhibenda, sed eorum familiaritas summopere vitãda. Ratio prioris est, quod quando humiliter loquitur susurro se alteri subijciens, eiusque gratiam se petere ostendens, multa mala è contra verset in corde, conforme admonitioni Sapientis, qui de inimico homine Prov. 26. sic loquitur: *Quando submiserit vocem, ne credideris ei, quoniã septem nequitiæ sunt in corde ipsius.* id est, multæ. Et Eccl. 12. *In labijs suis indulcat inimicus, & in corde suo insidiatur, vt subvertat te in foveam. In oculis suis lachrymatur inimicus, & si invenerit tempus, non satiabitur sanguine.* Ratio posterioris est, quod non erit finis malorũ, nisi longè arceatur, iuxta illud Prov. 26. *Cum defecerint ligna, extinguitur ignis, & susurrone subtracto iurgia conquiescunt.* q. d. deficiente causa deficiet effectus. Prov. 26. Eccl. 12. Prov. 26.

6. Quæres, An materialis susurratio etiam mortale sit peccatum?

Respondeo breviter, tunc esse quando dicitur malum quod natum est generare discordias vel simpliciter & absolutè ratione personarum, apud quas dicitur, noveritque susurro posse apud illas generare: quia in his casibus etsi desit intentio, nihilominus grave damnum & nocumentum infert, quod probabiliter providere poterat, & tenebatur.

7. Quæres iterum, An qui alterius gratiã aut amicitiam obtinere non potest, quin alium ab ea excludat, possit illud susurratione aliqua eniti, non intendens illos inimicos

facere, sed solum seipsum in exclusi locum intrudere?

Respondeo id nulla ratione esse licitum Ratio est, quod id fieri non possit absq; illicitis modis, videlicet fraude aut dolo, aut infamatione proximi, aut seminando odia, cum non sint facienda mala vt eveniant bona. Rom. 13. Nec refert quod amicitia, & bonum gratuitum pendeant à libera voluntate amici, quandoquidem proximus ad eam iam ius habeat, postquam in illam admissus est, quo non potest alter eũ privare sine peccato mortali contra iustitiam, quando alter notabile damnum ex eo incurreret, aut amitteret bonum ex diminutione talis familiaritatis.

8. Quæres denique, An non liceat inter hostes & impios dissensionem serere, quando ipsi inter se iniquè in malum meum vel Reip. putà in seditionem, hęresim, impietatem, aliudve scelus conspirant?

Respondeo affirmativè. Ratio est quod hoc vnicum sit medium impiam factionem & conspirationem dissolvendi. D. Thomas. vnde D. Thomas 2. 2. q. 37. ar. 1. ad 2. probans hoc esse laudabile sic ait: *Dicendum, quod sicut voluntas homini adhærens Deo est quadam regula recta, à qua peccatum est discordaré: ita etiam voluntas hominis Deo contraria, est quedam perversa regula, à qua bonum est discordare. Facere ergo discordiam, per quam tollitur bona concordia, quam charitas facit, est grave peccatum. Vnde dicitur Proverb. 6. Sex sunt quæ odit Dominus, & hoc septimũ ponit eum, qui seminat inter fratres discordiam.* Prov. 6. *Sed causare discordiam, per quam tollitur mala concordia, scilicet in mala voluntate, est laudabile* Confirmatur exemplis. Sic enim Deus Genes. 11. ædificium turris Babel impedivit, dividendo linguas opificum. Genes. 11. Cum enim Nemrod cum suis, nominis æternandi causa, aut, vt vult D. Augustinus lib. 16. Civit. cap. 4. August. ex nimia animi elatione, superbia, & adversus Deum impietate, vt eo ædificio vel Nemrod se cõtra Deum tueri ac defendere, vel Deum ipsum infestare atque offendere posset: vel denique vt Hebræi seipsos simul continerent, nec facilè dispergerentur, cum inquam idcirco Nemrod conderet turrim Babel, ita Deus commiscuit linguas, vt pro vna Hebręa lingua, quã omnes callebant, singulis propriã & diversam inderet linguam, adeoque colloquentes vnus Græcè, alter Latinè, tertius Germanicè, quartus Slavonicè &c. loqueretur. Sic fiebat vt vni petenti lateres alter præberet cœmentum, illi petenti trullam porrigeret sportam. Et hoc est quod Dominus dicit v. 7. *Venite & confundamus linguas eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui.* q. d. Hi omnes putant se à nemine impediri posse; sed docebo eos quam stulta sit eorum præfidentia, levi flatu hoc opus dissipabo, nullus vtar machinis, tantum confundam linguas fabrorum, & sic implebo cuncta confusione, vt invicem irridentes, & mutuo irascentes separentur, atque ita linguâ, & animo confusi, & pudefacti abeant & dispergantur in diversas regiones. Sic Deus Iud. 9. divisit impiam vnionem Abimelech Iudic. 9. fratricidæ cum Sichimitis. Cum enim ille occisis sexaginta novem fratribus, tyrannicè regnum obtineret, *misit Dominus spiritum pessimum inter Abimelech & habitatores Sichem: qui cœperunt eum detestari, & scelus interfectionis septuaginta filiorum Ierobaal, & effusionem sanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem suum, & in cæteros Sichimorũ principes, qui eum adiuverant.* id est, immisit dœmonem discordiarum, malorumque omnium auctorem, & instigatorem lubentissimum & solertissimum inter Abimelech & Sichimitas ad prædictam vnionem impediendam. *Modus verò,* inquit Serarius q. 27. in hunc locum; Serarius. *quo à Domino cacodæmon hic missus dupliciter exponitur, 1. permissivè. 2. imperativè. Permissivè quidem, quod dæmoni ad eundum, discordiamque inter Abimelechum & Sichimitas serendum parato, idque petenti & obsecranti annuerit, potestatemque dederit Dominus. Imperativè verò, quod eidem consceleratissimo spiritui summus dixerit Iudex: I, lictor, Abimelecho*

melech3 regnum eripe. Sichemitas ab eo disiunge: hosque illos in ipsum arma, vt mutuis sese scelerati damnis exitijsque conficiant. Sic divisit Roboam & Ieroboam sive Iuda ab Israël 3. Reg. 12. quando permisit partim ob peccata Salomonis, partim ob propria sequi consilium Iuniorum suadentium populum magis gravare tributis, quo ab ipso idem populus recessit, & deflexit ad partes Ieroboam. Cum enim coacto milite centum octoginta millium virorum Roboam adornaret aciem contra domum Israël, *Factus est sermo Domini ad Semeiam virum Dei, dicens: Loquere Ad Roboam filium Salomonis Regẽ Iuda & Beniamin, & reliquos de populo dicens: Hæc dicit Dominus: Non ascendetis, neq. bellabitis contra fratres vestros filios Israël: revertatur vir in domum suam: à me enim factum est verbum hoc.* q. d. frustra vos opponetis, quia à Deo decretum est, vt decem tribus Ieroboamo serviant. Sic quoque D. Paulus cũ videret Act. 13. Sadducæos & Pharisæos inter se in necem ipsius conspirare, proclamavit se esse Pharisæum, cum tractaret de resurrectione mortuorum. Hæc enim erat secta Iudæorum melior & honoratior, quæ credebat animæ immortalitatem, abstinebat delicijs, vacabat legi, & sapientiæ; altera verò non credebat resurrectionem, nec animorum immortalitatem, neque Angelum, neque spiritum, vt testatur Matthæus cap. 22. *Accesserunt*, inquit, *ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum. Pharisæi autem vtraque confitentur.* Hinc perpetua erant dissidia inter duas illas sectas Sadducæorum, & Pharisæorum Quod ibidem etiam insinuatur, his verbis: *Facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos.* Vnde cum vtrique in necem ipsius conspirarent, vt dixi, ac proinde causam eius non vt æqui Iudices indagarẽt, sed vt testes furiosi præcipitarent; piè & prudenter Paulus impiam eorum concordiam serendo schisma rumpit, vt per hoc vtraque pars eò infirmior ad malum perpetrandum reddatur, quo validius inter se dissidet & disceptat: Melius enim erat eos inter se divisos contendere, quam vnanimiter veritatem oppugnare.

3. Reg. 12. — Act. 13. — Matth. 22.

Pulchrè de hac re Scribit Gregorius lib. 34. Moral. cap. 4. vbi de ijs qui ad iniquitatem perversè iunguntur quibusdam se nequioribus ita scribit: *Sic perversa vnanimiter sentiunt, vt nulla contra se vicissim disputatione dividantur, nulla eos diversitatis altercatio tunc scindit, & idcirco contra bonos vehementer prævalent: quia in malo se concorditer tenent. Sicut enim iam superius diximus, vt perniciosum est si vnitas desit bonis, ita perniciosius est si non desit malis. Reproborum quippe vnitas bonorum vitam tantò durius præpedit, quanto ei se per collectionem durior opponit. Hanc vnitatem reproborum perniciosam sibi Paulus conspexerat, cum in medio Sadducæorum, Pharisæorumque deprehensus dicebat: De spe & resurrectione mortuorum ego iudicor. Qua nimirum voce percussa, protinus contra se vicissim audientium turba dissiluit. Cumque in duas partes tumultuantium multitudo dividitur, Paulo via ereptionis aperitur: quia quem turba persequentium vnita constrinxerat, divisa laxabat. Eripiuntur ergo iusti, dum dividuntur iniusti, & electorum vota ad perfectum perveniunt, dum reproborum agmina per discordiam confunduntur. Quod bene etiam maris rubri scissione designatur. Dum enim in duas partes vnda dividitur, ab electo populo ad terram repromissionis tenditur, quia dum malorum vnitas scinditur, bonæ mentes ad hoc quod appetunt, perducuntur. Si malorum vnitas noxia non fuisset, nequaquam divina providentia superbientium linguas in tanta diversitate dissipasset. Si malorum vnitas noxia non fuisset, de sanctæ Ecclesiæ hostibus Propheta non diceret. Præcipita Domine, & divide linguas eorum.*

Gregorius — Act. 23. — Genes. 11. — Psal. 54.

Sic Dominus dicit Matth. 10. *Non veni pacem mittere, sed gladiũ. Veni enim hominem separare adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurũ adversus socrum, & inimici hominis domestici eius.* q. d. Veni mittere separationem & dissidium inter fratres & parentes, in re simile illi, quod prædixit Iudæis Michæas; sed

Matth. 10. — Michæa. 7.

dissimile in causa. Illud enim Iudęorum fuit ob malitiam eorum, vel vt alij volunt ob obsidionem Chaldęorum, in qua adeo fame, peste, & gladio vexati sunt, vt etiam frater fratri, filius patri, filia matri, panem, domũ, arcẽ ad se salvandũ pręriperet: hoc verò meum & Christianorũ, erit propter fidem, pietatem, & cultum Dei ex parte fidelium; sed propter malitiam pariter ex parte infidelium. Veni ergo mittere gladium, id est, separationem & discordiam in fide & religione, vt scilicet fideles meos proprie per fidem separem ab infidelibus: hi verò, inde occasione iurgandi acceptâ, separent se à fidelibus suâ infidelitate, odio, & persecutione, quâ eos bonis & vita mulctent. Et hoc posterius maximè intẽdit Christus, illudque respondet magis mẽti Michææ, ex quo hoc mutuatus est Christus: *Veni enim separare hominem adversus patrem suum*, &c. *& inimici hominis domestici eius: Quia eveniet*, ait S. Chrysost. orat. contra Iudæos, *vt in eadem domo vnus sit fidelis, alter infidelis, & pater filium velit trahere ad impietatẽ. Hoc prædicens ait: adeo vincet potestas Evangelij, vt filij quoque contemnant parentes suos, filiæ matres, & parentes liberos, imo vt animam & omnia pro pietate exponant.* Chrysost.

9. Sic pium est amicitias concubinariorum dissolvere & in eum finem etiam licet aliqua vitia naturalia hominis commemorare, aut alia eius vitia publica, verbi gratia dicẽdo amatricem suam esse deformem, ignobilem, publicam meretricem, & huiusmodi. Est enim virtus huiusmodi amicitias dissolvere, citra tamen mendacium, aut peccati secreti revelationem.

Discursus X.

De irrisione.

Quid sit, & quale peccatum?

Hier. 9. Ieremias Propheta cap. 9 arguens Iudæorum dolos & maledicentiam, inquit: *Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam*, rationem subiungit: *quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem suum deridebit.* Hinc tractabo quod in argumento ponitur.

1. Derisio igitur est *peccatum, per quod malum culpæ, pœnæ vel naturæ dicitur, vt proximus pudore vel verecundia suffundatur.* Adeoque à reliquis linguæ vitijs, nempe contumelia, detractione & susurratione peccatum specie distinctum est. Qui enim contumeliã infert, honorẽ lædere vult; detractor verò famam, & bonum nomen diminuere, susurro benevolentiam & amicitiam tollere; derisor autem erubescentiam & ruborem adferre intendit.

2. Committitur autem duobus modis, vel ore scilicet & sermone, hoc est verbis irrisorijs, ironicis, vel solo risu & cachinnis, modo ijs tanquam signis malum proximi exprimatur, vel etiam signis quæ verbis irrisorijs æquivalent, vt motu capitis, naso rugato, aut extensis labijs & tunc vocatur subsannatio.

3. His positis dico Primò, Derisionem, quæ fit fratri objiciendo aliquod leve crimen veniale esse peccatum, etsi inde nonnihil pudefiat. Ratio est quod sicut in alijs peccatis

tis parvitas materiæ excusat, ita & in hoc.

4. Dico secundò peccatum esse mortale, quando quis ad deridendum proximum profert crimen fratris, aut grave secundum se, etiam ioco, aut leve secundum se, sed ex contemptu fratris, idque gravius quàm cõtumelia est. Ratio est, quod ea derisione vehementer proximũ contemnat, & contristet, eique adimat pacem & lætitiam ac serenitatem conscientię, id quod maximum bonum est, iuxta illud Proverb. 15. *Secura mens quasi iuge convivium.* Sicut enim quis de bono opere apud alios reverentiam meretur & famam, & apud seipsum bonæ conscientiæ gloriam, iuxta illud 2 Cor. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* ita etiam ex adverso, de actu turpi & vitioso apud alios famam & honorem amittit, apud seipsum autem per huiusmodi turpia, quæ ipsi obijciuntur, conscientiæ gloriam per ruborem, & erubescentiam perdit: tollit quippe huiusmodi erubescentia & rubor conscientiæ pacem ac lætitiam, vt constat. Nec refert, quod occultum sit peccatum, modò ex contemptu proferatur. Et inde videmus in Evangelio Pharisæum qui dicebat: *Non sum sicut cæteri hominum, iniusti, raptores adulteri, velut etiam hic publicanus*, minus iustificatum egressum esse è templo. Vnde Chrysostomus hom 3. ad populum dehortari volens à detractione, inquit: *Ne quis mihi dicat: tunc detraho, quando falsa dico. Nam si vera loquens maledixero, & hoc est crimen: etenim pharisæus ille publicano veridicus maledixit, sed tamen hoc ipsi nihil profuit. Dic enim mihi: Publicanus non erat publicanus & peccator? Cuique certum est, quod publicanus erat, sed tamen quoniam ipsum vituperavit pharisæus, abijt omnibus amissis. Vis fratrem corrigere? lachryma, ora Deum, ex corde apprehensum admone, consule, exhortare: sic & Paulus faciebat, ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his qui peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam, super immunditia, & fornicatione, & impudicitia quam gesserunt. Declara charitatem erga peccatorem: persuade ipsi, quod consulens & curans, non traducere volens, peccati ipsum commonefacis: comprehende pedes, osculare, ne erubescas, si modò verè mederi vis. Hæc & Medici faciunt sæpius difficiles ægrotos habentes; deosculantes, rogant persuadentes salutarem sumere medicinam.*

Prov. 15.

2. Cor. 1.

Luc. 18.

Chrysost.

2 Cor. 12.

5. Dico tertiò gravius esse peccatum, si quis derideat opera iustorum bona: quia opus bonum deridens, virtutẽ contemnere censetur. quod improborum est iuxta illud Prov. 14. *Ambulans recto itinere & timens Deum, despicitur ab eo, qui infami graditur via.* Tale quid perpessus est Iob ab vxore in ærumnis suis, cum illi dixit: *Adhuc permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere* id est, Quousque tandem istam stoliditatẽ retinebis firmus & immotus? quamdiu sines falsa quadam & levissima salutis recuperandæ spe deludi? brevi scilicet (vt tu ais) restituar in statum pristinum. Quid tibi spei reliquum esse possit filijs ablatis, quos ego summis doloribus enixa sum, quos meo lacte, meo labore alui, educavi, cum sanie & vermibus tu diffluas totus, non alio exceptus tecto, quàm cœlesti? erro interim vilissima ancilla ego, & meam operam elocare cogor; qui me conducere velit, neminem reperio; ostiatim stipem rogo, vt te, meque sustentem. Vnicum, mihi crede, allevamentum miseriarum est, & medicina deploratè ægrotantium mors: ergo Deum lacesse maledictis, quo te conficiat, & interimat morte certissima. hoc vnũ potes, verbis huiusmodi mortẽ accersere; sic te de Deo sæviente, & indignè tecum agente vlcisci poteris. Benedixisti Deum hactenus, ex quo nihil præmij reportasti, nunc age cum illo contumelijs: cedet tibi fortè felicius. Quod si etiam moriendum tibi sit, nihil tentasse nocebit: quid enim certius, quam maledicenti Deum interitum imminere. Similiter Tobias. Cum enim caveret ne quid furtivum domum adduceret vxor, in verbis eius

Prov. 14.

Iob. 2.

pia opera derisit: *Manifestè vana facta est spes tua, & eleemosynæ tuæ modo apparuerunt.* Et vterque ab amicis similia audivit, vnde dicit Scriptura cap. 2. Tobiæ: *Sicut beato Iob insultabant Reges: ita isti parentes & cognati eius irridebant vitam eius, dicentes: Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas?* Vnde ipse Iob cap 12 ostendens huius peccati gravitatem dicit: *Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, invocabit Deum, & exaudiet eum: deridetur enim iusti simplicitas.* q. d. Tanquam divinarum rerum ignarus, atque à religione alienus, à vobis ego, qui pro amicitiæ & necessitudinis lege honorificè accipi deberem, nunc irrideor; propterea cogor sanè, vt qui nullum aliud habeam refugium ad solam divinam opē confugere, ex qua veræ amicitiæ & benevolentiæ præsidiū mihi polliceri possim: qui clamanti, & invocanti procul dubio aderit, & in suam fidem recipiet, quem amicorum infidelitas prodidit. videt enim ille, quod indignissimum est, sanctitatem & perfectionem vitæ minimè fucatam ludibrio haberi. Vnde Sapiens Eccles. 7. inquit: *Ne irrideas hominem in amaritudine animæ suæ: est enim qui humiliat & exaltat circumspector Deus.*

Tob. 2.

Eccles. 7.

6. Cæterum licet irrisio virtutis semper gravis sit apud Deum, vt patet ex plaga Michol vxoris David, quæ sterilitate punita est, eo quod rideret ipsum regio vestimento exutum, & ephod lineo veste Sacerdotali accinctum iubilare coram arca 2. Reg. 6. tamen cæteris paribus gravior est in recenter conversis ab hæresi, aut à mala vita Sic enim facilè à pietate avertuntur, & ad antiquum redeunt. Et hinc Deus Exod. 16. severam tulit sententiam in Amalechitas, eò quod immani bello appetijssent innoxios, vacillantesque Hebræos, & in vocatione sua novitios, vt eos à Dei ductu in Chanaan sequendo absterrerent, quodque, & dicitur Deuteron. 25. v. 18. extremos agminis lassos, & fame laboreque confectos ceciderint: vt hinc discamus, quàm gravis sit offensa Dei, teneros recentesque Dei asseclas ab eius vocatione & sequela, putà, à vera fide, vel religione, statuq; perfectionis avertere. Qua de re vide Hieron. Platum lib. 3. de bono status religiosi cap. 35. Hinc etiam in primitiva Ecclesia lex ab Apostolis statuta est sub mortali, indicens Gentilibus recenter conversis abstinentiam à sanguine & suffocato, rebus per se indifferentibus, licet per legem Moysaicam vetitis: ne novitij in fide Christiana facilè retrocederent, quòd teneri & instar infantis sint in nova vita. Et alibi Scriptura satis insinuat peccatum apud Deum esse detestabilius, quādo homo per hoc à studio virtutis ad vitia perducitur. Hinc enim inter cœtera exaggerat Spiritus Sanctus peccata filiorum Heli, cum dicit 1. Reg. 2. *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia detrahebant homines à sacrificio Domini.*

2. Reg. 6.

Exod. 16.

Deut. 25.

Hieronym. Platus

Act. 16.

1. Reg. 2.

7. Dico quartò; irrisionem vel subsannationem quæ fit parentibus, ijsve, quos parentum loco observare & colere oportet, grave etiam peccatum esse, speciali virtuti pietatis vel observantiæ oppositum. Quare Proverb. 20. dicitur: *Oculum, qui subsannat patrem; & qui despicit partum matris suæ.* (immemor scilicet gratitudinis, quam matri cum dolore parturienti debet) *suffodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* Vult dicere, dignum talem esse, qui in patibulo suspendatur. Et 4. Reg. 1. duo quinquagenarij cum centum militibus igne de cœlis misso, consumpti leguntur, eò quod Eliam contradicentem nuntijs Ochoziæ Regis missis ad consulendum Deum Accaron, An de sua infirmitate moreretur, vocassent hominem Dei; non quia hominem Dei vocabant, sic enim rectè Prophetæ dicebantur, eò quod spiritu Dei regerentur: vnde & Paulus vocat Timotheum hominem Dei 1. ad Timot. 6. vers. 11. sed quia quinquagenarij illi partibus Baal adhærentes, infenso in Prophetam animo irri-

Prov. 20.

4. Reg. 1.

1. Tim. 6.

irrisorie eum sic appellarēt, & contemptibiliter Prophetam descendere vellent: vt si vernacula nostra lingua quis diceret Superiori Ecclesiastico, **Gyn Paep compt aff.** Similiter 4. Reg. 2. quadraginta duo pueri à duobus vrsis è saltu venientibus miserè necantur, eo quod irrisoriè clamassent post Prophetam ascendentem in Bethel, *Ascende calve, Ascende calve.* Parentū enim idololatrarum mores imitantes, illis verbis optabant Helisęum ab oculis eorum in alium locum cum Elia ablegatum. Audi id verbis Iustini Martyris, qui q. 80. ad Orthodoxos sic habet: *Proscindendæ, inquit, per detractionem Eliæ assumptionis gratia proferebant, perinde ac si dicerent: Abripiat te quoque spiritus, & in iuga montium & inaccessa abijciat, quemadmodum illum abiecit, vt itidem à te liberemur, sicut ab illo liberati sumus.* Iustinus.

8. Atqui ex his manifestum evadit maiori pœna dignam fuisse irrisionem, illusionem, & subsannationem, qualem passus fuit Christus ab impijs Iudæis. Et produnt verba Matth. 26. *Alij autem palmas dederunt in faciem eius dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Et cap. 27. *Plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextra eius. Et genu flexo ante eum, illudebant ei dicentes: Ave Rex Iudæorum.* Quæ ipsa S. Lucas c. 22. ad blasphemiæ peccatum refert. *Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.* fiebant enim adversus hominem, qui etiam Deus erat. Matt. 26. Matt. 27. Luc. 22.

9. At dices: Multi sunt qui rident iustos & Superiores, imò Sacramenta & ritus Catholicorum: & tamen non puniuntur huiusmodi pœnis à Deo. Nam 4. Reg. 9. discipulus Helisæi Prophetæ, cum iussu ipsius vnxisset Iehu in Regem Israël ad percutiendum domum Achab, & vlciscendum sanguinem servorum Dei de manu Iezabel, ab alijs Principibus vocatus fuit insanus. Sic enim dicebant ad Iehu: *Rectène sunt omnia, quid venit insanus iste ad te?* quasi dicerent, Quid ille suo vel diabolico actus spiritu tecum habuit rei? Estne quidpiam novi? Accidit ne aliquid, quod bellicis aut communibus rationibus incommodet? Sic de Prophetis loquebantur, quando in Israële vigebat magis idololatria, & passim quærebantur ad cædem à Iezabele, & ab Achab: at non leguntur puniti. 4. Reg. 9.

Respondeo Deum, non semper illico peccata punire sed in paucos severius animadvertere ad aliorum exemplum, verùm punitionem illorum differre ad tempus iudicij, qui hic nihilominus indignationem Dei morte graviorem incurrunt: Tales enim deferuntur à Deo, & auxilio eius destituuntur. Quare dicit Sapiens Proverb. 14. *Quærit derisor sapientiam & non inveniet.* Et Prov. 1. in persona Dei ait: *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis advenerit. Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc invocabunt me, & non exaudiam, mane consurgent, & non invenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, & detraxerint universæ correptioni meæ.* In quem locum sic Iansenius: *Risuram se dicit sapientia, non quod verè sapiētia quemquam rideat, aut subsannet, sed quod ipso facto ita se gerat ac si rideret, dum in interitu impiorum non solum eos negligit, nec tantum nulla movetur erga eos misericordia, etiam dum invocatur, sed etiam iusto suo iudicio omnibus declarat eos esse ridiculos, & subsanatione dignos, vt qui salutem propriam contempserint, sibique malorum suorū authores fuerint. Sic & in Psalmo dicitur: Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.* Prov. 14. Prov. 1. Iansenius.

Et quod horribilius est sæpe etiam miser eripitur è vita, antequam id efficiat, quod per irrisionem alteri molitur, vt colligitur ex verbis Psal. 36. *Observabit peccator iustum, & stridebit dentibus in eum, Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit quod veniet* Psal. 36.

niet dies eius, id est, Attentè respicit peccator omnes actiones iusti, vt inveniat aliquid ad eum perdendum, & præ iracundia & indignatione dentibus frendebit, quia sitit eius interitum, & Dominus irridebit eum, quoniam videt instare diem interitus ipsius, & illum ante rapiendum, quàm iusto nocere poterit. Et hinc evenit tales sæpe è medio tolli sine pœnitentia, & viatico ad horrendum Dei tribunal, & à Deo condemnatos serius deplorare se pios derisisse. Nam vt dicitur Sap. 5. *Tunc stabunt iusti in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione desperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo reputati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.*

Sap. 5.

10. Dices iterum, Quomodo potest tantum esse peccatum, quandoquidem Prophetæ sæpius irrisione & sarcasmis vsi leguntur? Nam Ezechiel. cap. 16. dicit Hierosolymitis: *Radix tua & generatio de terra Chanaan, pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* Et Esaias cap. 14. deridet casum Regis Balthazaris.

Ezechiel. 16.

Isa. 14.

Respondeo hoc nihil referre. Quod enim Prophetæ huiusmodi sarcasmis vsi sunt erga homines sui temporis, vel factum fuit ad emendationem eorum quos ridebant, vt resipiscerent: vel si desperatos aut extinctos deridebant, hoc fiebat, vt alij per illam irrisionem instruerentur, & caverent ab huiusmodi peccatis. Priori modo dicebat Ezechiel Hierosolymitis: *Radix tua*, &c. & *quando nata es, in die ortus tui, non est præcisus vmbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis*. q. d. correptionis causa: Talis mihi visa es, ô Hierusalem, ac si nata esses nō ex Abrahami præclaro semine; sed ex alieno atque impio ex genere nimirum Chananæo, ex Amorhæo videlicet parente, & Cethæa matre. Cum enim impij essent Amorrhæi & Cethæi, Iudæi imitantes impietates illorum, *invenerunt sibi parentes*, teste Augustino tract. 42. in Ioan. *non de quibus nascerentur, sed quorum mores sectantes pariter damnarentur.* Vnde Propheta eorum saluti consulens hac vtitur irrisione, vt ex eo magis impietatem suam percipientes ad saniorem mētem redeant. Et vt magis exaggeret, dicit, illos in Ægypto tam malè fuisse educatos, in verbis: *in die ortus tui* &c. id est: Non tantum nunc, sed & olim antequam vos Deus in populum, Ecclesiam, & sponsam eligeret, puta cum viveretis in Ægypto, quasi pueri proiecti, & expositi tyrannidi Pharaonis; cùm, inquam, quasi pueri neglecti essetis, quibus nec vmbilicus præscinditur, quique nec lavantur, nec saliuntur, nec involvuntur pannis, eiusmodi mores induistis. Sic parentes monere solent filios sub nomine aliorum infamium, quorum vitam imitantur. Et subinde sub specie laudis irrisoriè corripere de vitio; nempe cum filij alios accusant alicuius criminis, puta iuramenti execratorij, fornicationis, detractionis, aut similis, dicendo: *Tu bene facis, quod ab his te immunem servas*, cum maximè ijs sunt obnoxij.

August.

Posteriori modo desperatos irrisit Propheta Isaias cap. 47. qui astrologis fidem adhibebant, dicens: *Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si forte quid prosit tibi, aut si possis fieri fortior. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum: stent & salvent te augures cæli, qui contemplabantur sydera, & supputabant menses, vt ex eis annuntiarent ventura tibi.* q. d. O Babylon tantum abest, vt te iuvare possint, quod nec seipsos poterunt, quin ad pulverem vsque consumentur. Vide dicta Discursu 57. in 1. Præc. n. 5. Sic rursum Isaias cap. 14. describens excidium Babylonis, & Balthazaris Regis

Isa. 47.

Isa. 14.

gis fastum, & ruinam, tanquam alterius Luciferi, longam parabolam inducit, qua prædicit incolas inferni præsertim principes & tyrannos admiraturos eius casum, illumque irrisuros & subsannaturos, his verbis: *Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui, suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de solijs suis, omnes principes nationum. Vniversi respondebunt, & dicent tibi: Et tu vulneratus es sicut & nos, nostri similis effectus es.* q. d. Vti Principi in bello victo & capto occurrunt alij Principes novitatis, admirationis, & irrisionis causa: ita tibi, ô Nabuchodonosor, vel potius tibi, ô Balthasar, cum occisus es à Cyro, & descendisti ad inferos, occurrerunt principes & gigantes, id est heroës, & viri fortes ac terribiles iam mortui, & positi in inferno, præsertim ij, quos tu ante regno, vel etiam vita spoliaveras, hi te irriserunt, tibique insultarunt, dicentes: Ecce tu vulneratus es & occisus, sicut nos vulnerasti & occidisti: descendisti ad inferos, sicut & nos. Veni ergo ô Princeps noster, occupa primum, id est imum & deterrimum in inferno locum: illum tibi cedimus, illum tibi offerimus, tanquam victori nostro, imò monarchæ. sic enim veniente Rege omnes Principes assurgunt, eum sessum invitant, & ad primum locum, quasi ad thronum regium deducunt. Et paulò post: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes?* q. d. Quàm incredibile est, vt Lucifer de cœlo cadat, stella auroræ, tàm incredibile videbatur vt Balthasar è suo regali solio, celsitudine, maiestate, & gloria deijci posset; nihilominus hoc factum est. Hæc autem dicebant Prophetæ, vt ab eiusmodi criminibus horrerent Iudæi, ne cum perversis & obstinatis similem damnationem incurrerent.

Discursus XI.

De Maledictione hominum.

Quid sit, & quale peccatum?

Iacob. 3.



Postolus Iacobus cap. 3. dicit, quod lingua hominis sit *inquietum malum, plena veneno mortifero.* Et adiungit: *In ipsa benedicimus Deum & patrem, & in ipsa maledicimus homines, qui ad imaginem & similitudinẽ Dei facti sunt.* Et paulò post.: *Non oportet fratres mei hæc ita fieri.* hinc tractabo, quod in argumento ponitur.

1. Maledictio igitur est *vitium linguæ, quo quis imprecatur alicui malum.* Eam dividunt Scholastici in formalem & materialem. Formalis est, quando imprecatio mali seriò & ex animo fit, & est de gravi malo. Atque illa est vetita sub peccato mortali. Patet ex D. Paulo ad Rom. 12. Rom. 12.
vbi vult Romanos benedicere persequentibus, se conformans verbis Christi Matth. 5. cap. *Benefacite his* Matth. 5.
qui oderunt vos, sitis filij Patris, qui in cælis est: verum cavere à maledictione, in verbis: *Benedicite persequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere.* Et 1. Cor. 5. vbi dicit illos regnum Dei 1. Cor. 5.
non possessuros: *Neque avari,* inquit, *neque ebriosi, neque maledici, &c. regnum Dei possidebunt.* Idque tam grave existimat, vt talium consortium velit Christianos omninò vitare, æquè ac fornicatorum, idololatrarum,

rum, & similium. sic enim ait: *Nunc autem scripsi vobis, non commisceri. Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus* &c. *cum eiusmodi nec cibum sumere.* Ratio autem cur Apostolus id tantopere exaggeret, est, quia procedit ex odio interiori, & directè charitati repugnat, teste Diuo Thoma 2. 2. q. 76. artic. 3. vbi dicit: *Maledictio, de qua loquimur, est, per quam pronuntiatur malum contra aliquem, vel imperando, vel optando. Velle autem, vel imperio movere ad malum alterius, secundum se repugnat charitati, quâ diligimus proximum volentes bonum ipsius: & ita secundum suum genus est peccatum mortale.* D. Thoma.

2. Hoc vitium est improborum hominum, vt manifestum est exemplo Balaam, qui Numer. 22 cap. etiam ope dœmonis voluit maledicere populo Dei, eique reipsa malũ infligere, sicut magi & sagæ nostrę hominibus morbos & plagas immittunt; idque vt hac ratione Israëliticus populus non prævaleret Balac, qui eum timebat terram Chanaan meditantem. Exemplo item Philistæi qui 1. Reg. 17. *maledixit David in Dijs suis*, hoc est à Dijs suis ditas, & omne malum Davidi imprecatus est. Qualem aliqui existimant fuisse execrationẽ Gentilibus communem: *Dij te Deæque perdant*, aut *Dagon te Philistinorum Deus enecet. Decreto Palastinorum atque Syrorum dea te eviisceret, exoculet, eradicet. Adigat te Baal ad infernas vmbras, aut Mars exsaturet tuis carnibus canes, & corvos.* Vnde B. Ephrem verè beatum iudicat serm. de virtutib. & vitijs, eum, qui à maledictione se integrum custodit: *Quoniam*, inquit, *Spiritus sanctus habitabit in eo.* & vt sequentia indicant, maledicus diversis vitijs irretitur. Sic enim ait: *Homo maledicus, vtroque & odij, & susurrationis morbo laborat. Et qui talis est, fratricida, & crudelis atque immitis censetur. Quid hoc scelere gravius quod à regno Dei excludit, & mancipat æternis pœnis?* Et rectè. nam vitium illud ad diversas peccati species pertinet, sicut & odium interius, à quo procedit: vnde si quis imprecetur alicui fulmina, pestem, mortem, & similia, quibus intereat, homicida est; si incendium domus vel agrorum, incendiarius; si bonorum ablationem exoptat, fur est. Atque adeò ille qui formaliter alicui imprecaretur, quod materialiter David, vel ad exprimendum dolorem suum fecit erga Ioab, vel pœnas criminosos competentes pronuntians, v. g. *Nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, & leprosus, & tenens fusum, & cadens gladio, & indigens pane*, tot ferè peccata committeret. Sufficit autem, quod quis tempore maledictionis verè & præsenti animo alteri huiusmodi mala desideret, vt peccatum sit mortale, nec desinit esse tale ex eo quod hominem statim pœniteat: id enim solum indicat non peccasse ex habitu aut malitia, sed ex passione; non tamen defuisse consensum.

Num. 22. 1. Reg. 17. Ephrem

3. Deinde peccatum hoc istius est naturæ, quod præter animæ maculam etiam corpori maximè sit nocivum, iuxta illud Ps. 108. *Dilexit maledictionem, & veniet ei.* Dum enim alteri malum imprecatur, in seipsum iram Dei provocat. Adeoque congruit huic vitio maledictionis, quod dicit Sapiens Eccl. 7. de eo, qui alteri dat malum consilium, nempe hoc esse consultori pessimum. Sic enim ait: *Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, & non agnoscet, vnde eveniet illi*: quod aliquot similitudinibus illustrat, dicens: *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet, & plaga dolosa dividet vulnera. Qui foveam fodit, incidet in eam: & qui statuit lapidem proximo, offendet in eo; & qui laqueum illi ponit, peribit in illo.* In quæ verba sic Iansenius: *Primum vtitur*, supple Sapiens, *similitudine eius, qui cum in altum mittit lapidem, eundem excipit in caput suum: ita vt sibi ipsi causa sit sui mali, & impletur in eo illud Psalmi: Convertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas huius descendet. Secundò similitudine eius, qui cum dolosè & occulte alteri plagam inferre conatur,*

Ps. 108. Eccles. 7. Iansenius. Ps. 7.

conatur, seipsum improvide lædit, vt fit nonnunquam in his, qui iaculari in aliquem occulte student. Itaque quod dicitur plaga dolosa dividet vulnera, hoc significat quod intentatum dolose alteri vulnus, causa sæpe est, quod auctoris, & dolosi illius vulnera diducantur, & lata fiant, atque magna. Tertio adhibet similitudinem eius, qui cum fodit foveã alteri, ipse incidit in eam prior ex improviso. Item qui lapidem ponit alteri ad ruinam eius procurandam, in quẽ ipsemet impingat & cadat. Postremum eius, qui laqueo alteri structo ipse capitur. Et hinc videmus Iudæos, qui sibi & suis imprecabantur malum, dicentes Matth. 25. *Sanguis eius super nos & super filios nostros*, videlicet Christi, à cuius tanquam iusti se Pilatus innocentem potestabatur, gravibus pœnis fuisse afflictos.

Matt. 27.

4. Verum enimverò nota hoc peccatum, *tanto esse gravius*, teste D. Thoma loc. cit. *quanto persona, cui maledicimus, magis amare, & revereri tenemur.* Vnde Exod. 21. dicit Scriptura: *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* Quem locum sic interpretãtur Doctores, vt filius in faciem maledicens parenti, etiam materialiter tantum, seu non ex ãnimo, quasi id evenire vellet, à mortali non excusetur; idque ob reverentiam & observantiam, quam filius debet parentibus.

D.Thom.

Exod. 21.

5. Sed dices, Quomodo potest esse tantum malum, cum viri Sancti legantur aliquando alijs maledixisse. Nam Noë maledixit posteris Cham, Genes. 9. Elias 4. Reg. 1. maledixit duobus quinquagenarijs, quos etiam ignis de cœlo absumpsit. Helisæus pueris eum irridẽtibus, ita vt quadraginta duo exinde ab vrsis devorati miserè vitæ finem clauserint. Petrus Simoni mago, Actor. 8. Paulus summo Pontifici, Actor. 23.

Genes. 9.
4. Reg. 1.
4. Reg. 2.
Act. 8.
Act. 23.

Respondeo eiusmodi maledictiones non fuisse formales, sed tantum materiales. Nam aliqui more Prophetico dumtaxat prædixerunt maledictionem alijs eventuram. Sic de Noë legitur, Genes. 9 in verbis: *Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis*, Et Iacob qui Genes. 49. prædixit Rubeno, quod non cresceret in multam sobolem ob peccatum incestus, sic aiens: *Non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Et v. 4. & 5. Levi & Simeonis filijs, quia pactum non servaverunt cum Sichimitis initum, eosque occiderunt, prædixit furorem eorum maledictionem illaturum separationis, ne scilicet rursus capita conferant, & suo consilio alijs perniciem machinentur in verbis: *Maledictus furor eorum, dividam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel.* Sic prædixit Hieremias cap. 18. impœnitentibus Iudæis gravia mala, in verbis: *Da filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladij: fiant vxores eorum absque liberis, & viduæ: & viri earum interficiantur morte: iuvenes eorum confodiantur gladio in prælio.* Hæc enim verba non tam imprecationem sonant, ab offensione natam, quam prædicationem eorum, quæ à Chaldæorum exercitu longã obsidione Iudæi pertulerunt. Sic Paulus Act. 23. prædixit iniusto iũdici iustam Dei vltionem & plagam. Beatus quoque Ephrem hæreticis obstinatis damnationem prædicit, dum in suo Testamento discipulos exhortans ad constantiam Catholicæ fidei, dicit: *Meis igitur præceptis, atque doctrinæ sedulo operam dantes vt mei discipuli, à Catholica ne desciscatis fide; quam & ipse à teneris annis acceptam, immobilem atque inconcussam servavi: neque ab illa in aliquo dubio ac schismate deflectatis. Si quis vero dubitaverit, aut contra Deum, sanctamque eius Ecclesiam impingens ac diffluens, separatus fuerit; spirans adhuc & vivus in infernum detrudatur: & particeps hæreditatis maledictionis Caim reddatur, gemensque ac tremens sit super terram. Et quicumque Patre Filium minorem fecerit: inhumatus & absque sepultura ipse etiam vivus in terram pariter descendat. Si quis vero adversus Spiritum sanctum dissenserit; talis in iudicio misericordiam non obtineat. Et si quis adversus Catholicam Ecclesiam sese extulerit; leprosus fiat, instar dementis ac stulti Giezi.*

Genes. 49.
Hiere. 18.
Act. 23.
Ephrem.

Quicumque porrò rectam intelligentiæ fidem dereliquerit, constringatur iniquitatis funiculo proditori Iudæ. Et hæc ad eum modum, quo David adversus Iudaicam in Christum rabiem orat: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*, &c. *Obscurentur oculi eorum*, &c. *Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. Deleantur de libro viventium*, id est: non numerentur inter electos tuos, &c. Et in divinæ legis desertores ac proditores insurgens; *Veniat*, inquit, *mors super illos, & descendant in infernum viventes.* Scilicet vt quondam descederunt Core, Dathan, Abiron, alijque cum ipsis schismatici & apostatæ.

Psal. 86

Psal. 54.

6. Vel rursum, quando Sancti Dei maledicunt contra charitatem non peccant, sed nomine Dei iustam sententiam ferunt in peccantes, vt constat exemplo Helisæi, de quo dicit Scriptura, quod respiciens pueros parvos, egressos de civitate, ipsique illudentes, per verba, *Ascende calve, Ascende calve*, Dei nomine condemnaverit. Sic enim habetur: *Qui cum respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini. Egressique sunt duo vrsi de saltu, & laceraverunt de eis quadraginta duos pueros*, mandando scilicet executioni sententiam Dei ab Helisæo prolatam: quia Deus volebat parentes in filijs punire, quos ipsi ita instruxerant, vt procaci lingua imprecarentur necem Prophetæ ascendenti in Bethel. Eliam verò & Paulum ex simili causa sententiam dixisse, auctor est Gregorius, lib. 4. moral. c 6. vbi sic ait: *Aliter maledictum profertur iudicio iustitiæ; aliter livore vindictæ.* Et paulò post: *Deus maledicere dicitur, & tamen maledicere homo prohibetur: quia quod homo agit malitia vindictæ; Deus non facit nisi examine & virtute iustitiæ.* Ac immediatè post subiungit, quod in hanc rem facit: *Cum ergo sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto vltionis, sed ex iustitiæ examine erumpunt. Intus enim subtile Dei iudicium aspiciunt, & mala foris exurgentia, quia maledicto non debeant, ferire, cognoscunt: & eo in maledicto non peccant, quo ab interno iudicio non discordant. Hinc est, quod Petrus in offerentem sibi pecunias Simonem, sententiam maledictionis intorsit, dicens: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Qui enim non ait, est; sed sit, non indicativo sed optativo modo se hæc dixisse signavit. Hinc Helias duobus quinquagenarijs ad se venientibus dixit: Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & consumat vos. Quorum vtrorumque sententia quanta severitatis ratione convaluit, terminus causæ monstravit. Nam & Simon æterna perditione interijt, & duos quinquagenarios desuper veniens flamma consumpsit. Virtus ergo subsequens testatur, qua mente maledictionis sententia promitur. Cum enim & maledicentis innocentia permanet, & tamen eum, qui maledicitur, vsque ad interitum maledictio absorbet, ex vtriusque partis fine colligitur, quia ab vno intimo Iudice in reum sententia sumpta iaculatur.* Et ad hunc modum etiam Paulus ex zelo iustitiæ 2. ad Timoth. 4. optat Alexandrum ærarium, seu fabrum æris, & vasorum ærariorum, primò ex Iudæo Christianum, qui postea à fide defecerat, eique & Evangelio restiterat, multa mala intulerat, puniri à Deo, in verbis: *Alexander ærarius, multa mala mihi ostendit, reddet illi Dominus secundum opera eius: quem tu devita; valde enim restitit verbis nostris.*

Gregor.

7. Cæterum nemo ex zelo vindictæ alteri imprecans grave malum se excusatum credere debet à peccato, licet eveniat iusto Dei iudicio, quod alteri ex animo optavit. Manifestum est autem ex Scriptura pauperes denegantibus sibi eleemosynā maledicere, eamq; maledictionē iusto Dei iudicio evenire, quia iniquè illā in altero denegans provocavit, vt patet ex verbis Sapientis Ecclesiast. 4. vbi monet propter conscientiam non avertere oculos à paupere, scilicet in gravi vel extrema necessitate constituto, sic aiens *Ab inope non avertas oculos tuos propter iram, & relinquas quærentibus tibi retro maledicere. Maledicentis enim tibi in* Eccles. 4.

ama-

amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius; exaudiet autem eum, qui fecit illum. q. d. Non des occasionem pauperibus, vt malè tibi precentur secretò, qui ob paupertatem non audent coram maledicere: nam Deus exaudiet maledictionem ex amaritudine animæ, quam tu iniquè in altero provocasti: & nihilominus certum est pauperem maledicentem non esse sine culpa. Quod parentes seriò animadvetere debent, dum præsenti animo filijs maledicunt, etiam graviter contra eos peccantibus; nam sæpe evenit, quod imprecantur: vt evidenter videre est in exemplo matris viduæ, quod refert Augustin. lib. 22. factũ esse circa decem proles matri viduæ iniuriosas. De qua sic scribit lib. 22. Civit. cap. 8. *Vnum*, inquit, *est apud nos factum tam clarum, ac illustre miraculum, vt nullum arbitrer esse Hipponensium, qui hoc non viderit, vel didicerit; nullum, qui oblivisci vlla ratione potuerit. Decem quidam fratres fuerunt, quorum septem sunt mares, tres feminæ de Cæsarea Cappadociæ suorum civium non ignobiles, maledicto matris, recenti patris eorum obitu destitutæ, quæ iniuriam sibi ab eis factam acerbissimè tulit, tali pæna sunt divinitus coërciti, vt horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum. In qua fœdissima specie oculos suorum civium non ferentes, quaqua versum cuique ire visum est, toto penè vagabantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater & soror Paulus & Palladia multis alijs locis miseria diffamante iam cogniti*, at propterea mortalem culpam non minus incurrit eo animo maledicens. Atque adeo ex his nihil inferri potest, quam monendos esse filios, ne matrem præsertim viduam ad iram provocent: quia efficax est eius maledictio apud Deum, teste Sapiente, Eccles. 3. vbi ait: *Maledictio matris eradicat fundamenta*. Monendas etiam esse matres, vt à maledictione omninò abstineant, & iram eousque prævalere non patiantur. Eccl. 3.

8. Quæres iterum, Quare tantopere exaggerem maledictionẽ, cum David 2. Reg. 16. maledictionem patiens à Semei viro de cognatione domus Saul (quem compescere volebat. Abisan filius Sarviæ, *Quare* inquiens *maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? vadam & amputabo caput eius*) dixerit: *Dimitte eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit ei, vt malediceret David.* Et paulo post: *Ecce filius meus, qui egressus est de vtero meo, quærit animam meam; quantò magis hic filius Iemini? Dimittite eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini.* 2. Reg. 16.

Respondeo Deum maledictionis non fuisse auctorem, sed permisisse alterius maledicam linguam grassari circa Davidem Regem. Nec refert, quod Scripturæ verba ita sonent, quasi Deus instigaret hominem ad peccatum, nam alium necessario habent sensum, cum scriptura sibi non sit contraria, quæ alibi docet formaliter cooperari peccato alienissimum esse à Deo, qui neminem incitet aut impellat ad peccatum, teste Ecclesiast. cap. 15. vbi sic ait: *Nemini mandavit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi: non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium, & inutilium.* Et Iac. 1. Deus *intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*, scilicet vt alliciat ad peccatum; quamvis tentet iustos, vt Abraham, Davidem, Iobum, &c. vt eorum virtutem orbi demonstret, perficiat, & coronet. Hoc est, quod ait S. Augustinus lib. 2. de consensu Evangel. cap. 30. *Alia significatione intelligitur tentatio, de qua dictum est: Deus neminem tentat; & alia, de qua dictum est: Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligitis eum, Deutron. 13. Illa seductionis est, hæc probationis.* Sic pater tentat filium, herus servum, vir vxorem, magister discipulum, vt eius ingenium, & studium, & affectum partim exploret, partim acuat & accendat. Vnde Sapiens loc. cit. vers. 12. inquit peccatori: *Non dicas Deus me implanavit*, de quo Apostolus dicit 1. ad Corinth. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod pote-* Eccl. 15. Iacob. 1. August. Deutr. 13. 1. Cor. 10.

Quicumque porrò rectam intelligentiæ fidem dereliquerit, constringatur iniquitatis funiculo proditori Iudæ. Et hæc ad eum modum, quo David adversus Iudaicam in Christum rabiem orat: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*, &c. *Obscurentur oculi eorum*, &c. *Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. Deleantur de libro viventium*, id est: non numerentur inter electos tuos, &c. Et in divinæ legis desertores ac proditores insurgens; *Veniat*, inquit, *mors super illos, & descendant in infernum viventes.* Scilicet vt quondam descederunt Core, Dathan, Abiron, aliique cum ipsis schismatici & apostatæ.

Psal. 86

Psal. 54.

6. Vel rursum, quando Sancti Dei maledicunt contra charitatem non peccant, sed nomine Dei iustam sententiam ferunt in peccantes, vt constat exemplo Helisæi, de quo dicit Scriptura, quod respiciens pueros parvos, egressos de civitate, ipsique illudentes, per verba, *Ascende calve, Ascende calve*, Dei nomine condemnaverit. Sic enim habetur: *Qui cum respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini. Egressique sunt duo vrsi de saltu, & laceraverunt de eis quadraginta duos pueros*, mandando scilicet executioni sententiam Dei ab Helisæo prolatam: quia Deus volebat parentes in filijs punire, quos ipsi ita instruxerant, vt procaci lingua imprecarentur necem Prophetæ ascendenti in Bethel. Eliam verò & Paulum ex simili causa sententiam dixisse, auctor est Gregorius, lib. 4. moral. c. 6. vbi sic ait: *Aliter maledictum profertur iudicio iustitiæ; aliter livore vindictæ.* Et paulò post: *Deus maledicere dicitur, & tamen maledicere homo prohibetur: quia quod homo agit malitia vindictæ; Deus non facit nisi examine & virtute iustitiæ.* Ac immediatè post subiungit, quod in hanc rem facit: *Cum ergo sancti viri maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto vltionis, sed ex iustitiæ examine erumpunt. Intus enim subtile Dei iudicium aspiciunt, & mala foris exurgentia, quia maledicto non debeant, ferire, cognoscunt: & eo in maledicto non peccant, quo ab interno iudicio non discordant. Hinc est, quod Petrus in offerentem sibi pecunias Simonem, sententiam maledictionis intorsit, dicens: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Qui enim non ait, est; sed sit, non indicativo sed optativo modo se hæc dixisse signavit. Hinc Helias duobus quinquagenarijs ad se venientibus dixit: Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & consumat vos. Quorum vtrorumque sententia quanta severitatis ratione convaluit, terminus causæ monstravit. Nam & Simon æterna perditione interijt, & duos quinquagenerios desuper veniens flamma consumpsit. Virtus ergo subsequens testatur, qua mente maledictionis sententia promitur. Cum enim & maledicentis innocentia permanet, & tamen eum, qui maledicitur, vsque ad interitum maledictio absorbet, ex vtriusque partis fine colligitur, quia ab vno intimo Indice in reum sententia sumpta iaculatur.* Et ad hunc modum etiam Paulus ex zelo iustitiæ 2. ad Timoth. 4. optat Alexandrum ærarium, seu fabrum æris, & vasorum ærariorum, primò ex Iudæo Christianum, qui postea à fide defecerat, eique & Evangelio restiterat, multa mala intulerat, puniri à Deo, in verbis: *Alexander ærarius, multa mala mihi ostendit, reddet illi Dominus secundum opera eius: quem tu devita; valde enim restitit verbis nostris.*

Gregor.

7. Cæterum nemo ex zelo vindictæ alteri imprecans grave malum se excusatum credere debet à peccato, licet eveniat iusto Dei iudicio, quod alteri ex animo optavit. Manifestum est autem ex Scriptura pauperes denegantibus sibi eleemosynā maledicere, eamq; maledictionē iusto Dei iudicio evenire, quia iniquè illā in altero denegans provocavit, vt patet ex verbis Sapientis Ecclesiast. 4. vbi monet propter conscientiam non avertere oculos à paupere, scilicet in gravi vel extrema necessitate constituto, sic aiens *Ab inope non avertas oculos tuos propter iram, & relinquas quærentibus tibi retro maledicere. Maledicentis enim tibi in* Eccles. 4.

ama-

amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius; exaudiet autem eum, qui fecit illum. q. d. Non des occasionem pauperibus, vt malè tibi precentur secretò, qui ob paupertatem non audent coram maledicere: nam Deus exaudiet maledictionem ex amaritudine animæ, quam tu iniquè in altero provocasti: & nihilominus certum est pauperem maledicentem non esse sine culpa. Quod parentes seriò animadvetere debent, dum præsenti animo filijs maledicunt, etiam graviter contra eos peccantibus; nam sæpe evenit, quod imprecantur: vt evidenter videre est in exemplo matris viduæ, quod refert Augustin. lib. 22. factū esse circa decem proles matri viduæ iniuriosas. De qua sic scribit lib. 22. Civit. cap. 8. *Vnum*, inquit, *est apud nos factum tam clarum, ac illustre miraculum, vt nullum arbitrer esse Hipponensium, qui hoc non viderit, vel didicerit; nullum, qui oblivisci vlla ratione potuerit. Decem quidam fratres fuerunt, quorum septem sunt mares, tres feminæ de Cæsarea Cappadociæ suorum civium non ignobiles, maledicto matris, recenti patris eorum obitu destitutæ, quæ iniuriam sibi ab eis factam acerbissimè tulit, tali pæna sunt divinitus coërciti, vt horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum. In qua fœdissima specie oculos suorum civium non ferentes, quaqua versum cuique ire visum est, toto penè vagabantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater & soror Paulus & Palladia multis alijs locis miseria diffamante iam cogniti*, at propterea mortalem culpam non minus incurrit eo animo maledicens. Atque adeo ex his nihil inferri potest, quam monendos esse filios, ne matrem præsertim viduam ad iram provocent: quia efficax est eius maledictio apud Deum, teste Sapiente, Ecclef. 3. vbi ait: *Maledictio matris eradicat fundamenta.* Monendas etiam esse matres, vt à maledictione omninò abstineant, & iram eousque prævalere non patiantur. Eccl. 3.

8. Quæres iterum, Quare tantopere exaggerem maledictionē, cum David 2. Reg. 16. maledictionem patiens à Semei viro de cognatione domus Saul (quem compescere volebat. Abisan filius Sarviæ, *Quare* inquiens *maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? vadam & amputabo caput eius*) dixerit: *Dimitte eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit ei, vt malediceret David.* Et paulo post: *Ecce filius meus, qui egressus est de vtero meo, quærit animam meam; quantò magis hic filius Iemini? Dimittite eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini.* 2. Reg. 16.

Respondeo Deum maledictionis non fuisse auctorem, sed permisisse alterius maledicam linguam grassari circa Davidem Regem. Nec refert, quod Scripturæ verba ita sonent, quasi Deus instigaret hominem ad peccatum, nam alium necessario habent sensum, cum scriptura sibi non sit contraria, quæ alibi docet formaliter cooperari peccato alienissimum esse à Deo, qui neminem incitet aut impellat ad peccatum, teste Ecclesiast. cap. 15. vbi sic ait: *Nemini mandavit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi: non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium, & inutilium.* Et Iac. 1. Deus *intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*, scilicet vt alliciat ad peccatum; quamvis tentet iustos, vt Abraham, Davidem, Iobum, &c. vt eorum virtutem orbi demonstret, perficiat, & coronet. Hoc est, quod ait S. Augustinus lib. 2. de consensu Evangel. cap. 30. *Alia significatione intelligitur tentatio, de qua dictum est: Deus neminem tentat; & alia, de qua dictum est: Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligitis eum, Deutron. 13. Illa seductionis est, hæc probationis.* Sic pater tentat filium, herus servum, vir vxorem, magister discipulum, vt eius ingenium, & studium, & affectum partim exploret, partim acuat & accendat. Vnde Sapiens loc. cit. vers. 12. inquit peccatori: *Non dicas Deus me implanavit*, de quo Apostolus dicit 1. ad Corinth. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod* Eccl. 15. Iacob. 1. August. Deutr. 13. 1. Cor. 10.

 pote-

potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, vt possitis sustinere, id est, tãtum abest, vt Deus vos tentet, vt ne patiatur quidem vos tentari, quin cum divina gratia possitis tentationi resistere. Et proinde non vult hominem pati vt maledicum, seu malorum patratorem, 1. Pet. 4. dicens: *Nemo vestrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus.*

1. Pet. 4.

9. At dices, verba Davidis tamen indicant præceptũ? Respondeo debere intelligi de permissione divina. hęc est enim regula Sanctorũ, quando aliqua hominis vel dæmonis improbitas Deo tribuitur, id tantũ permissivè intelligendum esse. Vnde Damascen. lib. 4. orthodoxæ fidei, c. 20. *Scire*, inquit, *illud attinet, in Scriptura more positum esse, vt Dei permissionem actionem ipsius appellet: velut cum ait Apostolus in ea epistola, quam ad Romanos scripsit: An non habet potestatem figulus ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud autem in ignominiam? Quamquã enim ipse est, qui & hac, & illa efficit (neque enim rerum omnium quisquam præter eum opifex est) non tamen ipse vel nobilia, vel ignobilia efficit, verum sua cuiusque voluntas, animique institutum. Id quod ex his verbis liquet, quibus idem Apostolus in secunda ad Timotheum epistola vtitur. In magna domo non solum sunt vasa aurea, argentea, sed etiam lignea & fictilia: & alia quidem in honorem, alia autem in ignominiã. Si quis igitur seipsum emundaverit ab his, erit vas in honorem, sanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum præparatum. Nemini porrò obscurum est, quin purgatio voluntariè fiat. Si quis enim, inquit, emundaverit seipsum. Atq; consectaria conversio ex adverso respondet. Quod si non emundaverit, erit vas in ignominiam, Domino inutile, ac dignum quod perfringatur. Quocirca tum locus hic, quẽ in medium adduximus, tum ille: Cconclusit Deus omnia in incredibilitate. & ille: Dedit eis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, aures vt non audiant: hæc inquã omnia loca non ita accipienda sunt, quasi Deus hæc ipse effecerit, sed quod hæc permiserit, tũ ob arbitrij humani libertatem, tum quod virtus nullâ vi extorquenda sit.* Quamvis enim non omnis qui aliquid permittit, rectè dicatur imperare, aut impellere, aut instigare vt fiat; tamẽ Deus, sine cuius permissione nihil fieri potest, cũ ad certum aliquẽ finem consequendũ permittit aliquid fieri, rectè dicitur illud præcipere, aut ad illud impellere. Simile est de venatore, qui rectè dicitur canem immittere in leporem, quamvis nihil aliud faciat, quam quod funem laxet, quo canis retinebatur.

Damascen. Rom. 9. 2. Tim. 2. Rom. 11.

10. Verum ad clariorem intelligẽtiam, nota Deum varijs modis dici permittere peccata. Primò, quia nõ impedit conatum eorum, qui parati sunt malè agere. Hoc modo permisit diabolo, vt vexaret Iob. Secũdò, quia negat aliquibus speciale auxiliũ gratiæ, quo possent cavere peccata, si non negaretur. Hoc sensu intelligẽda sunt illa: *Declinasti semitas nostras à via tua. Inclina cor meũ in testimonia tua, & non avaritiam.* Item illud Ps. 81. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorũ.* Et Act. 14. *Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* Tertiò, quia ita regit, gubernat, & interius flectit humanas voluntates, vt licet vitio suo malæ sint, tamen à divina providentia ad vnum potius malum, quam ad aliud non positivè, sed permissivè ordinentur. Hoc sensu dixit Hugo de S. Victor. lib. 1. de sacr. par. 5. c. 29. *Deum malis volũtatibus non dare corruptionem, sed ordinem*, quia scilicet permittit, vt ferantur in vnum, & non permittit, vt ferantur in aliud malum. Quartò, his addit D. Thomas in c. 9. ad Rom lect. 3. Deũ non solũ inclinare voluntates malas ad vnum potius, quam ad aliud permissivè, vt explicatum est; sed etiam positivè, inclinando scilicet in vnũ, & avertendo ab alijs: non quidem per se & physicè movẽdo voluntatẽ ad vnũ, & removendo ab alijs, quod libertati arbitrij repugnaret, sed occasionaliter, vt D. Thomas loquitur; immitendo scilicet occasionem aliquam bonam, ex qua homo malus sumit occasionem iudicandi, melius esse huic nocere quã illi, sive potius huic iniquitati servire quam illi. Hoc

Psal. 43. Psal. 81. Act. 14. Hugo. D. Thom.

Augustinus. Hoc sensu D. Augustinus & Theodoretus exponunt illud Psal. 104: *Convertit cor eorum, vt odirent populum eius.* Dicunt enim id fecisse, non pervertendo corda Ægyptiorum, sed benefaciendo populo suo: Vnde Ægyptij maioris odij occasionem sumpserunt.

11. Sed ad rem. Deus dicitur præcepisse Semei, vt malediceret David tum quia non impedivit conatum eius; tum etiam, quia inclinavit illum ad hoc malũ potius, quam ad aliud, non positivè, sed permissivè; vel certè non physicè, sed occasionaliter, vt explicatum est. Hoc autem fecit ad augendum meritum Davidis. Sic Idem. explicat D. August. in lib. de gratia, & libero arbitrio, c. 20. vbi sic philosophatur: *Quomodo dixerit Dominus huic homini maledicere David, quis sapiens & intelliget? Non enim iubendo dixit vbi obedientia laudaretur, sed quod eius voluntatem proprio vitio suo malam; in hoc peccatum iudicio suo iusto & occulto inclinavit, ideo dictum est, dixit ei Dominus. Nam si iubenti obtemperasset Deo, laudandus potius quã puniendus esset, sicut ex hoc peccato novimus esse punitum. Nec causa tacita est, cur ei Dominus isto modo dixerat maledicere David. hoc est, cor eius malum miserit vel dimiserit, vt videat, inquit, Dominus humilitatem meam, & retribuat mihi bona pro maledicto eius in die isto. Ecce quomodo probatur Deum vti cordibus etiam malorum ad laudem atque adiumentum bonorum. Sic vsus est Iuda tradente Christum: sic vsus est Iudæis crucifigentibus Christum.* Vnde agnovit David se, Deo permittente & inclinante occasionaliter Semei malam voluntatem, propter peccata sua fuisse punitum, cum ait: *Dimitte eum vt maledicat iuxta præceptum Domini. Si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac, die hodierna.* Cui consonat Bernardus. Bernardus serm. 34. in Cant. sic exclamans ad hanc Davidis patientiã: *O verè hominem secundum cor Dei, qui se vlciscenti potius, quam exprobranti succensendum putavit: vnde & secura conscientia loquebatur: Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis: vetuit ergo probiberi maledicum convitiantem, quæstum existimãs maledicta.* Et addit: *Dominus misit illum ad maledicendum David. Prorsus secundũ cor Dei, qui de corde Dei ferebat sententiam. Sæviebat lingua maledica, & ille intendebat, quid in occulto ageret Deus. Vox maledicentis in auribus & animis inclinabat se ad benedictionem. Numquid in ore blasphemi Deus? absit, sed eo vsus est ad humiliandum* David *Nec latuit Prophetam, quippe cui incerta & occulta sapientiæ suæ manifestarat Deus. & ideo dicit: Bonũ mihi quia humiliasti me.* Adeoq; verũ est, quod inquit Basil. in hom. *Quod* Deus Basilius. *non sit auctor malorũ,* Deum facere instar medicorum. Nam sicut Medici non faciunt venenum viperę sed illo vtuntur ad curãda corpora: ita Deus non facit malas voluntates, sed eas ordinat in salutem electorum suorũ.

12. His de maledictione formali sic discussis restat inquirere an maledictio, qua optamus alicui malum, non vt malum est, sed vt bonum quoddam iustitiæ divinæ, vel humanæ & politicæ, sit licita?

Respondeo affirmativè, teste D. Thoma cit. q. 76. a. 1. in corpore, vbi D. Thom. ait: *Si aliquis imperet vel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum, nec erit maledictio, per se loquendo, sed per accidens: quia principalis intentio dicentis non fertur in malum, sed ad bonum. Contingit autem malum aliquod dici imperando, vel optando sub ratione duplicis boni. Quandoque quidem sub ratione iusti. Et sic Iudex licitè maledicit illum, cui præcepit iustã pœnam inferri. Et sic etiam Ecclesia maledicit anathematizando, sicut etiam Prophetæ in Scripturis quandoque imprecantur mala peccatoribus, quasi conformantes voluntatẽ suam iustitiæ divinæ: licet huiusmodi imprecationes possint etiam per modum prænuntiationis intelligi. Quandoque verò dicitur aliquod malum sub ratione vtilis, putà cum aliquis optat aliquẽ peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel vt ipse melior efficiatur, vel vt saltem ab aliorum nocumento cesset.* Sic Oseas cap. 9. designat pœnas qui- Osea 9. bus parentes compescendi sunt, qui filios perditè amant, dicens: *Da eis Domine. Quid dabis ei?*

Da eis vulvam sine liberis, & vbera arentia. q. d. Da eis pœnas & supplicia, quæ merentur. Sed quas pœnas in particulari decet me ijs imprecari, & te, ô Domine, ijs infligere? Vtique vt filios, quos perditè amant, quibusque abutuntur, perdant, itaque summè crucientur. *Da ergo eis vulvam sine liberis, & vbera arentia*, seu puni vxores Ephraim sterilitate, vt liberos non concipiant, aut si quos conceperint, & peperint, lactare & nutrire nequeant: vbera enim arentia sunt, quæ lacte carent. Sic nimirum eis occasionem fastus & idololatriæ, quam per filios committunt, præcides, ô Domine: sic pariter tolles stirpem tibi invisam. Sic D. Paulus cap. 5. ad Galatas optavit, vt falsi Prophetæ, qui Galatas asservandam Circumcisionem docebant, abscinderentur per excommunicationem ab Ecclesia, in verbis: *Vtinam abscindantur, qui vos conturbant.* Gal. 5.

Sic ex zelo iustitiæ quis rectè expetit, vt peccatores iustè à Deo, & legitimo Magistratu pœnis afficiantur, quo iustitiæ bonum promoveatur, quia dicit Paulus ad Rom. 13. quod sublimior potestas gladium portet ad vindictam maleficiorum. Et absque peccato optat furi vel latroni, qui Reip. noxius, vt laqueo suspendatur. Sic licet privatis mala optare ex charitate, id est, morbos, flagella, vt vergant in bonum ipsorum. v. g. sic potest puella, quæ sollicitatur à iuvene ad libidinem (quando aliter non potest ab illo liberari) optare illum infirmari, vt sic cesset ab illa libidine, vel moriatur nisi conversus sit. Sic etiam ob bonum vtile infirmitatem licet optare illi, qui iniquam & iniustam litem secum ducit, vt sic resipiscat & cesset; vel fiat pauper, si ex abundantia divitiarum illam movit. Quo etiam modo mulier, quæ videt virũ suum dilapidare bona sua, potest optare vt ægrotus in lecto iaceat, vt sic resipiscat, & ne perdat res suas: quia in his casibus id non est velle malum, sed potius velle bonum. Et hoc conforme est illi, quod Psal. 82. dicit Propheta: *Imple facies illorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Rom. 13 Psal. 82.

13. Quæres ergo quare Ionas reprehendatur, quod optaverit Ninivitas ob peccata præterita puniri, & sententiam in eos latam non revocari; præsertim cùm Iudex latronem etiam pœnitentem ob furta ordinariè suspendat? Ion. 4.

Respondeo, Quia id optavit indiscreto zelo, & vano timore, nimirum vt honori suo consuleret cum tot Ninivitarũ damno. licet enim, vt cœteri timorem habeant, Iudex latronem etiam pœnitentem soleat de medio tollere; tamen indiscretum esset tantum numerum pœnitentium cum tot parvulis pœna mortis afficere: præsertim vt vnius hominis verbum salvum maneret, vt patet ex verbis Dei, quibus ipsum reprehendit irascentem vsque ad mortem super interitu hederæ, sub qua latitabat: *Tu doles super hedera, in qua non laborasti* &c. Et *ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam?* q. d. Tu doles ô Iona, propter hederam, quæ neque abs te plantata est, neque tuâ, vt vides adolevit industriâ, quæ vsque adeo futilis est, vt vna nocte nata sit, & eadem nocte viriditatem omnem, imò & vitam amiserit. Et ego nõ doleam de tantæ civitatis interitu? Non parcam Ninivæ antiquissimo, amplissimo, ac nobilissimo populo: in quo, vt aliam innumerabilem hominum multitudinẽ omittam, plura sunt, quam centum ac viginti parvulorum millia, qui nihil admisere, quique adeo rerum ignari sunt, vt nullum habeant dextræ, sinistræque discrimen, cur perire debeant? Hinc S. Ephrem sermon. de Iona: *Cucurbita*, inquit, *tibi nunc loco magistri efficitur, ex qua sapientiam & prudentiam addisce, ac quanta sit vis divinæ clementiæ. Tu parcis cucurbitæ, & ego civitati. Tugurium tuum sit speculum civitatis. Tugurium abiectum quæris, & vrbem* Ephrem

urbem funditus evertis? ubi rectum iudicium tuum, o Iona? cucurbitam civitate potiorem ducis? Super vili cucurbita commiserationis affectum ostendis, & in civitatem durissimum ac severissimum te exhibes?

Et meritò hac ratione perstrinxit eum Deus: Displicet enim ei nimis indiscretus & immoderatus zelus iustitiæ. Vnde & repressit Christus Iacobum & Ioannem Apostolos indiscreto zelo laborantes erga Samaritanos, eò quod repulissent Christum meditantem iter Hierosolymā versus, dicentes: *Domine, vis dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat eos?* cum respondit: *Nescitis cuius spiritus estis: filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Similiter reprehendit S. Carpum, quod peccatorem ad pœnitentiam non admitteret, memorabili visione, quam recenset S. Dionysius epist. 8. ad Demophilum. Sic quoque reprehendit Costantinus Imperator Acacium Episcopum in Concilio Nycæno, quod duriorem se præberet in recipiendis ad pœnitentiam ijs, qui ab fide aberraverant, his verbis: *O Acaci scalam à terra in cælum constitue, solusque per illam in cælum conscende* ita refert histor. Eccles. p. 2. c. 4. Alius in casu simili à viro sancto audivit: *Si hic errans tibi stetisset tuo sanguine, vt stetit Christo, reciperes eum & colligeres, nec sineres eum extra Ecclesiæ caulam luporum prædæ exponi.*

Luc. 9.

Dionysius.

14. Quæres denique, An peccatum sit, aliquod malum temporale sibi ipsi imprecari?

Respondeo sub distinctione: vel optat sibi quis per modum execrationis simile malum, cum aliquid falsum proferens advocat diabolum quasi testem, dicens: *Ni verum sit, dæmon me tollat de medio, aut pestis me corripiat.* Vel optat sibi afflictionem temporalem ad profectum spiritualem. Priori casu gravissimè peccat, & provocat in se iram Dei, ac verum fit in eo, quod inquit Propheta Psal. 108. *Dilexit maledictionem & veniet ei &c. induit maledictionem sicut vestimentum, & intravit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius.* quasi dicat. Qui malè vivit, & à fortiori, qui sibi mala imprecatur, non debet infensius esse Prophetæ malè ominanti vel precanti, cum ex industria sibimet ita mala accersat, ac si suismet damnis delectaretur, & consectaretur. Idque tribus similitudinibus cumulum omnium malorum involvere illustrat, nempe vestimēti, quod omne corpus vndique ambit, aquæ quæ demersi cuncta membra subit, etiā interiora, & olei quod penetrat qua pollet subtilitate ossa ipsa, cum aqua non pertingat omnes internas carnes, venas, nervos. Et hinc sæpe experimur eiusmodi homines Deum morbis affligere, ac diabolo permittere in eos grassari, qui circuit tanquam leo rugiens, quærens quem devoret. Exempla quædam allegat Reverendissimus suffraganeus Bambergensis in hanc rem, Concione 68. in Psal. *Miserere*, n. 11. nempe cuiusdam temerariæ feminæ, cui iugulum diabolus fregit, cum in desperationem venisset, eò quod honesto iuveni fidem matrimonij de futuro datam infringens ob eiusdem paupertatem, diabolo sese multoties devovens eiuraverit de præsenti cum illo non contrahere. Alterius etiam addit, qui inter ludendum repetitis sæpius verbis, Diabolus me importet, domum repetens à malignis spiritibus abripitur, & per sentes ac dumæta accurrentibus & spectantibus vicinis raptatus vix suorum manibus dœmonum violentiæ toto corpore luridus & lividus ereptus, & domum reportatus, cum ad pœnitentiam peccati admoneretur, in desperationem actus cultro sibimet iugulum perfodiens, finem vivendi fecit. Et hac de causa in veteri Testamento, quando iurabant per execrationem, *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat,* non addebant, nec exprimebant quam pœnam, ignem aut mortem sibi addi vellent, sibique imprecarentur si iuramentum violarent; idque tum ex summa iuramenti religione, & reverentia, tum etiam ex sacro

Psal. 108.

quodam horrore timentes & verentes, ne execratio illa vel nominata, quoque modo eos afflaret, & invaderet. Vnde legitur de Saule 1. 1. Reg. 14. Reg. 14. quod in mortem Ionathæ iurans, dixerit: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat: quia morte morieris Ionatha!* sed non exprimitur plaga, quam sibi imprecatur. Similiter de Davide 1. Reg. 25. legitur, 1. Reg. 25. quod iurans mortem Nabel, eiusque amicorum, dixerit: *Hæc faciat Deus inimicis David, & hæc addat*: sed non exprimit malum, quod sibi cupit contingere; quamvis aliqui hæc verba interpretentur, ac si diceret David: Det hostibus meis Deus, vt sint in acie fortiores: vt me de vitę statu deijciant; vt quæ ego gloriosè fecisse videor, illorũ obscurentur meliori successu.

Posteriori casu omnino licet. Probatur argumento à fortiori: Si enim alteri licet ad profectionem spiritualem, vel divinam probationem, afflictionem temporalem optare; multò magis sibi. ita Suarez Suarez lib. 1. de Oratione cap. 19. n. 5. vbi idipsum confirmat tribus de causis. Prima, *quia melius potest homo iudicare de sua dispositione, quam de aliena. Deinde quia maiorem habet potestatem in res suas, potestque liberius cedere iuri suo, quam proximi.* Tertia, *quia naturaliter homo est melius adfectus ad se, quam ad alios, & ideo facilius potest hæc mala sibi imprecari sine periculo proprij odij, aut invidiæ, aut alterius affectionis similis, quæ circa proximum facile potest delitescere sub specie optandi spiritualem profectum eius.*

Discursus XII.

De Maledictione circa Creaturas irrationabiles.

Iacob. 3. Postolus Iacobus cap. 3. prohibuit maledictionẽ proferri erga homines: iam inquirendum an etiam maledictio circa creaturas irrationales vetita sit.

1. Ad huius rei intelligentiam præmittendum est, creaturam irrationalem tribus modis maledici posse, Primò secundum se considerata, eaque maledictio est vetita sub veniali. Ratio est, quia creaturæ secundum se spectatæ, iniuriæ non sunt capaces. Vnde agricola fruges videns exustas vredine, & mille in ventos iactans convitia: & ex naufragio rerum iacturam patiens, ventos & pelagus execrans, illisque indignans & optans, quidquid hostibus alij, peccati mortalis non facilè est condemnandus, ob rationem prædictam: Et quia eiusmodi execrationes tantùm dolorem exprimunt, vt facile colligere est ex quotidiana experientia, vbi cum sartori acus non favet, scriptori calamus, pictori penicillus, illis irascuntur, eosque collidunt & frangunt aut abijciunt, vt sic vexam exprimant. Insinuavit hoc alicubi Augustinus: *Plerumque,* August. inquit, *non hominibus tantum, sed calamo irascimur in scribendo, eumque collidimus, atque frangimus; & aleatores tesseris, & pictores penicillo,* &c. Quod facit in animo cœcus & præceps furor, hoc idem etiam facit, & patitur, cùm occupavit animum vehemens dolor. Sic sanè Theodore- Theodoret. tus q. 6. *Hoc,* inquit, *indicat summum dolorem. Quomodo enim qui aliqua parte corporis sunt malè affecti, aut parieti, aut lecto allidunt manus propter stimulos doloris: ita etiam vir divinus nimia ardens animi*

animi ægritudine malè precatur inanibus montibus. de quibus latius postea.

2. Secundò fieri potest, referendo maledictionem in hominem, videlicet cum quis vellet eius domum incendi, aut bona ablata, vt ei noceat. Qua maledictione diabolus maledixit Iobo, & sic eandem censuram meretur, quam D. Paulus 1. ad Cor. 1. & 6. imponit maledicentibus homini, nam eadem est. Quod clarius colligitur ex Habacuc 3. vbi Propheta describens deiectionem Balthasaris & Chaldæorum per Cyrum dixit: *Maledixisti sceptris eius.* id est, regnis & provincijs, quibus cum sceptro seu potestate regia imperabat.

1. Cor. 1. & 6.
Habac. 3.

3. Tertio fieri potest maledictio, referendo in Deum, quia sunt eius creaturę, & sic etiam est peccatum mortale gravissimum blasphemiæ, dignum morte. De qua vide latius Discursum. 6. in secundum Præceptum.

4. Sed dices: Quomodo potest tantum esse peccatum, cum Deus legatur maledixisse creaturis irrationabilibus. Genes. enim 3. dicitur Adamo: *Maledicta terra in opere tuo.* Deuteron. 28. filijs Israël: *Maledictum horreum tuum, & maledicta reliquiæ tuæ, &c. & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & gregum tuorum.* Et Malach. 2. minatur incurijs in cultu divino sterilitatem, in verbis: *Maledicam benedictionibus vestris.*

Genes. 3.
Deut. 28.
Malach. 2.

Respondet ad hanc obiectionem Gratianus 1. q. 4. c. *Ecclesia.* in hunc modum: *Insensibilia & irrationabilia peccato hominum vel execrantur, vel anathematizantur, vel morte perduntur, non participatione peccati, vel flagello delinquentium.* Quod dicit tale est; Causâ sacramenti seu figuræ Deus aliquando maledicit irrationalibus creaturis, videlicet, vt designet quid homini eventurum sit. Exempli gratia, Christus Matth. 21. videns fici arborem secus viam, *venit ad eam, & nihil in ea invenit nisi folia tantum, & ait illi: Nunquam nascatur ex te fructus in sempiternum: & arefacta est continuo ficulnea.* at paradoxum fuisset fructum inveniri, quandoquidē tempus non erat, vt ait Marcus cap. 11. Quod non ignoravit Christus: sed quæsivit miraculi occasionem, vt discipulis iam moriturus ostenderet, se rerum Dominum, & posse se tam facilè omnium inimicorum vires vno nutu conterere, si mori iuberet, quam ficum arefacere. Hominem enim subitò exstingui est vsitatum, arbores non nisi sensim arescunt. Audi desuper Chrysostomum hom. 68. in Matth. vbi considerans Marcum dicere non fuisse tempus fructuum, inquit: *Cuius igitur gratia maledicta est? certè vt discipuli confiderent. Nam quoniam semper beneficia conferens, nullum vnquam punivit, conveniebat autem vt puniendi virtutem aliquo exemplo demonstraret, vt tam discipuli quàm Iudæi sibi persuadeant, verbo posse solummodo ipsum crucifigentes exsiccare, sed sponte omnia sustinere: puniendi virtutem non in hominem, sed in arborem opportunè nunc demonstravit. Cum autem loca vel planta, vel animantes rationis expertes, tale quid patiuntur, noli curiosius, quare ita factum sit, investigare. Non ergo quare, vtrum meritò exsiccata sit ficus, sed tempus non erat fructuum, delirationis id mihi videtur extremæ, sed ipsum solummodo considerans admirare, & creatori gloriam redde. Sic & in submersis porcis rationem iustitiæ diligenter inquirentes multi fecerunt, quibus mens adhibenda non est. Sicut enim porci ratione, sic & planta animâ caret.*

Gratianus.
Matt. 21.
Marc. 11.
Chrysost.

Dyonisius Carthusian. aliud mysterium hoc factum continere insinuat, nempe maledicendos Iudęos, qui folia cæremoniarum inanium, nullos veræ pietatis cōditos fructus haberent. Sic enim ait: *Accessit ficulneam quærens in ea fructum, ad insinuandum, quod venit ad populum Iudæorum, quærens in eis fructum iustitiæ. Arbori quoque habenti non fructum, sed folia maledixit, ad innuendum quod Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi, & cæteri simulatores ac callidi non veritatem, sed apparentiam sanctitatis habentes induti vestibus ovium, intus vero pleni hypocrisi, essent divinitus maledicendi.*

Carthus.

5. Sequi-

5. Sequitur vel detestatione peccati. Sic Levitic. 26. maledictiones comminatur Deus Iudæis, si legem eius non servaverint. *Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, si spreveritis leges meas, si iudicia mea contempseritis, vt non faciatis ea, quæ à me constituta sunt, & ad irritum perducatis pactum meum: ego quoque hæc faciam vobis. Visitabo vos* &c. *frustrà feretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur,* &c. *daboque vobis cælum desuper sicut ferrum, & terram æneam*, videlicet, vt non magis quam æs suscipiat semina, cœlique influentias, *immittamque in vos bestias agri, quæ consumant vos, & pecora vestra, & ad paucitatem cuncta redigant, desertaque fiant viæ vestræ*. Similia repetit Moyses Deuteron. 28. in verbis: *Quod si audire nolueris vocem Domini*, &c. *venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ovium tuarum.* Similes plagas minatur Deus rem divinam non benè curantibus, Malach. 2. in hæc verba: *Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, vt detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & meledicam illis; quoniam non posuistis super cor.*

Levit. 26. Deut. 28. Malach. 2.

6. Tertiò flagello delinquentium. Sic maledixit Deus propter peccatum Adæ terræ in opere ipsius, quasi diceret: Terra tibi, ô Adam, eam laboranti & sudanti paucos dabit fructus, imo sæpe tribulos & spinas: ex peccato enim primæva terræ bonitas & fertilitas impedita & imminuta videtur, ideoque crebiores, & pluribus in locis iam germinat tribulos & spinas, quas ante peccatum non germinabat. Hoc etiam factum est Cain peccante. De quo legitur Genes. 4. v. 11. & 12. *Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua; cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos.* Et Isai. 5. cap. dicit Dominus ob peccatum iniustitiæ talem sterilitatem adventuram, vt tantùm decimam partem sementis missæ in terrã collecturi sint, & pauculũ vini, ex multis iugeribus terræ, in verbis: *In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum: Nisi domus multæ desertæ fuerint, grandes & pulchræ absque habitatore. Decem enim iugera vinearum facient lagunculam vnam, & triginta modij sementis facient modios tres.* Et Aggæi 2. dicit Dominus, quod propter neglectam fabricam templi immiserit illis sterilitatem aliquot annis præteritis, dicens in verbis vers. 15. *Et nunc ponite corda vestra à die hac & supra, & antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini. Cum accederetis ad acervum viginti modiorum, & fieret decem: & intraretis ad torcular, vt exprimeretis quinquaginta lagenas, & fiebant viginti. Percussi vos vento vrente, & aurugine, & grandine omnia opera manuum vestrarum: & non fuit in vobis qui reverteretur ad me, dicit Dominus.* q. d. Renovate superiorem memoriam ab illo die, ex quo interrupta est templi constructio; ad illud vsque tempus, in quo constructum est opus; & invenietis nihil vobis ex votis contigisse; An non ex acervo frugum, ex quo viginti exspectabatis modios, decem retulistis? Et cum ex torculari tantum exprimendum putaretis, quantum quinquaginta lagenas implere posset, nihilo plus inde percepistis, quam quod pro viginti lagenarum mensura sufficeret? Cumque percussissem vos inopiâ & fame, dum agros magno labore atque impendio satos vento vehementer noxio, quique vim vrendi haberet potentissimam, deinde grãdine & aurugine corrumperem. Cumque tamdiu vestra ac vos assiduis incommodis attrivissem, nemo tamen animo ad meliora mutato conversus est ad me.

Genes. 4. Isa. 5. Aggæi 2.

Et Psal. 106. dicit David Deum aliquando posuisse *flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim*, id est, quando illi placuit, siccasse flumina, & fecisse vt ibi rivi aquarum abundan- Psal. 106.

bundanter decurrebant ibi fieret desertum aridum & siticulosum; terram quoque fructiferam vertisse *in salsuginem*, id est, in terram sterilem, qualis est terra operta sale, *à malitia inhabitantium in ea.* id est, in pœnam peccati eorum, qui terram illam incolebant. Cuius mutationis exemplum habemus Genes. cap. 13. vbi dicitur: *Elevatis Loth oculis vidit omnem circa Regionem Iordanis, quæ vniversa irrigabatur antequam subverteret Dominus Sodomam & Gomorrham, sicut paradisus Domini.* Hanc verò terram irriguam & fructiferam instar paradisi, Deus sulphure & igne de cœlo demisso totam siccavit, & sempiternâ sterilitate damnavit, vt legitur in eodem lib. cap. 19. Genes. 13. Genes. 19.

7. Eaque de causa Prophetæ aliquando lamentabiliter conquesti sunt, vt Ieremias cap. 12. v. 4. vbi ait: *Vsquequo lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur propter malitiam habitantium in ea? consumptum est animal & volucre: quoniam dixerunt: Non videbit novissima nostra* q. d. Quousque feres Domine, vt impij sceleribus suis terram corrumpant, excidium per Chaldæos, & sterilitatem illi olim à te benedictæ inducant, vt nec volucres possint eam incolere? ait Sanctus Hieronymus: Tanta enim est eorum impietas, vt negent tuam providentiam, dicentes te non videre, id est, curare novissima nostra, seu finem nostrum, videlicet mortem, vastitatem, excidium, quæ nomine Dei minatur nobis Hieremias, & te post mortem non puniturum. Hierê. 12. Hieronym

8. Sed dices; Quod Deus facit, æquanimiter patiendum est: is enim ius habet in omnes creaturas, cum sit Dominus omnium: verum cum homines etiam legantur maledixisse quandoque creaturis irrationabilibus, vt David Montibus Gelboë 2. Reg. 1. Iob diei nativitatis cap. 3. & Hieremias similiter cap. 20. velim scire, an & quatenus id liceat? 2. Reg. 1. Iob 3. Hierê. 20.

Respondeo licere per modum iustitiæ vindicativæ ijs, qui pollent auctoritate, & in alios ius gladij habent. Id enim Deuteron. 13. præscripsit Deus, cum voluit vrbem, quæ Deum alienum coluit, funditus deleri vsque ad pecora, & omnem supellectilem cum vrbe comburi, in verbis: *Si inveneris certum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam ac omnia quæ in illa sunt, vsque ad pecora: quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius, & cum ipsa civitate succendes*, Sic Iosue dux populi cap. 7. animadvertit iussu Dei in Achanem, qui furto sustulerat quædam de anathemate; ita vt non solum ipsum, sed etiam argentum, pallium, & auream regulam, quam furatus erat; quin etiam boves, asinos, & oves, ipsumque tabernaculum, & cunctam supellectilem, *& cuncta quæ illius erant*, igne cõsumpserit. Et quod amplius est, voluit Deus eiusmodi vrbes ita destrui, vt in pœnam nollet amplius eas reædificari. Hinc Iosue 6. diram pronuntiavit sententiam in eum, qui ausus foret civitatem Ierechuntinam reædificare, dicens: *Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit & ædificaverit civitatem Iericho. In primogenito suo fundamenta illius iaciat, & in novissimo liberorum ponat portas eius.* Cuius rei tres dat rationes Serarius q. 53. in loc. cit. Prima est, vt divinæ potentiæ ac vindictæ perpetuum ante omnium oculos esset monimentum, quemadmodum ait Rabam. Secunda, vt detestabilior esset apud omnes idololatria, & impietas, quam in prima Chananææ vrbe tàm graviter vindicatam cernerent. Tertia est, ne ob vicinum Iordanem, locique oportunitatem aliquod iterum belli aut impietatis illinc semen existeret. Deut. 13. Iosue 6. Serarius

9. Ad hunc modum Iudices licitè ob crimen læsæ Maiestatis vrbes aliquas sale seminari volunt: quos imitatus est, licet iniustè, Abimelech tyrannus, Iudic. 9. vbi sic legitur: *Porro Abimelech omni die illo oppugnabat vrbem: quam cepit, interfectis habita-* Iud. 9.

bita-

bitatoribus eius, ipsaq; destructâ, ita vt sal in ea dispergeret. Sic rursum licet, quãdo requiritur ad spiritualem alterius profectum, etiam optare, vt cœlum sibi sentiat infestum. Probatur, quia Elias Propheta, vt testatur Iacobus Apostolus, *oratione orauit* propter Achab, *vt non plueret super terram: & non pluit annos tres*, id est, ferventer oravit, & siccitatem suis precibus cõciliavit & impetravit: idque ex ingenti divini honoris zelo, vt scilicet se verum & efficacẽ Dei veri esse Prophetã ostenderet, vtque Achab & Iezabel, eorumque impios subditos, qui colebant Baal, hac pœnâ castigaret, & ad veri Dei hanc plagam immittentis cultum reduceret. Quocirca iure S. Chrysost. hom. 15. ex varijs Matthæi locis: *Eliæ*, inquit, *lingua fuit quasi cœli clavis: factus est enim velut arbiter, cuius nutu & cohiberentur, & defluerent imbres: eius enim oratio*, inquit Tertull. advers. Psychicos cap. 6. *ieiunio atatque abstinentia roborata vim habet impetrandi*; idque ad hoc, *vt cælum impijs clauderetur, qui terrena polluerant*, ait S. Ambros. lib. de Elia cap. 2. *Et rursum oravit*, inquit idem Apostolus; videlicet & pœnitente Achab, & populo pluviam postulante, *& cælum dedit pluviam.* Aliàs verò vt malum culpæ redolet, nemini licet alijs creaturis irrationabilibus maledicere.

Iac. 5. Chrysost. Tertull. Ambros.

10. Quæres, qua ratione salventur dictæ maledictiones sanctorum hominum iam citatæ?

Respondeo, Eas fuisse materiales. Nam quantum ad Davidem attinet, in eo non peccavit, quia ex animo non intorsit maledictionem illis montibus, neque voluit incommodare eorum possessoribus, qui nihil commeruerant. Imò satis perspicuum est Davidem intellexisse, Deum de ea causa supernaturaliter non effecturum, vt nec ros, nec pluvia deinceps caderent in eis montibus, neque colerentur agri, vnde primitiæ Deo offerrentur: præsertim cum in pœnam iustam peccatorum Saulis eas cædes ibi permiserit, atque vt David regno Israëlis potiretur, quem loco Saulis elegerat: sed hoc dicendi modo cupiebat omnibus notum esse, quàm ipse graviter de tantâ Saulis ac illustrium virorum strage condoluerit. Ille enim apud Iudæos mos erat, familiaris gravi dolore cruciatis, ad exprimendum affectum, quem ipsi habere debebant circa notabile infortunium suorum, quem magis David voluit exprimere, vt vnicuique pateret clemens ipsius animus, vt ingrati & malevoli Regis, à quo tot affectus erat iniurijs, cuiusque mortis causa iam securus poterat agere, tamen plangeret mortem, vestimẽta discinderet, montes execraretur & odisset, in quibus illum cecidisse cognoverat. Alias enim non sustulisset eum è medio, qui ipsius rogatu, licet mendaciter dixerat se intulisse mortem Sauli, neque præcepisset plangere filios Israël interfectorum mortem, eamque celare Philisthęos, vt indicant ipsius Davidis verba ad populum; *Considera Israël pro his, qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati. Inclyti Israël super montes tuos interfecti sunt: quomodo ceciderunt fortes? Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis: ne fortè lætentur filiæ Philisthijm, ne exultent filiæ incircumcisorum.* 2. Reg. 1. 2. Reg. 1.

11. Similiter neque Iob, neque Ieremias intenderunt alicui maledicere; sed attendendo præcisè ad molestias, quas homo interdum patitur, & seclusâ voluntate Dei, ac patientiæ fructu, per exaggerationem significare animi tristitiam naturaliter loquendo tantam esse, vt melius iudicarent non esse natos, quàm vivere. In quo sensu Eccles. 4. dixit Salomon: *Vidi calumnias, quæ fiunt sub sole, & laudavi magis mortuos, quam viventes, & feliciorem vtroque iudicavi, qui nunquam natus est, nec vidit mala, quæ sub cælo fiunt.* Et Eccles. 7. *Melior est dies mortis die nativitatis.* Si enim anima ingressura corpus videret omnia mala, quæ in eo passura est, horreret, diceretque: Malo non nasci, quam nasci ad tantas miserias Eccles. 4. Eccles. 7.

ferias : Vita enim hæc plus fellis, quam mellis habet.

Quod autem hoc ita sit patet, quia Iob post hyperbolicam illam maledictionem diei suæ, & post cœptam disputationem cum amicis suis respiciens ad bonum virtutis, & ad præmium patientiæ, ostendit miserias sibi esse gratas, dicens cap. 13. *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Iob 13. Et c. 19. Ib. 19. *Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro stilo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Scio enim quod redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Talem etiam fuisse hyperbolicam exaggerationem Hieremiæ constat, quia sanctificatum in vtero matris non est verosimile in tantum peccatum incidisse, neque etiam pusillanimem fuisse; cum Deus illi opem & auxilium promiserat: ita vt certam haberet spem evasionis & salutis suæ, licet ob tristes & minaces suas prophetias sustineret odia, & probra, ac verbera à Iudæis: sed tantum declaravit internum dolorem, vt ostendat quantas angustias, & quam gravia mala patiatur; quamque invitus excidium Hierosolymæ intentet, & prædicat: vt Iudæi videant eum non sponte, sed coactum à Deo illud ipsum prędicere. Nec refert, quod non solum diei, sed etiam nuntio maledicat, qui nuntiavit patri ipsius, ortum eius. Moris enim erat apud Hebræos pluribus animi dolorē exprimere, vt patet 2. Reg. 3. vbi David indolens mortem Abneris à Ioab subdole interfecti, 2. Reg. 3. & argumentū præbens, patratam cœdem à Ioab accidisse sibi admodum ingratam, dirâ quadam execratione eius caput, totamque familiam, & cognationem defixit, his verbis: *Et veniat super caput Ioab, & super omnem domum patris eius, nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens & leprosus, & tenens fusum, & cadens gladio, & indigens pane.* Hoc enim dicendi seu execrandi genere, quod æque noxios atque innoxios complectitur, ostendit dumtaxat animi sui mœrorē cum gravi quadam indignatione coniunctum; sicut illa execratione, quam in Montes Gelboë nuper intorserat dolorem significavit ingentem, quem ex Saulis, & virorum fortium infelici casu cepit.

At qui hic mos ita intimum dolorem conceptum ex suorum obitu indicandi videtur adhuc in vsu fuisse Hieronym. tempore D. Hieronymi. Is enim epist. 25. ad Paulam insinuans conceptum mœrorem ex suorum decessu, & ex ęmulorum obtrectatione quasi ipse eius esset causa, vtpote qui virgines ad nimium rigorem, & inediā suis scriptis induxisset, hæc Hieremiæ verba vsurpat, dum ait de obitu Blesillæ filiæ: *Testor, mihi Paula, Iesum, quem Blesilla nunc sequitur: Testor sanctos Angelos, quorum consortio fruitur, eadem me dolorum perpeti tormenta, quæ pateris; patrem esse spiritu, nutricium charitate, & interdum dicere: Pereat dies illa, in qua natus sum. Et hei mihi mater, vt quid genuisti me virum, qui discrimen diceret omni terræ.*

Discursus XIII.

De Murmuratione.

Quid sit, & quale peccatum?

Philip. Postolus Paulus hortatur Philippenses desistere à murmuratione: *Omnia*, inquit, *facite sine murmurationibus, & hæsitationibus, vt sitis sine querela, & simplices filij Dei*: hinc quæram quod in argumento ponitur.

1. *Murmuratio* igitur est, *querela cum impatientia in ijs, quæ homo debet patienter ferre.* Et contingit fere inter minores adversus maiores, vt satis produnt exempla Scripturæ ex Pentateucho mox citanda, & parabola Matth. 20. vbi dicitur, quod primi operarij *accipientes*, supple denarium diurnum, cum ijs qui novissime venerant, *murmurabant adversus Patremfamilias dicentes: Hi novissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei & æstus.* A qua murmuratione nos dehortatur Salomon Sap. 1. dicens: *Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest.* Et acrius Divus Paulus 1. Corinth. 10. dicens: *Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore.*

Matt. 20. Sap. 1. 1. Cor. 10.

2. Hinc quæro, quando sit periculum pereundi ab exterminatore, seu quando murmuratio induat malitiam mortalem?

Respondeo breviter, tunc esse ac eiusmodi malitiam induere, cum in se continet notabilem Dei irreverentiam; vt fit, quando quis murmurans dubitat de potentia Dei. Sic peccarunt Israelitæ cum murmurantes, iuxta Prophetam Psalm. 77. *Tentaverunt Deum in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis, & male locuti sunt Deo; dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Describit eas murmurationes Moyses Exod. 16. Numer. 11. & 21. Primo loco murmurabant Iudæi contra Moysen & Aaron cum farina defecisset, quam ex Ægypto contulerant, & duraverat ad triginta dies, dicente: *Vtinam mortui essemus per manum Domini in Aegypto, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate: cur eduxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame?* Secundo loco contra eosdem, rursum dubitantes & petentes carnem, ex eo quod varietatem & soliditatem aliorum ciborum appeterent, sicut golosi, non tantum ventrem, sed & nares, & oculos, ac manus instar puerorum cibis implere satagebant, vt indicant verba: *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo: nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man.* quasi dicat. Color, odor, forma, tenuitas, & aliæ similæ qualitates eædem semper perseverant in Manna: quærimus cibos alios, qui diversas & iucundas habeant qualitates, nostrumque magis alliciant gustatum. Similis fuit Numer. 21. Hos autem Dei iram meruisse patet, quia Numer. 11. cum ostendisset potentiam pluendo coturnices de cœlo, murmuratores plagâ ignis affecit, qua plurimi consumpti sunt: ita vt locus stragis nomen obtineret *sepulchra concu-*

Psal. 77. Exod. 16. Num. 11. Num. 21. Num. 11.

concupiscentiæ. Et Numer. 21. à serpentibus ignitis à Deo missis mordebantur, ita vt vri viderentur.

3. Secundò induit malitiam mortalem, quando quis cognitionem Dei habens, ac potentiam eius suo iudicio metiens, dictorum eius quærit rationem, vti fecerunt Iudæi, Ioan 6. quando Christus promiserat sub specie panis dare corpus suum in cibum vitæ æternæ per verba: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, disceptantes & litigantes inter se, *quomodo potest hic dare carnem suam ad manducandum?* Id enim vocat murmurare Dominus, teste Evangelista, loc. citat. dicente: *Sciens autem Iesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat?* Ratio est, quod hoc sit malignari, cum Dei verbo credendum sit, per quod omnia creata sunt. Vnde Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 13. *Quæcumque non intelligit*, supple animus malignus, *statim tanquam frivola, falsaque per arrogantiam reijcit, nulli cedens, nec aliquid supra ipsum esse existimans: quales Iudæos fuisse comperiemus. Nam cum oportet eos, qui divinam virtutem Salvatoris ac potestatem, signorum miraculo perceperunt, sermonem eius libenter suscipere. & si qua difficilia videbantur, eorum solutionem quærere: contra omnino faciunt: Et quomodo potest hic carnem suam dare? De Deo non sine magna impietate conclamant, nec in mentem venit nihil esse impossibile apud Deum. Nam cum animales essent, vt ait Paulus, spiritalia intelligere non poterant. Sed fatuitas quædam tam magnum sibi videtur mysterium.* Et Evangelista inde testatur multos perire, cum ait: *Ex hoc multi discipulorum abierunt retro, & iam non cum illo*, seu cum Christo *ambulabant.* Vnde Cyrillus loc. cit. inquit: *Nos magnum, quæso, à peccatis aliorum profectum faciamus, & firmam fidem mysterijs adhibentes, nunquam in tam sublimibus rebus, illud quomodo, aut cogitemus, aut proferamus, Iudaicum enim hoc verbum est, & extremi supplicij causa. Ideo Nicodemus etiam cum diceret. Quomodo hæc fieri possunt?* meritò audivit: *Tu es Magister in Israël, & hæc ignoras?* Et immediatè post, pluribus instruit captivare intellectum in obsequium Christi, addens: *Aliorum igitur, vt diximus, culpâ perdocti, cum Deus operetur, non quæramus, quomodo, sed operis sui viam atque scientiam illi soli concedamus. Nam quemadmodum, quamvis nullus novit quidnam secundum naturam Deus sit, iustificatur tamen per fidem, cum credat præmia illum redditurum quærentibus eum: sic etsi operum eius rationem ignoret, cum tamen fide omnia illum posse non dubitet, non contemnenda probitatis præmia consequetur. Ita profectò nos effici per Prophetam Isaiam Dominus ipse hortatur: Non enim sunt consilia mea, inquit, vt consilia vestra; nec sicut viæ vestræ viæ meæ sunt, dicit Dominus: sed sicut exaltatur cælum à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris. Qui autem sapientia à virtute & Deo excellit, quomodo non operabitur ita miraculosè, vt operum suorum ratio mentem nostram effugiat? Nonne vides quid sæpenumero mechanici faciunt? Incredibilia videntur nobis nonnunquam enarrare: sed tamen quia similia ipsos fecisse vidimus, posse peragi ab ipsis facile credimus. Quomodo igitur summis cruciatibus digni non erunt, qui rerum omnium opificem ita contemnunt, vt quomodo, in operibus suis dicere audeant, quem totius sapientiæ largitorem esse non ignorant: quem omnia posse Scriptura nos docuit?* Et deinceps sermonem ad Iudæos convertens subiungit: *Si vero tu, ô Iudæe, quomodo etiam nunc clamas: hanc tuam imperitiam ego quoque secutus, libenter quomodo ex Aegypto exivisti rogabo: quomodo in serpentem Moysaica fuit virga conversa? quomodo lepra manus affecta, vno momento temporis in pristinum statum iterum restituta fuit? quomodo in naturam sanguinis aquæ transierunt? quomodo patres tui per media maria, vt per aridam effugerunt? quomodo per lignum amaritudo aquarum in dulcedinem recidit? quomodo è lapide fontes aquarum fluebant? quomodo stetit Iordanis? quomodo solo clamore inexpugnabilis Hiericho cecidit? innumerabilia sunt, in quibus, si quomodo quæris, vniversam evertere tibi scripturã necesse erit,*

Ioan. 6. Cyrillus Cyrillus Ioan 3. Hebr. 11. Cap. 55. Exodi 12. Exodi 4 & 7. 14. & 15. 17. Iosue 4. & 6.

Prophetarum doctrinam, & ipsius Moysis scripta contemnenti. Quare credidisse Christo potius vos oportuit, & si quid arduum videbatur, ab eo humiliter petere, quam veluti temulentos exclamare. Quomodo potest hic nobis suam carnem dare? Nonne videtis, quia cum hæc dicatis, statim cum ista voce, arrogantia magna significatur?

4. Tertiò peccatum mortale est, quando quis murmurat contra Deum, quasi esset iniustus, & temerè aut nihil curaret res humanas. hoc enim alienissimum est à Deo, qui propter hominem omnia creavit, ita vt dicat Propheta

Psal. 8. Psalm. 8. *Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius: oves & boves universas, insuper & pecora campi. Volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris*: qui omnia constituit in pondere, numero, & mensura, Sapient.

Sap. 11. 11. qui Patriarchæ Iacobo mirificâ visione, cum fugeret à facie Esau

Genes. 28. Genes. 28. id testari dignatus est: qui miraculose de cibo & potu providit Israëlitis in deserto: qui E-

3. Reg. 17. liam per corvum pavit 3. Reg. 17. qui Danieli non defuit in lacu leo-

Daniel. 14 num, cum Daniel. 14. Angelum transtulit Abacuc cum pulmento suo ex Iudæa in Babylonem, vt eo cibaret famelicum Danielem eoque dicente: *Daniel serve Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus*, respondit: *Recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te.* Adeoque factum est improborum hominum, qui existimant Deum cardines cœli dumtaxat perambulare, & humana con-

Iob 22. temnere, Iob. 22. vnde etiam Malach. 3. eiusmodi hominibus velocem interitum prædicit Deus in

Mal. 3. verbis: *Ero testis velox maleficis* &c. id est castigando subitò peccatores ostendam quam exactè omnium, quæ sub cœlo fiant habeam rationem & iudicium.

5. Sed dices, nonne Moyses murmuravit Numer. 11. & Hierem. c. 12. Num. 11.

dicens: *Iustus es Domine, si disputem tecum: verumtamen iusta loquar ad te, Quare via impiorum prosperatur: benè est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt?* & David, dum ait Psalm. 72. Ps. 72. Hierem. 12

Mei pene moti sunt pedes; pene effusi sunt gressus mei, murmurarunt contra Deum, & tamen non leguntur puniti.

Respondeo non esse murmurationes, sed querimonias Sanctorum ad Deum, quibus consolationem præstolabantur à Deo. Sic Moyses, cum Hebræi murmurarent, & cæpas & carnes peterent, turbatus inquit ad Deum: *Cur afflixisti servum tuum? quare non inveni gratiam apud te? & cur imposuisti pondus vniversi populi huius super me?* &c. *Vnde mihi carnes, vt dem tantæ multitudini? flent contra me, dicentes: Da nobis carnes vt comedamus. Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis mihi est. Sin aliter tibi videtur, obsecro vt interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.* Et patet eum in hoc vel nullum, vel leve pusillanimitatis tantum peccatum admisisse, cum amarissime afflictus perturbato animo, vix sibi præsens hæc ad Deum verba proferret: Vnde non est correptus à Deo, sed consolationem accepit, qui onus illius in septuaginta seniores partitus est. Sic rursum Hieremias, cum gravissima Hier. 12.

mala à suis Anatothitis pateretur, & necis insidias, admirans se & alios innocentes tot mala subire; cives verò suos, & alios impios bonis affluere in has voces erupit: *Iustus quidem es Domine*, &c. q. diceret: Iustior es, quam vt debeam tecum disputare, & scio quod post omnem disputationem vinces, & iustus apparebis: tamen pace tua, liceat mihi afflicto affectui meo nonnihil indulgere, atque proponere meam expostulationem & querelam. Vnde Dominus eum non reprehendit, sed hortatur vt maiori sit animo, quia adhuc graviora passurus in Hierusalem, quod-

quodque illa prosperitas impiorum non durabit, cum ipse tandem illas gentes durissimè sit puniturus. Sic demum David dicit se tentationem illam aliquando passum, cur iniqui, quos à Deo oporteret puniri, altissima pace fruerentur, & licet ex eo nutaret, tamen non acquievisse, sed recurrendum esse ad novissima eorum, ex ijs enim facilè patebit Deum etiam omnium rerum hamanarum habere providentiam, cum impios gravissimè puniet; pios summis beneficijs cumulabit.

Hieron. 6. Hoc modo Hieronymus consolabatur Paulam super obitu Blæsillæ filiæ, cuius mortem mater nimis intemperãter deplorabat, quod in primo flore, vigesimo videlicet ætatis anno, è vivis excessisset: *Testor*, inquit, *mi Paula, Iesum, quem Blæsilla nunc sequitur; testor sanctos angelos, quorum consortio fruitur, eadem me dolorum perpeti tormenta, quæ pateris: patrem esse spiritu, nutricium charitate, & interdum dicere: Pereat dies illa, in* Iob. 3. *qua natus sum. Et, Hei mihi Pater, vt* Iere. 15. & 12. *quid genuisti me virum, qui diceret discrimen omni terræ. Et illud; Iustus es Domine, verumtamen iudicia loquar ad te. Quid est, quod via peccatorum prosperantur?* Et cum plura in hanc rem dixisset, quæ recitata invenies Discursu 77. in 1. Præcept. nu. 3. subnectit: *Sed cum hæc cogitarem, statim didici cum Propheta: Et suscepi, vt cognoscerem hoc: labor est in conspectu meo,* Ps. 72. *donec ingrediar sanctuarium Dei, & intelligam in novissima eorum. Iudicia e-* Ps. 34. *nim Domini abyssus multa. Et: O profundum divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Rom. 11. *quam inscrutabilia sunt iudicia, & investigabiles viæ eius! Bonus est Deus, & omnia quæ bonus facit, bona sint necesse est. Mariti orbitas irrogatur: plango quod accidit: sed, quia sic placet Domino, æquo animo sustinebo. Vnicus raptus est filius: durum quidem, sed tolerabile, quia sustulit ille, qui dederat. Si cæcus fuero, amici me lectio recreabit. Si auditum quoque surdæ aures negaverint, vacabo à vitijs: nihil aliud, nisi Dominum cogitabo. Imminebit super hæc & dura pauperies, frigus, languor, & nuditas: extremam exspectabo mortem, & breve putabo malum, quod finis melior subsequetur.* Considerenus quid ethicus ille Psalmus sonet: Ps. 118. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum*, quamvis incomprehensibile.

Vnde rectè dicebant pueri in fornace, Daniel. 3. *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile, & gloriosum nomen tuum in sæcula: quia iustus es in omnibus, quæ fecisti nobis, & vniversa opera tua, vera, & viæ tuæ rectæ, & omnia iudicia tua vera.* Daniel. 3. Vera quidem sunt, sed abyssus multa, quam homo nunquam comprehendet, vt videmus in quatuor præsertim rebus. Primò quidem in æterna electione & reprobatione hominum, sive privatim, horum vel illorum hominum, vt Iacob & Esau: sive in commune aliquarum gentium populorum, vt populi Gentilis & Iudaici. Vnde exclamat Paulus Roman. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius!* Hic omissa, reperies inter errata. Eo enim loco vult quidem Lucas dicere Deum quidem Gentiles permisisse sequi suas concupiscentias, errores, & ficta numina; non tamen quod eis omne virtutis & veritatis auxilium abstulerit sic enim necessariò errassent, & impiè egissent. Nam vsque adeo peccatum voluntarium est malum, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium, ait Sanctus Augustinus, lib. de Ver. relig. cap. 14. August. Sed quod generalia & modica dumtaxat gratiæ & fidei præsidia eis elargitus sit; specilia & magna reservans Christo & legi gratiæ; idque ex arcano eius iudicio & beneplacito. Ita se explicat Apostolus dum subdit: *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit*, Deinde quod aliquas gentes & nationes vocet, ac perducat ad gratiam Evangelij, missis ad eas concionatoribus & doctoribus veritatis, crebrisque ad eas commovendas factis miraculis: alias verò gentes, nihilo peiores illis, despiciat, & in tenebris ignorantiæ ac

idololatriæ derelinquat, non mittens illis efficacia subsidia, quibus ad salutem accipiendam convertantur: Atque in hoc illud admirationem auget, quod Deus nonnunquam magna dedit auxilia quibusdā populis, quibus sciebat ea nihil profutura: eadem verò denegavit alijs, qui si ea habuissent, vehementer ad pœnitentiam commoti essent. Id quod Dominus noster in Evangelio docet dicens. *Væ tibi Corozaim, Væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Denique quis comprehendat quare Paulus & Timotheus pertranseuntes quasdam civitates, traderent custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus; ita vt Ecclesiæ confirmarentur fide, & abundarent numero quotidie; & quasdam transeuntes vetarentur ibi à Deo concionari, vt indicant verba Actor. 16 *Transeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem vetati sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam: & non permisit eos Spiritus Iesu,* &c. Nisi referas ad arcanam causam, quæ nos latet, ob quam non negata, sed dilata est Asianis gratia prædicationis. Tertiò quis capiet, quod aliquas gentes, atque homines, qui totam vitam in maximis flagitijs contriverant, extrema ætate ad pœnitentiam adducat, & vsque ad vltimum spiritum in gratia sua conservet; alios verò, qui vsque ad senectutem sanctissimè vixerant, in extremo vitæ actu derelinquat, id est, sinat in ea peccata labi, è quibus deinde ad veram pœnitentiam nunquam exurgant. Quartò, quod sæpe sceleratis & impijs hominibus, omnia tribuat secundissima, & ad eorum voluntatem fluentia: pios autem & innocentes viros, magnis acerbitatibus & calamitatibus deprimat, & conterat, eosque sub imperium impiorum & barbarorum principum, potestatemque & dominatū subijciat; quin etiam templa, sacra vasa, cœteraque divino cultui & religioni dicata, ab hostibus sui nominis rapi, violari, contemni, & pessum dari patiatur. Et huiusmodi sunt lamentabiles voces, & querelæ Sanctorum locis citatis, Iob. 21. Et Abacuc. 1. cap.

Matth. 11. Luc. 10. *Act. 16.* *Iob. 21. Abac. 1.*

7. Quæres denique, An statim & illicò murmur, si in populo aliquod exurgat contra Deum aut Superiores, puniendum sit, quandoquidem Deus in deserto plurima Israëlitarum peccata dissimularit; murmur ferè continuò gravi pœnâ vindicaverit.

Respondeo negativè. Primum enim murmur Exod. 15. Deus vltus non legitur, sed dumtaxat eius peccati gravitatem insinuavit, cum per Moysem dixit: *Vesperi scietis, quod Dominus eduxerit vos de terra Aegypti, & mane videbitis gloriā Domini: audivit enim murmur vestrum contra Dominum: nos verò quid sumus, quia mussitastis contra nos? Et ait Moyses: Dabit vobis Dominus vespere carnes edere, & manè panes in saturitate: eò quod audierit murmurationes vestras, quibus murmurati estis contra eum: nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Ratio est, quod expediat murmurantes primò doceri. Hinc Samuel, cū in ipso Deū offendissent Iudæi, miraculo certum divinæ offensionis signum illis impetravit, vt conscientiam eorum stimularet. Vnde dicebat: *Nunc state, & videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. Numquid non messis tritici est hodie? invocabo Dominum, & dabit voces & pluvias: & scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos Regem. Et clamavit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces & pluvias in illa die.* Ex quo populus sic graviter cohorruit, vt peccatorum conscientia vulneratus, vitam suam & pacem, quam in discrimen adduci existimabat, Samuelis precibus commendarit, vt indicant illa verba: *Et timuit omnis populus nimis Dominum & Samuelem. Et dixit vniversus populus ad Samue-*

Exod. 16. *1. Reg. 12.*

Samuelem. Ora pro servis tuis ad Dominum Deum, vt non moriamur: addidimus enim vniversis peccatis nostris malum, vt peteremus nobis Regem. Christus quoque Ioann. 6. non statim murmurantes punivit, sed instruxit, etiam quos sciebat retrorsum abituros, cum per modum interrogationis illos percellens dixit: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem, vbi erat prius?* q. d. Murmuratis de hoc, quomodo carnem meam in cibum vitæ æternæ daturus sim, & visus sum vobis id non posse facere, nec carnem meã id efficere valere; verum maiora audietis & videbitis: parum hoc est, vt tam citò scandalizemini. Non retractans quæ dixerat, sed maiora adhuc promittens, vt magnitudine ipsâ ad credendum alliciat, sicut Ioan. 1. respondit Nathaëli credenti in ipsum: *Quia dixi tibi, Vidi te sub ficu, credis: maius his videbis*: addens: *Amen Amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis*, nempe in meum ministerium: vt ex hoc intelligerent tum Nathael, tum astantes, quem videbant hominem, Dominum esse Angelorum & Regem cœlorum, & consequenter esse verbum Dei. Hoc autem maius hoc loco est, quod ex suo ad cœlos ascensu cognoscent eius divinitatem, carnemque illam vnitam divinitati, facilè effectricem esse æternæ & cœlestis vitæ. Vnde hunc locum sic explicat Cyrillus lib. 4. in Ioann. cap. 22. *Frustra ô vos discipuli Iudaei propter verba mea conturbamini. Quod si credere non vultis vitam vobis à meo corpore dari, quid facietis, quando in cælum volare me conspicietis? Non enim ascensurum me solummodo in cælum profiteor, ne rursus quomodo id fieri possit, quæratis: sed etiam oculis ita fieri vestris cernetis. Quid igitur hoc videntes dicetis? An non erit hoc magnum dementiæ vestræ argumentum? si enim putatis carnem meam vitam vobis afferre non posse, quomodo tanquam volucris in cælum ascendet? quomodo per aëra volabit? hoc enim similiter generi humano impossibile est. Quod si præter naturam caro mea in cælum conscendet, quid prohibet, ne similiter præter naturam vivificet? Nam qui terrestre hoc corpus, cælestе confecit, is etiam vivificum reddidit, quamvis natura sui corruptibile fuerit.*

Ioan. 6.

Cyrillus

8. Apostoli etiam Actor. 16. cum ortum esset murmur Græcorum, eò quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum, vel quod viduæ Hebrææ, eò quod Hebrææ essent, arrogarẽt sibi honoratiora, & locupletiora ministeria, præsertim distribuendi cibos & vestes; viliora verò & tenuiora relegarent ad Græcas: vel quod in distributione ciborum magis favere viderentur, & amplius dare Hebræis, quam Græcis; Apostoli, inquam nullos murmurantiũ puniverunt, sed sedarunt obloquium creando septem Diaconos, qui ministrarent mensis. Deinde Apostolus, cùm 2. Cor. 6 intelligeret murmur Corinthianorum, eò quod in tanta paucitate Christianorum eos arctaret ad commercia & coniugia cum fidelibus tantum ineunda (propter indecentiam & periculum cum infidelibus, præsertim cum inter eos sibi nec genere nec opibus, nec statu, nec alijs dotibus pares invenirent, adeoque vel coniugio eis abstinendum esset, aut ducendæ coniuges nobilitate, gradu, & divitijs impares, & inferiores) nullâ pœnâ eosdem affecit, sed contestatur suum erga eos affectum, vt sic molliat asperitatem admonitionis & correptionis, quam intendit, dicens: *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est.* q. d. Non possum silere, & pro salute vestra vos non commonefacere: sinus enim cordis nostri latissimè patet ad vos complectendos: itaque quod angustiam & mœrorem patiamini, vos in causa estis; præbete ergo vicissitudinem charitatis, vt sicut cor meũ ad vos dilatatum est, ita vicissim cor vestrum dilatetis erga me. Et deinde quinque rationes adducit quibus ostendit æquam esse legem, quam eis imponit, de non ducenda vxore infideli, dum ait: *Nolite*

Act. 16.

2. Cor. 6. *lite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus.* Quibus verbis satis declarat nullam rationem suffragari murmuri Corinthiorum; eosque compescit.

9. Quod sanè in omni Republica practicandum est antequam duriora tententur. Illa adhibere tantùm expedit, quando necessitas id vrget, seu quando contemptus Superiorum vergeret in Reipub. perniciem. Hinc Numer. 11. Deus extremam partem castrorum devorari fecit per flammam ignis, eò quod non solum prætexerent perperàm laborem & dolorem itineris, cùm Deus eos confortaret; sed etiam experti Dei beneficium plures per mirabilem provisionem aquæ, mannæ, & carnium, nihilominus tentarent Deum, an posset *panem dare, aut parare mensam in deserto?* idque, vt hac ratione in Ægyptum redire possent. Vnde Numer. 14. murmurantes ad relationem exploratorum, qui narrarant vrbium & incolarum Chananææ robur, vt Hebræos ab ea absterrerent, voluit Deus eosdem perdere, dicens: *Vsquequo detrahet mihi populus iste? quousque non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis? feriam igitur eos pestilentia, atque consumam*: sed oratione Moysis placatus, eo tempore ipsis pepercit; cum hac tamen conditione, vt nemo murmurantium terram promissionis ingrediatur, & idcirco dixit eis: *Revertimini in solitudinem per viam maris rubri.* q. d. Quia vos pro murmure punire volo, & in deserto mori, iubeo vt redeatis ad solitudinem per viam, quæ alio itinere vos ducet rursum ad mare rubrum. Erant enim vicini terræ promissæ, tantumque inter eam & ipsos intererant montes Idumææ. Sic rursum eos, qui in Superioribus Deum contemnebant, illicò punivit, vt patet Numer. 12. vbi Maria soror Moysis ob murmur contra ipsum leprâ corripitur. Et cap. 16. Core, Dathan, & Abyron vivi à terra absorbentur: socij verò eorum ducenti quinquaginta thurificantes igne divino afflantur: illi propter rebellionem & ambitum Sacerdotij; hi quod eorum partibus faverent. Et cum populus hoc viso, sequenti die murmuraret contra Moysem & Aaron, dicens: *Vos interfecistis populum Dei*; indeque oriretur seditio, & tumultus increscerer, plaga Dei in ipsum desævijt: ita vt quatuordecim millia hominum & quingenti perirent. Et nisi Aaron intercessisset offerendo thimiama, & stans inter mortuos ac viventes pro populo deprecatus fuisset, multò plures ignis absumpsisset.

Num. 11. Num. 14. Num. 12. Ibidem.

Discursus

Discursus XIV.

De Adulatione.

Quid sit, & quale peccatum?

Prov. 29.



SApiens Proverb. 29. *Homo*, inquit, *qui blandus fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius*. Quibus verbis indicat Sapiens, ita cavendum esse adulatorem, vt laqueum bestijs tendentem. hinc quæram quod in argumento ponitur.

1. Adulatio igitur est, *sermo vanæ laudis exhibitus alicui intentione placendi*, videlicet tali sermone, quo aliquis laudatur de eo, de quo vel non est laudandus, aut nimium laudatur, aut non fit eo fine, quo fieri deberet; & hæc est venialis, exempli gratia, hominem incompositis moribus, feminam sordidam & incomptam, dicens egregiam, nitidam, pulchram &c. vt astantes ad risum commoveat. Vel etiam cum ad aliquod malum evitandum aliquem laudat de benignitate erga inimicos, quam non habet, vt emolliat animum eius malè erga ipsum affectum: vel etiam cum quis, vt consequatur aliquod bonum in necessitate, extollit plus æquo alicuius munificentiam erga pauperes: vel etiã cum quis illum plus æquo laudat, vt eius gratiam sibi conciliet. Sic egit mulier illa Thecuitis intercessura apud Davidem pro Absalone, dum ait: *Sicut Angelus Dei, sic est Dominus meus Rex, vt nec benedictione, nec maledictione moveatur.* (2. Reg. 14.) Sic etiam egit Miphiboseth, quem servus Siba affectati imperij, & infidelis animi apud Regem arguerat; vnde obiecta sibi crimina depellens, causatus pedum infirmitatem, ne excedentem Regem subsequeretur, his verbis vsus est: *Tu autem mihi Domine, sicut Angelus Dei es.* Et hac parœmia etiam vsa videtur Esther quando cap. 15. supplicatura Regi pro liberatione (Esther. 15.) populi Iudaici, visá maiestate & terribili aspectu Regis in deliquium animi semel atque iterum cecidisset, eiusque causam sciscitaretur Rex, respondit: *Vidi te Domine, quasi Angelum Dei: & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ: valdè enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.* Hæc verò adulatio humanam infirmitatem non excedit.

2. Verum alia est, à qua Apostolus se immunem gloriatur 1. ad Thessal. 2. vt incitet eosdem ad con- (1. Thess. 2.) stantiam in Christi fide & persecutionibus, ipsis ostendit prædicationis suæ sinceritatem, sanctitatem, & zelum, & inter alia argumenta, quibus id confirmat, est quod adulatio longè abfuerit ab eius sermone. Sic enim ait: *Loquimur non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra: neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis.* Et rectè; nam teste Augustino, lingua adu- (Augustin.) lantis peior est gladio persequentis. Vnde in Psal. 69. scribens dicit: *Duo sunt genera persecutorum, vituperantium & adulantium: plus persequitur lingua adulatoris, quam manus interfectoris.* Immò tam detestabile fuit hoc vitium apud Gentiles vt nulla ratione tolerarint. Vnde Pythagoras iudicabat assentatores hostibus deteriores. Diogenes melius esse in corvos incidere, quam in parasytos. Const. verò Imperator eos tineas &

& forices Palatij appellabat, vt testatur Nicephorus lib. 8. c. 54. Quæ omnia insinuant adulari aliquando crimen esse.

Niceph.

Quæres, quibus modis contingat adulationem peccatum mortale esse?

3. Respondeo tribus modis. Primò ratione materiæ, secundò intentionis, tertiò effectus. Ratione igitur materiæ fit mortale, quando quis laudat malum vt bonum, putà cum quis laudat alicuius peccatum dilectioni Dei contrarium. De quo est illud Isaiæ: *Væ qui dicitis malum, bonum: & bonum, malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* q. d. Æterna vobis imminet vltio, qui perniciosa rerum vocumque perversione nihil verè aut syncerè iudicatis; bono etenim mali, & malo contrà boni nomen adscribitis, in tenebris lucem, & in luce tenebras, in amaritie dulcedinem, & in dulcedine amaritudinem deprehenditis, atque prædicatis. Hi enim similes sunt ijs, qui pro medicina venenum porrigunt. De quibus Basilius scribens in verba Psal. 6. *Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant: Multi,* inquit, *sunt, qui pro bonis pravas comprobant actiones, & vitia virtutibus vicinis honestare contendunt. Nam scurrilia loquentem, vrbanum ac lepidum; turpiloquium verò politicum, amarulentum & iracundum, neutiquam contemnendum prædicant,* &c. *prodigum quoque vt liberalem; libidinosum & lascivum vt voluptuarium, & animi solutioris virum. Vtque semel omnia, vitium omne palliant adumbratâ nomenclatura è vicino subiecta virtuti. Tales sanè ore benedicunt, corde autem maledicunt ac devovent. In verborum namque benedictione omnem execrationem vitæ suæ inducunt, ac reos æternæ damnationis ob ea, quæ approbant, sese constituunt.* Vnde D. Augustinus in Psal. 134. ait eiusmodi homines insanire: *Insanit,* inquit, *qui laudat, quod non est bonum. Si laudes iniquum eo ipso quod iniquus est, nonne & tu iniquus es? Si laudes furem, eo ipso quod fur est, nonne & tu particeps eris? Si laudes iustum eo ipso quod iustus est, nonne & tu inde partem habes laudando? Non enim laudares iustum, nisi amares; non amares, si nihil inde haberes.* Huic etiam congruit quod dicit Propheta Psal. 9. *Tu vero odisti disciplinam & proiecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas;* nempe si non imitando, saltem laudando.

Isa. 5.
Basilius. Psal. 61.
Augustin.
Psal. 49.

4. Huius generis homines sunt, qui alicuius constantiam in hæresi prædicant, aut in rebellione contra Principem: vt fecerunt illi qui 2. Reg. 16. partibus Absalonis adhæserunt. Similiter illi, qui iuvenes laudant à furto ex bonis parentum, à luxuria, quod pravo consortio adhæreant, & à similibus: tunc enim iuxta Prophetam, *Laudatur peccator in desiderijs suis, & iniquus benedicitur.* His annumerat Isaias iudices, qui ob munera iniquam causam iustificant, dicens loc. cit. *Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo.* q. d. Væ vobis, apud quos non tam fas & ius, quam pecuniarum magnitudo pondus habet, qui iudicium habetis venale, corruptique muneribus sceleratis adulamini, eosque liberatis à culpa, innocentes & iustos suo iure privatis, vel reos, & supplicio obnoxios iudicatis. Et cap. 3. notat etiam Pharisæos, qui docebant populum, nihil difficultatis fore apud Deum quoad peccata, modò dona offerrent templo & ipsis: vnde eundem monet ex sincero compassionis affectu, vt agnoscat se decipi à suis Scribis, dum ait: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* id enim idem est ac si diceret: Sacerdotes & Scribæ ob dona & oblationes templo sibique facta dicunt te beatum & benedictum à Deo: sed fallunt, teque à lege, à virtute, à Deo, à benedictione & salute abducunt: non enim student tuis, sed suis commodis & avaritiæ, vtque suas bursas impleant, docent te vana & impia, tuisque peccatis adulantur, omniaque per tua dona & sacrifi-

2. Reg. 16.
Psal. 10.
Isa. 5.
Isa. 3.

cia

cia se expiaturos pollicentur; sed falsò. Deo enim hæc dona & cæremoniæ non placent, neque eum placant: sed id facit contritio & charitas ex corde puro, ac fides, quę per dilectionem operatur.

5. Verum hoc peccatum est familiarius hæreticis, & falsis prophetis, teste Hieronymo, qui lib. 1. contra Pelagianos, inquit: *Propriè hæreticorum est adulari, & eorum, qui decipere cupiunt audientes, dicente Apostolo. Huiuscemodi enim Christo Domino non serviunt, sed ventri, & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium.* vt proh dolor experimur in hæreticis nostri temporis, qui per blandiloquentiam, assentationes, magnifica promissa, perque speciosa nomina verbi Dei, puræ doctrinę & securitatis conscientię, decipiunt simplices & imperitos, dum vnicuique solam fidem in Christũ asserunt sufficere ad salutem absque operibus, quantumvis Salvator noster dixerit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* In quo falsos Prophetas veteris Testamenti imitantur, qui prędicebant populo fertilitatem, pacem & prosperitatem, vt populo placerent, & ab eo munera acciperent, quando veri Prophetæ ex Deo minabantur famem, bellum, captivitatem, & alias pœnas à Deo infligendas propter peccata populi, vt eum ab ijs revocarent, & per pœnitentiam Deo reconciliarent. Vnde falsis Prophetis Ezechiel. cap. 13. minatur Deus, quod instar parietis luto absque paleis illiti, imbre & grandine divinæ vindictæ prosternentur, in verbis: *Dic ad eos, qui liniunt absque temparatura, quod casurus sit,* supple paries: *erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes desuper irruentes, & ventum procellæ dissipantem.* Similitudo sumpta est à fabris, qui solent parieti ad eum firmandum, crustam inducere, sed ex calce & luto non friabili & soluto, vt hi faciebant; sed paleis & stramine mistis colligato & constricto. vnde idem est ac si Dominus diceret: Sicut lutum sine paleis supervenien-te pluviâ labesit & decidit: sic omnes pseudoprophetarum rationes, quibus pacem & securitatem populo promittebant & confirmabant, bello superveniente labefactatæ sunt.

Hieronym. | Ezechiel. 13.

Similiter eodem capite minatur mulieribus Pseudoprophetissis istius temporis, quæ Iudæis in suis vitijs & rebellione adulabantur, illosque fovebant, vt in eis securè & molliter quiescerent, promittentes securitatem & prosperitatem, quasi Chaldæi Hierusalem non essent expugnaturi, in verbis: *Et tu fili hominis, pone faciem contra filias populi tui, quæ prophetant de corde suo: & vaticinare super eas, & dic: Hæc dicit Dominus Deus: Væ, quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus: & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas: & cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, vt interficerent animas, quæ non moriuntur; & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendacijs.* Et nota per pulvillum & cervical designari molles & blandiores sermones ad lucrum compositos: quia ad tempus titillant auditum, sed animas evertunt. Vnde D. Gregor. 18. Moral. cap. 4. *Quisquis,* ait, *malè agentibus adulatur, pulvillum sub capite, vel cubito iacentis ponit; vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat.*

Ibidem. | Gregor.

6 Secundò incurrit quis peccatum mortale per adulationem, quando cuiquam quis abblanditur, vt illi noceat, vel corporaliter, vel spiritualiter. De qua adulatione intelligi potest illud Proverb. 29. *Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius.* Et illud Hieremiæ: *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est: in ore suo pacem cum amico loquitur, & occultè ponit ei insidias.* q. d. O Hieremia, habitas in populo quorum lingua plena doli est, neque minus crudeliter vulnerat, quam sagitta, dum amico ostendit simulatam pacem, & occultè

Prov. 29. | Hierem. 9.

culte veras molitur insidias: vti fecit Ioab 2. Reg. 20. qui dixit ad Amasam. *Salve mi frater. Et tenens manu dextera mentum Amasa, quasi osculans eum, &c. percussit eum in latere, & effusa sunt intestina eius super terram.* Sic peccavit Iudas osculo tradens filium hominis. Sic peccarunt Pharisæi, qui vt Christum ad mortem
Matt. 22. pertraherent, dixerunt, Matth. 22. *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum.* Et simul interrogarunt: *Licet censum dare Cæsari, an non?* vt hac ratione Christo technas struerent. Pro cuius rei clariore intelligentia, nota inter Pharisæos maxime agitatam fuisse illam quæstionem, vtrum Iudæi, tanquam filij tenerentur Cæsari pendere tributum: quæ quæstio ad Religionem spectabat, cuius illi volebant videri studiosiores. Nam teste Iosepho lib. Antiq.
Iosephus Iansenius 18. cap. 1. & 2. vt inquit Iansenius, *Cum sub Augusto, quando tempore nativitatis Christi facta est descriptio totius Orbis, Iudæa facta est tributaria: Iudas quidem ex secta Pharisæorum, simul cum multis Pharisæis asserebant indignum, imò illicitum, vt populus Dei alium præter Deũ agnosceret, cum esset liber, & præter decimas & primitiva, quæ secundum legem Domino pendebat, hominibus etiam tributa exsolveret. Cum ergo hoc tempore illa quæstio apud Pharisæos maximè agitaretur, qui de iustitiæ studio sibi applaudebant, ex hac quæstione putabant se invenisse rationem, qua Dominum obnoxium facerent potestati Præsidis, aut saltem minus gratum populo. Nam siquidem dicturus erat non licere tributum dare Cæsari; quemadmodum eum dicturum sperabant, quod cultus divini rigidum se exhiberet, cui indicabant contrariari tributorum exolutionem; delaturi erant eum apud Præsidem, tanquam Cæsari contrarium & seditiosum perdendum, quemadmodum olim ea de causa perierat Iudas ille Galilæus cum multis suis sectatoribus. Si verò dicturus esset, licere tributum dare, calumniaturi erant ipsum apud populũ, tanquã adulantem Principibus, & eorum metu à veritatis prædicatione abstinentem, nec tam divini honoris studiosum zelatorem, quàm videri volebat.*

7. Sed quæres, An ille, qui per adulationem causa est, quod alteri nocumentum inferatur, non teneatur ad restitutionem?

Respondeo affirmativè. Et ratio est, quia habet se instar consilij, sine quo alter in hoc damnum non impegisset. Hæc de nocumento corporali.

8. Similiter peccant, qui alteri adulantur, vt noceant spiritualiter. De quo est illud Isaiæ 5. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.* Isa. 5.
Et illud Proverb. 7. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.* Hi enim Prov. 7.
imitantur diabolum, qui Genes. 3. Genes. 3.
cap. adulatus est Evæ per serpentem, dicens: *Nequaquã moriemini, sed eritis sicut Dij scientes bonum & malum:* si nempe Dei præceptum contemnatis, tu & Adam comedentes de fructu vetito. Similiter eum imitantur pravi homines, qui non contenti soli peccare, vitia libidinis, adulterij nempe & fornicationis, prodigalitatis, ebrietatis, aliaque scelera extollunt, vt alios eo pertrahant: itaque communicant peccatis alienis. Porro his tribus modis cernitur verum esse quod D. Augustinus ait in Psal. 69. *plus persequitur lingua adulatoris quam manus interfectoris*; quia plures hac ratione ad malum pertrahuntur aut perniciem quam in bello pereunt.

9. Ob has causas dixit Sapiens Eccles. cap. 7. *Melius est à serpente corripi, quam stultorum adulatione decipi.* Et quis non malit à Paulo acriter argui, & sathanæ etiam tradi in *interitum carnis, vt spiritus salvus fieret in die Domini*, quam vel Ioab, vel Iudæ fraudulentum osculum? Rursum David idcirco deprecatus est Dominum, si contingeret peccare, vt potius incideret in amicos ex charitate corripientes, quam in adulatores falsis laudibus blandientes, & decipientes, his verbis: *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput*

put meum. In quem locum Cardinalis Bellarm. *Septuaginta Interpretes non dixerunt, liniat aut perfundat, quæ verba in bonum sonant; sed impinguet, quod sonat in malum; pinguedo enim deformat, & destruit caput; & prudentissimè considerauerunt Septuaginta viri, oleo non posse frangi aut destrui caput quasi malleo contunderetur, sed destrui per deformationẽ, quam pinguedo affert; ideo non dixerunt, non destruat, sed non impinguet caput meũ.* Omitto quod adulatoribus obsequens, ab ijsdẽ ludibrio plerumque habeatur, vt experientia docet, & insinuat Hieronym. epist. 46. quemque dehortans illis credere, his verbis: *Ne credas laudatoribus tuis, imò arrisoribus aures ne libenter accommodes. Qui cum te adulationibus foverint, & quodammodo mentis impotem effecerint; si subitò respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curvari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam.*

Hinc etiam Agesilaus Rex Lacedemoniorum dicebat adulatores insectandos esse, non secus ac propriæ vitę insidiatores. Et rectè; nam, iuxta Prophetam, *venenum aspidum sub labijs eorum.* Atque ex hoc capite Plato in Phœdro appellat feras humano generi pestilentes, similes veneficis, imò impuris dœmonibus, qui animos incautos funestis epulis foveant, & sordibus noxijs inquinent. Bion apud Laërtium lib. 1. rogatus, inter animalia quid esset perniciosius? respondit, inter fera tyrannum, inter mansueta adulatorem. Antisthenes, teste Stobæo sermon. 12. docuit melius esse in corvos, quam in adulatores incidere; quod hi viventibus, illi mortuis oculos eruant, indicans tantam esse vim adulationis, vt hominem excœcet. Quare Alexander Severus optimus Imperator, blandius aliquid in salutatione dicentem, aut abijci volebat, si loci qualitas pateretur, aut cachinno excipi, vt in eius vita scribit Ælius Lampridius. Certè & Christianis Ladislaus Rex Poloniæ, non veritus est palam adulantes colaphis excipere. Rogatusque cur id faceret, respondit, se percutientes repercutere.

16. Tertiò contingit peccare mortaliter, ratione effectus, cum præter intentionem laus adulatoris circa aliquod vitium alteri præbet occasionem peccandi mortaliter, vt subinde fit à parentibus, & patribus familias, cum in præsentia prolium & domesticorum taliter laudant vitia in iuventute sua peracta, vt nata sint inducere scandalum, seu occasionem dare ruinæ; etiamsi id non intendant: nihil enim est quod tam facile mentem hominis corrumpat, atque adulatio, teste Hieronymo epist. 14. ad Celantiam, vbi dicit: *Adulatorum assentationes, velut quasdam pestes animæ fuge. Nihil est, quod tam facilè corrumpat mentes hominum; nihil quod tam dulci & molli vulnere feriat animum. Vnde & quidam Sapiens ait: Verba adulatorum mollia, feriunt autem interiora ventris. Et Dominus loquitur per Prophetam: Populè meus, qui beatificant vos, seducunt vos, & semitas pedum vestrorum dissipant. In multis, isto maximè tempore, regnat hoc vitium; quodque est gravissimum, humilitatis ac benevolentiæ loco ducitur. eo fit, vt qui adulari nescit, aut invidus, aut superbus putetur.* Et de hoc modo intelligi potest, quod dicit Sapiens Prover. 26. *Os lubricum operatur ruinas.* & quod Augustinus dicit loco citato, scandalum enim esse pestilentem gladium satis indicat Salvator noster Matth. 18.

Bellarm. Psal. 5. Plato Laërtius Stobæus Lamprid. Hieronym. Prou. 26. Prou. 26.

Discursus XV.

De Iactantia.

Quid sit, & quale peccatum?

Eccl. 5. SApiens Ecclef. 5. dicit: *Ne extollas teipsum in consilio animæ tuæ*, exhortans omnes ad modestiam, ne quiplus cæteris sapere videtur, sese in sua prudentia & cogitatione extollat; multò ergo magis verbo sese extollere vetat; hinc tractabo, quod in argumento ponitur.

1. Iactantia igitur est, *Manifestatio propriæ excellentiæ supra id quod est in se, vel in aliorum existimatione, verbis inordinatè facta.* Filia est superbiæ, & differt ab ea, quod illa intus propriè lateat; hæc autem sese exterius verbis manifestet. De vtraque Tobias rectè monuit filium suum cap. 4. *Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Et B. Cyprianus lib. 1. epist. 3. ad Cornelium. *Ille qui præsumit, & contumax est, vir iactans, nihil omnino proficiet, qui dilatavit tanquam infernus animam suam*, &c. *Exaltatio & inflatio, & arrogans ac superba iactatio non de Christi magisterio, qui humilitatem docet, sed de spiritu Antichristi nascitur, cui exprobrat per Prophetam Dominus: Tu autem dixisti in animo tuo, in cælum ascendam, super stellas Dei ponam sedem meam.*

Tob. 4. Cyprian.

2. Dices, Hæc generalia sunt: at velim scire præcisius, quando sit peccatum mortale quando veniale.

Respondeo & dico Primò veniale peccatum esse per se loquendo, quando quis maiora de se prædicat, quam in ipso sunt; aut cum se inordinatè laudat vltra existimationem, quam habet apud alios. Ratio est, quod talis iactantia dumtaxat contineat malitiam mendacij officiosi, & vanæ gloriæ, sine qua vix in hoc mundo vivitur.

Dico secundò, Iactantiam sæpius inducere malitiam mortalem, idque primò, quando quis verbis Deo se æquat, vel anteponit, aut sibi cum Dei contemptu aliquid tribuit: Talis fuit Rex Tyri, qui Ezech. cap. 28. eò malitiæ progressus legitur, vt Deum se esse dixerit. Vnde iubet Dominus Prophetæ, ipsi intimare quod sequitur: *Eo quod elevatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris: cum sis homo, & non Deus: & dedisti cor tuum quasi cor Dei*, &c. *Idcirco ego adducam super te alienos robustissimos gentium: & nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, & polluent decorem tuum. Interficient & detrahent te: & morieris in interitu occisorum in corde maris. Numquid dicens loqueris: Deus ego sum, coram interficientibus te: cum sis homo, & non Deus, in manu occidentium te?* q. d. Quia intumuisti superbiâ, vt exterius verbis te nimium extollas, dicens, Ego sum potens ille, scilicet omnipotens, qui omnia possum, sedens in hoc excelso throno eminentis rupis, quæ mari vndique cincta omnem habet pulchritudinem munitionem, opes, merces, & gloriam; tam fortis & securus, vt neminẽ timeã in Tyro excelsa & inaccessa, quasi Deus in cœlo, quem nemo potest attingere aut lacessere: hinc, inquã quia hoc dixisti idcirco contra fortitudinem tuã, quam

Ezech. cap. 28.

quã congerendis videlicet vndique pecunijs comparasti, maiorem aliam hominum fortitudinem armabo, qui quidquid est pulchrum in te, in vrbe, & regno tuo, suis gladijs & sanguine tuo fœdabunt, perdent, & vastabunt, ac in abyssum maris tui te demergent, vt piscium fias esca, ipsique tuum sint sepulchrum. Numquid cum in hostile ferrum incideris, teque videris, sicut ignobilem aliam turbam, ab hoste lacerari, dices, sicut antea solitus es, Deus ego sum? cum manus experieris armatas in ipso vulnerum inflictu, divinum hosti nomen oppones, cum mortalis sis homo, & nullo modo Deus?

Simile est illud Nabuchodonosoris Daniel. 3. qui pueris in Babylonem abductis persuadere tentans statuam per se erectam adorare vt Deum, addidit: *Et quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea?* ita vt propterea instar feræ septem annis vixerit ad cognoscendum Dominum Deũ super omnes Reges; vt exprimunt illa verba Danielis ad Nabuchodonosorem: *Hæc est interpretatio sententia Altissimi, quæ pervenit super Dominum meum Regem: Ejicient te ab hominibus, & cum bestijs ferisque erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes, & rore cæli infunderis: septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit det illud.* Non quod revera in bestiam transformatus fuerit; sed quia sua imaginatione vitiatâ, & corruptâ sibi transformatus videbatur.

Dan. 3.

Dan. 4.

3. Quæres quare Deus permittat eiusmodi impios blasphemè iactitantes ita dominari pijs, vt talia audeant?

Respondeo id spectare ad incomprehensibile iudicium Dei: verum aliquæ causæ sunt manifestæ. Prima, vt pijs det materiam patientiæ, constantiæ & virtutis, dum eos sinit per impios vexari; quia impij sunt virga & flagellum Dei, quibus quasi pater filiorum suorum peccata castigat & emendat, vti per Alanos, Wandalos, & Gothos punivit peccata Christianorum, qua de re multa scribit Salvianus libris 8. de Providentia. Sic de Sennacherib dicitur Isaiæ. 10. 5. *Virga furoris mei Assur.* Sic Attila Rex Hunnorum dicebat se esse flagellum Dei. Sic Nabuchodonosor fuit virga vigilans, vel, vt alij vertunt, vigilantis scilicet Dei. Ierem. 1. Secunda, vt ostendat omnes huius mundi pompas, prosperitates velut res parvi momenti esse contemnendas: ideò enim eas sæpe dat suis hostibus, negat vero suis amicis. Verè S. Augustinus in cap. 27. Matth. *Si haberes*, ait, *sapientiam Salomonis, si pulchritudinem Absalonis, si fortitudinem Samsonis, si longævitatem Enoch, si divitias Crœsi, si felicitatem Octaviani; quid prosunt hæc, cum tandem caro datur vermibus, & anima dæmonibus, cum divite sine fine crucianda?* Tertia, vt ostendat præsens tempus esse operandi benè vel malè, merendi vel demerendi. Sequens vero fore iudicij, prœmiorum, & pœnarum, quo omnia perversa hominum iudicia reformabit, corriget, & æquitati restituet, iuxta illud: *Cum accepero tempus* (iudicij) *ego iustitias iudicabo.* Vnde S. August. in Psalm. 7. *Nemo*, ait, *gratulatur homini qui prosperatur in vita sua, cuius peccatis deest vltor, & adest laudator. Maior hic ira Domini est: irritavit enim Dominum peccator, vt ista patiatur, id est, vt correctionis flagella non patiatur.* Et S. Gregorius lib. 5. Moral. *Deus*, ait, *nonnulla percutit, & nonnulla inulta derelinquit. Quia si nulla resecaret, quis Deum res humanas curare crederet? Et rursus si hæc cuncta percuteret, extremum iudicium vnde restaret?* Dixit vir sapiens: Tantam esse gloriam, quæ sanctos & patientes manet, vt mirum sit omnes dœmones & homines impios, quin & saxa & elementa, contra eos non insurgere, eosque affligere & excruciare, quo tantam gloriam promereantur. Ex adverso tantas esse pœnas quæ impios manent, vt mirum sit eos maximis delicijs

Salvian.

Isa. 10.

Hier. 1.

August.

August.

Gregor.

non abundare, omniaque eis in mel & rosas non converti, vt aliqua voluptatulâ tantum gehennæ pondus pensetur. Sic enim non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in sanctis; ita non sunt condignæ voluptates & pompæ huius sæculi ad futuram gehennam, quæ revelabitur in impijs & damnatis.

4. His decisis pergo & dico secundò, Iactantiam mortalem esse, quando quis gloriatur, & offert dona Dei, ei collara, quasi ijs dignus fuisset, aut quasi à Deo non haberet, sed à seipso. Hinc enim gravissimè punitus legitur Ezechias Rex Isa. 39. & 4. Reg. 20. Cum enim ostendisset omnes suas opes Legatis Merodach Regis Babylonis, missis ad eum causa ipsi congratulandi de sanitate miraculo recuperatâ; tum etiam vt de portento illo, scilicet Solis retrocessione veritatem, modum, & causam inquirerent, & cognoscerent, vt dicitur 2. Paralipomen. 32. hinc ab Isaia corripitur, & durum audit nuntium videlicet: *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, & quæ thesaurizaverunt patres tui vsque ad diem hunc, in Babylonem: non relinquetur quid quam, dicit Dominus. Et de filijs tuis qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio Regis Babylonis.* id est, Aderit aliquando tempus, in quo quæ apud te sunt, in domo tua, quæque parentes tui congregaverunt ad hunc vsque diem, diripiantur, avehanturque in Babylonem. Domini verba hæc sunt. Quin & posteri tui, ex tuo prognati semine abducentur à Babylonijs captivi, eoque abijcientur, vt bene secum actum existiment, si in aula Regis eunuchi serviant.

Isa. 39. 4. Reg. 20.

2 Paral. 32.

Porro ex gravitate pœnarum facilè colligi potest enorme fuisse peccatum Ezechiæ. Vnde de eo inquirens Tostatus Abulens. q. 40. in 4. Reg. 20. quod fuerit, dicit fuisse multiplex, primo ingratitudinis; secundò quod sibimet ipsi beneficium à Deo collatum adscripserit. Sic enim respondet ad quæsitum. *Dicendum quod fuit peccatum multiplex Ezechiæ: primum fuit ingratitudo quadam, quia cum Deus liberaverit ipsum ab ægritudine, & ostenderit miraculum famosum in retrocessione Solis ad liberationem eius, debuerat magnas Deo gratias referre: & tamen non retulit, de hoc 2. Paralipomenon. 32. scil. ægrotavit Ezechias vsque ad mortem & oravit Dominum, & exaudivit eum, & dedit ei signum, sed non iuxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, & istud est magnum peccatum, quia nihil est quod benefactores magis ad iram provocet, quam beneficiorum ingratitudo. Secundum fuit, quia superbivit de beneficio sibi collato à Deo. Nam Deus sanavit eum miraculosè, & dedit signum in cælo, & postea cum venerunt nuncij Regis Babylonis ad honorandum eum, propter hoc ipse superbivit, quasi ista evenissent propter suam dignitatem, & pertinerent ad laudem eius: & tamen non pertinebant ad laudem eius, cum ipse nihil fecisset de hoc, sed tota laus Deo attribuenda erat, qui ex benignitate sua ista ostenderat. De hoc 2. Paralip. 32. sed non iuxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, quia elevatum est cor eius & facta est contra eum ira, & contra Iudam, & Ierusalem, humiliatusque est postea, eo quod exaltatum fuisset cor eius.* Tertium &c.

Tost. ibid.

2. Paral. 32.

5. Et hinc Dominus Luc. 10. cum discipuli gauderent, quod dæmonia eijcerēt in nomine Christi noluit eosdem de illo beneficio gloriari: dicens: *Videbam sathanam sicut fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici; & nihil vobis nocebit. Veruntamen, in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.* Quorum verborum sensus genuinus est, vt mihi videtur, Magna quidem est potestas, quam vobis contuli, eijciendi dæmonem. Nam ille tantæ est potentiæ ad nocendum hominibus, vt *non fit in terra potestas, quæ comparetur ei*, Iob 41. Verū de hoc nō est tantopere gaudendum, nam mira-

Luc. 10.

Iob 41.

miracula facientes non sunt securi de sua salute; immo sæpè damnantur, iuxta illud Matth. 7. *Multi dicent in illa die: Domine nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus, in nomine tuo prophetavimus; in nomine tuo dæmonia eiecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos, discedite à me.* At beneficium aliud accepistis longè excellentius, & absque comparatione melius, & elegibilius, de quo potius est gaudendum; nempe ad salutem electi sitis. Verum aliter, & ad præsens intentum intellexit hunc locum Cyprianus, tractat. de tentat. & ieiunio; videlicet quod Dominus his verbis increpaverit discipulos propter eorum præsumptionem. Sic enim ait: *Gloriabantur aliquando discipuli, & complacebant sibi in miraculis, gratulabundi quod eis etiam dæmonia obedirent: sed repressa est, increpante Domino, simplicitatis eorum præsumptio: Videbam, inquit, satanam, tanquam fulgur descendentem de cælo. his verbis eorum animis intimans; quia ante hoc temporale initium ipse in principio, immo ipse principium existens apud Deum ante hominis conditionem superbientis diaboli ruinam vidit, & affectatæ dominationis ambitionem deiectionis eius fuisse causam: nec in hoc gaudendum esse, si quis prærogativa celsitudinis donaretur, sed hanc esse certam stabilemque veri gaudij metam, si vocatio nostra iustificatione muniretur: & tunc demum ratum constare beatificationis proventum, si huius ordinis scriptura in conspectu Dei indelebilis servaretur.* Cui consonat Hieronymus in illud Isai. 14. *Quomodo cecidisti Lucifer?* Et Gregorius lib. 23. Moral. cap. 4. cuius verba inter alia sunt hæc: *Mirè Dominus, vt in Discipulorum cordibus elationem premeret, mox iudicium ruinæ retulit, quod ipse magister elationis accepit; vt in auctore superbia discerent, quid de elationis vitio formidarent.*

Matth. 7. — Cyprian. Hieronym. Gregor.

¶ Quin etiam Apostolus Paulus fastum Corinthiorum & Doctorum aliquorum arrogantium, qui ipsum despiciebant, redarguens dicit: *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* id est: Quis te, ô Magister discernit? quasi in Christianismo, aut evangelizando maiorem & meliorem, nisi tu qui ob sapientiam & eloquentiam te vanè præ alijs extollis, & tui, quos quasi Psaphonis aves, te quasi suum Magistrum extollere & laudare docuisti. Numquid tuum laborem & ingenium, & alia naturæ dona, in quibus gloriaris, accepisti à Deo? Frustra ergo teipsum alijs anteponis, cùm Deo omnem gloriam debeas, à quo accepisti: vt enim ait Iacobus Apostolus: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Quod verum est, tam de donis supernaturalibus gratiæ, vt sunt fides, spes, charitas, omnesque virtutes infusę à Deo, quas nemo præter ipsum dare potest, iuxta Prophetam Psal. 83. dicentem: *Gratiam & gloriam dabit Dominus*: quam de donis naturæ, vt sunt ingenium, iudicium, memoria, sine nostro additamento. Vnde & Sanctus Ioannes quo tempore discipuli ipsius ad eum veniebant, dicentes: *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce is baptizat, & omnes veniunt ad eum*; volentes eum hac ratione præferri Christo; vanos eorum conatus reprimit his verbis: *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cælo.* id est, Nemo potest sibi maiorem præstantiam, & auctoritatem accipere, quàm sit ei à Deo concessa. Ego homo sum vt vnus reliquorum, quod habeo de cælo est, at Christus non solum homo, sed etiam Deus est; atque adeo malè turbamini, si eum ab omnibus mihi prælatum vidistis. Et Hieremias monet Hebræos ne glorientur, aut sperent in sua sapientia, viribus, opibus, sed in Domino, dum ait: *Hæc dicit Dominus: Non glorietur sapiens in sapientia sua & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in divitijs suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio miseri-*

1. Cor. 4. — Iac. 1. — Psal. 83. — Ioan. 3. — Hierem. 9.

idololatriæ derelinquat, non mittens illis efficacia subsidia, quibus ad salutem accipiendam convertantur: Atque in hoc illud admirationem auget, quod Deus nonnunquam magna dedit auxilia quibusdā populis, quibus sciebat ea nihil profutura: eadem verò denegavit alijs, qui si ea habuissent, vehementer ad pœnitentiam commoti essent. Id quod Dominus noster in Evangelio docet dicens. *Væ tibi Corozaim, Væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pænitentiam egissent.* Denique quis comprehendat quare Paulus & Timotheus pertranseuntes quasdam civitates, traderent custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus; ita vt Ecclesiæ confirmarentur fide, & abundarent numero quotidie; & quasdam transeuntes vetarentur ibi à Deo concionari, vt indicant verba Actor. 16. *Transeuntes autem Phrygiam, & Galatia regionem vetati sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam: & non permisit eos Spiritus Iesu*, &c. Nisi referas ad arcanam causam, quæ nos latet, ob quam non negata, sed dilata est Asianis gratia prædicationis. Tertiò quis capiet, quod aliquas gentes, atque homines, qui totam vitam in maximis flagitijs contriverant, extrema ætate ad pœnitentiam adducat, & vsque ad vltimum spiritum in gratia sua conservet; alios verò, qui vsque ad senectutem sanctissimè vixerant, in extremo vitæ actu derelinquat, id est, sinat in ea peccata labi, è quibus deinde ad veram pœnitentiam nunquam exurgant. Quartò, quod sæpe sceleratis & impijs hominibus, omnia tribuat secundissima, & ad eorum voluntatem fluentia: pios autem & innocentes viros, magnis acerbitatibus & calamitatibus deprimat, & conterat, eosque sub imperium impiorum & barbarorum principum, potestatemque & dominatū subijciat; quin etiam templa, sacra vasa, cœteraque divino cultui & religioni dicata, ab hostibus sui nominis rapi, violari, contemni, & pessum dari patiatur. Et huiusmodi sunt lamentabiles voces, & querelæ Sanctorum locis citatis, Iob. 21. Et Abacuc. 1. cap.

Matth. 11. Luc. 10. Act. 16. Iob. 21. Abac. 1.

7. Quæres denique, An statim & illicò murmur, si in populo aliquod exurgat contra Deum aut Superiores, puniendum sit, quandoquidem Deus in deserto plurima Israëlitarum peccata dissimularit; murmur ferè continuò gravi pœnâ vindicaverit.

Respondeo negativè. Primum enim murmur Exod. 15. Deus vltus non legitur, sed dumtaxat eius peccati gravitatem insinuavit, cum per Moysem dixit: *Vesperi scietis, quod Dominus eduxerit vos de terra Aegypti, & mane videbitis gloriā Domini: audivit enim murmur vestrum contra Dominum: nos verò quid sumus, quia mussitastis contra nos? Et ait Moyses: Dabit vobis Dominus vespere carnes edere, & manè panes in saturitate: eò quod audierit murmurationes vestras, quibus murmurati estis contra eum: nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Ratio est, quod expediat murmurantes primò doceri. Hinc Samuel, cū in ipso Deū offendissent Iudæi, miraculo certum divinæ offensionis signum illis impetravit, vt conscientiam eorum stimularet. Vnde dicebat: *Nunc state, & videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. Numquid non messis tritici est hodie? invocabo Dominum, & dabit voces & pluvias: & scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos Regem. Et clamavit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces & pluvias in illa die.* Ex quo populus sic graviter cohorruit, vt peccatorum conscientia vulneratus, vitam suam & pacem, quam in discrimen adduci existimabat, Samuelis precibus commendarit, vt indicant illa verba: *Et timuit omnis populus nimis Dominum & Samuelem. Et dixit vniversus populus ad Samue-*

Exod. 16. 1. Reg. 12.

Samuelem. Ora pro servis tuis ad Dominum Deum, vt non moriamur: addidimus enim vniversis peccatis nostris malum, vt peteremus nobis Regem. Christus quoque Ioann. 6. non statim murmurantes punivit, sed instruxit, etiam quos sciebat retrorsum abituros, cum per modum interrogationis illos percellens dixit: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem, vbi erat prius?* q. d. Murmuratis de hoc, quomodo carnem meam in cibum vitæ æternæ daturus sim, & visus sum vobis id non posse facere, nec carnem meã id efficere valere; verum maiora audietis & videbitis: parum hoc est, vt tam citò scandalizemini. Non retractans quæ dixerat, sed maiora adhuc promittens, vt magnitudine ipsâ ad credendum alliciat, sicut Ioan. 1. respondit Nathaëli credenti in ipsum: *Quia dixi tibi, Vidi te sub ficu, credis: maius his videbis*: addens: *Amen Amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis*, nempe in meum ministerium: vt ex hoc intelligerent tum Nathael, tum astantes, quem videbant hominem, Dominum esse Angelorum & Regem cœlorum, & consequenter esse verbum Dei. Hoc autem maius hoc loco est, quod ex suo ad cœlos ascensu cognoscent eius divinitatem, carnemque illam vnitam divinitati, facilè effectricem esse æternæ & cœlestis vitæ. Vnde hunc locum sic explicat Cyrillus lib. 4. in Ioann. cap. 22. *Frustra ô vos discipuli Iudæi propter verba mea conturbamini. Quod si credere non vultis vitam vobis à meo corpore dari, quid facietis, quando in cælum volare me conspicietis? Non enim ascensurum me solummodo in cælum profiteor, ne rursus quomodo id fieri possit, quæratis: sed etiam oculis ita fieri vestris cernetis. Quid igitur hoc videntes dicetis? An non erit hoc magnum dementiæ vestræ argumentum? si enim putatis carnem meam vitam vobis afferre non posse, quomodo tanquam volucris in cælum ascendet? quomodo per aëra volabit? hoc enim similiter generi humano impossibile est. Quod si præter naturam caro mea in cælum conscendet, quid prohibet, ne similiter præter naturam vivificet? Nam qui terrestre hoc corpus, cælestе confecit, is etiam vivificum reddidit, quamvis natura sui corruptibile fuerit.*

Ioan. 6.

Cyrillus

8. Apostoli etiam Actor. 16. cum ortum esset murmur Græcorum, eò quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum, vel quod viduæ Hebrææ, eò quod Hebrææ essent, arrogarẽt sibi honoratiora, & locupletiora ministeria, præsertim distribuendi cibos & vestes; viliora verò & tenuiora relegarent ad Græcas: vel quod in distributione ciborum magis favere viderentur, & amplius dare Hebræis, quam Græcis; Apostoli, inquam nullos murmurantiũ puniverunt, sed sedarunt obloquium creando septem Diaconos, qui ministrarent mensis. Deinde Apostolus, cùm 2. Cor. 6 intelligeret murmur Corinthianorum, eò quod in tanta paucitate Christianorum eos arctaret ad commercia & coniugia cum fidelibus tantum ineunda (propter indecentiam & periculum cum infidelibus, præsertim cum inter eos sibi nec genere nec opibus, nec statu, nec alijs dotibus pares invenirent, adeoque vel coniugio eis abstinendum esset, aut ducendæ coniuges nobilitate, gradu, & divitijs impares, & inferiores) nullâ pœnâ eosdem affecit, sed contestatur suum erga eos affectum, vt sic molliat asperitatem admonitionis & correptionis, quam intendit, dicens: *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est*. q. d. Non possum silere, & pro salute vestra vos non commonefacere: sinus enim cordis nostri latissimè patet ad vos complectendos: itaque quod angustiam & mœrorem patiamini, vos in causa estis; præbete ergo vicissitudinem charitatis, vt sicut cor meũ ad vos dilatatum est, ita vicissim cor vestrum dilatetis erga me. Et deinde quinque rationes adducit quibus ostendit æquam esse legem, quam eis imponit, de non ducenda vxore infideli, dum ait: *Nolite*

Act. 16.

2. Cor. 6. *lite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus.* Quibus verbis satis declarat nullam rationem suffragari murmuri Corinthiorum; eosque compescit.

9. Quod sanè in omni Republica practicandum est antequam duriora tententur. Illa adhibere tantùm expedit, quando necessitas id vrget, seu quando contemptus Superiorum vergeret in Reipub. perniciem. Hinc Numer. 11. Deus extremam partem castrorum devorari fecit per flammam ignis, eò quod non solum prætexerent perperàm laborem & dolorem itineris, cùm Deus eos confortaret; sed etiam experti Dei beneficium plures per mirabilem provisionem aquæ, mannæ, & carnium, nihilominus tentarent Deum, an posset *panem dare, aut parare mensam in deserto?* idque, vt hac ratione in Ægyptum redire possent. Vnde Numer. 14. murmurantes ad relationem exploratorum, qui narrarant vrbium & incolarum Chananææ robur, vt Hebræos ab ea absterrerent, voluit Deus eosdem perdere, dicens: *Vsquequo detrahet mihi populus iste? quousque non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis? feriam igitur eos pestilentia, atque consumam.*: sed oratione Moysis placatus, eo tempore ipsis pepercit; cum hac tamen conditione, vt nemo murmurantium terram promissionis ingrediatur, & idcirco dixit eis: *Revertimini in solitudinem per viam maris rubri.* q. d. Quia vos pro murmure punire volo, & in deserto mori, iubeo vt redeatis ad solitudinem per viam, quæ alio itinere vos ducet rursum ad mare rubrum. Erant enim vicini terræ promissæ, tantumque inter eam & ipsos intererant montes Idumææ. Sic rursum eos, qui in Superioribus Deum contemnebant, illicò punivit, vt patet Numer. 12. vbi Maria soror Moysis ob murmur contra ipsum leprâ corripitur. Et cap. 16. Core, Dathan, & Abyron vivi à terra absorbentur: socij verò eorum ducenti quinquaginta thurificantes igne divino afflantur: illi propter rebellionem & ambitum Sacerdotij; hi quod eorum partibus faverent. Et cum populus hoc viso, sequenti die murmuraret contra Moysem & Aaron, dicens: *Vos interfecistis populum Dei*; indeque oriretur seditio, & tumultus increscceret, plaga Dei in ipsum desævijt: ita vt quatuordecim millia hominum & quingenti perirent. Et nisi Aaron intercessisset offerendo thimiama, & stans inter mortuos ac viventes pro populo deprecatus fuisset, multò plures ignis absumpsisset.

Num. 11. Num. 14. Num. 12. Ibidem.

Discursus

Discursus XIV.

De Adulatione.

Quid sit, & quale peccatum?

Prov. 29.  Apiens Proverb. 29. *Homo*, inquit, *qui blandus fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius*. Quibus verbis indicat Sapiens, ita cavendum esse adulatorem, vt laqueum bestijs tendentem. hinc quæram quod in argumento ponitur.

1. Adulatio igitur est, *sermo vanæ laudis exhibitus alicui intentione placendi*, videlicet tali sermone, quo aliquis laudatur de eo, de quo vel non est laudandus, aut nimium laudatur, aut non fit eo fine, quo fieri deberet; & hæc est venialis, exempli gratia, hominem incompositis moribus, feminam sordidam & incomptam, dicens egregiam, nitidam, pulchram &c. vt astantes ad risum commoveat. Vel etiam cum ad aliquod malum evitandum aliquem laudat de benignitate erga inimicos, quam non habet, vt emolliat animum eius malè erga ipsum affectum: vel etiam cum quis, vt consequatur aliquod bonum in necessitate, extollit plus æquo alicuius munificentiam erga pauperes: vel etiã cum quis illum plus æquo laudat, vt eius gratiam sibi conciliet. Sic egit mulier illa Thecuitis intercessura apud Davidem pro Absalone, dum ait: *Sicut Angelus Dei, sic est Dominus meus Rex, vt nec benedictione, nec maledictione moveatur*. (2. Reg. 14.) Sic etiam egit Miphiboseth, quem servus Siba affectati imperij, & infidelis animi apud Regem arguerat; vnde obiecta sibi crimina depellens, causatus pedum infirmitatem, ne excedentem Regem subsequeretur, his verbis vsus est: *Tu autem mihi Domine, sicut Angelus Dei es*. Et hac parœmia etiam vsa videtur Esther quando cap. 15. supplicatura Regi pro liberatione populi Iudaici, visá maiestate & terribili aspectu Regis in deliquium animi semel atque iterum cecidisset, eiusque causam sciscitaretur Rex, respondit: *Vidi te Domine, quasi Angelum Dei: & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ: valdè enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum*. Hæc verò adulatio humanam infirmitatem non excedit. (Esther. 15.)

2. Verum alia est, à qua Apostolus se immunem gloriatur 1. ad Thessal. 2. vt incitet eosdem ad constantiam in Christi fide & persecutionibus, ipsis ostendit prædicationis suæ sinceritatem, sanctitatem, & zelum, & inter alia argumenta, quibus id confirmat, est quod adulatio longè abfuerit ab eius sermone. Sic enim ait: *Loquimur non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra: neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis*. Et rectè; nam teste Augustino, lingua adulantis peior est gladio persequentis. Vnde in Psal. 69. scribens dicit: *Duo sunt genera persecutorum, vituperantium & adulantium: plus persequitur lingua adulatoris, quam manus interfectoris*. Immò tam detestabile fuit hoc vitium apud Gentiles vt nulla ratione tolerarint. Vnde Pythagoras iudicabat assentatores hostibus deteriores. Diogenes melius esse in corvos incidere, quam in parasytos. Const. verò Imperator eos tineas (1. Thess. 2.) (Augustin.)

&

& sorices Palatij appellabat, vt testatur Nicephorus lib. 8. c. 54. Quæ omnia insinuant adulari aliquando crimen esse.

Nicephorus

Quæres, quibus modis contingat adulationem peccatum mortale esse?

3. Respondeo tribus modis. Primò ratione materiæ, secundò intentionis, tertiò effectus. Ratione igitur materiæ fit mortale, quando quis laudat malum vt bonum, putà cum quis laudat alicuius peccatum dilectioni Dei contrarium. De quo est illud Isaiæ: *Va qui dicitis malum, bonum: & bonum, malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* q. d. Æterna vobis imminet vltio, qui perniciosa rerum vocumque perversione nihil verè aut syncerè iudicatis; bono etenim mali, & malo contrà boni nomen adscribitis, in tenebris lucem, & in luce tenebras, in amaritie dulcedinem, & in dulcedine amaritudinem deprehenditis, atque prædicatis. Hi enim similes sunt ijs, qui pro medicina venenum porrigunt. De quibus Basilius scribens in verba Psal. 6. *Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant: Multi,* inquit, *sunt, qui pro bonis pravas comprobant actiones, & vitia virtutibus vicinis honestare contendunt. Nam scurrilia loquentem, vrbanum ac lepidum; turpiloquium verò politicum, amarulentum & iracundum, neutiquam contemnendum prædicant,* &c. *prodigum quoque vt liberalem; libidinosum & lascivum vt voluptuarium, & animi solutioris virum. Vtque semel omnia, vitium omne palliant adumbratâ nomenclatura è vicino subiecta virtuti. Tales sanè ore benedicunt, corde autem maledicunt ac devovent. In verborum namque benedictione omnem execrationem vitæ suæ inducunt, ac reos æternæ damnationis ob ea, quæ approbant, sese constituunt.* Vnde D. Augustinus in Psal. 134. ait eiusmodi homines insanire: *Insanit,* inquit, *qui laudat, quod non est bonum. Si laudes iniquum eo ipso quod iniquus est, nonne & tu iniquus es? Si laudes furem, eo ipso quod fur est, nonne & tu particeps eris? Si laudes iustum eo ipso quod iustus est, nonne & tu inde partem habes laudando? Non enim laudares iustum, nisi amares; non amares, si nihil inde haberes.* Huic etiam congruit quod dicit Propheta Psal. 9. *Tu vero odisti disciplinam & proiecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas*; nempe si non imitando, saltem laudando.

Isa. 5.

Basilius. Psal. 61.

Augustin.

Psal. 49.

4. Huius generis homines sunt, qui alicuius constantiam in hæresi prædicant, aut in rebellione contra Principem: vt fecerunt illi qui 2. Reg. 16. partibus Absalonis adhæserunt. Similiter illi, qui iuvenes laudant à furto ex bonis parentum, à luxuria, quod pravo consortio adhæreant, & à similibus: tunc enim iuxta Prophetam, *Laudatur peccator in desiderijs suis, & iniquus benedicitur.* His annumerat Isaias iudices, qui ob munera iniquam causam iustificant, dicens loc. cit. *Va qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo.* q. d. Væ vobis, apud quos non tam fas & ius, quam pecuniarum magnitudo pondus habet, qui iudicium habetis venale, corruptique muneribus sceleratis adulamini, eosque liberatis à culpa, innocentes & iustos suo iure privatis, vel reos, & supplicio obnoxios iudicatis. Et cap. 3. notat etiam Pharisæos, qui docebant populum, nihil difficultatis fore apud Deum quoad peccata, modò dona offerrent templo & ipsis: vnde eundem monet ex sincero compassionis affectu, vt agnoscat se decipi à suis Scribis, dum ait: *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* id enim idem est ac si diceret: Sacerdotes & Scribæ ob dona & oblationes templo sibique facta dicunt te beatum & benedictum à Deo: sed fallunt, teque à lege, à virtute, à Deo, à benedictione & salute abducunt: non enim student tuis, sed suis commodis & avaritiæ, vtque suas bursas impleant, docent te vana & impia, tuisque peccatis adulantur, omniaque per tua dona & sacrifi-

2. Reg. 16.

Psal. 10.

Isa. 5.

Isa. 3.

cia

cia se expiaturos pollicentur ; sed falsò. Deo enim hæc dona & cæremoniæ non placent, neque eum placant : sed id facit contritio & charitas ex corde puro, ac fides, quę per dilectionem operatur.

5. Verum hoc peccatum est familiarius hæreticis, & falsis prophetis, teste Hieronymo, qui lib. 1. contra Pelagianos, inquit : *Propriè hæreticorum est adulari, & eorum, qui decipere cupiunt audientes, dicente Apostolo. Huiuscemodi enim Christo Domino non serviunt, sed ventri, & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium.* vt proh dolor experimur in hæreticis nostri temporis, qui per blandiloquentiam, assentationes, magnifica promissa, perque speciosa nomina verbi Dei, puræ doctrinę & securitatis conscientię, decipiunt simplices & imperitos, dum vnicuique solam fidem in Christũ asserunt sufficere ad salutem absque operibus, quantumvis Salvator noster dixerit : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* In quo falsos Prophetas veteris Testamenti imitantur, qui prędicebant populo fertilitatem, pacem & prosperitatem, vt populo placerent, & ab eo munera acciperent, quando veri Prophetæ ex Deo minabantur famem, bellum, captivitatem, & alias pœnas à Deo infligendas propter peccata populi, vt eum ab ijs revocarent, & per pœnitentiam Deo reconciliarent. Vnde falsis Prophetis Ezechiel. cap. 13. minatur Deus, quod instar parietis luto absque paleis illiti, imbre & grandine divinæ vindictæ prosternentur, in verbis : *Dic ad eos, qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit,* supple paries : *erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes desuper irruentes, & ventum procellæ dissipantem.* Similitudo sumpta est à fabris, qui solent parieti ad eum firmandum, crustam inducere, sed ex calce & luto non friabili & soluto, vt hi faciebant; sed paleis & stramine mistis colligato & constricto. vnde idem est ac si Dominus diceret: Sicut lutum sine paleis supervenien-te pluviâ labesit & decidit : sic omnes pseudoprophetarum rationes, quibus pacem & securitatem populo promittebant & confirmabant, bello superveniente labefactatæ sunt.

Hieronym.

Ezechiel. 13.

Similiter eodem capite minatur mulieribus Pseudoprophetissis istius temporis, quæ Iudæis in suis vitijs & rebellione adulabantur, illosque fovebant, vt in eis securè & molliter quiescerent, promittentes securitatem & prosperitatem, quasi Chaldæi Hierusalem non essent expugnaturi, in verbis : *Et tu fili hominis, pone faciem contra filias populi tui, quæ prophetant de corde suo : & vaticinare super eas, & dic : Hæc dicit Dominus Deus : Væ, quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus : & faciunt cervicalia sub capite vniversæ ætatis ad capiendas animas : & cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, vt interficerent animas, quæ non moriuntur ; & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendacijs.* Et nota per pulvillum & cervical designari molles & blandiores sermones ad lucrum compositos : quia ad tempus titillant auditum, sed animas evertunt. Vnde D. Gregor. 18. Moral. cap. 4. *Quisquis*, ait, *malè agentibus adulatur, pulvillum sub capite, vel cubito iacentis ponit ; vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat.*

Ibidem.

Gregor.

6 Secundò incurrit quis peccatum mortale per adulationem, quando cuiquam quis abblanditur, vt illi noceat, vel corporaliter, vel spiritualiter. De qua adulatione intelligi potest illud Proverb. 29. *Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius.* Et illud Hieremiæ : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est : in ore suo pacem cum amico loquitur, & occultè ponit ei insidias.* q. d. O Hieremia, habitas in populo quorum lingua plena doli est, neque minus crudeliter vulnerat, quam sagitta, dum amico ostendit simulatam pacem, & occultè

Prov. 29.

Hierem. 9.

cultè veras molitur insidias: vti fecit Ioab 2. Reg. 20. qui dixit ad Amasam. *Salve mi frater. Et tenens manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum, &c. percussit eum in latere, & effusa sunt intestina eius super terram.* Sic peccavit Iudas osculo tradens filium hominis. Sic peccarunt Pharisæi, qui vt Christum ad mortem pertraherent, dixerunt, Matth. 22. *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum.* Et simul interrogarunt: *Licet censum dare Cæsari, an non?* vt hac ratione Christo technas struerent. Pro cuius rei clariore intelligentia, nota inter Pharisæos maxime agitatam fuisse illam quæstionem, vtrum Iudæi, tanquam filij tenerentur Cæsari pendere tributum: quæ quæstio ad Religionem spectabat, cuius illi volebant videri studiosiores. Nam teste Iosepho lib. Antiq. 18. cap. 1. & 2. vt inquit Iansenius, *Cum sub Augusto, quando tempore nativitatis Christi facta est descriptio totius Orbis, Iudæa facta est tributaria: Iudas quidem ex secta Pharisæorum, simul cum multis Pharisæis asserebant indignum, imò illicitum, vt populus Dei alium præter Deũ agnosceret, cum esset liber, & præter decimas & primitiva, quæ secundum legem Domino pendebat, hominibus etiam tributa exsolveret. Cum ergo hoc tempore illa quæstio apud Pharisæos maximè agitaretur, qui de iustitiæ studio sibi applaudebant, ex hac quæstione putabant se invenisse rationem, qua Dominum obnoxium facerent potestati Præsidis, aut saltem minus gratum populo. Nam siquidem dicturus erat non licere tributum dare Cæsari; quemadmodum eum dicturum sperabant, quod cultus divini rigidum se exhiberet, cui indicabant contrariari tributorum exolutionem; delaturi erant eum apud Præsidem, tanquam Cæsari contrarium & seditiosum perdendum, quemadmodum olim ea de causa perierat Iudas ille Galilæus cum multis suis sectatoribus. Si verò dicturus esset, licere tributum dare, calumniaturi erant ipsum apud populũ, tanquã adulantem Principibus, & eorum metu à veritatis prædicatione abstinentem, nec tam divini honoris studiosum zelatorem, quàm videri volebat.*

Matt. 22. Iosephus. Iansenius.

7. Sed quæres, An ille, qui per adulationem causa est, quod alteri nocumentum inferatur, non teneatur ad restitutionem?

Respondeo affirmativè. Et ratio est, quia habet se instar consilij, sine quo alter in hoc damnum non impegisset. Hæc de nocumento corporali.

8. Similiter peccant, qui alteri adulantur, vt noceant spiritualiter. De quo est illud Isaiæ 5. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.* Et illud Proverb. 7. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.* Hi enim imitantur diabolum, qui Genes. 3. cap. adulatus est Evæ per serpentem, dicens: *Nequaquã mortemini, sed eritis sicut Dij scientes bonum & malum:* si nempe Dei præceptum contemnatis, tu & Adam comedentes de fructu vetito. Similiter eum imitantur pravi homines, qui non contenti soli peccare, vitia libidinis, adulterij nempe & fornicationis, prodigalitatis, ebrietatis, aliaque scelera extollunt, vt alios eo pertrahant: itaque communicant peccatis alienis. Porro his tribus modis cernitur verum esse quod D. Augustinus ait in Psal. 69. *plus persequitur lingua adulatoris quam manus interfectoris*; quia plures hac ratione ad malum pertrahuntur aut perniciem quam in bello pereunt.

Isa. 5. Prov. 7. Genes. 3.

9. Ob has causas dixit Sapiens Eccles. cap. 7. *Melius est à serpente corripi, quam stultorum adulatione decipi.* Et quis non malit à Paulo acriter argui, & sathanæ etiam tradi in *interitum carnis, vt spiritus salvus fieret in die Domini*, quam vel Ioab, vel Iudæ fraudulentum osculum? Rursum David idcirco deprecatus est Dominum, si contingeret peccare, vt potius incideret in amicos ex charitate corripientes, quam in adulatores falsis laudibus blandientes, & decipientes, his verbis: *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput*

put

put meum. In quem locum Cardinalis Bellarm. *Septuaginta Interpretes non dixerunt, liniat aut perfundat, quæ verba in bonum sonant; sed impinguet, quod sonat in malum; pinguedo enim deformat, & destruit caput; & prudentissimè considerauerunt Septuaginta viri, oleo non posse frangi aut destrui caput quasi malleo contunderetur, sed destrui per deformationē, quam pinguedo affert; ideo non dixerunt, non destruat, sed non impinguet caput meū.* Omitto quod adulatoribus obsequens, ab ijsdē ludibrio plerumque habeatur, vt experientia docet, & insinuat Hieronym. epist. 46. quemque dehortans illis credere, his verbis: *Ne credas laudatoribus tuis, imò arrisoribus aures ne libenter accommodes. Qui cum te adulationibus foverint, & quodammodo mentis impotem effecerint; si subitò respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curvari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam.*

Hinc etiam Agesilaus Rex Lacedemoniorum dicebat adulatores insectandos esse, non secus ac propriæ vitæ insidiatores. Et rectè; nam, iuxta Prophetam, *venenum aspidum sub labijs eorum.* Atque ex hoc capite Plato in Phœdro appellat feras humano generi pestilentes, similes veneficis, imò impuris dœmonibus, qui animos incautos funestis epulis foveant, & sordibus noxijs inquinent. Bion apud Laërtium lib. 1. rogatus, inter animalia quid esset perniciosius? respondit, inter fera tyrannum, inter mansueta adulatorem. Antisthenes, teste Stobæo sermon. 12. docuit melius esse in corvos, quam in adulatores incidere; quod hi viventibus, illi mortuis oculos eruant, indicans tantam esse vim adulationis, vt hominem excœcet. Quare Alexander Severus optimus Imperator, blandius aliquid in salutatione dicentem, aut abijci volebat, si loci qualitas pateretur, aut cachinno excipi, vt in eius vita scribit Ælius Lampridius. Certè è Christianis Ladislaus Rex Poloniæ, non veritus est palam adulantes colaphis excipere. Rogatusque cur id faceret, respondit, se percutientes repercutere.

16. Tertiò contingit peccare mortaliter, ratione effectus, cum præter intentionem laus adulatoris circa aliquod vitium alteri præbet occasionem peccandi mortaliter, vt subinde fit à parentibus, & patribus familias, cum in præsentia prolium & domesticorum taliter laudant vitia in iuventute sua peracta, vt nata sint inducere scandalum, seu occasionem dare ruinæ; etiamsi id non intendant: nihil enim est quod tam facile mentem hominis corrumpat, atque adulatio, teste Hieronymo epist. 14. ad Celantiam, vbi dicit: *Adulatorum assentationes, velut quasdam pestes animæ fuge. Nihil est, quod tam facilè corrumpat mentes hominum; nihil quod tam dulci & molli vulnere feriat animum. Vnde & quidam Sapiens ait: Verba adulatorum mollia, feriunt autem interiora ventris. Et Dominus loquitur per Prophetam: Popule meus, qui beatificant vos, seducunt vos, & semitas pedum vestrorum dissipant. In multis, illo maximè tempore, regnat hoc vitium; quodque est gravissimum, humilitatis ac benevolentiæ loco ducitur. eo fit, vt qui adulari nescit, aut invidus, aut superbus putetur.* Et de hoc modo intelligi potest, quod dicit Sapiens Prover. 26. *Os lubricum operatur ruinas.* & quod Augustinus dicit loco citato, scandalum enim esse pestilentem gladium satis indicat Salvator noster Matth. 18.

Bellarm. Psal. 1. Plato Laërtius Stobæus Lamprid. Hieronym. Prov. 18. Prov. 26.

Difcurfus XV.

De Iactantia.

Quid sit, & quale peccatum?

Eccl. 6. SApiens Eccles. 6. dicit: *Ne extollas teipsum in consilio animæ tuæ*, exhortans omnes ad modestiam, ne qui plus cæteris sapere videtur, sese in sua prudentia & cogitatione extollat; multò ergo magis verbo sese extollere vetat; hinc tractabo, quod in argumento ponitur.

1. Iactantia igitur est, *Manifestatio propriæ excellentiæ supra id quod est in se, vel in aliorum existimatione, verbis inordinatè facta.* Filia est superbiæ, & differt ab ea, quod illa intus propriè lateat; hæc autem sese exterius verbis manifestet. De vtraque Tobias rectè monuit filium suum cap. 4. *Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Et B. Cyprianus lib. 1. epist. 3. ad Cornelium. *Ille qui præsumit, & contumax est, vir suis iactans, nihil omnino proficiet, qui dilatavit tanquam infernus animam suam*, &c. *Exaltatio & inflatio, & arrogans ac superba iactatio non de Christi magisterio, qui humilitatem docet, sed de spiritu Antichristi nascitur, cui exprobrat per Prophetam Dominus: Tu autem dixisti in animo tuo, in cælum ascendam, super stellas Dei ponam sedem meam.*

Tob. 4.

Cyprian.

2. Dices, Hæc generalia sunt: at velim scire præcisius, quando sit peccatum mortale quando veniale.

Respondeo & dico Primò veniale peccatum esse per se loquendo, quando quis maiora de se prædicat, quam in ipso sunt; aut cum se inordinatè laudat vltra existimationem, quam habet apud alios. Ratio est, quod talis iactantia dumtaxat contineat malitiam mendacij officiosi, & vanæ gloriæ, sine qua vix in hoc mundo vivitur.

Dico secundò, Iactantiam sæpius inducere malitiam mortalem, idque primò, quando quis verbis Deo se æquat, vel anteponit, aut sibi cum Dei contemptu aliquid tribuit: Talis fuit Rex Tyri, qui Ezech. cap. 28 eò malitiæ progressus legitur, vt Deum se esse dixerit. Vnde iubet Dominus Prophetæ, ipsi intimare quod sequitur: *Eo quod elevatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris: cum sis homo, & non Deus: & dedisti cor tuum quasi cor Dei*, &c. *Idcirco ego adducam super te alienos robustissimos gentium: & nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, & polluent decorem tuum. Interficient & detrahent te: & morieris in interitu occisorum in corde maris. Numquid dicens loqueris: Deus ego sum, coram interficientibus te: cum sis homo, & non Deus, in manu occidentium te?* q. d. Quia intumuisti superbiâ, vt exterius verbis te nimium extollas, dicens, Ego sum potens ille, scilicet omnipotens, qui omnia possum, sedens in hoc excelso throno eminentis rupis, quæ mari vndique cincta omnem habet pulchritudinem, munitionem, opes, merces, & gloriam; tam fortis & securus, vt neminē timeā in Tyro excelsa & inaccessa, quasi Deus in cœlo, quem nemo potest attingere aut lacessere: hinc, inquā quia hoc dixisti idcirco contra fortitudinem tuā,

Ezech. cap. 28.

quam

Digitized by Google

quã congerendis videlicet vndique pecunijs comparasti, maiorem aliam hominum fortitudinem armabo, qui quidquid est pulchrum in te, in vrbe, & regno tuo, suis gladijs & sanguine tuo fœdabunt, perdent, & vastabunt, ac in abyssum maris tui te demergent, vt piscium fias esca, ipsique tuum sint sepulchrum. Numquid cum in hostile ferrum incideris, teque videris, sicut ignobilem aliam turbam, ab hoste lacerari, dices, sicut antea solitus es, Deus ego sum? cum manus experieris armatas in ipso vulnerum inflictu, divinum hosti nomen oppones, cum mortalis sis homo, & nullo modo Deus?

Simile est illud Nabuchodonosoris Daniel. 3. qui pueris in Babylonem abductis persuadere tentans statuam per se erectam adorare vt Deum, addidit: *Et quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea?* ita vt propterea instar feræ septem annis vixerit ad cognoscendum Dominum Deũ super omnes Reges; vt exprimunt illa verba Danielis ad Nabuchodonosorem: *Hæc est interpretatio sententia Altissimi, quæ pervenit super Dominum meum Regem: Eijcient te ab hominibus, & cum bestijs ferisque erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes, & rore cæli infunderis: septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit det illud.* Non quod revera in bestiam transformatus fuerit; sed quia sua imaginatione vitiatâ, & corruptâ sibi transformatus videbatur.

Dan. 3.

Dan. 4.

3. Quæres quare Deus permittat eiusmodi impios blasphemè iactitantes ita dominari pijs, vt talia audeant?

Respondeo id spectare ad incomprehensibile iudicium Dei: verum aliquæ causæ sunt manifestæ. Prima, vt pijs det materiam patientiæ, constantiæ & virtutis, dum eos sinit per impios vexari; quia impij sunt virga & flagellum Dei, quibus quasi pater filiorum suorum peccata castigat & emendat, vti per Alanos, Wandalos, & Gothos punivit peccata Christianorum, qua de re multa scribit Salvianus libris 8. de Providentia. Sic de Sennacherib dicitur Isaiæ. 10. 5. *Virga furoris mei Assur.* Sic Attila Rex Hunnorum dicebat se esse flagellum Dei. Sic Nabuchodonosor fuit virga vigilans, vel, vt alij vertunt, vigilantis scilicet Dei. Ierem. 1. Secunda, vt ostendat omnes huius mundi pompas, prosperitates velut res parvi momenti esse contemnendas: ideò enim eas sæpe dat suis hostibus, negat vero suis amicis. Verè S. Augustinus in cap. 27. Matth. *Si haberes*, ait, *sapientiam Salomonis, si pulchritudinem Absalonis, si fortitudinem Samsonis, si longævitatem Enoch, si divitias Crœsi, si felicitatem Octaviani; quid prosunt hæc, cum tandem caro datur vermibus, & anima dæmonibus, cum divite sine fine crucianda?* Tertia, vt ostendat præsens tempus esse operandi benè vel malè, merendi vel demerendi. Sequens vero fore iudicij, prœmiorum, & pœnarum, quo omnia perversa hominum iudicia reformabit, corriget, & æquitati restituet, iuxta illud: *Cum accepero tempus* (iudicij) *ego iustitias iudicabo.* Vnde S. August. in Psalm. 7. *Nemo*, ait, *gratulatur homini qui prosperatur in vita sua, cuius peccatis deest vltor, & adest laudator. Maior hic ira Domini est: irritavit enim Dominum peccator, vt ista patiatur, id est, vt correctionis flagella non patiatur.* Et S. Gregorius lib. 5. Moral. *Deus*, ait, *nonnulla percutit, & nonnulla inulta derelinquit. Quia si nulla resecaret, quis Deum res humanas curare crederet? Et rursus si hæc cuncta percuteret, extremum iudicium vnde restaret?* Dixit vir sapiens: Tantam esse gloriam, quæ sanctos & patientes manet, vt mirum sit omnes dæmones & homines impios, quin & saxa & elementa, contra eos non insurgere, eosque affligere & excruciare, quo tantam gloriam promereantur. Ex adverso tantas esse pœnas quæ impios manent, vt mirum sit eos maximis delicijs non

Salvian.

Isa. 10.

Hier. 1.

August.

August.

Gregor.

non abundare, omniaque eis in mel & rosas non converti, vt aliqua voluptatulâ tantum gehennæ pondus pensetur. Sic enim non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in sanctis; ita non sunt condignæ voluptates & pompæ huius sæculi ad futuram gehennam, quæ revelabitur in impijs & damnatis.

4. His decisis pergo & dico secundò, Iactantiam mortalem esse, quando quis gloriatur, & offert dona Dei, ei collata, quasi ijs dignus fuisset, aut quasi à Deo non haberet, sed à seipso. Hinc enim gravissimè punitus legitur Ezechias Rex Isa. 39. & 4. Reg. 20. Cum enim ostendisset omnes suas opes Legatis Merodach Regis Babylonis, missis ad eum causâ ipsi congratulandi de sanitate miraculo recuperatâ; tum etiam vt de portento illo, scilicet Solis retrocessione veritatem, modum, & causam inquirerent, & cognoscerent, vt dicitur 2. Paralipomen. 32. hinc ab Isaia corripitur, & durum audit nuntium videlicet: *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, & quæ thesaurizaverunt patres tui vsque ad diem hunc, in Babylonem: non relinquetur quidquam, dicit Dominus. Et de filijs tuis qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio Regis Babylonis.* id est, Aderit aliquando tempus, in quo quæ apud te sunt, in domo tua, quæque parentes tui congregaverunt ad hunc vsque diem, diripiantur, avehanturque in Babylonem. Domini verba hæc sunt. Quin & posteri tui, ex tuo prognati semine abducentur à Babylonijs captivi, eoque abijcientur, vt bene secum actum existiment, si in aula Regis eunuchi serviant.

Isa. 39.
4. Reg. 20.
2. Paral. 32.

Porro ex gravitate pœnarum facilè colligi potest enorme fuisse peccatum Ezechiæ. Vnde de eo inquirens Tostatus Abulensis q. 40. in 4. Reg. 20. quod fuerit, dicit fuisse multiplex, primo ingratitudinis; secundò quod sibimet ipsi beneficium à Deo collatum adscripserit. Sic enim respondet ad quæsitum. *Dicendum quod fuit peccatum multiplex Ezechiæ: primum fuit ingratitudo quadam, quia cum Deus liberaverit ipsum ab ægritudine, & ostenderit miraculum famosum in retrocessione Solis ad liberationem eius, debuerat magnas Deo gratias referre: & tamen non retulit, de hoc 2. Paralipomenon. 32. scil. ægrotavit Ezechias vsque ad mortem & oravit Dominum, & exaudivit eum, & dedit ei signum, sed non iuxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, & istud est magnum peccatum, quia nihil est quod benefactores magis ad iram provocet, quam beneficiorum ingratitudo. Secundum fuit, quia superbivit de beneficio sibi collato à Deo. Nam Deus sanavit eum miraculosè, & dedit signum in cælo, & postea cum venerunt nuncij Regis Babylonis ad honorandum eum, propter hoc ipse superbivit, quasi ista evenissent propter suam dignitatem, & pertinerent ad laudem eius: & tamen non pertinebant ad laudem eius, cum ipse nihil fecisset de hoc, sed tota laus Deo attribuenda erat, qui ex benignitate sua ista ostenderat. De hoc 2. Paralip. 32. sed non iuxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, quia elevatum est cor eius & facta est contra eum ira, & contra Iudam, & Ierusalem, humiliatusque est postea, eo quod exaltatum fuisset cor eius.* Tertium &c.

Tost. Abul.
2. Paral. 32.

5. Et hinc Dominus Luc. 10. cum discipuli gauderent, quod dæmonia eijcerent in nomine Christi noluit eosdem de illo beneficio gloriari: dicens: *Videbam sathanam sicut fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici; & nihil vobis nocebit. Veruntamen, in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subijciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.* Quorum verborum sensus genuinus est, vt mihi videtur, Magna quidem est potestas, quam vobis contuli, eijciendi dæmonem. Nam ille tantæ est potentiæ ad nocendum hominibus, vt *non sit in terra potestas, quæ comparetur ei*, Iob 41. Verū de hoc nō est tantopere gaudendum, nam mira-

Luc. 10.
Iob 41.

miracula facientes non sunt securi de sua salute; immo sæpè damnantur, iuxta illud Matth. 7. *Multi dicent in illa die: Domine nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus, in nomine tuo prophetavimus; in nomine tuo dæmonia eiecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos, discedite à me.* At beneficium aliud accepistis longè excellentius, & absque comparatione melius, & elegibilius, de quo potius est gaudendum; nempe ad salutem electi sitis. Verum aliter, & ad præsens intentum intellexit hunc locum Cyprianus, tractat. de tentat. & ieiunio; videlicet quod Dominus his verbis increpaverit discipulos propter eorum præsumptionem. Sic enim ait: *Gloriabantur aliquando discipuli, & complacebant sibi in miraculis, gratulabundi quod eis etiam dæmonia obedirent: sed repreßa est, increpante Domino, simplicitatis eorum præsumptio: Videbam, inquit, satanam, tanquam fulgur descendentem de cælo. his verbis eorum animis intimans; quia ante hoc temporale initium ipse in principio, immo ipse principium existens apud Deum ante hominis conditionem superbientis diaboli ruinam vidit, & affectatæ dominationis ambitionem deiectionis eius fuisse causam: nec in hoc gaudendum esse, si quis prærogativa celsitudinis donaretur, sed hanc esse certam stabilemque veri gaudij metam, si vocatio nostra iustificatione muniretur: & tunc demum ratum constare beatificationis proventum, si huius ordinis scriptura in conspectu Dei indelebilis servaretur.* Cui consonat Hieronymus in illud Isai. 14. *Quomodo cecidisti Lucifer?* Et Gregorius lib. 23. Moral. cap. 4. cuius verba inter alia sunt hæc: *Mirè Dominus, vt in Discipulorum cordibus elationem premeret, mox iudicium ruinæ retulit, quod ipse magister elationis accepit; vt in auctore superbia discerent, quid de elationis vitio formidarent.*

Matth. 7.

Cyprian.

Hieronym.

Gregor.

Quin etiam Apostolus Paulus fastum Corinthiorum & Doctorum aliquorum arrogantium, qui ipsum despiciebant, redarguens dicit: *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* id est: Quis te, ô Magister discernit? quasi in Christianismo, aut evangelizando maiorem & meliorem, nisi tu qui ob sapientiam & eloquentiam te vanè præ alijs extollis, & tui, quos quasi Psaphonis aves, te quasi suum Magistrum extollere & laudare docuisti. Numquid tuum laborem & ingenium, & alia naturæ dona, in quibus gloriaris, accepisti à Deo? Frustra ergo teipsum alijs anteponis, cùm Deo omnem gloriam debeas, à quo accepisti: vt enim ait Iacobus Apostolus: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Quod verum est, tam de donis supernaturalibus gratiæ, vt sunt fides, spes, charitas, omnesque virtutes infusę à Deo, quas nemo præter ipsum dare potest, iuxta Prophetam Psal. 83. dicentem: *Gratiam & gloriam dabit Dominus*: quam de donis naturæ, vt sunt ingenium, iudicium, memoria, sine nostro additamento. Vnde & Sanctus Ioannes quo tempore discipuli ipsius ad eum veniebant, dicentes: *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce is baptizat, & omnes veniunt ad eum*; volentes eum hac ratione præferri Christo; vanos eorum conatus reprimit his verbis: *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cælo.* id est, Nemo potest sibi maiorem præstantiam, & auctoritatem accipere, quàm sit ei à Deo concessa. Ego homo sum vt vnus reliquorum, quod habeo de cœlo est, at Christus non solum homo, sed etiam Deus est; atque adeo malè turbamini, si eum ab omnibus mihi prælatum vidistis. Et Hieremias monet Hebræos ne glorientur, aut sperent in sua sapientia, viribus, opibus, sed in Domino, dum ait: *Hæc dicit Dominus: Non glorietur sapiens in sapientia sua & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in divitijs suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam,*

1. Cor. 4.

Iac. 1.

Psal. 83.

Ioan. 3.

Hierem. 9.

cordiam, & iudicium, & iustitiam in terra: hæc enim placent mihi, ait Dominus. q. d. Hæc dona naturalia per se vana sunt, nisi adsit fides, spes, charitas, & invocatio Dei. Vera enim gloriatio est, *scire & nosse Deum*, id est, Dei providentiam, quod ipse solus est, qui facit misericordiam, & quos vult misericorditer liberat; non autem sapiens, fortis, dives; ipse etiam iustam pœnam infert cui vult, à qua nemo sapiens, fortis, dives, liberare potest. Quare neque sapientem sapientia, neque fortem fortitudo, neque divitem divitiæ in illa clade, quæ Hierosolymæ imminet, à morte liberabũt, sed liberabit cognitio, id est, fides, spes, invocatio, & cultus Domini.

7. Ratio horum est, & primò quoad sapientiam, quod illa sit transitoria, iuxta illud Isa. 29. *Peribit sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur.* Secundò, quod imperfecta, Ecclesi. 8. v. 17. *Intellexi quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole.* Tertiò, quod nociva, 1. Corinth. 8. *Scientia inflat, charitas verò ædificat.* Quartò, quod laboriosa, Eccles. 1. *In multâ sapientiâ, multa indignatio: & qui addit scientiam, addit & laborem.*

Isa. 29.

Eccles. 8.

1. Cor. 8.

Quantum ad fortitudinem verò, in eo gloriandum non est, quia ea fragilis est, vt testatur Iob cap. 6. dicens: *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.* Secundò, quia frequenter inutilis, Eccles. 9. *Vidi sub sole nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam: sed tempus casumque in omnibus.* Tertiò, quia Domino non acceptabilis, Psal. 146. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit; neque in tibijs viri beneplacitum erit ei.* Quartò, quia peccati occasio, Sapient. 2. *Si autem fortitudo nostra lex iustitiæ: quod enim infirmum est, inutile invenitur.*

Iob 6.

Eccles. 9.

Psal. 146.

Sap. 2.

Quantum ad divitias gloriari in ijs non debet. Primo, quia transitoriæ Iacob. 5. *Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comestæ sunt.* Secundò, quia insufficientes, Proverb. 17. *Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit.* Tertiò, quia verbum Dei impedientes, Matth. 13. *Fallacia divitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur.* Quartò, quia nocivæ Eccles. 5. *Divitiæ conservatæ in malum Domini sui*

Iacob. 5.

Prov. 17.

Matt. 13.

Eccles. 5.

Breviter in externis omnibus gloria vitari debet, quia in his bestiæ nos superant. Audi desuper Isidorum orat. de humilit: *Qui rebus,* inquit, *externis gloriantur, in ijs à bestijs superantur. Magnâ corporis mole præditus es? quæ est hæc, si cum elephanti mole comparetur? Fortis es & intrepidus? at leo longè te superat, de quo scriptum est: Leo fortissimus animalium ad nullius pavebit occursum. Cantu ac vocis modulatione insignis es? at cygnus, luscinia, & plurimæ aliæ vocales aves, maius miraculum in suo cantu excitant. Pulcher es? at pavo insigni pulchritudine præstat, & aves aliæ multæ, & scorta etiam pulchritudine gloriantur. Arte aliqua præstas? quid in hac re apibus es sapientius, quarum opera quis pictor, quis geometra possit imitari? Tenui ac subtili veste vteris? hic te superant aranei. Celeritate pedum vales? rursus primatum tenent lepus, caprea, &c. Acuto visu præditus es? non vt caprea, vt aquila. Acute audis? at acutius asinus. Acuto es odoratu? canis te superat.*

Isidorus

8. Et hinc legimus Moabitas suis armis & mœnibus lateritijs superbientes & præfidentes, ac contemnentes hostem se potentiorem, eversos. Et hoc est quod dicitur Hierem. 48. *Audivimus superbiam Moab, superbus est valdè: sublimitatem eius & arrogantiam, & superbiam, & altitudinem cordis eius. Ego scio, ait Dominus iactantiam eius: & quod non sit iuxta eam virtus eius, nec iuxta quod poterat conata sit facere. Ideo super Moab eiulabo, & ad Moab universam clamabo, ad viros muri fictilis lamentantes.* Addo, quod verius videtur, non solum ea de causa eversam, sed quia superbiens & præfidens supradictis contempserit consilium Domini, quo hostium insultus certò potuisset evadere. Quod describit Isaias cap. 16. in

Hieré. 48.

Isa. 16. 16. in verbis: *Ini consilium, coge concilium: pone quasi noctem umbram tuam in meridie: absconde fugientes, & vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei: Moab esto latibulum eorum à facie vastatoris: finitus est enim pulvis, consummatus est miser: defecit qui conculabat terram. Et præparabitur in misericordia solium, & sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, iudicans & quærens iudicium, & velociter reddens quod iustum est.* q. d. O Moabitæ vultis esse salvi, vultis evadere manus Nabuchodonosoris? facite quod dico, nimirum Israëlitas cognatos & vicinos vestros patriâ exules & profugos, tum ob metum Sennacherib, tum ob alios tyrannos, tum maximè ob vastationem Nabuchodonosoris, humaniter excipite, fovete, protegite, vicesque eis rependite. Nam sic Abraham pater eorum Loth patrem vestrum excepit, iuvit, fovit, & à Codorlahomor captum liberavit. Si autem inclementes & duri in eos fueritis, propter illud peccatum, & alia plura, impleta tamen mensura, vindictam Dei experiemini, & immisericorditer pariter vastabimini à Nabuchodonosore. Nam post hæc verba eandem plagã prænuntiat Esaias, atque à Hieremia audistis intimatam.

9. Hinc rursum Sancti viri humiliter fassi sunt omnem sufficientiam suam ex Deo esse, & ægrè admodum, etiam quando Dei gloria, aut salus proximi id requireret, bona opera ex gratia Dei facta prærogativas recensuerunt, vt Iob & Divus Paulus. Immò ipse Apostolus, cùm ex ea necessitate, seu ad confusionem pseudo-Apostolorũ, quos sciebat Corinthianis noxios, suum Apostolatum magnificasset, recitatis visionibus & revelationibus sibi factis, dixit: *Insipiens factus sum, vos me coëgistis.* q. d. Laudando me videor fuisse insipiens; sed vos, qui minorem, quam par erat, de me opinionem habuistis, & magis pseudo-Apostolis, hostibus meis, quam mihi credidistis, coëgistis me ad hãc laudem. Similiter dicere potuerat B. Iob amicis suis, innocentiæ suæ calumniatoribus. Cogebatur enim innocentiam suam à calumnijs vindicare, ne alij à bonis operibus abstraherentur. Porrò notandum est, quod Apostolus qui hac ratione se excusavit, non omnia videatur edixisse ad hanc rem spectantia; nam præmisit: *Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* id est, Ab huiusmodi magnis & gloriosis recensendis abstineo vestri causa, ne quis propter illa mihi plura tribuat, aut maiorem existimet, quam mea facta, quæ videt, & meus sermo, quem audit, me esse declarant. Verebatur enim ne quis ipsum Angelum, vel aliquem Deum putaret, vt Lycaonij, qui Act. 14. de ipso & Barnaba dixerunt: *Dij hominibus similes effecti ad nos descenderunt*; idque propter claudum sanatum. & quemadmodum Melitenses Act. vlt. Deum ipsum appellabant, quod viperam de manu illæsus excussisset. Act. 14. Act. vlt.

10. Tertiò, mortalem iactantia facit culpam, quando quis cum iniuria proximi suas laudes buccinat, veluti fecit Pharisæus ille, Luc. 8. dicens: *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, iniusti, raptores, adulteri, velut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in sabbatho, decimas do omniũ quæ possideo.* hac enim de causa condemnatus recessit ab Ecclesia, vt rectè animadvertit Iansenius concord. 99. vbi inquirens, an reprehendatur ob id, quod Deo agat gratias, eique omne bonum, quod habuit, attribuerit; respondet: *Non reprehenditur quod Deo gratias egit, sed quia gratias agendo, & malè sibi placuit, & alios præ se superbè contempsit. Sic enim sibi placuit, vt in sua gratiarum actione suas tantum laudes commemoraret, & ob quasdam virtutes se iustum esse confideret, adeo vt nihil sibi ad iustitiæ complementum petendum putaret, nec precandum peccatorum remissionem, atque vt etiam quas habebat virtutes, suis meritis suaque industria deputaret. Nisi enim se suis meritis illa à Deo recepisse credidisset, nequaquam sic alijs insultasset, quod alterum* Luc. 8. Iansenius

 sane

sanè eius fuit vitium, necessario concomitans φιλαυτίαν, *& alicuius in seipso complacentiam. Nec simpliciter quidem peccavit in hoc aliorum contemptu, quia non satis fuit illi in genere se præferre peccatoribus, sed & eum, qui secum ascenderat orandi causa publicanum aggressus est, condemnans eum, cuius cor non novit, immò in quo pœnitentiæ & correctionis signa advertere potuisset, quia vidit templum Dei ingredientem, exterinsque signis præ se pœnitentiam ferentem, vt ob id meritò non solum à condemnatione eius abstinere debuisset, sed & provocari ad spem correctionis eius, & communem pro eius correctione & Dei indulgentia precationem.*

Atque ea propter in Pharisæum sic exclamat Chrysost. hom. de eodem & Publicano, docens quantum malum sit magnum quid de se sentire, & e contra quantum bonum sese humiliare: *Auriga*, inquit, *duo in stadium venerunt: Pharisæus iustitiam sive virtutem cum superbia coniunxit. Publicanus peccatum cum modestia. Orabat Pharisæus hæc dicens: Deus, gratias ago tibi, quod non sum vt cæteri homines, raptores, iniusti, aut etiam vt publicanus. O amentiam: ô summam arrogantiam: ô exuperantem iactationem! Non satiavit eius infamiam & amentiam omnis natura hominum ad probra obijcienda, sed in publicanum etiam, qui in propinquo erat, cum magna dementia invasit. Quid igitur ille? propulsavitne probra? non acerbè tulit accusationem, sed maledictum quod iactatum est, æquo animo accepit: ex inimici telo medicinam, & vituperatione laudem, ex accusatione coronam consecutus est. Deus gratias ago tibi, quod non sum quales sunt multi homines, vel etiam qualis hic publicanus. Ieiuno bis in sabbatho; decimam do eorum quæ possideo. Quid miser loqueris? Gloriaris in ieiunio, & non sentis tantam morborum contentionem? Arrogantiæ tuæ immodicæ magnitudinem non vides? Culicem excolas, & camelum devoras: & cum legis te discipulum, quod scriptum est ignoras. Laudet te proximus, non os tuum: alienus, non labia tua.*

11. Et vtinam non haberet multos sectatores, qui se solent extollere relatione ad alios! vtinam, inquam, memores essent sententiæ Christi erga Pharisæum, & attenderent ad verba Apostoli, Galat. 6. *Si quis existimat aliquid esse; cũ nihil sit, ipse se seducit: opus autem suum probet vnusquisque. & sic in semetipso tantam gloriam habebit, & non in altero.* id est, Si quis existimet se spiritualem, egregium, magnum, & perfectum in virtute & Christianismo, (ideoque superbè, durè, & contemptim proximum peccantem, ac præsertim iudaizantem increpet ac redarguat) hic nihil est: quia suo fastu, arrogantiã, duritie, contemptu se nullius esse virtutis ostẽdit, & mentem suam decipit: vnde moneo vnumquemque, ne lapsum, vitam, mores alterius examinet, vt instar Pharisæi considerans publicani vitam, putet se præ eo sanctum esse: sed potius quisque probet & exactè examinet suum opus, id est, singula sua opera, num ea faciat ex vana gloria, ex simulatione, ex odio, & invidia, an verò purè vt placeat Deo; sic enim multos videbit defectus, vt non existimet se esse aliquid: quod si nullos, vel paucos videat, videaturque opus suum esse bonum, purum & perfectum, modestè in se suaque conscientia, in operibus Dei gratia factis gloriabitur; non autem in vitijs alterius: vt enim inquit Hieronymus, *Athleta non ideo fortis est, quia vicit infirmum, & languida adversarij membra superavit: sed si robustus est, & in sua fortitudine, non in infirmitate alterius gloriatur.* Vnde monet paulò ante: *Tu qui te æstimas spiritualem, & de alterius infirmitate robustior es, non debes imbecillitatem iacentis, sed tuam fortitudinem considerare; neque enim si alius perfectè non potest ad Christianismum à iudaismo transire, idcirco tu perfectus es Christianus: sed si te propria conscientia non remordet, habes in temetipso gloriam, & non in altero.*

12. His iungendi veniunt, qui causa emungendi pecunias iniustè, aut exponendo se periculo nocumenti proximi præclaros sese prædicant Medicos, Chirurgos, & Advocatos, cùm tales non sint. Item qui

Chrysost. Galat. 6. Hieronym.

qui adeo delectantur iactantiâ, vt, tanquã si in eo summum finem constituerent, nihil curent de præceptis Dei, vt suum in se iactando desiderium expleãt, seu parati sint peccare mortaliter; quemadmodũ fit apud eos, qui, vt honorem sibi ex iactantia concilient, graves quæstiones & dissidia non verentur movere, vnde maiora mala nata sunt exoriri. De quibus est illud Sapientis Proverb. 28. *Qui se iactat & dilatat, iurgia concitat.* Prov. 28.

13. Quæres denique, An sese iactitans de peccato gravi, etiam simile peccatum incurrat?

Respondeo sub distinctione, Vel gloriatur de peccato, illud approbans, & sic sine dubio peccat mortaliter. Vnde perstringit talem Propheta Psal. 51. dicens: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Psal. 51. Peccatum enim ex ignorantia, vel infirmitate nonnullam excusationem habet, nullam quod ex malitia; multò autem minus, si *lateris cum malè feceris, & exultes in rebus pessimis,* Prov. 2. 14. Hoc nomine seipsum accusat Augustinus in confessionibus, ita vt puderet inter coætaneos minoris dedecoris esse, quando audiebat eos iactantes flagitia sua, & tantò magis gloriantes, quantò magis turpes essent, ita vt liberet facere, non solum libidine facti, sed etiam laudis. Augustin. Et hinc Apostolus reprehendit Corinthianos, quod in superbis contentionibus occupati, negligerent correctionem incestuosi, dicens: *Non est bona gloriatio vestra*, qua videlicet vos iactatis de sapientia seculari, quaque dicitis. Ego sum Pauli, ego Apollo, mala est & intempestiva: cùm potius oculos & animos dimittere deberetis, eò quod tantum scelus inter vos sustineatis. 1 Cor. 5. Vel rursum narrat illud, vt appareat eius dexteritas, ingenium, virilitas, absque approbatione eiusdem operis, & veniale est, si absit scandalum, & caveat nominare personam, qua cum peccavit, quando est occultum.

DISCVR-





DISCVRSVS VNICVS IN NONVM PRÆCEPTVM.

Non concupiſces vxorem proximi tui.

Quid Dominus vetet hoc præcepto?

1. Ioan. 2.



Divus Ioannes 1. cap. 2. admonēs mundum non eſſe diligendum, rationem dedit; quia *omne quod eſt in mundo, eſt concupiſcentia carnis, aut oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Et Dominus hoc præcepto dicit, *Non concupiſces.* Quia verò id perversè à quibuſdam interpretatur, quæro quod in argumento ponitur.

1. Ad huius quæſiti intelligentiam prænotandum eſt hominem naturaliter conſtare ex carne, & ſpiritu, & ideo partim cum beſtijs, partim cum Angelis communicare naturam, & quidem ratione carnis & communionis cum beſtijs, habere propenſionem quamdam ad bonum corporale, & ſenſibile, in quod fertur per ſenſum, & appetitum: ratione ſpiritus & communionis cum Angelis, habere propenſionem ad bonum ſpirituale, & intelligibile, in quod fertur per intelligentiam & voluntatem. Ex his autem diverſis, vel contrarijs propenſionibus exiſtere in vno eodemque homine pugnam quamdam, & ex ea pugna ingentem benè agendi difficultatem, dum vna propenſio alteram impedit.

2. Inſuper notandum eſt divinam providentiam initio creationis, vt remedium adhiberet huic morbo, ſeu languori naturæ humanæ, qui ex conditione materiæ oriebatur, addidiſſe homini donum quoddam inſigne, iuſtitiam videlicet originalem, qua veluti aureo quodā fræno pars inferior parti ſuperiori, & pars ſuperior Deo facilè ſubiecta contineretur. Sic autem ſubiectam fuiſſe carnem ſpiritui, vt non poſſet ipſo invito moveri, neque ei rebellis fieri, niſi ipſe fieret rebellis Deo: in poteſtate tamen ſpiritus fuiſſe, rebellem Deo fieri, & non fieri.

3. Denique animadvertendum eſt, Deum peccante Adamo, hanc gratiam & iuſtitiam originalem illi, omnibuſque poſteris in pœnam peccati ſuſtuliſſe, ideoque ipſum quoad appetitus & potentias reliquiſſe

quisse sibi in statu puræ naturæ; ex quo fit, vt appetitus sensibilis feratur in bona sensibilia præter rationem, & rationis, voluntatisque dictamen.

4. Rursum ad quæsiti intelligentiam notare quis debet, concupiscentiam tripliciter spectari posse. Primò, vt nihil aliud est, quam pronitas ad concupiscendum, seu naturalis inclinatio appetitus, quatenus per absentiam iustitiæ originalis proximè disposita est, vt feratur præter, vel contra ordinem rationis in sua obiecta delectabilia. De qua dicit Iacobus cap. 1. *vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus*, id est, illecebris eius delinitus & deceptus, sicut pisces & aves capiuntur escâ, & sicut Eva & Adam illecti pulchritudine pomi illud contra mandatum Dei comederunt, sicut etiam escâ lentis Esau vendidit primogenita sua, Genes. 25. Secundò, vt excitat pravos motus & affectus in voluntate antequam eos ratio plenè advertat; & de ea sunt verba eiusdem Apostoli, *Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* per fortem nempe rei concupitæ imaginationem, quam excitat appetitus sensitivus, sive concupiscentia. Hæc enim imaginatio rem concupitam, eiusque pulchritudinem ad vivum rationi & voluntati repræsentat, eique ostendit, quam sit suavis & delectabilis, ac facit eandem iterum, iterumque cogitari, inspici, animo volvi & revolvi: quæ cogitationum iteratio & revolutio parit rei delectationem, non tantum in ipso appetitu sensitivo, sed & in rationali, puta in voluntate; eo quod vterque in eadem sit anima: vnde ratio & voluntas ijs incipit affici, sed imperfectè; quia needum plenè advertit hoc esse grave malum, quod Deum graviter offendat. Tertiò, vt causat consensum in obiectum, qui à libera voluntate proficiscitur, & de ea dicit idem Apostolus: *Peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem*, scilicet animæ, per consensum plenum & deliberatum in obiectum peccati mortalis.

Iacob. 1.

Genes. 25.

5. His positis, quæritur, An Dominus Deus hoc præcepto vetet quamvis concupiscentiam?

Asserit hoc Calvinus, dum in c. 20. Exod. sic ait: *Mandatur præcepto: Non concupisces, ne quis impurus appetitus animos nostros incitet.* Et inde infert Catholicos errare, qui concupiscētiam in actu primò asserunt non esse peccatum, dicens: *Hinc perspicitur quibus præstigijs fascinarit Sathan scholas omnes papales, in quibus personat axioma illud: Concupiscentiam in baptizatis non esse peccatū; quia est stimulus ad virtutem.* Spectatū admissi, risum teneatis. sic enim solēt pseudo-apostoli prodire in theatrum, cum veritati obstrepunt. Verè enim sustinent Catholici concupiscētiam supradictam, seu in actu primo nullo præcepto inhiberi. Primò, quia motus concupiscentiæ non sunt in nostra potestate, vt eos avertere, aut vitare possimus: quia non sunt actus humani seu liberi, qui à ratione advertente & voluntate consentiente procedunt: sed sunt actus imaginationis & appetitus sensitivi: vnde inveniuntur in iustificatis & sanctis, in quibus nihil est damnationis, vt ait Apostolus cap. 8. ad Rom. Et inde ipse Apostolus, licet sanctus, cum sentiret in se hosce motus aiebat Roman. 7. *Si quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* q. d. Si concupisco repugnante voluntate, non ego censeor facere; sed concupiscentia, quæ meam rationem & libertatem antevertit.

Rom. 8.

Rom. 7.

Secundò, quia Deus non obligat nos suo præcepto ad id, quod non est in potestate nostra; id enim stultum foret, imò crudele, perinde ac si leoni imperaretur, ne irasceretur, cani ne ringeret, equo ne hinniret. Aut clarius: Idem esset, ac si famulo quis imperaret, vt non esuriret, non sitiret, non frigeret, non caleret; & nisi obtemperaret, crucem & supplicium intentet; cum hæc omnia sint naturalia tum brutis, tum hominibus, atque adeo nec

in

in nostra potestate. Et hinc D. Iacobus ponit progressum, quo à tentatione venitur ad peccatum, nimirum, Primò ponit ipsam illecebram concupiscentiæ ante omne peccatum, quæ est ipsa tentatio, dum dicit: *Vnusquisque vero tentatur à concupiscentia sua*; quam patet non esse peccatum: quia paulò ante dixerat: *Beatus vir qui suffert tentationem*, seu qui illam invitus patitur: quia talis tentatio non est fomes peccati, sed materia meriti. Deinde ponit partum, videlicet peccatum aliquod, verbi gratia, veniale; qualis est delectatio præveniens plenam deliberationem. Tertiò ponit mortem, seu peccatum mortale, cum videlicet accedit plenus consensus. Res fiet clarior similitudine tineæ advolantis circa candelam ardentem: Illa enim si calorem sentiens resiliat, non læditur; si pergit eam proprius circumvolare, alas exiguum lædit: si vero non curans perseveret, tandem ab ipsa flamma consumitur: adeoque quamdiu voluntas reluctatur, non potest illa concupiscentia esse peccatum.

Rom 7. 6 Sed dices: Quare ergo Paulus vocat eandem concupiscentiam peccatum?

Respondeo id factum diversis de causis, Primò quia ipsa est materiale peccatum, cum concupiscentia sit contra Dei legem, cui ad rationem formalem peccati nihil deest nisi consensus voluntatis. Secundò, quia ipsa incitat ad peccatum. Huc tendunt verba Patrum Concilij Tridentini sess. 5. cap. 4. *Concupiscentiam quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere & propriè in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Tertiò, quia ipsa est effectus peccati. Quod pulchrè explicat D. Augustinus lib. 1. de nuptijs & concupiscentia cap. 23. vbi ait: *Sicut lingua vocatur locutio, quam facit lingua & manus vocatur scriptura, quam facit manus: ita concupiscentia vocatur peccatum, quia peccato facta est. Item sicut frigus vocatur pigrum, quia facit pigros: sic concupiscentia vocatur peccatum, quia facit peccatum, si vincit.* Quartò, quia est pœna peccati. Sic autem rem sese habere confirmat Apostolus, cum ad Rom. 8. asserit in baptizatis nihil esse damnabile, dicens: *Nihil ergo nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant.* Et clarius ad Roman. 6. vbi dicit: *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Sensus est: Per baptismum morimur peccato, vivimus Deo, hinc baptismus vocatur regeneratio per quam salvamur; in verbis. 1. ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* vocatur nativitas, per quam renascimur filij Dei apti ad ingressum cœlorum per verba Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* In quod scimus non posse introire peccatum. Vnde reliquum est, concupiscentiam à Christo hominibus baptizatis relictam esse in pœnam peccati ad agonem, vt cum ea assiduè colluctantes inertiam depellamus, vigilesque simus in Dei obsequio, ac crescamus in virtute, victoria, & meritis, atque à terrenis mentem avocantes suspiremus ad cœlum, ingemiscentes cum Apostolo: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* vt expressè declarat Synodus Tridentina sess. 5. *Manere*, inquit, *in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hac S. Synodus fatetur & sentit. quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Iesu gratiam repugnantibus non valet; quin imò qui legitimè certaverit coronabitur.*

Rom. 6. 1. Titum 3. Ioan 3. Rom. 7. Conc. Trid.

7. Et inde est, quod D. Paulus vocet eandem legem membrorum contrariam spititui, his verbis: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: & caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* ita vt homo duplicem voluntatem in se experiatur, vnam conformem voluntati Dei, alteram bono

bono honesto, & rectæ rationi repugnantem. Huiusmodi duplicem voluntatem in se sensit & expressit Christus orans in horto: *Pater si vis transfer calicem istum à me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*, Luc. 22. Pars enim inferior voluntatis Christi appetebat vitam, horrebat mortem à Patre decretam, pars vero superior eiusdem planè erat conformis voluntati & decreto Patris, appetens, & ambiens mortem: vnde secundum eam Christus est exauditus, eademque noluit exaudiri desiderium & appetitum partis inferioris mortem deprecantis, vt doctè annotavit S. Athanas. tract. de Cruce & passione.

Luc. 22.

Athanas.

8. His igitur decisis Dico secundò prohiberi dumtaxat hoc præcepto concupiscentiam, quæ faciat peccatum veniale, vel mortale, seu consensum voluntatis imperfectum, & perfectum in id quod concupiscentia suggerit, vt Scriptura sacra pluribus locis clarissimè manifestat, quibus non prohibet concupiscentiam; sed consensum in eam. Ecclesiast. enim 18. dicit Sapiens: *Post concupiscentias tuas non eas.* quasi dicat. Non præcipio, ne concupiscentiam sentias: hoc enim in hac vita est impossibile, sed ne ei assentiaris. Et Apostolus ad Roman. 6. non monet vt fomes peccati & concupiscentia non sit aut habitet in nobis, sed ne regnet, dicens: *Non ergo regnet peccatum in mortali vestro corpore, vt obediatis concupiscentijs eius*, vt scilicet illi vos subijciatis, eiusque desiderijs obediatis. Accedit Divus Augustinus, qui lib. de continentia tom. 4. cap. 2. docet Christianos quasi Christi milites ad pugnam ab Apostolo accendi, vt non permittant concupiscentiam in se regnare, quod fit, cum illi obediunt: sed illi resistant, eamque resistendo doment, & minuant, licet eam extinguere nequeant; sic enim ait: *Milites Christianos Apostolica tuba infesto sonitu accendit in prælium; Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desiderijs eius. Tunc autem regnare ostenditur, si desiderijs eius obeditur, quibus non est obediendum, ne in obedientibus regnet. Cum hortatur Apostolus vt spiritu facta carnis mortificemus, tuba vtique canit; bellum, in quo versamur, ostendit, & vt acriter dimicemus, & hostes nostros mortificemus, ne ab eis mortificemur, accendit.* Hoc ipsum Apostolus refricat. Galat. 5. vers. 16. dicens: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem.* q. d. Vitam, actiones, & mores instituite secundum dictamen, instinctum, impulsum spiritus, ac gratiæ immissæ ac inditæ vobis à Spiritu sancto, & concupiscentia vobis non dominabitur, vt ei consentiatis. Et hinc Sapiens loco citato clarè expressit quando concupiscentia homini ignominiam adferat: *Si præstes*, inquit, *animæ tuæ concupiscentiam eius, facies te in gaudium inimicis tuis.* id est: Si tu præstiteris animæ tuæ eius quæ desiderat gaudia, ipsa vicissim te faciet gaudium inimicorum tuorum; quia scilicet in multa peccata, damna, & dedecus te inducet, per quæ de te gaudebunt inimici tui, sive dæmones, qui gaudent hominum perditione; sive etiam homines, qui gaudent eorum, quos oderunt, dedecore & damnis, iuxta illud Davidis: *Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero.* Exemplum huius insigne est Samson, qui ob libidines, quas sectatus erat, factus est ludibrium & gaudium Philisthæis, & sibi ipsi exitium.

Rom. 6.

August.

Gal 5.

9. Adeoque certum est hoc præcepto dumtaxat vetari sub veniali peccato internum consensum in opus aut delectationem imperfectum, & sub mortali deliberatum & perfectum: & postremum hunc, sive sit cum desiderio executionis, sive non, necessariò esse confitendū, etiam cum circumstantia perso-

narum, videlicet an circa coniugatam, an solutam consenserit quis in opus aut delectationem. Hoc autem satis exprimit Iob cap. 31. vbi postquam dixisset: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine*, scilicet deliberatè illam concupiscendo, addit ipsi nullam partem fore cum Deo: *Quam in me partem haberet Deus desuper, & hæreditatem omnipotens de excelsis?* quasi dicat nullam.

Iob 31.

10. Verum disquisitione dignum est, An necesse sit, vt quis tentationes concupiscentiæ vincat & evadat, eisdem positivè resistere; an verò sufficiat negativè se erga easdem habere, cavendo consensum? Licet enim Sapiens loco citato moneat non acquiescendum concupiscentijs; & alijs verbis Paulus: *Ne regnet peccatum in mortali vestro corpore*: ac Sanctus Petrus obsecret recenter Christianos factos abstinere à desiderijs, *quæ militant adversus animam*, vtile tamen erit propositam quæstionem discutere; eò magis, quod diabolus tanta arte noverit repræsentare delectationem carnalium voluptatum, vt pulchriores & dulciores appareant, quam revera sunt, & quasi nihil fœditatis vel amaritudinis illis esset annexum, vnde appetitum vehementissimè afficere solent.

Respondeo rationem esse habendam subiectorum, ac dispositionis eorumdem: alius enim alio facilius titillatur, & illicitur à concupiscentia sua, dum eandem flatu suo quasi folle accendit diabolus. Vnde ille, qui timet periculum consensus, si positivè resistat, satisfacit reijciendo eiusmodi cogitationes; nam alioquin peccato cooperaretur: illi enim præsentissimum remedium contra tentationes libidinis est, non colluctatio, sed fuga, iuxta Apostolum dicentem: *Fugite fornicationem*. Appositè in hanc rem Philo lib. 2. Allegoriarum legis tractans fugam Iacobi ex domo Laban: *Si pulchritudine conspecta captus periclitaris, ne offendas ad eam, fuge clam ab eius imaginatione, nihil amplius menti renuntians: nam continuæ reminiscentiæ veras formas imprimendo, lædunt mentem, & invitam concitant. In his enim clancularia fuga saluti esse solet; cunctatio vero, renuntiatio, dilatioque superat rationem, & in servitutem redigit. Quapropter cave anime, ne vnquam rem sensibilem, à qua periculum imminet, tibi ipsi renunties, neve retractes eam, ne forte succumbens ei, reddaris infelicissimus: fuge potius libertatem ferocem servituti mansuetæ præferens.* Hoc exemplo suo ostendit faciendum Ioseph, Genes. 39. cum apprehensus à domina sua per lasciniam vestimenti, *relicto in manu eius pallio aufugit, & egressus est foras*. potuisset enim, vtpote iuvenis in florente ætate robustus, feminę pallium suum per vim extorquere; sed noluit, tum ex reverentia, ne quam vim heræ suæ inferret; tum quia optimum remedium contra libidinem est fuga. Ex quo sic August. sermon. 550. de tempore: *Ioseph vt impudicam dominam posset evadere, fugit: ergo contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam, nec tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere.* Tertiò fugit Ioseph ne vel mulierem tangeret, vel ab ea tangeretur: quia vel ipse mulieris tactus quasi contagiosus & venenatus est viro fugiendus non minus, quam rabidissimi canis morsus, inquit Hieronym. lib. 1. contra Iovinianum.

1. Cor. 6.

Philo.

Genes. 39.

August.

Hieron.

Illustrat hanc rem Augustinus aliquot similitudinibus sermon. 2. Dominicæ 25. post Trinitatem: *Sicut ille*, inquit, *qui carbonem ignitum apprehendit, si ipsum cito proiecerit, nihil ei nocebit; si vero diutius ipsum tenere voluerit, sine vulnere ipsum iactare non poterit: ita & ille, qui ad concupiscendum oculos defixerit, & libidinis malum in corde suscipiens, moras in suis cogitationibus habere permiserit, excutere eas à se, sine animæ occisione vel plaga non poterit.* Vnde paulò antè salubriter monet: *Ideo audiamus Prophetam dicentem: Omni*

August.

Ps. 118. *ni custodia conserva cor tuum. Et illud: Auerte oculos meos ne videant vanitatem*, Et altero sermon. 76. ad Fratres in Eremo, vbi sic ait: *Sicut vestimentum candidum si fuerit sanguine aspersum, si mox fuerit lotum, mox candorem suum recipit; si autem incoxerit, macula vix lavatur; & sic mens humana, si insurgentem cogitationem mox deleverit, poterit suum retinere nitorem: si autem diutius residere permiserit, vix cum magno labore purgabitur.*

11. Secundò dico eum, qui delectationis periculum non ita timet, obligari ad positivè resistendum, iuxta verba Salomonis Proverb. 4. *Omni custodia serva cor tuum.* Et Apostoli: *Nemo coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* Accedit sapiens monitio Sancti Methodij apaud Sanctum Epiphanium hæres. 64. *Vides*, inquit, *quod cogitationes, propter inhabitans in nobis peccatum, forinsecus nobis instant velut canes rabiosi, aut feri, vel audentes latrones contra nos semper instigati à tyranno, ac principe iniquitatis, probantes nos, an resistere ipsis possimus, & aciem contra instruere. Age igitur o anima, fortiter resiste; ne fortè remittens capiaris.* Et ratio est, quod præceptum negativum prohibens actum malum, non solum prohibeat consensum in illum actum, sed etiam voluntariam eius permissionem, vt patet inductione. Nam eodem præcepto quo teneor occidere proximum, teneor etiam non permittere mortem proximi, si possim impedire. Vnde si ab aliquo incitarer ad occidendum proximum, deberem non solum non cooperari mea voluntate, sed etiam resistere. Simile est de muliere, cui vis infertur. Nam si non resistit, censetur consentire: Ergo eodem modo qui vim patitur à concupiscentia, tenetur ei resistere.

Prov. 4. 2. Tim. 2. Epiphan.

Huic sententiæ adstipulantur Sancti Patres, præsertim Hieronymus epist. 22. ad Eustochium dicens: *Nolo sinas cogitationem libidinis crescere; nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. Dum parvus est hostis, interfice: nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine. Audi Psalmistam dicentem: Filia Babylonis misera, &c. Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram; quia enim impossibile est in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem; ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui vt cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, & allidit ad petram; petra autem Christus est.* Et Cassianus in lib. 6. Institut. *Illius præcepti iugiter meminisse debemus, Omni custodiâ serva cor tuum, & secundum Dei principale mandatum sollicitè serpentis observare noxium caput, id est, cogitationum malarum principia, quibus serpere in animam nostram diabolus tentat; ne si caput eius per negligentiam penetraverit cor nostrum, reliquum eius corpus, id est, oblectationis assensus illabatur. Qui procul dubio, si fuerit intromissus, morsu virulento mentem interimet captivatam. Emergentes etiam peccatores terræ nostræ, id est, sensus carnales; in matutinis sui ortus nos oportet extinguere: nisi enim dum adhuc parvuli sunt, fuerint enecati, adulti per conniventiam in perniciem nostram validiores insurgent.*

Hieron. Ps. 136. Cassian.

12. Et hinc leguntur Sancti viri miris modis seipsos afflixisse ieiunijs, vigilijs, cilicijs, humi cubationibus, spinarum aculeis, atque flagellis, vt concupiscentiam domarent. De sancto Hilarione sic Hieronymus in eius vita: *Titillabat sensus eius, & pubescenti corpori solita voluptatum incendia suggerebat. Cogebatur tyrunculus Christi cogitare, quod nesciebat, & eius rei animo pompam volvere, cuius experimenta non noverat. Iratus itaque sibi, & pectus pugnis verberans, quasi cogitationes cæde manus posset excludere: Ego, inquit, aselle, faciam, vt non calcitres; nec te hordeo alam, sed paleis; fame te conficiam, & siti: gravi onerabo pondere; per æstus indagabo & frigora, vt cibum potius, quam lasciviam cogites.* Huc vsque S. Hieronymus, qui epist. ad Eustochium de custodia virginitatis scribit se in vasta etiam solitudine Hieron.

ne ab huiusmodi tentationibus non fuisse immunem, in verbis: *Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantum socius & ferarum, sæpe choris intereram puellarum: pallebant ora ieiuniis, & mens desideriis æstuabat in frigido corpore, & ante hominem suum iam carne præmortuâ, sola libidinum incendia bulliebant.* Sed quod adhibuit remedium? *Omni*, inquit, *auxilio destitutus, ad Iesu iacebam pedes, rigabam lachrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inediâ subiugabam. Memini me clamantem diem crebrò iunxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quam rediret Domino increpante tranquillitas. Post multas lachrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi agminibus interesse angelorum, & lætus gaudensque cantabam: Post te in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Sanctus Benedictus teste Sancto Gregorio lib. 2. Dialog. cap. 2. vt reijceret sordidas cogitationes à diabolo immissas, seipsum nudum in spinis volutavit. Sanctus Bernardus vt lib. 1. eius vitæ cap. 1. inquit Guilielmus Abbas, in gelido lacu sese immergens, tamdiu frigus illud toleravit in corpore, donec incendium luxuriæ extingueret in mente. Denique, vt alios omittam, Sanctus Franciscus, teste Sancto Bonaventura in eius vita cap. 5. immissam à diabolo in mentem suam libidinis flammam, primum crudeli verberatione, deinde nudi corporis nocturno tempore in acervo nivis volutatione compescuit. Hæc Heroum exempla sunt. *Gregor.*

Verum ordinaria remedia efficaciaque contra omnes concupiscentiæ motus & tentationes, sunt abstinentię (vt alibi insinuavi) Addo tantum quod Athanasius scribit in hanc rem in vita Antonij: *Ille*, inquit, *supple diabolus, cogitationes sordidas conabatur inserere, & hic eas oratu submovebat assiduo: ille titillabat sensus naturali carnis ardore; hic fide, vigilijs, & ieiunijs corpus omne vallabat: ille per noctem in pulchræ mulieris vertebatur ornatum, nulla omittens figmenta lasciviæ; hic vltrices gehennæ flammas, & dolorem vermium recordans, ingestæ sibi libidini opponebat:* & huic comes oratio, qua nostris diffisi viribus, Dei opem, humiliter & ardenter imploramus, dicentes cum Psalte: *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuvandum me festina.* vti docet Cassianus, immò Christus ipse dicens: *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* Matth. 26. Idem docet Hieronym. epist. ad Eustochium, his verbis: *Statim vt libido titillaverit sensum, aut blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem: Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi caro; cum fluctuare, dicito: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spero in Domino quia confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus.* Itaque vult magno affectu clamandum ad Deum more eorum, qui ortâ tempestate in discrimine existunt naufragij. Quocirca dæmon id sciens, vt hæc arma tentatis eripiat, solet eis inijcere alias cogitationes, vt ad humana auxilia respectent, ac Dei & orationis obliviscantur: qui propterea in his maximè contemnendus est. *Athanas.* *Cassian.* *Matt. 26.* *Hieronym.* *Ps. 117.* *Ps. 41.*

13. Verum enimverò, quia multi concupiscentiam hanc efferam & indomitam ita admittunt, vt non solum foveant delectationes turpes, sed easdem etiam exterius prodant, quæritur: An hac ratione gravius peccent? Certè Apostolus ad Ephes. 5. graviter dehortatur à turpiloquio: *Turpitudo aut stultiloquium non nominetur in vobis.* & cap 4. vult ea in medium proferri, quæ nata sunt alios ædificare, dicens: *Sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus*: sed ex neutro evidenter deprehenditur, quando veniale aut mortale peccatum sit turpiloquium in medium adducere. *Ephes. 5.* *Ephes. 4.*

14. Vnde

14. Vnde dico Primò metiendam esse hanc determinationē iuxta mentem dicentis. Vnde si dicat turpia ob notabilem rei turpis delectationem, & ideo eam verbis fovet; gravius peccat, quam solâ cogitatione rebus turpibus acquiescens; sicut ille maiorem pœnam meretur, Matth. 5. qui iræ, qua alteri vult mortem, non solum dat locum, sed etiam verba indignationis exterius illam prodit. Nam ibidem dicitur: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio.* id est, determinabitur non de punitione gravi, sed de modo gravioris punitionis per concilium. Matth. 5.

15. Dico secundò: Si quis verba & cantica eo fine proferat & canat, vt alios ad turpitudinem incitet. peccare mortaliter: sic enim ex intentione sua alteri est scandalum, & causa ruinæ. De quo Christus dixit Matth. 18. *Væ homini per quem scandalum venit.* Amplio etiam illud locum habere, etiamsi quis non intendat, cum subest scandalum adstantium pusillorum, id est, cum audientes sunt spiritu debiles, & verba aut cantica, aut gestus sunt valdè lascivi: quia loquens credere debuit audientes inde inducendos ad culpam luxuriæ, saltem desiderij aut cogitationis. Nam verba turpia ex sua ratione vehementer fovent Venerem, ad eamque excitant. Vnde Divus Athanasius in verba D. Pauli ad Ephes. 6. *Aut stultiloquium*, ait: *Præbent verba ad res ipsas ingressum.* Idem docet Divus Chrysostomus ibi sermon. 16. D. Basilius de legendis libris Gentilium pag. 2. inquit: *Pravis assuescere sermonibus, via est ad rem ipsam.* Et denique Divus Augustinus in Confess. cap. 16. Et Aristoteles 7. Politic. cap. vlt. tradunt ex turpiter loquendi licentia, sequi turpiter facere. Matth. 18. Athanas. Chrysost. Basilius August. Aristot.

Probatur ex Paulo, qui 1. Corinth. 8. docuit rem indifferentem, si scandalum generet, sub mortali omittendam; & dicit quod quis percutiendo conscientiam infirmam, in Christum peccet. Addo præterea summoperè cavendum esse à colloquio mulieris impudicæ: quia periculum parit gravissimum libidinosæ concupiscentiæ. Ait enim Ecclesiastes capite 9. Colloquium *mulieris, quasi ignis exardescit.* Et Iob cap. 21. *Habitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur* 1. Cor. 8. Eccl. 9. Iob 21.

16. Ex dictis sequuntur hæc corollaria, Primò componentes & repræsentantes comœdias, quæ res valde turpes, ac ad Venerem excitantes continent, peccare mortaliter: quia sunt multis causa ruinæ. Secundò idem dicendum esse de scribentibus aut interpretantibus libros turpes, & plenos lascivijs ad Veneremque provocantibus: peccant enim mortaliter, quia eadem est ratio ac de comminiscentibus similes comœdias, & valdè alliciunt ij libri ad turpia, vt probat Castro libro 2. de Institut. hæretic. punit. capite 15. in principio. Tertiò idem prorsus dicendum esse de pingentibus turpia, vt Venerem aut Adonidem detectis pudendis, aut diaphano velo opertis: quia hæc valde ad luxuriam provocant. Castro

17. Dico tertiò, turpiloquia ex quadam loquacitate dumtaxat prolata, per se venialia solum esse peccata; Verum huiusmodi hominem seipsum prodere, vt ait Cyprianus epistola 3. ad Papam Cornelium: *De ore ac verbis suis quisque proditur, & vtrum Christum in corde suo, an verò Antichristum habeat, loquendo detegitur, secundum verba Christi Matth. 3. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? de abundantia enim cordis os loquitur:* cum deceat Christianos verba ædificativa proferre iuxta illud Pauli ad Ephesios 4. iam citata, & exemplum beatissimæ Virginis, quæ quater tantum legitur locuta in Scripturis, nempe Lucæ 1. Angelo nuncianti ex ipsa per Spiritum sanctum incarnationem filij Dei, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum* Cyprian. Matth. 3 Ephes. 4. Luc. 1.

Luc. 2. *tuum*. Deinde Luc. 2. quando compatiens pauperioribus sponsis dixit Filio: *Vinum non habent*. Tertiò quando ibidem ostendit se filij curam gerere, dicens: *Fili, quid fecisti nobis sic? pater & ego dolentes quærebamus te.* Quartò, quando salutavit Elizabetham. Hæc de loquela. In canticis etiam imitanda est, quia ijs gloriam Dei prædicavit, dum cecinit: *Magnificat anima mea Dominum* &c.

18. Sed quæres, An etiam difficultas sit in turpibus audiendis, aut ob ea ridendo?

Respondeo resolutè turpia repræsentata audientem ob delectationem ex ipsis turpibus rebus insurgentem, aut cum probabili ruinæ periculo, peccare mortaliter, & magis si legat libros turpes tractantes de obscænis amoribus ob delectationem veneream consurgentem ex ipsis rebus turpibus apprehensis.

Dico secundò, Quantum ad risum, ridentem mortaliter peccare, quotiescumque ridet sibi complacens, quòd existimetur turpibus addictus, & ob id laudari, ac magni fieri velit. Et ratio est, quod gloriam de tali re admittere etiam sit lethale. Eadem est ratio de persona tali, quæ risu scandalum generat, quia videtur præstare auctoritatem verbis turpibus, eaque approbare & honestare. Sin vero alias rideat inadvertenter, aut ne inurbanus habeatur, & hypocrisis vitio notetur, ac iocosis convitijs exprobretur, si risus ille & gaudium procedat ex artificioso & lepido dicendi modo carens delectatione venereâ, venialiter tantum peccat.

DISCVR-





DISCVRSVS VNICVS IN DECIMVM PRÆCEPTVM.

Non concupisces domum proximi tui &c.

Quid hoc præcepto vetetur?



Ivus Paulus 1. ad Cor. 10. monet ne simus concupiscẽtes malorum, sicut prisci Hebræi cõcupierunt delicias carnium, eo quod ipsi ob illam carnium concupiscentiam cæsi sint à Deo, ac locus inde vocatus sit *Sepulchra concupiscentiæ.* Porro quia hoc Præceptum diversum est à nono, inquiram quod in argumento ponitur. 1. Cor. 10.

1. Ad huius rei intelligentiam notandum est, triplicem esse avaritiam. Primam, qua quis neglecto Deo temporale lucrum quærit: qualem taxavit Dominus Luc. 12. cum quidam de turba ad eum accederet magis terrenis, quàm spiritualibus & æternis inhians, ideoque ipsum interpellaret, quatenus fratrem cogeret dividere substantiam, quam cum eo communem & indivisam habebat: illo enim reiecto, quasi divisio ad eum non spectaret, convertit sermonem ad discipulos, aliosque de turba graviter eos monens: *Videte & cavete ab omni avaritia.* Vnus enim retinet non sua, alter à me petit temporalia sua, salutis suæ spiritualis oblitus, quæ præcipuè quærenda est, iuxta illud Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Eam autem sub mortali esse vetitam significat Dominus Luc. 14. vbi vocationem Dei negligentes, & alij ad villam videndam, alij ad iuga boum quinque, quæ emerant, probanda concedentes, eò quod se excusatos prætenderent horribili hac sententia percutit, dicens: *Amen dico vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabunt cœnam meam.* q. d. Nemo istorum, si ita contingat eos è vivis excedere, æternâ fruetur beatitudine. Exemplum huiusmodi notabile videre licet in Balam pseudopropheta, qui cùm Numer. 22. ex parte Balac Regis muneribus provocaretur ad maledicendum populo Israël, & à Deo prohiberetur, neglecto tamen Deo dixit Regi, quod postquam ipsum desereret Spiritus Dei (quo illustra-

Luc. 12. Matt. 6. Luc. 14. Num. 22.

tus non poterat Israëlitis maledicere) daret ei consilium malum de perdendis Hebræis, quatenus scilicet auro sibi ab eo promisso potiretur, in verbis: *Veruntamen pergens ad populum meum, dabo consilium quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.* q. d. Video me per auguria & divinationes Israëlitis nocere non posse; discedens ergo dabo tibi, ô Balac, consilium, quo per mulieres Israëlitæ ad cultum Beelphegor pelliciantur, itaque perdantur. Hoc enim consilium suggessisse Balaam, patet cap. 31. & Apocal. 2. vers. 14. Vide dicta Discursu 7. in 6. Præcep. num. 5. Sed quis finis? Cum iam ad effectum perduxisset. Numer. 25. & Israëlitas per Moabitides & Madianitides mulieres ad luxuriam & idololatriam pertraxisset, bellum causavit primò adversus Madianitas, & diu post tempore Davidis contra Moabitas, 3. Reg. 8. ac in priori vitæ finem ille clausit, vt indicant illa verba cap. 31. Numer. *Cumque pugnassent contra Madianitas atque vicissent, omnes mares occiderunt, & Reges eorum, Evi, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe, quinque principes gentis: Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio.* Quod tam expressè notat Scriptura, vt innotescat finis, quem consequuntur contempto Dei temporalia sectantes.

Num. 24. Num. 31. Apocal. 2. Num. 25. 3. Reg. 8. 31. cap. Numer.

2. Secunda est, qua quis iniustè detinet proximi sui bona, à qua populus Dominus dehortatur, Luc. 12. quando taxans eum, qui fratris sui substantiam & hæreditatem sibi reservabat, dixit: *Videte & cavete ab omni avaritia.* q. d. Ab omni cupiditate & avaritia abstinete, tam ab ea, qua, quod alienum est, retinetur, quàm ab ea, qua quod suum est homo plus nimio quærit: Et hæc mortalis est, quando materia est notabilis, & gravem à Deo meretur pœnam: vt enim ait Zacharias cap. 5. *Omnis fur iudicabitur*, & maledictio *veniet ad domum furis*, &c. *& commorabitur in medio domus eius, & consumet eam, & ligna eius, & lapides.* Vide dicta Discursu 1. in 7. præceptum n. 7.

Luc. 12. Zachar 5.

Adeoque præter culpam mortalem ex iniustè conquisitis nihil lucri capiet; quod & Sapiens dicit Prov. 12. *Non inveniet fraudulentus lucrum, & substantia hominis erit auri pretium:* vbi sic Hebræa habent, *Non adduret fraudulentus venationem suam*, itaque idem est ac si dicat, teste Iansenio in hunc locum: *Cum fraudulenti & dolosi homines inhient res alienas instar venatorum & aucupum, tamen non assequentur quod venantur, aut si assequantur post multos perpessos labores, non percipient commodum ex eo, sed fiet eis sicut venatori, qui frustratur venatione sua, ita vt eam non assequatur, aut si capiat, tamen antequam eam assare possit, & comedendo vtilitatem ex ea capere, amittit eam canibus eam prius lacerantibus.* Et paulò post: *Contra hominis seduli, & diligentis, qui scilicet honesta ratione victum quærit, neminem decipere quærens, substantia erit pretiosa, quia magna & stabilis.* Subiungit Sapiens: *In semita iustitiæ, vita: iter autem devium ducit ad mortem.* Quibus verbis commendat iustitiam, quod in eius semita seu actione consistat vita, quia per eam & hîc iustus spiritu vivit coram Deo, & per eam pervenit ad vitam æternam; damnat vero iniustitiam, quod ea mortem animi adferat in præsenti tempore nonnunquam & corporis, & postea vtriusque mortem æternam.

Prov. 12. Iansenius Prov. 12.

3. Tertia est avaritia, qua quis alterius bona solo animo iniustè concupiscit, quam Deus hoc præcepto vetat: quia non solum respicit actum externum, sed etiam internum: Vnde dicit 1. Reg. 16. Samuel de Saule, qui contra præceptum Domini quædam reservaverat ex cæde Amalech: *Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius: quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Et Apocal. 2 vbi Dominus exprimens punitionem Iezabelis nobilis & potentis mulieris hæreticæ, quæ Prophetissam se mentiendo, propagarat sectam Nicolaitarum, docens licere fornicari, & edere

1. Reg 16. Apocal. 2.

dere idolothyta, addit: *Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes & corda.* id est, abditissima cordis Iezabelis arcana, eiusque cogitationes secretissimas; horum enim symbolum sunt renes. Meretrices enim & hypocritæ simulantes se prophetissas, ac hæreticæ, qualis erat hæc Iezabel, mira arte & vafritie tegunt sua consilia, vt specie pietatis & honesti incautos fidelium animos illiciant & despiciant.

4. Versatur autem materia huius præcepti circa quævis bona temporalia, aut vsum circa hæc necessarium, nempe primò circa bona immobilia, vt fundos, sylvas, aliaque similia, quæ denotantur nomine domus, & agri, Deuteron. 5. *Non concupisces, &c. non domum, non agrum.* Deut. 5.
Secundò circa res animatas anima rationali, quę intelliguntur nomine servi & ancillæ. Tertiò circa res animatas anima sentiente, quæ significantur nomine bovis & asini; sive pertineant ad cibum (vt bos, ovis, capra, &c.) sive ad subvehenda onera, vt asinus, equus, mulus, sub quibus reliqua animalia in hominis dominio existētia comprehenduntur, vt gallinæ, columbæ, pisces in vivarijs, canes, apes, &c. Quartò circa res mobiles, vt sunt pecuniæ vestes, localia, grana, supellex, instrumenta mechanicarum artium, libri studiosorum, poma, & alij fructus, resque aliæ inanimatæ, quæ comprehenduntur verbis: *Et vniversa quæ illius sunt.*

5. His ita positis quæritur, An sub peccato mortali hæc concupiscentia prohibeatur?

Respondeo desiderium rei alienæ contingere posse tribus modis. Primò cum videns aut cogitans rem proximi non desiderat ipsum privari sua re, sed optat habere rem similem, quod non est peccatum saltem mortale, quando bono fine fit, aut res illi non est nociva; cum sic etiam totum mūdum habere nemine invito non censeatur mortale: quia in eo nulli fieret iniuria, in qua illud fundari deberet. Secundò, cum quis desiderat absolutè rem alienam, quia est sibi vtilis, non cogitando de proximi detrimento, vel de iniustitia: illud vero tunc solum est peccatum mortale; cum talis appetitus adeò excrescit, vt ad illum explendum homo paratus sit facere contra præceptum obligans ad mortale, v. g. peierare, aut per falsos testes proximo detrimentum facere: quia prius est contra secundum præceptum; posterius contra octavum. Et de eo dicit Sapiens: *Vir qui festinat ditari, & alijs invidet, ignorat quod egestas superveniet ei.* q. d. Prov. 28.
Tum ille qui præ nimia divitiarum aviditate festinat dives fieri, cum sine iniustitia id non contingat: tum qui vellet alios potius egere, vt ipse solus dives evaderet, meretur sanè vt egestas inexspectata ei superveniat, & iustè ei subtrahatur, quod iniustè & avide nimis collegit, idemque ipse patiatur, quod alijs optavit. Tertius modus est, cum quis desiderat rem alienam modo iniusto, vel cum gravi detrimento proximi: atque illud est desiderium, quod propriè hoc præcepto prohibetur, vt insinuat D. Thomas 2. 2. q. 118. a. 4. Tale desiderium ex delibe- D. Thomas
rato consensu circa rem notabilem Dominus graviter insectatur, dum Hierem. 4. inquit Iudæis: *Vsquequo commorabuntur in te cogitationes noxiæ?* id est, iuxta Symmachū, iniustitiæ: & ni pœniteant minatur excidium per Chaldæos; depingens terribilem eorum adventum, Hierosolymæ obsidionem, ac Iudææ vastationem: ac vt cognoscant, vnde tanta clades, addit vers. 18. *Viæ tuæ, & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi: ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum.* id est: Hæc tibi obvenient, quia malitia cor tuum, & animæ tuæ intima penetravit. Michææ etiam 2. in verbis: *Væ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus vestris.* q. d. Væ vobis quorum cogitationes sunt ad omne peccatorum genus intentæ, qui noctu in lectis excogitatis, & machinamini fraudes, & oppressiones pauperum: & tunc præclarè

Hierem. 4.
Michææ 2.

præclarè putatis transactam esse noctem, quam insomnem duxistis, cum longo pervigilio ad iniqua consilia expeditum aliquem aditum aperuistis. Rursum Isaiæ 5. in verbis: *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci: nunquid habitabitis vos soli in medio terræ?* q. d. Væ avaris vobis, qui omnia per fas & nefas vultis occupare, qui agros agris, domos domibus copulatis, donec totum possideatis vrbis aut regionis spatium, quod vestræ ambitioni & cupiditati præfinistis. Atqui huiusmodi cogitationes propterea monet idem Propheta cap. 1. pœnitentiâ delendas, dum ait: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*: vt enim inquit Salomon Sap. 1. *Perversæ cogitationes separant à Deo.* Adeoque quando quis bona alterius immobilia, aut etiam mobilia, modò sint notabilis valoris iniuste concupiscit, indignationem Dei incurrit; vti & ille, qui servum vel ancillam sive captivum, sive emptitium, sive liberos homines conductos, qui voluntate vel mercede suas operas alicui addixerunt, dominis rationabiliter invitis sollicitat, vt aut dominos suos deserant, aut operas condictas, vel vltro addictas non præstent, cum gravi dominorum detrimento. Eademque est ratio de animalibus, quæ proximus ex locato & conducto obtinet.

Isa. 5.

Sap. 1.

6. Quæres, Quare Deus specialius vetuerit concupiscere vxorem & rem proximi his duobus præceptis magis, quam aliarum rerum desiderium, cùm contingat in quolibet genere peccati hominem peccare corde & opere?

Respondet D. Thomas 1. 2. q. 100. artic. 5. ad 5. vbi huic quæstioni satisfaciens, sic ait: *Ad quintum dicendum, quod delectatio adulterij & vtilitas divitiarum sunt propter seipsa appetibilia in quantum habent rationem boni delectabilis vel vtilis: & propter hoc oportuit in eis prohiberi non solum opus, sed etiam concupiscentiam: sed homicidium & falsitas sunt secundum seipsa horribilia, quia proximus & veritas naturaliter amantur, & non desiderantur nisi propter aliud, & ideo non oportuit circa peccatum homicidij & falsi testimonij prohibere peccatum cordis, sed solum operis.*

D.Thomas

7. Verum non desunt aliæ rationes, quare hæc duo præcisiùs explicarit non concupiscenda: Prima, quia maximè regnant hæc duo mala, vt patet ex 1. Ioan. 2. vbi prohibens diligere mundum rationem addit, quia *omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* In quæ verba venerabilis Beda: *His*, inquit, *vitiorum vocabulis omnia vitiorum genera comprehendit. Concupiscentia namque carnis est omne, quod ad corporis voluptatem atque delicias pertinet. In quibus præcipua sunt cibus, potus, concubitus. De quibus Salomon ait: Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes: affer, Affer. Concupiscentia oculorum est omnis curiositas, quæ fit in discendis nefarijs artibus, in inspiciendis spectaculis turpibus, aut in accipiendis seu conservandis temporalibus rebus superfluis, aut observandis, cognoscendis, seu accusandis vitijs proximorum.* Superbia vero vitæ, est cum quis se iactat in honoribus, ob quos conservandos multa iniustitia committi solet.

1 Ioan. 2.

Beda

8. Altera est, quod cupiditas sit omnium malorum radix, vt ait Apostolus 1. ad Timoth. 6 vbi monet, *vt habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti simus.* Et rationem addit, *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa & inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* vbi nota Apostolum taxare non divites, sed ditescere cupientes, quia cupido divitiarum inducit in tentationem, quod inexplebilis sit & vehementissima: *Crescit* enim vt ait Poëta, *amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit*; & inducit hominem vt negligat res divinas, vt contractus vsurarios ineat, vt violet iura divina atque humana, & per fas

1.Tim.6.

&

& nefas opes accumulet, immò si pœnitere volens moneatur, restituenda esse iniustè acquisita, restituere nolit, adeoque facilius animam sibi, quam opes malè partas avelli patiatur. Hinc Apostolus avaritiam vocavit idolorum servitutē, & avarum, idololatram.

9. Adde divitias sequi ambitionem & desiderium gloriæ ac pompę in vestibus, in curribus, in convivijs, omnique apparatu externo, quæ mentem hominis abstrahunt à Deo & rebus divinis, eamque in se trahunt & absorbent, totamque vanam, cupidam, deliciosam, superbam efficiunt, alijsque multis peccatis illaqueant, & sic demergunt hominem in profundam damnationem. Vnde D. Basilius hom. 7. *Quousque opes erunt animarum laqueus, mortis hamus, peccati esca? quousque divitiæ erunt belli materia: per quas fabricantur arma, & enses acuuntur? Propter opes, inquam, propinqui cognati curam negant, fratres inter se digladiantur, loca deserta grassatoribus referciuntur, mare piratis, civitates calumniatoribus complentur. Quis mendacij pater est? quis falsæ accusationis minister? quis periurij genitor? nonne divitiæ, ac circa divitias studium?* Insuper dicit Apostolus, quod pecuniam appetentes erraverint à fide, quasi dicat: Miraris cupiditatem malorum omnium esse radicem, cum hæc ad apostasiam, hæresim, infidelitatem, quę malorum omniũ est caput & congeries, deducat? Avarus enim, qui tantum pręsentia bona quærit per fas & nefas, negligit Deum & divina, adeoque tandem non credit superesse alia bona futuri sæculi; itaque religionem omnem ac fidem contemnit. Idque videtur Christus insinuasse Luc. cap. 8. cum semen quod cecidit inter spinas, & & ab alijs suffocatum fuit, dicit significare eos, qui audierunt quidem verbum Dei, sed *à solicitudinibus, & divitijs, & voluptatibus vitæ, eũtes, suffocantur, & non referunt fructum.* Sic hodie multi vel metu amittendarum, vel spe acquirendarum opum à fide Christiana ad hæresim desciscunt.

Basilius

Luc. 8.

De quibus verè dici potest illud Ioan. 12. *Dilexerunt magis gloriam hominum, quam Dei*, Qui se inserunt in doloribus multis: nam in hæresim aut infidelitatem prolapsos prosequi solent quivis dolores sive puri, sive cum peccato coniuncti, vt sunt infamia, angor conscientiæ, damna rerum temporalium, perplexitas; & penè necessitas non tantum vsuras, fraudes, sed & infidelium commercia, superstitiones, & errores; omnesque infidelitatis actus admittendi, ne suorum gratiam perdant; & videantur verè descivisse ad infideles, & ex animo infidelitatem esse complexi; ac tandem metus, periculum, & reatus gehennæ, qui est dolor dolorum: *Quapropter*, inquit Prosper lib. 2. de vita contemplativa capite 13. *qui militat Deo, fugiendæ sunt divitiæ, quas qui habent sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine noxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt.*

Ioan. 12.

Prosper

10. Tertia ratio videtur, quod, vt ait Bernardus de Convers. ad Clericos cap. 12. *divitiarum amor insatiabilis longiore amplius desiderio torquet animam, quam refrigèret vsu suo.* Et quod amplius est hominem magis magisque incendit ad concupiscentiam. Pulchrè hac de re Seneca lib. 2. de Benefic. cap. 27. *Maiora*, inquit, *cupimus, quo maiora venerunt, multoque concitatior est avaritia in magnarum opum congestu collocata, vt flamma infinito acrior est, quo ex maiori incendio emicuit. Aeque ambitio non patitur quemquam in ea mensura honorum conquiescere, quæ quondam eius fuit impudens votum. Nemo agit de tribunatu gratias, sed quæritur quod non est ad præturam perductus. Nec hæc grata est, si deest consulatus. Nec hic quidem satiat si vnus est, vltra se cupiditas porrigit, & suam felicitatem non intelligit, quia non vnde venerit respicit, sed quo tendat.* Et iterum idem epist. 73. *Adijce, quod nemo eorum, qui in republica versantur, quos vincat, sed à quibus vincatur aspicit, & illis non tam iucundũ est multos post se videre, quam grave aliquem ante se. Habet hoc vitium*

Bernard.

Seneca

præclarè putatis transactam esse noctem, quam insomnem duxistis, cum longo pervigilio ad iniqua consilia expeditum aliquem aditum aperuistis.
Isa. 5. Rursum Isaiæ 5. in verbis: *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci: nunquid habitabitis vos soli in medio terræ?* q. d. Væ avaris vobis, qui omnia per fas & nefas vultis occupare, qui agros agris, domos domibus copulatis, donec totum possideatis vrbis aut regionis spatium, quod vestræ ambitioni & cupiditati præfinistis. Atqui huiusmodi cogitationes propterea monet idem Propheta cap. 1. pœnitentiâ delendas, dum ait: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*: vt enim in-
Sap. 1. quit Salomon Sap. 1. *Perversæ cogitationes separant à Deo.* Adeoque quando quis bona alterius immobilia, aut etiam mobilia, modò sint notabilis valoris iniuste concupiscit, indignationem Dei incurrit; vti & ille, qui servum vel ancillam sive captivum, sive emptitium, sive liberos homines conductos, qui voluntate vel mercede suas operas alicui addixerunt, dominis rationabiliter invitis sollicitat, vt aut dominos suos deserant, aut operas condictas, vel vltro addictas non præstent, cum gravi dominorum detrimento. Eademque est ratio de animalibus, quæ proximus ex locato & conducto obtinet.

6. Quæres, Quare Deus specialius vetuerit concupiscere vxorem & rem proximi his duobus præceptis magis, quam aliarum rerum desiderium, cùm contingat in quolibet genere peccati hominem peccare corde & opere?

D.Thomas Respondet D. Thomas 1. 2. q. 100. artic. 5. ad 5. vbi huic quæstioni satisfaciens, sic ait: *Ad quintum dicendum, quod delectatio adulterij & vtilitas divitiarum sunt propter seipsa appetibilia in quantum habent rationem boni delectabilis vel vtilis: & propter hoc oportuit in eis prohiberi non solum opus, sed etiam concupiscentiam: sed homicidium & falsitas sunt secundum seipsa horribilia, quia proximus & veritas naturaliter amantur, & non desiderantur nisi propter aliud, & ideo non oportuit circa peccatum homicidij & falsi testimonij prohibere peccatum cordis, sed solum operis.*

7. Verum non desunt aliæ rationes, quare hæc duo præcisiùs explicarit non concupiscenda: Prima, quia maximè regnant hæc duo mala, vt patet ex 1. Ioan. 2. vbi prohi- 1 Ioan. 2.
bens diligere mundum rationem addit, quia *omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* In quæ verba venerabilis Beda: *His*, inquit, *vi-* Beda
tiorum vocabulis omnia vitiorum genera comprehendit. Concupiscentia namque carnis est omne, quod ad corporis voluptatem atque delicias pertinet. In quibus præcipua sunt cibus, potus, concubitus. De quibus Salomon ait: Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes: affer, Affer. Concupiscentia oculorum est omnis curiositas, quæ fit in discendis nefarijs artibus, in inspiciendis spectaculis turpibus, aut in accipiendis seu conservandis temporalibus rebus superfluis, aut observandis, cognoscendis, seu accusandis vitijs proximorum. Superbia vero vitæ, est cum quis se iactat in honoribus, ob quos conservandos multa iniustitia committi solet.

8. Altera est, quod cupiditas sit omnium malorum radix, vt ait Apostolus 1. ad Timoth. 6 vbi monet, *vt* 1.Tim. 6.
habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti simus. Et rationem addit, *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa & inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* vbi nota Apostolum taxare non divites, sed ditescere cupientes, quia cupido divitiarum inducit in tentationem, quod inexplebilis sit & vehementissima: *Crescit* enim vt ait Poëta, *amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit*; & inducit hominem vt negligat res divinas, vt contractus vsurarios ineat, vt violet iura divina atque humana, & per fas

&

& nefas opes accumulet, immò si pœnitere volens moneatur, restituenda esse iniustè acquisita, restituere nolit, adeoque facilius animam sibi, quam opes malè partas avelli patiatur. Hinc Apostolus avaritiam vocavit idolorum servitutẽ, & avarum, idololatram.

9. Adde divitias sequi ambitionem & desiderium gloriæ ac pompę in vestibus, in curribus, in convivijs, omnique apparatu externo, quæ mentem hominis abstrahunt à Deo & rebus divinis, eamque in se trahunt & absorbent, totamque vanam, cupidam, deliciosam, superbam efficiunt, alijsque multis peccatis illaqueant, & sic demergunt hominem in profundam damnationem. Vnde D. Basilius hom. 7. *Quousque opes erunt animarum laqueus, mortis hamus, peccati esca? quousque divitiæ erunt belli materia: per quas fabricantur arma, & enses acuuntur? Propter opes, inquam, propinqui cognati curam negant, fratres inter se digladiantur, loca deserta grassatoribus referciuntur, mare piratis, civitates calumniatoribus complentur. Quis mendacij pater est? quis falsæ accusationis minister? quis periurij genitor? nonne divitiæ, ac circa divitias studium?* Insuper dicit Apostolus, quod pecuniam appetentes erraverint à fide, quasi dicat: Miraris cupiditatem malorum omnium esse radicem, cum hæc ad apostasiam, hæresim, infidelitatem, quę malorum omniũ est caput & congeries, deducat? Avarus enim, qui tantum pręsentia bona quærit per fas & nefas, negligit Deum & divina, adeoque tandem non credit superesse alia bona futuri sæculi; itaque religionem omnem ac fidem contemnit. Idque videtur Christus insinuasse Luc. cap. 8. cum semen quod cecidit inter spinas, & & ab alijs suffocatum fuit, dicit significare eos, qui audierunt quidem verbum Dei, sed *à solicitudinibus, & divitijs, & voluptatibus vitæ, eũtes, suffocantur, & non referunt fructum.* Sic hodie multi vel metu amittendarum, vel spe acquirendarum opum à fide Christiana ad hæresim desciscunt.

Basilius

Luc. 8.

De quibus verè dici potest illud Ioan. 12. *Dilexerunt magis gloriam hominum, quam Dei*, Qui se inserunt in doloribus multis: nam in hæresim aut infidelitatem prolapsos prosequi solent quivis dolores sive puri, sive cum peccato coniuncti, vt sunt infamia, angor conscientiæ, damna rerum temporalium, perplexitas, & penè necessitas non tantum vsuras, fraudes, sed & infidelium commercia, superstitiones, & errores; omnesque infidelitatis actus admittendi, ne suorum gratiam perdant; & videantur verè desciuisse ad infideles, & ex animo infidelitatem esse complexi; ac tandem metus, periculum, & reatus gehennæ, qui est dolor dolorum: *Quapropter*, inquit Prosper lib. 2. de vita contemplativa capite 13. *qui militat Deo, fugiendæ sunt divitiæ, quas qui habent sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine noxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt.*

Ioan. 12.

Prosper

10. Tertia ratio videtur, quod, vt ait Bernardus de Convers. ad Clericos cap. 12. *divitiarum amor insatiabilis longiore amplius desiderio torquet animam, quam refrigeret vsu suo.* Et quod amplius est hominem magis magisque incendit ad concupiscentiam. Pulchrè hac de re Seneca lib. 2. de Benefic. cap. 27. *Maiora, inquit, cupimus, quo maiora venerunt, multoque concitatior est avaritia in magnarum opum congestu collocata, vt flamma infinito acrior est, quo ex maiori incendio emicuit. Aeque ambitio non patitur quemquam in ea mensura honorum conquiescere, quæ quondam eius fuit impudens votum. Nemo agit de tribunatu gratias, sed quæritur quod non est ad præturam perductus. Nec hæc grata est, si deest consulatus. Nec hic quidem satiat si vnus est, vltra se cupiditas porrigit, & suam felicitatem non intelligit, quia non vnde venerit respicit, sed quo tendat.* Et iterum idem epist. 73. *Adijce, quod nemo eorum, qui in republica versantur, quos vincat, sed à quibus vincatur aspicit, & illis non tam iucundũ est multos post se videre, quam grave aliquem ante se. Habet hoc vitium*

Bernard.

Seneca

vitium ambitio, item & cupiditas, vt à fine semper incipiat.

11. Postrema ratio est, quod exinde homo sæpe exuat viscera charitatis, dum erga obtentas opes ita afficitur, vt fratris indigentis non misereatur. De quo est illud Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in illo?* Ioan. 1.

Atque his finem facio explicationis Decalogi. Ne miremini quare diutius desuper disseruerim; necessitas & vtilitas vestra hanc mihi legem dixerunt, Primò quia in dilectione Dei & proximi vniversa lex pendet & Prophetæ, vt inquit Dominus Matth. 22. dicens: *Diliges Dominum Deum tuum &c. Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniversa lex pendet & Prophetæ.* In quem locum sic Iansenius Concord. 118. *Prophetarum scriptura & doctrina pendet in duobus dilectionis mandatis quia in illis omnia legis & Prophetarum præcepta comprehenduntur, & ex eis dependent atque eliciuntur, & ad duplicis illius dilectionis exhibitionem aut conservationem omnia ordinantur, ita vt secundum exigentiam mandatorum dilectionis, reliqua omnia mandata sint vel servanda, vel aliquando etiam omittenda, aut mutanda. Plenitudo enim legis, est dilectio, inquit Paulus cum Domino consentiens: Et rursum: Finis, inquit, præcepti est charitas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta.* Et immediatè post subiungit: *Non tantum autem in duobus illis mandatis continentur reliqua omnia legis aut Prophetarum præcepta, sed etiam quodammodo quæcumque in lege, vel in Prophetis narrantur facta vel dicta à Deo, vel ab hominibus.* Et hinc Moyses refricans Iudæis legem Decalogi sic loquitur Deuteron. 10. *Nunc Israël audi, quid Dominus Deus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum.* Et Propheta Michæas cap. 6. *Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te; vtique facere iudicium, & diligere misericordiã, & sollicitè ambulare cum Deo tuo.* q. d. Ostẽdam tibi, ô homo, qui placare tibi Dominum studes, quod gratum Deo sit sacrificium, & quid à te maximè requirat. Nempe, vt tribuas cuique quod suum est, quodque ipsa ratio, & æquitas præscribit, teque omnibus præbeas æquum, & innoxium: miserationibus assuescas, & aliorum bene merendo miseriam leves, divinam explores voluntatem, illique quàm potes diligentissimè obsequare.

Matt. 22. Iansenius Rom. 13. 1. Tim. 1. Deut. 10. Michæa 6.

Secundò, quia sine Decalogi observatione homo nemo dici debet, vt satis exprimit Ecclesiastes cap. 12. dum ait: *Deum time & mandata eius observa; hoc est enim omnis homo. Quid brevius*, ait August. *verius, salubrius dici potuit? Deũ inquit time, & mandata eius custodi: quia hoc est omnis homo. Quicumque enim est hoc, est custos vtique mandatorum Dei: quoniam qui hoc non est, nihil est. Non enim ad veritatis imaginem reformatur, remanens in similitudine vanitatis.* Sic Augustinus. Cui consonat Chrysostomus hom. 21 ad populum vbi sic ait: *Si commune generis nostri nomen cogitaveris, maximam ad virtutem capies disciplinam & exhortationem. Hoc enim nomen Homo nos non secundum externos definimus, sed vt divina iussit scriptura. Nam homo non est quicumque simpliciter manus habet & pedes humanos, nec quicumque tantum rationalis est; sed quicumque pietatem & virtutem cum fiducia exercet. Audi namque quid de Iob dicit. Cum enim dixisset, quod in terra Hussitide homo erat, non ex his eum describit terminis, quibus alieni; nec hoc dicit, quod duos pedes habebat, & vngues latos: sed indicia pietatis illius præbens dicebat: Simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo. Demonstrans quod hoc est homo, sicut scilicet & alius inquit: Deum time, & ipsius mandata custodi, quoniam hoc est omnis homo.*

Eccles. 12. August. lib. 20. de Civit. c. 3. Chrysost. Iob 1. Eccles. 12.

Tertiò, quia nihil vtilius est homini, etiam quoad salutem temporalem, quàm præceptorum Decalogi observatio, vti apertè colligitur Isa. 48. vbi Dominus insinuans ob peccata Israëli gravissima imminere adversa, Isa. 48.

adversa, inquit: *Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, &c. Vtinam attendisses mandata mea: facta fuisset sicut flumen pax tua, & iustitia sicut gurgites maris. Et fuisset quasi arena semen tuum, & stirps uteri tui ut lapilli eius: non interijsset, & non fuisset attritum nomen eius à facie mea.* q. d. Ego sum Deus ille, qui doceo non curiosa, non vana, non ridicula, non pomposa, & plausum captantia, sed quæ saluti tuæ præsenti proficiant. Quod si nunc tot tibi, tamque ignominiosa ac dura impendent infortunia, inde natum est, quia meis te consilijs regi non sinis. Vtinam mandatis meis utilibus obsecutus fuisses: Sanè in sinum tuum instar maris influxissent, quæ optari possent, vniversa bona, & præmia, quæ iustitiæ tuæ merita compensarent, tam essent ampla, ac plena, quàm pleni sunt, & ampli sunt gurgites maris. Et in eam multitudinem excresceret tua progenies, vt arenæ maris non esset inferior, & qui ex te nascerentur filij, conferri non immeritò possent cum sabulo, quod calcatur in littore, neque interijsset odiosum, & vile filiorum tuorum nomen, neque à me fuisset attritum, & à facie mea longè proiectum, seu Assyrijs, Chaldæis, alijsque hostibus: si Dei legibus obedijsses, non tantum inexpugnabilis, sed & terribilis victor & calcator fuisses: absit quod nominis & famæ aliquod præiudicium subijsses.

Quartò, quia aliàs ad vitam æternam pervenire est impossibile. Hanc enim legem posuit Christus Dominus Matth. 22. adolescenti; cum interroganti, *Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Itaque ne miremini, sed attendite Prophetam dicentem Ps. 118. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Ruminate verba Michææ, nempe, Dominum requirere, vt sollicitè cum ipso ambuletis, id est per omnia ei adhæreatis, cum vbique præ oculis habeatis, illius iussa, voluntatem, nutum exactè observetis & expleatis. Denique illud Tobiæ testamentum, quod moriturus dedit filio, sedulo expendite: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri:* ita continget vos Dei gratiâ liberaliter præcepta eius adimplere, iuxta illud Prophetæ: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* & securè pervenire ad portum salutis æternæ. Amen.

Matt. 22

Psal. 118

Laus Deo qui dedit velle, & perficere.

Ddddd ELEN-

ELENCHVS
Discursuum & quæstiuncularum SVB QVOLIBET DISCVRSV COMPREHENSARVM.

Discursus 1. prævius.

An hæc Præcepta Christianos obligent. pag. 1.

Discursus 2. prævius.

An quodvis peccatum contra legem Dei excludat à regno cœlorum? 7.

Discursus 3. prævius.

An ignorantia Præceptorum Decalogi excuset à peccato? 12.

PRIMVM PRAECEPTVM

Ego sum Dominus Deus tuus &c.

Discursus 1.

De modo quo locutus est Deus. 15.

Discursus 2.

De fide?

Qualis olim fuerit, & iam sit necessaria ad iustificationem & salutem? 19.

Discursus 3.

Discursus 4.

Discursus 5.

Discursus 6.

Discursus 7.

Discursus 8.

Discursus 9.

Discursus 19.

Discursus 20.

Discursus 21.

Discursus 22.

Discursus 23.

Discursus.

Hoc loco per inadvertentiam numerus neglectus est.

Discursus 24.

Discursus 25.

Discur-

Discursus 45.

Discursus 46.

Discursus 47.

Discursus 48.

Discursus 49.

Discursus 50.

Discursus 51.

Discursus 52.

Discur-

3. An

Discur-

An

Discursus 8.

Discursus 9.

Discursus 10.

Discursus 1.

IN TERTIVM PRAECEPTVM.

Discursus 2.

in 3. Præceptum.

Discursus 3.

Discursus 1. prævius.

Ad præcepta secundæ tabulæ

De dilectione proximi.

Discursus 2. prævius.

De Ordine charitatis.

Discursus 3. prævius.

De Eleemosyna.

Discursus 4. prævius.

Discursus 5. prævius.

Discur-

Diſcurſus 3.

An ex hoc præcepto teneantur filij parentum neceſſitati ſubvenire? 587.

1. *AN filius parentum neceſſitati ſpirituali non ſuccurrens peccet mortaliter?* 588. 2.
2. *An filius parentum neceſſitati corporali non ſuccurrens peccet mortaliter?* ibid. 3.
3. *Quare Deus tam ſtricte voluerit honorari parentes* 589. 4.
4. *Quænam ſint benedictiones promiſſæ filijs obedientibus?* 590. 6.
5. *Quomodo iuvenes optimæ vita ex hoc mundo ſæpius in flore iuventutis diſcedant?* 591. 7.

Diſcurſus 4.

Quale officium debeant parentes filijs, & primò quod pater & mater quoad alimentum? 593.

1. *IN quo conſiſtat officium parentum?* ibid. 1.
2. *An matres teneantur lactare proles?* ibid. 3.
3. *Qualiter peccent, quæ proles exponunt in publicis plateis?* 595. 5.
4. *Quare olim convivium extrui ſoleat, cum infans ablactaretur?* 596. 7.
5. *Quid pater filijs debeat quoad alimentum?* 597. 8.
6. *An pater teneatur ſemper filio vſque ætatem prædictam alimenta præſtare?* ibid. 9.

Diſcurſus 5.

Quid vlterius vtrique parenti incumbat? ibid.

1. *AN parentes teneantur ſub mortali filios inſtruere?* 598. 2.
2. *Qualiter peccent parentes, qui filios curant arte aliqua inſtrui, neglecta diſciplina ſpirituali?* ibid. 3.
3. *Quando filij inſtruendi ſint de his, quæ ad religionem & mores ſpectant?* 601. 5.
4. *Quid faciendum parentibus, qui propter otium nequeunt his vacare?* 602. 7.

Diſcurſus 6.

Quomodo in bonis moribus inſtituendi ſint à parentibus filij? 603.

1. *QVomodo eveniat, quod ex parentibus peſſimis, optimi naſcantur filij?* 603. 3.
2. *Qualis ſit caſtigatio adhibenda?* 606. 6.
3. *Qualiter peccent parentes filios caſtigando graviter vulnerantes?* 607. 7.
4. *An pater filium aut filiam à domo ſua ſine excludere poſſit propter crimen aliquod commiſſum?* ibid. 9.
5. *An parentibus omnem diligentiam adhibentibus imputandum, quod filij ſe in peccata præcipitent?* 607. 10.
6. *Quid dicendum ad loca Scripturæ allegata?* 608. 11.

Diſcurſus 7.

Quem honorem marito debeat vxor? 609.

1. *IN quo conſiſtat ille amor?* 610. 2.
2. *Quare Paulus inſtruat mulieres, cum viri oratus non fuerit?* 611. 4.
3. *Quando vxor huic præcepto contraveniat, ita vt mortaliter peccet?* 612. 5.

Diſcurſus 8.

Quem honorem vxori debeat maritus? 614.

1. *QValiter peccet vxorem verberans?* 614. col. 2.
2. *Qualiter peccet maritus vxori verba infamatoria inferens?* 616. 3.
3. *Qualiter peccet maritus rem communem inutiliter diſſipans?* 618. 7.
4. *Vnde tanta oriatur diſcrepantia inter coniuges?* ibid. 9. 10. 11.

Diſcurſus 9.

Quid fratres ſibi invicem debeant? 621.

1. *QVam in veteri teſtamento prærogativam habuerit primogenitus?* ibid. 2.
2. *Quam prærogativam habeant hoc tempore primogeniti?* ibid. 2.
3. *An debeant illi obedientiam?* 622. 3.
4. *Ad quid teneantur fratres quoad ſubventionem?* ibid. 4.
5. *An teneatur etiam ſubvenire frater fratri, quando pater eum iuſtè, vel iniuſtè hæreditate ſpoliavit?* 624. 5.

6. An

Discursus 10.

De honore summo Pontifici debito. 628.

Discursus 11.

De honore Episcopis, alijsque Sacerdotibus ipsis immediate subiectis debito. 638.

Discursus 12.

De honore Principibus, & minoribus Iudicibus debito. 647.

Discursus 13.

De officio Principis Christiani. ibid.

Discursus 14.

Quod sit officium Principis in causa Religionis? 661.

Discursus 15.

De officio servorum, seu potius famulorum, & ancillarum. 665.

Discursus 16.

De officio dominorum erga servos. 672.

Discursus 17.

Discursus 1.

IN QVINTVM PRAECEPTVM.

Discursus 2.

Discursus 3.

Discursus 4.

Discursus 5.

Discur-

Discursus 6.

Quibus de causis, & quomodo sit gerendum bellum? 719.

Discursus 7.

Cur iustum bellum sæpè infelicem habeat exitum? 724.

Discursus 8.

An duellum sit licitum? ibid.

Discursus 9.

An liceat directè seipsum occidere? 740.

Discursus 10.

An liceat seipsum indirectè occidere? 747.

Discursus 11.

An quodvis odium hoc præcepto vetetur? 751.

Discursus 12.

Discursus 13.

Discursus 14.

Discursus 1.

IN SEXTVM PRAECEPTVM

Discursus 2.

Discursus 3.

4. An

Discursus 4.

De Sacrilegio, Raptu, & Stupro. 809.

Discursus 5.

De simplici fornicatione. & quale sit peccatum. 815.

Discursus 6.

De Osculis & tactibus. 825.

Discursus 7.

Quatenus Aspectus huic præcepto adversetur? 834.

Discur-

Discursus 4.

De Sacrilegio

Discursus 5.

Discursus 6.

Discursus 7.

Discursus 8.

9. Quotu-

Discursus 9.

An in Montibus pietatis interveniat usura? 932.

Discursus 10.

An census seu reditus annui, præsertim quales super Montes Belgicos creantur, sint liciti?

Discursus 11.

An & quatenus cambia licita sint? 954.

Discursus 21.

An quasvis res vendere, aut emere liceat? ibid.

Discur-

Discursus 13.

De Simonia.

Discursus 14.

Discursus 15.

De ludo, & sponsionibus?

Discursus 16.

De Restitutione.

Discursus 17.

Discursus 18.

Cui, & quo ordine restitutio facienda sit: & an aliquo casu à restitutione quis excusetur? 1010.

Discursus 1.

IN OCTAVVM PRAECEPTVM.

De Calumnia seu falso testimonio? 1018.

Discursus 2.

An Iudex aliquando in hoc Præceptum impingat? 1026.

Discursus 3.

De Mendacio.

Quid sit, & quale peccatum? 1037.

9. An

Discursus 4.

De Promissionibus.

Discursus 5.

Discursus 6.

De Detractione.

Discursus 7.

Discursus 14.

De Adulatione,

Discursus 15.

De Iactantia.

Discursus vnicus.

IN NONVM PRAECEPTVM.

Discursus vnicus.

IN DECIMVM PRAECEPTVM.

INDEX LOCORUM
S. SCRIPTURÆ,
Quæ in hoc opere explicantur,

Prior Numerus paginam secundus columnam indicat.

Ex Libro Genesios.

Ex libro Exodi.

Ex Levitico.

Ex libero Numerorum.

Ex libro Deuteronomij.

Ex libro Iosue.

Ex libro Iudicum. 9.

Ex libro Ruth.

Ex libro 1. Regum.

1. PRo puero isto oravi, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum. Idcirco & ego commodavi eum Domino cunctis diebus quibus fuerat commodatus Domino. 487. 1.

2 Repleti prius pro panibus se locaverunt. 980. 2.

Ibidem Dominus mortificat & vivificat. 741. 1.

3. Si peccaverit vir in virum, placari potest ei Deus. Si autem peccaverit in Deum vir, quis orabit pro eo? 143. 2.

Ibidem Iuravi domui Heli, quod non expietur iniquitas Domus eius victimis & muneribus vsque in æternum. 569. 2.

9. Ecce ibimus, quid feremus ad virum Dei. 975. 1.

10. Posthæc venies in collem Dei, vbi est statio Philisthinorũ: & cum ingressus fueris ibi vrbem, obvium habebis gregem Prophetarum &c. 322. 2.

12. Ego senui & incanui; porro filij mei vobiscum sunt. 564. 2.

14. Et ait Saul: mittite sortem inter me & inter Ionatham filium meum. 399. 2.

15. Hæc faciat mihi Deus & hæc addat: quia morte morieris Ionatha. 1100. 1.

Ibidem Revertere & habita cum Rege. 1076. 1.

16. Quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu sua & refocillabatur Saul, & levius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus. 423. 1.

17. Maledixit (Philisthæus) David in dijs suis. 1092. 1.

19. Et expoliavit etiam ipse se vestimentis suis & prophetavit cum cæteris coram Samuele &c. 347. 2.

24 Percussit cor suum David, eò quòd abscidisset oram chlamydis Saul. 810. 2.

25. Quis est David? & quis filius Isai? hodie increverunt servi qui fugiunt dominos suos. Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris, quos nescio vnde sint? 826. 1.

Ibidem Hæc faciat Deus inimicis David & hæc addat. 1100. 1.

Ex libro 2. Regum.

1. MOntes Gelboe nec ros nec pluvia veniant super vos &c. 1103. 1.

Ibidem Doleo super te frater mi Ionatha, decore nimis & amabilis super amorem mulierum &c. 838. 2.

3. Ait David: Mundus ego sum &c. à sanguine Abner filij mei, & veniat super caput Ioab, & super omnem domum patris eius, nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, & leprosus, & tenens fusum, & cadens gladio & indigens pane. 1092. 2. & 1106. 2.

Dixit David ludam & vilior fiam, plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis: & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo. 1053. 1. 6.

Et percussit Moab, & mensus est eos funiculo, coæquans terrę: mensus est autem duos funiculos, vnum ad occidendum & vnum ad vivificandum: factusque est Moab David serviens sub tributo. 570. 1 8.

Verumtamen quia blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morietur. 567. 24. 12.

Dimitte eum vt maledicat: Dominus enim præcepit ei, vt malediceret David. 1095. 2. 16.

Et voluit Saul eos percutere zelo, quasi pro filijs Israël & Iuda. 111 1. 21.

Revertatur in domum suam & faciem meã non videat. 607. 1. 29.

Ex libro 3. Regum.

NOn est homo super terram, qui non peccet. 196. 2. 8.

Et excogitato consilio (Ieroboam) fecit duos vitulos aureos &c. 1059. 1. 12.

Factus est sermo Domini ad Semeiam virum Dei, dicens: Loquere ad Roboam filium Salomonis Regem Iuda & Beniamin, & reliquos de populo dicens: hęc dicit Dominus: Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros, filios Israël. revertatur vir in domum suam: à me enim factum est verbum hoc. 1085. 1. Ibidem

Constituet autem Dominus sibi Regem Israël qui percutiet Ieroboã in hac die, & in hoc tempore percutiet Dominus Deus Israël sicut moveri solet arundo in aqua &c. 670. 1. 14.

Fecit (David) rectum in oculis Domini & non declinavit ab omnibus quæ præceperat ei, & cunctis diebus vitæ suę, excepto sermone Vriæ Hethæi. 1059. 1. 15.

Dentur nobis duo boves, & eligant sibi bovem vivum &c. & ego faciam bovem alterum. 192. 2. 18.

Cumque venisset Elias ad eum (Heliseum) misit pallium suum super illum. Qui &c. ait, Osculer, oro patrem meum & matrem meam, & sic sequar te. 828. 2.

Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi. 967. 2 19.

Respondit Michæas: Ascende & vade prospere, & tradet eam Dominus in manus Regis. 1041. 1. 27.

Ex libro 4. Regum.

Ex libro 1. Paralipomenon.

Ex libro Tobiæ.

Ex libro Iudith.

Ex libro Iob,

Ecce

Ex libro Proverbiorum.

Coro-

Ex Libro Eccleſiaſtes.

2, *Ex Canticis Canticorum.*

Cap. 4. *Ex libro Sapientiæ.*

18. *Ex libro Ecclesiastici.*

In

Ex libro Esaiæ.

 31.

Vos

Ibidem. Vos non audistis me, vt prædicaretis libertatem vnusquisque amico suo. Ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, pestem & ad famem: & dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ. 465. 2. & 674. 1.

36. Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus. 586. 2.

42. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Si posueritis faciem vestram, vt ingrediamini AEgyptum, & intraueritis, vt ibi habitetis: gladius quem vos formidatis, ibi comprehendet vos &c. 678. 2.

48. Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua & requieuit in fæcibus suis, nec transfusus est de vase in vas, (& in transmigrationem non abijt) idcirco permansit gustus eius in eo & odor eius non est immutatus. 732. 2. & 804. 2.

Ibidem. Audivimus superbiam Moab, superbus est valde: sublimitatem eius & arrogantiam, & superbiam, & altitudinem cordis eius. Ego scio ait Dominus, iactantiam eius, & quod non sit iuxta eam virtus eius, nec iuxta quod poterat conata sit facere. Ideò super Moab ejulabo & ad Moab vniversam clamabo, ad viros muri fictilis lamentantes. 1122. 2.

49. Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui: qui habitas in cavernis petræ & apprehendere niteris altitudinem collium; cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, ait Dominus. 803. 2.

Ibidem. Sicut subversa est Sodoma & Gomorrha, & vicinæ eius, ait Dominus; non habitabit ibi vir & non incolet eam filius hominis. 808. 1.

Ex Threnis Ieremiæ.

3. MIsericordiæ Domini, quia non sumus consumpti. 443. 2.

4. Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos filia populi mei, crudelis quasi strutio in deserto. 690. 2.

Ex Baruch.

Cap. 1. ECce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocauthomata, & thus, & facite manna, & offerte pro peccato ad aram Domini DEI nostri: & orate pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonis &c. 653. 1

6. Mulieres autem circumdatæ funibus in vijs sedent, succendentes ossa olivarum. Cum autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte dormierit cum eo, proximæ suæ exprobrat, quod ea non sit digna habita, sicut ipsa, neque funis eius diruptus sit. 823. 2.

Ex Propheta Ezechiele.

ECce applicant ramos ad nares suas. 825. 2. *Ezech. 8*

Dic ad eos, qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit: erit enim imber imundans, & dabo lapides prægrandes desuper irruentes, & ventum procellæ dissipantem. 1115. 1. 13.

Et tu fili hominis, pone faciem contra filias populi tui, quæ prophetant de corde suo: & vaticinare super eas, & dic: Hæc dicit Dominus DEUS: Væ, quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus: & faciunt cervicalia sub capite vniversæ ætatis ad capiendas animas: & cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum, &c. ibid. 2. *Ibidem.*

Radix tua & generatio tua de terra Chanaan, pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Et quando nata es, in die ortus tui, non est præcisus vmbilicus tuus, & aqua non es lata in salutem, nec sale salita, nec involuta pannis. 1090. 1. 16.

Vivo ego, dicit Dominus DEUS, quia non fecit Sodoma soror tua ipsa, & filiæ eius, sicut fecisti tu, & filiæ tuæ. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius: & manum egeno & pauperi non porrigebant. 803. 2. *Ibidem.*

Et convertam restituens eas conversione Sodomorum cum filiabus suis, & conversione Samariæ, & filiarum eius: & convertam reversionem tuam in medio earum. 808. 1. 16.

Anima quæ peccaverit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. 437. 1 18.

Cum averterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in iniustitia, quam operatus est, morietur. 108. 1. *Ibidem.*

Insuper & sabbatha mea dedi eis, vt essent signa inter me & eos, & scirent, quia ego Dominus sanctificans eos. Et irritaverunt me domus Israël in deserto, &c. Dixi ergo vt effunderem furorem meum super eos in deserto, & consumerem eos, &c. 518. 2. 20.

Stetit in bivio, in capite duarum viarum divinationem quærens, commiscens sagittas: interrogavit idola, exta consuluit. 401. 1. 21.

Et vnusquisque in vxorem proximi sui operatus est abominationem, & socer nurum suam 22.

Ex Daniele.

Ex Osea.

Da

Qui

Ex libro Actuum Apostolorum.

Ex Epistola S. Pauli ad Romanos.

Ex epistola 1. Divi Pauli ad Corinthios.

Nolite

Ex epistola 2. S. Pauli ad Corinthios.

Ex Epistolâ S. Pauli ad Galatas.

Ex Epistola S. Pauli ad Ephesios.

Ex Epistolâ S. Pauli ad Philippenses.

Ex

Ex epistola S. Pauli ad Colossenses.

Ex epistola S. Pauli ad Thessalonicenses.

Ex epistola S. Pauli ad Thessalonicenses. 2.

Ex epistola 1. S. Pauli ad Timotheum.

Est

Ex

Ex epistola 2. S. Petri.

Ex Epistola 1. S. Ioannis.

Ex Epistola Iudæ.

Ex Apocalypsi Ioannis Apostoli.

FINIS.

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM,

Quæ hoc libro continentur.

Prior numerus paginam, posterior columnam indicat. Vbi numerus columnæ solùm ponitur, ad proxime notatam paginam refertur.

An

Bona

Perpe-

Cerei.

Cessio bonorum.

Charitas. vide Dilectio.

Chilpericus.

Christus.

Christianus Rex Daniæ.

Cibi.

Citatio.

Correptio.

Corruptor.

Corus.

Credere. vide Fides.

Creditor.

Crimen.

Non

Dæmon.

Derisio.

Desiderium.

Desperatio.

Detractio, Detractor.

Deus.

Dies Dominicus.

Dilectio.

Disputare.

Dissimulare.

Divisio bonorum vide Bona.

Divitiæ.

Divinatio.

Dogma.

Dolere.

Dolus.

Dominus. vide Famulus.

Domus.

Donatarius.

Dubitare.

Duellum.

Duplicitas.

Ebrius.

Ecclesia.

Edgarus.

Educatio.

Electio.

Eleemosyna.

Emptio.

Felicitas.

Festum.

Fidelitas.

Fides.

Fiducia.

Filius.

Heli.

Henricus octauus.

Herus vide Dominus, Famulus.

Homicidium, Homicida.

Iulianus.

Iuramentum. Iurare.

Iustificatio.

Iustus.

Iustitia.

Iuuenis.

Qui

Malus Malum.

Manasses.

Mandare.

Maniacus.

Manichæi.

Manifestare.

Martyr.

Maritus.

Marsi.

Mater.

Matrimonium.

Mediator.

Medicus, Medicina.

Melania.

Membrum.

Mendacium.

Mensura.

Mercator, Merx.

Merces.

Meretrix.

Meritum, Mereri.

Monasterium.

Monopolium.

Mons pietatis.

Morbus.

Mors.

Moyses.

Mulier.

Munus.

Murmuratio.

Mutilator.

Mutuator.

Naaman.

Natura.

Naufragus.

Necessitas.

Negotiatio.

Neomenia.

Niniuitæ.

Noë.

Nomen.

Notorium.

Hoc

Oraculum.

Ordo.

Originale peccatum.

Ornatus, ornare.

Osculum.

Otium.

Panis.

Parens.

Excommu-

Pecunia.

Pentecoste.

Peregrinare.

Perfectus.

Periurium, vide Iuramentum.

Permutatio.

Pietas.

Physionomia.

Pœna.

Pœnitentia.

Pondus.

Pontifex.

Possessor.

Præcipere.

Præceptum.

Præscriptio.

Præsumptio.

Preces.

Pretium.

Primitiæ.

Primogenitus.

Princeps.

Non

Publicum

Publicum.

Pudicitia.

Punire, Punitio.

Pupillus.

Purgatio Reorum.

Rapina.

Raptus.

Rationale.

Refutare.

Rex.

Regimen.

Religio, Religiosus.

Reliquiæ.

Remedium

Represaliæ

Res.

Resignatio vide Beneficium, vel Simonia.

Restitutio

Restrictio.

Resuscitatus.

Retractus.

Reuerentia vide Honor.

Reus.

Ritus.

Ruditas.

Rusticus.

Sabbathum.

Sacerdos.

Sacramentum.

Sacrificium.

Sacrilegium.

Saga.

Salutatores Hispanici.

Samson.

Samaritanus.

Sanctus Sanctitas.

Sapientia.

Saturitas.

Saul.

Scandalum.

Scire.

Scriptura.

Simo-

Societas.

Sodoma.

Sol.

Sollicitudo.

Solutio.

Somnium.

Sors.

Spes.

Sponsio.

Timor.

Titulus.

Traditio

Tribulatio.

Tribunal.

Tributum

Tristari. Tristitia.

Tubarum festum.

Turpiloquium.

Turpiter acquisitum.

Tyrannus.

Vasa sacra.

Vectigal. vide Tributum.

Vena.

Venditio, Vendere. Venditor.

Venia.

Verbum.

Veritas.

Vesperæ.

Vestis.

Vidua.

Vindicare.

Vindicta.

Vinum.

B. Virgo

Virtus.

Virtutis

Visitare.

Vita, Viuere.

Vitium.

Voluptas.

Votum, Vouere.

Vsucapio.

Vsura.

Vsura

Vultus.

Vxor.

Zelotypia.

Zoroastres.

INDEX

INDEX MATERIARVM PRO CONCIONIBVS DOMINICARVM ET FESTIVITATVM TOTIVS ANNI, AC QVADRAGESIMÆ, QVÆ IN HISCE DISCVRSIBVS IN DECALOGVM EXPLICANTVR.

Primus numerus Discursum; secundus Præceptum, tertius si littera n. præponatur numerum Discursus, si syllaba fol. folium indicat.

Dominica

Dominica infrà Nativitatem Christi.

Ecce positus est hic in ruinam. Deum non esse auctorem mali. Dis. 11. in 8. præ. n. 8. 9. Quibus modis Deus dicatur peccata permittere. ibid. num. 10. Quod malum sit, quod Deo asscribat Amos cap. 3. Disc. 4. in 2. n. 6.

Et hac, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel. Quando obligemur confiteri fidem. Dis. 12. in 1. à n. 1, vsque 5.

Dominica 1. post Epiphan.

Ascendentibus illis Hierosolymam secundum consuetudinem diei festi. An promoveat cultum Dei certa loca visitare, Deum orandi gratia. Dis. 46 in 1. n. 1 2. Eius autem ratio additur n. 3. 4. Quis fructus orantium in peculiaribus locis. ibid. n. 5. An ad Sanctorum reliquias peregrinari superstitiosum sit. Disc. 35. in 1. n. 6. 7. 8. Hic etiam tractari potest, Qua ætate filij instruendi sint à parentibus de his, quę ad Religionem & mores pertinent. Dis. 5. in 4. n. 5. Et quo fructu n. 6.

Fili quid fecisti nobis sic. Quousque obedientia parentibus debita sese extendat. Dis. 9. in 2. n. 5. & Disc. 2. in 4. n. 4 5.

Dominica 2. post Epiphan.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilee. Matrimonium apud Christianos esse Sacramentum propriè dictu. n. Disc. 17. in 1. fol. 84 col. 2. Quæ obligatio vxoris erga maritum. Dis. 7. in 4. n. 1. 2. 3. 4. Quando vxor graviter peccet erga maritum. ibid. n. 5. Quæ sit obligatio mariti erga vxorem. Disc 8 in 4. n. 1. 2. 3. 4. 5. Quibus modis peccet maritus in vxorem. n. 6. 7. 8. Vnde oriatur discrepantia inter Coniuges. ibid. num. 9. 10. 11. Vtrum liceat Catholico cum hæretica, aut contrà matrimonium contrahere. Discurs. 9. in 1. num. 3. 4. 5. Quantopere sit damnandum peccatum contra naturam etiam in matrimonio. Discurs. 3. in 6. numer. 5.

Quid mihi & tibi est mulier. An parentibus obediendum sit, quando præcipiunt Religionem aut Matrimonium. Dis. 2. in præc. n. 7. 8. 9. 10. 11.

Dominica 3. post Epiphan.

Et ecce leprosus veniens adorabat eum. Tractari hic potest, quibus modis adoratio sumatur. Dis 39. in 1. n. 5. & Dis. 48. in 1. n. 4. 5. An Christi humanitas, vt in Eucharistia est, adorari possit cultu latriæ. Dis. 47. in 1. n. 1. 2. 3. Quare non omnes iuventur qui ad memorias Sanctorum peregrinatum concedunt. Dis 53. in 1. n. 12. vbi extollitur fides Centurionis.

Dominica 4. post Epiphan.

Domine salva nos, perimus. Quando obliget præceptum spei. Dis. de spe. fol. 120. n. 7. Deum in rebus deploratis maximè ostendere suam beneficentiam. ibid. fol. 121. n. 8. 9. 10.

Quid timidi estis modicæ fidei. Fidem posse augeri intensive, & per adiunctionem aliarum virtutū. Dis. 46 in 1. n. 5. Quod magna fides efficaciter impetret postulata. Dis. 53. in 1. n. 12.

Dominica 5. post Epiphan.

Cum autem dormirent homines, &c. Quomodo zizania superseminata sint bono semini. Disc. 18. in 1. num. 2. 3.

Servi autem dixerunt ei: Vis imus, & colligimus ea. An hæretici morte puniri possint ob hæresim, aut potius ob turbationem Reipub Dis. 2. in 5. n. 4. 5. 6.

Et ait: Non, ne forte colligentes zizania, eradiceris cum eis simul & triticum. Quantum displiceat Deo zelus indiscretus. Disc. 11. in 8. n. 13.

Sinite vtraque crescere ad messem. An hic locus aliquid faciat pro indemnitate hæreticorum Disc. 2. in 5. n. 7. 8.

Dominica 6. post Epiphan.

Cum autem creverit, maius est omnibus oleribus. Quod Ecclesia Gentium, quæ antea fuit sterilis, in magnam surrexerit amplitudinem, deduci potest ex Dis 23. in 1. n. 1. 2. 3. 4. 5. Item per modum digressionis, An quis possit ad tantam charitatem pervenire, vt amplius augeri non queat; idque ratione seminis, quod excrevit in arborem, in qua volucres cœli nidificant. Dis. 35. in 1. n. 1. 2. 3. Itē si quis velit suos ad perfectionem pervenire, pravos mores subánitio esse compescendos. Dis 6. in 4. n. 4. & Dis. 2. in 5. n. 6. 5. *His addo.*

Dominica Septuagesimæ.

Dominica Sexagesimæ.

Dominica Quinquagesimæ.

Dominica 1. Quadragesimæ.

Dominica 2. Quadragesimæ.

Dominica 3. Quadragesimæ.

Omne

Omne regnum in se ipsum divisum, desolabitur. &c. Novantium Religionem durare non posse, convincitur, quia sibi non constant in doctrina ab ipsis tradita. Dis. 16. in 1. n. 4. 5. 6.

Si autem fortior illo superveniens vicerit eum: universa eius arma auferet, in quibus confidebat. Vanum esse confidere in aliquo, spreto Deo. Discurs. 24. in 1. præc. numer. 6.

Tunc vadit, & assumit secum septem alios spiritus nequiores se, &c. An illi qui maleficijs instigantur ad libidinem vel odium, per hoc sint excusabiles à peccato. Disc. 74. in 1. n. 7.

Dominica 4. Quadragesimæ.

Hoc autem dicebat tentans eum. Qua ratione Deus dicatur hominem tentare. Disc. 11. in 8. præc. n. 8.

Est puer hic vnus, qui habet quinque panes hordeaceos. &c. Deum in rebus desperatis magis opitulari, vt ostendat suam potentiam. Dis. de Spe. fol. 121. num 8 & Dis. 3. in 7. n. 6. §. *Secundo*, vbi multa de providentia Dei.

Vt autem impleti sunt, &c. *collegerunt ergo & impleverunt duos cophynos fragmentorum.* De fructu eleemosynæ. Dis. 5. prævio in 4. n. 1. & seqq.

Dominica Passionis.

Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes. Quale peccatum sit de persona aliqua honesta temerè grave malum iudicare. Disc. 5. in 8. num. 3. & 5. Rursum duplex peccatum esse iudicium temerarium ex odio num. 6. ibid.

Dixerunt ergo Iudei: Nunc cognovimus, quia dæmonium habet. Quale peccatum sit contumelia. Dis. 8. in 8 n. 3.

Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum. An aliquando sit necessarium iniuriam defendere. ibid. n. 9. & 10. Cum Christus non respondit ad obiecta, *Samaritanus es tu*, docuit prudentiam esse adhibendam in defensione honoris: quia enim Samaritanus duplicem habet significationem, videlicet bonam & malam, vltrò prætérijt illud defendere. Ex quo sequitur multò magis, & necessariò obiurgantes sine crimine non posse limites excedere, vt faciunt qui alias contumelias obijciunt, quam par est. ibid. ante n. 5. Ad quam restitutionem teneatur contumeliosus. ibid. n. 5. 6.

Est qui quærat, & iudicet. Quando timenda sit appellatio rei ad iudicium Dei. Dis. 3. in 5. n. 4.

Dominica Palmarum.

Si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet. An liceat ex quavis necessitate rem alienam sibi vendicare. Dis. 2. in 7. n. 4. 5. 6. Vbi simul discutitur latè, qua de causa Christus insederit asinæ & pullo asinæ. Quare Deus non præceperit bona tēporalia manere communia, vt erant in statu innocentiæ. Dis. 7 in 7. præc. n. 5. Ibidem tractari potest, cur Deus bona temporalia non diviserit æqualiter. ibid. n. 6.

In Festo Paschatis.

Viderunt iuvenem sedentem in dextris &c. qui dixit illis: nolite expavescere. Quod Angeli sint administratorij spiritus negotium nostrum gerentes. Dis. 50. in 1. nu. 23. & 10.

Viderunt iuvenem sedentem in dextris coopertum stola candida, & obstupuerunt. Quod liceat pro status cuiusvis decoro pretiosiores vestes induere. Disc. 8. in 6. num. 2. 3.

Præcedet vos in Galileam, ibi eum videbitis. An Deus ante incarnationem in forma corporea, nunquam apparuerit. Disc. 54. 1. n. 12. Et vide num. præced. vbi tractatur, quare divina essentia in hoc sæculo videri non queat.

Dominica 1. post Pascha.

Venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Quod pax iustorum magnam gignat lætitiam. Dis. 25. in 1. n. 6. Quomodo spes nos salvos & beatos reddat in hac vita, & quo sensu. ibid. n. 7. 8.

Accipite Spiritum sanctum, quorum peccata &c. Qualiter Christus potestatem fecerit Apostolis remittendi peccata Disc. 18. in 1 n 4. §. *De Confessione.* & Disc. 17. fol. 89. col. 1.

Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum, &c. non credam. Quibus motivis quis teneatur credere supernaturalia, & quare ijsdem non omnes ad fidem perducantur. Dis. 5. in 1. n. 1. 2. 3. 4. 5.

Dominica 2. post Pascha.

Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Episcopos & Pastores animarū curā habentes, nō esse contemnendos, sed honore pro-

Dominica 3. post Pascha.

Dominica 4. post Pascha.

Dominica 5. post Pascha.

Dominica infra octavam Ascensionis, sexta post Pascha.

Dominica Pentecostes.

docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Hic tractari potest, quomodo discerni valeant veri Prophetæ à falsis. Item quibus indicijs dignoscantur falsas revelationes in medium producentes. *Dis.* 63. in 1. n. 9. & ibid. fol. 353. col. 1.

Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat vobis, ego do vobis. Deum non velle pacem, quâ mala promoventur. *Dis.* 14. in 4. n. 11. §. *Sane si ita.*

Amicitias iniquorum licitè dissolvi. *Dis.* 9. in 8. n. 8. 9. & *Dis.* 9. in 2. n. 5. Pacem parentum voluntati *Dei* postponendam, *Dis.* 9. in 2. n. 5. & *Dis.* 2. in 4. n. 56. Denique ratione promulgationis legis Evangelicę tractari hic potest, quare *Deus* vehementi sono legem promulgaverit. *Dis.* 1. in 1. à n. 1. vsque 7. vbi plura reperies, quæ hic vtiliter accommmodari possunt.

Dominica 1. post pentecost.

Nolite iudicare, & non iudicabimini. Quod difficile sit interni animi statum ab externis indicijs colligere, *Dis.* 5. in 8 n. 4. Quale iudicium hic *Deus* prohibeat, *Dis.* 5 in 8. n. 7. & seq. vbi plura etiam invenies de suspicione.

Dimittite, & dimittemini. Quot malis subiaceat, qui odium reservat in fratrem. Dis. 11. in 5. fol. 756. §. *Porro.* vsque n. 10.

Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Pœnam talionis esse iustam. *Dis.* 6. in 5. præcep. n. 2. & 3. & vide *Discursum* 1. in idem Præceptum num. 3. §. *Et quod,* vsque n. 4.

Dominica 2. post Pentecost.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos. Hic tractari potest, an convivia fratribus extruenda sint. *Dis.* 9. in 4. n. 8. Quin etiam, quare Apostolus commessationes sub mortali prohibeat. *Dis.* 9. in 6. n. 11. 12.

Et cœperunt omnes simul excusare. Primus dixit: villam emi, &c. Quænam acquisitio bonorum sit illicita. *Dis.* 5. in 7. n. 3.

Alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa. Qualiter venditor & emptor quoad rei materiam se gerere debeant in negotiatione. Dis. 7. in 7. à n. 1. vsque 12.

Et alius dixit, Vxorem duxi, & ideo non possum venire. An vxor obsit saluti mariti. Dis. 8. in 4. n. 11.

Dominica 3. post Pentecost.

Murmurabant Pharisei & Scribæ, dicentes: quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Quando murmuratio sit peccatum mortale. Disc. 13. in 8. à n. 1. vsque. 5. Rursum quam grave peccatum sit detractio. Dis. 6. in 8. n. 1. 2. 3.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & si perdiderit vnam ex illis, &c. Quibus modis peccatores iuvandi sint, Dis. 37. in 1. n. 4. & seq.

Quæ mulier habens drachmas decem &c. Doctores Ecclesiæ in rebus dubijs fidei consulendos esse, pulchrè Tertullianus ex hoc loco docet. Dis. 20. in 1. fol. 101. §. *Dico tertio.* & seq. Denique per modum digressionis hic quæri potest, quando res inventas sibi vendicans, iniustitiam committat. Dis. 5. in 7. n. 6. 7. 8.

Dominica 4. post Pentecost.

Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus. Quænam præsumptio sub mortali prohibeatur. Dis. 29. in 1. n. 2.

In verbo tuo laxabo rete, & cum hæc fecissent &c. Voluntatem humanam nihil posse in ijs, quæ ad salutem & pietatem pertinent sine auxilio, & gratia *Dei.* ibid. n. 3. 4. & seqq. Rursum pietatem esse medium obtinendi vitæ necessaria. *Dis.* 3. in 7. n. 6. §. *Secundo.* Denique confidentes in rebus temporalibus exitio proximos esse. *Dis.* 25. in 1. n. 10.

Dominica 5. post Pentecost.

Nisi iustitia vestra abundaverit plusquam Scribarum. &c. Quotupliciter in S. Scriptura sumatur vocabulum iustitiæ. *Dis.* 5. in 7. n. 1. Rursum quare *Deus* reprehendat bona opera Pharisæorum *Disc.* 61. in 1. præc. n. 10. 11.

Audistis quia dictum est antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Quare omnis lex tantopere execretur homicidium voluntarium. *Dis.* 1. in 5. à n. 1. vsque 5. vbi reperies quot modis homicidium committatur.

Ego autem dico vobis: Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: An omnis ira sit peccatum mortale. Dis. 12. in 5. n. 1. vsque 5. Quænam ira sit mortalis, & simul quænam præcisè hic condemnationi subijciatur. ibid. n. 5. 6. 7. 8. 9.

Qui autem dixerit fratri suo, Racha, &c. Vide dicta de contumelia Dominicâ passionis. Et nota hic tractari posse, quale peccatum sit homini maledicere. Dis. 11. in 8. n. 1. 2. 3. 4. Et an liceat sibi ipsi maledicere. ibid. n. 14. Itē quando grave peccatum

catum

Dominica 6. post Pentecost.

Dominica 7 post Pentecost.

Dominica 8. post Pentecost.

Dominica 9. post Pentecost.

Dominica 10 post Pentecost.

Dominica 11. post Pentecost.

do

curatione sanctorum virorum. Dis. 72. in 1. n. 8. 9.

Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Quare remedijs supernaturalibus vtentes non liberentur à maleficio. Dis. 75. in 1. n. 12. Rursus, quæ sit ratio, quare per Sacramentalia magicis artibus infecti non curentur. Disc. 76. in 1. n. 10.

Dominica 12. post Pentecost.

Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum, dicens: Magister &c. Quare subinde illicitum sit Ecclesiastico Catholico publicè disputare cum hæreticis pertinacibus; & subinde necessarium, Disc. 20. in fol. 99. §. *dico* 2. & fol. 100. §. *sed dices.*

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. &c. An Dei legem servare sit possibile. Dis. 33. in 1. à n. 1. vsque 7. Rursum quomodo intelligenda sint hæc verba: *Diliges Dominum Deum tuum.* &c. Et ad quem gradum charitatis necessitent. Dis. 31. in 1. n. 6. 7. 8. Quare Deus velit diligi ex toto corde. Dis. 32. in 1. n. 1. vsque 4.

Hoc fac & vives. Quem fructum gignat dilectio Dei super omnia. ibid. n. 4.

Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hiericho, & incidit in latrones, &c. An non liceat vitæ bonorum tuorum causa interficere aggressorem. Dis. 4. in 5. n. 6. 7. 8.

Samaritanus autem quidam &c. Inimicis benefaciendum esse Dis. 1. prævio in 4. 5. 10. & 11.

Quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi. An homo plus possit facere, quam illi præceptum est. Dis. 34. in 1. n. 3. §. *His adde* vsque n. 8.

Dominica 13. post Pentecost.

Dum iret Iesus in Hierusalem, transibat per mediam Samariam, & Galilæam, & cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, & steterunt, &c. Hic tractari potest, quantumvis magnam inimicitiam neminem excusare à præcepto benefaciendi inimico, ab exemplo Christi, qui non destitit leprosos in Samaria curare; cum Samaritani transitum innoxium illi denegassent. Dis. 1. prævio in 4. n. 11. Rursum an denegare transitum innoxium quandoque sit iusta causa belli? Dis. 6. in 5. n. 9.

Et factum est, dum irent, mundati sunt. Non esse desperandum, etiamsi quis in gravia peccata inciderit, propter potentiam & misericordiam Dei. Dis. 37. in 1. n. 6.

Qui steterunt à longè. Hic tractari potest. hæreticos, & maximè eorum libros cavendos esse. Dis. 21. in 1. à n. 1. vsque 9. Rursum, An omnis conversatio, & commercium cum hæreticis prohibeatur Catholicis. Dis. 22. in 1. n. 1. vsque 10.

Vnus autem ex illis, vt vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce, magnificans Deum &c. Quod olim ob recepta grandiora beneficia soliti sint memorias constituere. Dis. 5. in 5 n. 4.

Non est inventus, qui rediret & daret gloriam Deo. nisi hic alienigena. Quantum peccatum sit ingratitudo, Dis. 15. in 8. n. 4.

Dominica 14 post Pentecost.

Nemo potest duobus Dominis servire. An nullo casu de negotio libertatis Religionis cum hæreticis tractari possit. Dis. 23. in 1. per totum. An liceat alicui fidem signis dissimulare, Disc. 8. in 1. per totum. Item an liceat Sacramenta participare cum hæreticis. Dis. 9. in 1. per totum. Demum an possit quis quoad res fidei in suo sensu abundare, vnam credendo, alteram respuendo. Dis. 4. in 1. n. 1. vsque 8.

Non potestis Deo servire & mammonæ. Divitias non esse nimis anxiè quærendas. Dis. 5. in 7. n. 3. 4. 5.

Quot malis se subijciant monopolium exercentes. Dis. 6. in 7. n. 12. 13.

Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Pietatem esse viam obtinendi temporalia non autem nimiam sollicitudinem. Dis. 3. in 7. n. 6. Quam nocivum sit lucrum scelere partum. Dis. 8. in 7. num. 8. 9. Quam vanum sit confidere in divitijs huius sæculi. Dis. 25. in 1. n. 10. An à spe mercedis ducendum sit exordium. Dis. 27. in 1. à n. 1. vsque 7.

Dominica 15 post Pentecost.

Ecce defunctus efferebatur filius vnicus matri suæ. Ob quam rationem contingat iuvenes optimæ vitæ in flore iuventutis è vivis excedere. Dis. 3. in 4. n. 7. Quod nemo se iustiorem debeat existimare, quod alijs subitò morientibus ipse superstes maneat, Dis. 5. in 8. n. 5. circa medium.

dere, aut trahere in servitutem ob debita. Dis. 10 in 7. n. 24. 25. 26. Rursum illicitum esse pauperem etiam Iudicis auctoritate interveniente ob debita, privare bonis ad vitam necessarijs, Dis.3. in 7. n. 4. §. *Quinto*.

Misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum, & debitum demisit ei. Deum quantumvis gravibus peccatoribus ignoscere. Disc. 11. in 5 n 10. In quo maximè eluceat Dei misericordia. *Dis.* 78. in 1. n. 2. 3. *Egressus autem servus ille, invenit vnum de conservis suis &c.* Quandoquidem illicitum sit herum crudelem esse in servum, vt dicitur *Dis.* 16. in 4. multò magis vetitum est privato erga proximum Iudicis partes intercipere. Ibidem tractari potest, An liceat rem propriam apud alium existentem aliquando propria auctoritate vendicare. *Disc.* 2. in 7. n. 6. & 9.

Ille autem noluit, sed abiit, & misit eum in carcerem. Quod immisericordia sit causa gravium scelerum *Dis* 3. in 6. n. 10.

Nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum? Grave peccatum esse non subvenire fratribus in necessitate constitutis, & plagas sulcitare. *Dis.* 9. in 4. n. 4.

Sic & pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis. &c. Non esse impossibile præceptum de diligendo inimico. *Dis.* 1. præv. in 4. n. 10.

Dominica 22. post Pentecost.

Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, &c. Quando adulatio sit peccatum mortale. *Dis.* 14. in 8. à n. 3. vsque 7. Rursum quod grave malum ex invidia pullulet. *Dis.* 13. in 5. n. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari. Principibus tributum dare deberi. *Dis.* 12. in 4. n. 6. 7. An aliquo casu tributa ijs denegari possint. ibid. n. 9. In quibus obediendum sit Principibus. ibid. 1. 2. 3. 4. 5. Quid vlterius Principibus debeant subditi. ibid. n. 10.

Et quæ sunt Dei Deo. Quod Principes sæculares non debeant sibi regimen Ecclesiasticum arrogare. Dis. 10. in 4. à n. 7. vsque 12. Regum esse Religionis habere curam, eam profitendo & tuendo. Disc. 14. in 4. n. 1. 2. 3. Gravissimum esse peccatum contra iustitiam decimas in iustum stipendiũ Ecclesijs suppeditatas subtrahere. Dis. 14. in 7. n. 21. vsque finem. Pastoribus deberi sustentationem. Dis. 11. in 4. n. 5. Ecclesiasticorum bonorum iniquam vsurpationem dici sacrilegium. Dis. 4. in 7. n. 5. An indifferenter quibuscumque Pastoribus sustentatio debeatur. Dis. 11. in 4. n. 6. 7.

Dominica 23. post Pentecost.

Ecce Princeps vnus accessit, & adorabat eum dicens: Filia mea modo defuncta est &c. Christum hominem in divina & humana natura subsistentem, adorandum esse cultu latriæ. Dis. 47. in 1. n. 1. 2: Quam solliciti debeant esse parentes erga filiorum salutem spiritualem Dis. 5. in 4. n. 1. 2. 3. 4.

Mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur &c. dicebat intra se: Si tetigero tantum vestimentum eius, salva ero. Quæ fuerit ratio, quare mulier hæc crediderit se sanatum iri, si tangeret fimbriam vestimenti. Dis. 10. in 1. n. 6. An reliquiæ Sanctorum coli possint. Dis. 51. in 1. præ. n. 3. vsque 11. Eundẽ cultum non esse inutilem, ibid. num. 11. & 12. Ratione huius mulieris, quæ media sua vt plurimũ expenderat in medicinas, tractari hic potest, An quis teneatur medicinas adhibere, & an exquisitas. Dis. 10. in 5. n. 6. 7.

Confide filia, fides te salvam fecit. Qua ratione dicatur fides te salvare, & an sola. Dis. 6. in 1. n. 4.

Et deridebant eum. Irrisionem gravius esse peccatum, si fiat erga Superiores Dis. 10. in 8. n. 7. 8. 9.

Dominica 24 post Pentecost.

Tunc qui in Iudæa sunt fugient ad montes. An liceat persecutionem fugere. Dis. 12. in 1. n. 5.

Propter electos breviabuntur dies illi. Magnam esse Dei misericordiam, quod propter aliorum virtutem quam plurimis parcat malis. *Dis.* 78. in 1. n. 4.

Ecce hic est Christus, aut illic nolite credere. Hæreticos non esse audiendos, licet sua dogmata scripturis probare nitantur *Dis.* 20. in 1. fol. 101. §. *Dico* 3. & *Dis.* 18. in 1. n. 5. 6. 7.

Surgent enim Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia &c. Quod Pseudoprophetæ secundum exteriorem tantum apparentiam videbuntur miracula facere. *Dis.* 72. in 1. n. 5.

Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem, ita erit adventus filij hominis. Hic tractari potest, Ecclesiam Dei esse visibilem, & quare contrarium sustineant hæretici. Dis. 19. in. 1. n. 1. 2. 3. 4.

Statim autem post tribulationem dierum illorum. sol obscurabitur. Quod circa cõsummationẽ sæculi verè Sol & Luna obscurabuntur, &c. Dis. 6 8. in 1. ante n. 11.

SEQVI-

Sequitur Materia Pro Concionibus

FESTORVM TOTIVS ANNI.

In festo S. Andreæ Apostoli:

Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Quid necessum sit præcedere, vt ab hominibus percipiatur fidei mysteria supernaturalia. Dis. 5. in 1. n. 1. 2. 3. Rursum quæ ignorantia quoad fidem in Christum hominem, excuset à peccato infidelitatis. *Dis.* 3. in 1. n. 2. 3. Denique an invincibiliter ignorans Christum, salvari possit. ibid. n. 4.

At illi continuo relictis retibus, secuti sunt eum. Nihil hominem magis retrahere à salute, quam nimium affectum erga temporalia. *Dis.* 5. in 7. n. 3.

In Festo S. Nicolai.

Homo quidam peregrè proficiscens vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua Bona opera esse necessaria ad salutem. *Dis.* 6. in 1. n. 1. 2. & 9. Officium hominis Christiani esse semper proficere in virtute. *Dis* 34. in 1. n. 2.

Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. Quantum malum sit de consecutione beatitudinis desperare. Dis. 28 in 1. n. 2.

Domine quinque talenta tradidisti mihi &c. An primariò liceat bene operari intuitu mercedis. Dis. 27. in 1 n. 4. 5. 6 Denique quem fructum gignat dilectio Dei super omnia. Dis. 32. in 1. n. 4. 5.

In Festo Conceptionis B. Virginis.

Beatam Virginem à peccato omnino fuisse immunem. Dis. 31. in 1. n. 7. Ad quantam charitatem, quis possit pervenire in hac vita. Dis. 35. in 1. n. 1. 2. 3. B. Virginem transcendere eorum perfectiones, quorum mentio fit. Dis. 34 in 1. n. 2.

In Festo S. Thomæ Apostoli.

Noli esse incredulus, sed fidelis. Explicitam fidem de Christi Incarnatione, Morte, & Resurrectione adultis esse necessariam necessitate medij. Dis. 2. in 1. n. 9.

Beati qui non viderunt & crediderunt. Deum excitare hominis voluntatem, vt liberè credat in Christum. Dis. 5. in 1. n. 3. An huic assertioni officiat locus Pauli, *Non omnium est fides*: ibid. n. 6.

In Festo Nativitatis Christi.

Super Evangelium Ioannis. *In Principio erat Verbum, & Verbum caro factum est,* tractari potest Dei essentiam esse incomprehensibilem. & an in forma corporea vnquam visus sit. Disc. 54. in 1. num, 12.

Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniversus orbis. In quem finem facta fuerit hæc descriptio. Dis. 9. in 7. n. 1. vbi varia de significatione Census.

Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Qualis sit pax illa ab Angelo in Christi ortu decantata. Dis. 5. in 5. n. 4.

In Festo S. Stephani.

Ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & & scribas, & ex illis occidetis. Quòd Deus homines pios summis periculis objiciat Dis. 9. in 5. n. 5. Quantum peccatum sit iniusta occisio. Dis. 1. in 5. num. 1. 2. & 4.

Vt veniat super vos, &c. Quod peccata sint causa malorũ, quæ homini superveniunt: Dis. 8 in 7. n. 9.

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Oppressionem aliorum causare summam sterilitatem. *Dis* 5. in 7. n. 4. Tractari hic etiam potest ratione Stephani pro inimicis orantis, de dilectione inimicorum. Dis. 1. prævio in 4. n. 11.

In Festo S. Ioannis.

Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem. Qua de causa Christus dilexerit prę cæteris Ioannem. Dis. 1. prævio, in 4. n. 1. vbi agitur de triplici dilectione proximi. Quam gra-

tum

In Festo S.S. Innocentium

In Festo Circumcisionis Domini.

In festo Epiphaniæ.

In Festo Conversionis S. Pauli.

In Festo Purificationis B. Virginis.

In Festo Cathedræ S. Petri.

In festo S. Matthiæ.

In festo S. Ioseph Confessoris.

In festo Annunciationis B. Virginis.

Feria 2 Paschatis.

Feria 3. Paschatis.

In

In festo S. Marci.

Misit illos binos ante faciem suam. Duos esse titulos legitimos, quibus in Ecclesia Christi confertur alicui potestas docendi, &c. Dis. 17. in 1. n. 1. 2. 3.

Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos. Quod Deus suos periculis objiciat. Discurs 9. in 5. præcept. numer. 5. & Discurs. 11. in 8. præcept. num. 8. 9. 10.

Dignus est operarius mercede sua. Non esse simoniam Ecclesiastico recipere aliquid temporale ob sustentationem. Discurs. 13. in 7. præcept. num. 8. & vide Discurs. 14. in idem numer. 21. & 22.

In festo S S. Philippi & Iacobi.

Creditis in Deum, & in me credite. Fidem explicitam in Christum esse necessariam ad salutem. Discurs 1. in 1. præcept. numer. 9. vbi etiam tractari potest, qualis fides olim necessaria fuerit ad salutem. ibid. à. num. 1. vsque 9.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. An in iustis charitas augeri possit. Discurs. 34. numer. 1. 2. 3. 4. vbi ex hoc loco confirmatur iustiores plus mereri.

Opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Miracula quæ ad Sanctorum præsentiam, & reliquias fiunt, testari hanc veritatem. Discurs. 50. in 1. præcept. num. 9.

Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Vide dicta de oratione Domin. 5. post Pascha.

In festo Inventionis S. Crucis.

De ligno crucis, eiusque inventione, & cultu. Vide Discurs. 51. in 1. præcept. per totum, vbi plura reperies huic Festo convenientia.

Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis; nisi Deus fuerit cum eo. Christum miraculorum subsidio vsum apud Iudæos, vt se filium Dei comprobaret. Discurs. 17. in 1. ante numer. 4. Rursum dogmata, & cæremonias Ecclesiæ esse à Deo, quia miraculis comprobantur. Vide in hanc rem Discurs. de cultu Sanctorum, vsu luminum, aquâ benedictâ, de processionibus. & traditionibus.

Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Licitum esse cum necdum sufficienter instructo disputare de fide.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. De necessitate Baptismi. Discurs. 17. in 1. præcept. folio 85. col. 1. Necesse est eos qui contrarium docent, nova miracula edere. ibid. num. 6.

Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, sic oportet filium hominis exaltari. An liceat imagines facere. Discurs. 54. in 1. præcept. à numer. 1. vsque 6. Qua de causa Deus serpentem in deserto erigi voluerit. Discurs. 55. in 1. præcept. numer. 10. Quare eundem serpentem Rex Ezechias fregerit. Discurs. 56. in 1. præcept. numer. 14. Denique an vsus Ecclesiæ veneretur imaginem Crucis cultu latriæ, dum dicit in Hymno, *Ave crux, spes unica.* ibid. 13.

In Festo Ascensionis Domini.

Exprobavit incredulitatem eorum, & duritiem cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Licitum esse aliquando acriori obiurgatione vti, quando defectus contingunt contra fidem, aut Religionem. Discurs. 8. in 8. præcept. numer. 4. Rursum fidem explicitam in Christum necessariam esse ad salutem. Discurs. 2. in 1. præc. num. 9.

Euntes in mundum vniversum prædicate Evangelium omni creaturæ. Quæ motiva sint necessaria ad credendum. Discurs. 5. in 1. præcept. numer. 1. 2. 3. An ex ignorantia culpabili errans circa fidem sit hæreticus. Discurs. 14. in 1. præcept. numer. 1. 5. 6. 7. 8.

Feria 2. Pentecostes.

Feria 3. Pentecostes.

In solemnitate Corporis Christi.

In festo S. Ioannis Baptistæ.

Quis

Quis putas puer iste erit? Hic per modum digressionis tractari potest, vtrum ex habitudine corporis &c. futura prædici queant. Disc, 70. in 1. per totum.

In festo Apostolorum Petri & Pauli.

Præter annotata de cultu Sanctorum. vide dicta in Cathedra S. Petri.

In festo Visitationis B. Virginis.

Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino. Vide verbo *Fides* in Indice. Et quare non reprehendantur Abraham, Gedeon, & alij signa ad confirmationem petentes. Disc. 30. in 1. n 5.

Magnificat anima mea Dominum. B. Virginem non locutam nisi cum ædificatione proximi. Dis. vnico in n. 17.

In festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ.

Osculabatur pedes eius. Oscula quæ fiunt in signum amicitiæ & benevolentiæ, esse licita. Dis. 6. 84. 6.

Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ & qualis esset mulier, quæ tangit eum. Quando murmuratio sit grave peccatum. Dis. 13. in 8 n. 2. 3. 4 Prophetas Deo inspirante scire secreta & arcana cordium aliorum. Dis. 50. in 1. n. 12. & Dis. 63. in idem n. 2. 3. 4.

Non habentibus illis vnde redderent, donavit vtrisque; quis ergo eum plus diligit? Hic tractari potest, quam grave peccatum sit, ex insufficientibus indicijs male de proximo iudicare: quia Christus ostendit ex signis Mariæ Magdalenæ se satis scire illam fuisse gravem peccatricem, eandemque agnoscere sibi magnam factam esse gratiam. Vide Dis. 5. in 8. n. 7. 8. 9.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Charitati nihil esse grave. Disc. 33. in 1. n. 2. Quem fructum gignat dilectio Dei super omnia. Dis. 32. in 1. n. 4. Item nullum peccatum esse tam grave, quod pœnitentia contriti cordis delere non valeat. Dis. 28. in 1. fol. 142. 5. *In nova.*

In festo Sancti Iacobi Apostoli.

Hic tractari potest, an invocatio Sanctorum sit vtilis. Dis. 50. in 1. Item ratione frequentis peregrinationis ad S. Iacobum, an non sit superstitiosum ad Reliquias Sanctorum peregrinari. Disc. 53. in 1. à n. 1. vsque 9. Item quare non semper fructuosè. ibid. n. 12.

Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dextram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo Quantopere peccent Parentes plus solliciti de salute filiorum temporali, quam spirituali. Disc. 5. in 4. præcept. n. 2. 3. 4.

Sedere autem ad dextram meam, vel sinistram meam, non est meum dare vobis, &c. Quod beatitudo non detur nisi emeritis. Disc. 34. in 1. n 8.

In festo B. Annæ.

Simile est regnum cœlorum homini negotiatori. Quare præsens Ecclesia dicatur regnum cœlorum. Discurs. 6. in 1. præcept. num. 4. Hic etiam tractari potest de officio Coniugum erga invicem. Discurs. 7. & 8. in 4.

Omnis Scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera. Concionatorem vtiliter ex veteri & novo testamento populum docere, satis insinuatur ex Disc. 11. in. 1. & alijs quam plurimis locis huius Operis.

In festo S. Laurentij.

Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Perperam ex hoc loco elici homicidium sui ipsius esse licitum. Dis. 9. in 5. n. 4.

Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, qui est in cœlis. Virtuti honorem competere in hac vita Discurs. 35. à num. 1. vsque 5. Item tractari hic potest ratione huius Sancti distribuentis thesauros sibi concreditos, de fructu eleemosynæ. Discurs. 5. prævio in 4. per totum.

In festo Assumptionis B. Virginis.

Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Quibus modis Deus diligi queat super omnia Disc. 31. in 1. præc. n. 7. Ad quantam charitatem quis perve-

In

In festo S. Lucæ

Vide dicta in festo S. Marci.

In festo sanctorum Simonis & Iudæ.

Hæc mando vobis, vt diligatis invicem. Quomodo proximus sit diligendus. Disc. 1. prævio in 4. n. 1. 2. 3.

Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Quale odium sub peccato mortali sit prohibitum, & quibus malis id hominem involvat. Dis. 11. in 5. n. 8. & 9.

Hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum, qui misit me. An eorum ignorantia excuset à peccato. Vide annotata in hanc rem Domin. 6. post Pascha, & Disc. 3. prævio in Decal. n. 3. 4.

In festo omnium Sanctorum.

Hîc tractari potest, cur Ecclesia festos dies Sanctorum instituerit. Disc. 1. in 3. n. 9. Rursum an liceat Sanctos colere, & quo cultu. Disc. 48. in 1. per totum. Item an liceat eos invocare & quo fructu. Disc. 49. & 50. Denique imagines Sanctorum rectè in templis collocari. Disc. 55. in 1. n. 9. per eas enim fructus octo beatitudinum (de quibus Evangelium) perspicitur.

Beati estis cum maledixerint vobis homines, &c. Quare Deus permittat hominibus maledici. Dis. 11. in 8. n. 8. 9. 10. maledictiones aliquas esse timendas. Dis. 71. in 1. n. 7. Dis. 6. in 7. n. 13. item Dis. 11. in 8. num. 7.

Merces vestra copiosa est in cælis. Bonorum operum servari mercedem. Dis. 6. in 1. n. 9. Intuitu mercedis æternæ licitè quem benè operari. Disc. 27. in 1. per totum.

In festo Dedicationis Ecclesiæ.

Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus. An sufficiat quantumvis nequiter viventem eleemosynas facere ad salutem. Dis. 5. prævio in 4. n. 6. An huius decisioni officiat locus Luc. 11. *Quod superest, date eleemosynam.* Item ad quid prosit eleemosyna facta à peccatore. ibid 7. 8.

Si quid aliquem defraudavero, reddo quadruplum. Quantum iniquus possessor restituere teneatur. Disc. 16. in 7. n. 13.

Hodie salus huic domui facta est. Ratione huius Evangelij congruè hic tractari potest, an loca quædam alijs sint sanctiora. Dis. 52. in 1. n. 1. Dis. 56. in 1. n. 1. & Dis. 46. n. 2, 3. Rursum orationem communem, quæ fit in Ecclesia, maioris esse efficaciæ. Dis. 43. in 1. n. 4. 5.

In Commeratione fidelium defunctorum.

Hîc tractari potest, satis esse quod purgatorium in Scripturis probetur, licet nomen non habeatur. Dis. 9. in 7. n. 23. Item Sacrificium Missæ vtile esse defunctis. Dis. 40. in 1. fol. 205. §. *Quarto.*

Sequitur materia PRO CONCIONIBVS QVADRAGESIMAE.

In die Cinerum.

Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Qua de causa Ecclesia certorum ciborum abstinentiam præcipiat. Dis. 11. in 1. n. 4. 5. Item quare aliquando quis ex bonis operibus mereatur reprehendi. Disc. 61. in 1. n. 10. & Disc. 59. in 1. n. 10. Denique hinc non reprehendi posse ex bonâ intentione publicè bene operari, colligitur ex Dis. 26. in 1. n. 11.

Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra. Vide dicta Dominica 14. post Pentecost. Denique hic tractari potest ratione cinerum de vtilitate Sacramentalium ex Discurs. 76. in 1. præcept. à num. 5. vsque 10.

Feria 5. post Cineres.

Feria 6.

Sabbatho post Cineres.

Feria 2. post Dominicam primam.

Feria tertia.

Feria quarta.

Feria quinta.

Feria 6.

Sabbatho.

Feria 2. post Dominicam 2. Quadragesimæ.

Feria tertia.

Feria quarta.

Feria quinta.

Feria sexta.

Sabbatho.

Feria 2. post Dominicam 3. Quadragesimæ.

Feria tertia.

Feria quarta.

Feria quinta.

Feria sexta.

Sabbatho.

Feria 2. post Dominicam 2. Quadrasimæ.

Feria tertia post Dominic. 4.

Feria quarta.

Feria quinta.

Feria sexta.

Infirmitas hæc non est ad mortem. Quare boni ante tempus moriantur. Dis.5. in 8. n. 5. circa medium. Et vide dicta circa hanc rem Feria quarta huius Dominicæ.

Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno excitem eum. Sanctos vivere etiam à corpore separatos. Disc.51. in 1. n. 11. Item quod Deus vivificet & mortificet, & quodmodo? Dis.9.in 5.n. 2.

Feria 3. post Dominicam Passionis.

Vos ascendite ad diem festum hunc, &c. An hæc verba suffragentur vtentibus restrictione mentali. Dis. 3. in 8.n.11.

Et murmur multum erat de eo in turba, &c. Quando murmuratio sit grave peccatum. Dis.13.in 8.n.2. 3.4.5.

Feria quarta.

De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, Quid sit blasphemia, & quale peccatum. Dis. 6. in 2 per totum.

Feria 5. post Domincam passionis.

Vide dicta in festo S. Mariæ Magdalenæ.

Feria sexta.

Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat. Hic tractari potest, ratione Caiphæ dicentis id, cuius verum sensum nesciebat, vnde eveniant, quæ Astrologi subinde prædicunt. Dis.69. in 1 n. 5.

Vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Quæ differentia fuerit Ecclesiæ Gentium & Iudæorum Disc. 23 in 1. n. 2.3.4.

Sabbatho,

Cogitaverunt Principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent. An non expediat aliquando dissensionem serere inter impios. Dis. 9.in 8 n. 8 etiamsi Christus eorum conspirationem patienter tulerit.

Erant autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderant, vt orarent in die festo. Adorare hic idem esse quod sacrificare. Disc 33. in 1. num. 5.

Quoad Passionem Domini vide Dis. 1. & 2. in 8. vbi multa de calumnia, & de officio Iudicis, quæ facile quivis applicabit.

Feria 5. Cœnæ Domini.

Tractari potest de veritate Corporis Domini. Dis. 47. in 1. n. 4.

Hæc obiter in gratiam Concionantium annotavi ex ijs, quæ memoria suggessit, Indicibus destitutus. Quod monere volui Lectorem, vt sciat multò plura suppetere in hoc Opere Concioni vtilia, quæ ipse facile applicabit.

Errata

Errata ſic corrige.

FOl. 2. col. 1. *Iudiciali* lege *iudicialia*. fol. 11. n. 13. lin. 14. *ebius* lege *ab ipſo*. fol. 14. lin. 3. ante n. 9. *Inaicant* lege *Iudicant*. fol. 18. col. 1. lin. 5. *actum* lege *ac tum*. fol. 29. col. 1. lin 5. *enim* lege *eam*. fol. 40. col. 2 lin. 3. ante finem *conſummatum*. lege *conſummatam*. fol. 42. col. 1. lin. 7. *etiam* lege *enim*. ibid. lin. 2. ante n. 6. *hunc* lege *hanc*. fol. 44. n. 1. lin. 9. *nec* lege *nece*; fol. 45. col. 2. lin. 12. *Excipi*. lege *excipi*, tollendo punctum. fol. 48. col. 1. lin. 3. *Neceſſariorum* lege *neceſſariò cum*. ibid. col. 2. lin. 7. *flectendi* lege *flectenti*. Fol. 50. col. 1. n. 3. lin. 8. ante finem *vti* lege *vbi*. Fol. 51. col. 1. lin. 1. *ſtatus* lege *ſtatis* ibid. lin. 21. *ſtatu* lege. *ſtatu*. linea 24. *curum* lege *cibum*. Fol. 52. col. 1. n. 2. lin. 11. *Davia* lege *Daniel*. ibid, lin. 4. ante finem *duplico* lege *publico*. col. 2. lin 9. ante finem *de Gentibus* lege *degentibus*. Fol. 53. col. 1. n. 3. lin. 9. ante finem *Babylonis* lege *Babylonios*. ibid. col. 2. n. 4. *manducabo panem* lege *manducabo carnem*. ibid. *evaſerit* lege *eraſerit*. Fol. 54. *Movetur* lege *induetur*. ibid. n. 6. lin. 7. tolle &. Fol. 56. col. 1. lin. 14. *diſſideri* lege *diſſidere*. Fol. 62. n. 4. lin. 11. *ab* lege *in*. Fol. 63. col. 2. n. 6. lin. 8. *mera* lege *mea*. Fol. 64. col. 1. lin. 11. *moti* lege *remoti*. Fol. 66. n. 2. lin. 10. *exponendum eſſe* lege *exponendam eſſe*. Fol. 67. col. 1. lin. 18. *illam* lege *illum*. Fol. 71. in fine col. 1. post *ſubſerviunt* adde *diabolo*. Fol. 78. col. 2. n. 4 *Wetkerhan* lege *Wetterhan*. Fol 81. col. 2. lin. 7. *ſanavit* lege *ſatiavit*. Fol. 82. n. 4. lin. 1. *Nemo* lege *Venio*. Fol. 86. n. 7. lin. 8. *imitari* lege *mutari*. Fol. 88. col. 2. lin. 3. *eiectione* lege *reiectione*. Fol. 92. paulo post medium *clari* lege *clarè* Fol. 122. n. 11. lin. 4. *occidentibus* lege *obſidentibus*. 163. col. 1. circa finem *Mathæum* lege *Matthias*. Fol. 192. n. 9. *facere vitula* lege *facere vitulam*. Fol. 224. n. 2. circa finem *confirmatus lege infirmatus*. Fol. 244. circa medium *quadaturus* lege *quam daturus*, Fol. 395. lin. 2. ante n. 6. *colebat* lege *celabat*. Fol. 409. col. 2. linea 7. *habitu* lege *halitu*. Fol. 410. col. 1. lin. 6. *concedite* lege *concedere*. fol. 419. col. linea 10. *libinem* lege *libidinem*. Fol. 441. lin. 3. col. 1. *aliquem* lege *aliquis*. Fol. 452. col. 1. circa finem *neromantici* lege *necromantici* Fol. 459. col. 2. n. 2. *conformatio* lege *confirmatio*. Fol. 678. col. 2. lin. 20. *ſterilitatis Ægypto*. lege *ſterilitate Ægypti* Fol. 779. n. 6. lin. 16. *ſubſtantiarum* lege *circumſtantiarum*. Fol. 781. col. 2. lin. 16. ante finem *duos* lege *duros*. Fol. 785. col. 2. lin. 18. *ſanabitur* lege *ſatiabitur*. Fol. 789. n. 7. lin. 2. *trituratis* lege *trutinatis*. Fol. 791. n. 11. lin. 6. *ſies* lege *ſibi*. Fol. 793. Diſ. de Inceſtu lin. 9. *ſcurram* lege *ſtuprum*. Fol. 913. col. 2. *Alia dividunt* lege *alij dividunt*. Fol. 948. col. 2. lin. 5. ante finem ante verba *de annuis* interſere §. Fol. 1025. col. 1. lin. penul. *in futurum detrahit* lege *in ſuum obligat*. Fol. 1101. n. 4. lin. 18. omiſſa ſunt verba Gratiani, *ſed cauſa Sacramenti: vel deteſtatione peccati*. Fol. 1109. col. 2. poſt verba Pauli *viæ eius* per incuriã omiſſa ſunt ſequẽtia. *Quod idem eſt ac ſi diceret: O profundam miſericordiam, ſapientiam, ac ſcientiam quæ omnia ita diſpenſavit, vt primò negligeret Gentes, Iudæos vero eligeret, poſteros illius magni Patriarchæ Iacobi, eoſque adoptaret in filios, ſibi, cultuique ſuo addicens, eiſdemque ſolis ſeipſum per innumera glorioſa miracula, & Prophetias, ac ſingularem protectionem & providentiam, Deum potentiſſimum æque ac clementiſſimum exhibens, cum iiſdem ſæpe paciſcens, & præ cæteris Gentibus legem è cœlo donans, omneſque promiſſiones Abrahæ ſpeciatim ad ipſos dirigens, quarum maxima eſt, redemptio, iuſtitia, ac ſalus præſtanda per Chriſtum. Vnde ſunt illa verba Pauli ad Rom. 11. Quorum adoptio eſt Filiorum, & gloria & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa.* Ruſum, *O profundam ſapientiam ac ſcientiam Dei, quæ omnia ita diſſipavit, vt poſtea reijceret Iudæos, eligeret vero Gentes, quas annorum quamplurimis centurijs dimiſerat ingredi vias ſuas, vt ait Lucas Act. 14. 1. abſque ſingularibus præſidijs vitam hanc tranſigere.* Fol. 1136. n. 2. lin. 3. *populus* lege *populum*.

Errata quæ præter hæc annotata ſuperſunt facilè Lector animadvertet.



LOVANII,

Ex Officinâ HENRICI HASTENII,

Vrbis & Academiæ Typographi,

M. DC. XXVII.